
VIRTUS SOLA NOBILITAS

Wm J. Duyer

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE MORALIS

SECUNDUM DOCTRINAM

S. THOMAE ET S. ALPHONSI

AUCTORE

JANUARIO BUCCERONI

E SOCIETATE JESU

VOLUMEN I.

Editio Tertia

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA *DELLA PACE* PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace* Num. 35

1898

OPERIS APPROBATIO

Cum Opus, cui titulus: *Institutiones Theologiae Moralis,* etc. P. Januarii Bucceroni S. J. aliqui e. S. Theologi recognoverint, et probaverint, facultatem concedimus, ut typis edatur.

Romae d. 7. Jan. 1897.

FRANCISCUS CARINI S. J.
PRAEP. PROVINCIAE ROMANAE

ABBREVIATIONES

S. Th. S. q. 1. a. 1. = S. Thomas Summa Theologica, Supplem. quaest. 1. art. 1.

L. 5., H. A. Tr. 1. n. 37. = S. Alphonsus de Ligorio Theologia Moralis, Neapoli 1829., eodem tract. num. 5.; et Homo Apostolicus, Bassani 1826., Tract. 1. num. 37.

A. S. S. V. 1. p. 2. = Acta S. Sed. Vol. 1. pag. 2.

E. M. = Enchiridion Morale, Edit. 3.ª eodem numero.

Codices Italiae, Galliae, Hispaniae, Austriae initialibus litteris indicantur, C. I., C. G., C. H., C. A.

Usuales Iuris Romani citationes:

Inst. *de Mand.* § 1. *Mandantis* = Institutiones sub titulo *de Mandato* § 1.º, incipiente *Mandantis.*

L. 7. § 4. *Sed cum de Pactis* = Pandectae Lege 7ª § 4.º incipiente *Sed cum* sub titulo *de Pactis*, — vel addito ante titulum *D.* vel *ff.*; i. e. *Digestum* latine, *Pandectae* graece.

L. *Creditor* C. *de Usuris* = Lege quae incipit *Creditor* in Codice, titulo *de Usuris.*

Nov. 22. C. 1. = Authenticae Novella 22.ª capite 1.º

Lib. 1. *f.* tit. 7. C. un. = Libro 1.º *feudorum* titulo 7.º capite unico.

Usuales Iuris Canonici citationes:

Decretum Gratiani:

Prima Pars: Cap. *Ieiunium* 7. Dist. 76.; vel Dist. 76. Cap. 7.

Secunda Pars: Cap. *Qui viderit* 13. quaest. 5. causa 32.; vel caus. 32. q. 5. c. 13.

Tractatus de Poenitentia Dist. 1. Cap. 1.

Tertia Pars: Cap. *Est unitas* 49. Dist. 4. *de Consecr.;* vel *de Consecr.* Dist. 4. c. 49.

Decretales Gregorii IX.: C. *Presbyter* 2. *de Peculio Clericorum.*

Decretales Bonifacii VIII.: C. *Non putamus* 2. *de Consuetudine* in 6.º

Clementinae Clementis V.: Clem. 3. *de Haereticis.*

Extravagantes Ioannis XXII.: Extr. 2. *de Conc. praeb.*

Extravagantes Communes: Extr. Comm. 5. *de Poenit.*

Pr. d. = Propositio damnata.

Cf. 119. = Confer hic num. 119.

— *Lineola,* in fine cuiuscumque paragraphi vel numeri, idem est ac *Confer.*

DILECTO FILIO

IANUARIO BUCCERONI E S. I.

ROMAM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod Nobis, de Theologia Morali a te docte conscriptos, plus semel libros obtulisti; in eo non modo egregium erga hanc Petri Sedem obsequii argumentum merita laude probamus, sed peculiari etiam afficimur animi oblectatione. Si enim iure alia scientiarum incrementa agnoscere laetamur, singularem certe sibi expostulant benevolentiam, eximiique solatii causam non possunt non afferre disciplinae illae vel maxime, quae mores ad religionis normam rite exigendos respiciunt. Quapropter debitas tibi gratias profitemur, eoque libentius id agimus, quo magis, in voluminibus hactenus pervulgatis, Summorum Pontificum et Romanarum Congregationum Decretis insistis, et dilucide diligenterque sententias explanare aggrederis, ex illis Angelici Doctoris et S. Alphonsi haustas principiis, quae ubique gentium florere vehementer cupimus, et quam latissime propagari. Accedit non modice ex eo percepta iucunditas, quod multiplex operum pluries editorum varietas non solum tibi illustrem nominis notitiam et eruditi scriptoris existimationem nitide comparet, verum in uberes quoque fructus redundet alumnis tuae curae concreditis, quibus ad Gregorianum Athenaeum instituendis te perutilem, obitis continenter laboribus, operam navare iam pridem perspicimus.

Perge igitur in suscepto consilio alacriter, has doctrinas, ut tu facis, et Nos plurimum et ex corde ominamur, Thoma Aquinate et Liguorio ducibus, sollerter exculturus; perge novo iam partas laudes provectu exornare; utque eorum es studiosus, quae Societati tuae decori cedant, et omnium ad salutem conferant, ne desistas de scientia morum provehenda amplius in dies mereri.

Quod ut ex votis Nostris contingat vires tibi addat Apostolica benedictio, quam in testimonium praecipuae Nostrae in te dilectionis indubium, et in supernorum munerum auspicium, tibi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII. Augusti, anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

LEO PP. XIII.

PRAENOTIONES

1. *Quid sit Theologia Moralis?* — Si *nomen* spectetur, illa est theologiae pars, quae circa *mores* versatur. Si vero *res* ipsa consideretur, definiri potest: illa theologiae pars, quae, innixa iure divino, per revelationem manifestato, inquirit quid liciti, quid illiciti sit in humanis actionibus, ut has dirigat in ordine ad vitam aeternam. Hinc facile patet quanta sit moralis theologiae necessitas et utilitas. — S. Th. 1. p. q. 1., 1. 2. q. 91. a. 4.

2. *Quaenam sit Theologiae Moralis partitio; et quinam Tractatuum ordo?* — Omnes moralis theologiae quaestiones ad praecipuos quosdam reducuntur Tractatus, in quos ipsa dividitur. Ut *ordinate* progrediamur, dicemus: 1.° De *actibus humanis,* qui sunt proprium quasi subiectum honestatis et peccati. 2.° De *conscientia,* quae proxime regulat humanas actiones. 3.° De *legibus* generatim, quae remote easdem actiones regulant. 4.° De *peccatis,* quae ex difformitate exsurgunt humanarum actionum respectu regulae sive proximae sive remotae. 5.° De legibus speciatim, quibus licitum vel illicitum in humanis actionibus in particulari determinatur.

Hoc autem *ordine* de his particularibus legibus *disserendum:* 1.° De praeceptis proprie evangelicis, quae *iure divino revelato* constant, de praeceptis nempe virtutum theologicarum, *fidei, spei, caritatis,* quibus homo *immediate* tendit ad finem suum. — 2.° De praeceptis *Decalogi, iure naturali* proprie constitutis, licet etiam *divino iure,* Matth. 19., 17.; Trid. S. 6. c. 19., *positive confirmatis.* — 3.° De praeceptis *Ecclesiae,* quae pendent *ex humano iure.* — 4.° De obligationibus *variorum statuum.* Post generaliora enim praecepta ad magis particularia progredi oportet. Atque horum omnium posteriorum praeceptorum observatione homo *mediate* tendit ad finem suum. Theol. Wirceburg. de Virtut. Theol. 32. seqq., de Virtut. relig. 9. seq. — 5.° De praeceptis *sacramentorum,* quae legem continent *praecipientem* simul, et *iuvantem;* per ea enim infunditur gratia sanctificans, aliaque dantur gratiae auxilia, quibus homo universam legem servare potest; ut ita in Dei amicitia conservetur, vel in eam restituatur, si, legem transgrediendo, in Deum graviter peccaverit. — 6.° De *censuris,* quae ecclesiasticae *poenae* sunt, quarumdam specialium *legum* transgressionem praecaventes et consequentes; et de *irregularitatibus,* quae partim poenae, partim impedimenta sunt ad sacros ordines suscipiendos. — 7.° De *indulgentiis,* per quas, remissis aliunde peccatis, *poena* remittitur *temporalis,*

eisdem adhuc debita; et sic homo proxime disponitur ad vitam aeternam consequendam. — Cf. 136.

3. *Quanam methodo Theologia Moralis pertractetur?* — Theologia moralis triplici methodo potest pertractari: *positiva, casuistica* et *scholastica.* Prima ex fontibus proprie theologicis morum praecepta et dogmata ordinate exponit et probat. Altera insistit in casibus practicis resolvendis, generalia principia ad particulares casus, variis determinatos circumstantiis, applicando. Tertia, potius quam auctoritate, rationis discursu procedit. Moralia enim praecepta et dogmata, positive iam probata argumentis proprie theologicis, philosophicis principiis et rationibus confirmat, illustrat, eorumque nexus et relationes, ac consectaria declarat.

Triplex ista methodus facile simul coniungi et adhiberi potest, et ex hac triplici methodo simul permixta perfecta et excellens moralis theologiae tractatio habetur. In praesentibus institutionibus ratione paulo magis quam auctoritate insistemus. Disputatio enim, quae in scholis instituitur, non est directe ad removendum errorem, sed ad instruendam et inducendam mentem ad intellectum veritatis, quam intendit; «et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus scire, quomodo sit verum quod dicitur; alioquin, si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet». S. Th. Quodl. 4. a. 18. Posterior haec scholastica methodus brevis de se est in quaestionum tractatione. Verum cum plures e veteribus scholasticis longum saepe instituerint examen oppositarum opinionum aliorum, ad eas directe refellendas, hinc maxime quoad moralem theologiam factum est, ut doctissima eorum opera non nisi paucorum manibus versarentur. Uti huiusmodi nostrae qualescumque institutiones maioris usus et utilitatis esse possint, scholastica forma in eis procedere constituimus, omissa longa illa aliorum opinionum discussione, quod factum etiam observamus, in Summa Theologica, ab Angelico Doctore.

DE ACTIBUS HUMANIS

I. — DE NATURA HUMANI ACTUS

4. *Quid sint actus humani?* — Actus humani sunt generatim, actus hominis, quibus idem homo ordinatur ad finem sibi consentaneum. Quare actus humani considerari possunt vel *relate ad hominem,* qui ipsis ordinatur ad finem, vel *relate ad finem,* ad quem ipsorum ope ordinatur. — De humanis actibus utroque respectu consideratis gradatim dicemus. — S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2., E. M.

5. *Quaenam sit partitio tractationis actuum humanorum relate ad hominem?* — Actus humani, considerati *relate ad hominem,* dupliciter inspici possunt: 1.° prout ab humanis facultatibus procedunt, quod est eos in sua *intrinseca natura* considerare. Actus enim generatim, in creatis, nihil aliud est, quam facultatis alicuius a posse ad esse determinatio. 2.° Prout de-

ficiunt ab hac sibi propria natura ob *impedimenta,* quae non sinunt humanas facultates rite agere. — Dicemus primo de intrinseca humani actus *natura;* deinde de eius *impedimentis.*

6. *Quaenam sit intrinseca actus humani natura?* — Usus obtinuit, ut distingueretur inter *actum hominis* et *humanum.* Vocatur *actus hominis,* qui procedit ab homine sine advertentia et deliberatione. Vocantur autem *actus humani,* qui procedunt, non utcumque, sed cum advertentia et deliberatione. Neque vero ista distinctio sine ratione facta est. Etenim « actionum, quae ab homine aguntur, illae solae proprie dicuntur *humanae,* quae sunt propriae hominis in quantum est homo (nempe adaequate, et quoad *substantiam* operis, et quoad *modum* operandi). Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus... Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illae ergo *actiones* proprie *humanae* dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt. Si quae autem aliae actiones homini conveniant, possunt dici quidem *hominis actiones,* sed non proprie *humanae,* cum non sint hominis, in quantum est homo ». S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. — Iam vero, cum actus humanus, actus sit *ex voluntate deliberata procedens,* ut eius naturam penitius cognoscamus, opus est paucis explicare 1.° naturam *voluntarii,* 2.° naturam *liberi,* 3.° tandem quotuplici *modo* actus quivis a deliberata voluntate procedere possit. Idque fit in seqq. qq.

7. *Quid sit voluntarium; quotuplex voluntarii acceptio?* — R. ad 1.um *Voluntarium,* a voluntate dictum, est quod procedit seu causatur a voluntate. Quare voluntarium non est nisi vel *actus* voluntatis, vel *effectus* illius actus. *Voluntarium* ergo differt a *volito,* quod non nisi obiectum actus voluntatis designat. Cum voluntarium a voluntate procedat, quae est principium agenti intrinsecum, convenit cum motu quolibet *naturali,* differt vero a *violento;* ille enim a principio intrinseco, iste a principio extrinseco procedit.

Ad 2.um *Voluntarium* tripliciter sumi potest: 1.° latius pro *spontaneo,* 2.° strictius pro *voluntario* praecise tali, quatenus nempe differt a *spontaneo* et a *libero,* vel saltem praescindit a *libero,* 3.° strictissime pro *libero.* — *Spontaneum* est, quod procedit ab appetitu sensili ex praevia sensili cognitione obiecti, in quod appetitus tendit. « Ratio est, quia, sicut appetitus naturae sequitur ex forma naturali, ita appetitus elicitus ex forma apprehensa, actu repraesentante obiectum ». Suarez in 1. 2. Tr. 2. D. 6. S. 4. Spontaneum ergo competit tum hominibus tum brutis animantibus. — *Voluntarium* proprie est, quod procedit ab appetitu spirituali, seu voluntate cum praevia cognitione rationali obiecti. — *Liberum* tandem est, quod procedit a voluntate, se determinante ad actum, cum potestate ipsius actus eliciendi, vel non eliciendi, vel alium eliciendi. Quare *liberum* essentialiter includit rationem *voluntarii;* et *voluntarium* essentialiter etiam includit rationem *liberi,* si nempe *voluntarium* cum *proprietate* quidem significationis verbi sumatur, sed adaequate, et quoad *substantiam* actus et quoad *modum* operationis *proprium* voluntatis. — S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. 2., q. 8. a. 1., Suarez D. 1. S. 1. 3. 6., L. l. 5. n. 6.

8. *Resolves: Voluntarium* haberi non potest sine praevia *cognitione. Nihil volitum quin praecognitum.* Necessaria tamen semper non est *clara* et *distincta* rei cognitio, sufficit enim notitia *obscura* et *confusa.* Et sic

valide baptizatur adultus, licet omnes christiani obligationes nondum plane exploratas habeat. — *Voluntarium* praeterea esse non potest nisi de re *determinata*. Voluntas enim non nisi in bonum movetur; bonum autem rationem finis habet. « Cum bonum sit quod omnia appetunt, hoc autem habet rationem finis; manifestum est, quod bonum rationem finis importat ». S. Th. 1. p. q. 5. a. 4. Atqui finis non nisi aliquid *certum* et *determinatum* est. S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2. Et ideo ille, qui vult sponsalia contrahere cum qualibet ex duabus, non contrahit; et sacerdos, qui vult ex pluribus hostiis unam quamcumque consecrare, non consecrat. Sanch. l. 1. D. 26. S. 1., Rubr. Miss. *De Defect.* tit. 7. n. 1., L. l. 3. n. 203. 224. — Demum *voluntarium* esse non potest de re *impossibili*. Etenim « voluntas est appetitus quidam rationalis; omnis autem appetitus non est nisi boni. Cuius ratio est, quia appetitus nihil aliud est, nisi quaedam inclinatio in aliquid. Nihil autem inclinatur nisi in aliquid *simile* et *conveniens.* » S. Th. 1. 2. q. 8. a. 1.— Minime vero requiritur quod *voluntarium* non nisi de *vero* et *reali* bono sit. « Ad hoc, quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur quod sit bonum in *rei veritate*, sed quod *apprehendatur* in ratione boni, et propter hoc Philosophus dicit: finis est bonum vel apparens bonum ». S. Th. l. c.

9. *An voluntarium saltem esse possit de re, non facto, sed iure impossibili?* — De re *quoad factum* ipsum *impossibili* voluntarium esse non potest, ut ex dictis constat, Cf. 8., si quis recte utatur ratione. Hinc nemo potest serio velle manu tangere spatium vacuum extra mundum. — De re *quoad ius* tantum *impossibili* quaestio est: v. g., matrimonium contrahere cum habente impedimentum dirimens, consecrare aquam, baptizare cum vino, etc. Sed affirmandum videtur; siquidem voluntas in ipsum *factum* fertur, neque necessario ferenda simul est in *ius*, vel in *factum* non nisi dependenter a *iure*. Et sic, qui contrahit matrimonium cum impedimento dirimente ignorato, qui matrimonium etiam attentat coram magistratu civili, vere matrimonium vult, quantum in se est, contrahere. Unde est, quod Ecclesia deinde aliquando dispensat in radice, non renovato nempe consensu, et matrimonium convalidat. Sanch. de Matr. l. 2. D. 33. Et sane C. *Ex sponsalibus* un. *De Spons.* in 6.° dicitur: « Ex sponsalibus puris et certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis aut alia quavis ratione *sint nulla*, dummodo non sint nulla *ex defectu consensus*, oriri... impedimentum iustitiae publicae honestatis ». Ergo aperte supponitur verus consensus cum impedimento dirimente. — Cf. V. 2. n. 1033.

10. *Quid et quotuplex sit liberum?* — *Liberum* supra *voluntarium* habitudinem solum addit ad potentiam, *elicientem* actum voluntarium, et habentem potestatem ad illum suspendendum, vel alium actum eliciendum, specie tantum diversum, vel etiam oppositum. In 1.° casu dicitur *libertas exercitii* seu *contradictionis:* In 2.° casu *libertas specificationis:* In 3.° casu *libertas contrarietatis.* — *Liberum* ergo requirit utique in potentia seu facultate intrinsecum dominium actus, adeoque immunitatem non tantum ab *extrinseca coactione*, sed etiam ab *intrinseca necessitate;* minime vero requirit immunitatem etiam ab *infirmitate*, nempe a concupiscentia aliisque humanae vitae miseriis, quae utpote extrinsecae, et neque *cogentes*, neque *necessitantes*, intrinsecam agendi rationem humanae voluntatis immutare nequeunt. « Liberum est quod sui causa est ». S. Th. C. G. l. 2. C. 48. — Libertas haec, de qua agimus, libertas *physica* est. Libertas vero *moralis*

carentiam in suo conceptu involvit non tantum necessitatis physicae agendi, verum etiam moralis obligationis vi legis praecipientis vel prohibentis. S. Th. 1. p. q. 83., 1. 2. q. 1. a. 2. — E. M.

11. *An in humanis actibus liberum vere reperiatur non tantum a coactione, verum etiam a necessitate?* — R. Affirmative. Veritas fidei est, quae apertissime constat ex SS. et Traditione. Cf. Suarez D. 1. S. 2. Cuius ratio est, quia « si proponitur voluntati aliquod bonum, quod completam boni rationem habet, ut ultimus finis, propter quem omnia appetuntur, non potest non velle esse felix, aut velle esse miser. In his autem, quae ad ultimum finem ordinantur, nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat, nec aliquod adeo bonum, quod in omnibus sufficiat: unde quantumcumque ostendatur bonum vel malum, semper potest adhaerere et fugere in contrarium ratione alterius, quod in ipso est; ex quo accipitur, si malum est simpliciter, ut apparens bonum; et si bonum est simpliciter, ut apparens malum; et inde est, quod in omnibus, quae sub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quod felicitatem naturaliter appetit, et non determinate in hoc vel illo ». S. Th. 2. D. 25. q. 1. a. 2. — Hinc, uti patet, potestas illa ad opposita, qua actus voluntatis ponitur ab ipsa, praesupponit in suo exercitio indifferentiam obiectivam iudicii intellectus, quae consistit in hoc, quod intellectus voluntati proponat in obiecto varias rationes convenientiae vel disconvenientiae, boni vel mali. — Trid. S. 6. c. 4.-6., S. Th. 1. 2. q. 10. a. 2., q. 13. a. 6., E. M.

12. « *Infertur*, quod orta gravi tentatione, et postquam a phantasia, aut aliunde, vehementer excitatur appetitus sensitivus concupiscibilis, venereus, aut irascibilis, quod, inquam, tunc in voluntate triplicis generis possint dari actus. 1.° Illi, qui *praeveniunt usum rationis*, et eliciuntur a tentato in eo instanti aut tempore, in quo intellectus voluntati nondum proponit motiva absterrentia, sed solum allicientia illius obiecti, in quod fertur appetitus. Et hi actus voluntatis dicuntur *motus primo primi*. 2.° Illi, qui *sequuntur ad aliqualem usum rationis*, et eliciuntur a tentato in eo instanti, in quo intellectus motiva absterrentia proponit solum obscure, motiva allicientia vero ad amorem illicitum aut ad odium, ita vivaciter, ut voluntas a motivis absterrentibus solum remisse et imperfecte moveatur. Et hi actus voluntatis dicuntur *motus secundo primi*. 3.° Tandem illi, qui *sequuntur ad perfectum usum rationis*, et eliciuntur a voluntate in eo instanti, in quo intellectus voluntati satis clare et intense proposuit motiva absterrentia seu disconvenientiam et malitiam moralem, a quibus voluntas posset libere absterreri, si serio vellet. Et hi actus voluntatis dicuntur *actus deliberati*. Actus 1.i generis *non sunt liberi*, et consequenter neque sunt *formaliter* peccaminosi. Actus 2.i generis sunt *imperfecte liberi*, et solum venialiter peccaminosi. Actus 3.ii generis vero sunt *perfecte liberi*, et consequenter, si adsit gravitas materiae, sunt mortaliter peccaminosi ». Struggl Theol. Mor. Tr. 1. q. 1. a. 1. n. 10. — S. Th. 1. 2. q. 10. a. 3.

13. *Quotuplici modo voluntarium a voluntate procedat?* — Cum voluntarium *apprehensionem* intellectus praesupponat, *voluntatis* actum et *libertatis* exercitium includat, et ad aliquem etiam extrinsecum actum seu extrinsecam actionem se protendat, hinc voluntarium multiplici modo a

voluntate est, variaeque inde exurgunt voluntarii partitiones, quas statim explicabimus.

14. *Quid voluntarium elicitive et imperate?* — Primum habetur, quum totus actus perficitur a voluntate, et in voluntate, absque adminiculo alterius facultatis, sive interioris et spiritualis, sive exterioris et corporalis; uti sunt *volitiones, nolitiones.* — Alterum habetur, cum actus ex ipso quidem voluntatis imperio dependet, ab alia tamen agentis facultate perficitur; sive interiori, uti sunt intellectus, phantasia, memoria; sive exteriori, uti sunt membra corporis, atque sensuum organa, sicut ambulare vel loqui. — Potest autem actus esse simul *elicitus* et *imperatus*, voluntas enim potest sibi ipsi in actibus suis imperare: et hac ratione dicunt theologi, quod una virtus, e. g., caritas imperat actus aliarum virtutum, quando voluntas ex motivo unius virtutis elicit actum alterius virtutis, e. g., ex amore Dei pauperis miseretur. — S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. ad 2., q. 17. a. 5., Suarez D. 10. S. 1. 2.

15. *Quot et quinam sint actus a voluntate eliciti?* — « Omnis voluntatis actio aut circa *finem*, aut circa *medium* versatur, quod dupliciter contingit fieri aut *appetendo* aut *exequendo;* ex quo duplex oritur ordo actuum voluntatis, et intellectus practici, qui voluntatem gubernat in moribus. Prior omnes illos actus continet, qui necessarii sunt usque ad *postremam medii electionem*, qui sunt *voluntas, intentio, consilium, consensus, electio.* Duo priores circa *finem:* posteriores circa *medium* eo quo numerati sunt ordine versantur. Stabilita autem *electione*, progreditur voluntas ad liberam *executionem*, et sic est secundus ordo, in quo duo tantum actus numerantur: *imperium* et *usus;* quibus actibus *fruitio* additur; quae non est operatio *ad finem* vel appetendum vel assequendum ordinata; sed, *fine* potius *comparato*, ipsa subsequitur ». Suarez D. 6. initio.

16. *Quid voluntas?* — *Voluntas*, seu *simplex volitio*, primus voluntatis actus est, qui est quasi prima inclinatio voluntatis in obiectum propositum, tanquam *per se* amabile, sine ullo ordine ad aliud. Ex quo patet, hunc actum circa *finem* versari; solus enim finis *per se* amabilis est. Sed tendentiam in finem non includit, sistendo tantum in amore et complacentia illius boni, et ideo *simplex volitio*, seu *amor* et *complacentia* est, adhuc *inefficax.* — Suarez D. 6. S. 1., S. Th. 1. 2. q. 8. a. 1. 2.

17. *Quid intentio?* — *Intentio* est libera vel perfecte voluntaria tendentia in bonum, ut illud assequamur. Quare intentio tendentia voluntatis est in aliquem *finem per debita media obtinendum.* Desiderium in rem amatam est, et de se desiderium *efficax* est. Etenim desiderium generali significatione quamcumque appetitionem obtinendi boni, quo aliquis caret, significat: et non solum ad appetitionem efficacis voluntatis, sed etiam ad imperfectas volitiones, vel velleitates rerum etiam impossibilium sese extendit. — Intentio vel virtute vel expresse appetitio etiam est *mediorum in communi.* Ratio, quia intentio est efficax voluntas obtinendi finem. Atqui velle finem, absolute ut sic consequendum, est virtute velle exequi omnia media necessaria ad finem. Insuper potest quis hunc actum explicite elicere: volo adhibere omnia media necessaria ad finem, qui actus est intentio, quia antecedit omnem consultationem de mediis et electionem, et principium est consilii et electionis. *In communi*, non *in particulari;* hac enim

ratione *ab electione* distinguitur. — Suarez l. c. S. 2., S. Th. 1. 2. q. 8. a. 2., q. 12. a. 4.

18. *An possit quis plura simul intendere; et si plura incompossibilia intendantur, quaenam intentio praevaleat?* — R. ad 1.um Affirmative. Etenim vel illa sunt ordinata ad invicem, vel non. « Si quidem ad invicem fuerint ordinata, manifestum est quod homo potest simul multa intendere. Est enim intentio non solum finis ultimi, sed etiam finis medii: simul autem intendit aliquis et finem proximum et ultimum, sicut confectionem medicinae et sanitatem. Si autem accipiantur duo ad invicem non ordinata, sic etiam simul homo potest plura intendere, quod patet ex hoc, quod homo unum alteri praeeligit; quia melius est altero. Inter alias autem conditiones, quibus aliquid est melius altero, una est, quod ad plura valet. Unde potest aliquid praeeligi alteri ex hoc, quod ad plura valet, et sic manifeste homo simul plura intendit ». S. Th. 1. 2. q. 12. a. 3.

Ad 2.um 1.° Si voluntates istae sint simul, praevalet praedominans, nempe quae eligeretur, cognita impossibilitate. 2.° Si inter voluntates contrarias una alteri succedat, posterior praevalet priori; nam est praedominans ordine temporis, et actualitatis. Excipe, nisi prior revocaverit, saltem virtualiter, omnem voluntatem subsequentem; tunc enim prior voluntas, modo expresse non revocetur, est certe praedominans. — Lugo de Sacr. D. 8. n. 121. 123., L. l. 6. n. 24.

19. *Resolves:* Si alter a te missam petiit pro gratiarum actione, alter pro graviter aegroto, tenendum est pro hoc fuisse applicatam, sive prior sive posterior illam petierit. — Si tecum statueris: quodcumque posthac votum emisero sine licentia confessarii, illud valere nolo; et postea voveris aliquid, confessario inconsulto, non valet, modo ea voluntas non retractetur expresse vel virtualiter, scilicet si memor primi voti secundum emitteres, e. g., in naufragio, in incendio, etc. — Si quis matrimonium contraheret, *intendens* illud esse solubile, tali animo, quod si sciret esse indissolubile non contraheret, matrimonium nullum est; nam indissolubilitas essentialis proprietas est matrimonii christiani. Valide vero contraheret, si per errorem tantum putaret matrimonium esse dissolubile, quia error privatus non aufert ei intentionem contrahendi modo quo debet. — L. l. 3. n. 179. 210. 700. l. 6. n. 24., Elbel 130.

20. *Quid electio?* — *Electio* est actus voluntatis, quo voluntas fertur *in medium particulare,* ut medium, seu ut bonum utile, efficax nempe volitio est alicuius peculiaris rei, quae *propter aliud* amatur. — Electio igitur procedit ex intentione efficaci finis, eiusque obiectum est *bonum utile ut sic,* et nobis possibile; et *virtualiter* saltem ipsius *finis* volitionem continet. — Electio item intrinsecam suam naturam retinet, quamvis non contingat fieri *inter plura,* cum illud medium sit unum tantum. Nam actus specificatur a proprio obiecto, et idem obiectum manet electionis, nempe *medium ad finem,* sive sit unicum medium, sive conferatur cum aliis. — Electio est ad modum *desiderii,* quia est *de medio ut exequendo,* et executionem praecedit; et ideo de re absente est. — Electio praeterea voluntatis *propositum* est. Propositum est voluntatis actus, quo quis aliquid se facturum constituit. — S. Th. 1. 2. q. 13., Suarez D. 8. S. 1. 2.

21. *Quid consensus?* — *Consensus* tribui potest cuicumque actui libero voluntatis acceptantis bonum, intellectu propositum, quo modo peccatum

dicitur perfici consensu; et sic non est specialis actus, et non solum circa *media,* verum etiam circa *finem* versatur. Verum, prout specialis actus est, circa *medium* versatur, et actus specie distinctus non est ab electione, sed tantum ratione ex diversis respectibus. « Nam quatenus voluntas *vult,* quod intellectus indicat esse utile, dicitur *consensus;* quatenus vero illud *praefert* vel aliis mediis, utilibus, vel certe aliis rebus inutilibus non conducentibus ad finem dicitur *electio* ». Suarez D. 8. S. 2. — S. Th. 1. 2. q. 15.

22. *Quid consilium?* — *Consilium* proprie est actus intellectus duo includens, *inquisitionem et inventionem mediorum* ac *iudicium.* Consilium ergo non unum, sed plures actus intellectus involvit. Illa enim inquisitio non fit sine discursu et consideratione plurium rerum. Verum consilium aliquando significat solum *inquisitionem,* aliquando solum *iudicium,* quamvis ex discursu non procedat, interdum utrumque complectitur. Consilium hoc ultimo sensu frequenter quidem electionem praecedit, non tamen semper. Nam quando electio fit inter multa, quod saepius accidit, oportet omnia illa esse inventa, proposita, discussa, et iudicata per intellectum. Verum ubi agatur de rebus minimis, vel de rebus per se determinatis, vel per se notis, non est tunc formale consilium. — S. Th. 1. 2. q. 14., q. 9. a. 4., Suarez D. 8. S. 5.

23. *Quid usus?* — *Usus* alius est *activus,* alius *passivus.* Primus est actus elicitus a voluntate, quo voluntas movet ceteras potentias ad operandum. Alter est actus potentiae exequentis procedens ab usu activo. — Usus proprie est *de mediis,* nam *usus* significat quemdam motum voluntatis ad realiter consequendam rem volitam seu finem. — *Usus* distinguitur re *ab electione,* cum prius fiat consilium, et electio de medio secundum se, quam tractetur de executione; minime vero ab electione re distinguitur, cum intellectus subito determinet medium et circumstantias omnes, et voluntas in eodem instanti in quo eligit medium, eligat etiam circumstantiam actualis executionis; ex vi enim talis electionis sequitur actio potentiae exequentis. — *Usus* et *electio* actus inter se specifice distincti non sunt, quia tendunt in obiectum sub eadem ratione boni, nempe ut est *utile* ad consequendum finem. — S. Th. 1. 2. q. 16., Suarez D. 9. S. 1. 2.

24. *Quid imperium?* — *Imperium,* de quo hic agitur, imperium est, quo quis *sibi* imperat, non quo imperat *aliis.* Dupliciter homo potest sibi imperare, 1.° quasi in actu exercito, dum se movet ad aliquid agendum, 2.° in actu signato, expresse actum imperii eliciendo, *fac hoc.* — Huiusmodi imperium est partim actus voluntatis, partim est actus intellectus; quia imperare est movere ad agendum, « primum autem movens in viribus animae ad exercitium actus est voluntas ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. Verum imperare non est movere quomodocumque, sed movere quasi imponendo legem; intellectus autem est, qui imponit legem voluntati; quoniam iudicat de agendis. Iam age quaeritur hic, *quinam sit hic actus intellectus et voluntatis, qui imperium adaequate constituit.*

Ad actum intellectus quod spectat, nota: 1.° Ante *voluntatem* et *intentionem* praecedit iudicium practicum intellectus, quo quis iudicat non solum rem esse in se bonam, sed etiam sibi convenientem, et expedire illam amare. Iudicium hoc aliqualem continent rationem imperii. « Imperans enim ordinat eum, cui imperat ad aliquid agendum, intimando

vel denuntiando ». S. Th. 1. 2. q. 17. a. 1. — 2.° Ante *electionem* et *consensum* iudicium item practicum antecedit, sive sit per modum formalis consilii, sive non, medium aptum ad finem uti eligibile proponens, et huiusmodi iudicium aliqualem etiam rationem imperii continet, cum etiam suo modo moveat denuntiando et intimando. — 3.° Post *electionem* illam, quae tempore praecedit *usum activum*, iudicium aliud praecedit magis practicum, in hoc distinctum a iudicio quod praecedit electionem, quod magis immediate attingat opus, et omnes determinatas circumstantias necessarias ad operis executionem. Ratio est, quia ante omnem actum voluntatis debet antecedere iudicium intellectus illi consentaneum, a quo dirigatur et illuminetur; sed usus activus est actus voluntatis, qui aliquid addit electioni iam factae. Ergo. Iudicium hoc magis adhuc rationem imperii participat, vehementius enim movet voluntatem denuntiando et intimando, non tam virtute sua quam virtute electionis iam factae. Ordinatur enim prorsus ad executionem operis et magis inclinat ad vincendam difficultatem operis, quae tempore executionis maior semper apparet, quam in consultatione et electione abstracta. — 4.° Praeter haec iudicia practica, reperitur in nobis aliud iudicium, quod experimur cum nobiscum interne ita loquimur: *fac hoc;* et explicite exprimit voluntatis actum efficacem eliciendum operis exequendi. Hoc iudicium, illud est quod proprie imperium constituit. Iudicium hoc non est per se necessarium ad opus; est tamen utilis actus, ut voluntas ipsa et totus homo magis moveatur, vel ut citius aggrediatur executionem, vel ut constantius in ea perseveret, quia dum homo sibi ita imperat, quasi supra seipsum reflectitur, et fit sibi superior, et quia uti locutio externa quoad alios, ita locutio interna quoad seipsum vim habet movendi et incitandi animum.

Ad actum voluntatis quod attinet, notandum est: 1.° quod hoc *imperium*, si efficax est et verum, absolutam voluntatem supponit: nam, si fiat sine ulla voluntate, est fictum et tantum verba; si vero voluntas, quae antecedit, sit inefficax, ipsum etiam inefficax erit. Et ratio est, quia tota efficacia movendi est a voluntate. Huiusmodi ergo voluntas rationem illius imperii complet. — 2.° Ipse *usus activus* voluntatis rationem aliquam imperii habet, et saepe imperium dicitur. Id constat ex S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. ad 2. et 2. 2. q. 4. a. 2 ad 2., quibus in locis dicit voluntatis esse imperare ceteris potentiis, etiam intellectui. Et eodem modo, uti dictum est, unus actus voluntatis imperatur ab alio actu eiusdem voluntatis. Et ratio huius locutionis est, quia imperare est habentis dominium; voluntas vero est, quae quasi habet dominium omnium actionum humanarum. — S. Th. 1. 2. q. 17., Suarez D. 9. S. 3.

25. *Quid fruitio?* — *Fruitio*, quoad nomen, est capere fructum a re. Quoad rem ipsam, est quies quaedam voluntatis, suavitas, gaudium, delectatio, posita obiecti desiderati praesentia, eiusque possessione. — *Gaudium* magis dicitur de bono *rationali*, *delectatio* de *sensili*, *fruitio* de *utroque*, eaque ad bonum *proprium* potius coarctatur, cum *gaudium* de bono *alieno*, tanquam amici, etiam dicatur. — Theologi morales *gaudium communiter* a delectatione distinguunt ex tempore, docentes gaudium esse rei *praeteritae*, delectationem *praesentis*. — Obiectum ergo *fruitionis* proprie est bonum sub ratione *boni delectabilis*. Tum autem *finis* tum *medium* potest esse obiectum gaudii, quamvis ratio gaudendi seu formale obiectum

semper sit finis. Ratio 1.ª est, quia gaudium oritur ex consecutione boni delectabilis. Atqui ipsum medium est quoddam bonum delectabile. Et sic experimur nos delectari, quando media convenientia obtinemus. Ergo. Ratio 2.ª est, quia omne bonum amatum est *finis* vel *ratione finis*. Ergo omne bonum quod delectat est finis vel ratione finis. — Duplex autem distinguitur gaudium seu fruitio, perfecta et imperfecta. « Nam cum sit de fine consecuto, si finis perfecte assecutus sit, fruitio est perfecta, si sit assecutus in spe quadam, potest hinc oriri aliqua fruitio, sed imperfecta, quia illa iam est aliqualis consecutio: et haec videtur illa fruitio, de qua Paulus, *spe gaudentes* ». Suarez D. 7. S. 2. — S. Th. 1. 2. q. 11. 31.

26. *Quid voluntarium perfectum et imperfectum; voluntarium absolutum, et velleitas; simpliciter et secundum quid?* — Variae hae partitiones vario sensu accipi possunt et declarari, prout consideretur in voluntario vel praecise ratio *voluntarii*, vel ratio *liberi*, vel varium *obiectum*, ad quod refertur, pro vario eius statu. Breviter eas sequentibus paragraphis explicabimus, secundum varias quas habent acceptiones.

27. *Ratione voluntarii, seu inclinationis voluntatis*, voluntarium aliud est *simpliciter tale*, seu *perfectum*, aliud tale *secundum quid* seu *imperfectum*. Primum illud est, quod a voluntate, *plena inclinatione* eiusdem voluntatis, absque ulla repugnantia, progreditur. Secundum est illud, quod procedit quidem a voluntate consentiente, sed *non sine aliqua eiusdem rationalis voluntatis repugnantia*, ita ut *volitio actu* quidem sit, sed admixta *nolitioni conditionatae* obiecti. Sic nauta, naufragii periculo urgente, *actu vult* et *deliberate vult* merces proiicere, quas tamen, deliberata etiam voluntate servare *vellet*, si naufragium non immineret, unde non sine voluntatis deliberata repugnantia, sed *inefficaci*, eas proiicere absolute consentit. — S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. ad 3., a. 7. ad. 2., S. q. 47. a. 1., L. l. 5. n. 21.

28. Voluntarium aliud est *absolutum* et *simpliciter*, aliud quod est *velleitas*, et *secundum quid*, *ratione ipsius obiecti*, ad quod voluntas tendit, prout nempe absolute consideratur, prout reapse est, secundum omnes sui circumstantias, vel tantum prout in se est, praecisione facta a circumstantiis. — Ad rem A. D. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1.: « Unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in *prima* sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adiuncto consideratur, quae est *consequens* consideratio eius, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem: sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere: unde potest dici, quod iudex iustus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae iustitiae. Neque tamen id quod antecedenter volumus, *simpliciter* volumus, sed *secundum quid:* quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in seipsis sunt, in seipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod iudex iustus *sim-*

pliciter vult homicidam suspendi, sed *secundum quid* vellet eum vivere, scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici *velleitas*, quam *absoluta voluntas*. Et sic patet, quod quidquid Deus simpliciter vult, fit; licet illud, quod antecedenter vult, non fiat ».

29. Si voluntarium consideratur *in ratione liberi*, et secundum *varium deliberationis gradum*, voluntarium, aliud est *perfectum*, et est illud, quod a voluntate procedit cum perfecta cognitione et plena deliberatione; aliud est *imperfectum*, et illud est, quod a voluntate procedit cum cognitione imperfecta et semiplena deliberatione. Tales sunt actiones hominis semiebrii, semidormientis. — Suarez D. 1. 3. 4., S. Th. 1. 2. q. 6. a. 2.

30. Voluntarium iterum, *ratione deliberationis*, aliud est voluntarium *absolutum* et *simpliciter*, aliud voluntarium *secundum quid*, quod *velleitas* etiam nuncupatur. Et sic, stante tentatione peccati in voluntate, qua tamen quis deliberate peccato resistit, voluntas, *ut natura*, seu *secundum quid*, vult peccatum: sed tamen eadem voluntas, *ut rationis voluntas*, *absolute* et *simpliciter* peccatum detestatur. Apposite S. Th. 3. p. q. 21. a. 4., ubi rationem simul reddit huius partitionis: « Voluntas *simpliciter* hominis est *rationis voluntas*. Hoc enim *absolute voluntas*, quod secundum *deliberatam rationem* volumus. Illud autem, quod volumus secundum motum sensualitatis vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quae consideratur *ut natura*, *non simpliciter* volumus, sed *secundum quid*, scilicet si aliud non obsistat, quod *per deliberationem rationis* invenitur. Unde talis voluntas magis est dicenda *velleitas*, quam *absoluta voluntas*; quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret ».

31. Voluntarium *ratione suae perfectionis* aliud est voluntarium *absolutum*, *efficax*, *perfectum*, seu *completum*, ut dicitur a S. Th., aliud est voluntarium, quod iterum *velleitas* appellatur, *simplicis complacentiae*, seu *imperfectum* et *incompletum*, ut dicitur ab eodem S. D. Primum est illud, quod usque *ad consecutionem rei* se extendit, rem et media ad eam volendo. Alterum illud est, quod usque ad rei consecutionem non progreditur, sed in *eius* sistit *simplici complacentia*.

Sic huius partitionis rationem assignat A. D. 1. 2. q. 13. a. 5. ad 1. « Dicendum, quod voluntas media est inter intellectum et exteriorem operationem. Nam intellectus proponit voluntati suum obiectum, et ipsa voluntas *causat exteriorem operationem*. Sic igitur *principium* motus voluntatis consideratur ex parte intellectus, qui apprehendit aliquid ut bonum in universali. Sed *terminatio* seu *perfectio* actus voluntatis attenditur *secundum ordinem ad operationem*, per quam aliquis tendit *ad consecutionem rei:* nam motus voluntatis est ab anima ad rem; et ideo perfectio actus voluntatis attenditur secundum hoc, quod est aliquid bonum alicui ad agendum. Hoc autem est *possibile*. Et ideo voluntas *completa* non est nisi de *possibili*, quod est bonum volenti. Sed voluntas *incompleta* est de impossibili, quae secundum quosdam *velleitas* dicitur: quia scilicet aliquis vellet illud, si esset possibile ». Et sic infirmus sanitatem sperans, sanitatem vult voluntate *completa:* habet enim voluntatem absolutam et efficacem sanitatis, volendo simul media sanitatem inducentia. Infirmus de sanitate desperans, unde negligit media ad illam recuperandam necessaria adhibere, sanitatem vult voluntate *incompleta;* habet enim simplicem tantum complacentiam, seu velleitatem sanitatis, cum media simul non velit sanitatem inducentia.

Voluntas *completa* et *incompleta* non sic est ergo accipienda, quasi voluntas incompleta sit *velle non deliberatum*, aut non capax meriti et demeriti, aut quasi voluntas incompleta sit *velle semideliberatum*. Potest enim quis deliberate et plena deliberatione velle expellere Deum de regno suo, si posset, et similia, ubi constat inveniri peccatum et peccatum grave. Sed *completio* et *incompletio voluntatis* accipienda est *secundum ordinem voluntatis ad operationem*, secundum modum nempe *motus voluntatis ad rem*. Hinc ex eo quod voluntatis motus est ad rem, media operatione exteriori, assequendam, disponendam, etc., perfectus non est, perfectione apta nata inveniri in genere motus voluntatis, nisi terminetur ad bonum agibile, quamvis perfectus sit quoad consensum, deliberationem, et alia huiusmodi. Et sic peccator et magnus peccator, qui vult ad Deum converti, et ideo poenitentiam agere vult, voluntatem habet *completam*. Caietan. in l. c. Et q. 20. a. 4. A. D. inquit: « Si loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet (actus exterior) secundum materiam et debitas circumstantias, sic comparatur ad voluntatem ut *terminus et finis*, et hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis, quia omnis inclinatio, vel motus *perficitur* in hoc, quod consequitur finem vel attingit terminum: unde non est *perfecta* voluntas, nisi sit talis, *quae opportunitate data operetur*. Si vero possibilitas desit, voluntate existente *perfecta*, ut operaretur, si posset, defectus perfectionis, quae est ex actu exteriori est simpliciter involuntarius ».

Voluntas ergo potest dici et esse *completa* dupliciter. Uno modo secundum illam habitudinem, qua volitum est in voluntate. Alio modo secundum illam, qua voluntas tendit in realem assecutionem voliti. Iuxta primum modum significatur perfectio voluntatis per hoc, quod est *velle perfecte;* iuxta secundum vero per hoc, quod est *habere perfecte*, seu assequi et possidere rem volitam. Unde voluntas parata operari, si posset, est *perfecta voluntas*, quia *perfecte vult*, et hoc spectat ad primae habitudinis perfectionem, et est *imperfecta simpliciter*, quia non pervenit ad hoc quod *realiter habeat*, assequatur et possideat id quod vult, et quod nata est habere. Omnis enim motus deficiens a termino est imperfectus per privationem, in assecutione termini, consistentis. Et cum prima perfectio sit alterius rationis a secunda, et tota latitudo primae comparetur ad secundam, ut imperfectum ad perfectum, consequens est, quod quantumcumque crescat, et intensissimus sit interior actus voluntatis, solus nunquam perveniet ad hoc, quod sit *perfectus simpliciter*, sine assecutione exterioris. Propter quod Salvator dixit Jo. 15., 13. *Maiorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; ponat*, dixit, non *velit ponere*. Caietan. in l. c.

32. *Quid voluntarium directum et indirectum, in se et in causa, positivum negativum?* — Voluntarium, *ratione actus voluntatis*, quo a voluntate procedit, aliud est *directum*, aliud *indirectum*. *Directum* a voluntate *agente* est. *Indirectum* a voluntate est non agente, *non prohibente*, quae nempe prohibere debeat et possit. Etenim « non semper id quod sequitur ad defectum actionis reducitur, sicut in causam, in agens, ex eo quod non agit, sed solum tunc, cum potest et debet agere. Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, quae per absentiam gubernatoris

contingeret. Quia igitur voluntas, volendo et agendo, potest impedire hoc quod est, non velle et non agere, et aliquando debet; hoc quod est non velle et non agere imputatur ei, quasi ab ipsa existens ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3., 2. 2. q. 69. a. 7., 3. p. q. 47. a. 1.

33. Voluntarium *ratione obiecti*, quod immediate voluntatis actum terminat, aliud est *voluntarium in se*, aliud *voluntarium in causa*. Primum habetur, quando quis aliquid *immediate in se vult;* secundum vero, quando quis *vult causam*, ex qua *praevidet aliquem effectum secuturum;* hunc enim tunc *in se* non vult, sed *in alio*, scilicet in eius *causa*. *Praevidet*, h. e. mere *praevidet;* nam, si praeterea *velit*, iam erit ille effectus *directe et in se volitus* et *voluntarius*, et non tantum *in causa*. Hinc autem consequitur, quod ille *effectus*, non erit amplius volitus et voluntarius tanquam *effectus;* neque item eius *causa* volita et voluntaria erit tanquam *causa;* sed effectus tunc respectu voluntatis rationem habebit *finis*, et causa rationem *medii*. Illud enim quod quis vult *propter se* habet rationem *finis*, quod quis vult *propter aliud* rationem *medii*. — Neque vero valet obiicere, quod si effectus mere *praevidetur*, et in illum voluntas suo actu non feratur, iam ille effectus est *praeter intentionem*, et nullo modo neque in causa voluntarius esse potest. Etenim, quia voluntas, *non volendo causam*, *potest impedire* effectum, et aliquando *debet*, imputatur ei effectus, qui consequenter, cum non sit volitus *in se*, volitus erit in causa. S. Th. q. 6. a. 3., q. 71. a. 5. Et sic mala operis, contra proximum commissa in ebrietate, voluntaria sunt in causa illi, qui voluntarie inebriatus est, ea mala praevidens ex praevia experientia, quamvis eadem mala neque vellet neque intenderet. Cf. 34., Suarez D. 1. S. 4.

34. Voluntarium *in se*, et voluntarium *in causa* theologi plures a voluntario *directo* et *indirecto* omnino distinguunt. Et sic Suarez « voluntarium *in se*, ait, satis clarum est, tunc enim aliquid dicitur *in se voluntarium*, quando in se est volitum, ita ut voluntas immediate versetur circa illud, vel per *actum proprium*, si sit voluntarium *directum*, vel per *carentiam actus*, si sit voluntarium *indirectum* ». D. 1. S. 4. Item S. Th. q. 77. a. 7.: « duo consideranda videntur. Primo quidem, quod aliquid potest esse *voluntarium*, vel *secundum se*, sicut quando voluntas *directe in ipsum fertur;* vel *secundum suam causam*, quando voluntas *fertur in causam, et non in effectum;* ut patet in eo, qui voluntarie inebriatur. Ex hoc enim *quasi voluntarium ei imputatur*, quod per ebrietatem committit. Secundo considerandum est, quod aliquid dicitur *voluntarium directe* vel *indirecte*. *Directe* quidem id, in quod voluntas fertur, *indirectum* autem illud, quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet ». Alii vero voluntarium *in se* et *in causa* appellant voluntarium *directum* et *indirectum*, et istud alia partitione exprimunt, nempe voluntarii *positivi* et *negativi*. Gur. Baller. n. 5.

Porro, comparatione instituta inter utramque partitionem *voluntarii in se* et *in causa*, et *voluntarii directi* et *indirecti*, et in doctrina Angelici Doctoris insistendo, dicendum est, voluntarium *directum* complecti sub se tum voluntarium *in se*, tum voluntarium *in causa:* nam voluntarium *directum* dicitur ab A. D., « quod procedit a voluntate *sicut ab agente* », q. 6. a. 3. ad 1. Atqui tum voluntarium *in se*, tum voluntarium *in causa*, a voluntate procedit, *in quantum est agens* et *volens*. — Voluntarium autem *indirectum*, tum ad voluntarium *in se*, tum ad voluntarium *in causa* reduci

potest. Voluntarium *indirectum* dicitur ab eodem S. D. « quod est a voluntate, sicut *a non agente* », l. c. Atqui tum voluntarium *in se*, tum voluntarium *in causa* includit voluntatem *agentem* et *volentem*. Ergo voluntarium *indirecte*, neque proprie est voluntarium *in se*, neque item proprie est voluntarium *in causa*. Ad utrumque tamen reduci potest; nam voluntarium *indirecte*, aut dicitur tantum de actu interiori voluntatis, aut etiam de actu exteriori. Si primum, cum *non velle*, immediate sit a voluntate, voluntarium *in se* dici potest. Si secundum, cum externe *non agere*, sit quasi obiectum externe complens illud *non velle*, ut illud est aliquo modo voluntarium *in se*, ita et istud, siquidem unus quasi constituitur complete *non actus*, e. g. *non velle* audire missam, et *non audire missam* de facto, ex utraque carentia actus interioris et exterioris; ut unus constituitur complete *actus* ex actu interno et externo, *volendi* audire missam, et *audiendi* missam. Iam vero, ut ex actus positione, tanquam *causa*, *effectus* aliquis sequi potest, ita actus omissionem alius actus sequi potest, qui, quamvis proprie non sit *effectus* illius omissionis, ut illa omissio proprie *causa* non est sequentis actus, cum *non agere* proprie causa esse non possit; ut effectus tamen considerari potest; et sic voluntarius dici potest in causa: e. g., navigantium mors, *indirecte* voluntaria, est, sensu dicto, voluntaria *in causa* gubernatori navis, desistenti a gubernando.

35. *Quid requiratur, ut effectus pravus secutus, in causa vel indirecte tantum voluntarius, voluntati imputabilis sit ad culpam?* — Requiruntur seqq. conditiones: 1.° Ut qui ponit, vel omittit causam, *advertat*, saltem in confuso, *talem effectum* ex causa illa *secuturum esse;* quia nihil volitum, quin aliquo modo sit praecognitum. — 2.° Ut agens talem causam *impedire possit;* quia ad impossibilia nulla datur obligatio. — 3.° Ut agens *teneatur causam illam auferre vel omittere;* quia prosequenti ius suum non imputatur effectus, *praeter intentionem* secutus; tunc enim agens reapse non *vult effectum*, sed vult *permissionem* effectus. — L. l. 5. n. 14., S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3., q. 21. a. 2., C. I. 1151. seqq., C. G. 1382. seqq., C. H. 1092. seqq.

36. *Quandonam teneatur quis causam removere, ratione pravi effectus secuturi?* — 1.° Tenetur quando ea *per se, directe* et *primario, non nisi* effectum pravum producit. Tunc enim causa *in se* prava est. Dicitur, *per se, directe* et *primario, non nisi* effectum pravum producit: quia non ideo teneretur quis causam removere, si effectus pravus sequeretur mere *per accidens*, nam tunc non ideo causa in se esset mala; vel si causa *per se, directe* et *primario*, producit bonum effectum, et, non nisi hoc mediante, pravus sequitur effectus; nam causa secundum moralem aestimationem diiudicatur ex eius effectu *per se, directe* et *primario*, adeoque ea *in se* tunc est simpliciter *honesta*. Quare tunc quis non vellet malum, sed vellet bonum, et malum tantum permitteret. Itemque non ideo teneretur quis causam removere, quia *aeque directe* et *primario*, quasi parallela ratione, in bonum et pravum influit effectum. Tunc enim causa *in se* secundum moralem aestimationem *indifferens* est, et *honesta*, prout *subest* honestae *intentioni agentis*: effectus enim pravus non *intenditur*, sed *permittitur*. — S. Th. 1. 2. q. 20. a. 5., q. 73. a. 8., 2. 2. q. 64. a. 7.

2.° Tenetur item quis causam removere ratione pravi effectus secuturi, quando licet causa in se honesta vel indifferens sit, effectum tamen quis impedire tenetur *ex iustitia*, vel *ex caritate*, vel *ex praecepto*, quod adim-

plendum urgeat, puta si quis vellet ludere recreationis gratia, dum ultima missa die dominica mox celebrabitur, ita ut eam consequenter omittat ex distractione. « Qui enim ad legem obligatur, is obligetur necesse est ad procuranda media *ordinaria, proximeque*, ex rei ipsius natura, necessaria ad legem observandam.... *Ordinaria* inquam; neque enim leges humanae ad *extraordinaria* nimiumque difficilia compellunt ». Ithur. Cas. 32. n. 4. Hinc « ratio reddi potest, quia ratione praecepti illa causa et effectus ex ea secuti, quamvis physice tantum *per accidens* connectantur, nec unum sit causa alterius: tamen moraliter censentur habere rationem unius obiecti disconvenientis, seu evitandi a voluntate, et ideo voluntas unius censetur virtualis voluntas alterius ». Suarez D. 1. S. 4. 5.

3.° Tandem tenetur quis causam removere ratione pravi effectus secuturi, quando, licet causa in se honesta vel indifferens sit, nulla tamen adest, ex parte agentis, proportionata necessitas, utilitas, decentia; deest enim tunc honestus operantis finis. Praeterea velle tunc talem causam pravum affectum saepe ostendit *directe* erga malum illum effectum secuturum; vel saltem proximum periculum est saepe huiusmodi pravae affectionis. — Eo vero maior ratio requiritur ad agendum, in tali casu, quo propinquius causa malum effectum attingit, quo probabilior est malus effectus, quo minus iuris ad actionem in se spectatam habetur, quo gravior ipse effectus est. Si enim ratio proportionate gravis non habeatur, ipsa naturalis honestas nos obligat ad illam causam omittendam. — L. l. 1. n. 152., l. 5. n. 14., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 7.

37. *An effectus secutus, graviter pravus, indirecte vel in causa tantum voluntarius, imputabilis sit semper ad gravem culpam, ita ut contrahat quis gravem malitiam propriam illius effectus, si causam quis illicite ponat, absque ulla sufficienti ratione?* — R. 1.° Affirmative, si illa causa *per se graviter* influat in effectum. Ratio est, quia si causa *per se* influat *graviter* in effectum, gravis ex effectu malitia in causam redundat. Quare gravem quis contrahit malitiam, propriam ipsius effectus, eius causam volens, sine ulla ratione sufficienti. Insuper, practice saltem loquendo, qui *vult causam, per se graviter* influentem in effectum, graviter pravum, absque ulla ratione sufficienti, reapse *vult directe* gravem istius effectus malitiam, neque hanc mere tantum *permittit;* cum causa et effectus sint inseparabiliter, quantum est ex ipsa natura rei, inter se connexi, neque alia adsit honesta ratio causam ponendi propter alium honestum effectum, uti supponitur.

2.° Negative, si illa causa non nisi *leviter per se* influat in illum effectum. Ratio est, quia, cum causa *per se* non nisi *levem* influxum habeat in eum effectum, graviter pravum, huiusmodi causa non est *per se* sufficiens ad positionem effectus, adeoque quantum ex natura rei est inseparabiliter inter se connexi non sunt. Ergo non ideo, quia quis *vult* causam, *vult* etiam effectum, sed vult tantum *permissionem* effectus, si forte sequatur; adeoque non contrahit gravem malitiam propriam effectus. Cum vero malitia effectus in causam redundet ratione influxus, quam ista habet in effectum, ubi influxus sit levis non nisi levis malitia est, et consequenter, seclusa semper directa intentione effectus graviter pravi, causam quis *volens,* in talem effectum non nisi leviter influentem, quamvis non peccabit graviter, peccabit tamen leviter. Et haec est propria ratio, cur quamvis

non detur in re venerea parvitas materiae, detur tamen in illis actibus merae sensualitatis, uti sunt adspectus, ex causa merae curiositatis, rerum minus honestarum, seclusa iterum intentione rei ipsius venereae, uti habet communissima theologorum sententia.

3.° Negative iterum, si causa nullo modo *per se* influat in pravum illum effectum, sed effectus sequatur *mere per accidens*. Ratio est, quia cum effectus non nisi *per accidens* sequatur, nulla adest, quantum est ex natura rei, connexio inter causam et effectum. Ergo non ideo, quia quis *vult* causam, *vult* etiam effectum, sed vult tantum *permissionem* effectus, si forte sequatur. Cum autem effectus malitia nullo pacto in causam redundet, nam effectus ex ea causa non sequitur *per se*, sed mere *per accidens*, causam quis *volens*, seclusa omni pravi effectus intentione, huius nullam contrahit malitiam, neque gravem, neque levem, licet aliunde forte graviter etiam peccet. Et sic, si quis pollutionem praevideat ex aliquo potus vel cibi excessu, quin eam velit et intendat, peccabit leviter vel forte etiam graviter ratione illius excessus, minime vero graviter peccabit ratione pollutionis, cum hic effectus non sit volitus, sed praeter et contra intentionem accidat, causa vero sit extra genus luxuriae. Neque vero tenetur quis removere omnes causas, *per accidens* tantum influentes in aliquem pravum effectum, ratione tantum ipsius pravi effectus; ac nullo etiam modo tenetur ab ea causa ponenda abstinere, si huiusmodi causae ponendae rationabile adsit motivum. Cf. 40. 1.° 4.°, Suarez D. 1. S. 4., Sanch. l. 9. D. 45. n. 14. seqq., L. l. 3. n. 484., Salm. Tr. 26. C. 7. n. 41., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 5., 3. p. q. 30. a. 7.

38. *Quandonam effectus volitus in causa imputetur?* — Imputatur, *per se loquendo*, tunc primum quum quis causam posuit, vel ex quo potuerit et debuerit impedire, si illum animadverterit post causam positam. « Ratio est, quia libera volitio, aut non impeditio effectus mali est formaliter mala, non vero existentia physica effectus, adeoque peccatum formale committitur, quando habetur huiusmodi perversa volitio, aut nolitio... sic igitur, qui alteri, e. g., porrexit venenum..., non peccat quando sequitur mors alterius...; sed quando libere posuit huius effectus causam ». Struggl q. 1. a. 3. n. 32. *Per se loquendo;* nam, si huiusmodi effectum usque ad ipsius executionem quis potest impedire, et non impediat, aut in eius futuritione seu existentia sibi complaceat, in sua mente continuat peccatum, cuius causam prius libere et culpabiliter posuit. — L. l. 5. n. 10., S. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. ad. 3.

39. *Nota:* Cum causa *qua talis,* malitiam specificam effectus participet, non vero diversam, sufficit malitiam tantum effectus in confessione accusare, vel si causa *in se ipsa* aliam habeat specialem malitiam sufficit seorsim utramque dicere. Et sic, si ob lusum omisisti sacrum, sufficit accusare hanc omissionem; si ob furtum sacrum item omisisti, potes tunc seorsim furtum et omissionem sacri accusare. — L. l. 5. n. 9., Lugo de Poenit. D. 15. n. 479.

40. *Resolves:* 1.° « Si causa pollutionis est in ipsam *graviter influens*, et homo non abstinet a causa seu actione illa ponenda; patet quod pollutio imputatur ad peccatum, *etiamsi non fuerit intenta*, modo saltem in confuso sit praevisa. *Huiusmodi* autem *causae* sunt procul dubio omnes illae, quae

per se sunt graves culpae in genere luxuriae, nempe tactus vel aspectus pudendorum alieni aut proprii corporis cum delectatione turpi ac deliberata; aspectus concubitus humani et cogitationes morosae de rebus venereis. Omnes ergo pollutiones *ex his causis* provenientes certe sunt mortalia. Ita S. Th. 2. 2. q. 154. a. 5., et alii communiter. Et tunc actus ille turpis qui est causa pollutionis habet *specialem malitiam* contra naturam, ut ait Sanch. de Matr. l. 9. D. 45. n. 23., et consentiunt omnes ». L. l. 3. n. 482. *Specialem malitiam,* nempe effectus seu pollutionis, quae peccatum est *contra naturam,* praeter malitiam propriam, quae in delectatione consistit ex turpi obiecto excitata. — *Graviter influens;* quare, si causa sive ratione sui, sive ratione dispositionis subiecti *graviter* non influit, gravis abest culpa, ratione pollutionis forte secuturae; siquidem tunc praeter intentionem et per accidens sequitur. *Per se sunt graves culpae,* « sententia communis et probabilior docet pollutionem non esse mortalem (nempe in causa), nisi proveniat ex causa *per se mortali* in genere luxuriae... Ratio, quia cum pollutio non sit volita nisi in causa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa ». L. l. 3. n. 484. *In genere luxuriae,* unde « infertur non esse mortalem pollutionem, quae praeter intentionem accidit ex causis illicitis adhuc mortaliter in alio genere, quam luxuriae, puta ex ebrietate, vel ex comestione, nimis immoderata aut die vetito ». L. l. 3. n. 484. 477. — Salmant. Theol. Schol. Tr. 13. D. 10. n. 274., Theol. Mor. Tr. 26. C. 7. n. 41.

2.° « Si quis, facturus rem aliquam necessariam vel licitam et honestam, praevidet naturaliter secuturam pollutionem, idque multo magis valet de distillatione, quam tamen ille nullo modo velit nec intendat; tunc, modo absit periculum consensus in delectationem, non tenetur abstinere a tali actione; quia prosequenti ius suum non imputatur effectus, *per accidens et praeter intentionem* sequutus. Hinc, non obstante pollutione, licet audire confessiones mulierum, studere casibus conscientiae, tangere se ex necessitate, feminas caute et ex necessitate osculari, amplecti iuxta morem patriae, si alioquin incivilis habendus esset ». L. l. 3. n. 481. « Licet alicui, qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur ». L. l. 3. n. 483. Ratio est, quia hi actus vel *per se leviter* tantum *influunt,* vel quamvis *per se graviter influant,* cum tamen non fiant ex turpi concupiscentiae et delectationis causa, sed ex causa honesta, necessaria, utili, convenienti, iam non habent eandem vim et influxum in effectum, quae ex illa prava voluntatis propensione graviter augetur, et e contra valde imminuitur ex voluntate alio conversa, et quantum in se est resistente. Unde pravus effectus, si sequatur, potius naturali *complexioni,* vel *infirmitati* naturae tribuitur, quam *praedictis actibus* tanquam *causae.* Stante praeterea praefato honesto fine, non tenetur quis abstinere a causa ad pravum effectum impediendum. Quando enim causa habet duos effectus, unum bonum, alterum malum, potest poni ex intentione solius effectus boni, permissive se habendo ad malum. Pravus ergo ille effectus, in casu, vere sequitur *per accidens et praeter intentionem.* — L. l. 3. n. 483., l. 5, n. 14., S. Th. 3. p. q. 80. a. 7.

3.° « Infertur non esse nisi venialem pollutionem, quae oritur ex colloquio non diuturno cum puella, vel levi aspectu, aut curiosa lectione venialiter turpi; quia, ut dictum est, cum causae istae *leviter influant,* pollutio subsequens potius a causa naturali, quam ab illis procedit ». L. l. 3. n. 484. Si quis vero iustam causam habeat nihil peccat. L. l. 5. n. 29.

Iusta causa est « quaevis causa rationabilis necessitatis, utilitatis, aut convenientiae ». L. l. 3. n. 484., l. 5. n. 29.

4.° A fortiori *gravis abest culpa* in illis actionibus, quae *remote influunt, et per accidens,* cum sint extra genus luxuriae. Quamvis ergo praevideatur secutura pollutio, aut prava commotio, licet equitare, non modo necessitatis et utilitatis gratia, sed etiam causa recreationis; decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum; cibos calidos aut potus moderate sumere, honestas ducere choreas, etc. L. l. 3. n. 483. *Gravis abest culpa;* nam, an adsit culpa levis, in positione talium causarum *sine iusta ratione,* ob effectum secuturum, controvertitur. Negant Holzman, aliique, « quia, ut dicunt, tum pollutio oritur potius ex naturae infirmitate, quam ex causa illa, quae non nisi per accidens, et remote ad pollutionem concurrit. Sed probabilius affirmant Sanch., Less., aliique..., quia *sine causa rationali* permittere pollutionem semper videtur aliquid indecens et deordinatum ». L. l. 3. n. 484. — Sanch. de Matr. l. 9. D. 45., Sporer de Matr. n. 644. seqq., Lessius l. 4. c. 3. D. 14. n. 97.-103.

41. *Quid voluntarium actuale, virtuale, habituale, interpretativum?* — Voluntarium, ratione ipsius *actus* voluntatis eiusque *efficacitatis*, aliud est *actuale* seu *formale,* aliud *virtuale,* aliud *habituale,* aliud *interpretativum.* — Voluntarium *actuale* datur, cum quis actu aliquid vult, sive velit *explicite,* h. e. clare et in particulari, sive *implicite,* h. e. in confuso, voluntate nempe universali, vel quasi universali, quae ad hoc etiam obiectum extenditur.

42. Voluntarium *virtuale* trifariam patet. Voluntarium *virtuale* primo est, quod perseverat in aliqua sui *virtute*, daturque quando non amplius existit ipsa explicita et clara voluntas, seu intentio finis, sed explicite tantum et clare existunt volitiones mediorum, quas ipsius finis, remissiori gradu, volitiones comitantur. Cf. Lugo de Fid. D. 1. n. 98. Sic., e. g., quando sacerdos vult celebrare missam, et dein se induit, accedit ad altare, et peragit alia consueta, quin amplius habeat claram illam actualem voluntatem consecrandi, consecratio erit virtualiter voluntaria, si omnia voluntarie peragenti confuse et remisse semper adest voluntas consecrandi. — Voluntarium *virtuale* deinde est, quod perseverat in opere ipso exteriori, imperato a priori actu voluntatis, seu in *voluntaria executione mediorum,* quae quis voluntarie adhibet *vi seu virtute et impulsu prioris intentionis finis,* licet de fine ne remissa quidem volitio amplius existat. Sic virtualiter voluntaria erit itineranti suscepta peregrinatio ad sanctuarium B. Virginis, licet ad eam in itinere non amplius attendat, immo de rebus omnino diversis cogitet. Cf. Laymann l. 1. C. 2. C. 3. n. 4., S. Th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. — Voluntarium *virtuale* tertio est, quod perseverat in aliquo suo *effectu morali;* sic, e. g., contractus, a procuratore initus, erit virtualiter voluntarius agenti principali, quod facultatem illi fecit suo nomine agendi. Dicitur perseverat in aliquo suo *effectu morali,* ut excludatur effectus mere physicus, in quem forte influit prior ille actus voluntatis, qua *physicus actus* est, puta, si, habita voluntate consecrandi, deinde dormiens somniando consecres, consecratio nulla est. Non enim prior ille voluntatis actus influit in hunc effectum, qua *actus humanus,* seu moralis est; sed mere qua *physica* quaedam *actio* est. Cf. Laymann l. c., Lugo de Poenit. D. 24. S. 4.

43. Voluntarium *habituale* illud est, quod fuit, sed neque *in se* est, ne remisse quidem, neque in opere *exteriori imperato,* seu *in executione mediorum,* neque *in positivo ullo effectu morali,* sed est, moraliter loquendo, in *effectu* mere *negativo,* quatenus nempe prior voluntas non fuerit retractata. Hinc huiusmodi voluntas sufficit ad morales quosdam effectus. Sic, si adultus invalide baptizatus, rebaptizeretur dum dormit, valet baptisma. Sic etiam « ad contrahendum, ait S. Alph. l. 3. n. 769., non sufficit voluntas interpretativa seu conditionalis, ut dicemus n. 773., sed requiritur voluntas actualis, aut virtualis, aut saltem habita et non retractata iuxta dicenda l. 6. n. 324 ». Cf. Laymann l. c.

44. Voluntarium *interpretativum* est actus voluntatis, qui neque est, neque fuit, quia non adest, neque adfuit cognitio obiecti, sed *esset,* si huiusmodi cognitio haberetur. Cf. Suarez D. 1. S. 4. Atque haec de voluntario *in seipso* considerato.

45. *Quid voluntarium expressum, tacitum, praesumptum, interpretativum?* — Si voluntarium consideratur prout exterius proditur *aliquo signo,* distinguitur tunc voluntas *expressa, tacita, praesumpta, interpretativa.* — Voluntas *expressa* ea est, quae verbis, litteris, nutibus, vel aliquo facto exteriori exprimitur. Haec alia est *explicite* expressa, quando nempe quis signo exteriori aliquem voluntatis actum clare et explicite, seu in particulari, manifestat; alia est *implicite* expressa, cum quis aliquid signo exteriori velle manifestat, cum quo aliud est connexum. — Voluntas *tacita* ea est, quae silentio ipso manifestatur, puta cum superior interrogatus tacet, quando tenetur et potest loqui. — Voluntas *praesumpta,* ea est, quae, licet *a posteriori* nobis non innotescat signo aliquo exteriori, vel ipso silentio, *a priori* tamen colligitur *adesse.* Adest enim causa aliqua sufficiens ita iudicandi. — Voluntas *interpretativa* ea est, quae cum reapse non *adfuerit,* neque *adsit,* neque aliquo signo exteriori *a posteriori,* neque aliqua causa sufficiente *a priori* colligitur *adesse* vel *adfuisse,* adest tamen aliqua ratio sufficiens colligendi quod *adesset,* si obiecti cognitio haberetur. Quare nemo voluntate tantum interpretativa peccat. Et ideo recte confessarius absolutionem impertitur retinenti rem alienam bona fide, si idem confessarius eum non monet propter hanc causam, quia nempe rem sciens poenitens esse alienam adhuc retineret, et non restitueret. — Struggl T. 1. q. 1. a. 2.

46. *Quodnam sit discrimen voluntatis praesumptae et interpretativae?* — Voluntas *praesumpta* confunditur saepe cum voluntate *interpretativa.* Saepe etiam illa ab hac distinguitur, distinguendo voluntatem *praesumptam de praesenti,* quae proprie a nobis dicitur *praesumpta,* et voluntatem praesumptam *de futuro,* quae proprie a nobis dicitur *interpretativa.* Ut utriusque discrimen melius innotescat, res hoc exemplo practico declarari potest. Vult religiosus in itinere, superiore absente, rem emere alicuius momenti, magnae utilitatis pro tota communitate. Rem scribit superiori. Dum superior, epistola accepta, rescribit, occasio urget rem emendi et emit, responso ob temporis defectum nondum accepto, affirmativum responsum praesumens ex voluntate alias bene cognita superioris. Voluntatem habes hic simpliciter *praesumptam,* vel praesumptam *de praesenti.* An autem superioris voluntas *reapse adsit,* vel *falso adesse*

praesumatur, veritas ipsa inspicienda est, quam superioris responsum postea acceptum declarabit. Si vero eadem urget occasio rem emendi, quam maxime utilem communitati, puta ingentem optimorum librorum copiam minimo pretio, et nullum adest tempus absentem superiorem consulendi, ex eadem tamen superioris voluntate alias bene cognita praesumit religiosus ille, quod annueret, si rogaretur, et libros emit, pecunia pro itinere accepta, monasterii utilitatem commodiori itineri praeferendo, voluntatem habes *praesumptam de futuro* vel *interpretativam.* — L. l. 3. n. 288. 700., l. 4. n. 18., Laymann l. c. n. 3., Struggl l. c. n. 20., La-Croix l. 4. n. 1324. seqq.

II. — DE IMPEDIMENTIS ACTUS HUMANI

47. *Quaenam sint impedimenta actus humani?* — Ut ex dictis constat, ad habendum actum humanum requiritur 1.° exercitium intellectus advertentis, 2.° exercitium liberum voluntatis, 3.° exercitium aliarum facultatum a libera voluntate procedens. Iam age, si factum ipsum respiciamus, saepe nos agimus, *quin sciamus* quid revera facimus, putamus enim aliud agere. Item, saepe agimus impulsi a vehementi aliqua passione *concupiscentiae,* vel oppressi a vehementi aliqua passione *timoris.* In 1.° casu videtur deesse conditio requisita ex parte intellectus; in 2.° vero casu videtur deesse conditio requisita ex parte voluntatis. Hinc procul dubio impedimentum actus humani habetur; et quaestio movetur de *ignorantia,* de *concupiscentia,* de *metu,* an causent *involuntarium.*

48. *An ignorantia causet involuntarium?* — 1.° Ignorantia, cum qua quis agit, aut se habet *causaliter* relate ad id quod fit, aut se habet mere *concomitanter* respectu illius quod fit. *Concomitanter* quidem se habet, « quando ignorantia est de eo quod agitur; tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat; sed accidit simul esse aliquid factum et ignoratum; sicut... cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit *involuntarium* (nempe contrarie), quia *non causat* aliquid, quod sit *repugnans voluntati;* sed facit *non voluntarium* (seu involuntarium mere privative), quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. Idque valet, sive ignorantia ista *concomitans* sit voluntaria, sive sit involuntaria. Hinc est quod A. D. generaliter loquitur et non distinguit.

2.° Si ignorantia non est mere *concomitans,* seu non se habet mere *concomitanter relate ad id quod agitur;* sed est *causans,* seu se habet *causaliter,* nempe est causa faciendi id quod fit, tunc ista ignorantia, aut est voluntaria, seu *consequens* liberum voluntatis actum, aut non est voluntaria, seu *antecedens* liberum voluntatis actum. *Liberum voluntatis actum,* nempe de ipsa ignorantia, non de eo, quod deinde ex ipsa ignorantia fit. « *Consequenter* autem, ait S. Th. ib., se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum est voluntaria ». Quando igitur huiusmodi ignorantia est causa faciendi id quod agitur, « cum ipsa sit *voluntaria...* non potest causare *simpliciter involuntarium* (nempe contrarie: cum id quod fit sit voluntarium in causa, unde procedit, i. e. in illa ignorantia volita): causat tamen

secundum quid involuntarium, in quantum praecedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset, scientia praesente », ib.; nempe, licet ille motus voluntatis *voluntarius sit in causa, in se* tamen *est omnino involuntarius;* non esset enim, si scientia adesset. — L. l. 5. n. 4.

3.° Si vero ignorantia *causans*, seu quae est causa faciendi id quod fit, non est voluntaria, seu est *antecedens*, tunc ignorantia causat *involuntarium simpliciter*, cum illud quod fit, eo ipso quod ab ignorantia causatur, scientia praesente non esset, adeoque contra voluntatem est. Neque vero *in se* est illud volitum; neque ullo modo volitum *in causa.* Ergo manet totaliter seu simpliciter involuntarium. « *Antecedenter* autem, ait S. D. ib., se habet ad voluntatem ignorantia, quando *non est voluntaria*, et tamen est causa volendi, quod alias non vellet; sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, et ex hoc aliquid agit, quod non faceret, si sciret: puta cum aliquis, diligentia adhibita, nesciens aliquem transire per viam, proiicit sagittam, cum qua interficit transeuntem. Et talis ignorantia causat *involuntarium simpliciter* ».

49. *Utrum ignorantia reddat actum obiective nullum?* — R. Negative. Ratio est, quia falsa nostra existimatio immutare non potest obiectivam rei veritatem. Et sic infidelis, qui baptizans existimat hominem revera baptismo non iustificari, si tamen intentionem habet faciendi quod facit Ecclesia, valide baptizat. Sacerdos baptizans in casu necessitatis aqua, quam naturalem falso non existimat, si aqua vere est naturalis, valide baptizat. Parochus qui matrimonio interest, falso putans se indigere adhuc speciali quadam episcopi delegatione, quam non habet, valide illi assistit. — Bonac. de Sacram. D. 1. Q. 2. P. 1. n. 28., Sporer de Matr. n. 48.

50. *An ignorantia sit semper peccatum.* — 1.° Ignorantia alia est *invincibilis*, alia *vincibilis.* — Ignorantia *invincibilis* locum habet, cum quis nihil prorsus *de re ipsa*, et *de obligatione inquirendi* suspicatur; vel licet in suspicionem rei, et obligationis inquirendi inciderit, post adhibitam tamen *moralem diligentiam*, rem noscere non potuit. Dicitur, *post moralem diligentiam;* non enim necesse est, ut diligentia adhibenda sit maxima; sed sufficit, ut sit *communis* et *ordinaria*, *personae*, ac *rei*, de qua agatur, proportionata. — Ignorantia *vincibilis* habetur, cum quis non solum in dubium veniat *rei*, et *obligationis inquirendi*, sed *occasionem* praeterea habet in rei notitiam deveniendi, eam tamen voluntarie praetermittit. — L. l. 1. n. 3.

2.° Ignorantia invincibilis *involuntaria* est; vincibilis vero *voluntaria.* — Ignorantia *vincibilis*, alia est *directe voluntaria*, alia *indirecte voluntaria*, alia *voluntaria per accidens.* — Ignorantia *directe voluntaria* dicitur ignorantia *affectata.* Haec habetur, cum quis data opera vult ignorare, sive ob discendi taedium, sive ut liberius peccet, vel ut excusationem habeat, vel ut simpliciter non retrahatur a peccato. — Ignorantia *indirecte voluntaria* habetur, cum quis *omittit adhibere studium ad cognoscendum*, seu negligit addiscere ob meram pigritiam seu desidiam, ob addiscendi laborem, ob alias occupationes. Huiusmodi ignorantia dupliciter distinguitur, nimirum in *crassam* seu *supinam*, et in *pure vincibilem. Crassa* sive *supina* est in eo, qui licet ignorantiam studiose non quaerat, *nullam* tamen vel *fere nullam adhibet diligentiam*, ut eam sibi comparet notitiam,

quam iuxta suam conditionem habere potest. *Pure vincibilis est,* cum quis *aliquam* adhibet *diligentiam* pro veritate cognoscenda, sed *modicam* et *minime sufficientem, inspecta qualitate personae, et gravitate rei.* — Ignorantia tandem *voluntaria per accidens,* illa est quae non intenditur, et *praeter intentionem est,* et quae habetur, « cum quis directe vel indirecte vult aliquid, ad quod ignorantia sequitur. *Directe* quidem, sicut apparet in ebrio, qui vult superflue vinum potare, per quod privatur rationis usu; *indirecte* autem, cum aliquis negligit repellere insurgentes passionis motus, qui percrescentes ligant rationis usum in particulari eligibili ». S. Th. de Malo q. 3. a. 8. — Ignorantiae aequiparantur *oblivio, inconsideratio, inadvertentia.* Quare idem morale iudicium de his ferendum est ac de simplici ignorantia. — Suarez D. 4. S. 3., L. l. 1. n. 169., S. Th. 1. 2. q. 6. a. 9., q. 76. a. 3.

3.° Ignorantia *invincibilis* non est peccatum; ignorantia autem *vincibilis* est peccatum, si sit eorum, quae aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum, quae quis scire non tenetur. Ratio 1.ae p. est, quia ignorantia *invincibilis* dicitur, quia studio superari non potest. Atqui non imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quae scire non potest. Ergo talis ignorantia, cum non sit voluntaria, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum. Ratio 2.ae p. est, quod quicumque negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quae aliquis scire tenetur, est peccatum. — Peccatum ergo erit illa ignorare, sine quorum scientia non potest quis debitum actum recte exercere. Unde omnes tenentur scire communiter ea, quae sunt fidei et universalia iuris praecepta: singuli autem ea, quae ad eorum statum vel officium spectant. Quaedam vero sunt, quae etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur, sicut theoremata geometriae, et contingentia particularia, nisi in particulari casu forte occurrente. — Suarez in 3. P. T. 5. D. 4. S. 8. n. 18., S. Th. 1. 2. q. 19. a. 6., q. 76. a. 2., Quodl. 8. a. 15., L. l. 5. n. 4. 26. seqq., E. M.

51. *Utrum ignorantia diminuat peccatum?* — 1.° Ignorantia *antecedens,* invincibilis, efficax, seu causa peccati, « quae totaliter a peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, sed omnino aufert ». S. Th. 1. 2. q. 76. — 2.° « Ignorantia, quae non est causa peccati, sed *concomitanter* se habet ad peccatum, nec minuit peccatum, nec auget », S. Th. l. c., cum nihil influat in actum peccati; neque consequenter auferat peccatum, quatenus illud non reddat *involuntarium;* sed aufert tantum, quatenus illud *non voluntarium* reddat. S. Th. l. c. a. 3. — 3.° Ignorantia *consequens* pure vincibilis, vel etiam crassa seu supina, efficax, seu causa peccati « diminuit voluntarium et per consequens peccatum ». S. Th. l. c. Habetur enim voluntarium tantum indirecte seu in causa. — 4.° Ignorantia *consequens* affectata, efficax, seu causa peccati « videtur augere voluntarium et peccatum; ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi ». Ita S. Th. l. c. a. 3. aliique. Alii vero negant, et horum sententia, ait S. Alph. H. A. Tr. 19. n. 8., reapse improbabilis dici nequit. Nam qui legem transgreditur sciens prudens illam aperte contemnit; qui ignorantiam affectat legem adhuc aliquantulum vereri videtur — Sed distinguendum videtur; nam huiusmodi ignorantia potest proce-

dere ex variis affectibus et motivis. Si quis ignorantiam affectat ob taedium addiscendi, vel non praecise ne retrahatur a peccato, sed ne retrahatur a tali actione, cui valde adhaeret, vel etiam ne retrahatur a peccato, peccatum inde non augetur. Nam ignorantia *per se* imminuit rationem actus humani, et formalem contemptum legis. Insuper, si ideo iste vult ignorare, ne retrahatur a peccato; ergo, si sciret forte reapse retraheretur a peccato. Ergo illa ignorantia ostendit voluntatem non adeo firmatam in tali peccato. Si quis vero ignorantiam affectat, quia ipsum absolute vult peccatum, sive reapse prohibeatur sive non, peccatum tunc augetur, quia illa ignorantia est signum et magni affectus ad peccatum, et maioris contemptus; cum tanto affectu peccatum prosequatur, ut dispendium etiam pati velit ignorantiae, et sic peccare, licet forte res in se peccatum non sit. Suarez D. 4. S. 2., Lugo de Poenit. D. 16. S. 4. n. 183., Struggl l. c. n. 36.

52. *An ignorantia vincibilis legis sit peccatum per se speciale?* — R. Negative. Omnis enim lex sui observationem praecipiens, implicite quidem praecipit eiusdem legis cognitionem. Verum hanc non praecipit, nisi in ordine ad opus, quod faciendum vel omittendum praecipitur. Ergo ignorantia illa vincibilis legis *speciem* accipit ab ipsa legis transgressione, cuius causam vel periculum praebet. — Idque locum habet etiam quoad ignorantiam articulorum fidei. Nam licet eorum notitia, uti habet communior opinio, speciali praecepto et per seipsam praecipiatur, atque ideo, sistendo in ipsa obligatione sciendi, est per se culpabilis talis ignorantia, hoc tamen peccatum eiusdem fidei virtuti oppositum est. Malitia enim peccati contra fidem in eo est, quod aliquis offendit auctoritatem loquentis non credendo. Haec autem irreverentia invenitur non solum quando aliquis scienter dissentit a Deo loquente; sed etiam quando aliquis culpabiliter negligit examinare, an sit doctrina Dei, et ob eam negligentiam dissentit iis, quae a Deo dicuntur. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 182. seqq., Laymann l. 1. Tr. 2. c. 4. n. 10., Viva de Act. hum. q. 3. a. ult.

53. *An habendae sint tanquam humanae, adeoque imputabiles sint actiones, quas quis facit ex contracto habitu?* — *Speculative:* Humanae sunt, et imputabiles, si eas advertat, in se; secus in causa tantum, quandiu tamen habitum non retractaverit, et extirpare conetur.— *Practice:* « Huiusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem minus expeditam, quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales ». L. l. 5. n. 4. par. *Tertio,* l. 3. n. 127.,Tr. de Act. hum. XIV. « *Manifestum est,* quod qui peccat *ex habitu*, peccat *ex certa malitia* ». S. Th. 1. 2. q. 78. a. 2.

54. *An concupiscentia causet involuntarium?* — 1.° *Concupiscentiae* nomine intelligitur hic passio quaecumque appetitus sensitivi, qui fertur in bonum sibi proprium. Quae autem dicuntur de affectione sensilis appetitus facile applicari possunt affectui voluntatis; ut enim ex sensili concupiscentia causari potest voluntatis motus, ita unus voluntatis affectus ex alio ipsius voluntatis affectu causari potest. Et sic ex amore filiorum, Dei, honoris, aliquis voluntarie aggreditur pericula, quae voluntas tanto erit ferventior, quanto ille affectus fuerit maior. — Concupiscentia alia est *antecedens,* alia est *consequens.* Illa liberum voluntatis actum antecedit,

et consequenter mere naturaliter excitatur. Ista liberum voluntatis actum consequitur. Illa trahit et inclinat rationem et voluntatem. Ista ex voluntate redundat. Illa voluntaria non est, ista voluntaria est, vel in se, si eam voluntas ex industria velit et excitet; vel in causa, si naturaliter ex libero voluntatis actu resultat. « Appetitus sensitivus, ait S. Th. 1. 2. q. 77. a. 6., potest se habere ad liberum arbitrium et *antecedenter* et *consequenter*. *Antecedenter* quidem, secundum quod passio appetitus sensitivi trahit vel inclinat rationem vel voluntatem. *Consequenter* autem, secundum quod motus superiorum virium, si sint vehementes redundant in inferiores. Non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo ».

2.° Concupiscentia *antecedens* minuit voluntarium tum in ratione *voluntarii*, tum in ratione *liberi*. Quare actus, ex ea procedens, eo minus voluntarius est sub utraque ratione, quo magis illa est intensior. — Ratio 1.ae p. est, quia actus eatenus est *voluntarius*, quatenus est a principio intrinseco. Atqui concupiscentia extrinseca voluntati est. Ergo actus ex eius impulsu procedens minus voluntarius est in ratione *voluntarii*. Hinc S. Th. 1. 2. q. 77. a. 6. ad 3. inquit: « Dicendum, quod etsi motus voluntatis sit intensior ex passione incitatus: non tamen *ita est voluntatis proprius*, sicut si sola ratione moveretur ad peccandum ». Et ib. in c.: « Actus in tantum est peccatum in quantum est voluntarius, et in nobis existens. Esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem et voluntatem. Unde quanto ratio et voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, *magis est voluntarium* et in nobis existens ». Ratio 2.ae p. est, quia actus tanto minus est voluntarius in ratione liberi, quanto minus habet dependentiae ex parte liberae voluntatis et advertentiae ex parte rationis. Atqui, cum vehementior est passio praecedens, tanto minor est dependentia huius actus consequentis ex voluntate libere se determinante, et ex ratione considerante. Nam *libera* voluntas, quanto magis invenit *animum iam propendentem* per passionem, tanto minus ipsa in actus consequentis *determinationem* influit. Deinde, licet directe nequeat passio influere in iudicium, potest tamen indirecte influere tripliciter: 1.° Per quandam *distractionem*, minor est enim ad singula sensus, cum pluribus intendit. 2.° Per quandam *contrarietatem*, quatenus inclinat ad contraria eius, quod deberet iudicari, et animus evadit debilis et imbecillis. 3.° Per *immutationem corporalem;* pervertit enim phantasiam, quae se non praestat rectis operationibus intellectus, ut in insanis et furentibus ex passionum vehementia videre est. — Quamvis vero ex antecedenti concupiscentia voluntatis actus minus voluntarius sit, evadit tamen intensior et facilior. Ac prout maior est passio, eo faciliorem reddit voluntatis conatum. Et sic milites ex spe gloriae, parentes et amici ex amore filiorum et amicorum molesta quaeque iucunde perferunt. — S. Th. 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3., q. 10. a. 3., q. 73. a. 6. ad 2., q. 77. a. 1. 2. 3. 6. 7., Suarez D. 3. S. 3. 4.

3.° Concupiscentia *consequens* praesupponit actum tanto magis voluntarium, quanto ipsa intensior est. — Ratio est, quia concupiscentia consequens excitatur in nobis consequenter ad actum voluntatis libere sese determinantis. Quare, sive excitetur naturaliter, per quandam redundantiam in partem inferiorem ex superiore; sive excitetur voluntarie, vel indirecte per voluntariam negligentiam et omissionem repressionis motuum exurgentium, vel directe data opera et studiose motus excitando

in inferiore parte; concupiscentia utpote consequens, et non praecedens liberum voluntatis actum unde procedit, non potest in ipsum ullum causalitatis influxum exercere; sed eundem voluntatis actum praesupponit, qui influxum potius in ipsam exercet. Et, si sermo iterum sit de concupiscentia, quae sive voluntarie, sive naturaliter, ex ipso voluntatis actu excitatur, cum effectus proportionatus esse debet suae causae, eamque superare non possit, concupiscentia consequens non diminuit voluntarium, sed magis auget, quatenus nempe significat et demonstrat maiorem voluntatis propensionem et inclinationem ad actum. — S. Th. 1. 2. q. 24. a. 3. ad 1., q. 73. a. 6. ad 2., q. 77. a. 6., E. M.

55. *An passio diminuat peccatum?* — «Dicendum, quod peccatum essentialiter consistit in actu liberi arbitrii, quod est facultas voluntatis et rationis. Passio autem est motus appetitus sensitivi... Si igitur accipitur passio, secundum quod *praecedit* actum peccati, sic necesse est, quod *diminuat peccatum.* Actus enim in tantum est peccatum in quantum est voluntarius... Et secundum hoc passio minuit peccatum in quantum minuit voluntarium. Passio autem *consequens* non diminuit peccatum, sed *magis auget,* vel potius est signum magnitudinis eius, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quod quanto aliquis maiori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat». S. Th. 1. 2. q. 79. a. 6., L. l. 5. n. 23.

56. *Resolves:* Hinc sequitur, quod eo magis peccatum minuitur, quo vehementior est passio *praecedens.* «Dicendum, quod de ratione peccati est, quod sit voluntarium, voluntarium autem dicitur, cuius principium est in ipso agente. Et ideo quanto principium eius magis augetur, tanto etiam peccatum fit gravius; quanto autem principium exterius magis augetur, tanto peccatum fit levius. Passio autem est principium extrinsecum voluntati; motus autem voluntatis est principium intrinsecum. Et ideo quanto motus voluntatis fuerit fortior ad peccandum, tanto peccatum est maius: sed quanto passio fuerit fortior impellens ad peccandum, tanto (peccatum) fit *minus*». S. Th. de Malo q. 1. a. 11. ad 3. — Actus vero ex *consequenti* concupiscentia procedens, eo magis voluntarius et maius peccatum est, quo illa maior est. «Si sub concupiscentia includatur etiam ipse motus voluntatis, sic ubi est maior concupiscentia est *maius peccatum*». S. Th. 1. 2. q. 73. a. 6. ad 2.

57. *An passio totaliter excuset a peccato?* — «Dicendum, quod secundum hoc solum actus aliquis, qui de genere suo est malus, totaliter a peccato excusatur, quod totaliter involuntarius redditur. Unde, si sit talis passio, quae totaliter involuntarium reddat actum sequentem, totaliter a peccato excusat; alioquin non totaliter... Passio quandoque quidem est tanta, quod totaliter aufert usum rationis; sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt. Et tunc, si talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum; quia est voluntarius in sua causa... Si vero causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, puta cum aliquis ex aegritudine, vel aliqua huiusmodi causa incidit in talem passionem, quae totaliter aufert usum rationis, actus omnino redditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusatur. Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis; et tunc ratio potest pas-

sionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne suum consequatur effectum: quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis. Unde talis passio non totaliter excusat a peccato». S. Th. 1. 2. q. 77. a. 7., q. 6. a. 7. ad 3., q. 10. a. 3.

58. *An primi pravae concupiscentiae motus sint semper peccata, et qualia?* — Nullum dubium esse potest, quod primi pravae concupiscentiae motus *sint peccata*, et peccata mortalia, agitur enim de re gravi, si illis exurgentibus voluntas sequenti tempore *consentiat*, et consentiendo morose in illis *delectetur*, sive longa, sive brevi et brevissima mora. Actus enim est de re graviter turpi, et plene deliberatus: et ille primus concupiscentiae motus, licet independenter omnino a voluntate excitatus fuerit, accedente voluntatis consensu, iam actus imperatus in sui mora et permanentia incipit esse. — Nullum dubium item est, quod primi pravae concupiscentiae motus naturaliter excitati et independenter a voluntate, quae deinde pro viribus illis *dissentit* et *resistit*, *nullo modo peccata sunt.* Actus enim sunt omnino involuntarii: et sine voluntario peccatum non est. Immo meritum inde est voluntati repugnanti. «Primus motus, ait S. Th. 2. D. 40. q. 1. a. 4. ad 3., non habet rationem culpae, nisi secundum quod aliquo modo est in potestate voluntatis. Unde, quandiu voluntas non repugnat, habet rationem peccati. Sed quando voluntas iam repugnare incipit, tunc homo meretur». — Si tandem voluntas, exurgente primo concupiscentiae motu, neque *consentit* neque *dissentit*, sed permittit, non illum prohibens, iam *rationem habet peccati* huiusmodi motus, quia *aliquo modo est in potestate voluntatis.* Ille enim motus iam contra et praeter voluntatem, haud sane intendentem, sed saltem permittentem, non est. Peccatum autem *non mortale, sed leve est.* Etenim peccatum mortale est in aversione a Deo, quae haberi non potest sine ratione, sese a Deo avertente per deliberationem, quae aversio hic non habetur. Ergo illud peccatum mortale non est, sed veniale. Peccatum enim est; siquidem inordinatio quaedam est contra naturalem honestatem.

«Primus motus est motus sensualitatis, praeveniens deliberationem rationis... Ad naturam autem sensualitatis et rationis pertinet, quod motus sensualitatis, qui est absque deliberatione rationis, non possit esse peccatum mortale: quia peccatum mortale est, quod consistit in aversione a Deo, ad quem converti non potest homo, nisi per rationem: et per consequens aversio a Deo, quae constituit peccatum mortale, non potest esse nisi in ratione». S. Th. Quodl. 4. a. 22. Insuper inordinatio, quae peccatum mortale constituit, est in voluntate, quae *vult* malum. Porro hic voluntas non vere *vult*, sed *permittit:* permittere autem malum per se peccatum non est, vel certe peccatum mortale non est. Nam *velle* malum est ex perfecto voluntatis dominio, malum *permittere*, non nisi ex eius imperfecto dominio est, siquidem est malum tantum *non prohibere.* «Habet voluntas in quibusdam dominium completum, in quibusdam vero incompletum. Completum dominium habet in illis actibus, *qui ex imperio voluntatis procedunt*, et hi sunt actus deliberationem sequentes, qui rationi adscribentur. Sed incompletum dominium habet, in illis actibus, qui *non per imperium rationis* procedunt, sed tamen voluntas *eos impedire* poterat; ut sic *quodammodo voluntati subiaceant*, quantum ad hoc, quod est *impediri* vel *non impediri*, et ideo inordinatio, quae in his actibus con-

tingit rationem peccati causat, tamen *incompleti,* et ideo in his actibus peccatum *levissimum* est, et *veniale*». S.Th. 2. D. 24. q. 3. a. 2.

Eadem est S.Th. doctrina Quodl. 4. a. 21: «Dicendum, quod motus importat inclinationem quandam ad terminum; quae quidem inclinatio pertinet ad appetitum in humanis actibus. Est autem in homine triplex appetitus. Unus quidem naturalis, secundum quod vis appetitiva pertinet ad animam vegetabilem, sicut et vis digestiva et expulsiva et retentiva. Secundus appetitus est sensualitatis, qui movetur secundum apprehensionem sensus. Tertius appetitus est voluntatis, qui movetur secundum iudicium rationis. Peccatum, quod habet rationem culpae, de quo nunc loquimur, non potest esse nisi in actu voluntario, qui scilicet est aliqualiter in potestate peccantis. Actus autem appetitus naturalis non subiacet imperio rationis, sicut nec actus aliarum potentiarum vegetabilis animae; et ideo in actu talis appetitus non potest consistere culpa; sicut quod homo esuriat vel sitiat, absque culpa est; et idem dicendum est in aliis huiusmodi. Sed actus appetitus sensitivi subiacet imperio rationis; quia ratio praeveniens ipsum, potest eum imperare, vel etiam impedire: et ideo talis motus potest iam habere rationem culpae: et si sequatur iudicium rationis, poterit etiam esse peccatum mortale, sicut et motus exteriorum membrorum imperati a ratione. Si autem praeveniat iudicium rationis, est quidem peccatum, si tendat in aliquid illicitum, quia in potestate hominis fuit ipsum cohibere; est tamen veniale peccatum et levissimum... et hoc dicitur primus motus peccati. Motus autem superioris appetitus, i. e. voluntatis, consequens iudicium rationis, iam potest esse peccatum mortale». — E. M.

59. *An metus causet involuntarium?* — 1.° *Timor* est, instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio. — Dividitur primo in *levem* et *gravem.* Primus habetur, aut cum malum instans, vel futurum, leve est: aut cum, licet grave sit, parum tamen probabile est; secundus, cum grave est malum, et valde probabile, vel certum. Grave autem est malum, vel *absolute,* vel *relative. Absolute* grave, quod et in virum constantem timorem incutit sui, locum habet cum malum, quod timetur, *in se* grave est, et communiter tale reputatur, ut mors, mutilatio, etc. *Relative,* quum malum, quod timetur, grave *secundum se* non est, est autem tale respectu huius vel illius. — Dividitur praeterea metus in *intrinsecum* et *extrinsecum,* ratione causae, unde proficiscitur. Metus intrinsecus est, qui exoritur ex intrinseca ipsius subiecti dispositione, ex cuiusque nempe propria corporis aut animi infirmitate. Timor mortis, ex gravi morbo excitatus, timor intrinsecus est, quippe qui exoritur, tanquam ex causa, ex infirmitate, quae in ipso subiecto timoris est. Metus extrinsecus est, qui ab extrinseca causa excitatur, sive causa haec sit naturalis seu necessaria, sive sit causa moralis seu libera; ut item metus mortis ex naufragio, vel ex latrone obviam occurrente. — Metus extrinsecus a causa morali seu libera incussus in *iustum* et *iniustum* subdividitur, prout ius habeat vel non habeat metum inferendi; ut metus, a iudice vel grassatore incussus. Ac sive iuste sive iniuste metus incussus sit, potest talis metus simpliciter incuti ad aliquid obtinendum vel ad malum aliquod inferendum, ut in latronibus mortem minantibus, nisi quis det ea quae habet, vel nisi quis eos ad furandum coadiuvet; et potest incuti ad *consensum* in certam quandam rem extorquendam, e. g.,

in sponsalia, in matrimonium, in contractum, etc. — Metus, speciali nomine, appellatur *reverentialis,* cum metus est, ne superior offendatur, vel quo quis veretur resistere ei, cui subiicitur, nempe patri, matri, avo, socero, marito, regi, domino, praelato, tutori et curatori; itemque patruo, aut patrueli, vel fratri maiori, si cum eis metum passus habitet, et ab ipsis alimenta recipiat. « Pontius merito ait, metum *reverentialem per se* esse *gravem,* quia aliud est operari ex reverentia superiori debita, aliud ex metu reverentiali, qui necessario induit timorem alicuius gravis damni imminentis ex obedientia non praestita, puta diuturnae indignationis, etc. ». L. l. 3. n. 717. Indignatio profecto patris, domini, etc. malum est; et, si diuturna sit, malum grave est. Quare, seclusis etiam aliis malis, v. g., verberibus, minis, etc. metus *reverentialis per se* gravis est. — L. l. 5. n. 20., l. 6. n. 1056., C. H. 1267., C. G. 1111. 1112., C. I. 1111. seqq.

2.° « Aliud est aliquid operari *cum metu,* aliud vero *ex metu:* nam primum dicit *concomitantiam;* unde quod ita fit, licet sit absolute voluntarium, tamen illud voluntarium non oritur ex metu, sed potius opponitur, et vincit ipsum metum, quod est signum magnae voluntatis: ut quando Christus Dominus progrediebatur ad mortem, metuens illam, summa voluntate illam amplectebatur, quae non oriebatur ex timore Patris et hominum, et ideo vincebat naturalem timorem. At vero fieri *ex metu* significat, quod metus ipse inducit ad volendum, seu faciendum aliquid, et tunc metus est *causa* talis voluntarii, eo modo, quo inter actus voluntatis intentio est causa electionis, et electio usus; et amor boni est causa odii oppositi mali: nam ad hunc modum in praesenti, quando quis timet mortem, decernit et intendit illam fugere; et ex vi huius decreti eligit hoc medium, v. g., proiicere merces in mare, et ad hanc electionem sequitur usus, seu executio. Ergo de primo ad ultimum metus fuit causa excitans et applicans voluntatem ad illum actum efficacem, quo imperavit illam actionem exteriorem ». Suarez D. 3. S. 1.

3.° Porro illa, quae *ex metu* fiunt, magis sunt *voluntaria* quam *involuntaria:* sunt enim voluntaria *simpliciter*, involuntaria autem *secundum quid*. Nam unumquodque est simpliciter tale, prout est in actu. Atqui hic actus, prout hic et nunc exercetur, est simpliciter volitus; quia, licet talis actio per se considerata non sit amabilis simpliciter, tamen hic et nunc proponitur ut absolute eligenda, tanquam medium conveniens ad evitandum maius malum. Ergo sub ea ratione est hic et nunc simpliciter voluntaria. Iudicium enim de voluntario est ferendum, considerata re in particulari cum omnibus circumstantiis, et non per abstractionem seu praecisionem intellectus. « Sed quod accipiatur id, quod per metum fit, ut extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, hoc non est nisi secundum rationem tantum, et ideo est involuntarium secundum quid, i. e. prout consideratur extra hunc casum existens ». « Illud ergo, quod per metum agitur, absque conditione est voluntarium, i. e. secundum quod actu agitur; sed involuntarium est sub conditione, i. e. si talis metus non immineret ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. « Et, quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium ». S. Th. S. q. 47. a. 1. — Suarez D. 3. S. 1. 2.

60. *Nota:* Illa, quae fiunt ex metu, sunt involuntaria *secundum quid*, cum res est *in se mala*, sed bona dumtaxat in praesentibus circumstantiis,

ut patet in exemplo allato proiectionis mercium pro mercatore, quae in se mala est illi; et bona illi est in praesenti circumstantia naufragii. Verum, si res est *in se bona*, ita ut talis sit, abstrahendo etiam a praesentibus circumstantiis, tunc ille, qui operatur ex metu, potest perfecta voluntatis inclinatione, in eam rem ferri, ita ut voluntarium *simpliciter* habeatur, quin simul habeatur involuntarium *secundum quid*. Et sic, qui ex metu supernaturali gehennae vult abstinere a peccato, *voluntarium simpliciter* habet sine involuntario admixto, quia divinae legis observatio est simpliciter bona in se, abstrahendo etiam ab illa circumstantia metus divinorum iudiciorum. Insuper, « qui vult servare praeceptum ex timore inferni, si intelligat vim illius motivi, non potest habere simplicem affectum contrarium, *transgrederer praeceptum, si non esset poena*, nam per hunc ipsum affectum peccaret, et reatum poenae incurreret, et consequenter contra suum motivum. Si ergo vere et efficaciter moveatur ab illo motivo, et intelligat vim eius, et qualitatem suorum actuum, fieri non potet, ut cum illo motivo sit talis affectus ». Suarez D. 3. S. 2. n. 6. — L. l. 6. n. 442. Obii. II.

61. *An preces importunae constituant metum gravem?* — « Affirmat Pontius, etc. Sed verius negandum, nisi preces addantur metui reverentiae erga superiorem, ita Sanch., etc. Et bene advertit Sanch., non omnes preces assiduas dici importunas; sed tantum, quae sunt instantissimae, et saepius inculcatae ». L. l. 3. n. 717.

62. *An metus gravis excuset a culpa?* — Vel sermo est de iis, quae *intrinsece* et *per se* mala non sunt; vel de iis, quae sunt ex *natura sua intrinsece* mala, uti esset, v. g., apostasia a fide, blasphemia in Deum. Si 1.um, ordinarie loquendo, a tota culpa metus gravis excusat, quia lex quaelibet positiva obligare non solet cum gravi proportionato incommodo, uti commune est. Dicitur, *ordinarie loquendo*, quia si quis metu gravi compelleretur ad legis alicuius positivae violationem, quae cederet in damnum commune, vel in contemptum legitimae potestatis, vel religionis cum gravi scandalo publico, gravis metus tunc non excusaret a culpa transgressionis; nam in 1.° bonum commune praeponi debet privato; in 2.° et 3.° vero ageretur iam de re ex natura sua intrinsece mala. Verum in altero et tertio hoc casu si patiens, cum legem violat, publice protestetur, se ita non agere in legis vel religionis contemptum, sed tantummodo ad declinandam violentiam, qua existente, legem et religionem amplius non obligare declaret; tunc, *si publicum scandalum cesset*, et cesset praedictus contemptus, quod practice loquendo difficile omnino videtur, excusaretur a culpa. — Si 2.um certum est, metum utcumque gravem, dummodo talis non sit, ut usum rationis adimat, nunquam excusare a tota culpa: illa enim, cum includant intrinsecam et essentialem malitiam, si fiunt voluntarie, nunquam culpa carere possunt. Exemplum est in christiano illo, qui poenarum vel etiam mortis metu perculsus, fidem Christi negaret. Minuit tamen culpam, cum voluntarium minuat. Attamen, *ordinarie loquendo*, metus gravis talem adhuc relinquit cognitionem eorum, quae fiunt, ut sufficiat ad mortale peccatum. — L. l. 1. n. 175., l. 5. n. 21., S. Th. 2. 2. q. 125. a. 4., Elbel 43-52., Del Vecchio V. 1. n. 144.

63. *Resolves:* Metus gravis, v. g., mortis, etc., saepe non tantum excusat a praecepto positivo, tam divino, quam humano etiam ecclesiastico, sed quandoque etiam ab affirmativo naturali, et sic non tenetur quis cum

periculo vitae baptismum suscipere, integre confiteri, communionem recipere, servare depositum, implere votum, succurrere proximo in extrema vitae indigentia. E contrario ad mortem declinandam non potest sacerdos sigillum sacramentale violare. — Viva Opusc. de Act. hum. q. 4. a. 4., Less. q. 6. a. 6., L. l. 1. n. 175.

64. *An voluntas praeter metum, violentiam quoque pati possit?* — 1.° *Vis* seu *violentia* dicitur, quod est ab extrinseco principio contra voluntatis inclinationem, ita ut qui vim patitur non possit contrarium agere, et omnino repugnet. Quare ad violentiam duo requiruntur: Primum, ut sit a principio *extrinseco*, quia nemo proprie dici potest sibi ipsi violentiam inferre. Hinc patet discrimen *violentiae* et *metus*, qui provenire potest tam a principio intrinseco, qualis est, v. g., metus mortis proveniens ex morbo, quam a principio extrinseco, qualis est, v. g., metus naufragii, inferni atque poenarum. Secundum, quod requiritur, ut patiens omnino *repugnet*, h. e. *pro viribus* et *positive;* dicitur pro viribus et positive; nam, si quis passive tantum se haberet, tunc non conferret quidem ad violentiam *agendo*, sed conferret *volendo pati.* Attamen non semper requiritur ad culpam vitandam resistentia omnino absoluta et continua illatae coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres, ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. In omni vero casu resistendum est, quantum ad avertendum periculum scandali, vel religionis iniuriam requiritur. L. l. 5. n. 15. seq.

2.° « Quantum ad ipsum proprium actum (nempe *elicitum*) voluntatis, non potest ei violentia inferri. Et huius est ratio, quia actus voluntatis nihil aliud est quam inclinatio quaedam procedens ab interiori principio cognoscente... Quod autem est coactum, vel violentum, est ab exteriori principio ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. Invitus ergo nemo potest velle; quia non potest velle, nolens velle. *Vellet* ex hypothesi, et simul *nollet;* quia ipse sibi volenti repugnaret. L. l. 5. n. 19.

3.° « Quantum ad actus a voluntate *imperatos* voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt, *ne imperium voluntatis exequantur* ». S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. Violentiam voluntas pati item potest in exterioribus membris, quamvis *voluntatis imperium* proprie non habeatur, ut, e. g., si quis *contra suam voluntatem* deprehendatur, manibus et pedibus ligetur, in carcerem detrudatur, etc. Idque valet non tantum quoad exteriora membra, verum etiam quoad interiores facultates. Etenim clarum est, quod voluntas non tantum manui e. g. *praecipere potest,* ut non subscribat proprium nomen in chirographo ficti creditoris, et illa, ab isto vi apprehensa subscribere debeat; verum etiam *potest intellectui praecipere,* ut rem aliquam cogitet et consideret, et intellectus distractus ad alia cogitanda rapiatur; *potest praecipere* sensili appetitui, ut rationi obediat, et contra rationem ille moveatur. Item potest extrinseca causa, e. g., daemon phantasmata in imaginatione *contra voluntatem* excitare, sensiles motus in sensili appetitu, repugnante pariter voluntate, excitare, etc. — Suarez D. 2., Less. in q. 6. a. 4., S. Th. 1. 2. q. 80., L. l. 3. n. 430. 433., E. M.

65. *An violentia causet involuntarium?* — Violentia *involuntarium, contrarie* tale, causat. Nam « Violentia *directe opponitur* voluntario; sicut

etiam et naturali. Commune est enim voluntario et naturali, quod utrumque sit a principio intrinseco. Et propter hoc, sicut in rebus, quae cognitione carent, violentia aliquid facit contra naturam, ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem. Quod autem est contra naturam, dicitur esse innaturale; et similiter, quod est *contra voluntatem,* dicitur esse *involuntarium.* Unde violentia involuntarium causat », S. Th. 1. 2. q. 6. a. 5; violentia *simpliciter* involuntarium *simpliciter,* violentia *secundum quid involuntarium secundum quid;* haud quidem quantum ad actus elicitos, sed quantum ad actus imperatos. Nam quantum ad actus imperatos tantum, et non etiam quantum ad actus elicitos, voluntas violentiam pati potest. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 5. ad 1. — E. M.

66. *Resolves:* Quando ergo *passio* aliqua est *simpliciter violenta,* quia nempe quis, omni quo potest modo, voluntate resistit, et repugnat, ea est *simpliciter* et *contrarie involuntaria,* adeoque non humana, neque imputabilis. Quando vero est tantum *secundum quid violenta,* quia nempe pro viribus quis sua voluntate non resistit et repugnat, tunc non tollitur ratio voluntarii, adeoque actus humani et imputabilis, sed tantum minuitur, pro maiori vel minori resistentia et repugnantia. L. l. 3. n. 430. 433., l. 5. n. 16. — « *Involuntarium* dupliciter dicitur scilicet per ignorantiam et violentiam. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, et aliam furtum. Ergo propter hoc differunt *specie*... In aliis generibus peccatorum non attenditur ratio peccati ex aliquo involuntario, sicut attenditur in peccatis oppositis iustitiae; et ideo ubi occurrit diversa ratio involuntarii est diversa species peccati ». S. Th. 2. 2. q. 66. a. 4. 9.

III. — DE MORALITATE HUMANORUM ACTUUM

67. *Quaenam sit partitio tractationis actuum humanorum relate ad finem?* — Diximus de actibus humanis relate *ad hominem,* qui per ipsos ad ultimum humanae vitae finem, seu beatitudinem sese ordinat. — Dicendum nunc est de iisdem actibus in ordine *ad praedictum finem;* seu de *eorumdem actuum moralitate.* Ordo enim humanorum actuum ad finem communem humanae vitae, ordinem moralem, seu moralitatem humanorum actuum constituit. — Primum autem dicendum *generatim* est *de ipsa moralitate;* deinde vero *de variis fontibus huius moralitatis* in humanis actibus. — S. Th. 1. 2. q. 21. a. 2. ad 2.

68. *Quaenam sit generica et specifica notio moralitatis actuum humanorum?* — Actus humani considerari possunt aut *generice* omnes, aut *specifice* hi vel illi. Si *generice* considerantur, *qua actus humani sunt, capaces sunt conducendi hominem ad finem,* ad ultimum nempe finem, in cuius possessione felicitas et beatitudo ac plena eius perfectio constituitur. Per eos enim homo seipsum in finem *ordinat* et *ducit.* S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. 2., q. 7. a. 2. — Si *specifice* hi vel illi, *qua tales actus sunt,* inspiciantur, *actu sunt ordinantes et ducentes, vel non, ad finem,* prout fini conformes sunt vel non. Et sic, e. g., cognitio Dei, amor Dei, hominem, natura sua, ad finem ordinant et ducunt; ignorantia Dei, odium Dei, ho-

minem, natura sua, a fine avertunt et removent. — Si actus humani, primo modo, generatim spectentur, *morales* vocantur. Si, secundo modo, considerentur in particulari specie constituti, *boni* vel *mali moraliter, honesti vel turpes* nuncupantur. « *Bonum* et *malum*, ait S. Th. 1. 2. q. 18. a. 5., diversificant *speciem* in actibus *moralibus* ». *Moralitas* ergo constituit *genus: bonitas* vel *malitia speciem.*

69. *Quaenam sit natura moralitatis?* — Notandum primo, communiter dd. per *moralitatem* intelligere habitudinem humanorum actuum ad propriam normam et regulam, secundum quam ordinantur et diriguntur. Opinionum diversitas potius in hac norma et regula determinanda sita est. Et sic etiam communiter, genere pro specie sumpto, actus distinguuntur *morales* et *immorales,* ad designandos actus humanos rectos, et actus voluntarios a propria rectitudine deficientes. — Porro, aliorum omissis discrepantibus opinionibus, et insistendo in doctrina A. D., moralitas *generice* considerata, secundum suum primarium et fundamentalem conceptum, definiri potest: capacitas quam habent in se actiones humanae, ut bonae aut malae sint in ordine ad finem creationis, i. e. ut conformes seu convenientes sint, vel non, huic fini assequendo. *Specifice* vero est ratio conformitatis vel difformitatis, quam *in se* habent humanae actiones in ordine ad finem creationis, tanquam media ad finem; quatenus nempe convenientes sint vel disconvenientes, ut hominem ducant, vel non, ad suum finem. — Dicitur secundum *suum primarium* et *fundamentalem conceptum*; nam *proxime* et *formaliter* ista conformitas seu convenientia, difformitas sive disconvenientia non est nisi *a lege,* quae per *rectam rationem* manifestatur. Eo ipso enim, quod lex aliquid faciendum vel omittendum praecipit, illud formaliter et proxime constituit in ratione medii in ordine ad finem assequendum, obligationem in conscientia pariens usus talis medii. Unde recte S. Alph. l. 5. n. 34. ait: « Bonitas moralis actus humani consistit in quadam conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione, et lege ». — S. Th. q. 18. 19. 20., Suarez Tr. 3. D. 1. D. 2. S. 1. 2., D. 3. S. 2. 3., D. 7. S. 1-6., D. 10. D. 11.

Et sane, ex A. D. 1. 2. passim, ad finem dirigi debent et ordinari omnes humanae actiones q. 5. a. 7., finis obiectum proprium et praecipuum est voluntatis q. 8. a. 2., *a fine* principaliter *specificantur* actus humani et morales q. 87. a. 6. ad 2. A fine ergo repetenda est primaria et fundamentalis ratio moralitatis. Per *moralitatem* enim actuum humanorum hoc communiter intelligitur, ratio nempe *rectitudinis* vel *non rectitudinis* eorundem humanorum actuum; et cum actus humani media sint ad finem, *finis* regula et mensura est illius rectitudinis vel non rectitudinis. Per *moralitatem* iterum hoc intelligitur, quod actus sint *secundum rationem vel praeter rationem:* porro ratio hoc manifestat et hoc dictat sequendum in humanis actibus, finem nempe assequendum per actus illi congruentes et conformes. Per *moralem* autem *bonitatem* vel *malitiam* hoc communiter intelligitur, quod actus humani sint *ordinati* ad illum *finem; sint secundum rectam rationem,* ad finem proprios actus *ordinantem,* vel *praeter hanc rectam rationem.* Hinc bonitas actuum est in quantum sunt utiles ad finem, q. 7. a. 2. a. 4. ad 2. Et hinc consequenter est, quod ab illo fine, et ab obiecto ad illum finem ordinato vel non, actus humanus constituatur *in specie* actus moraliter *boni,* moraliter *mali,* 2. 2. q. 153. a. 2.

Quod autem ex eodem A. D. illa *moralitas*, et *bonitas* ac *malitia moralis, proxime* et *formaliter* a lege sit desumenda, sic patet ex 1. 2. q. 19. a. 4., ubi simul ostendit, quomodo illa *moralitas, bonitas ac malitia moralis* a ratione etiam proficiscatur: « Dicendum, ait, quod in omnibus causis ordinatis, effectus plus dependeat a causa prima quam a causa secunda; quia causa secunda non agit nisi in virtute primae causae. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua eius bonitas mensuratur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina. Unde in Ps. 4. dicitur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:* quasi diceret: *lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui*, i. e. *a vultu tuo derivatum.* Unde manifestum est, quod multo magis dependet *bonitas* voluntatis humanae *a lege* aeterna, quam a ratione humana ». Idem constat ex a. 9. et 10. ib.

Cum lex aeterna sit nobis ignota, secundum quod est in mente divina, innotescat tamen nobis per naturalem rationem; hinc ratio, et ipsa, regula et norma est humanorum actuum, et quidem *proxima*, utpote proponens immediate voluntati bonum vel malum secundum legem aeternam. Verum ista regula proxima est subiectiva, *mere proponens obiectum;* lex regula proxima *obiectiva* est *rectitudinem constituens.* Hinc idem S. Th. q. 18. a. 5. ait: « Dicuntur autem aliqui actus humani vel morales, secundum quod sunt a ratione ». Et q. 19. a. 1. ad 3.: « Dicendum quod bonum per rationem repraesentatur voluntati ut obiectum: et, in quantum cadit sub ordine rationis, pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in actu voluntatis. Ratio enim principium est humanorum et moralium actuum ».

Quod autem de *lege aeterna* dicitur de qualibet autem lege intelligendum est: cum quaelibet lex sit, ordinatio rationis, ordinem et rectitudinem constituens humanorum actuum ad finem; neque vero omnes humani actus ipsa lege aeterna vel praecipiuntur vel prohibentur. Unde plures humani actus non nisi positiva lege praecipiuntur vel prohibentur; et sic constituuntur proxime et formaliter in ratione necessarii medii ad finem. — Lugo de Incarn. D. 5. n. 75., Less. de Perfect. divin. l. 13. c. 26., E. M.

70. *An revera universalis sit duplex regula assignata moralitatis?* — Remota et fundamentalis moralitatis norma, nempe ultimus hominis finis, *omnes* humanos actus complectitur; secus regula iam remota et fundamentalis moralitatis non esset. Ratio patet, quia *omnes* humani actus *media* sunt ad finem totius humanae vitae. Non omnes tamen eamdem *habitudinem* habent ad hunc *finem;* alii enim sunt *per se* ordinati, nempe *intrinseca natura sua* ordinati ad hunc *finem*, ut, e. g., Dei cognitio et amor, amor proximi, iustitia erga alios servanda, etc., et isti actus dicuntur *intrinsece boni*, et quia *boni* sunt, nempe intime et necessario rationis ordini consoni, ideo praecipiuntur deinde *a naturali lege.* Alii e contrario *per se* repugnant, seu *intrinseca natura sua* dissona sunt communi humanae vitae *fini*, ut, e. g., blasphemia, periurium, sacrilegium, furtum, etc., et isti actus dicuntur *intrinsece mali*, et quia *mali* sunt, nempe intime et necessario rationis ordini dissoni, ideo prohibentur deinde *a naturali lege.* Alii tandem actus sunt, qui per se seu *intrinseca natura sua* cum praedicto *fine*, et consequenter cum rationis ordine, *necessario connexi* non

sunt, ut, e. g., cum amico conversari, rusticatum ire, etc., et isti actus dicuntur *intrinsece indifferentes;* quare *necessitate finis assequendi* isti actus neque necessario poni debent, neque necessario debent omitti: sed, si sponte quis illos ponere velit, eos profecto ita exercere debet, *ipsa necessitate finis assequendi,* ut a fine non abscedat, sed ad finem semper tendat, cum ob hanc rationem dederit homini ipsa natura facultatem libere agendi, ut per liberam actionem se ipsum ducat in finem. Unde eo ipso quod actus, actus nempe *in concreto,* fini non repugnat, iam fini aliquo saltem modo consonus est, et moraliter bonus. S. Th. 2. D. 40. q. 1. a. 5. Atque hinc patet quid *ordo et rectitudo rationis* significat, nempe importat proportionem medii ad finem, quam ratio non facit, sed cognoscit et proponit voluntati. Et sic A. D. bonum morale dicit, quod convenit ordini rationis; bonum item honestum, quod convenit rectitudini rationis 1. 2. q. 18. a. 8., q. 39. a. 2.

Regula item proxima et formalis, nempe lex, omnes etiam humanos actus complectitur: siquidem alios praecipit, alios prohibet; quos autem neque praecipit neque prohibet, sed permittit sive positive sive negative, ita ex eadem lege praecipiente, praestandi sunt, ut rationis ordini et rectitudini non repugnent; et sic huiusmodi actus sunt eo ipso moraliter boni, siquidem, si in ipsis efficiendis rationis ordo servetur, iam rationi convenientes sunt et moraliter boni ac honesti.

71. *An moralitas seu moralis bonitas vel malitia in interiori tantum voluntatis actu reperiatur, an etiam in actu exteriori?* — Duplex in exteriori actu distingui potest bonitas seu malitia moralis. Primo enim considerari potest bonitas vel malitia moralis *obiectiva* actus exterioris, quam actus ille ex se habet, nempe ex proprio obiecto et circumstantiis, quibus obiective afficitur, secundum rectum rationis ordinem. Huiusmodi bonitas seu malitia, quam habet actus exterior secundum se propter debitam vel indebitam materiam, et debitas vel indebitas circumstantias, a ratione derivatur, prout nempe rectitudinem rationis vel deviationem a recto rationis ordine illud obiectum illaeque circumstantiae exhibent. Haec obiectiva bonitas seu malitia actus exterioris prior est quam bonitas seu malitia actus voluntatis. Et sic actus exterior est *obiectum* voluntatis, in quantum proponitur voluntati a ratione, ut quoddam bonum apprehensum et ordinatum per rationem, vel ut ab hoc ordine desciscens; et bonitatem seu malitiam moralem in voluntate causat.

Secundo considerari potest in actu exteriori bonitas vel malitia moralis, in ordine ad finem, secundum quod iste exterior actus substat interiori actui voluntatis. Finis enim proprium voluntatis obiectum est. Et sic ratio boni vel mali, quam habet actus exterior ex ordine ad finem per prius invenitur in actu voluntatis, et ex eo derivatur ad actum exteriorem. Itemque in quantum exterior actus consistit in executione operis, est effectus voluntatis, et sequitur voluntatem. Voluntas tunc comparatur ad actum exteriorem, sicut causa efficiens, unde bonitas vel malitia moralis actus voluntatis est forma exterioris actus, sicut in causa agente existens, q. 20. a. 1. Quare « bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem, et bonitas materiae et circumstantiarum redundat in actum voluntatis », q. 20. a. 3.

Iam vero actus exterior et interior voluntatis prout considerantur in genere moris sunt unus *actus humanus,* ib. Si ita adaequate consideratur

humanus actus, formalis bonitas vel malitia moralis *actus humani* solum est intrinsece in interiori actu voluntatis, in exterioribus vero solum per denominationem extrinsecam. Moralitas enim *humani actus formaliter* inspecta non reperitur nisi in actu *libero,* libertas autem formaliter non nisi in voluntate est. Item formalis moralis bonitas ex ordine ad finem est, qui proprium est obiectum voluntatis, q. 20. a. 1. Unde patet, quod in exteriori actu huiusmodi moralis bonitas, quae est *secundum ordinem ad finem,* tota dependet a voluntate, ib. a. 2. Illa autem « bonitas actus exterioris, quam habet ex materia et circumstantiis, est alia a bonitate, quae est ex fine: non autem alia a bonitate voluntatis, quam habet ex ipso actu volito, sed comparatur ad ipsam ut ratio et causa eius », q. 20. a. 4. ad 2. Confirmatur, « nam quantumvis actus exterior ex se bonus et conformis videatur rationi, si tamen a malo interno actu seu prava intentione et electione imperetur, non est bonus, quatenus actus humanus est. Ergo signum est *in ratione actus humani* solum esse bonum per denominationem ab interiori actu. Simile argumentum est, quia actus exterior praecise et per se sumptus non addit homini formalem bonitatem moralem, nec reddit illum magis studiosum, si enim intelligamus aliquem existimantem, se posse exequi exteriorem actum virtutis, habere efficacem voluntatem exercendi talem actum, is rectus est et studiosus, sive possit revera exequi sive non possit, quia virtus non pendet ex facultate, quae nobis invitis deesse potest, sed ex voluntate, supposito quod voluntas aequalis sit... Doctrina haec de actibus externis eodem modo procedit in actibus intellectus et appetitus sensitivi ». Suarez D. 10. S. 1. « Quid planius quam quod *voluntas pro facto reputetur,* ubi factum excludit necessitas? » S. Bernard. Ep. 77. — E. M.

72. *An actus externus moralitatem aliquo modo addat actui interno?* — « Dicendum est primum, actum exteriorem *per se* non ferre augmentum bonitatis vel malitiae, si cetera sint *paria,* in actu interiori, ita D. Th. 1. 2. q. 20. a. 4.... quia actus exterior non habet bonitatem distinctam ab interiori, et necessario sequitur ex illo, si est in nostra facultate, si autem non est in nostra facultate non minuit bonitatem voluntatis... Secundo dicendum est, actionem externam interdum esse necessariam ad bonitatem voluntatis, vel ad talem bonitatem... nam quando est in potestate hominis exequi actionem externam, non potest habere interiorem voluntatem perfectam, nisi exteriorem actionem exequatur, quia actus exterior est terminus et finis interioris, et quia voluntas absolute perfecta est, quae operatur cum potest... Tertio dicendum, *per accidens* exteriorem actum posse augere bonitatem, vel malitiam simpliciter... Nam 1.° propter exteriorem actum saepe homo magis durat et perseverat in interiori, immo etiam saepe multiplicat interiores actus, et hoc modo moraliter peius est occidere. 2.° Quia ipsa exterior actio et accendit affectum, et ita facit ad actum interiorem, quo modo vocalis oratio conferre solet ad interiorem devotionem. 3.° Sunt utiles actiones externae ad moderandas passiones et habituandum corpus, ut facilius iustitiae deserviat... Addendum est etiam esse actus externos bonos utiles ad effectum satisfactionis pro poena temporali debita pro peccato, quia satisfactio non tantum sumitur ex bonitate, sed maxime ex poenalitate actus: actus autem exterior per se affert propriam poenam et dolorem. Denique addendum est exteriores actus esse

necessarios ad aliquos effectus gratiae, qui vel ex opere operato, vel ex speciali privilegio conferuntur; ut sunt effectus sacramentorum et effectus martyrii, et si qui alii sunt similes, quia cum hi effectus non pendeant ex sola mente operantis, promissi sunt exercenti tale opus non solum in affectu, sed etiam in effectu: et eodem modo e contrario actus mali externi, vel etiam effectus eorum sunt necessarii ad incurrendas aliquas poenas vel censuras, quae per solum interiorem actum non incurruntur ». Suarez D. 10. S. 2., L. 1. 2. n. 47.

Haec S. Th. cit. q. 20. a. 4.: « Dicendum, quod, si loquamur de bonitate exterioris actus, quam habet *ex bonitate finis,* tunc actus exterior nihil addit ad bonitatem, nisi contingat ipsam voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis, vel peiorem in malis. Quod quidem videtur posse contingere *tripliciter:* uno modo *secundum numerum,* puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine vel malo, et tunc quidem non facit, postmodum autem vult et facit; duplicatur actus voluntatis, et sic fit duplex bonum vel duplex malum. Alio modo *quantum ad extensionem,* puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine vel malo, et propter aliquod impedimentum desistit; alius autem continuat motum voluntatis, quousque opus perficiat: manifestum est quod huiusmodi voluntas est diuturnior in bono vel malo; et secundum hoc est peior vel melior. Tertio *secundum intensionem;* sunt enim quidam actus exteriores, qui in quantum sunt delectabiles vel poenosi, nati sunt intendere voluntatem vel remittere. Constat autem, quod quanto voluntas intensius tendit in bonum vel malum, tanto est melior vel peior. Si autem loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet *secundum materiam et debitas circumstantias,* sic comparatur ad voluntatem ut terminus et finis, et *hoc modo* addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis: quia omnis inclinatio vel motus perficitur in hoc quod consequitur finem vel attingit terminum. Unde non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quae opportunitate operetur. Si vero possibilitas desit, voluntate existente perfecta, ut operaretur si posset, defectus perfectionis, quae est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem sicut non meretur poenam vel praemium in operando bonum aut malum, ita non tollit aliquid de praemio vel de poena si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum ». Hic agitur de bonitate et malitia actuum respectu praemii vel poenae *essentialis,* nam actus exterior *addit ad praemium accidentale,* ut inquit idem A. D. 2. D. 40. a. 3. — S. Th. 1. 2. q. 13. a. 5. ad 1., q. 20. a. 5., E. M.

73. *An idem actus exterior possit esse bonus et malus?* — « Dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse unum, secundum quod est in uno genere et esse multiplex secundum quod refertur ad aliud genus... Et secundum hoc nihil prohibet aliquem actum esse unum secundum quod refertur *ad genus naturae,* qui tamen non est unus secundum quod refertur *ad genus moris...* Ambulatio enim continua est unus actus secundum genus naturae, potest tamen contingere quod sint plures secundum genus moris, si mutetur ambulantis voluntas, quae est principium actuum moralium. Si ergo accipiatur unus actus prout est in genere moris, impossibile est, quod sit bonus et malus bonitate et malitia morali; et tamen si sit unus unitate naturae et non unitate moris, potest esse bonus et malus ». S. Th. 1. 2. q. 20. a. 6.

74. *An dentur actus humani indifferentes, i. e. qui neque boni moraliter, neque mali moraliter sint, neque honesti neque turpes?* — Si actus

humani considerentur *in abstracto*, seu secundum *suam speciem*, quam intrinsece habent a proprio obiecto, praecisione facta a fine et a circumstantiis determinantibus, tunc actus profecto dantur indifferentes, qui nempe ex specie sua neque *mali* neque *boni* sint, sicut homo secundum se, seu secundum suam speciem, neque virtuosus neque vitiosus est. Et ratio est, quia omne obiectum aliquam habet bonitatem vel malitiam saltem naturalem; non tamen semper importat bonitatem vel malitiam moralem, quae consideratur per comparationem ad ordinem, nempe rationis. Non omne enim obiectum actus humani includit aliquid pertinens ad hunc rationis ordinem: non omnes quidem actiones sunt per se necessario connexae cum ultimo fine, neque omnes praecipiuntur aut prohibentur a lege, sed plures mere permittuntur, sicut ambulare, ire ad campum, levare festucam de terra, et huiusmodi. Tales ergo actus secundum speciem suam sunt indifferentes. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 8.

Si vero actus humani *in individuo*, seu concrete considerentur, prout nempe et a particularibus circumstantiis et a fine determinentur, Scotistae affirmant dari actus indifferentes *in individuo*. Ratio est, quia nulla certa lex iubet dirigere eos in ultimum humanae vitae finem, nempe Deum, neque semper agere ex altiori motivo honestatis et virtutis; sed attenta humana fragilitate et infirmitate, Deus ipse permittit, ut homo agat ex hac ipsa infirmitate et fragilitate propter necessitatem et commodum ipsius naturae, ut, e. g., lautius aliquando comedere, convivia instituere, recreari aspectu coeli, campi, etc. Ergo hae et aliae similes actiones exerceri possunt ex fine mere indifferenti. — Thomistae e contrario negant dari actus indifferentes *in individuo*, et verius. Atque haec profecto est A. D. sententia. Ratio est, quia aut quis facit rem necessariam, utilem, convenientem naturae rationali, nempe animae, corpori, rebus ipsis exterioribus, quae ad utrumque ordinantur; aut rem facit inutilem prorsus et otiosam. Si primum, actio haec tendit ad finem naturaliter bonum, et bona est. Si secundum, rem facit naturae rationali disconvenientem, utpote saltem superfluam: ratio enim dictat non multiplicanda entia sine necessitate, aut utilitate, aut convenientia aliqua. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. par. *Sed contra*, 2. D. 40. q. 1. a. 5. Praeterea, cum rationis hoc proprium sit, humanos actus, qui ex deliberatione fiunt, dirigere et ordinare ad debitum finem; aut humanus actus est reapse ad debitum finem ordinatus, et habet rationem *boni;* aut non est ad debitum finem ordinatus, et tunc ex hoc ipso *rectae rationi* repugnat, et habet rationem *mali*. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. c., Suarez D. 9. S. 3.

Atque ex adducta ratione luculenter patet, actus illos indifferentes Scotistarum tales revera non esse, sed esse moraliter honestos; si enim fiant propter necessitatem, utilitatem, convenientiam, secundum ordinem rationis sunt, et consequenter moraliter honesti. Enimvero et lautius aliquando comedere, et convivia instituere, et animo ac corpore recreari, actus secundum rationem sunt, si intra debitos limites haec contineantur. Sunt ergo isti actus revera facti ex motivo honestatis et virtutis, licet fiant ex naturali fragilitate, necessitate, utilitate, convenientia: siquidem in hoc est honestas et virtus, quod rectitudo rationis servetur. Sunt praeterea etiam ad Deum ordinati, saltem implicite, licet non explicite, ut mox magis explicabimus, siquidem, eo ipso quod secundum rationem sint et boni, ad Deum natura sua referuntur. — S. Th. 1. 2. q. 18. a. 9. ad 3., q. 39. a. 2., 2. 2. q. 23. a. 3., q. 141. a. 6. ad 2., q. 145. a. 1. 3., q. 168. a. 3. ad 3., q. 169. a. 1. ad 1.,

S. q. 49. a. 2. ad 6., 2. D. 39. q. 3. a. 3. ad 6., D. 40. q. 1. a. 5., 4. D. 16. q. 2. a. 2. q. 1., de Caritate q. un. a. 7. ad 13. ad 14., L. Tr. de Act. hum. XLI. seqq., E. M.

75. *An ad moralem bonitatem actuum humanorum necesse sit dirigere omnes actiones in gloriam Dei?* — Communior et verior sententia affirmat. Ratio luculentissime patet ex dictis; siquidem omnis moralis actio, ut sit bona, necesse est, ut tendat in ultimum finem, et in eum a ratione ordinetur. Atqui, si humana actio ad ultimum finem tendit et ordinatur, iam ad Dei gloriam dirigitur. Ergo tam necessarium est actiones omnes dirigere ad Dei gloriam, quam necessarium est esse eas moraliter bonas. « Bonitas voluntatis dependet ex intentione finis: finis autem ultimus voluntatis humanae est summum bonum, quod est Deus. Requiritur ergo ad bonitatem humanae voluntatis, quod ordinetur ad summum bonum ». S. Th. 1. 2. q. 19. a. 9. « Totum quod homo est, et quod potest et habet. ordinandum est ad Deum ». S. Th. 1. 2. q. 22. a. 4. ad 3.

Hinc, ut patet ex ratione facta, satis est eas in Deum dirigere *virtualiter* ex parte operis, seu *actu ipso exercito*, agendo nempe ob finem alicuius virtutis, seu honestum et naturae rationali consentaneum; talis enim actus ex intrinseca natura sua in Dei gloriam tendit. Ad rem S. Th. 1. 2. q. 8. a. 3. ad 2.: « Quandocumque quis vult ea, quae sunt ad finem, vult eodem actu finem: non tamen e converso ». Et q. 21. a. 4.: « Qui facit actum malum *non referibilem* in Deum, non servat honorem Dei, qui ultimo fini debetur ». Caietanus in eand. q. 8. a. 3. « semper appetens, ait, quod est ad finem, appetit finem, non *habitualiter*, sed *actualiter*, ut extendit se ad *actualiter* et *virtualiter*. Est enim *virtualiter* uti aliquo, infra latitudinem actualis usus; alioquin nunquam impleretur illud praeceptum: *Omnia in gloriam Dei facite:* facere enim actualiter operari importat ». — Multo magis satis praeterea est, actiones omnes in Deum dirigere *virtualiter* ex parte ipsius operantis, qui per caritatis actum totam vitam suam in Deum ordinavit, et in habituali manet caritate. Haec Caietanus in 1. 2. q. 8. a. 3.: « Inter motum voluntatis in aliquid *habitualiter* et *actualiter*, medius est motus voluntatis in illud *virtualiter*... Cum enim habens caritatem peccat venialiter, habitualiter quidem diligit Deum, sed non actualiter, ut patet, nec virtualiter, quia peccatum *non est dirigibile in Deum.* Cum autem habens caritatem ambulat vel praedicat, et quidquid aliud *non male facit*, quamvis de Deo non cogitet actualiter, actus tamen ille non solum talis virtutis est, sed caritatis, et voluntas tunc *virtualiter* fertur in Deum, et non solum *habitualiter*, quod convenit dormienti, et peccanti venialiter ». — S. Th. 2. D. 10. q. 1. a. 5., E. M.

IV. — DE VARIIS MORALITATIS FONTIBUS

76. *Quinam sint moralitatis fontes?* — Ut iam dictum est, moralitas actuum humanorum, eorumque moralis bonitas vel malitia ex habitudine est ad ultimum humanae vitae finem et legem, ex convenientia vel disconvenientia cum eodem fine et lege. Porro ista habitudo, ista convenientia vel disconvenientia in humano actu ex triplici capite exoriri potest, nempe ex *fine* eiusdem actus, ex eius *obiecto,* ex *circumstantiis.* Hinc

communiter dici solet, humanum actum ex hoc triplici capite desumere suam bonitatem vel malitiam moralem; particularem nempe specificam et individuam bonitatem vel malitiam: non omnes enim actus *boni* sunt in eadem specie, nec omnes actus *mali* in eadem pariter specie. Tum autem obiectum, tum circumstantiae, tum finis, ordinem et diversum ordinem habere possunt ad ultimum hominis finem et legem. In hoc autem ordine humanorum actuum ad ultimum finem et legem moralitas consistit.

77. *Quid et quotuplex sit finis?* — Per finem hic proprie intelligitur id quod per talem vel talem actum agens ulterius intendit, tanquam ratio *propter quam* operatur. Hic est ille finis, qui dicitur *operantis*, et finis *extrinsecus* est actui. « Dicendum, ait S. Th. 2. D. 36. q. un. a. 5. ad 5., quod actus aliquis habet duplicem finem, scilicet proximum finem, qui est obiectum eius, et remotum, quem agens intendit ». Si autem agens non intendit alium finem diversum ab ipso fine *intrinseco* actionis, quam facit, tunc *finis operantis* coincidit cum *fine operis*, ut apparet in illo, qui vult furari, ut furetur, i. e. ut ex alieno ditescat. — Iam vero *finis operantis* dupliciter considerari potest: 1.° respectu *intentionis* voluntatis, h. e. respectu actus voluntatis, intendentis ipsum, 2.° respectu ipsius actus, *qui imperatur*, tanquam medium ad illum finem. — Sub prima consideratione, finis est proprie voluntatis *obiectum*, immo praecipuum; cum finis sit, qui movet voluntatem ad media. — Sub secunda consideratione finis est mera *circumstantia* actus imperati, et sic inter circumstantias solet annumerari. Ille, qui furatur, e. g., ut committat adulterium, praecipue *vult* adulterium, hoc *intendit* et efficaciter procurat. Et ex hoc adulterio est principalis voluntatis malitia. Actus autem, ideo imperatus ab adulterii voluntate, nempe furtum, e. g., substantialem malitiam sibi propriam habet a proprio obiecto, nempe ab acceptione rei alienae, invito domino; quod autem referatur extrinsece ab operante ad talem vel talem finem, hoc ipsi accidentale omnino est, non ex propria natura, sed ex operantis arbitratu. — Finis ergo, qui est *actus* circumstantia, non est ipse finis *operis*, qui *dat speciem actui*, sed aliquis finis *adiunctus;* sicut quod fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis non est *circumstantia;* sed, si fortiter agat propter liberationem civitatis, vel propter Christum, vel aliquid huiusmodi. S. Th. 1. 2. q. 7. a. 3. ad 3., q. 18. a. 6. ad 2. — Finis *intrinsecus* finis semper *proximus* est, ut patet; finis vero extrinsecus et *proximus* et *remotus* et *ultimus* esse potest. *Proximus*, qui immediate intenditur, remotus qui mediate, ultimus in quo sistitur.

78. *An unicus sit humanae actionis finis?* « Idem actus numero, secundum quod *semel egreditur ab agente*, non ordinatur, nisi *ad unum finem proximum, a quo habet speciem*, sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum unus est finis alterius ». — Prout *semel egreditur ab agente*, nam plures esse possunt eius actus fines, prout hic continuetur et repetatur; puta alienum sumere, ut quis ex alieno ditescat; alienum retinere, vel iterum sumere, ut illud domino conservetur. — *Ad unum finem proximum*, i. e. ipsius actus seu operis. S. Th. 2. 2. q. 66. a. 4. ad 2. — *A quo habet speciem:* nam plures esse possunt *fines*, etiam proximi, *operis*, unius eiusdemque actus, sed unus est *finis operis* primarius a quo est *species* velut *substantialis* actus, ceteri autem accidentales et naturam potius circumstantiarum inducunt. Sic, e. g., si quis peregrinationem instituat,

ut celebret missam in Sanctuario SS̃mi Cordis Jesu; missae sacrificium est finis *operis* proximus, a quo intrinsece speciem sumit ipsa celebratio missae: in illo vero Sanctuario celebrare ad honorem SS̃mi Cordis Jesu finis *operis* etiam proximus est ipsius celebrationis, sed quasi extrinseca quaedam circumstantia, non dans speciem actui. Finis autem sive proximus, sive remotus *operantis,* ad quem actus ordinatur, et ipse *speciem* actui dare potest; immo si sit finis in aliqua serie ultimus ipse est, qui potissimum speciem actui dat, quia ipse est qui est prior in intentione, et a quo omnes alii fines dependent, siquidem illi omnes alii sunt subordinati. Et sic ille, qui moechatur, ut furetur, furatur, ut homicidium committat; potius homicida est, quam moechus et fur: quia homicidium est ratio formalis et motiva aliorum actuum. « Quando multi actus specie differentes ordinantur ad unum finem, est quidem *diversitas speciei* ex parte exteriorum actuum, sed *unitas speciei* ex parte actus interioris ». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 6. « Possibile tamen est, quod *unus actus secundum speciem naturae* ordinetur *ad diversos fines voluntatis.* Sicut hoc ipsum quod est occidere hominem, quod est idem secundum speciem naturae, potest ordinari sicut in finem ad conservationem iustitiae, et ad satisfaciendum irae. Et ex hoc erunt diversi actus secundum *speciem moris,* quia uno modo erit actus virtutis, alio modo erit actus vitii ». S. Th. 1. 2. q. 1. a. 3. ad 3.

79. *An humana actio bonitatem et speciem sumat ex fine, et an ea differat a bonitate et specie, quae sumitur ex obiecto?* — R. ad 1.um « Finis est causa actus *principalissima,* in quantum movet agentem ad agendum; unde *et maxime* actus moralis speciem habet a fine ». S. Th. 1. 2. q. 7. a. 4., q. 1. a. 2. 3.

Ad 2.um « Finis est obiectum voluntatis, non autem aliarum virium. Unde, quantum ad actum voluntatis non differt bonitas, quae est *ex obiecto* a bonitate quae est *ex fine,* sicut in actibus aliarum virium; nisi forte per accidens prout *finis* dependet ex fine et *voluntas* ex voluntate »; S. Th. 1. 2. q. 19. a. 2. ad 1., quando nempe *plures fines* per se subordinati et voliti sunt simul, ut cum quis vult medicinam sanativam propter adeundam militiam, propter victoriam, formalis bonitas obiecti, puta esse sanum, differt a bonitate alterius finis, puta militiae; et quando *voluntas* unius finis, puta adulterii, dependet ex *voluntate* alterius finis, puta furti; ut cum quis vult adulterari, ut furetur, malitia quoque obiecti, puta adulterii, differt a malitia finis, puta furti. Utrumque autem est *per accidens,* accidit enim fini, quod alteri subordinetur, et voluntati etiam accidit, quod ab alia dependeat, secus enim hoc omni fini et omni volitioni conveniret. Caietan. in h. l. Insuper humanus actus, in tantum humanus est in quantum voluntarius. In actu autem voluntario duplex invenitur actus, actus interior voluntatis, et actus exterior. Horum autem uterque proprium obiectum habet. « Finis autem est proprio obiectum voluntatis. Id autem, circa quod est actio exterior, est obiectum eius. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab obiecto, circa quod est, ita actus interior voluntatis accipit speciem a fine sicut a proprio obiecto. Id autem, quod est ex parte voluntatis, se habet ut *formale* ad id quod est ex parte exterioris actus, quia voluntas utitur membris ad agendum, sicut instrumentis, neque actus exteriores habent rationem *moralitatis,* nisi in quantum sunt *voluntarii.* Et ideo *actus*

humani species formaliter consideratur secundum finem, materialiter autem secundum obiectum exterioris actus. Unde Philos. dicit, quod ille qui furatur, ut committat adulterium, est, per se loquendo, magis adulter quam fur». S. Th. 1. 2. q. 18. a. 6., 2. D. 38. q. 1. a. 4. ad 4., E. M.

80. *Utrum intentio extrinseci finis naturam operis exterioris intrinsece immutare possit?* — Alii affirmant, alii negant. Horum sententia unice vera nobis videtur. Ratio est: 1.° Quia intrinseca rerum natura mutari non potest. 2.° Quia intentio operantis operi nihil addit, immo illud ne attingit quidem, cum illi prorsus extrinseca sit. — Quare bona nostra intentio nequit opus malum reddere bonum, neque mala nostra intentio potest quod bonum est malum reddere, nec quod malum est in aliam malitiae speciem intrinsece transferre. — Hoc autem non impedit, uti patet, quominus, ubi agatur de obiecto *de se indifferenti*, possit finis extrinsecus operantis bonitatem vel malitiam moralem tribuere. Hoc enim non est immutare naturam intrinsecam ipsius operis exterioris, sed determinare eius intrinsecam indifferentiam, quatenus opus humanum est; quae determinatio in moralibus non nisi ab intentione est. Et sic, licet prava intentio iudicis reo nocendi *iustae* sententiae naturam immutare intrinsece non possit, et eam constituere *iniustam* damnificationem: intentio tamen accipiendi alienum, ipsam acceptionem determinat, prout nempe quis rem alienam accipiat, ut eam domino conservet, vel ut eam sibi accipiat et furetur. — L. 1. 3. n. 584. 636.

81. *An actus bonus sit, si duplicem habeat finem, alium bonum, alium malum?* — R. 1.° Affirmative, si finis *malus* mere *antecedenter* vel *consequenter* se habeat, h. e. mere praecedat totum actum vel accedat actui iam praeexistenti, vel etiam si se habeat mere *concomitanter*, h. e. nihil influat in esse ipsius actus, sed illi tantum adiungatur. Ratio est, quia tunc est prorsus extrinsecus actui in toto suo esse constituto. Non est enim *ratio propter quam* ipsius actus; sed ratio tantum est, e. g., simplicis cuiusdam complacentiae, quae praecedit, concomitatur, aut consequitur actum deliberatum. Haec autem simplex complacentia potest, quin actum inficiat, suum etiam exercere influxum, ut facilius quis moveatur ad actum bonum, e. g., si alicui proponeretur eleemosyna tanquam conferens ad vitam aeternam, et huic simplex complacentia *adiungatur* existimationis inde habendae apud homines. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 7.

2.° Negative, si finis malus se habeat vere *causative*, et influat in substantiam actus. Ratio, quia tunc vult quis bonum saltem inadaequate sub ratione mali, quod est malum velle. «Ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit boni, sub ratione boni, i. e. quod velit bonum et propter bonum». S. Th. l. c. ad 3. Excipe, nisi sit finis *leviter* tantum malus, neque vero sit finis *primarius*, movens et determinans. Ratio, quia tunc finis leviter tantum malus et *secundarius*, mere impellens, influit non in ipsum esse substantiale actus, sed tantum in esse accidentale actus, adeoque manet bona tota substantia actus. Et sic bona erit eleemosyna, etiamsi in illum actum levis ostentatio obrepserit, et vere influxerit. S. Th. 1. 2. q. 18. a. 4. ad 3., Suarez D. 8. S. 1. n. 14. seqq.

82. *An peccet qui propter delectationem agat?* — R. Affirmative, si agat propter *solam* delectationem; ulteriorem nempe honestum operis finem

positive *excludendo:* et hoc peccatum, per se loquendo, veniale non excedit. Negative, si simpliciter propter delectationem agat. Ratio primi est, quia delectatio est propter operationem, non viceversa, ut nempe homo alliciatur ad operationes humanae vitae necessarias, vel utiles. Ergo delectatio non est finis actionis, « sed medium ad actionem constantius, facilius, melius exercendam ». S. Th. 1. 2. q. 4. a. 2. Confirm. ex pr. 8., d. ab Innoc. XI. Ratio secundi est, quia cum delectatio per se non sit mala, sed bona, nisi quis in ea constituat suum ultimum finem, quod procul dubio grave esset, non habetur gravis in humana actione deordinatio. Ratio tertii est, quia delectatio per se non est mala, sed bona, ipsique ordini naturae consentaneum est, ut homo alliciatur a delectatione ad operandum. S. Th. C. G. 1. 3. c. 26. n. 6. 7. Si quis ergo, licet nihil expresse cogitet de ulteriori fine honesto, movetur a delectatione ad actionem, quam apprehendit naturae consentaneam, vel in qua nihil invenit rationis ordini contrarium, e. g., ad cibum sumendum, ludendum, etc., nihil omnino peccat. S. Th. 2. 2. q. 141. a. 1. ad 1. — E. M.

83. *Quid per obiectum intelligatur?* — Per *obiectum* actus humani non intelligitur hic quidquid voluntati obiicitur: sic enim, et *finis,* et *circumstantiae* forent etiam eius obiectum; sed intelligitur res illa, quam quis immediate seu directe et per se vult. Obiectum non consideratur hic *physice,* nempe prout est existens quaedam res. Circa *idem obiectum physice consideratum,* possunt versari actus morales *specie diversi.* Et sic, e. g., circa eamdem uxorem possunt haberi actus coniugalis honestus, et actus adulterii turpis. Obiectum consideratur hic *moraliter,* nempe prout subest regulae morum, seu legi praecipienti, prohibenti, permittenti. Et sic obiectum furti non est res aliena, praecise prout *res est,* sed quatenus recta ratio vetat, ne auferatur, invito domino. Hinc A. D. inquit 1. 2. q. 19. a. 2. ad 3.: « Dicendum, quod bonum per rationem repraesentatur voluntati, ut obiectum, et *in quantum cadit sub ordine rationis pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in actu voluntatis* ». — S. Th. q. 18. a. 5., S. q. 41. a. 3. ad 5.

84. *An actus humani bonitatem aut malitiam moralem desumant ex obiecto.* — R. Affirmative. Ratio est, quia ex obiecto intrinsece specificantur actus. Ergo ut ab obiecto habent speciem, ita habent etiam bonitatem et malitiam. « Bonum et malum actionis, ait S. Th. 1. 2. q. 18. a. 2, sicut et ceterarum rerum, attenditur ex plenitudine essendi, vel defectu ipsius. Primum autem, quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id, quod dat rei speciem. Sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex obiecto; sicut et motus ex termino. Et ideo sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quae dat speciem ei, ita et prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto convenienti. Unde et a quibusdam vocatur *bonum ex genere,* puta uti re sua. Et sicut in rebus naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam; puta si non generetur homo, sed aliquid loco hominis; ita primum malum in actionibus moralibus est, quod est ex obiecto, sicut accipere aliena. Et dicitur malum *ex genere,* genere pro specie accepto, eo modo loquendi quo dicimus *humanum genus* totam humanam speciem ».

85. *An actus bonus sit, si obiectum sit bonum, sed malus finis?* — R. Negative. Qui enim malo fine agit, licet velit bonum, illud tamen vult

sub *ratione mali,* et ideo prout est volitum ab ipso est malum. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 7. Hinc S. Alph. l. 5. n. 38. ait: « Si obiectum sit bonum, finis vero operantis sit malus, actus humanus est *totus* malus ex malitia finis, quae destruit omnem bonitatem ». — S. Th. 1. 2. q. 18. a. 4. 6., 2. D. 38. q. 1. a. 4., Suarez D. 6. S. 1. 2. D. 8. S. 1. n. 13.

86. *An actus bonus sit, si obiectum sit malum, sed bonus finis?* — R. Negative. Et sane Apostolus damnat dicentes: *Faciamus mala, ut eveniant bona.* Rom. 3., 8. Ratio autem est, quia intentio finis boni, utpote extrinseca ipsi obiecto volito, si hoc malum est, non impedit quominus quis *malum* reapse *velit.* — Suarez D. 4., D. 8. S. 1. n. 20. seqq.

87. *Quid per circumstantias intelligatur?* — Per *circumstantias* actus humani intelliguntur rationes illae omnes, quae *obiecto* volito *accessoriae* sunt, et quasi *substantiae* actus *accidentales,* et volitae dumtaxat sunt *concomitanter* vel *consequenter.* « Nomen *circumstantiae,* ait S. Th. 1. 2. q. 7. a. 1., ab his, quae in loco sunt derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare, quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum. Et ideo, quaecumque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, *circumstantiae* dicuntur. Quod autem est extra substantiam rei, ad rem ipsam pertinens, accidens eius dicitur. Unde *circumstantiae* actuum humanorum accidentia eorum dicendae sunt ». — Ut obiectum, ita circumstantiae non considerantur hic prout sunt *accidentia* quaedam *physice afficientia* actum, sed prout sunt accidentia actus humani; ipsum *in esse morali,* iam *ex obiecto constitutum, moraliter afficientia. Moraliter afficientia,* h. e. quatenus ad mores pertinent. Enimvero ad *esse morale* actus nihil refert, quod quis, e. g., alapam alteri dederit, vel furatus sit manu dextera vel sinistra. Aliter autem circumstantias considerant Iurisconsulti ac Theologi. Illi enim potius quatenus societatem perturbant, isti quatenus Deum gravius offendunt eas considerant. — Suarez Tr. 2. D. 5.

88. *An humani actus desumant etiam suam bonitatem et malitiam moralem ex circumstantiis?* — R. Affirmative. Etenim cum in obiectum tendant non *abstractum* sed *concretum,* seu suis individuantibus circumstantiis determinatum, ut desumunt specificam bonitatem et malitiam moralem ab obiecto, ita etiam bonitatem et malitiam moralem accidentalem desumunt ex circumstantiis; et varias ex eis induunt accidentales qualitates: sicut homo ab anima habet rationem suae speciei, aliquid vero accidentale convenit homini individuo secundum accidentia eius individualia. Et sane, cum *bonum* convertatur cum *ente,* sicut *ens* dicitur secundum substantiam et secundum accidens, ita et *bonum* attribuitur alicui et secundum esse suum substantiale, et secundum esse accidentale, tam in rebus naturalibus, quam in actionibus moralibus. — S. Th. l. 2. q. 18. a. 3. 9., 2. 2. q. 154. a. 1.

89. *Resolves:* 1.° Actus humanus triplicem bonitatem vel malitiam moralem habere potest, sive intra eamdem speciem, sive etiam diversae speciei. Sic, e. g., si quis rem sacram furaretur, ut eam dono daret meretrici ad fornicationem ab ea obtinendam, talis actus ex *obiecto* esset *furtum;* ex *circumstantia sacri sacrilegium;* ex *fine fornicatio;* adeoque triplicem malitiam specie diversam haberet.

2.° Bonitas seu malitia moralis intrinseca et essentialis actus desumitur ex obiecto. Ex obiecto enim voluntas primo et per se seu directe movetur ad actum. Hinc licet, ut actus humanus sit bonus simpliciter, requiratur ut nullam habeat circumstantiam malam, non requiritur tamen, ut semper habeat obiectivas circumstantias proprias, a quibus accidentalem bonitatem, seu augmentum bonitatis accipiat, ut patet in actu circa obiectum omnino simplex, qualis est amor Dei. Dicitur *circumstantias obiectivas,* seu ex parte obiecti, nam circumstantiae ex parte ipsius actus semper aliquae saltem reperiuntur, quae illi conferant bonitatem aliquam vel malitiam. Et sic semper, saltem moraliter loquendo, quod satis est in praesenti materia, est in actu aliqua *intensio,* pertinens ad circumstantiam *quo modo,* ratione cuius habet actus aliquam bonitatem vel malitiam, quae potest dici accidentalis, quatenus sine illa posset servari species actus.

3.° Ut circumstantiae suam actui conferant bonitatem vel malitiam moralem, debent esse volitae vel per modum obiecti, vel saltem per modum actus; quia obiectum non confert actui humano moralem bonitatem vel malitiam, nisi quatenus intentum et volitum. Circumstantiae obiectivae, h. e. quae se tenent ex parte obiecti debent esse volitae per modum obiecti, quia huiusmodi circumstantiae afficiunt ipsum obiectum, et actus indivisibiliter attingit obiectum, non quasi nudum, sed suis quasi circumstantiis vestitum. Circumstantiae vero, quae se tenent ex parte actus, debent esse volitae vel per modum obiecti, si illa circumstantia sit extrinseca ipsi actui, uti est, e. g., circumstantia *quis,* potest enim operans seipsum respicere, ut obiectum suae voluntatis, et velle dignitatem seu conditionem suae personae ad opus applicare: vel per modum actus, si illa circumstantia sit intrinseca ipsi actui, uti est, e. g., circumstantia *quomodo* vel *quando,* et sic ut bonitas vel malitia actus voluntatis augeatur ex intensione vel duratione, satis est, ut intensio et duratio sint voluntariae per modum actus, quatenus nempe voluntarius sit ipsimet actus intensus, diuturnus, etc. — S. Th. C. G. l. 3. c. 138., 1. 2. q. 18. a. 4. 6. 7., Suarez D. 4. D. 5. D. 6. S. 3.

90. *Utrum circumstantia naturam operis exterioris, intrinsece immutare possit?* — R. Affirmative. Ratio est, quia circumstantia est intrinseca ipsi operi, minime vero extrinseca, uti est finis operantis respectu operis exterioris. Ergo ipsum opus externum *immutare potest. Immutare potest.* Non enim quaelibet circumstantia externum opus, ita semper modificat, ut eius etiam naturam intrinsece immutet. Et sic, si parochus breviarium recitat, tempore, quo deberet moribundo sacramenta ministrare, recitationis breviarii intrinseca natura non mutatur. Unde sufficit etiam confiteri tantum praedictam omissionem administrationis sacramentorum. Neque vero ita illa *intrinseca* immutatio intelligenda est, ut opus externum, ex *propria sibi natura intrinseca* indifferens, bonum, malum, vel in tali specie, ratione nempe proprii obiecti, evadat *natura sua* quoad malitiam vel bonitatem *determinatum, malum, bonum,* vel in *alia specie.* Circumstantia enim, cum sit quid obiecto accessorium, si obiectum, ratione sui, indifferens vel bonum vel malum est et in tali specie, indifferens et bonum ac malum et in tali specie manet sub *illo respectu,* licet intrinsece etiam evadere possit malum, immutari in malum et aliam speciem assumere, *ratione circumstantiae.* Sic, e. g., comedere actio de se est indifferens, sed comedere

die ieiunii post aliam sumptam refectionem, grave peccatum est, adeoque actio est mala non ratione comestionis, sed ratione diei ieiunii, et *hac circumstantia temporis* mala evadit. Matrimonio uti, actio honesta est; sed matrimonio uti post votum castitatis actio graviter peccaminosa est, non ratione ipsius usus matrimonii, sed voti; et hac voti circumstantia in malam ex bona immutatur. Furari actio est contra iustitiam mala, sed furari rem sacram, actio est mala etiam contra religionem ex illa rei sacrae circumstantia, unde malitiae furti malitia additur sacrilegii.

91. *Quomodo variae circumstantiae distinguantur?* — Quaedam circumstantiae sunt, quae naturam operis vel actus immutant *mere accidentaliter,* intra eamdem nempe speciem, bonitatem vel malitiam moralem augent vel minuunt: et ideo *aggravantes* vel *minuentes* appellantur; eaeque esse possunt vel *simpliciter* tales, vel *notabiliter,* seu multum aggravantes vel minuentes. Huiusmodi circumstantiae sunt illae omnes, quae non habent bonitatem vel malitiam *secundum se,* sed *per ordinem ad aliam conditionem actus,* quae illam bonitatem vel malitiam secundum se habet. Unde praedictam bonitatem vel malitiam augent vel imminuunt. Et sic, e. g., intensio et remissio actus, mora longa vel brevis actus, non habet secundum se moralem bonitatem vel malitiam, sed per ordinem tantum ad actum bonum vel malum, cuius consequenter non nisi accidentalem diversitatem constituunt. Sic etiam tollere aliquid in maiori vel minori quantitate, non respicit *secundum se* ordinem rationis in bono vel malo, sed *praesupposita* aliqua alia conditione, per quam actus habet malitiam vel bonitatem, puta hoc quod est *esse alienum,* quod secundum se rationi repugnat. Unde tollere alienum in maiori vel minori quantitate non diversificat speciem peccati.

Aliae vero sunt circumstantiae, quae *essentialiter* naturam operis et actus immutant et *mutantes speciem* vocantur. Huiusmodi circumstantiae sunt illae, quae *secundum se* specialem ordinem rationis respiciunt. Sic, e. g., tollere alienum habet speciem *ex ratione alieni,* ex hoc enim constituitur *in specie* furti. Et si consideretur super hoc locus vel tempus, haec se habebunt in ratione circumstantiae. Sed, quia ratio etiam de loco vel de tempore et aliis huiusmodi ordinare potest, contingit conditionem loci circa obiectum accipi ut secundum se contrariam ordini rationis, puta quod ratio ordinat iniuriam non esse faciendam loco sacro: unde tollere aliquid alienum de loco sacro addit specialem repugnantiam ad ordinem rationis. Et ideo locus, qui prius considerabatur ut simplex *circumstantia,* nunc consideratur ut *principalis conditio* obiecti rationi repugnans. Hinc S. Th. q. 18. a. 10. ad 2. « circumstantia, ait, manens in ratione circumstantiae, cum habeat rationem accidentis, non dat speciem: sed in quantum mutatur in principalem conditionem obiecti, secundum hoc dat speciem ».

Circumstantiae, quae peccatum mutant *tantum* de veniali in mortale, sub uno respectu, sunt tantum *aggravantes:* et *aggravantes in infinitum* dicuntur; si nempe mera oppositio attendatur ad talem virtutem; ut in levi et gravi furto videre est: utrumque enim eidem virtuti iustitiae opponitur. Sub alio respectu, *mutantes speciem* sunt, si nempe attendatur oppositio et repugnantia cum generali morum regula, nempe cum lege et fine assequendo. — Circumstantiae, quae actui iam constituto in aliqua morali specie, novam tribuunt speciem, *addentes speciem* dicuntur. Sic,

si quis voto ligatus peccet contra castitatem, malitiae peccati contra castitatem alia additur malitia contra religionem. Verum, si malitia novae speciei gravis non sit sed levis, tunc illa circumstantia, vel ut simpliciter aggravans habetur, vel ut mutans quidem speciem, sed cum addito, *leviter:* manet enim tunc adhuc integra tota specifica substantia actus, neque ulla, moraliter loquendo, accedit substantialis actus immutatio. Sic quoad peccatum mere internum contra castitatem in Ecclesia commissum, si in eo malitia adest sacrilegii, ea non nisi levis est, adeoque non est circumstantia stricte et proprie *speciem* mutans, sed aggravans. — Circumstantiae vero, quae primo actum reddunt simpliciter bonum vel malum, *mutantes speciem* vel *tribuentes speciem* dicuntur, e. g., si iter quis aggrediatur ex fine operis caritatis exercendi, iter illud ex se indifferens in actum primo transit virtutis; si eleemosynam quis det *non nisi ex vana gloria,* illa tunc, licet in se bona, mala evadit. — S. Th. 2. D. 38. q. 1. a. 4.

92. *An actus sit bonus, si circumstantia sit mala?* — R. 1.° Negative, si agatur de uno eodemque voluntatis actu *in genere moris.* Ratio est, quia actus voluntatis, qui haec omnia simul complectitur, nempe obiectum et circumstantias unus simplicissimus actus est, adeoque, si non ex omni parte sit bonus, malus erit. Excipe, nisi sit circumstantia tantummodo *leviter* mala. Haec enim circumstantia *leviter* mala actum bonum non corrumpit, cum substantia actus in se constituti accidentalis omnino sit. Id quidem in naturalibus contingit, idem in moralibus multo magis esse debet. Et sic affectus ad peccatum mortale in Communione, hanc substantialiter corrumpit et reddit sacrilegam; affectus ad peccatum veniale in Communione, hanc non corrumpit in sui substantia, licet minus fructuosam reddat.

2.° Affirmative, si agatur de uno eodemque actu *in genere naturae,* et qui multiplex est *in genere moris.* Ratio est, quia tunc huiusmodi mala circumstantia extrinseca omnino est ipsi actui bono. Et sic in celebratione missae, sacerdos consecrans in statu gratiae, actum ponit bonum, deinde graviter peccans adhaerendo turpi cogitationi, et sacrilegam sumens communionem actum ponit malum.

93. *Quot humanorum actuum circumstantiae numerentur?* — Septem, eaeque sunt: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* « Ratio huius adnumerationis sic accipi potest. Nam circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens; ita tamen, quod aliquo modo attingit ipsum, contingit autem hoc fieri tripliciter. Uno modo in quantum attingit ipsum *actum.* Alio modo in quantum attingit *causam* actus. Tertio modo in quantum attingit *effectum.* Ipsum autem actum attingit vel *per modum mensurae,* sicut tempus et locus: vel per modum *qualitatis* actus, sicut modus agendi. Ex parte autem effectus, ut cum consideratur *quid* aliquis fecerit. Ex parte vero causae actus, quantum ad causam *finalem* accipitur *propter quid;* ex parte autem causae *materialis* sive obiecti accipitur *circa quid* (quod comprehenditur sub *quid*); ex parte vero *agentis principalis* accipitur *quis* egerit; ex parte vero causae *agentis instrumentalis* accipitur *quibus auxiliis* ». S. Th. 1. 2. q. 7. a. 3.

94. *Quomodo sint praefatae circumstantiae considerandae?* — Eae accipiendae non sunt, quatenus ab ipsis dependet substantia actus, sed

quatenus ipsum accidentaliter afficiunt. Secus iam rationem circumstantiarum non haberent. — Quare: 1.° *Quis* non significat substantiam operantis, sed eius qualitatem seu conditionem, e. g., quod sit voto ligatus, matrimonio coniunctus, publicus magistratus, etc. Ad hanc circumstantiam revocat Lugo, de Poenit. D. 16. n. 200., consuetudinem peccati; per eam enim explicatur qualiter quis sit dispositus ad facilius peccandum. Circumstantia personae, generatim loquendo, peccatum in aliam speciem non transfert, nisi peccatum *coniunctioni, officio* specialem afferenti obligationem, *voto* vel *statui eius directe* adversetur, ut si sacerdos fornicatur in sacrilegium transit, si autem blasphemat solius blasphemiae reus est, sicut alius blasphemans. — S. Th. 2. 2. q. 45. a. 4., q. 110. a. 4. ad 5., Lugo de Poenit. D. 16. S. 4.

2.° *Quid* et *circa quid* non exprimit item substantiam effectus, seu obiecti, sed eius *qualitatem* vel *quantitatem*, v. g., in furto non denotat, quod res furtiva sit aliena, hoc enim pertinet ad ipsam substantiam actus, sed quod sit sacra vel profana, magnae vel parvae quantitatis, cum damno inde pauperis, pupillorum, puellarum nubilium, cum scandalo plurium, etc. Circumstantia *quid* et *circa quid* facile *mutans speciem* esse potest. *Quid* autem, i. e. effectus, quando est *praevisum* et *volitum*, trahit in ipsius speciem, Cf. 35. seqq. Ad hanc circumstantiam revocari potest *quoties*, seu actuum multiplicatio. Illam tamen S. Th. inter circumstantias non computavit. Et ratio est, quia circumstantiae circa eumdem sunt actum. Numerus autem operationum non circumstat unam et eamdem operationem. Non enim secundum furtum est circumstantia primi, aut e converso; nec tertium secundi, et sic deinceps. Ex quo sequitur, quod, quia non minus tenetur quis confiteri secundum peccatum, quam primum, et non minus centesimum, quam quodcumque aliud, non sufficit dicere, quod pluries furatus est, sed oportet explicare quoties furatus est, si numeri meminerit; et, si non meminerit, exprimere debet quam frequenter, sic ut verisimilis numerus habeatur. — Lugo l. c. S. 4. § 7. S. 5. 6. 9.

3.° *Ubi* non significat nudum locum; certum enim est quemlibet actum hominis alicubi fieri; sed qualitatem loci, e. g., quod sit publicus, unde scandalum exoriatur; quod sit sacer, unde sacrilegium habeatur, etc. Circumstantia loci sacri, quamvis omnia aggravet peccata per accidens, illa tamen sola ad *gravis* sacrilegii speciem trahit, quae sanctitati loci directe opponuntur, aut annexae immunitati, ut effusiones sanguinis, vel seminis humani, quae impediunt exhibendum ibidem divinum cultum, ad quem directe sanctificatur locus, et violentae extractiones, quae immunitati contrariantur, et his similia. — Lugo l. c. S. 10.

4.° *Quibus auxiliis,* significat accidentalia instrumenta, seu media, quibus usus est operans, v. g., si quis vasis sacris usus fuerit ad veneficium, opem daemonis adhibuerit, alios homines iussu vel consilio ad peccati executionem induxerit. Licet haec circumstantia mere materialiter aliquando videatur se habere ad peccatum, aliquando tamen speciem etiam mutat. — Lugo l. c. n. 475. 476.

5.° *Cur* denotat non finem intrinsecum operis, hic enim pertinet ad substantiam actus, sed extrinsecum et operantis, uti si quis furetur ad se inebriandum. *Cur* manifeste aliam speciem actui dare potest. — Lugo l. c. n. 477. seqq.

6.° *Quomodo* designat accidentalem modum, quo fit interior voluntatis actus, v. g., intense vel remisse, ex contemptu, ex levitate, ex ignorantia, ex metu, ex passione. Designat etiam modum exterioris actionis, v. g., quod occideris veneno, gladio, cum crudelitate et saevitia, etc. *Quomodo,* licet sit ordinarie aggravans vel imminuens peccatum, aliquando etiam speciem dare potest. — Lugo l. c. n. 497. seqq., Laym. l. 3. de Iust. Tr. 3. p. 3. C. 4. n. 1., Tambur. Meth. Confess. l. 2. C. 6. n. 2., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 1. a. 4.

7.° *Quando* significat qualitatem vel quantitatem temporis, e. g., die festo, communionis, hebdomadae sanctae; diu, brevi tempore. Circumstantia temporis sacri est aggravans peccatum, non tamen apponens gravis speciem sacrilegii, nisi fiat in contemptum temporis sacri. — Lugo l. c. n. 515. seqq., Lessius in q. 7., Caietanus in e. q., L. l. 6. n. 923., S. Th. 4. D. 32. q. 1. a. 5., q. 4. Sol. 2.ª.

DE CONSCIENTIA

I. — DE CONSCIENTIAE NATURA

95. *Quid et quotuplex conscientiae acceptio?* — Conscientia dupliciter sumi potest, *physice* et *moraliter.* Conscientia physice inspecta ad Psychologiam et ad Logicam pertinet, prout ea consideratur vel praecise quatenus facultas cognoscitiva est in proprios actus redeundi, vel praecise quatenus instrumentum est veritatis assequendae. Conscientia vero moraliter inspecta tum ad Theologiam Moralem spectat, tum ad Philosophiam Moralem. Quare hic de conscientia tantum moraliter sumpta sermo erit. Dicemus primo de intrinseca natura huius conscientiae moralis, deinde vero de variis eius partitionibus.

96. *Quaenam sit intrinseca moralis conscientiae natura?* — Lex regulat humanas actiones in ordine ad earum moralem honestatem vel turpitudinem ope conscientiae. Etenim, ut eas regulet, applicari debet actioni hic et nunc efficiendae, ut videatur, an talis actio praecipiatur, prohibeatur, permittatur a lege, vel consulatur; ex qua applicatione iudicium deinde efformatur de tali vel tali actione, *hic* et *nunc* efficienda vel omittenda, et hoc practicum iudicium *conscientia* est. Quare conscientia nihil aliud est, quam iudicium practicum, quo rem *hic* et *nunc* agendam vel omittendam pronuntiamus, tanquam bonam vel malam; idque per modum praecepti, vel consilii, vel simplicis permissionis. Ut ergo hanc conscientiam efformare possimus, syllogismum facimus. In hoc syllogismo propositio maior enuntiat generatim legem. Propositio vero minor eiusdem syllogismi comparat actionem, quam volumus hic et nunc facere, cum lege. Denique consequens ex affirmata in praemissis conformitate vel difformitate talis vel talis actionis cum lege, pronuntiat talem vel talem actionem efficiendam *hic* et *nunc* esse ut bonam, vel omittendam ut malam, quod *iudicium* seu *dictamen conscientia* appellatur. *Dictamen,* dictare enim est praecipere, ordinare; et conscientia est velut lex interior, quae hominem ligat. *Iudicium,* siquidem ut dictamen de iis tantum est, quae fieri vel

omitti *debeant*, iudicium est etiam de iis, quae fieri vel omitti *possunt*. — S. Th. 1. p. q. 79. a. 13., 1. 2. q. 76. a. 1., *de Verit.* q. 16. a. 1., q. 17. a. 1. 5., 2. D. 24. q. 1. a. 4., q. 2. a. 4., Suarez Tr. 3. D. 12. S. 1., L. l. 1. n. 1. 2.

97. *Quid conscientia antecedens et consequens?* — Conscientia moralis, cuius naturam descripsimus iam, et de qua loquimur in praesenti, vocata est *conscientia antecedens*, ut distinguatur ab alia conscientia morali, quae appellatur *consequens*, et ea est, quae refert actionem iam factam, fuisse moraliter bonam vel malam. Ad vitandas autem cavillationes circa priorem illam conscientiam, quod non esset *conscientia* appellanda, cum de re non *acta* sed *agenda* iudicium ferat, conscientia enim *facta* refert *interna*, breviter adnotamus, usum iam obtinuisse ut sic vocetur. Usus autem hac in re sufficiens ratio est. — Porro formalis bonitas vel malitia humanorum actuum non a conscientia *consequenti*, sed ab *antecedenti* est desumenda. Hinc illi, qui student theologiae morali, nonnunquam decipiuntur, quia existimant post adeptam scientiam se in pluribus peccasse; quandoquidem ea scientia carebant cum agebant, et bona fide tunc versabantur. Idem dicatur de rudibus aliisque omnibus, qui post auditam concionem, post libri pii lectionem, incipiunt versari in anxietate quoad praeteritas operationes. — S. Th. 1. p. q. 79. a. 3., *de Verit.* q. 17. a. 1. 2.

98. *Quaenam sint moralis conscientiae partitiones?* — Si in illo syllogismo, qui efformandus est, ut conscientia habeatur, maior propositio, seu lex, semper evidenti certitudine constaret, et minor propositio, seu quod haec vel illa actio in lege contineatur, semper etiam evidenti certitudine constaret, non daretur nisi unica conscientia, conscientia certa et recta. Sed, cum et lex et applicatio legis colligendae saepe sint vi difficilis ratiocinationis, hinc variae adsunt species conscientiae. — Dividitur ergo: 1.° In conscientiam *rectam* et *erroneam*. Recta illa est, quae dictat quod est verum; erronea, quae dictat tanquam verum quod falsum est. Conscientia erronea, alia est *vincibiliter*, alia *invincibiliter* talis, prout error moraliter vitari potuit ac debuit, vel moraliter vitari non potuit. 2.° In conscientiam *certam*, *probabilem*, *dubiam*, *strictam*, *laxam*, *scrupulosam*, prout fundatur in motivo certo, probabili, dubio, strictiori, laxiori, vel omnino inani. Conscientia, subiective tantum certa, quae nempe talis existimatur, adeoque certitudine latius accepta, itemque conscientia probabilis et dubia potest esse obiective recta vel erronea. Ad erroneam vero scrupulosa, stricta et laxa revocantur. Absque enim sufficienti ratione, *scrupulosa* peccatum timet, ubi peccatum non est; *laxa* iudicium in favorem libertatis inflectit, vel ad legem simpliciter vitandam, vel ad eius minuendam obligationem; *stricta* vero vel obligationem quae non adest, vel graviorem quam reapse adsit, affirmat. — Suarez D. 12. S. 2., S. Th. 1. 2. q. 19. a. 3. a. 6. ad 2.

II. — DE CONSCIENTIA CERTA

99. *Quid conscientia certa; et quaenam eius vis directiva?* — R. ad 1.um Conscientia *certa* proprie est ea conscientia, quae innititur motivo certo; et consequenter iudicat de honestate vel turpitudine actionis faciendae absque formidine errandi. Minus vero proprie est, quae simpliciter

absque ullo errandi formidine iudicat de honestate vel turpitudine actionis. Haec subiective tantum, illa etiam obiective certa est.

Ad 2.um Vis directiva conscientiae certae sequentibus propositionibus declaratur, n. 100. 102.-106.

100. *Nefas est agere sine conscientia subiective certa de actionis honestate.* — Prob. Qui agit sine hac conscientia, vult actionem, de cuius honestate vel turpitudine incertus est. Atqui velle actionem, de cuius honestate vel turpitudine quis incertus est, nihil aliud est quam eam velle sive bona sive mala sit. Atqui iterum velle actionem sive bona sive mala sit, illicitum est; nam haec est voluntas consentiens in malum. Ergo. — S. Th. 1. 2. q. 19. a. 3. 5., Quodl. 3. a. 27. ad 2., L. l. 1. n. 3., Suarez D. 12. S. 3., E. M.

101. *Nota:* Peccatum ex hoc praecise, quod sit contra conscientiam non habet specialem malitiam, nisi fiat ut conscientia vincatur. Ratio 1.i est, quia hoc est intrinsecum et commune omni peccato, ut sit contra conscientiam. Ratio 2.i est, quia habetur tunc contemptus directe volitus regulae omnis bonae operationis, et sic exponitur quis periculo omnium scelerum, quod uti patet specialis, eaque gravissima inordinatio voluntatis est, contra naturalem inclinationem voluntatis in bonum. — Lessius in q. 19. a. 6. D. 3.

102. *Sola conscientia subiective certa est regula morum. Sufficit autem conscientia moraliter certa.* — Prob. 1.a p. Nam, ut constat ex priori prop., n. 100., sine hac conscientia nequit quis agere. Praeter hanc conscientiam alia subiective perfectior non datur. Ergo cum hac sola potest quis agere; adeoque sola haec conscientia est regula morum. Prob. 2.a p. 1.° Ex communi dd. sententia, et praxi universali. 2.° Quia plerumque alia certitudo haberi nequit; et nemo necessario peccat. 3.° Quia, stante ista morali certitudine, quis prudenter agit, nam certitudo moralis licet non excludat omne dubium tum prudens, tum imprudens; excludit tamen omne dubium prudens. Ergo. — S. Th. 2. 2. q. 70. a. 2.

103. *Fas est agere iuxta conscientiam certam, at invincibiliter erroneam.* — Prob. Qui sic agit vult quantum in se est actionem bonam, et non nisi in actionem bonam consentit. Atqui ius est velle hanc actionem. Ergo. Prob. mai., nam nihil volitum nisi praecognitum. Ergo, stante conscientia invincibiliter erronea, qui iuxta eam agit vult quantum in se est actionem bonam, et non nisi in actionem bonam consentit. — L. l. 1. n. 5., Elbel. 126.

104. *Nefas est agere contra conscientiam certam, at invincibiliter erroneam.* — Prob. Qui sic ageret vellet actionem, quam iudicavit prohibitam; nollet quam iudicavit praeceptam. Atqui nefas est habere hanc voluntatem, quia est voluntas consentiens in malum. Ergo. « Dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione, sive recta, sive errante, semper est mala ». S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5., 2. D. 39. q. 3. a. 3., Quodl. 3. a. 27., L. l. c., Caietan. in 1. 2. q. 19. a. 5., Suarez D. 12. S. 4.

105. *Fas est agere iuxta conscientiam certam, licet vincibiliter erroneam.* — Prob. Quia cum actio iudicetur honesta vel turpis cum certitudine, voluntas agens secundum hanc conscientiam honestum prosequitur, et turpe fugit, quod omnino licet. Quod autem conscientia haec sit vincibiliter er-

ronea, hoc non facit quod, quando quis *actu agit* secundum eam, peccat; sed hoc facit quod culpa sit solum *in causa*, unde etiam est, quod iudicium de eius gravitate vel levitate ferendum est non ex gravi vel levi effectu, sed ex gravi vel levi negligentia in veritate inquirenda. Iam vero *quando quis actu agit*, si nullo pacto attendit ad erroneam quam habet conscientiam, et de ea nullam habet suspicionem, siquidem conscientia *certa* ex hypothesi hic et nunc est, iam non *ex vincibiliter erronea*, sed *ex invincibili* conscientia agit. — La-Croix l. 1. n. 42. 43. 757. 760.

106. *Nefas est agere contra conscientiam certam, at vincibiliter erroneam.* — Prob. Quia tunc quis ageret contra iudicium certum; et vellet actionem quam iudicat prohibitam, nollet actionem quam iudicat praeceptam; quae voluntas mala est; nam in malum afficitur. Ergo. S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. 6., Suarez D. 12. S. 4., Elbel 122. 137. 138., L. l. 1. n. 4., La-Croix l. 1. n. 42. 43. 757. — « Et ideo dicendum est, quod omnis conscientia, sive *recta* sive *erronea*, sive in per se malis, sive in indifferentibus est obligatoria; ita quod qui contra conscientiam facit peccat ». S. Th. Quodl. 3. a. 27.

107. *Nota:* « Peccatum contra conscientiam commissum habet suam speciem ex materia particulari, in qua putatur versari; vel ex ordine ad particulare praeceptum, cui putatur adversari, v. g., si putes rem, quam accipis non esse tuam, attamen revera tua sit, erit peccatum furti; si putes esse contra obligationem voti, erit peccatum sacrilegii. Ratio est, quia peccata accipiunt speciem ex obiecto vel actionis externae vel voluntatis. Nec refert, sitne hoc obiectum revera malum, sed an apprehendatur ut malum; quia voluntas fertur in illud, prout a ratione proponitur ». Lessius in q. 19. a. 6. D. 3., S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. ad. 3.

108. *An quis laborare possit conscientia invincibiliter erronea quoad prava desideria, aliosque actus mere internos, si nempe nulla exterior actio sequatur?* — De desiderio explicite et generatim loquens Elbel haec habet n. 127.: « Quod multi saltem e rudioribus, et minus eruditis, inculpabiliter possint sibi persuadere huiusmodi desideria non esse mala, nisi opere compleantur, videtur satis certum, quod et Sanch., Stoz, La-Croix expresse docent ». Hanc opinionem, ait S. Alph. l. 1. n. 9., « nunquam probabilem censere potui... Cum aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo ». Huius sententiae ratio est, quia, si quis certo cognoscit malitiam actionis externae, et *vult* tamen illam exequi, iam cognoscit se *velle* malum. Quomodo ergo a peccato excusabitur? Quoad simplicem vero delectationem facilius ea invincibilis ignorantia adesse potest; tendentia enim voluntatis in malum tam evidens non est, uti in desiderio de se *efficaci*. Idemque etiam de desiderio *inefficaci* dicendum videtur.

109. *An dari possit conscientia invincibiliter erronea circa praecepta iuris naturae?* — « Certum est, quod in primis iuris naturalis principiis, aeque ac in proxime conclusionibus et certis obligationibus proprii status non datur invincibilis ignorantia, quia lumine ipso naturae talia omnibus nota sunt, praeterquam illis, qui oculos claudunt, ne ea videant... Contra vero unanimis theologorum sententia est... in conclusionibus, mediatis et obscuris seu remotis a principiis, utique dari et admitti debere ignorantiam invincibilem ». L. l. 1. n. 8. 170. seqq., Struggl Tr. 3. q. 1. n. 10.-13., S. Th. Quodl. 3. a. 26., *de Verit.* q. 17. a. 2.

110. *An pueri malitiam pollutionis invincibiliter ignorare possint?* — R. Affirmative, absolute loquendo, saltem in aliquo raro casu, et in principio pravae consuetudinis. Ratio, nam quod adspectus, vel tactus impudicus, aut captatio voluptatis ex pollutione procurata, vel etiam naturaliter exorta, etc. sint moraliter mala, et illicita, non ita evidenter innotescit ex ipsa comprehensione primorum principiorum, sed opus est discursu ad deprehendendam eorum malitiam. Ergo malitia eorum potest saltem ad aliquod tempus inculpabiliter ignorari. Ex quo facile concludet prudens confessarius, in tali contingentia facti, caute et prudenter esse procedendum; quae cautela et prudentia, si cum omnibus speciatim in materia castitatis observanda est, maxime vero cum pueris et puellis. Elbel 128., Struggl l. c. n. 13.

III. — DE CONSCIENTIA PROBABILI

111. *Quid conscientia probabilis; et quaenam eius vis directiva?* — R. ad 1.um « Conscientia probabilis est, qua quis innixus aliqua opinione probabili, format sibi practicum dictamen rationis ex certis principiis reflexis, sive concomitantibus, ad licite operandum ». L. l. 1. n. 40. Sic, e. g., Titius confessarius, *opinione probabili* innixus, iudicat se probabiliter iurisdictionem habere. Deinde vero ait, et hoc est, in casu, *principium reflexum.* Atqui stante, in casu, iurisdictione vere probabili, Ecclesia eam certo supplet. Ergo, concludit, et est *practicum conscientiae dictamen,* valide et licite, in casu, absolvere possum; et absolvit.

Ad 2.um Vis directiva conscientiae probabilis sequentibus propositionibus declaratur, n. 113. 114. 116. 118. 119.

112. *Nota:* « Diversas dari probabilitatum species... Opinio *tenuiter probabilis* est, quae aliquo fundamento nititur, sed non tali, ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere... *Probabilis* est, quae gravi momento nititur, vel intrinsecae rationis, vel extrinsecae auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. *Probabilior* est, quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria etiam probabilis censeatur. *Probabilissima* est, quae nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur vel *tenuiter*, vel *dubie probabilis...* Opinio sive sententia *moraliter certa* est, quae omnem prudentem formidinem falsitatis excludit, ita ut opposita reputetur *omnino improbabilis.* Opinio demum *tuta* est, quae recedit ab omni peccandi periculo. *Tutior* vero, quae magis a tali periculo recedit, tametsi rationibus firmioribus non nitatur ». L. l. c. — At presse magis haec S. D. de opinione *probabilissima*, H. A. Tr. 1. n. 65.: « Nisi velimus opinionem *probabilissimam* cum opinione *absolute certa* confundere, opus est dicere, quod opinio contraria probabilissimae non est *tenuiter probabilis*, sed *dubie probabilis* ». Ratio, quia opinio probabilissima « inter fines probabilitatis est », adeoque « non excludit omnem prudentem formidinem ». « Tenuis vero probabilitas non est vera probabilitas, adeoque non affert secum prudentem rationem. At dubia probabilitas aliqualem affert prudentem rationem, licet non omnino certam et stabilem ». Cf. etiam. Op. Mor. l. 1. n. 85. — Verum, ne verborum sit ca-

villatio, ad nos quod attinet, non alias agnoscimus opiniones intra limites *verae probabilitatis,* nisi opinionem *probabilem, probabiliorem, probabilissimam. Infra probabilem* non est nisi *non probabilis, improbabilis,* cuius vero varii gradus esse possunt: *supra probabilissimam* non est nisi *certa.* Probabilis *immediate* opponitur, oppositione comparationis, probabiliori; *mediate* vero probabilissimae; itemque probabilissima *immediate* opponitur probabiliori, mediate vero probabili; nisi *probabilissimam* cum *certa* reapse confundere quis velit.

113. *Cum conscientia, practice probabili, quae nempe proxime actionem dirigit, hic et nunc reapse ponendam, nefas omnino est operari.* — Ut enim iam diximus n. 102., sola conscientia subiective certa morum regula est. Atque hoc sensu falsum consequenter est effatum illud: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* L. l. 1. n. 58. 69. 80. Quare tota quaestio hic est de conscientia *speculative probabili;* quae nempe *remote* tantum actionem dirigit, enuntians probabilem existentiam legis, an nempe ope alicuius ratiocinii gradum iure facere possimus a conscientia *speculative probabili,* ad conscientiam *practice certam;* vel quod idem est, an, stante probabili opinione de honestate alicuius actionis in *generali,* possimus nobis certam conscientiam efformare de honestate talis actionis in *particulari* et *individuo* casu, et sic licite sequi in praxi opinionem speculative probabilem. Ad *hanc quaestionem* resolvendam seqq. statuimus propositiones.

114. *Non licet practice sequi opinionem tenuiter probabilem, tutiore relicta.* — Id primo constat ex pr. 3.ª d. ab Innoc. XI. Insuper opinio *tenuiter probabilis* est opinio *tenui* innixa motivo; tenue autem motivum est motivum minime sufficiens ad movendum ad assensum virum gravem seu prudentem, adeoque vere probabilis non est. Enimvero opinio vere probabilis ea dicitur, quae tali innititur motivo, ut sufficiens sit ad movendum ad assensum virum prudentem. Atqui, si talis opinio insufficiens est ad movendum virum prudentem ad iudicium de non existentia legis, impossibile est sibi efformare conscientiam de liceitate actionis. — L. l. 1. n. 40., E. M.

115. *Resolves:* 1.° Ex cit. pr. d. ab Innoc. XI., tum quia agitur in ea de *tenui* etiam *probabilitate,* tum quia nimis generatim asserit, quod *semper prudenter agimus,* dum probabilitate confisi aliquid agimus, nihil contra probabilismum erui potest. Nam *tenuis probabilitas* non est vera probabilitas. Neque vero probabilismus extenditur ad casum, ubi agatur de veritate rei et fine absolute obtinendo.

2.° Hinc neque licet practice sequi opinionem *dubie probabilem.* Opinio enim *dubie* probabilis est opinio innixa motivo dubio, de quo nempe prudenter dubitari potest, an sit sufficiens ad movendum ad assensum virum prudentem. Evidens autem res est, quod vir prudens in rebus gravis momenti, non innitatur huiusmodi motivo; unde, si res reapse non bene succedat, omnes eum iure merito imprudentiae insimularent. Gravior autem res est moralis bonitas vel malitia humanorum actuum, quam quodlibet aliud temporale negotium. Insuper, stante dubia hac probabilitate, impossibile est sibi efformare dictamen practicum moraliter certum de liceitate actionis.

3.° Opinioni ergo *tenuiter* probabili opponitur opinio *graviter* probabilis, opinioni *dubie* probabili opponitur opinio *certo* probabilis. Non de-

sunt, qui opinionem *dubie* probabilem et *tenuiter* probabilem inter se confundunt. *Practice* quidem saepe confunduntur: sed *speculative*, attenta natura rei, inter se omnino distinguuntur. Cf. 112. 116., La-Croix l. 1. n. 126.

116. *Non licet sequi opinionem probabilem, de ipsa rei obiectiva veritate, ubi agatur de fine absolute obtinendo, tutiore relicta.* — Prob. Qui absolute tenetur ad finem, is ea tenetur seligere media, quae finem obtinendum in discrimen minime adducant. Atqui opinio probabilis, cum falsa esse possit, periculum affert frustrandi finem, absolute obtinendum. Etenim obiectiva veritas seu existentia rei haud sane habebitur, si opinio circa ipsam probabilis sit falsa. Ergo. L. l. 1. n. 42. Dicitur *absolute obtinendo*, « quando scilicet ex iustitia vel caritate vitare (quis) damnum tenetur, quod in re ipsa subest », Suarez ap. S. Alph. Op. Mor. edit. Rom. a. 1757. l. c. n. 33., vel periculum eius. Tunc utique « in dubiis via tutior est eligenda ». C. *Illud* 5. *de Cler. exc.* Casus item addendus est, quo quis ad tutius teneatur ex speciali positiva aliqua lege vel praecepto, vel contractu, vel voto. — Suarez D. 12. S. 5. n. 8., S. 6. n. 10., L. l. 2. n. 10., l. 6. n. 918. p. ult.

117. *Resolves:* 1.° Non licet sequi opinionem probabilem, sed tutiorem omnino seligere debemus in iis omnibus, quae necessaria sunt, *necessitate medii*, ad salutem; ubi factum ipsum, seu rei veritas unice attenditur. Hinc religionem magis tutam amplecti debemus. Pr. 4. d. ab Innoc. XI., L. l. 1. n. 43.

2.° In collatione sacramentorum tenetur minister sententiam sequi tutiorem, *nisi adsit necessitas*, vel *Ecclesia suppleat;* agitur enim iterum de veritate rei. Non haberentur autem sacramenta, nisi reapse ponerentur, quae Christus ad eorum valorem instituit. Pr. 1. d. ab Innoc. XI. — *Nisi adsit necessitas;* « etenim in extrema necessitate bene uti possumus qualibet opinione, non solum probabili, sed etiam tenuiter probabili pro valore sacramenti... modo sacramentum conferatur sub conditione; quia conditio satis reparat sacramenti iniuriam, si forte invalide conferatur, et contra necessitas sufficiens et iusta est causa sacramenta conditionate conferendi ». L. l. 1. n. 49. — *Nisi Ecclesia suppleat;* nam « licite uti possumus opinione probabili, ubi praesumitur Ecclesia supplere, ut evenire potest in sacramento matrimonii ad convalidandum contractum, probabiliter tantum validum, si forte contractus ille est nullus ob impedimentum, quod Ecclesia supplendo aufert, et in sacramento poenitentiae ad supplendam iurisdictionem confessarii, si forte illa desit ». L. l. 1. n. 50.

3.° Medicus tenetur adhibere medicamenta tutiora, quae in casu haberi possunt; agitur enim hic de ipso effectu obiectivo, h. e. de sanitate infirmi, absolute obtinendo. Et sane medicus non solum ex caritate, sed etiam ex iustitia, ratione officii et taciti contractus, tenetur providere meliori modo saluti infirmi, a quo stipendium accipit. L. l. 1. n. 44.

4.° Iudex iudicare non potest iuxta sententiam minus probabilem; ipse enim tenetur ex praecepto divino et humano ius suum cuique tribuere. Pr. 2. d. ab Innoc. XI., L. l. 1. n. 47.

5.° Venator, qui probabiliter iudicat obiectum, in sylva latens, esse hominem, ferire non potest, licet probabilius iudicet esse feram. Nam ex una parte proximus habet ius certum vitae suae, ex altera maior probabilitas non facit, ut si revera sit homo, ictu non pereat. L. l. 1. n. 52., H. A. Tr. 1. n. 33.

6.° Quando scandala gravioraque mala imminent, tutior eligenda est pars, qua evitentur, ut omnium consulatur utilitati. C. *Illud* 5. *de Cler. exc.* — E. M.

118. *Licet sequi opinionem probabilissimam, et etiam probabiliorem, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate agatur.* — *Honestas actionis*, de qua hic agitur bene diversa est ab *effectu ipsius actionis*, seu *a veritate rei*, de qua in praeced. prop. Honestas humanae actionis dependet a dictamine conscientiae, quae est regula proxima humanorum actuum; effectus actionis, seu veritas rei, dependet ab ipso facto actionis. Illa subiectiva est, haec obiectiva. — Prob. 1.ª p. ex. pr. 3.ª d. ab. Innoc. XI. — Prob. 2.ª p. eisdem rationibus ac prop. sequens. — L. l. 1. n. 40. 54., Suarez D. 12. S. 6. n. 8., E. M.

119. *Licet sequi opinionem vere probabilem, relicta tutiore, aeque probabili, vel etiam vere probabiliori, ubi de sola actionis honestate agatur.* — Prob. 1.° Statuta propositio constat ex plurium et gravissimorum theologorum auctoritate, qui non solum eam tradunt, verum etiam eam tanquam doctrinam *communem* affirmant. Atqui, qui doctrinam sequitur in praxi, quam plures iique gravissimi theologi docent, et quam doctores communiter tradunt, prudenter agit, qui autem prudenter agit, honeste agit. Ergo.

Prob. maior. — Haec Suaresius, quem audire totam scholam audire est, de Relig. tom. 4. Tr. 9. l. 4. C. 15. n. 21.: « Iuxta *communem doctrinam* per se licet practice sequi opinionem probabilem circa honestatem actus, relicta probabiliori ».

Haec doctissimus et eruditissimus Lucius Ferraris in sua Biblioth. Canon. v. *Conscientia*, n. 78.: « Potest homo licite sequi opinionem vere quidem, sed minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori, et tutiori, quando tamen agitur de sola honestate actionis, an licita sit, vel non, *est iam fere communis*, eamque docent *innumeri doctores*, tam *recentes* quam *antiqui*, quos omnes adducere nimis esset oblongum et operosum ».

Haec Lugo, de quo S. Alph. l. 3. n. 552. ait, quod « post D. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps dici potest », de Poenit. D. 22. n. 39.: « Nemo tenetur in operando sequi opiniones probabiliores, sed potest sequi probabiles, regulariter loquendo ». Et in Resp. Mor. l. 1. D. 26. idem supponit tanquam indubium omnino, et communiter receptum.

Doctissimus Struggl Tr. 1. q. 4. a. 2. n. 18.: « In materia iuris, inquit, seu quando quaestio immediate solum est de licentia actionis, licitum est sequi sententiam minus tutam, et minus probabilem, in concursu probabilioris et tutioris; dummodo illa sit certe et vere probabilis. *Ita communissima recentiorum et plurium aliorum ex omni schola*... » Et ib. inferius: « Si non esset licitum sequi sententiam minus, vere tamen probabilem, tunc nostra praesens conclusio contineret *errorem universalem*... Quia praesens nostra conclusio non solum est generalis regula pro usu opinionum probabilium, sed etiam post Medinam, qui scripsit a. 1577., ita invaluit, ut uni adversario auctori iamdudum decem ex nostrae sententiae patronis opponi potuissent, ut testatur P. Esparza in append. a. 2. n. 32. ».

La-Croix, communissime a dd. laudatus, l. 1. n. 268. seqq.: « Probatur licitum esse sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore... *communi consensu* dd., nam ex omni aetate, statu, conditione afferri possent pro

hac sententia auctores typ. edit. plures quam 160., teste Arsd., Teril. citat eorum 200., plerosque a se inspectos; Gob. addit alios 25., plures alios addit Moya». Et ib. n. 478. seqq.: «Licitum esse sequi opinionem probabilem, relicta tutiore... docent auctores *communissime*».

Eruditissimus et doctus Pignatelli Consult. Can. T. 4. Cons. 112. n. 3. 4.: «Opinio probabilis, sicut excusat a peccato *ex quam plurimis et doctissimis viris,* nempe Vasquez... In iis quae sunt iuris, licet sequi opinionem quamcumque probabilem, etiamsi sit minus probabilis, et minus tuta... Quia omnis opinio probabilis est intra terminos rectae rationis, alioquin non esset probabilis», etc. Et T. 1. Cons. 182. n. 1.: «*Plurimi docent* inter duas opiniones probabiles arbitrium esse in praxi adhaerere laxiori, idque non modo si haec sit probabilior, sed etiam si minus probabilis».

Vasquez, praestans sane theologus, in 1. 2. D. 62. c. 4. n. 14., «veram, ait, existimo sententiam, quam sequitur Barthol. Medina, iamque in scholis multo ante *communis* fuit, nempe viro docto licitum esse contra suam opinionem, quam probabiliorem arbitratur, operari secundum opinionem aliorum; etiamsi opinio aliorum sit minus tuta, et suo iudicio minus probabilis, dum tamen ratione et probabilitate destituta non sit». Et inferius c. 8. n. 42. 43., virum illiteratum, ait, sequi posse opinionem viri docti et probi.

Elbel, quem S. Alph. l. 3. n. 51. doctum appellat, Conferent. 7. de Consc. n. 185.: «Per se loquendo non est illicitum sequi minus probabilem in quaestionibus iuris, i. e. quando agitur de sola honestate, seu liceitate alicuius actionis. Ita hodie *satis communiter* doctores, Terillus, Manstrius, Herincx, Sporer, Reiffenstuel, Felix Potestas, Ilsung, Castropalaus, La-Croix, Stoz, Banbestuber, *et innumeri alii*, ita ut Stephanus Spinola merito scripserit, hanc opinionem esse recentiorum omnium calculo, et *universali* pene populorum *usu* confirmatam».

Castropalaus, gravissimus theologus, Tr. 1. disp. 2. punct. 2. n. 2.: «*Communis sententia est,* et mihi probabilior, eligi posse opinionem minus probabilem et tutam, relicta probabiliori propria et tutiori: Sic tenent Valent., Pasq., Salas innumeros referens, Navarr., Sayrus., Thomas Sanchez, pluribus relatis, Joann. Sanchez, illos et alios plures allegans».

Sporer, gravis omnino theologus, super Decal. Tr. 1. n. 41.: «Inter opiniones diversas et oppositas de eadem re, quarum quaelibet est vere probabilis, per se loquendo, et quantum est de honestate actionis, licite quilibet potest sequi quamlibet; etiam minus probabilem, et minus tutam, etiam contra propriam opinionem probabiliorem vel tutiorem visam, et quidem aliquando etiam debet, praesertim subditus et confessarius in iudicio sacramentali. Haec etiam adhuc est *communior et tuta*». Idemque tanquam «multo probabilius» docet Sanchez, Moralista praestantissimus, in Decal. l. 1. c. 9. n. 14., etc.

Ceteris omissis, haec S. Alph. in Dissert. de usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris edit. alt. Neap. 1755.: «Ultimam benigniorem et *communissimam sententiam* probandam aggredimur, nempe licitum esse uti probabili opinione *etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum*».

Prob. minor. — Etenim «puto, ait S. Alph., licet in alia quaestione, l. 6. n. 460. par. *Haec autem,* nequaquam errare eum, qui se dirigit cum sententiis *communiter* receptis ab huiusmodi dd. *non humilis notae.* Dicere

autem, quod ipsi scripserint ex passione affecti, ut suae ipsorum doctrinae cum plausu exciperentur, vel propter aliquid huiusmodi, non videtur carere aliqua labe temeritatis. Quod, si hoc non est censendum, non debet credi hos tam graves dd. a Deo lumine suo fuisse destitutos, in re, quae directionem respicit conscientiarum totius populi christiani: tanto magis, quod circa tales sententias nulla Ecclesiae proscriptio intercessit. Nec officit, quod plures opiniones, quae circumferuntur, non sunt ab Ecclesia damnatae, et tamen ab aliis communius, ut laxae reputantur; nam Ecclesia non omnes opiniones, quae casus particulares respiciunt, damnat, quamvis non approbet; sed sententias, quae *universalitatem conscientiarum* spectant, Ecclesia nec approbat, nec tacet, ut dixit S. Aug. Epist. 119.: Ecclesia Dei multa tolerat, et tamen quae circa fidem sunt vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet». — Struggl l. c., L. 1. 3. n. 669. versus fin. *Hoc unum*, etc.

Et quoad hanc ipsam quaestionem in Dissert. modo citata haec mox addit S. D.: «Adde his potissimum argumentum, nimirum, quod si sententia benigna fuisset falsa, *minime quidem communiter a doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta fuit*, aut saltem Ecclesia eam non tolerasset, permittendo, quod animae *communiter* per hanc perditionis viam, ut adversarii clamitant, a talibus caecis ducibus deceptae incederent».

Prob. 2.° Qui sequitur in praxi opinionem, quae sistit *intra terminos rectae rationis et prudentiae*, prudenter, et consequenter honeste agit. Atqui, qui sequitur in praxi opinionem vere probabilem, relicta probabiliori et tutiori, opinionem sequitur, quae sistit intra terminos rectae rationis et prudentiae. Ergo. — *Maior* per se constat. Ac Benedict. XIV. C. *Apostolica Constitutio* § 21. hanc quidem tradit agendi regulam, ut nempe sententiam sequamur, *quam ratio suadet, ac firmat auctoritas.* Insuper minime est consentaneum rectae rationi, et divinae praecipue bonitati, velle obligare hominem ad illud utcumque praestandum, quod homini ipsi post diligentem inquisitionem *prudenter incertum* manet, an ab ordine exigatur necne; praesertim cum huiusmodi dubia frequentissima sint ob ipsius humani intellectus infirmitatem. Hoc esset onera importabilia imponere. L. 58. 86., S. Th. 1. 2. q. 19. a. 10. ad 1. — *Minor* vero constat ex ipsa natura et definitione opinionis vere probabilis, quae non immutatur ex concursu alterius opinionis, licet probabilioris et tutioris. Idque aperte affirmat ipse S. Alph. in definitione opinionis probabilioris, eius enim contrariam ait, probabilem censeri. Cf. 112., Muzzarelli Dissert. de Regul. mor. opin. Romae 1807. pag. 30. seq.

Prob. 3.° Haec S. Alph. in suo Op. Mor. Theol. edit. 6.ª Romae a. 1767. «Duo sunt principia, quibus innixus licitum usum tueor opinionis probabilis. Primum, quod *lex dubia*, in conflictu duarum opinionum aeque probabilium, *non obligat, quia dubia lex non est sufficienter promulgata.* Alterum, quod *lex incerta nequit certam obligationem inducere, quia legis obligatio posterior est ad libertatem*, qua homo est donatus a Deo». Utrumque hoc principium fuse explicatur et probatur a S. D. l. 1. n. 66. seqq., H. A. Tr. 1. n. 37. seqq. Atqui quando adest opinio vere probabilis, licet in concursu sit alterius probabilioris et tutioris, utrumque principium adhuc verificatur, nempe quod *lex sit dubia* seu *incerta;* adeoque, ut ait S. D. explicans discrimen utriusque principii, neque lex habet virtutem actualiter obligandi, cum non sit sufficienter seu certe promulgata; «tunc

enim sufficienter promulgatum est *dubium*, an lex existat, sed non est promulgata *lex*», L. l. 1. n. 70. edit. Taurin. 1846., neque homo, certam suae libertatis possessionem habens, de illa tenetur se expoliatum reputare propter incertam legem; antecedenter enim ad omnem legem quisque suam possidet libertatem, cum prius concipiendus sit homo liber, indeque lex quae homini imponatur. Ergo. — L. 54. seqq.

Iam vero, quod lex in ea hypothesi sit reapse dubia seu incerta, ita ut *prudenter* talis existimetur, unde duplex illud axioma promanat; constat ex ipsa probabilitatis natura, ubi enim adest vera probabilitas, maior probabilitas per se minorem non destruit; idque communiter affirmant tum philosophi tum theologi, et expresse tradit S. Alph. l. 1. n. 40., ubi dicit, quod contraria *probabilioris probabilis* etiam censetur. Idem S. D. docet pluribus aliis in locis. Dissert. edit. a. 1755. n. 13. 17. 31. 32. 34. Hinc S. D. l. 6. n. 604. quaestionem movens: «An possit absolvi poenitens, qui vult sequi opinionem contrariam illi, quam tenet confessarius», respondet: «sententia *communis* et *sequenda* docet non solum *posse*, sed etiam *teneri* sub gravi (ubi nempe de materia gravi agatur, H. A. Tr. 16. n. 118.), confessarium absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem *probabilem*, licet opposita videatur *probabilior* confessario... Stante hac *communi sententia*, tot auctoritatibus et rationibus roborata, non video quomodo possit confessarius tuta conscientia absolutionem denegare volenti sequi opinionem, quae ipsi poenitenti *probabilis* apparet, immo forte *probabilior*, si non directe saltem reflexe, ut communiter sentiunt auctores probabilistae, qui sequendo opinionem *probabilem* in concursu *probabilioris*, existimant amplecti sententiam reflexe *probabiliorem*, utpote *gravioribus* fundamentis et *communissima doctorum* auctoritate firmatam». Eamdem habet doctrinam S. D. in ult. suo Op. H. A. Tr. 16. n. 118., cui vero sententiae non alios adiicit limites nisi sequentes: quod nempe «opinio poenitentis *aliqualem habeat probabilitatem*, ita ut confessarius, esto eam non habeat, ut solide probabilem, tamen non reputet *omnino falsam... evidenter erroneam*». Cf. etiam l. 1. n. 87., ubi S. D. post Gersonem ait: «Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, *ubi non sunt certissimi de re:* Nota, UBI NON SUNT CERTISSIMI». — Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 26. n. 3., Pignatelli Cons. Can. Tom. 8. Cons. 15.

Idem praetera evincitur ratione communiter adducta, et quam S. Alph. exponit in hunc modum in cit. Dissert. edit. a. 1755. n. 13., maior probabilitas non elidit minorem, «nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se *tam convincens argumentum*, ut contraria *vere improbabilis*, vel non amplius *graviter* et *certo probabilis* videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit *notabilis*, et probabilitas opposita *ex diversis principiis*, ut *fere semper* accidit in opinionum concursu, vim accipiat; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur». Enimvero probabilitas vel improbabilitas alicuius opinionis, idem non est ac eius veritas vel falsitas, ita ut una aliam excludat, sed condignitas est merendi assensum prudentem, orta ex gravibus motivis, quae licet maiora vel minora, alia aliis non contradicunt, si *ex diversis principiis* desumantur. Si vero argumentum exhibeant ita *convincens*, ut oppositum *improbabile* censeatur; iam extra casum sumus *maioris* vel *minoris* probabilitatis, siquidem altera opinio tunc erit certa vel probabilis, altera falsa vel improbabilis.

Prob. 4.° Innocentius III. coniugi impotentia laboranti indulsit experimentum triennale, C. *Laudabilem* 5. *de Frig.*, neque praescripsit videndum primum, utrum probabilior vel saltem aeque probabilis esset potentia. — Saeculo XVIII. Indis quibusdam in Regno Paraquariae ad fidem conversis, qui plures uxores habebant, quaestionibus super validitate eorum matrimoniorum subortis, Urbanus VIII. Joanni postea Cardinali De Lugo respondit: « Ubi dd. sententiae concurrunt utrinque probabiles, sequendas esse opiniones, pro conditione locorum et hominum barbaris *favorabiliores* ». Non dixit Urbanus *probabiliores* sequendas, neque dixit ubi concurrunt opiniones *aeque probabiles*, sed absolute ubi opiniones *probabiles* concurrunt. Carden. Cris. Theol. Diss. 2. § 553. — Ut lex sane obliget, debet esse sufficienter promulgata, S. Th. 1. 2. q. 90. a. 4. Atqui sufficiens legis promulgatio non habetur, si lex *certa* et *manifesta* non sit. Hinc Iure canonico generatim statuitur: « In his, super quibus Ius non invenitur *expressum*, procedas, aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare ». C. *Ex parte tua* 11. *de Transact.* Et Iure civili decernitur: « Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum est ». L. 20. De R. I. Ratio autem est, quia lex imponit necessitatem moralem, adeoque debet necessario ligare voluntatem. Sed necessario ligare voluntatem non potest, nisi *per scientiam.* Quare, seclusa scientia legis, voluntas moraliter libera manet. S. Th. *de Verit.* q. 17. a. 3. Iam vero, si probabilissima adest sententia contra legem, evidenter patet deesse legis scientiam. Certitudo enim et evidentia haberi non possunt cum opposita maxima probabilitate; quin immo nec cum simplici probabilitate. Unde S. Alph. ait: « Ad constituendam *legem dubiam* sufficit vera probabilitas in contrarium ». L. 1. n. 57. Ed. a. 1762. 1763.

Conf. 5.° auctoritate S. Thomae. Lex est quaedam regula et mensura. Ut *regula* dirigat et *mensura* metiatur applicari debet rei, quae debet dirigi et metiri. S. Th. l. 2. q. 30. a. 4. Lex ergo subditos, quos dirigit, attingere debet, *attingit autem per scientiam.* S. Th. *de Verit.* q. 17. a. 3. Proinde lex esse debet certa et evidens. Quare, si lex est *incerta,* si nempe non constat de *eius existentia,* si lex est *dubia,* si nempe legis sententia obscura sit, legis obligatio cessat; *praeceptum non ligat nisi per scientiam.* S. Th. l. c. Unde axiomata illa: *Lex incerta non potest certam obligationem inducere; Lex dubia non obligat.* Effectus enim nequit causam superare. Haec generatim omnino S. Thom., neque distinguit inter legem habentem contra se *minus* probabilem vel *aeque* probabilem, vel *magis* probabilem sententiam. Quare tota quaestio ex Angelico Doctore haec est: an lex, habens contra se *magis* probabilem, *aeque* probabilem, vel *minus* probabilem sententiam, dici possit *attingere* hominem *per scientiam,* eum *ligare mediante scientia, per scientiam, per virtutem scientiae.* Atqui *scientia* non datur, si contra sit vera probabilitas. Hinc omnis quaestio de peccato mortali periculose determinatur, nisi *expresse veritas habeatur.* S. Th. Quodl. 9. a. 15.

120. *An Propositio superius constabilita* n. 116. *sit exceptio quaedam probabilismi, quasi verus casus probabilismi?* — R. Negative. Nam, si probabilismus verus est, semper verus esse debet, et in omni casu verificari debet. Et sane probabilismus respicit ipsam formalem seu *subiectivam honestatem* vel *turpitudinem actionis;* minime vero *obiectivam* seu *realem*

existentiam vel *non existentiam effectus talis actionis.* Porro illa thesis praecise hunc effectum obiectivum obtinendum vel non obtinendum respicit. Si quis ergo in casu isto, quo effectus est absolute obtinendus, utatur opinione probabili, iste profecto peccabit, sed non peccabit praecise, *quia* utitur opinione *probabili de liceitate actionis,* sed *quia* utitur opinione probabili *de actus validitate,* exponens se periculo frustrandi effectum, absolute obtinendum. Tunc hic probabilismi casus esset, *quum probabilis opinio esset, licere sua actione exponere periculo effectum, absolute obtinendum;* quod probabilis opinio non est, sed falsa et erronea. Et sic, e. g., minister sacramentorum sequens in eorum administratione opinionem probabilem quoad eorum *valorem,* peccat quidem, minime sane, quia sequitur opinionem *probabilem* quoad *liceitatem actionis;* immo e contra, quia sequitur opinionem *omnino improbabilem* quoad *liceitatem* actionis; quia, cum effectus sacramenti certe obtinendus, nempe peccatorum remissio et infusio gratiae, dependeat a vera materia et a vera forma, adhibens quis materiam vel formam dubiam, exponit illud periculo carendi tali effectu, adeoque proximo nocumentum infert, et consequenter peccat. — S. Alph. Op. Mor. edit. Rom. a. 1757. l. 1. n. 33., Laymann l. 1. Tr. 1. c. 5. § 2. 3.

121. *Nota:* Exceptio et vera ac illogica exceptio probabilismi est, limitatio, quam nonnulli probabilistae, et aequiprobabilistae, probabilismo adiiciunt ex principio possessionis: *In dubio melior est conditio possidentis.* Quare, aiunt, lex quidem dubia, in dubio de existentia legis, non obligat, quia possidet libertas. Verum lex dubia in dubio de eius cessatione obligat, quia possidet lex. Hinc si est *probabile,* quod votum non emiseris, voto non obligaris. Si certo votum emisisti, et *probabile* est, quod satisfeceris, teneris adhuc ad satisfactionem. Verum ita dimidiate admittere probabilismum est admittere principia et negare conclusiones. Si lex dubia non obligat, praecise quia *dubia,* semper ac dubia est non obligabit. Porro tam dubia est lex in dubio de eius existentia, nempe de prima eius existentia; quam dubia est in dubio de eius cessatione, nam si probabilis est eius cessatio eo ipso dubia evadit ipsamet existentia legis. Lex autem obligans non est lex, quae extitit, sed quae existit, neque est lex quae existit in abstracto, sed quae, in praesenti, sua certa obligatione nos ligat. Atqui, si *probabilis* opinio habetur de legis cessatione, utcumque ea intelligatur, eius obligatio evadit dubia, eiusque existentia item evadit dubia; nempe iterum non ipsamet existentia legis *in abstracto,* sed eius obligandi vis in *concreto,* in casu particulari, hic et nunc. L. l. 1. n. 63. 78. Et sic, licet certum sit votum emissum, et aliquando existens, si probabiliter ipsi satisfecisti, votum istud certum, qua aliquando *existens,* evadit dubium, qua *te obligans* hic et nunc; et valet illud: *Lex dubia non obligat.* Possessio sane eatenus ius praevalens constituit, quatenus is, qui possidet, ipsa possessione demonstratur vel saltem praesumitur dominus rei, quam possidet. Quomodo vero potest id vel demonstrari vel rationabiliter praesumi, quando *vere probabile* est, seu *gravi probabilitate* oppositum constat? Tunc enim vera et gravi constat probabilitate possessionem non esse *legitimam,* quae unica est, quae *ius praevalens* constituere potest. Si enim solum possessionis *factum,* sine *legitimo titulo,* saltem rationabiliter praesumpto, praevalens illud ius constitueret, iam omnes fures et latrones praevalenti possessionis iure, alienam rem possent retinere.

Sed contra cl. D'Annibale edit. 3.ª P. 1. n. 268. asserit errare, qui id putant. Etenim, quoties inter duos aliquid controvertitur, causa possessoris ideo est potior, quia *actori incumbit onus probandi*, quod non iure aliquo positivo introductum, sed naturali iure et summa aequitate constitutum est. — Ita sane, sed cur naturale ius, et aequitas id constituit? nisi quia possessor rei demonstratur vel saltem praesumitur dominus rei, quamdiu actor non potuerit probare rem suam esse. Ipsum *materiale possessionis factum*, ius praevalens minime constituit in foro interiori, quoad ipsum ius dominii et proprietatis rei, sed tantum quoad probationem in exteriori foro, quae ab actore est contra possessorem instituenda, ob praedictam dominii praesumptionem. Praesumptio autem cedit veritati. Unde, si quis mala fide possederit, vel per longissimum tempus, etiam sponte et sine actoris probatione et petitione, rem restituere debet. Insuper nonne ipse D'Annib. praeced. n. 256. nota 5. asserebat: « Iustitia vetat damnum dare ei, qui est in certa possessione sui iuris... Dixi, *qui est in certa possessione sui iuris;* nam, si ius alterius *incertum est*, vel melior erit conditio possidentis, vel saltem quia nullum *ius certum* alterius laeditur, nulla erit obligatio restituendi ». Ecce quomodo ipse D'Annib. requirit *certam* et *legitimam* possessionem, ut reapse ea ius praevalens constituat. Ac ipsemet D'Annib. n. 259. nota 18. asserebat praeterea: « Scilicet *certitudo* contra veram *probabilitatem* non datur ». Quomodo igitur *certa* erit legis obligatio, si *probabile* est, quod iamdiu ea obligatio cessaverit? Vide etiam ibid. n. 169. Cf. 143., L. l. 3. n. 212. par. *Secunda*, n. 290., 325. par. *Infirmi*, n. 483., l. 4. n. 47.

122. *Quaenam sit vis extrinsecae probabilitatis?* — Nullum dubium, quod probabilitas extrinseca constituat opinionem vere et satis graviter probabilem. « Aliquis parvae scientiae, ait S. Th. 2. 2. q. 4. a. 3., magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur ». — Probabilitas haec ideo valet, quia non censetur quis loqui *sine gravi fundamento*. L. l. 1. n. 84. Hinc, si quis non sistit in *sola auctoritate*, sed *fundamentum* hoc *expendit*, probabilitas tunc extrinseca in intrinsecam resolvitur. — Aliquando vero extrinseca haec probabilitas ipsam intrinsecam probabilitatem constituit, nempe cum agatur de re quae valde pendet ab aestimatione sapientum, L. l. 3. n. 1032., de re scilicet potius *facti*, quam *iuris*, e. g., quaenam sit materia gravis in horis canonicis, in ieiunio, etc. — Opinio *extrinsece* probabilis designari solet per opinionem *communem*, *communiorem*, *communissimam*. De his haec Sanchez de Matr. l. 3. D. 44. n. 3., unde iudicium quis ferre potest de opinione *communi*, *communiori*, etc.: « Non dicitur communis opinio, quae plures dd. eam asserentes habet, nulla disputatione praemissa, sed perfunctorie, et ut aiunt per transennam illam sequentes... Quare optime Navarr. ait *communiorem* existimare opinionem, approbatam a sex dd. ex professo rem tractantibus, quam a. 50., sola fere priorum auctoritate ductis. Quibus adde Joann. Lupum... dicentem, non esse credendum dd. quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento ». — La-Croix l. 1. n. 164. 165., Muzzarelli Dissert. de Regul. mor. opin. Romae 1807. pag. 21. seqq., E. M.

123. *Nota:* A communi theologorum sententia « non est in re practica facile discedendum ». Lugo de Iust. et Iur. D. 16. n. 106. Hoc tamen non

est nimis scrupolose accipiendum, et multo minus extendendum. Hinc S. Alph. non dubitat affirmare, se « a multorum graviumque auctorum sententiis recessisse », l. 3. n. 547., et ib. inferius ait: « ubi ratio me convicit, non renui auctoribus pluribus contraire ».

124. *Resolves:* A conscientia *speculative* probabili, ad conscientiam *practice* certam gradum ergo facimus sequenti ratiocinio. Quod nulla certa lege vetitum est, licet. Atqui talis vel talis actio, quae vere probabiliter nulla prohibetur lege, eo ipso nulla certa lege vetita est. Ergo talis actio licet. Cum maior et minor huius syllogismi certa sit, conclusio et ipsa certa erit. Conclusio autem iudicium seu dictamen conscientiae continet. — Idem transitus fieri potest vi alterius ratiocinii. Qui agit secundum, quod prudentia dictat, agit honeste. Atqui ille qui agit secundum hanc vel illam opinionem probabilem agit secundum dictamen prudentiae. Ergo, qui agit secundum hanc vel illam opinionem probabilem agit honeste. Cum iterum maior et minor huius syllogismi certae sint, conclusio etiam certa erit. — L. l. 1. n. 67. 68. 69. 84., Muzzarelli Dissert. de Regul. mor. opin. Romae 1807. pag. 30. seq.

125. *An ad probabilitatem alicuius sententiae sufficiat auctoritas unius doctoris?* — R. Negative, ordinarie loquendo. Ratio, quia si est alicuius antiqui, et fuit ab omnibus deserta, hoc ipso ordinarie caret sufficienti fundamento. Si vero est alicuius recentioris, vel iste gravem affert rationem, vel non. Si 1.um, eius sententia ordinarie traditur etiam ab aliis. Si 2.um, nequit suam opinionem reddere aliis probabilem, cum nullam ad id afferat sufficientem rationem. Dicitur, *ordinarie loquendo,* nam si gravis aliquis auctor quaestionem aliquam pertractat, quam alii non tractarunt, et gravem afferat rationem, vel si sententiam sustineat contra communem opinionem, sed nova aliqua ratione, aliis incognita, eam sustineat; nihil impedit quominus suam opinionem vel solus probabilem reddat, sed mox ei alii plures adhaerebunt, si publice ea doctrina diffundatur. Et sic « notant Salm., etc. sufficere dictum eximii doctoris etiam moderni, asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur ». L. l. 1. n. 107.

126. *Nota* pr. 27. d. ab Alexandro VII., quae generalis est, et de auctore quocumque etiam humilis notae intelligi potest, et opinionem probabilem affirmat eo ipso quod non constet, reiectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem. E. M.

127. *An detur opinio speculative, non practice probabilis?* — R. 1.° Negative, *per se loquendo;* semper enim fieri potest ratiocinium supra constitutum, n. 124., si opinio *in se,* seu *speculative,* vere probabilis est, quo ad ipsam conscientiam practicam progrediamur. — 2.° Affirmative, *per accidens,* si nempe cum in usum deducatur ea opinio, adest semper vel fere semper extrinseca quaedam circumstantia, quae illicitum reddat usum talis opinionis, e. g., periculum lapsus, scandali, hallucinationis, etc. — Pignat. Cons. Can. T. 8. Cons. 15., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 26. n. 3., de Iust. et Iur. D. 10. n. 165. 189.

128. *An licite quis sequi in praxi possit diversas opiniones probabiles sibi favorabiles, licet inter se oppositae illae sint?* — Nemo prohibetur uti modo una opinione probabili, modo contraria etiam probabili. Nam, si tibi licet alteram sequi, mihi alteram, utramque utrique etiam licebit

sequi, minime enim eo quod una quis usus fuerit, altera probabilis ac tuta esse desinit. — In una eademque re non licet sectari opinionem probabilem qua prodest; qua vero nocet non eam, sed contrariam sequi. Nam, ut patet, aperta contradictio est. Et sic, e. g., cum alii affirment testamentum legalibus formalitatibus destitutum esse validum, alii negent; illicite ageret, qui ob hanc duplicem opinionem vellet sibi haereditatem acquirere ex testamento minus solemni, et nollet ex eodem legata praestare. — Non licet duplici simul probabilitate uti non existentiae duplicis praecepti, cum certa est alterutrius transgressio. Et sic, e. g., urget hodie lex abstinentiae, volo cras ad communionem accedere, probabile autem est mediam noctem esse iam elapsam, probabile etiam oppositum, non licet certe manducare carnem et simul ad sacram communionem accedere. — Elbel de Act. hum. 190. seqq.

129. *An expediat rigidiores opiniones benignioribus praeferre.* — « Ubi agitur de removendo poenitente a periculo peccati formalis, confessarius debet, generaliter loquendo, et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti; ubi vero opiniones benignae proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae auctorum opiniones, v. g., quoad vitandas occasiones proximas, et aliae id genus; tunc semper expedit, ut confessarius utatur, immo dico, quod ipse ut medicus animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt ». L. l. 1. n. 87., l. 3. n. 547. — Ubi poenitens paratus sit sequi dictamen confessarii, quodcumque fuerit, tunc « spectat ad prudentiam confessarii perpendere, utrum tutioris vel minus tutae sententiae usus suo poenitenti sit profuturus..., quia licet id per se sit tutius et perfectius, tamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias ». L. l. 6. n. 605. — Generatim in praxi, confessarius potius, quoad fieri potest, debet esse benignus, quam rigidus cum poenitentibus. L. l. c. Id et PP. et thth. auctoritate constat, quos citatos habes ap. S. Alph. l. c. et l. 1. n. 86. par. *Ego*, et n. 89. vers. fin. *Praeterea res*, H. A. Tr. 1. n. 79.

130. *An confessarius scire debeat omnes opiniones probabiles?* — « Non est obligandus confessarius ad notitiam omnium opinionum probabilium, sed ad eam scientiam, quam mediocriter docti communiter habent; sicut advocatus, iudex, medicus, aut artifices etiam non obligantur ad summam et exquisitam scientiam et peritiam in sua professione, sed ad mediocrem iuxta gradum sui muneris et conditionis... sic poenitens a confessario obvio non debet exigere nisi notitiam communem de peccatis communibus et communibus etiam opinionibus; si vero subtiliora remedia desideret, adeat confessarium doctiorem ». Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 26. n. 2.

IV. — DE DOCTRINA S. ALPHONSI CIRCA PROBABILISMUM

131. Cum maxima sit in re morali auctoritas S. Alphonsi, et recentiores plures negent, S. D. stare pro probabilismo simpliciter tali; sed aequiprobabilismum docere affirment, probabilismum vero tanquam doctrinam laxam reiicere; hinc speciatim hic movemus quaestionem de mente sancti

Doctoris, quamvis in praecedenti articulo fere constanter usi simus ipsius sententiis et etiam verbis ad probabilismi doctrinam constabiliendam. E. M.

Ne dubium hac in re sit, et fideliter mentem S. D. exponamus, eius doctrinam desumimus ex Tr. de Consc. in eius Op. H. A., quod ipse ibidem n. 79. declarat se morti proximum scripsisse. Porro haec habentur n. 33. 77. « Tertia quae nostra est sententia dicit, quod quum opinio, quae libertati favet est *aeque probabilis*, atque opinio quae legi favet, sine dubio et licite sequi potest... Hic opus est, ut ego quid circa meum systema moneam, quod est omnino monendum, et est, quod cum dubitatur, an opinio legi favens sit *aeque probabilis* aut *parum probabilior*, tunc locum habet idem principium quod *lex dubia non obligat;* tali enim casu, ipsa lex non desinit esse *stricte dubia;* nam tunc quamvis *aliqua* pro lege *maior* adesset *probabilitas* cum dubitatur, an haec maior probabilitas adsit vel ne, praeponderantia erit tam levis et minima, ut nihil facienda sit prae illo effato communiter ab ipsis adversariis admisso, quod *parum pro nihilo reputatur.* Secus autem esset; quando *excessus esset evidens, atque certus,* quia tunc opinio legi favens erit *certe* et *multum probabilior;* ideoque tunc, uti a principio dictum fuit, *lex est iam moraliter promulgata,* ideoque obligat, et est procul dubio observanda ».

132. *Duo hic sunt investiganda:* Primum est, quid S. Alph. intelligat per opinionem *evidenter* et *certe multo probabiliorem.* Si enim intelligit opinionem *vere* et *proprie* probabilem, contra nos est; si vero intelligit opinionem, quae probabilitatis limites praetergrediatur, et *certitudinem attingat,* pro nobis erit. Alterum est, quid iterum intelligat S. D. per opinionem *aeque probabilem* aut *parum probabiliorem,* si enim illud *parum probabilior* denotat *tenuem* excessum probabilitatis, prout a *maiori* distinguitur excessu *verae probabilitatis,* iterum S. D. contra nos est; si vero denotet simpliciter excessum probabilitatis, S. D. pro nobis erit.

133. *Ad primum* quod attinet, S. Doctor semet refert ad ea, quae *in principio* dicta fuere. Haec autem in principio, n. 31., habentur: « Utrum autem liceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiae, prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam *minus probabilem* pro libertate, licet opinio pro lege sit *certe probabilior.* Hanc sententiam *elapsi saeculi* auctores *quasi communiter* tenuere, sed nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse. Ratio est, quia quando opinio pro lege est *certe probabilior;* tunc lex non est amplius *dubio stricto dubia,* uti accidit, quemadmodum postea explicamus, cum opiniones tam pro lege, quam pro libertate sunt *aeque probabiles;* sed est *moraliter certa,* quum habeat pro se *fundamentum certum,* quod *vera sit,* ubi e contrario opinio *minus probabilis,* quae favet libertati, *tale habet fundamentum,* ut *vera non sit,* ut remaneat *tenuiter,* sive saltem *dubie probabilis,* prae opinione tutiore, ideoque non est *prudentia* sed *imprudentia* eam velle sequi. Quum enim intellectui *certe appareat,* quod veritas stet magis pro lege quam pro libertate; tunc voluntas *nequit prudenter* et sine culpa partem minus tutam sequi: tunc enim non operaretur *ex proprio iudicio,* seu propria credulitate, sed *quodam ex conatu,* quem sua voluntate faciet intellectui, removendo illum ab ea parte, quae ei verior videtur, eumque deflectendo ad illam partem, *quae non solum videtur ei non vera, sed ne demonstrat quidem certum habere fundamentum, quod possit esse vera* ».

Iam vero ex his aperte constat, S. D. per opinionem *certe probabiliorem* intelligere reapse opinionem *moraliter certam.* Ait enim, quod tunc lex 1.° non sit *dubia dubio stricto,* sed est *moraliter certa;* 2.° quod eadem lex tunc habeat pro se *fundamentum certum quod vera sit;* 3.° iterum, quod dicta lex non habeat contra se nisi opinionem, quae *tale habet fundamentum, ut vera non sit;* 4.° quod opinio minus probabilis opposita legi sit *tenuiter* vel *dubie probabilis,* ita ut *imprudentia* sit eam velle sequi, quaeque *non solum videtur non vera,* sed ne demonstrat quidem *certum* habere *fundamentum, quod possit esse vera.* — Porro opinio *tenuiter probabilis* non est opinio *vere probabilis;* idque tradit idem S. Alph. n. 65.: « *tenuis probabilitas* non est *probabilitas vera,* sed est tantum quaedam *falsa,* seu *vana* probabilitatis species ». Opinio item, *dubie probabilis* non est *vere* et *proprie* probabilis, quam nos contendimus licitum esse sequi, etiam in concursu probabilioris. Si enim dubie probabilis est, dubie probabilitatis naturam participat, adeoque *proprie* loquendo probabilis non est. Et sane opinio *vere* et *proprie* probabilis definitur ab eod. S. Alph. l. c. n. 21.: « illa quae *gravi* aliquo innititur *fundamento, apto ad hominis prudentis* assensum inclinandum. Opinio ergo *dubie probabilis* erit opinio, quae habet *fundamentum dubie grave,* adeoque non meretur assensum viri prudentis, qui periculo exponeretur *imprudenter agendi* ». « *Dubie probabilis,* ait S. Alph. l. c. n. 65., quam nemo sequi potest, sed si ea *non est probabilis,* habet tantum prudentem *aliquam* rationem, *quod vera sit*... *dubie probabilis aliquam* prudentem rationem, licet *non omnino stabilem,* habet, *quod sit probabilis* ». — Atque hinc patet, quod opinio illa, quam velle sequi *imprudentia* est, quaeque *non solum videtur non vera,* sed ne demonstrat quidem *certum habere fundamentum, quod possit esse vera,* opinio vere et proprie probabilis non est. Si igitur opinio *minus probabilis* opposita *certe probabiliori,* vere et proprie probabilis non est, opinio *certe probabilior* intra probabilitatis limites minime subsistit, sed certitudinem iam attingit.

Idem confirmatur ex Dissertatione inserta in Op. Mor. l. 1. n. 56. edit. Taurin. a. 1846., ubi ita explicat illud *certe probabilior.* «Dixi, ait, *certe probabilior,* quia dum opinio pro lege est *certe* et *sine ulla haesitatione probabilior,* tunc opinio illa non potest esse nisi *notabiliter probabilior.* Et eo casu opinio tutior non erit *iam dubia* (intellige de dubio stricte sumpto...), sed est *moraliter* aut *quasi moraliter certa;* saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se habeat *certum fundamentum quod sit vera.* Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut *tenuiter,* aut saltem *dubie probabilis* respectu tutioris; adeoque non est *prudentia,* sed *imprudentia* velle eam amplecti », etc. Nota quoad illud, *quasi moraliter certa,* quod S. Doctori hac in re, ubi agitur de morali quadam existimatione, *parum pro nihilo reputatur.* Insuper S. D. non de quavis loquitur probabilitate, sed de ea quae *intellectui certe apparet,* et de eo loquitur, qui si ab hac probabilitate discederet, a proprio iudicio per *quemdam conatum voluntatis discederet,* et contra suam ageret conscientiam; cui proinde illud aptat Apostoli ad Rom. 14., 23. *Quod non est ex fide peccatum est.* Ibid. et H. A. Tr. 1. n. 31.

Postremo S. D. eam sententiam appellat *laxam,* quae etiam *minus probabilem* pro libertate tuetur *sine ulla distinctione,* quae nempe *aliquod* habet tantum *fundamentum rationis et auctoritatis,* et ideo distinxit di-

cendo, quod non potest quis sequi opinionem hanc minus tutam, *quando* est *magna et certa praeponderantia pro tutiori.* Apolog. cont. il P. Patuzzi an. 1765. Atqui vera probabilismi doctrina, quam sequimur, non quamlibet sententiam probabilem *indistincte* defendit, sed *certo et graviter probabilem,* quae sola *vere probabilis est.* Itemque S. D. eam doctrinam *laxam* appellat, quam *auctores elapsi saeculi* quasi communiter tradiderunt, certe non Suarez, Sanchez, Lugo, Lessius, Laymann, Palaus, Pallavicini aliique quam plures, quos ipse S. Alph. non solum in suis Operibus Moralibus, sed in illa ipsa Dissertatione de suo Morali systemate probat et laudat pro *sua opinione.* Hanc ipse defendit, et repetitis vicibus propugnat non contra *probabilistas,* sed contra *rigidos tutioristas,* eamque affirmat *serie multorum annorum sine dubio communem fuisse apud omnes.* Breve Dissertaz. dell'uso moderato dell'Opin. Probab. Napoli 1762. pag. 48., Op. Mor. l. 1. n. 59. 68.-73. 84.

134. *Ad alterum* quod spectat, evidens res est, quod, si S. D. per opinionem *multo probabiliorem* intelligit opinionem *moraliter certam,* vel *quasi moraliter certam;* per opinionem *parum probabiliorem* intelligit simpliciter excessum merae probabilitatis. Si autem quaeratur, cur S. D. tunc designet istum excessum, inquiens, *parum probabiliorem,* et non simpliciter dicens, *probabiliorem;* ratio est, quia S. D. rem considerat potius *practice,* quam *speculative,* attenta natura rei et principiorum, nec non rigore verborum, et ita distinguit inter *parvum* et *notabilem* excessum probabilitatis. Notabilis excessus vere talis habetur, cum est *evidens* atque *certus,* et tunc ex S. D. ad *certitudinem* pertingit. Et ita quidem est, saltem practice loquendo; talis enim probabilitas, saltem practice, confunditur cum morali certitudine, quae latiori quodam sensu certitudo est. Et re quidem vera, loquitur S. D. de multo maiori probabilitate certe et evidenter tali. *Certe et evidenter* cui? non *opinanti* certe, cum omnes bene sciant, quod una eademque opinio uni minus probabilis alteri magis probabilis appareat, immo etiam eidem in diversis circumstantiis; sed *omnibus.* Et reapse si propositio est *multo probabilior certe* et *evidenter omnibus,* iam revera est moraliter certa. Omnis alius excessus licet forte *notabilis* sit, si tamen non est *evidens* et *certus,* reapse notabilis proprie dici non potest, quum tunc dubitetur de tali excessu notabili, et propositio, quae uni videtur multo probabilior, alteri forte, immo forte etiam eidem, re melius perpensa, ut ipsemet S. Alph. fatetur de se ipso l. 1. n. 86., H. A. Tr. 1. n. 78., multo minus probabilis apparet. Si igitur probabilitatis excessus iste *notabilis* sit *evidens* et *certus,* tunc iam ad certitudinem pertingit. Si autem licet notabilis, *evidens* et *certus* tamen non sit, iste excessus reapse quoad nos tanquam *notabilis* haberi non potest, sed manet intra limites *aeque probabilitatis* vel *parum maioris probabilitatis.* Unde iterum constat, per hunc *parum maiorem excessum* S. D. intelligere reapse excessum simpliciter probabilitatis.

Ac si quaeratur, cur S. D. hanc fecerit distinctionem inter *parum probabiliorem,* et *notabiliter, multum, evidenter, certe probabiliorem,* ratio est quia S. D., ut constat ex l. c. H. A. n. 31., et ex Apolog. contra Patuzzi 1762., opponere se volebat illis probabilistis, qui probabilismum extendebant etiam ad *tenuem* et *dubiam* probabilitatem, adeoque contendebant, licitum esse agere, cum adest *quaelibet ratio apparens, sed non firma,*

aut auctoritas. Hinc ex opposito statuit S. D., quod debet tunc quis sequi opinionem *certe, evidenter, notabiliter, multum probabiliorem,* quae, ut patet, comparatione *tenuiter,* vel *dubie* probabilis iure merito dicitur a S. D. *moraliter certa* vel *quasi certa.* Cum igitur S. Alph. designaverit talem opinionem in comparatione *dubie* et *tenuiter probabilis* per *notabiliter probabiliorem,* reliquum erat, ut quamcumque aliam probabiliorem opinionem in comparatione *vere probabilis* designaret per *parum probabiliorem.* Cf. Breve Dissertaz. etc. supra cit. in fine num. 133. pag. 51., Op. Mor. edit. Rom. a. 1757. l. 1. n. 33.

135. Omisso tractatu de Conscientia, in Opere cui tit. H. A., et morali Dissertatione de hac re inserta in Theol. Mor., si consulimus haec ipsa opera S. Doctoris, videbimus profecto S. D. maxima cum diligentia persequi non solum opiniones *communiores* et *probabiliores,* sed etiam *minus* et *multo minus probabiles* et *communes.* Cf., e. g., l. 3. n. 404., ubi postquam S. D. dixerit *longe sibi probabiliorem negativam,* dicit *satis probabilem affirmativam.* Et ib. n. 649. ait: « haec secunda sententia mihi *certo et longe* probabilior videtur. An autem prima sit probabilis... ego ipsam nec probabilem, nec improbabilem dicere audeo ». Quare S. D. existimat posse dari opinionem probabilem, cuius opposita sit certo et longe probabilior. Cf. l. 6. n. 868. dub. 3., l. 3. n. 520. q. 4. n. 547. par. *Ceterum* n. 529. n. 700. q. II., ubi S. D. postquam in quaestione quadam de iustitia primam sententiam dixerit *communiorem,* et quidem *valde probabilem,* de secunda sententia vero valde modeste eam *sua probabilitate non carere,* quam probabilitatem late et diligenter demonstrare aggreditur; tandem obiectionem resolvens, hanc ad praxim deservire aperte affirmat; ait enim: « Haec enim est probabilitas iuris..., qua debitor bene uti potest ». Cf. etiam hic n. 136. Si quis igitur adhuc contendere velit, S. Alph. systema aliud *speculative* propugnare, a vero probabilismo diversum, is profecto fateri debet *practice* S. Alphonsum verum esse probabilistam. Et sane, si, ut teneamur sequi opinionem probabiliorem ex systemate S. Alph., iste maioris probabilitatis excessus esse debet *evidens atque certus,* H. A. Tr. 1. n. 77., vix unam vel aliam forte reperies talem opinionem in re morali, cum, ut iam observavimus, ubi agitur de probabilitate valde diversa sint vel gravissimorum theologorum iudicia, adeoque ille excessus tanquam *evidens et certus* prudenter haberi non potest. Immo, ut observat Ithur. Cas. 44. n. 5.: « Vix quaestio ulla inter dd. agitatur, in qua non sint et probabilistae, qui contra probabilistas alios rigidiorem, et probabilioristae, qui contra probabilioristas alios benigniorem sententiam amplectantur ». Cf. L. l. 3. n. 293. n. 930. dub. 1.

Doctrina ergo, quam uti *laxam* habet S. Alph., non est verus probabilismus, qui sistit intra limites *verae, propriaeque probabilitatis;* sed ille est probabilismus, qui hos limites praetergreditur, et se extendit usque ad *tenuem,* et *dubiam* probabilitatem. Hinc S. D. absolute eam doctrinam non dicit *communiter teneri,* sed *quasi communiter ab auctoribus elapsi saeculi;* a pluribus enim reapse tunc tenebatur; sed perperam omnino confuderetur cum doctrina veri probabilismi, vere communiter; immo communissime tradita. Unde hanc *communissimam* et *probabilissimam* appellavit idem S. Alph. Dissert. de Usu moder. opin. probab. 1755., *quae per duo fere saecula labores tot sapientum exhausit, quae si fuisset falsa,*

Ecclesia eam non tolerasset. Ac, si ita quidem se res non habeat, ubinam est systema illud morale, quod *in Ecclesia Catholica catholice defendi* a Clem. XIII. a. 1761. ipsimet S. Alphonso responsum est? l. 1. n. 88. 89. Etenim ante S. Alphonsum inter verum probabilismum et tutiorismum seu probabiliorismum nihil fuit medium; neque tunc aequiprobabilismus etiam inter moralia systemata recensebatur. Atqui S. D. perpetuo tutiorismum seu probabiliorismum refutavit. Atqui S. D. asserit se nonnisi *communem* tradere doctrinam, l. 1. n. 59. 84. Atqui S. D. perpetuo docuit: *Ut non sit peccatum grave sufficit, ut vera probabilitas habeatur*, intelligo illam, quae fundamento NON TENUI *nititur*, etc., l. 3. post n. 139. Epist. Resp. Quare statim notare est, rarissime S. D. hanc adhibere notam, *certe, notabiliter probabilior*, etc., quod ipsae Vindic. Alph., Append. 1. *Clavis Operum*, etc., notarunt; quod quidem valde mirum esset, si tam parum practicum fuisset ipsi S. Doctori suum systema. Nihil e contra frequentius et clarius fuisset exprimendum in singulis quaestionibus. S. Doctor non *verum* et *proprium* respuit Probabilismum, sed Probabilismum *latum*, extensum nempe usque ad *tenuem* probabilitatem, quem profecto *Ecclesia non toleravit*. Cf. 136.

136. *An tanquam probabiles S. Alphonso habeantur opiniones omnes, quas S. D. refert, et expresse non reiicit, licet neque expresse approbet?* — De hac re ita S. Alph. ipsemet declarat mentem suam: « Medullam Hermanni Busembaum praemittendam censui, non iam ut omnes ipsius auctoris opiniones approbarem, sed tantum, ut eiusdem methodum sequerer, quae inter aliorum doctorum methodos ad res morales exponendas valde accommodata mihi visa fuit... Ceterum, benigne lector, te admonitum volo, ne existimes me opiniones illas approbare, ex eo quod *non reprobem;* eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus, et patronis, ut alii pro sua prudentia, cuius ponderis sint, adiudicent. Deinde advertas, quod cum aliquam opinionem *veriorem* dico, tunc contrariam non habeo ut *probabilem*, etsi non expresse ut *improbabilem* damnem. Insuper quando unam ex sententiis *probabiliorem* appello, nullo iudicio dato de probabilitate alterius, aut utor hoc verbo, *non audeo damnare*, non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed iudicio prudentiorum remittere ». Monit. auct. ad lect. init. operis. Et iterum l. 5. n. 76.: « Et hic rursus repeto, id quod sub initio protestatus sum, nempe quod, cum aliquam opinionem unice *probabiliorem* appello, non ideo contrariam dicere probabilem intelligo. Sicut pariter, cum dico de aliqua opinione *non audeo damnare*, sive *improbabilem dicere*, non ideo admitto ut probabilem; sed de eius probabilitate dubito. Item, cum aliquam sententiam *veriorem* voco, intelligo oppositam *non solida probabilitate* mihi pollere, licet *omnino non reprobem* ». Attamen negari nullo pacto potest, reapse a S. D. implicite saltem ut sat probabiles haberi opiniones quasdam, quas non solum refert, sed et earum rationes expendit, eisque robur ipsemet addere videtur, si graves recensens theologos inquiat, e. g., Salm. probabilem censent, etc., vel addat in fine, immo Pal. dicit, Lugo addit, advertit, etc. — E. M., A. S. S. V. 1. p. 497. seqq.

V. — DE CONSCIENTIA DUBIA

137. *Quid conscientia dubia?* — Dubium est suspensio *assensus* circa obiectum apprehensum; non solum quoad specificationem, verum etiam quoad ipsum actus exercitium, quia nimirum non habetur sufficiens ratio pro alterutra parte. Quare conscientia dubia ea est, quae haeret suspensa circa actionis honestatem, in neutram partem inclinans. Conscientia haec, cum iudicium non involvat, conscientia proprie non est, sed potius defectus conscientiae; conscientia enim iudicium, non suspensio iudicii est. Attamen haec iudicii suspensio conscientia vocatur, quatenus cum hac iudicii suspensione saepe de facto agimus. Huiusmodi dubium coniungi potest cum iudicio reflexo de insufficientia motivi seu rationis ad assentiendum, et tunc huiusmodi iudicium magis proprie conscientia dubia appellatur. L. 1. 1. n. 20., Suarez D. 12. S. 5.

138. *Quotuplex conscientia dubia?* — « Dubium dividitur in *negativum* et *positivum*. *Negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles. *Positivum* est, quando pro utraque parte vel saltem pro una adest grave motivum sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito; ideo *dubium positivum* fere semper coincidit cum *opinione probabili* ». L. l. 1. n. 20. — Non agimus in praesenti de conscientia *positive dubia*, seu *probabili*, de qua iam diximus; sed unice sermo erit nobis de conscientia *negative dubia*. — Dubium praeterea dividitur in *speculativum* et *practicum*. *Speculativum* est, quo quis dubitat de rei veritate vel de liceitate rei in genere, seu in universali, e. g., an pingere die festo sit opus servile, an baptismus cum aqua distillata sit validus. *Practicum* est, quo quis dubitat de liceitate seu honestate actionis in particulari, *hic et nunc exercendae*, e. g., an hac die festiva in istis circumstantiis liceat mihi pingere, an hunc puerum aqua distillata baptizare liceat. *Hic et nunc exercendae:* nam secus, licet actio consideretur pluribus circumscripta circumstantiis, adhuc circa eam dubium speculativum haberi potest, si non agatur de actione exercenda, et per conscientiam in praesenti dirigenda. S. Th. 1. p. q. 79. Hinc conscientia *speculative* dubia, et *practice* dubia. L. l. 1. n. 21.

139. *Quaenam sit vis directiva conscientiae dubiae?* — Responsio patet ex sequentibus propositionibus, hoc num. et nn. seqq. — *Cum conscientia practice dubia illicitum est agere.* Sola enim conscientia *certa*, regula morum est. Cf. 102. Hinc illud: *In dubiis tutior pars est eligenda.* C. *Inquisitioni* 44. *de Sent. exc.*, L. l. 1. n. 22., Suarez D. 12. S. 5., E. M.

140. *Cum conscientia speculative dubia licet operari, modo efformari possit conscientia practice certa.* Nam ut constat ex dictis n. 102. conscientia certa, utcumque tandem efformata sit, si saltem morali certitudine innitatur, est sufficiens morum regula, immo sola regula morum. L. l. 1. n. 25., Suarez D. 12. S. 5.

141. *Media, quibus ex conscientia speculative dubia gradum quis faciat ad conscientiam practice certam, sunt:* 1.° Perpendere ipsum dubium. Si enim, ut ait S. Alph. l. 1. n. 24., « omnibus ponderatis, adverteret dubium

esse inane, hic bene potest dubium suum deponere sine alia reflexione et sic actionem exsequi ». — 2.° Inquirere praxim bonorum virorum sine scrupulo operantium. — 3.° Consilium docti et prudentis viri. — 4.° Ratio quaedam probabilis, *a fortiori* rei demonstrativa, quae forte veritatem inquirendo inveniri possit. — 5.° Generalis quaedam ratio, seu generale quoddam principium *reflexum*, ita dictum, quia nos inducit ac flectit ope ratiocinationis ad rite definiendam quaestionem, quae *per se* et in suo *immediato* principio resolvi non potest. Sic iudex dubius est, an Titius sit reus, ex intrinsecis et directis rationibus iuris seu facti. Verum ex generali et reflexo principio, *In dubio favendum est reo*, Titium incunctanter absolvit. — L. ib.

142. *Generales quaedam adsunt revera rationes, seu generalia quaedam adsunt effata et principia*, quae praesto semper esse possunt, ut quis a dubio *negativo* ad moralem *certitudinem* immediate, vel saltem *ad probabilitatem* gradum faciat, ex qua deinde ope principiorum probabilismi conscientiam sibi certam efformare possit. Porro huiusmodi regulae et principia sunt sequentia. — Suarez in l. 2. Tr. 3. D. 12. S. 5. n. 7., Lugo de Iust. et Iur. D. 23. n. 110.

143. *In dubio melior est conditio possidentis*. C. 6. *de Praescript*. — Axioma istud *in foro externo*, tum ecclesiastico, tum civili receptum est tanquam regula certa iudiciorum. Idem sane valet *in foro interno* conscientiae. Etenim *certa* et *legitima* possessio moralem parit certitudinem de dominio rei, L. l. 1. n. 35., l. 4. n. 210., l. 6. n. 905. 927., et ratio est, quia attentis humanis moribus, nemo est, moraliter loquendo, negligens, immo e contra omnes diligentes et valde diligentes sunt in rebus suis custodiendis. Insuper, ubi non proceditur ex falsa suppositione, idem est ius fori externi et interni; utrumque enim forum in principiis naturalis iustitiae et aequitatis fundatur. Unde communiter theologi praefatam regulam pro foro conscientiae admittunt. L. l. 1. n. 26. — Porro aliqui dicunt hoc axioma valere tantum in materia iustitiae. « Ego tamen, ait S. Alph. l. c., nescio, quomodo in omnibus negari possit ». Et haec sane est longe communior et verior sententia. Huius extensionis ad alias etiam materias ratio, eadem cum debita proportione est, ac in materia iustitiae. Nemo enim sine sufficienti ratione spoliari iuste potest bono, quod suum est. Homo autem naturaliter, adeoque *certe* et *legitime* omnino, suam possidet libertatem, quae profecto aliquod bonum et ius suum est. Hoc ergo bonum ad iustitiam etiam pertinet, et, qui hoc iniuste aut adimit aut labefactat, iustitiam laedit. Sine iniustitia sane homo liber servituti subiici non potest. — Suarez in 1. 2. Tr. 3. D. 12. S. 5. n. 8., Lugo de Iust. et Iur. D. 17. n. 87., D. 23. n. 110.

Explicemus nunc sensum illius axiomatis. *In dubio*, h. e. *in dubio negativo*, et ratio axiomatis tunc patet, quia pro *possessore* stat tunc *possessio*, adeoque moralis certitudo, pro *petitore* nulla prudens ratio habetur. Cf. Lugo de Iust. et Iur. D. 23. n. 110. — In dubio vero *positivo*, seu probabilitate, si probabilitas adest ex utraque parte, ita ut hinc stet *possessio* et probabilitas *iuris*, inde tantum aequalis vel fere aequalis contraria probabilitas *iuris*, melior iterum est conditio possidentis, ut per se patet. Si vero ex una quidem parte stet *possessio*, ex altera vero contraria probabilitas *iuris*, vel ex una parte *possessio* et simul probabilitas *iuris*, ex altera longe maior contraria probabilitas *iuris*, tunc *certo melior* non est conditio possidentis,

sed *dubia*. Enimvero prima sententia tenet, iudicem teneri rem adiudicare actori, quia ius possessionis praevalet in pari causa, non autem in causa minus probabili. Regula enim Iuris in 6.° sic se habet: « *In pari delicto, vel causa,* potior est conditio possidentis »; et L. 128. ff. *de div. Reg. Iuris* dicitur: « *In pari causa* possessor potior haberi debet ». Secunda vero sententia tenet, meliorem adhuc esse conditionem possidentis, nec iudicem posse hunc possessione expoliare. Ratio est, quia « certum est, quod *legitima possessio* cuique tribuit *ius certum* rem retinendi, donec non constet de iure alterius, ut dicunt communissime... *ius certum,* quod nequit superari, nisi a iure certo alterius per rationes certas convincentes ». Possessio enim definitur: ius insistendi in re non prohibita possideri. L. l. 1. n. 36., Ithur. Cas. 1. n. 2. Cf. L. l. 3. n. 547. 562. 711., etc. Possessio ergo, de qua in praesenti effato, est possessio *certa* et *legitima.* Dicitur *certa,* h. e. quod certum sit possessionis factum, *legitima*, h. e. *bona fide* incepta et continuata; itemque *titulo iusto,* saltem apparenti, vel saltem existimato, vel praesumpto, incepta et continuata, qualis est, e. g., donatio, emptio, haereditas et similia, per quae dominium alicuius rei solet acquiri. Si ergo possessio est dubia, vel incepta dubia fide, vel dubio titulo, specialem ipsa per se non exhibet possessori praerogativam et praesumptionem, contra quam nulla valeat contraria probabilitas. L. l. 1. n. 36. 47., l. 4. n. 210.

Hic autem quaeret quispiam 1.° quidnam praeter ipsam *possessionem* erit ista probabilitas *iuris,* quae ex alterutra parte tantum, vel ex utraque esse potest. Respondetur: Est probabilitas *tituli iusti realis,* seu reapse existentis, ex quo verum et reale oritur *rei dominium et proprietas.* Ad legitimam enim possessionem, de qua in axiomate, sufficit *titulus iustus* saltem *apparens*, quia, e. g., interfuit donatio vel emptio ab illo, qui putabatur dominus, licet non esset; vel saltem *existimatus,* quia putatur intercessisse actionem per titulum significatam, licet non intercesserit; ut contingit quando quis putat rem sibi donatam aut a se emptam, et tamen hoc non fuit factum; vel saltem *praesumptus*, quia, e. g., ob temporis diuturnitatem in quieta possessione, aliasve circumstantias, prudenter existimatur titulum aliquem interfuisse, quamvis possessor nullum determinate allegare possit. Ista ergo probabilitas *iuris*, ut patet est omnino extra *possessionem* ipsam, quae non nisi ius tribuit insistendi in re, seu eam detinendi, licet forte ipsius dominium et proprietas ad te non pertineat, cum *realiter* non adfuerit titulus iustus.

Quaeritur 2.° cur dicatur *probabilitas iuris.* Respondetur: Illa probabilitas *tituli iusti realis,* seu reapse existentis, dupliciter esse potest: 1.° Probabilitas *iustitiae tituli* ad incipiendam vel continuandam possessionem et proprietatem rei, testamentum, e. g., formalitatibus legalibus destitutum. 2.° Probabilitas *realitatis seu existentiae tituli iusti* ad eumdem effectum, e. g., donationis, cum probabile etiam sit quod res fuerit furto ablata. Prior illa probabilitas dicitur *iuris,* posterior ista dicitur *facti.* Ubi de hac agatur, « quando factum non plane probatur, non est probabile, quod reus possit condemnari, cum leges nunquam reum permittant condemnari, nisi delictum vel debitum plene probetur; non probatur autem plene et sufficienter ad sententiam, quando, licet duo vel tres testes testificentur, alii tamen testes contrarium testantur; per hos enim eliditur, vel minuitur illorum testificatio, atque ideo non manet probatio sufficiens

requisita ad probationem plenam et condemnationem ». Lugo de Iust. et Iure D. 16. n. 100. Cf. etiam D. 23. n. 110., D. 16. n. 34. 96. 99.

144. *Resolves:* Ex praefato axiomate plures resolvi possunt casus practici *dubii negativi*, in quo omnis desit vera probabilitas, an nempe advenerit, vel praeterierit tempus obligationis legis. « In dubio inceptionis, v. g., an impleveris annos 21., non teneris ad ieiunium, quia tunc possessio est pro libertate. Secus in dubio praeteritionis, v. g., an in sabbato transacta sit hora mediae noctis, nequis edere carnes, tunc enim possidet lex. Sic etiam, si dubites, an habeas annos 16. ad professionem, vel annos 25. ad sacerdotium nequis profiteri aut ordinari. Ita communiter ». L. l. 1. n. 99. 32.

145. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat praesumptio.* — Nam praesumptio, desumpta ex ordinarie contingentibus; vel aliis personae et rei circumstantiis, moralem certitudinem, vel saltem probabilitatem efficit. Generatim praesumptio stat pro ea parte, quae non tenetur per se ipsam factum contrarium probare, sed onus illud probandi transfert in partem alteram. Hinc, si soleas tali tempore diligenter recitare breviarium, et dubites, an aliquam partem recitaveris, praesumptio tibi favet, et te ab obligatione recitandi seu repetendi eximit. Si amens, sed qui habeat lucida intervalla, voverit, et postea dubitet, an compos sui voverit, non obligatur, quamdiu non apparet compotem sui fuisse. L. l. 1. n. 26. Attamen, in foro poenitentiae, in quo ut ait S. Thomas 4. D. 17. a. 3. q. 3. standum est dicto poenitentis pro se, et contra se, praesumptio cedit affirmatae a poenitente veritati. — Lugo de Poenit. D. 20. n. 17. 19., L. l. 3. n. 270., l. 6. n. 600. par. *Limitant.*

146. *Nota:* Ubi agatur de obedientia superiori praestanda, in dubio praesumptio stat, *per se loquendo, semper* pro superiore. L. l. 1. n. 93. 98. 99. *Per se loquendo semper*, nam *per accidens* potest aliquando fieri, quod praesumptio non adsit pro superiore, puta: In dubio de potestate superioris circa talem rem, quia valde difficilis, vel molesta, vel graviter nociva subdito vel tertio. L. l. 3. n. 617. « Ratio, quia subiectio et obedientia debita superiori non tollit ius et possessionem tuam vel illius circa bonum honoris, famae, corporis, aut fortunae. Ergo non teneris te hac certa possessione privare in re tam magni momenti; sed potius aequitati consonum videtur, ut habeatur maior ratio tuae possessionis certae, et haec praeferatur iuri, vel possessioni aliquo modo dubiae superioris ». Elbel 173., Laymann c. 5. n. 12., Suarez D. 12. S. 5. — Itemque in dubio de liceitate rei, accedente etiam superioris praecepto, e. g., quando superior « solet temere et imprudenter praecipere pro libito quae non licent... quando etiam, accedente praecepto praelati, res manet in dubio (quoad eius intrinsecam liceitatem); nec auctoritas, doctrina, probitas, vel prudentia praelati sufficit, ad deponendum dubium, qui casus possibilis est ». Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 19. n. 11., L. l. 3. n. 617., Cf. 113.

147. *In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet.* L. 10. C. *de Non numer. pec.* — Nam non est danda ratio non entis, sed entis; quia non ens non habet sui causam, sed ens. Hoc autem intellige de facto *principali*, si dubium sit. Nam, si certo constet factum *principale*, et dubium sit de facto *accessorio*, tunc alia valent principia: *In dubio omne factum praesumitur recte factum; In dubio praesumitur factum, quod de*

iure faciendum erat; In dubio standum pro valore actus. Nam omne ens naturaliter tendit ad sui perfectionem et bonum. Si ergo nihil constat obstare, natura pergit cursum suum prosequi. Tria haec posteriora principia valent et pro libertate et contra libertatem. *Pro libertate,* si non obstat contraria et certa praesumptio vel bonum commune; nam non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. *Contra libertatem,* si nempe bonum publicum obstet; bonum enim commune praevalet privato. — L. l. 1. n. 26. 27. 137. 182. 251., l. 3. n. 201., l. 6. n. 505., L. *Quoties* 12. *de Reb. dub. ff.*

148. *Resolves:* In dubio, an aliquid cibi vel potus sumpseris; itemque in dubio, an cibum vel potum sumpseris post mediam noctem, potes eucharistiam accipere. Nisi enim in utroque casu factum probetur, possidet libertas. L. l. 1. n. 38. 39., Elbel 166. 167., Amort. Theol. T. 2. D. 5. 9. 4., qui haec in fine animadvertit: « Dico tamen, eum peccaturum saltem venialiter, qui, solius compotationis voluptuariae causa, sic mercaretur circa leges Ecclesiae, se exponendo periculo transgressionis saltem materialis, et, si ita faciat ex consuetudine aut proposito semper hoc modo operandi, nulla concurrente alia rationabili causa, v. g., sitis, infirmitatis, peccabit mortaliter, quia tale propositum arguit contemptum interpretativum et defectum caritatis erga Deum et Ecclesiam, cuius decorem conspurcat ». — Busemb. ap. La-Croix. l. 1. n. 470. VI.

149. *In dubio nemo malus praesumitur, nisi probetur.* — Axioma hoc corollarium est praecedentis. Cum enim facta et consequenter delicta non praesumantur, sed demonstrari debeant, neque quispiam malus praesumi debet, sed probandus est. Nemo quidem gratis malus est.

150. *Odia restringi et favores convenit ampliari.* R. I. 15.ª in 6.° — Nam nemo odiosus, omnes vero grati esse desiderant. Quare favores sunt odiis praeferendi. *Favor* intelligitur quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit. R. 122.ª de R. I. *Odium* quidquid libertatem restringit, poenam statuit, ius aliquod laedit. Cum autem aliquando fiat, ut quod uni sit *favor,* alteri *odium,* videndus est casus particularis, ut determinetur, an favor odio, vel odium favori sit praeferendum. « Quoties lex non invenitur expressa, procedas, *aequitate servata,* semper in humaniorem partem declinando ». C. 11. *de Transact.* Hinc aliud exurgit generale principium: *In obscuris minimum est sequendum,* R. I. 30.ª in 6.°, adeoque interpretatio legis facienda est minus onerosa et libertati benignior; unde aliud adhuc est generale principium: *Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt.* L. 56. de R. I. Itemque aliud: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* C. *Cum iure* 31. *de Off. et pot. iud. del.* L. l. 1. n. 97.

151. *Resolves:* Falsum est igitur, quod ubi sermo sit *generatim* de dubio speculativo, de liceitate vel illiceitate actionis, *In dubiis pars tutior est eligenda.* Et sane in hac Regula Iuris Can. non agitur de dubio speculativo, in quo ope principii reflexi potest quis sibi certam conscientiam efformare, et sic eligere partem omnino tutam; sed agitur vel de dubio practico, de conscientia nempe practice dubia, cum qua non licet agere, vel etiam agitur de casibus illis, in quibus finis est necessario obtinendus. Agitur vero cum primis *de foro externo,* in quo saepe specialis adest ratio

tutius sequendi ad scandala, abusus et offensiones fidelium removenda; vel de honestate et meriti maioritate, non de salutis necessitate. L. l. 1. n. 68. 79., H. A. Tr. 1. n. 39., Struggl Tr. 1. q. 5. n. 17.

152. *Qua peccati specie reus sit, qui agit cum conscientia practice dubia?* — Reus iste erit peccati eiusdem rationis ac speciei, cuius est peccatum, de quo dubitat. Ratio est, quia dubitans de illa malitia, et nihilominus agens, affectum habet ad illam malitiam. Unde, si dubites, an sit mortale, peccas mortaliter; si dubites generatim, an sit peccatum non attendens, ne in confuso quidem, ad malitiam gravem quae inesse possit, venialiter peccas. L. l. 1. n. 22. 23., Elbel 140.

153. *Nota:* Qui *ex erronea conscientia* peccavit non tenetur in confessione explicare illam circumstantiam *conscientiae erroneae,* quia non mutat speciem; siquidem omne peccatum contra conscientiam est, et non pendet ab obiectiva rei veritate, nisi quatenus illa per conscientiam diiudicatur, et voluntati proponitur. Excipe casum *censurae et reservationis:* siquidem tunc *erronea conscientia* explicanda est, ut constet de exemptione a censura et a reservatione. Excipe etiam casum, quo secus peccatum non intelligeretur, e. g., si quis die feriali missam omittendo credat se graviter peccare.

154. *Quid quis agere debeat, si inter duo praecepta constitutus, dubius haereat, quodnam eligere debeat, puta si urgeat praeceptum missam audiendi, et graviter aegrotanti assistere debeas?* — Debet quis sufficienter, quantum in ipso est, veritatem inquirere ut dubium deponat. — Veritate sufficienter inquisita, et dubio remanente, potest is et debet illud eligere, quod minus malum ipsi videtur; ac, si utrumque aeque grave videatur, quodlibet eligere potest. Quod verum est, etiamsi quis culpabiliter in istam perplexitatem se coniecisset, modo de culpa praeterita doleat. Ratio est, quia ad impossibilia non datur obligatio, adeoque tunc cessat obligatio minor; vel, si sint aut videantur aequales, aut ob ignorantiam discernere quis nesciat, quaenam minor sit, utralibet cessat; ac, etiamsi quis putet ita agendo se peccare, reapse non peccat ex defectu libertatis. — Suarez D. 12. S. 5., Lessius in q. 19. D. 19. a. 6. D. 9., L. l. 1. n. 10., Elbel 141.

155. *Resolves:* Si agens elegerit id, quod sibi maius malum videtur, peccat iuxta excessum mali apprehensi, cum libere hunc excessum is eligat.

156. *Si dubites utrum alicui obligationi iam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?* — R. Affirmative, si dubium sit *mere negativum.* Nam tali dubio nulla adest prudens ratio satisfactionis, adeoque impossibile est principio aliquo reflexo sibi efformare conscientiam de non satisfactione, quum lex certa omnino perseveret. Cf. Ithur. Cas. 44. n. 15. — Si dubium vero sit *positivum,* controvertitur. Prima sententia, quam omnino tenet et tenendam putat S. Alph. l. 1. n. 26.-29., l. 3. n. 700. par. ult., l. 6. n. 477., quaest. reform., recentes retract. q. 1. et 18. etc., aliique tenent plures, affirmat. Ratio est 1.° quia non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam; 2.° quia cum in dubio melior sit conditio possidentis, et lex certo existens possideat contra libertatem, huic praevalet, eamque sibi semper obligatam habebit, donec certo lex non sit adimpleta. Cf. praeterea L. l. 1. n. 20. 33. 99., l. 3. n. 112. 290. Secunda sententia, quam nos

tum intrinsece, tum extrinsece probabilissimam existimamus, negat adesse talem obligationem. Ratio est ipsamet fundamentalis ratio probabilismi, quam eruditissime et doctissime exponit ll. supra cc. S. D., nempe *lex dubia non obligat.* Etenim lex non obligat in *abstracto et universali*, sed in casu *concreto et particulari*, L. l. 1. n. 78. Atqui licet certa sit existentia legis *secundum se;* eadem tamen qua obligans *in tali casu concreto et particulari* incerta est, et *prudenter* omnino incerta pronuntiatur, *si vere probabiliter* eidem iam satisfactum fuerit. Ergo aut dicendum est obligationem iterum satisfaciendi legi in casu praedicto esse nullam; aut dicendum praedictum principium, *lex dubia non obligat,* non esse universaliter verum, sed exceptionem pati; quod non convenienter diceretur. Nam quod verum est, semper verum est; et pro omni particulari quod in universali continetur.

Ex hac autem ratione apparet, quod obligatio reapse non est certa: quod assumitur in prima ratione oppositae sententiae. Quoad secundam rationem, ut ex iam dictis constat, possessio praevalet *in dubio mere negativo;* ut autem certo praevaleat etiam *in dubio positivo,* oportet ut sit *certa et certo legitima possessio.* Porro quando in casu particulari vere probabiliter constat legem fuisse adimpletam, possessio legis pro isto casu concreto et particulari fit prudenter *dubia;* si enim reapse satisfecisti, possidet reipsa libertas. *Legitima* praeterea *certo* non est, cum probabiliter desit titulus iustus obligationis; probabiliter enim credere potes te iam satisfecisse, adeoque titulus iustus, saltem praesumptus, probabiliter non est. Cf. 121. 143. 144. Hanc praeterea sententiam plures iique gravissimi theologi tenent. Immo idem S. Alph. l. 1. n. 99. haec habet: « Quid in dubio, an legem impleveris? *In dubio negativo* teneris adimplere, *secus in positivo* ». Cf. etiam l. 4. n. 150. Atque ita profecto sensiit ipse S. Alph. l. 1. n. 76. edit. ann. 1757., et hanc sententiam S. D. *communem* dixit, et ex ipsis probabilismi principiis ipsemet deduxit. Tandem S. D. l. 6. n. 505. « *sedulo*, ait, *advertendum* non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi *moraliter certo* constat eas fuisse invalidas, ut recte dicunt La-Croix, etc. ».

157. *Resolves:* Illud ergo axioma, *lex dubia non obligat*, intelligendum est de lege dubia *dubio positivo*, seu *vere probabiliter dubia.* Porro lex multipliciter dubia positive esse potest; et in omnibus hisce casibus dicimus locum habere praefatum axioma; nisi velimus admittere veritatem propositionis generalis, et negare simul veritatem propositionis in generali contentae. Age vero lex dubia esse potest: 1.° Quoad *ipsam existentiam et promulgationem*, de qua S. Alph: « Lex ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam promulganda *ut certa.* Et hoc punctum firmiter est hic statuendum », l. 1. n. 63. seqq. et 97. Ac, ut alios praetermittamus, haec eximius Doctor apud S. Alph. l. 1. n. 66.: « Quamdiu est iudicium probabile, quod nulla lex sit prohibens actionem, talis lex non est sufficienter proposita homini; unde cum obligatio legis sit ex se onerosa, non urget donec certius de illa constet ».

2.° Quoad eius *intelligentiam et obviam interpretationem*, ac sive obscura sit, sive ambigua sit, ex R. I. 30.ª in 6.° « In obscuris minimum est sequendum ». Cum enim lex sufficienter proponi debeat, ut obliget; non censetur legislator velle obligare ultra id quod clare et determinate in lege exprimitur. Suarez in 1. 2. Tr. 3. D. 12. S. 5. n. 7.

3.° An interpretationem *extensivam*, vel *restrictivam* habeat, de quo S. Alph. l. 3. n. 1036.: « Cum dubitatur an lex comprehendat aliquem casum vel subiectum, perinde est ac si dubitatur, *an existat lex pro illo casu vel subiecto, et ideo possidet libertas*. Cf. etiam l. 1. n. 27. 97., Lugo de Poenit. D. 16. n. 59., de Iust. et Iur. D. 23. n. 110.

4.° An cessaverit, sive statim ac lata fuerit, quia nunquam fuit recepta, sive temporis progressu per desuetudinem; de quo S. D. l. 3. n. 112.: « Nec obstat sententia prima, quam secuti sumus l. 1. n. 97., scilicet quod in dubio, *an lex recepta sit*, lex bene obliget; nam hic non versamur *in dubio*, sed *in opinione probabili*... *In dubio* enim *praesumptio* stat pro lege, cum delictum, in non recipiendo legem iustam, non praesumatur. Quando autem *probabile* est, quod obligatio legis nunquam inceperit, vel abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege et *possidet* libertas ». Idem S. D. habet l. 4. n. 47. Idem consequenter dicendum, cum probabile est, finem legis *adaequate* cessasse, L. l. 1. n. 199., vel consuetudine legem abrogatam esse, L. l. 3. n. 290., vel in particulari casu opus non esse dispensatione, L. l. 1. n. 192., l. 3. n. 304.

5.° *An lex iusta* sit vel *iniusta;* et hic triplex casus contingere potest. Primus est, quod dubitetur de iustitia legis, quia dubitatur de ipso legislatore, an sit superior legitimus. Porro in hoc casu, si dubium de legitimitate superioris sit *positivum*, de quo agimus; *vere* nempe *probabile* sit, quod non sit legitimus superior, eo ipso, vere probabilis evadit non existentia legis, adeoque non obligat. Cf. S. Alph. l. 1. n. 98. 121. Si dubium vero sit *mere negativum*, legi obediendum est, « semper ac superior est in pacifica possessione suae potestatis; tunc enim melior est eius conditio iam possidentis ius praecipiendi ». L. l. 1. n. 98., l. 4. n. 47. — Alter casus est, quod dubitetur de justitia legis, quia dubitatur, an superior excedat suam potestatem. *In dubio positivo,* seu vera probabilitate de excessu potestatis, idem dicendum ac in casu praecedenti. Eo ipso enim, quod probabile sit, quod superior suam excedat potestatem, vere probabilis evadit non existentia legis, adeoque non obligat. Et huic sententiae (de qua nempe ibi agitur) ad rem nostram, ait S. Alph. l. 3. n. 617., « tandem convenit etiam Suarez in 3. p. D. 4. S. 6. a. 6. in fin., ubi fatetur non esse obligationem obediendi quando, *saltem manifeste* (ad illusionem facilem hac in re praecavendam) *probabile* est mandatum esse supra potestatem praecipientis ». Si dubium vero sit *mere negativum*, praesumptio, per se loquendo, semper stat pro superiore. — Tertius casus est, quia dubitatur de liceitate ipsius rei praeceptae. *In dubio positivo* seu vera probabilitate, lex non est dubia, adeoque obligat. Superior enim praecipit tunc rem probabiliter licitam, immo certo licitam; praecipit enim, ut subditus amplectatur aliquam opinionem probabilem in praxi, quod certe licitum est. Ergo licite et iure praecipit. Ergo subditus obedire tenetur. Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 19., L. 90. l. 1. n. 93. 99. 134. Aliam addit S. Alph. l. 4. n. 47. rationem: « Quia ius possessionis quod habet superior praevalet omni opinioni contrariae, quae non habet rationes convincentes fundantes certitudinem moralem ».

« Limitant vero communiter dd. praefatam sententiam, et dicunt subditum non teneri obedire, 1.° si res sit valde difficilis et molesta, quia tunc difficultas operis simul cum opinione probabili, quod res praecepta sit illicita, vel quod praeceptum excedat potestatem superioris praevalet

illius possessioni. Limitant 2.° quando subditus obediendo exponeret se vel alterum periculo gravis incommodi subeundi in vita, fama, honore aut bonis. Ratio, quia subditus non tenetur tunc se privare iure suo certo, quod possidet circa talia bona magni momenti, ne superior privetur sua *possessione*, quae in eo casu est aliquo modo *incerta* ». L. l. 4. n. 47., l. 3. n. 617., l. 1. n. 31. Verum haec ratio demonstrativa nobis non videtur; nam si ius superioris certum est, ut modo ipsemet S. Alph. affirmabat, non nisi contraria certitudine evinci potest; si vero est incertum, ut in ista limitatione dicitur, tunc argumentum modo factum pro doctrina generali demonstrativum reapse non est. Quare melior et demonstrativa ratio nobis videtur, quia tunc in casu rei valde difficilis vel nocivae merito dubitari potest, an superior excedat limites suae potestatis, adeoque ut modo dicebatur, legis existentia dubia evadit. Vel etiam locus tunc dari potest legitimae epikeiae, secundum varias particularis casus circumstantias.

Si dubium vero sit *mere negativum*, praesumptio semper stat pro superiore. Cf. Suarez de Relig. T. 4. Tr. 10. l. 4. C. 15., Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 19. Ceterum ad praxim magis quod attinet, « communis est sententia omnium thth. tam recentium, quam antiquorum, qui docent in obscuris esse obediendum superiori, ubi non est certum peccatum; et sic docuerunt omnes, qui de hac re egerunt. Ita etiam omnes mysticae theologiae magistri cum S. Ignatio de Loyola in Ep. de Virtut. Obed. ». L. l. 1. n. 100. 194., Lugo l. c. n. 3., Suarez D. 12. S. 5.

VI. — DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA

158. *Quid conscientia scrupulosa?* — Scrupulus est inanis apprehensio, et hinc ortus timor et anxietas, alicubi esse peccatum, ubi non est; vel peccatum grave, ubi non est nisi peccatum leve. Quare conscientia scrupulosa est illa conscientia, quae ex vana quadam causa *dubitat* de alicuius actionis honestate, ideoque formidat de peccato. Huiusmodi *formido* optime stare potest cum *iudicio determinato* de honestate rei; ea enim non nisi levi et inani motivo innititur. Si vero ea *formido* sit, cum *iudicio determinato*, aliquid esse peccatum, quod revera non est, hoc iudicium, quatenus ex inani motivo procedit animumque affligit et anxiat, potest sane dici scrupulus, vel conscientia scrupulosa, late loquendo; proprie vero est conscientia *erronea* vincibilis. Potest item esse scrupulus cum vero *dubio practico,* sit hoc peccatum necne, ex inani motivo, suspicando forte esse peccatum, absque ullo determinato iudicio, quod sit vel non sit peccatum. Et sic rursus est scrupulus vel conscientia scrupulosa late dicta, proprie vero est conscientia *dubia.*

159. *An liceat operari cum conscientia scrupulosa?* — Responsio patet ex duabus seqq. propositionibus hoc num. et seq. — *Licet operari cum conscientia scrupulosa, manente scrupulo; dummodo iudicetur esse scrupulum, et ut talis contemnatur. Neque vero opus est, ut ad singulos actus efformetur hoc expressum iudicium, quod sit scrupulus, sed sufficit quod contra eum quis agat ex iudicio experientiae praeteritorum actuum.* — Ratio 1.ª est, quia taliter scrupulosus habet motivum prudens contem-

nendi dictamen conscientiae scrupulosae; quia scrupulus ex levi fundamento procedit, nec consequenter tollit iudicium aliunde certum vel probabile; et quia confessarii et theologi communiter dicunt scrupulos esse deponendos; aut, si deponi non possunt, esse contemnendos. Ratio 2.ª est, quia tunc habetur iudicium saltem virtuale illius contemptus scrupulorum. — Suarez D. 12. S. ult., L. l. 1. n. 18. 19.

160. *Qui est scrupulosus, quin sciat aut advertat, se esse scrupulosum, aut saltem in hac actione scrupulosum, non potest agere contra conscientiam scrupulosam; si iudicium de peccato efformetur; vel dubium de eo habeatur.* — Ratio, quia talis libere eligeret illud, quod malum iudicat, vel de quo dubitat, an malum sit.

161. *Undenam scrupuli procedant? — Causae scrupulorum, dispositivae, permissivae, effectivae, occasionales, aliae sunt intrinsecae, aliae extrinsecae.* — Scrupulorum causae *intrinsecae* sunt: 1.° Naturalis corporis constitutio, admodum disposita ad suspiciones et timores, uti est indoles melancholica. 2.° Infirma capitis valetudo, praesertim in mulieribus. 3.° Ignorantia, qua quis Dei et Ecclesiae praecepta non bene percipit. 4.° Superbia occulta, qua quis nimis proprio fidit iudicio. 5.° Nimia abstinentia et vigiliae immoderatae, quibus, capite debilitato, facile conturbatur animus. 6.° Immoderatus et indiscretus fervor. — *Extrinsecae* vero scrupulorum causae sunt: 1.° Deus, qui scrupulos permittit *in iustis*, ut sic purgati magis proficiant; *in tepidis*, ut christiana pietatis officia ferventius obeant; *in poenitentibus*, ut praeteritorum peccatorum poenam luant. A Deo scrupuli esse censentur, si iis exagitati meliores evadant. — 2.° Daemon, qui, « Deo permittente, movere potest melancholichos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest, vel turbari ad timorem inordinatum ». S. Ant. I. p. t. 3. c. 10. Scrupuli a daemone provenire existimantur, si scrupulosus ad teporem adduci, a virtute retrahi, et praecipue ad desperationem inclinari se sentiat. — 3.° Societas scrupulosorum, praesertim si horum consiliis se moderentur scrupulosi, et frequenter de rebus animae cum his confabulentur: quibus enim sociamur, hos imitamur facillime. — 4.° Lectio librorum, qui nimis rigidi sunt, « statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere »; S. Ambros. in ps. 118.; sensim sine sensu iis assentimur opinionibus, quibus studemus.

162. *Quaenam sint signa conscientiae scrupulosae?* — « 1.° Pertinacia iudicii, qua scrupulosus sapientum consiliis parere renuit, varios consulit, sed nullius iudicio acquiescit, immo quanto magis plures audit, eo plus perplexus evadit. — 2.° Frequens iudicii mutatio ex levibus motivis, unde oritur inconstantia in agendo mentisque perturbatio, praesertim in operationibus externis, puta in celebratione missae, etc. — 3.° Habere reflexiones impertinentes plurium circumstantiarum, quae in actione adfuerint vel adesse potuerunt ». L. l. 1. n. 11. — 4.° Si putet se peccare in eo, in quo pii homines nullum omnino peccatum inveniunt; si preces suas anxie recitet, easque continuo de novo ordiatur; si excutiendae conscientiae non faciat finem, et minima quaeque explicet, et saepe etiam repetat in confessione. — 5.° Si signis ridiculis, gestibus aliisque modis utatur ad scrupulos deponendos. — 6.° Si scrupulosum iudicaverint confessarius, vel alius vir prudens. — La-Croix l. 1. n. 515. seqq.

163. *Quaenam sint remedia conscientiae scrupulosae?* — 1.° Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. « Scrupulosus tenetur aliquando obligatione gravi adversus scrupulos operari, cum ex scrupulorum anxietate possit grave damnum timere in profectu spirituali, aut in valetudine corporis, vel mentis ». L. l. 1. n. 17. 13. — 2.° Iudicio confessarii, vel alterius pii ac docti viri acquiescere. « Hoc enim super omnia *praecipuum*, immo *unicum* potest dici remedium huiusmodi infirmorum esse... Hac obedientiae anchora destituti nunquam ipsi sanari possunt ». L. l. 1. n. 12. 13. 16. « Postquam scrupulosus unius confessarii, vel boni viri, responsum vel exemplum accepit, non debet alios consulere, ne assuescat ad anxietates inutiles diutius fovendas ». Sporer n. 108. — 3.° Bonorum vitam et consuetudinem tanquam regulam intueri, et aliorum scrupulosorum conversationem vitare; itemque a lectione librorum scrupulos excitantium abstinere. L. l. 1. n. 2. — 4.° Antequam operetur, non iudicare quidquam esse peccatum, nisi certo sciat; ne ex errore conscientiae reapse peccet. Post operationem utatur « regula a dd. sapienter tradita, nempe, eos qui sunt timoratae conscientiae, nisi moraliter certo sciant, se in grave peccatum consensisse, immunes esse a peccato iudicandos, nam impossibile est, peccatum in animam ab eo abhorrentem ingredi, quin ab ea clare cognoscatur ». L. l. 1. n. 15., Suarez D. 12 S. ult. — 5.° Assuefacere se ad sequendas sententias mitiores et minus etiam tutas. Busemb. ap. La-Croix l. c. « Pro scrupulosis, servanda est regula illa a B. Alberto M. et S. Antonino tradita: Inter duram et benignam sententiam circa praecepta, benigna interpretatio, ceteris paribus facienda est ». L. l. 1. n. 19. — 6.° Nunquam otiari; quia otium implet phantasiam cogitationibus scrupulosis. L. l. 1. n. 12. — 7.° Destruere causas scrupulorum; v. g., melancholicus evacuet medicamentis atram bilem, pertinax frangat suum iudicium, superbus suae prudentiae non confidat, rudis instructionem petat, timidus meditetur bonitatem Dei, quae non imponit praecepta redigentia ad insaniam. — 8.° Instanter ac confidenter se Deo commendare, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 1., 4., L. l. 1. n. 12.

Proderit etiam nosse scrupulosorum privilegia: 1.° quod scrupulosus non teneatur in agendo adhibere examen et diligentiam, nisi valde mediocrem, nec tantam quantam alii; et quod, dum angit scrupulus nec suppetit consilium, possit libere agere quod vult, nisi certum et evidens sit esse peccatum. Cf. Vasq. in 1. 2. D. 57. — 2.° Quod nihil teneatur repetere ex praeteritis confessionibus, nisi certo sciat illud esse mortale, et se rite confessum non esse. Non est autem certus, quandiu dubitat. Unde suadet Laym., ut scrupulosus nunquam confiteatur dubia et scrupulos. Et Sa v. *dubium,* aliique dicunt, non teneri confiteri nisi quae iurare possit esse mortalia, et nunquam esse confessum. Ratio utriusque privilegii, est quia in scrupuloso nimio timore peccandi turbatur ratio, ut non possit recte rem examinare. Unde esto aliqua confessus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno et periculo anxietatis perpetuae procurare integritatem confessionis, cum ab ea saepe minores difficultates excusent. L. l. 6. n. 476. 477. — 3.° « Immo aliquando potest quis taliter scrupulis angi, quod licet ei videatur certo aliqua non dixisse, adhuc ad ea confitenda non teneatur ». L. l. 1. n. 16.

164. *Quaenam esse debeat ratio agendi confessarii cum scrupulosis?* — *Hisce regulis continetur:* 1.° Patiens ac caritate plenus sit, cum scrupulosorum cura longa sit et ardua, ac miserrima eorum conditio. — 2.° Sit discretus, adeo ut rite cognoscat, quaenam sit in poenitente scrupulorum origo; et an sit scrupulosus in omnibus, an in uno tantum, ut malis congruenter mederi valeat. — 3.° Sit prudens, in regulis videlicet praescribendis, quae quidem generales sint oportet; regulis enim particularibus scrupulosi fere nunquam valent se accommodare, quia eas sibi applicare nequeunt. Immo semper dubitant, utrum casus fuerit satis explicatus, atque perceptus, utrum regula sibi praescripta casui illi sit bene accommodata. — 4.° Brevis et dictatorius sit in suis responsis; et omnia, quoad potest, prompte definiat, ac firmiter: secus poenitens auctoritate ipsius confessarii in sua anxietate confirmaretur.

Speciatim confessarius advertat, ut plurimum scrupulos versari circa tria: 1.° quod malae cuicumque cogitationi quae menti obversatur, v. g., contra fidem, castitatem, caritatem, praebeatur assensus; 2.° quod confessiones praeteritae nullae fuerint, aut etiam sacrilegae, vel ob defectum integritatis, vel ob doloris imperfectionem; 3.° quod in omni actione peccatum vel peccati periculum videatur inesse.

Si 1.um, poenitenti imperet, ut timores huiusmodi omnino despiciat, eumque doceat, non pravas cogitationes, sed pravos consensus esse peccata. Saepe etiam expediet scrupuloso imponere, ut a confessione huiusmodi cogitationum se poenitens abstineat, nisi ita certo sciat in illas consensisse, ut illico queat iurare. « Neque est quod terreamur propter moram temporis, aut vehementiam cogitationis, nam haec etiam saepe sunt naturalia et involuntaria, et interdum ex timore, postea maiora apparent, quam revera fuerint ». Suarez D. 12. S. ult. « Fac tamen diligenter animadvertas, daemonem vel sensum ipsum subinde tentationes nonnullis maxime scrupulosis iniicere sub enuntiatione consensum exprimente, hoc vel simili modo: *Volo peccare, volo consentire;* cum tamen nullus adsit voluntatis consensus, qui non ex incidentibus verbis, sed ex proprio ipsiusmet voluntatis superioris actu repetendus est ». Ithur. Cas. 18. n. 5., Elbel de Act. hum. 226. seqq.

Si 2.um, et generalem iam alias poenitens confessionem expleverit, aut per aliquod notabile tempus ad poenitentiam diligenter et pie accedere consueverit, huic imponat, ut non amplius de culpis praeteritis cogitet, neque ullum amplius de iis verbum faciat, nisi iurare possit, se certo peccata illa mortalia perpetrasse, et illa nunquam in confessione deposuisse. Quod si post confessionem rite peractam redeat, tunc confessarius inauditum dimittat ei praecipiens, ut accedat ad communionem. Ita se gessit S. Bernardus, qui sacerdoti cuidam prae scrupulis a missae celebratione se abstinere volenti dixisse fertur: *Vade et in fide mea celebres,* et liberatus fuit. Neque dicas: Utinam qui ita loquitur esset alter Bernardus! Quisquis ita dicis, ait S. Antoninus ex Gersone, erras: non enim commisisti te in manibus hominis, quia litteratus, quia pius; sed quia tibi est praepositus.

Si 3.um, confessarius imponat, ut libere agat et scrupulos despiciat: immo contra eos operetur, quoties evidens peccatum non appareat; quia, generatim loquendo, isti ob rationem ex nimio illo timore perturbatam putant esse peccatum, ubi non est. Unde oportet iis praeceptum iniungere, ut scrupulos vincant, ne inutiles tam sibi quam aliis evadant; atque ut

postea de talibus actionibus se minime in confessione accusent. Qua in re animadvertendum est, quod etiamsi contingere possit, ut aliquando errent materialiter sic agendo, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiae, quam confessario praestant; quia non homini tunc obediunt, sed Deo dicenti: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* — L. l. 1. n. 12.-19., La-Croix l. 1. n. 527. seqq.

165. *An scrupuli sint utiles?* — 1.° « Scrupulus... per aliquod spatium temporis, non parum prodest animae, quae se dat spiritualibus exercitiis; immo magnopere purgat et mundat talem animam separando illam valde ab omni specie (apparentia) peccatii uxta illud Gregorii, *Bonarum mentium est, ibi culpam cognoscere, ubi culpa nulla est* ». S. Ignatius de Loy. Exerc. Spir. Reg. de Scrup. 3.ª, La-Croix l. 1. n. 513. — 2.° Si vero per longum tempus protrahantur « scrupuli sunt noxii, imprimis corpori, quia destruunt valetudinem, attenuant caput, saepe redigunt hominem ad insaniam, vitam saepe abbreviant; deinde animae, quam reddunt intricatam, desolatam, perplexam, quandoque desperabundam; confundunt intellectum, iudicandi vim perturbant, saepe totum hominem, insignibus talentis praeditum, reddunt ad omnes functiones ineptum: praeterea impediunt multa bona opera, prodigunt tempus multis vanis ac inutilibus cogitationibus, etc. ». La-Croix l. c. n. 514.

DE LEGIBUS

I. — DE NATURA LEGIS

166. *Quid sit lex?* — Lex regula est humanarum actionum in ordine ad moralem harum honestatem vel turpitudinem. Verum, si lex stricte sumatur, unica regula non est. Nam humanae actiones regulari possunt etiam a *consilio* et a *praecepto*. — *Consilium* est directio a doctore, amico, vel aequali, vel etiam superiore, minime vero quatenus superior est. — *Praeceptum*, prout a lege distinguitur, est regula imposita a superiore, qua superior est, non toti communitati, sed individuo particulari, uni vel pluribus. — Denique *lex* regula est toti communitati imposita. Consilium ergo dirigit, sed non obligat; lex vero et praeceptum dirigunt et obligant. S. Th. 1. 2. q. 90. a. 3. — Si de *nomine* fiat quaestio, lex a *legendo* vel a *ligando* indiscriminatim ita appellata est. A *legendo*, quia in ipsa quae sit superioris voluntas legitur, seu cognoscitur; a *ligando*, quia voluntas physica subditi, licet maneat post legem physice libera ut erat, manet tamen moraliter restricta, ita ut nequeat honeste moraliter agere, si a lege praescripta discedat. — Si de *re* fiat quaestio, varie a variis definitur. At communiter recipitur definitio S. Th. 1. 2. q. 90. a. 4.: « Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata ».

Ordinatio; nam ordinare est constituere aliquid in loco sibi debito. Atqui hoc facit lex: sane lex praecipit, prohibet, auctorizat, permittit, punit. L. 7. *de Legib.* Haec faciens constituit humanos actus et actiones

in loco sibi debito, respectu finis obtinendi, qui commune bonum est. — *Rationis;* ordinatio sumi potest active et passive. Lex ordinatio activa est; ipsa enim est, quae ordinem inducit. At active ordinare proprium rationis est: ratio enim est, quae scit distinguere inter locum et locum, inter locum debitum et indebitum. — *Ad bonum;* si enim talis non esset, ordinatio amplius non esset, sed deordinatio. — *Commune;* in hoc lex distinguitur a praecepto, quod singulis imponitur: bonum enim commune non respicit hunc vel illum, hos vel illos individuos particulares dumtaxat, sed respicit omnes. — *Ab eo qui curam habet communitatis;* in hoc lex distinguitur iterum a praecepto, et a consilio. Praeceptum datur etiam ab eo, qui privatam tantum habet *auctoritatem,* ut pater, maritus, dominus. Consilium etiam ab eo datur, qui ceteroqui *auctoritate* non gaudet. — *Promulgata;* lex enim obligat entia rationalia, praecise qua rationalia sunt, qua nempe rationali modo operantur. Ut ergo obliget debet esse nota; ut autem innotescat debet exterius a legislatore proferri; neque utcumque, sed solemniter seu cum publica aliqua solemnitate: scilicet debet *omnibus sufficienter* innotescere hanc esse mentem et voluntatem legislatoris, et quidem *ex parte ipsius legislatoris. Sufficienter* innotescere, h. e. *certa scientia,* secus ens rationale iniuste omnino spoliaretur bono naturali et maximo libertatis, quod certo possidet ex incerta legislatoris voluntate: non enim datur aequalitas inter certam libertatem et incertam obligationem, i. e. inter dominium et possessionem maximi boni certissimam et iustissimam, et spoliationem istius boni incertam et dubiam. Hinc S. Alph. ait: « Lex ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam promulganda ut certa ». — S. Th. 1. 2. q. 90. q. 92., de Verit. q. 17. a. 3., L. 90 seqq., E. M.

167. *Resolves:* Privata legis notitia sine promulgatione ad obligationem non sufficit. Promulgatio vero, statim ac sufficienter facta est, sine notitia legis sufficit ad obligandum in foro externo, quia legis rite promulgatae notitia a iudice iure meritoque praesumitur. Hinc Regula Iuris: *Ignorantia facti non iuris excusat.* R. 13.ª *de R. I.* in 6.° At in foro interno, praeter exteriorem promulgationem, requiritur semper notitia legis; quia nemo peccare potest sine obligationis cognitione. — C. *Ad haec* 1. *de Post. Prael.,* S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3. ad 4., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 21.

168. *Quomodo, et ubinam leges promulgandae; quandonam obligare incipiant?* — Nihil iure naturali definitur. Quare in arbitrio legislatoris est, eam promulgare *modo* et *loco* ab ipso constitutis. *Leges canonicae* promulgantur Romae, earum apographo ad valvas Basilicae Vaticanae aliarumque Romanarum Basilicarum, quae nominari solent, proposito. Neque vero necesse est, ut in singulis etiam dioecesibus a locorum Ordinariis publicentur. S. Poenit. 8. Nov. 1821., 15. Jun. 1870. — Postquam autem lex promulgata est, quandonam obligare incipiat, hoc quoad *leges civiles* a iure pendet uniuscuiusque nationis. Quoad *leges Pontificias,* alii putant eas obligare postquam subditi eas cognoscere potuerunt, alii post duos menses, alii postridie, ex cit. Resp. S. Poenit. Stante hac sententiarum varietate, in legibus irritantibus et inhabilitantibus S. Sedes consulenda. Quoad *leges dioecesanas,* earum facta promulgatione, nullum determinatum exigitur tempus ad ipsarum obligationem. — C. I. initio, Dispos. etc. a. 1., C. G. tit. praelim. a. 1., Decr. 5.-11. Nov. 1870., C. A. 2. 3., C. H. 1., L. 96. 105. 106., H. A. Tr. 2. n. 8., Struggl q. 1. n. 21. 22., Ben. XIV. de Syn. l. 13. c. 4., E. M.

169. *An Tridentinum obliget iis in locis, ubi non fuit promulgatum?* — Certum est: 1.° obligare ubique quoad *fidem* et *mores*, cum horum una sit regula et omnibus necessaria. Neque vero *novae* sunt *leges*, sed merae *declarationes* iuris naturalis et divini, iam ante sufficienter promulgati. — 2.° Non obligare quoad decretum circa *matrimonia clandestina*, S. 22. C. 1. de R. — Quoad alia decreta, quae *disciplinam* respiciunt, affirmat, communis et tenenda sententia. Bulla enim, quae obligationem statuit Concilii Tridentini totum respicit orbem; itemque Bulla, quae diem determinat, quo incipit Tridentinum obligare ad totum orbem data est, et Romae legitime promulgata. B. Pii IV. *Benedictus Deus* 1564., et *Sicut ad Sacrorum* 1564. — Scav. V. 4. n. 83. edit. Mediol. 1874., E. M.

170. *An vis legis pendeat ab acceptatione communitatis?* — *Per se*, lex nullo modo pendet ab acceptatione populi, ut obliget. Quare lex independenter ab ista acceptatione est in se omnino perfecta quoad vim obligandi, quam habet. Prob. Tota vis obligandi est in superiore, non in subdito. Ergo statim ac sufficienter cognoscitur superioris voluntas, obligationi quis obnoxius est. L. 97. 136. 137. 138. — *Per se;* ergo peccant episcopi Pontificias leges non acceptantes; peccant etiam gubernia civilia catholicarum nationum, quae prohibent Ecclesiae leges acceptari. Hae leges, non obstante ista prohibitione, suam retinent vim obligandi. Cf. L. 96.

Per accidens, quandoque non obligat lex non acceptata, ratione taciti, vel expressi consensus superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratae. Prob. 1.° ex consensu communi theologorum. 2.° Quia, ut iam dictum est, tota vis obligandi est in superiore. Ergo, si superior consentit non obligare, quovis pacto consentiat, lex amplius non obligabit. Quare, si maior pars populi legem non acceptaverit, et princeps *sciens et volens* iam non urgeat, quamvis peccaverint priores legem *non acceptantes*, alii tamen culpa vacant ob praesumptum superioris consensum. — *Non acceptantes*, nempe contrarie legem infringendo, voluntate eam non observandi. Nam, si maior pars legem non acceptaverit mere negative, h. e. propter rationabilem causam eius obligationem ad tempus suspendat, donec ea causa superiori manifestetur, parata interim obedire, si superior obligationem urgeat, tunc neque priores peccant. Ex benigna quadam interpretatione, haberi potest obligatio legis tanquam suspensa, usquedum res componatur. L. 139., Struggl q. 1. n. 27. 28. 29. — *Sciens et volens:* nam si princeps nesciat non recipi, nec deduci ad usum, vel non possit in initio contradicere, durat legis obligatio, donec elabatur tempus ad praescriptionem requisitum, et legitima efformetur consuetudo. Attamen, « si tu legem promulgatam paratus sis suscipere, et, data occasione, etiam observes; sed alii plerique e communitate non recipiant, nec recepturi videantur, tunc saltem ab ea excusaberis per discretionem », L. 137., vel potius ob praesumptam superioris voluntatem, nolentem te solum obligare, L. 139., Struggl q. 1. n. 30., Laymann cap. 3. n. 2. — E. M.

171. *Quaenam sint legis proprietates?* — Sunt sequentes: 1.° *Possibilitas*, etiam nempe moralis: quod scilicet non afferat grave vel gravissimum incommodum et difficultatem, saltem communiter loquendo, et *in casu legis positivae*. Ratio est, quia cum lex ordinatio rationis sit, ita et ipsa ordinata esse debet. Iam vero imprudens est et temerarium vitam et cetera bona profundere, quae ad meliorem usum deinceps servari pos-

sent, secluso casu boni communis, contemptus Dei, aut *legis negativae* violatione. Insuper, cum lex iterum ordinatio rationis sit, adeoque et ipsa ordinata esse debeat, accommodata esse debet communi hominum conditioni, ita ut a tota communitate vel maiori saltem eius parte observari moraliter possit, secus inutile, immo nocivum esset legem ferre. Exercere quoslibet virtutum actus etiam heroicos omnium profecto non est. Idque confirmatur ex ipsa praxi utriusque Iuris, ecclesiastici et civilis, et consensu omnium theologorum, asserentium, *legem* divinam *positivam* et humanam non obligare *generatim* cum proportionato gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis coniunctum sit. — S. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. ad 2., Sanchez in Decal. l. 1. c. 18. n. 2.

Hinc *actus heroici* generatim sub legem cadere non videntur, quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo eiusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis.* Attamen aliquando, *exigente bono communi*, praecipi possunt. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitae, si detrimentum inde respublica captura sit. Sic etiam lex obligat cum periculo vitae, si periturae sint animae, nisi pastor adeat aegrotos tempore pestis. L. 175. *Exigente bono communi,* si nempe illud praeceptum *necessarium* sit ad conservandum bonum, aut avertendum malum commune. — Hoc tamen non debet intelligi de legibus iis, quae feruntur ex data hypothesi alicuius status peculiaris, in quem subditus se voluntarie coniecerit, quem propterea *hypotheticum* vocant, *adventitium,* sive *electivum.* Sic Ecclesia praecipit monialibus perpetuam clausuram. Sic etiam hominibus gravissimi criminis reis poenae item gravissimae possunt imponi. Ipsis enim liberum erat sese illis subtrahere, aliter operando. Struggl q. 2. n. 8.

In casu legis positivae: nam *leges negativae,* quae nempe vetant naturali iure malum, etiam cum discrimine vitae sunt observandae. Malum enim nunquam est faciendum. *Excipe* vero leges, rem praecipientes, quae natura sua sine gravi incommodo praestari non potest, ut lex confessionis, pro qua autem praesto est auxilium gratiae, et a qua etiam excusat impossibilitas. Leges autem positivae, quo magis bono religionis et reipublicae prospiciunt, eo magis cum maiori incommodo obligant. — E. M.

2.° *Honestas;* nam lex est *ordinatio rationis.* Quare lex praecipere non potest actus inhonestos; potest tamen praecipere actus per se indifferentes, qui ad commune bonum ordinari possunt, quique consequenter positive honesti evadunt. — Struggl q. 2. n. 9., Elbel 252.-254., S. Th. 1. 2. q. 95. a. 3., q. 96. a. 2.

3.° *Utilitas;* nam lex est ordinatio rationis *ad bonum commune* ab eo, qui curam habet communitatis. Hinc quaevis lex praecipere non potest quosvis actus honestos, sed omnes et solos actus illos, quorum positio vel omissio *ad bonum commune societatis* conferre potest, ut nempe saltem mediate, indirecte, et ultimato cedat in bonum commune. S. Th. 1. 2. q. 96. a. 3. — Quare lex civilis certo non potest praecipere actus *mere internos.* Neque lex ecclesiastica, iuxta plures, id potest; quia, aiunt, legifera Ecclesiae potestas ad externam tantum fidelium gubernationem pertinet. S. Alph., S. Th., Suarez, Bened. XIV., etc., contra alios, qui probabiliter etiam affirmant, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit. — Potest vero lex humana praecipere actus *mixtos,* seu partim internos, partim externos, qui simul unum morale constituunt; et actus externos licet *oc-*

cultos; nam tum illi tum isti actus ad bonum commune dirigi possunt. « Et sic prohibetur sub excommunicatione haeresis externata, licet occulta; sic sub irregularitate homicidium occultum ». L. 100. — S. Th. 1. 2. q. 96. a. 1., 100. a. 9., 2. 2. q. 104. a. 5., Suarez l. 4. c. 12. 18., Ithur. Cas. 41. n. 23., Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 4. n. 4.

4.° *Iustitia.* « Dicuntur autem leges iustae, et *ex fine*, quando scilicet ordinantur *ad bonum commune;* et *ex auctore*, quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis; et *ex forma*, quando scilicet secundum aequalitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. Cum enim unus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum quod est, et quod habet, est multitudinis, sicut et quaelibet pars id quod est, est totius; unde et natura aliquod detrimentum infert parti, ut salvet totum. Et secundum hoc leges huiusmodi onera proportionabiliter inferentes, iustae sunt, et obligant in foro conscientiae, et sunt leges legales. Iniustae autem sunt leges dupliciter: *uno modo* per contrarietatem ad bonum humanum e contrario praedictis; vel *ex fine*, sicut cum aliquis praesidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam utilitatem vel gloriam; vel etiam *ex auctore*, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem; vel etiam *ex forma*, puta cum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et huiusmodi magis sunt *violentiae*, quam *leges*... Unde tales leges non obligant in foro conscientiae, nisi forte propter vitandum scandalum vel turbationem, propter quod etiam homo iuri suo debet cedere... *Alio modo* leges possunt esse iniustae per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum, inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud quod sit contra bonum divinum; et tales leges nullo modo licet observare ». S. Th. 1. 2. q. 96. a. 4.

5.° *Stabilitas;* lex enim sine tempore definito constituitur, ita ut semel lata, nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret quamdiu stat communitas, cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiae pro quibus lata est. Quod autem generaliter quidem constituatur, sed non in perpetuum, *Statuti, Edicti, Decreti* nomen habet. S. Th. 1. 2. q. 97. a. 1. 2.

Hinc lex non nisi *tripliciter cessare* potest: 1.° Per *abrogationem* vel *derogationem*, prout omnino aut tantum ex parte aboletur. L. 102. de R. I. Quemadmodum enim superior legem ferre, sic eamdem vel tollere vel coarctare potest. Atque hic notandum est, per legem *generalem* nunquam abrogari legem *particularem*, alicuius loci, nisi id expresse caveatur in ipsa, aut *particularem* consuetudinem, quam princeps ignorare praesumitur. Ex adverso, quia consuetudines *universales* praesumuntur principi esse notae, eo ipso abrogari dicendae erunt, quod princeps fert legem contrariam, etsi desit clausula generalis derogatoria. Idemque de *universali* lege dicendum. Episcopi autem per eorum leges abrogant quamcumque consuetudinem particularem; quia praesumuntur plenam habere notitiam consuetudinum dioecesium suarum. C. *Licet* 1. *de Const.* in 6.°, C. I. initio Dispos. etc. a. 5., C. H. 5., L. 109. 199. Cf. l. 6. n. 680. — 2.° Per *cessationem causae motivae adaequatae*, seu finis totalis, ob quem lata est, respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam urgere legislator rationabiliter nequit. S. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. — 3.° Per *desuetudinem*, seu per *consuetudinem contrariam*, debitis vestitam conditionibus; tunc enim superioris consensus saltem legalis accedit.

Stabilitas haec proprietas est exclusive propria legis, si lex cum praecepto comparetur. Praeceptum enim cessat morte praecipientis vel cessatione ab officio; lex vero non extinguitur simul cum legislatore. Cum enim cessat persona physica, a qua lex emanavit, neque cessat leges ferendi officium, neque cessat bonum commune, ac propterea non cessat lex, quum bonum illud commune, bonum sit universale totius societatis et constans. Bonum vero, quod respicit praeceptum, bonum privatum, seu individuale est, et natura sua variabile; et cum persona physica superioris ipsum praecipiendi officium per se cessat, ut in Patre, Domino, Magistro, etc. videre est. — Interim tamen etiam praeceptum, seu mandatum, quandoque non statim expirat per mortem mandantis; nempe si mandatum sit ad pias causas, vel in favorem dotis matrimonialis vel alicuius scholastici; si mandatarius expresse iubeatur aliquid exequi etiam post mortem mandantis; si res non sit amplius integra, videlicet in iudiciis, in donationibus et promulgationibus nomine alterius faciendis; si res sit etiam integra, sed *executio* tantum alicuius gratiae mandata sit in favorem alterius, neque ipsamet gratiae *concessio* relicta sit arbitrio mandatarii. La-Croix 566. 876., Struggl q. 1. n. 5., L. 140.

6.° *Lex afficit immediate territorium, praeceptum vero immediate personam.* Praeceptum enim respicit bonum *privatum personae,* unde ubicumque ipsa sit praeceptum urget. Lex vero respicit *bonum commune,* bonum nempe communitatis, quae non nisi determinato territorio est, unde personam, non nisi in territorio existentem, obligat.

172. *An cesset lex, cessante causa finali, in casu particulari tantum?* — R. Affirmative, si cessat *contrarie,* quando scilicet materia legis redderetur in illo casu nociva, vel valde difficilis. Nam lex positiva, praesertim humana, non obligat cum gravi et proportionato incommodo. — Controvertitur, si cessat tantum *privative,* scilicet, si lex tunc redderetur inutilis. Prima sententia, quam plures et graves thth. tenent, affirmat, quia lex tunc redditur inutilis: Secunda vero sententia, quae magis arridet S. Alph., negat, quia quamvis cesset finis legis in particulari, non cessat tamen in communi. Est enim, communiter loquendo, fere semper periculum hallucinationis, qua quis in casu proprio faciliter decipi potest. Unde tunc evadit lex fundata in praesumptione iuris, quae utique semper obligat. Attamen addit S. D., quod si casus accideret, quo « aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum », non auderet priorem sententiam improbare, L. 199. l. 6. n. 613., immo hanc sententiam S. D. *probabilem* dicit l. 3. n. 846. — Notandum autem est, quod finis legis potest esse multiplex, ut in lectione librorum prohibitorum; et tunc, uno cessante, non ideo cessat lex. — L. H. A. Tr. 2. n. 69., S. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3., 2. 2. q. 154. a. 2. 3., Struggl q. 4. n. 25. - 27.

173. *Resolves:* A bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. Hinc etiam non potest quis legere libros prohibitos, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat. Ac quamvis vere etiam cesset istud periculum in casu particulari, non omnino tamen cessat finis prohibitionis, cum ille sit non solum, ut perversionis periculum vitetur, sed etiam, ne ansa pravis scriptoribus detur perniciosa typis demandandi. — L. 199.

174. *Quid et quotuplex sit interpretatio legis?* — Lex non semper clara est. Hinc ad eam rite intelligendam interpretatione opus est, quae definitur: genuina legis explicatio iuxta mentem legislatoris. *Mentem*, non latentem, sed verbis legis expressam, S. Th. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3. — Interpretatio est: 1.° *Authentica, doctrinalis* et *usualis*, prout fit ab ipso superiore, vel a viris doctis, vel ex consuetudine. Ut interpretatio vere *authentica* sit, et non *doctrinalis*, necesse est, ut superior legem declaret quatenus superior, h. e. utens potestate iurisdictionis. Si enim tanquam privata persona suam mentem declarat, interpretatio *authentica* non erit, sed *doctrinalis*. Consuetudo aequivalet *authenticae* interpretationi, si est legitime praescripta, secus vero mere *doctrinalis* est. — 2.° *Stricta* vel *lata*, prout fit stricte iuxta naturalem verborum proprietatem, aut large iuxta sensum benigniorem. — 3.° *Comprehensiva* vel *extensiva*, prout ea interpretatione vel nihil novi inducitur; vel aliquid ea addatur; cum verba, vel ut sonant, vel ultra eorum sensum naturalem accipiuntur. — Ithur. Cas. 53. n. 2. seqq., L. l. 3. n. 760. 765., C. I. initio Dispos. etc. a. 3.

175. *Quaenam sint interpretationis regulae?* — 1.° Accipienda sunt verba legis, iuxta eorum propriam et usitatam acceptionem, nisi sequatur inde quid absurdum aut iniustum, aut lex inutilis prorsus evadat. — 2.° In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, seu ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes. Reg. 88.ª de R. I. in 6.° — 3.° Lex poenalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis subit amplam interpretationem. — L. 17. 18. 19. 23. 24. 25. 26. 37. *de Legib.*, L. 200., Struggl q. 4. n. 1. seqq.

176. *An interpretatio authentica promulgatione indigeat, ut obliget?* — R. Negative; si ea interpretatio sit declaratio sensus clare contenti in lege; cum talis declaratio non sit nova lex; nihil enim novi statuit, sed statutum declarat. Affirmative; si declaratio sit sensus obscure contenti in lege, quia habetur tunc ut nova lex; vel si legem coerceat, vel extendat, siquidem tunc vere nova lex est. — L. 200., l. 3. n. 1027.

177. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis?* — « Leges *poenales* non sunt extendendae de casu ad casum ». L. l. 6. n. 689. Odia enim sunt restringenda. — Leges item *irritantes* vel ius aliquod concedentes a casu ad casum extendi non possunt: nam actus tunc valore destituitur, vel vim habet non nisi a positiva voluntate legislatoris. C. I. initio Dispos. etc. a. 4. — Negandum item est quoad alias leges; etsi *eadem ratio* currat, a fortiori si sit *similis ratio* dumtaxat. Etenim non ratio legis, sed legislatoris voluntas, subditis rite intimata, vim legis habet, et obligat. Potest enim legislator bene de uno disponere et non de alio. Hinc commune axioma: Ratio legis non est lex; et finis praecepti non cadit sub praecepto. L. 20. 21. *de Legib.*, S. Th. 1. 2. q. 100. a. 9. ad 2., L. l. 3. n. 273. — Si autem non licet *per se* legem a casu ad casum *extendere*, a fortiori non licet *privilegium* a personis ad personas alias, a rebus ad res alias extendere. Reg. 28.ª De R. I. in 6.° — Verum « contraire fini legis est quaedam inordinatio, quae ab omni culpa non videtur excusari ». L. l. 3. n. 1030.

Excipe tamen, quoties alias manifeste absurdum aut iniquum quid sequeretur, et manifeste accusari posset legislator iniustitiae, vel imprudentiae. Hoc autem habetur in sequentibus: 1.° in *correlativis*, v. g., inter

sponsum et sponsam; ut, puta, si sponsa liberatur a sponsalibus ob longam absentiam sponsi, pariter hic ob sponsae absentiam liberatur. 2.° In *aequiparatis*, a iure, ut sunt electio, praesentatio, postulatio ad beneficium; ova et lacticinia ratione *abstinentiae;* et sic quod lex disponit circa unum, idem disponere censetur circa aliud. 3.° In *connexis*, ut sunt diaconus et subdiaconus. 4.° In *contentis:* sic ille qui potest testari, etiam legata facere potest.

Atque haec valent etiamsi de lege *poenali* agatur. Neque tunc valet regula: Odia restringenda, favores ampliandi. Nam id procedit tantum, cum dispositio legis extenditur ex interpretatione *congruitatis*, non cum debet extendi ex interpretatione *necessitatis*, quae non tam debet dici *extensio*, quam mera *comprehensio*. Et sane extensio legis alia est necessaria, alia congruentialis. Illa est omnino requisita ad iustitiam vel rectitudinem; haec vero non ita, sed tantum est voluntaria, quia licet possit lex multa alia iuste comprehendere, tamen minor comprehensio sufficit ad iustitiam legis et proprietatem verborum cum ratione etiam legis servandam. Porro generalis regula de non ampliando leges poenales intelligi debet de interpretatione voluntaria, i. e. sine qua potest adhuc conservari prudens dispositio, et iustitia legis; non de necessaria extensione legis, quae requiritur, ut servetur iustitia, vel aequitas. — L. 200., l. 3. n. 293. 1027., Ithur. Cas. 53.

178. *An Declarationes, Decisiones et Decreta SS. Congregationum vim legis habeant?* — Nullum dubium est, quod ipsa obligent in particularibus casibus, pro quibus feruntur. C. Sixti V. *Immensa.* — Nullum dubium, quod vim habeant legis, si eis adiiciatur robur Apostolicae firmitatis, Cf. Bened. XIV. C. *Sacramentum Poenitentiae*, aut Apostolicae Sedis mandato solemniter fuerint publicata, vel si in Ecclesia universaliter et usu plurium annorum fuerint divulgata. L. 106. — Praeter casus praedictos, « duplex est sententia, utraque probabilis... Prima sententia asserit, quod... robur habent obligandi omnes... Secunda sententia dicit, quod... non obligant universe... Ratio huius sententiae est, quia, ut lex obliget, omnino requiritur solemnis promulgatio legis ». L. 106. Sed tertia est sententia, quae affirmat; quando *Declarationes* sunt *comprehensivae*, quae nempe non recedunt a propria et usu recepta significatione verborum. Nam nulla tunc opus est promulgatione, siquidem non conditur novum ius, sed conditum et promulgatum tantum explicatur. Negat vero; quando *Declarationes* sunt *extensivae*, quae nempe recedunt a propria et communiter accepta verborum significatione. Nam tunc novae sunt leges, quae potestatem legislativam requirunt, et promulgationem. Schmalz. Dissert. prooem. n. 373. seqq., Pichler Proleg. n. 46., Reiffenst. Prooem. n. 130. seqq. — L. l. 1. n. 106., l. 3. n. 760. 765. 1027., l. 6. n. 401. 403. 566. 593. 699., H. A. Tr. 15. n. 87., Bened. XIV. de Syn. l. 6. C. 6. n. 4., Indice Operis v. *Congregatio Concilii, eius prudens inconstantia in suis decisionibus ac in iudiciis ferendis,* Scav. l. 1 n. 339. 340. Ed. Mediol. 1874., E. M.

179. *Quid sit epikeia?* — Ad interpretationem revocatur *epikeia,* quae est benigna, sed aequa legis interpretatio, qua lex iudicatur non se extendere ad talem casum particularem, quamvis in verbis legis clare comprehensum, ob circumstantias particulares, quae a legislatore vel praevisae; vel comprehensae reipsa non sunt. Si, v. g., lex prohibeat gestare arma noctu; gestare possum, si exire debeam et inimicum meum ad mortem

me quaerentem sim offensurus. Ut tamen detur locus epikeiae, non solum debet lex cessare in casu particulari *negative*, quia nimirum deficiet tunc finis legis; sed debet cessare *contrarie*, nempe quod legis observantia reddatur *peccaminosa*, *damnosa*, vel nimis *onerosa;* neque tunc opus est superiorem interrogare, licet id facile fieri possit. Id enim ex ipsis legis proprietatibus deducitur. Nam lex esse debet honesta, utilis, possibilis, adeoque non obligat cum gravi incommodo. Verum datur locus etiam epikeiae, cum, quamvis lex in casu particulari non reddatur peccaminosa, damnosa, vel nimis onerosa, iudicatur tamen ex quadam aequitate et benignitate legislatorem noluisse illum in verbis legis includere. Et tunc cum fere in dispensationem recidat, necesse est superiorem adire, si consuli possit. — L. 3. seqq. *de Legib.*, L. 201., S. Th. l. 2. q. 96. a. 6., 2. 2. q. 120. a. 1., Struggl q. 4. n. 7. 8., Ithur. Cas. 53. n. 9.-13., Schmalz. l. 1. t. 2. n. 44.

II. — DE AUCTORE LEGIS

180. *Quinam generatim leges ferre possint?* — Cum Deus sit Dominus omnium, et superioribus non solum ecclesiasticis, sed et civilibus parere iusserit, non solum ipse, sed illi etiam leges ferre possunt. L. 140. Hinc plures distinguuntur leges. — 1.° *Lex aeterna*, quae est: Ratio et voluntas Dei aeterna ordinem praescriptum servari iubens, perturbari vetans. Ea initium et fundamentum est omnis legis; ab ipsa enim profluit lex naturalis, et a lege naturali reliquae leges vim et normam desumunt. Cf. S. Th. l. 2. q. 91. a. 1., q. 93. — 2.° *Lex naturalis*, quae lex Dei aeterna est hominibus promulgata per rectam rationem, qua discernimus quid sit bonum, et quid malum, bonum faciendum et malum vitandum. Quare obiectum huius legis est id quod *per se* et intrinsece bonum vel malum est. Cf. S. Th. 1. 2. q. 91. a. 2. 6., q. 94., L. 102. — 3.° *Lex divina*, quae lex est a Deo per revelationem data. Ea duplex est alia enim Veteri Testamento alia Novo Testamento continetur. Vetus Testamentum praecepta continebat caeremonialia, iudicialia et moralia. Novum Testamentum, praeter *consilia*, praecepta continet fidei, morum, sacramentorum. Cf. S. Th. 1. 2. q. 91. a. 4. 5., q. 98.-108., L. 103. — 4.° *Lex canonica* et *civilis*. Prior ab ecclesiastica est potestate, et ea attingit, quae in Ecclesia ad animarum spectant salutem. Posterior, a civili est potestate, et iura ac obligationes moderatur inter cives et cives; inter cives et principem; inter gentem et gentem. Unde ius exoritur *privatum*, *publicum* et *gentium*. C. 1. 13. *de Constit.*, C. 2. e. t. in 6.°, Inst. l. 1. t. 1. 2., l. 2. t. 1. § 11., S. Th. 1. 2. q. 91. a. 3., q. 95. — E. M.

181. *Quinam in Ecclesia leges ferant?* — Papa et episcopi, sive ipsi soli, sive in Conciliis oecumenicis, provincialibus, dioecesanis. C. *Si quis* 2. *de Maior.*, C. *Ut animarum* 2. *de Const.* in 6.° Decreta Conciliorum Provincialium publicari non possunt, nisi prius a S. C. C. expensa ac recognita fuerint. Sixtus V. C. *Immensa.* — Papa leges fert pro tota Ecclesia. Nam primatum habet iurisdictionis pro tota Ecclesia. Eandem habent vim Decreta Conciliorum oecumenicorum. Concilia enim Generalia repraesentant totam Ecclesiam docentem et regentem. *Legati* quoque leges ferunt in suis provinciis, sed nomine et auctoritate Summi Pontificis. C. *Nemini* 10. *de Off. Leg.* — Episcopi leges ferunt in propriis dioecesibus, postquam nempe in

propriis dioecesibus canonice sunt instituti, expeditis et exhibitis Apostolicis litteris, C. *Iniunctae de Elect.* Extrav. Comm., C. Pii V. *Romanus Pontifex.* Sunt enim *veri Rectores* in suis dioecesibus, Act. 20. 28. Huiusmodi quidem potestas necessaria est ad rectam dioecesis administrationem. Hinc episcopi ferre quidem possunt leges pro sua quisque dioecesi, etiam sine consensu capituli, nisi tamen agatur de iis, quae in praeiudicium capituli aut cleri cedere possunt. C. *Novit* 4., C. *Quanto* 5. *de His quae fiunt a prael.* Consuetudo tamen invaluit, ut, nisi expresse cautum aliter fuerit, ea quae decernit episcopus extra synodum, inconsulto capitulo, vim non habeant legis, sed simplicis *statuti,* quod consequenter cessat, cessante iure episcopi, morte, translatione, abdicatione. *Statuta* autem episcopi, etiam extra synodum, *audito tamen consilio* capituli, facta et promulgata, iuxta veriorem sententiam, eandem perpetuitatem habent ac Constitutiones Synodales. Bened. XIV. de Syn. l. 12. c. 5. n. 1., l. 13. c. 5., L. 104. l. 7. n. 6. Nihil vero decernere possunt episcopi contra leges Pontificis, neque in materiis S. Sedi reservatis, cum inferior in superiorem iurisdictionem non habeat. — Archiepiscopi et Patriarchae leges ferre nequeunt pro dioecesibus suffraganeorum, quia non sunt superiores proprie dicti, quamvis eorum lites ad se delatas componere possint. — L. 105., Struggl q. 2. n. 6., E. M.

182. *An alii etiam leges condere possint praeter S. Pontificem et episcopos?* — 1.° *Cardinalis* potest ratione suae dignitatis in Ecclesia sui Tituli leges ferre. C. *His quae de Mai. et obed.*, C. *Querel. de Elect.* Collegium Cardinalium vero, Sede Romana vacante, si necessitas non urget, non potest leges ferre; sed nominationi alterius Pontificis debet statim incumbere. Clem. 2. *de Elect.* — 2.° Abbates et praelati exempti leges ferre possunt pro suo territorio, ubi quasi episcopalem exercent iurisdictionem; iurisdictioni enim adnexa est legislativa potestas. — 3.° *Capitulum cathedrale,* sede vacante, leges condere potest. Iure enim succedit in iurisdictionem episcopi. C. *His quae* 11., C. *Cum olim* 14. *de Mai. et obed.* L. 104. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 21. n. 5. — 4.° Capitula seu congregationes generales et praelati regulares veras leges condere valent, intra limites suae *iurisdictionis,* iuxta proprias ordinis constitutiones. Habent enim statuta a S. Pontifice approbata, quae illis hanc facultatem tribuunt. *Iurisdictionis,* nempe a Papa concessae, non autem *vi voti,* quod cum personale sit non dat nisi potestatem imponendi *praecepta,* minime vero *legem* condendi. Elbel 278.-280. — 5.° Abbatissae, vel superiorissae monialium non possunt leges proprie dictas ferre, cum iurisdictionis ecclesiasticae non sint capaces. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res praeceptas, vel circa ea quae ad profectum monialium iuxta regulas conducunt. Habent enim ius praecipiendi tum ex voto obedientiae a subditis emisso, tum ex necessitate disciplinae, quae in communitate servari debet. Hinc novitiae, licet ad obedientiam non teneantur stricte, *vi voti,* quod non emiserunt, tenentur tamen aliquo modo ad obediendum ratione regularis disciplinae. Quapropter « abbatissae possunt ferre praecepta pro recta gubernatione domus, et adhuc sub culpa gravi obligare ». L. 104. Cf. Schmalz. l. 1. t. 31. n. 38. 39., Elbel. 281.-284. — 6.° Parochi leges condere non possunt. Ratio, quia non habent iurisdictionem in foro externo. — E. M.

183. *Quinam in Societate Civili leges ferant?* — Princeps vel populus vel uterque simul, pro varia regiminis forma, leges ferunt. In guberniis

monarchicis principes, qui suprema gaudent potestate in civili societate, leges ferunt. In guberniis repraesentativis potestas leges ferendi residet in rege, vel in praeside reipublicae et in corpore legislativo ex deputatis, vel etiam ex senatoribus constituto. Enimvero saeculares principes sunt veri superiores in civili societate, et ea potestas ad rectam civilis societatis gubernationem necessaria est. Quare nullum est dubium, quod et eorum leges possint etiam in conscientia obligare. — L. 104., E. M.

184. *Nota:* 1.° — « Poterit S. Pontifex abrogare vel corrigere leges civiles aliorum principum, si opponantur aequitati ». L. 103. Licet enim S. Pontifex potestatem *directam* non habeat leges omnes condendi obligantes in re civili, sed tantum in re ecclesiastica, C. 13. *de Iudiciis*, C. 13. *Qui filii sint legitimi; indirecte* tamen in ea etiam potestatem habet, quatenus civiles leges fidelium saluti noxias corrigere possit, et principum civilium negligentiam supplere valeat, C. 1. 2. *de Empt. et vend.*, *de Tregua et pace.* Et sic antiqui Romani Iuris « aliae leges civiles sunt expresse a Iure Can. approbatae, aliae expresse correctae, aliae neque approbatae, neque reprobatae... Leges approbatae sine dubio in conscientia obligant... Correctae non obligant quidem in conscientia... Non reprobatae videntur tacite approbatae a Iure Can.... C. 1. *de Novi oper. nuntiat...* Item C. *Super specula de Privil....* Et Gelasius Papa ep. 4. ad Anast. Imperat. scripsit: *Quantum ad ordines pertinet publicae disciplinae, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites* ». L. 106. Intellige haec non solum de Iure Romano, quod olim viguit, sed etiam de Iure Civili, quod in praesenti viget. Ordo enim publicae disciplinae, et iussum legitimae potestatis, ratio sunt cur Romanum Ius a Iure Canon. adprobetur, eademque viget in qualibet civili societate bene ordinata. *Ius* autem *Romanum* cum *Iure Canonico* constituebat *Ius Commune*, ita dictum, quia per plura saecula totus orbis eo communiter usus est.

2.° « Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum; propterea que in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cuiusque causa constitutos. Ex quo tamen nulla ratione disiunctas esse sequitur multoque minus pugnantes ». Leo XIII. Enc. *Sapientiae christianae* 10. Ian. 1880. Cum utraque potestas a Deo sit, et ad eundem *finem tendat*, foventur mutuo: Hinc, quoties materia communis est utriusque Iuris, Ius Civile suppletur ex Iure Canonico; et, contra, quod Iuri Canonico deest suppletur ex Iure Civili, C. 1. *de Nov. op. nunc.*, non quidem Romano, quod olim viguit, sed eo quod nunc viget; quia ideo utrumque *Ius* fovetur mutuo, quia utraque *Potestas* mutuo foveri debet, non certe potestas quae desiit, sed quae est. Nihilominus Ius Canonicum, quando ex Iure Civili capit interpretationem, non ex eo quod nunc viget, sed ex *Iure Communi* interpretandum est; quia eo imperante conditum fuit. — Leo XIII. Enc. *Arcanum* 10. Febr. 1880. par. *Nemo autem*, Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 9. seqq., L. 104. 105.-106., D'Annib. Ed. 3.ª P. 1. n. 201., E. M.

185. *An tyranni leges ferre possint, ita ut vere istac obligent?* — Leges et sententiae, *in se honestae* et *iustae*, latae a tyranno, obligant, sive is talis sit *de facto*, seu administratione; sive talis sit *de iure*, seu titulo, *sed pacifice regnum possideat.* Ratio est, quia ille legitimam habet potestatem, licet ea abutatur; iste etiam potestatem habet, licet usurpatam, eamque legitimo principi restituere etiam teneatur. Societas enim sine

aliqua potestate stare non potest; neque seipsam pessumdare debet. *Sed pacifice,* etc., secus enim non est ei obtemperandi obligatio, cum nondum sit verus superior. — L. 94., H. A. Tr. 8. n. 13., S. Th. 2. 2. q. 104. a. 6., Litt. Leonis XIII. *Magna animi nostri* 3. Maii 1892.

186. *Nota:* Obligatio parendi legibus tyranni, qui potestatem usurpavit, *necessitate servandi ordinem in communitate* fundatur. Possunt autem subditi quaedam etiam praestare, quae in aliquam tyranni utilitatem cedunt, ut solvere aliqua tributa, agere excubias, fodere ad constructionem arcis, etc.; siquidem haec sunt opera per se indifferentia; quae recusare legitimo principi non prodesset; ipsis vero subditis gravissima inferret damna. Verum illicitum omnino erit ea alia opera facere, quae *proxime* et *formaliter* spectant ad iniquam usurpationem confirmandam, et ad damnum legitimo principi inferendum. — La-Croix l. 2. n. 275.

187. *Resolves:* Si tyrannus, *talis* sit *iure* seu *titulo*, in ipso *actu invasionis* nullas ferre potest leges, neque illi obediendum est, neque eum licet ullo modo iuvare aut recognoscere, ut possessionem regni adipiscatur, in eaque stabiliatur. Ratio, quia *invasio* nullum ei tribuit ius.

188. *Utrum consuetudo vim legis habeat?* — Consuetudo, prout *materialiter* consideratur, est agendi mos ex frequentibus communitatis totius, vel maioris eiusdem partis actibus inductus. *Formaliter* vero est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege accipitur, etsi lex deficiat, lex nempe scripta. Schmalz. l. 1. t. 4. n. 1. — Consuetudo vim legis habet. Id constat: 1.° communi theologorum sententia. 2.° Ex variis Iuris sive canonici, sive civilis locis, quibus indubie eruitur, consuetudinem pro lege habendam esse. Cf. tit. *de Consuet.*, L. 32. 33. *de Legib.*, C. I. 2. 530. 1654., C. G. a. 671. 3.° Ratione; nam consuetudine semel inducta, e. g., contra legem, lex non amplius confert ad bonum commune; et e contra praeter legem inducta ratio urget boni communis. — L. 107., S. Th. 1. 2. q. 97. a. 3., Struggl q. 4. n. 28. seqq., Ithur. Cas. 53. n. 7., Bouix de Princip. P. 2. S. 6.

In foro externo civili generatim nulla contra legem admitti solet consuetudo neque praeterita, neque futura, sed in quibusdam tantum rebus ipsa lege determinatis. C. I. Leg. praelim. an. 1866. a. 48., C. I. Comm. 1., C. H. 4. et Leg. 11. Maii 1888. a. 5. 6. 7.

189. *Quotuplex sit consuetudo?* — *Triplex* distingui solet consuetudo, *secundum legem*, quae nempe legem iam conditam diuturno usu confirmat et interpretatur, Cf. Can. *De istis* D. 4., L. *Si de interpretatione de Leg.* 37. Dig.; *praeter legem*, quae novum inducit ius, aliquid praecipiens vel prohibens, de quo nulla lex scripta habeatur, Cf. Can. *Consuetudo* D. 1., L. *De quibus de Leg.* 32. Dig.; *contra legem*, qua nempe vel lex non recipitur vel recepta abrogatur, aut ei derogatur. L. 107. 108. — « Consuetudo et habet *vim legis*, et *legem abolet*, et est *legum interpretatrix.* » S. Th. 1. 2. q. 97. a. 3.

Praeterea consuetudo alia est *universalis*, quae omnes obligat, alia *particularis*, quae obligat tantum in aliquo loco, in aliqua dioecesi, etc. — Ad particularem consuetudinem reducitur *stylus Curiae*, qui sumitur pro observantia consueta in Curiis Romanis, et pro iure non scripto, et tanquam lex observandus ex C. Pauli III. *Cum gravissimae.* — Generatim vero consueta in aliquo loco observantia *stylus localis* dicitur, et extra

locum vim non habet. Riganti in Reg. 42. n. 225., in Reg. 45. § 1. n. 97. etc. — Ex C. I. Comm. 89., C. I. Civ. 1513., in materia commercii, stylus et consuetudo praevalent Iuri communi. — Suarez l. 7. c. 5. n. 5.

190. *Quaenam ad consuetudinem habendam exigantur?* — Ut consuetudo sit legitima plures requiruntur conditiones: 1.° Ut sit *rationalis*, i. e. ut peccati fomes non sit, neque bono communi perniciosa. Secus enim nunquam vim legis acquirere potest, cum lex esse debeat honesta, utilis, iusta. Hinc contra legem naturalem et divinam nulla esse potest consuetudo; sed tantum contra legem humanam. L. 39. *de Legib.*, L. 107., S. Th. Quodl. 2. a. 8., Schmalz. l. c. n. 7.

2.° Requiritur, ut sit *inducta a tota communitate*, vel saltem a maiori eius parte, capaci, quae per legem gubernetur, et capaci legem ferendi; et si non possit *ex se* legem ferre, sufficit quod eius agendi ratio vim possit obtinere *legis*, accedente principis consensu. Ab omnibus enim moraliter factum censetur, quod a maiori parte fit. Consuetudo autem ab illis introducenda est, quibus leges seu statuta constitui possunt. — Hinc consuetudinem inducere possunt non solum societates perfectae, verum etiam imperfectae, provincia, civitas, dioecesis, capitulum canonicorum, etc. — Mulieres nequeunt introducere consuetudines contra leges proprias virorum, nec viceversa; uti neque ecclesiastici contra leges laicorum, vel e contra, nisi materia sit communis. Quare clerici quoad res spirituales non obligantur ad consuetudinem a laicis factam, cum laici incapaces sint quoad spirituales res consuetudinem inducendi pro clericis. — Privati consuetudinem introducere non possunt. — L. 32. *de Legib.*

3.° Inducta autem esse debet *per actus repetitos*, et *non interruptos*, usque ad completam consuetudinem, *voluntarios*, i. e. neque ex ignorantia, neque ex errore, e. g., si populus existimet existere legem, quae revera non est, neque ex vi et metu extortos, sed *ex animo consuetudinem introducendi*, et sese obligandi, vel sese deobligandi, denique *publicos*. Soli enim isti actus, istis positis conditionibus, haberi possunt tanquam conducentes *ad bonum commune*, ut deinde legislator possit rationabiliter tali rationi agendi consentire. Consuetudo insuper, cum vim legis habeat, non minus quam lex promulgata esse debet. — *Non interruptos*, dupliciter interrumpi possunt, *de facto*, si communitas operari cesset; *de iure*, si superior legem urgeat. *Animo consuetudinem introducendi*, mens haec seu intentio colligitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo *constanter* observetur, et cum non levi incommodo, si transgressores puniantur, si ita communiter sentiant homines pii. — L. 39. *de Legib.*, S. Th. 1. 2. q. 97. a. 3.

4.° Minime requiritur, ut sit semper *bona fides* a principio, nam etiam peccando fieri potest consuetudo, quae postea honesta evadat. Consuetudo enim contra legem triplicem habet statum. *In principio* omnes introducentes consuetudinem contra legem peccant. *In progressu* iam non peccant illa a maioribus introducta utentes, sed possunt puniri. *In fine* nec peccant nec puniri possunt illa iam praescripta utentes. L. 107., Schmalz. l. c. n. 6.

5.° Requiritur praeterea, ut duret *per longum tempus*. Verum hic distinguendum est: vel consuetudo inducitur via conniventiae, legislatore nempe sciente et connivente: quod evenit, quando legislator scit legem non recipi, et dissimulat, cum possit facile urgere observantiam; vel inducitur ordinaria via praescriptionis, legislatore ignorante. Si primum,

docet Bened. XIV. «nullum temporis spatium esse necessarium... Tunc quippe post paucos actus a superiore toleratos praesumitur, quod idem per hanc ipsam conniventiam suam legem tacite revocet; nolitque ea obstringere communitatem cui displicet». *De Syn.* l. 13. c. 5. n. 3., Ithur. Cas. 53. n. 7. 8. Si secundum, sunt qui 40. annos exigunt, sed plerique universim decennium sufficere dicunt tum quoad Ius Civile Romanum, tum quoad Ius Ecclesiasticum. L. 107. 139., l. 3. n. 849. — Atque hic commemoranda est *Consuetudo immemorialis*, qua omnia illa acquiri possunt, quae privilegio et indulto principis possunt acquiri, C. 13. *de Iudic.* n. 5.; eaque, clausula etiam revocatoria cuiuscumque consuetudinis apposita, non revocatur, «nisi exprimatur, quia quando superior vult etiam illam revocare id exprimit». L. 109.

6.° Iam vero eatenus consuetudo vim legis sortiri potest, quatenus accedit illi *consensus principis* vel *expressus*, vel *tacitus*, qui habetur cum princeps consuetudinem novit, et ei, cum posset, non contradicit, vel saltem *legalis*, qui ille est, qui in antecessum habetur per leges universaliter approbantes legitimas consuetudines. Ad huiusmodi legalem consensum non requiritur, ut princeps consuetudinem cognoscat; requiritur tamen, ut non constet non potuisse ipsum contra consuetudinem reclamare. Si enim princeps constanter resistit, nulla tunc fit consuetudo. Si autem non adsit huiusmodi lex, supponitur semper talis generalis voluntas in legislatore. Id enim postulat commune bonum. — L. 107., l. 3. n. 290. 1009., Suarez l. 7. c. 8. 15., Schmalz. l. 1. P. 1. t. 4., Gur. Cas. 132. seqq., S. Th. 1. 2. q. 97. a. 3., E. M.

191. *Quid si a lege prohibeatur contraria consuetudo?* — «Si apponatur clausula, *non obstante quacumque consuetudine*, intelligitur reprobari consuetudo opposita praeterita, non vero futura... Si autem clausula reprobat quamcumque consuetudinem futuram, adhuc... dicunt probabilius esse, posse consuetudinem talem legem abrogare... Si reprobetur... uti *irrationalis*... tanquam contraria legi naturali seu divinae, nulla tunc consuetudo valere potest. Si vero reprobetur ut irrationalis pro tempore, quo fit lex, tunc ex nova causa rationalis reddi potest». L. 108., l. 6. n. 325. vers. fin., A. S. S. V. 4. p. 26.

III. — DE SUBIECTO LEGIS

192. *Quodnam sit subiectum legis?* — Subiectum legis et obligationis est omnis et solus subditus. Nam tota vis obligandi est in superiore. Atqui superiori non nisi subditus respondet. — S. Th. 1. 2. q. 93. a. 5., q. 96. a. 5., L. 153.

193. *Resolves:* 1.° Omnis homo est subiectus legi naturali. Nam lex naturalis est ipsamet divina voluntas ordinem servari iubens, turbari vetans, per ipsum rationis lumen promulgata. Atqui omnis homo ratione gaudet. Quare non licet provocare infantes, ebrios, amentes ad actiones intrinsece malas. L. 153. 155. — 2.° Omnes et soli rationis habitualiter compotes legi humanae subiecti esse possunt. Nam lex, rationalis et stabilis regula est. Atqui homines habitualiter rationis usu carentes rationali et stabili regula dirigi non possunt. Hinc infantibus nondum usum rationis

adeptis, et perpetuo amentibus licite dantur carnes edendae diebus prohibitis. Illicite dantur amentibus ad breve tempus et ebriis. L. 153. 155., Struggl q. 3. n. 8. seqq. — 3.° Legislator non tenetur *directe* suis legibus, ut sic, i. e. quoad vim obligativam et coactivam; *indirecte* tamen quoad vim mere directivam ex aequitate quadam tenetur se tanquam caput membris conformare, scilicet quoad illas leges, quae suum statum decent. Hinc «probabile est, *praeciso scandalo,* tantum teneri sub levi, quia tantum ex honestate obligatur ad legem». L. 154. *Praeciso scandalo,* si enim in publica transgressione legis scandalum adesset eam servare teneretur; minime vero in eo casu subiiceretur etiam poenis, quas ipse in transgressores imposuit. Itemque tenetur etiam in contractibus pari conditione uti. L. 154., S. Th. 1. 2. q. 96. a. 5., Struggl q. 3. n. 1. — 4.° Infideles, nondum baptizati, legibus Ecclesiae non obligantur, licet teneantur Ecclesiam ingredi. E contra haeretici, schismatici, excommunicati ecclesiasticis legibus *per se* tenentur. Id de excommunicatis intelligendum est quoad actus, ipsa excommunicatione non interdictos. Quoad haereticos vero, in locis ubi tolerantur, leges poenales effectum non habent. — Trid. S. 7. c. 8. de Bapt., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 378.-380., t. 3. n. 99., l. 5. n. 171.-174., Reiffenst. l. 1. t. 2. n. 274., L. 154.

194. *An, practice loquendo, haeretici excusentur ab observatione legum Ecclesiae, quamvis per se teneantur?* — R. Affirmative, 1.° ratione ignorantiae, in qua versantur. 2.° Quia non praesumitur, quod Ecclesia velit urgere hanc obligationem, ne frustra multiplicentur peccata, saltem quoad leges mere praeceptivas, quae respiciunt bonum spirituale animarum. Quoad leges vero irritantes, quae respiciunt bonum et ordinem publicum, ut impedimentorum matrimonii, Cf. V. 2. n. 984. 1026. 1027.

195. *An pueri teneantur legibus ecclesiasticis statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum expleverint?* — Alii probabiliter affirmant; quia capaces sunt praecepti, neque praeceptum illud certos annos requirit. Alii probabiliter negant, quia leges humanae attendunt ad ea, quae communiter contingunt. Atqui communiter non contingit usus rationis ante septennium completum. Omnes vero admittunt, pueros ante septennium non incurrere poenas transgressoribus impositas, nisi id expresse declaretur. Quin immo ordinarias poenas non incurrunt, nisi sint puberes, quales sunt masculi anno 14.°, puellae anno 12.° absoluto. — Insuper notandum est, pueros, completo septennio, non obligari legibus humanis, nisi de materia sint suae aetati accommodata. Hinc non obligantur lege ecclesiastici ieiunii. Tenentur vero legibus confessionis annuae, auditionis sacri, abstinentiae a carnibus, adeoque peccant parentes, qui negligunt earum impletionem ex parte propriorum filiorum. An etiam teneantur communione paschali controvertitur propter specialem reverentiam, quam SS. Sacramentum exigit. Plures et graves theologi « admittunt pueros non obligari ad communionem ante decennium, nisi in articulo mortis, si sit usus rationis ». L. 155., l. 3. n. 270., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4., La-Croix 676., Struggl q. 3. n. 11. 12., Elbel 367. seqq., E. M.

196. *An clerici teneantur legibus civilibus?* — R. Affirmative, saltem indirecte, nisi iuribus *adhuc vigentibus* Ecclesiae repugnent; quia et ipsi membra sunt reipublicae, et naturalis aequitas exigit, ut in his, quae non

repugnant suo statui reliquis membris se conforment. Id praeterea praecipit Ecclesia. Ad Rom. 13., 1. — *Adhuc vigentibus;* nam attendenda sunt Concordata, nec non legitimae consuetudines. — La-Croix 674. 678., Struggl q. 3. n. 2. seq., Elbel 275.-277., Suarez l. 3. c. 34. n. 13. 15. 16., Trid. S. 25. c. 20. De R.

197. *Quomodo se gerere debeant clerici, si cogantur observare civilem aliquam legem laedentem iura Ecclesiae.* — Protestatio facienda est contra huiusmodi coactionem et legem, si secus scandalum sequeretur; vel huiusmodi legislatores animosiores fierent contra iura Ecclesiae. — Facta protestatione, vi cedendum est, et vis vi opponenda non est, neque violentiae, praesertim publicae, excitandae et provocandae sunt; quae id solum obtinent ut plura et maiora peccata multiplicentur, maiori dedecori et iniuriae ecclesiasticus status exponatur. — In casu dubii recurrendum ad episcopum vel ad S. C.

198. *An senatores et deputati in Guberniis repraesentativis obligantur propriis legibus?* — R. Affirmative. Ratio est, quia legislator non est quaelibet singularis persona, sed totum corpus morale. Idem consequenter dicendum est de praeside reipublicae, de metropolitano et coepiscopis in provinciali synodo, de praelato regulari et aliis capitularibus in capitulo generali, etc. — L. 31. *de Legib.*, Lugo Resp. Mor. l. 6. D. 20.

199. *An peregrini teneantur legibus specialibus sui territorii, vel loci in quo versantur?* — *Peregrinus* is dicitur, qui habens alicubi domicilium vel quasi-domicilium aliquo venit animo non manendi perpetuo, sed tantum subsistendi per aliquot horas, vel dies, vel ad summum per minorem anni partem, quae usque etiam ad sex menses se protendere potest. *Peregrinus* ab *advena* et *vago* distinguitur. — *Advena* est qui extra proprium territorium posuit domicilium suum, vel quasi-domicilium. Communiter docent, quod ille statim domicilium acquirit, vel a prima die, qui habitat alicubi animo perpetuo manendi; qui animus in foro externo praesumitur, si habitatio sit decennalis, vel si ibi domus sit aedificata, aut maior pars bonorum adsportata. Quasi-domicilium vero acquirit, qui alicubi manet, vel eo adveniens quam primum ibidem subsistens animum manendi habet per maiorem anni partem; tales sunt famuli et scholastici. — *Vagus* denique est, qui nullibi fixum ac determinatum domicilium habet, sed de uno in alium locum se transfert. — Innoc. XII. C. *Speculatores,* L. 156., l. 6. n. 115. par. *Secunda,* C. I. Dispos. praelim. 6. seqq., et l. 1. a. 16. seqq., C. G. 102. seqq., C. H. 40. seq., C. A. 29.

Porro peregrinus non tenetur *legibus* sui territorii; nam lex territorium afficit, et ipse extra ipsum est. — Excipe, nisi fictione iuris in proprio territorio adhuc esse censeatur. Sic, v. g., si quis extra proprium territorium rem suam venderet, in eodem extantem, servare tenetur eiusdem leges in tali venditione. Sic etiam beneficiatus, qui non residet, poenas ibidem latas contra non residentes incurrit. Ibi enim res consummari censetur, ubi fieri debuisset; unde delinquens habetur, uti moraliter praesens ibi, ubi sua actione nocet. — *Legibus;* nam si sermo est de *praeceptis,* quae *personas* immediate afficiunt, certum est ea obligare peregrinos, advenas, et vagos ubicumque. Hinc sacerdos, v. gr., in sua dioecesi suspensus a muniis sacerdotalibus nec in aliena dioecesi missam celebrare potest.

Peregrinus tenetur quidem legibus loci in quo moratur, *quoad contractus,* et quoad *necessaria* ad bonum commune, quorum nempe violatio cederet in damnum, et iniuriam illius loci in quo versatur. Id ius commune et naturale exigit, quo peregrini minime eximuntur. Idem *quoad delicta* dicendum, quia aequum est, ut scelera ubique puniantur. Quoad alia vero, nisi scandalum adsit, *peregrinus* particularibus loci legibus non tenetur; quia lex non obligat nisi subditos. L. l. 3. n. 332. Idque probabiliter valet, etiamsi lex particularis vigeat simul et in isto loco, et in patria. Etenim non tenetur legibus patriae, quia absens, neque legibus huius loci, quia peregrinus. Porro ex C. *Licet* ult. *de For. comp.* nemo subditur alterius potestati, nisi ratione vel delicti, vel contractus, vel domicilii, aut quasi-domicilii, vel ratione rei sitae in territorio, vel demum ratione originis. L. 156. 159. — *Peregrinus;* nam communis sententia docet sufficere, quod quis quasi-domicilium contraxerit, ut legibus loci teneatur, vel a prima die, qua illuc pervenit animo habitandi per maiorem anni partem. L. 156., C. I. initio Dispos. etc. a. 6. seqq.

Si quis *legi communi* iam in sua patria satisfecerit, probabilius non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi ex speciali privilegio serius urget. Neque vero tenetur quis legi satisfacere, si antequam lex urgeat in isto territorio privilegiato ab eo discedat et in locum pergat, ubi tempus obligationis legis iam fuerit transactum. Ratio 1.ª est, quia non datur obligatio iterum idem praeceptum adimplendi, cum iam suo tempore adimpletum est. Ratio 2.ª est, quia extra territorium istud privilegiatum nulla amplius urget obligatio.

200. *Nota:* 1.° Locus *exemptus* aequiparatur loco sito extra territorium. Hinc non tenetur etiam peregrinus in loco exempto a lege communi eam adimplere. Tenetur e contra lege communi, vigente in loco ubi est, etsi in sua patria amplius non obliget; siquidem et ipse subest tunc legislatori communi, et lex territorium afficit. L. 160. 161. — 2.° Probabile est etiam et in conscientia securum, peregrinum antequam discedat a proprio territorio non teneri audire missam ibi praeceptam, modo perventurus sit extra locum, ubi illud urget, antequam tempus obligationis cesset; e. g., ante meridiem, si tunc ultima missa celebratur. Ratio, quia praeceptum non obligat ut expectes. L. 157., Elbel 374. 375.

201. *Resolves:* Si in tuo territorio sit ieiunium, et eodem die pergas ad locum ubi non est ieiunium, potes vespere coenare; immo et mane ientare cum ieiunium, sit quid indivisibile. Mane exsistens in loco, ubi non est lex abstinentiae, potes carnibus vesci, etsi eodem die reversurus sis domum, ubi est ieiunium. Domi tamen certo teneris abstinere a carnibus. L. 157., Elbel 372.

IV. — DE OBLIGATIONE LEGIS

202. *Quid legis obligatio?* — Nomine *obligationis* intelligitur necessitas quaedam moralis, *exorta ab ipsa lege*, ita vel aliter agendi, ut quis agat honeste, h. e. citra omnem culpam, et poenam incurrendam. *Exorta ab ipsa lege;* haec est enim natura legis et praecepti, et in hoc intrinsece a consilio differt. Hinc S. Th. 1. 2. q. 96. a. 4., speciatim loquens de lege hu-

mana, « dicendum, ait, quod leges positae humanitus... si quidem iustae sint, *habent vim obligandi in foro conscientiae* a lege aeterna, a qua derivantur, secundum illud Prov. 8., 15.: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt* ».

203. *An legis obligatio semper et sub gravi urgeat?* — R. ad 1.um Obligatio praecepti affirmativi est *semper*, sed non *ad semper;* negativi vero est *semper* et *ad semper*. Nam praeceptum affirmativum praecipit bonum; et licet bonum a lege praeceptum *semper* ac tempus statutum advenerit faciendum sit; non omne tamen bonum omni tempore est faciendum, cum onus importabile sit, quod homo semper agat; praeceptum vero negativum prohibet malum, quod omni tempore vitandum est, quod utique fieri potest. L. 101., S. Th. 1. 2. q. 71. a. 5. ad 3., q. 76. a. 2. ad 5., 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3.

Ad 2.um Lex obligat *sub gravi* vel *sub levi* pro legislatoris voluntate, si tamen materia capax sit. Ratio est, quia tota obligatio pendet a voluntate legislatoris, et proportio adesse debet inter obligationem et eius materiam. Potest ergo legislator praecipere sub levi in materia gravi, at non vice versa. L. 141. 143. — Quaenam sit materia *gravis* colligi potest ex ipsa natura obiecti, fine, circumstantiis. — Quaenam vero sit obligatio *gravis* colligi potest: 1.° Ex verbis ipsis legis, si magnam vim habent, ut iubemus in virtute S.ae Obedientiae, etc. 2.° Ex materia, si sit gravis, et non constet in contrarium de voluntate praecipientis. 3.° Ex gravitate poenae. 4.° Ex interpretatione dd. vel consuetudinis. L. 144., l. 5. n. 56. — Cum res ergo est simpliciter levis, non peccat quis mortaliter, etsi sub mortali superior praeceperit. L. 141. seqq., Struggl Tr. 2. q. 2. n. 24., Tr. 3. q. 2. n. 28. 29.

204. *An semper obliget lex in praesumptione fundata?* — Praesumere est opinari; et praesumptio est *rei incertae probabilis coniectura*, h. e. iudicium ex certis signis seu indiciis verisimiliter ortum. Ea vel hominis, vel legis est: illa in aestimatione boni viri tota posita est, et huc non pertinet: actus enim privatus est; haec legibus est introducta, et ideo sine lege expressa non est admittenda. Etenim ipsa lex coniicit vel coniicere iubet. *Legis praesumptio* duplex est, una *periculi*, altera *facti*. *Periculi*, cum legislator ex his quae frequenter eveniunt animadvertens aliquid non sine periculo fieri vel omitti, praecavens huiusmodi pericula, illud vetat, hoc iubet. *Facti*, cum pro certo habens aliquid factum fuisse, quia sic communius fieri solet, ex eo supposito facto, quasi revera factum fuerit, iura et obligationes constituit. Haec, si in iure contrariam probationem recipit, *iuris;* sin minus, *iuris et de iure* dici solet. — Praesumptione *periculi*, v. g., nititur lex, quae vetat legere improbatae editionis libros, matrimonia cum acatholicis contrahere; *facti*, quae tenet baptizatum fuisse eum, qui natus ex parentibus christianis inter christianos more christiano adolevit, C. 3. in fin. *de Presb. non bapt.* *Iuris*, v. g., virum patrem esse: *iuris et de iure*, e. g., est, qui matrimonium contraxerunt in gradu prohibito, spretis denunciationibus, impedimentum non ignorasse. Cf. C. 30. *de Spons.* — Itaque lex, quae nititur praesumptione *periculi*, obligat semper, etsi periculum cesset in re praesenti. Ratio est, quia lex non cessat quamdiu finis legis non cessaverit adaequate. — Contra, quae *facti* praesumptione nititur, si factum revera non subest, in foro conscientiae non obligat. Inde axioma: *Praesumptio cedit veritati*, seu *iuris* tantum illa sit, seu *iuris et de iure*. Nam etsi praesumptio *iuris*, et praesumptio *iuris et de iure* ac-

cipiatur pro veritate non propterea ipsa veritas est. At vero quamdiu non apparet manifeste praesumptionem facto falso inniti pro veritate habetur in utroque foro. — Schmalz. l. 2. t. 23. n. 1., L. 100. 150. 151., Ithur. Cas. 39. n. 25. 26., Cas. 53. n. 23.

205. *Resolves:* Teneris post sententiam ad compensandum damnum vere illatum ab animali tuo, licet sine tua culpa theologica. Non teneris ad compensandum damnum, si damnum falso existimetur, et potes te compensare. L. 100., C. I. 1154.

206. *An semper obliget lex in fictione fundata?* — A *praesumptione* differt *fictio iuris,* quae est assumptio falsitatis facta ab ipso iure ex iusta causa in casu possibili, inducens effectum iuris tanquam veritas. Quare fictio pro rei veritate habetur; ex qua perinde, quasi in casu vero lex iura et obligationes constituit. — At enim 1.° *fictio* non habet locum, nisi in casibus in lege expressis. Sic ius fingit testatorem et haeredem esse unam personam, non tamen in omnibus; canonicum infirmum esse praesentem in choro, qui quidem lucratur distributiones quotidianas, non vero eas quae solis praesentibus competunt. Id enim ius non statuit. 2.° Non debet plus operari *fictio* in casu ficto, quam veritas in casu vero. Ideoque etsi ius fingat natum esse qui adhuc est in utero, cum de eius commodo agitur, si tamen deinde non vitalis prodeat, fictio ei nihil confert. Cum fictio veritatem imitetur, versari debet in casu possibili. 3.° Non valet ultra id quod est expressum in lege. Atque ideo strictam interpretationem recipit. A lege tantum enim sunt iura et obligationes in casu. Schmalz. l. 2. t. 23. n. 3., Reiffenst. l. 1. t. 2. n. 185. Et sic, e. g., relate ad ordines recipiendos filius fortuito alicubi natus, *fictione iuris* in domicilio patris natus censetur; et ab episcopo huius loci, non ab episcopo illius loci, in quo vere natus est, ordines recipere potest. A. S. S. V. 28. p. 233.

207. *Ad quid lex obliget?* — Omnis lex primo obligat ad sui notitiam, deinde vero ad sui observationem. Nam lex observari nequit, nisi cognoscatur. Ergo, nisi in vanum actum praecipiat, implicite sui cognitionem etiam praecipere debet, eamque primo praecipit; siquidem sine ea legis observantia impossibilis prorsus est. Lex ergo violatur non solum per actum ipsi oppositum; sed etiam per voluntariam eius ignorantiam. Hinc ignorantia vincibilis circa praeceptum aliquod est peccatum, et in re gravi potest esse grave, si negligentia fuerit notabilis. L. 148.-151. Quoad vero ipsam legis observantiam notandum est, quod minimum pro nihilo reputatur, S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2., e. g., si in recitatione officii, in auditione missae modicum quid omittatur, si minor in contrahendo modice laedatur, etc.; exceptis illis quae natura, aut iure, aut hominis voluntate definita sunt, siquidem in his morali aestimationi locus non est, v. g., si novitius professionem emittat penultima vel ultima 16.[i] anni aetatis die, nullam emittit professionem, etc.

208. *Nota:* 1.° Contra legem peccatur non solum actione, nempe commissione, vel omissione, faciendo vel non faciendo ea quae lege prohibentur, vel praecipiuntur, verum etiam simplici desiderio, sine executione rei, simplici delectatione morosa, seu voluntaria complacentia sine desiderio, vel e contra voluntaria tristitia. Hinc contra legem peccat etiam, qui ea

quae facienda sunt vel erant contemnit, vituperat, exprobrat; quod perinde est ac contemnere, vituperare, exprobare legem, quae illa praecipit; aut e contrario ea quae non sunt vel erant facienda probat, iactat, laudat; sive ipsemet, sive alius legem fuerit transgressus. Facile autem exprobatione seu iactantia scandalum etiam adesse potest; siquidem facile haec aliis incitamentum, vel oblectationem praestant. Excipe, si non rem ipsam malam quis laudet, sed modum novum, callidum, strenuum, quo res perfecta fuit; hoc enim naturale quoddam bonum est, dummodo tamen absit periculum delectationis rei malae et scandali. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 266. 273., S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.

2.° Contemptus *formalis* legis, quo quis expresse contemnit *legem*, vel eius auctorem, *qua superior est*, semper *per se loquendo* mortale est. Hinc grave non est, 1.° si contemnatur *res ipsa praecepta*, quatenus parvi fiat. 2.° Si contemnatur superior, non *qua superior*, sed quatenus singularis persona contemptibilis, quia, v. g., imprudens, vilis, idiota, rudis, indocta. Esset tamen hoc adhuc mortale, si tale iudicium, quod sic efformatur de persona illa esset graviter temerarium, ut patet. 3.° Si actus quo *praeceptum*, vel *superior* contemnitur perfectus non sit ratione advertentiae et deliberationis, ut saepe contingit. Hinc aiunt Lessius, Sanchez, etc., raro contingere peccatum mortale ratione contemptus. Contemptus vero *materialis*, quo quis legem violat, ut suis indulgeat cupiditatibus, est mortalis vel venialis pro modo materiae. L. 142.

209. *An lex quaelibet vetet sese exponere occasioni eam transgrediendi?* — Lex, quae aliquid praecipit vel prohibet, praecipit quoque implicite vitare *occasiones proximas*, et prohibet sese exponere *occasionibus proximis transgrediendae legis.* Ratio, quia secus iam lex frustranea prorsus esset. Si enim non obligat ad media, neque ad finem obligat. — Quare, qui has quaerit occasiones, vel illis voluntarie sese exponit, vel in illis permanet, nulla excusante causa, peccat contra legem et virtutem, de qua agatur; contra fidem, castitatem, pietatem, etc. L. l. 6. n. 454. — Porro, in re praesenti, *occasio* dicitur quidquid *legis transgrediendae periculum* nobis *exterius* praebet. *Exterius*, quia ipsa naturae fragilitas, interiores passiones, et intrinseci habitus, licet *periculum* prae se ferant, *occasionem* minime constituunt. *Periculum* latius patet quam *occasio*, et est quidquid ad peccandum nos inducere possit, sive sit ab extrinseco sive ab intrinseco. *Legis transgrediendae*, adeoque consentiendi peccato, et non merae tentationis. *Proxima* autem occasio ea est, in qua homo constitutus, ut plurimum peccat, sive id verificetur quoad omnes, qui in iisdem circumstantiis reperiantur, ex ipsa rei natura, sive verificetur tantum quoad talem personam, attentis eius peculiaribus circumstantiis. Occasio vero est *remota*, si homo in ea constitutus ut plurimum non peccat; et hanc vitare non tenemur, siquidem impossibilis res esset. L. l. 6. n. 452. — Si occasio *proxima* sit simpliciter necessaria, debet quis eam *remotam* efficere, adhibitis convenientibus mediis, oratione, sacramentorum frequentia, sensuum custodia, etc. Si vero sit moraliter necessaria, illicitum non est in ea versari ex iusta et proportionata causa, dummodo tamen certo moraliter non praevideatur consensus in peccatum, quod facile removeri potest sese praemuniendo orationibus et piis operibus, et in maius Dei auxilium fidendo. L. l. 6. n. 453. 455. 456.

210. *An lex se extendat ad actus praeteritos?* — R. Negative quoad *culpam*. Culpa enim et peccatum haberi non potuit, ubi non erat lex. — Negative item quoad *poenam*. Poena enim locum non habet, ubi nullum est peccatum; quia in peccati vindictam est. — Negative pariter quoad *valorem* actus praeteriti. Actus enim, qui fuit validus, non potest fieri invalidus pro eodem illo tempore, licet invalidus in posterum declarari possit. — Negative etiam quoad *effectus* illius actus, *per se et communiter loquendo, et quoad tempus idem praeteritum*. Ratio, quia magna inde sequeretur societatis perturbatio. *Per se* et *communiter loquendo,* quia in casu particulari, in quo hoc non esset nocivum, sed e contrario valde utile, potest legislator attingere tales effectus, si ipsius subsint potestati, uti, e. g., cum dispensatio datur matrimonii invalidi ob impedimentum dirimens, quae dicitur *in radice*. Proles enim legitima habetur et haereditati succedit, perinde ac si legitima semper fuerit. *Et quoad tempus idem praeteritum,* nam nulla difficultas est, quod legislator pro delicto etiam praeterito inducere possit pro tempore *futuro* quandam inhabilitatem, e. g., ad ordines recipiendos, ad matrimonium contrahendum, etc., quae quidem non erit poena peccati, sed mera privatio ob defectum conditionis requisitae. — C. *Cognoscentes* 2., C. *Quoniam* ult. *de Const.*, Clem. *Ex frequentibus* 1. § ult. *de Sent. exc.*, L. 7. *de Legib.* C., C. I. Disp. etc. initio a. 2., C. H. 3.

211. *An lex vetet etiam fieri alteri auctorem eam transgrediendi?* — Si quis *causa* est, cur alter legem transgrediatur, contra eandem legem et virtutem peccat, e. g., contra religionem, iustitiam, castitatem, etc. Ratio est, quia, quod quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Quare, ut ipse executor, ita qui cogit, qui mandat, qui consulit legem transgredi, reus transgressionis legis evadit. — Si quis vero alteri tantum sit *occasio* legem transgrediendi, e. g., suo exemplo, idque *directe intendat,* contra eandem legem eandemque virtutem pariter peccat: siquidem lex quaelibet hoc etiam praecipit, ne quis velit, eam sive a se sive ab alio violari. *Directe intendat,* nam si tantum *praevideat,* an etiam tunc contra eandem legem et virtutem quis agat, controvertitur. Alii affirmant, quia revera et de facto alium inducit ad transgrediendam legem, et huius transgressionis causa est, licet *causa per accidens*. Alii probabilius negant, quia, si tenetur quis abstinere ab opere suo, ne alius peccet, id tantum ad caritatem pertinet, adeoque contra caritatem quidem peccat, sed non etiam contra eam legem et virtutem, quam ea lex attingat. Cf. 424.

212. *An lex vetet etiam alteri cooperari in eiusdem legis transgressione?* — Evidens res est, quod si non licet esse alteri *causam* legis transgrediendae, multo magis illicitum est alteri esse *cooperatorem* in praedicta legis transgressione. *Cooperatio* est operari simul, quare locum non habet nisi in exteriori tantum legis transgressione, quae consequenter constat *intentione* peccandi et *opere* ipso peccati. Cooperari utrique cooperationem constituit *formalem,* eaque illicita prorsus est, ut illicitum est velle agere et agere contra legem. Cooperari tantum operi exteriori cooperationem mere *materialem* suppeditat. Haec, si opere malo praestetur, mala est, v. g., si quis furi cooperetur, fores effringendo. Si praestetur opere bono, vel saltem indifferenti, licita est, nisi aut *officio* aut *caritate* prohibeatur. *Officio,* e. g., patris, iudicis, ministri sacramentorum, etc.

Caritate, nempe ad impediendum proximi peccatum, si fieri possit. Si enim alter, absque alterius cooperatione, peccatum sit adhuc perfecturus, nulla esse potest obligatio ab ea cooperatione abstinendi, cum ea nihil revera in peccatum alterius influat, et vix cooperatio dici possit. Secluso autem debito *officii* et *caritatis*, cum quis, ea materiali cooperatione, neque intentione neque opere peccet, nulla quidem adest ratio, unde eius malitia deprehendi possit. Quare nihil tunc interest, utrum sit remota vel proxima. Et sic licet matrimonium contrahere cum eo, qui est in statu peccati mortalis, et licet coniugi debitum reddere coniugi castitatis voto obstricto. Cf. 419.

213. *Quomodo lex sit observanda, eiusque obligationi satisfiat?* — Ad satisfaciendum obligationi requiritur et sufficit: 1.° Facere opus praeceptum quoad eius substantiam, eiusque faciendi intentionem habere. 2.° Opus prohibitum simpliciter omittere, neque habere contrariam voluntatem. Et sic, satisfacit quis praecepto abstinendi ab operibus servilibus, si reapse ab ipsis abstineat, licet nihil de praecepto cogitet. Prob. 1.ª p. Nam lex praecipiens imperat tantum actus substantiam, non etiam modum; imperat tamen non actum quemcumque, sed humanum. Prob. 2.ª p. Nam lex aliquid prohibens non plus intendit quam operis omissionem. Ergo non requirit etiam intentionem, ut lex praecipiens, excepto casu, quod aliquid dare praecipiat, v. g., decimas. Satisfecisti enim, quamvis non mentis compos dederis, cum lex non videatur amplius praecipere quam externam et realem illam actionem. Struggl q. 2. n. 13. 14.

214. *Resolves:* 1.° Obligationi satisfacis, si diversa praecepta diversis actibus, *eodem* tamen *tempore* adimpleas, dummodo unum praeceptum aliud non impediat; ut audire sacrum et officium simul recitare. Obligationi vero non satisfacis, si diversa praecepta *unico actu* adimpleas, cum ea in diversam materiam cadant; secus vero, si in *eandem*. Et sic, si Caio debeas centum ex mutuo, centum ex emptione, non satisfacis centum tantummodo reddendo, quia duae istae obligationes in diversam cadunt materiam. Si vero eidem Caio debes centum ex furto, quae voveas restituere, et ad quae restituenda obligavit te confessarius, centum tantum reddendo tribus istis obligationibus satisfacis, nempe iustitiae, voti et praecepti, cum eandem respiciant materiam; sic etiam subdiaconus beneficiatus una horarum canonicarum recitatione duplici oneri satisfacit ordinis et beneficii, in eandem enim cadunt materiam. L. 166., Struggl q. 2. n. 15.

2.° Satisfacis obligationi, licet *non habeas intentionem implendi praeceptum*, seu agendi ex motivo formalis obedientiae, neque habeas intentionem implendi finem praecepti, neque agas ex motivo caritatis, vel in statu gratiae, vel careas fide; nisi ipse finis praecepti, vel caritatis actus, vel status gratiae, vel ipsa fides praecipiatur. Satisfacis etiam, licet opus praeceptum intendens et faciens, expresse simul intendas non satisfacere, e. g., si missam audias, intendens non satisfacere praecepto, etsi, si missa sit ultima, vel, si non sit ultima et intendas non audire aliam, pecces contra aliud praeceptum, quo quis tenetur subiici legislatori. Denique satisfacis, licet praeceptum adimplendo pecces *ex extrinseca circumstantia*, e. g., si missam audiens cogitationibus vanae gloriae, vel luxuriae occuparis. *Ex extrinseca circumstantia;* nam, cum lex non nisi honesta praecipiat, si ipsamet substantia actus intrinsece mala sit, legi minime satisfacis.

3.° Obligationi non satisfacit qui prorsus coactus, ebrius, dormiens, praeceptum implet, vel sola intentione aliud peragendi, e. g., si legis horas sola intentione addiscendi, vel pergas ad sacrum dumtaxat ut expectes amicum, oculos pascas, cum alio colloquaris. Si vero praeceptum imples ex metu, satisfacis; esto non sis illud facturus, si metus abesset, et pecces tunc ex ista perversa voluntate. — S. Th. l. 2. q. 89. a. 5., q. 100. a. 9. ad 2. 10., L. 162.-165., Struggl q. 2. n. 17., E. M.

215. *Nota:* Non satisfacit, qui opus *voti* vel *iuramenti* ponit *intendendo expresse* non satisfacere; quia a promittentis voluntate pendet, ut talis obligatio maneat. Obligatio autem parendi *legi* provenit a legislatoris voluntate, ideoque non extenditur ultra eius intentionem, i. e. ultra substantiam operis praecepti. *Intendendo expresse*, nam in his etiam, quae a propria voluntate procedunt, operans satisfaceret, si mere negative satisfaciendi intentionem non haberet, puta, quia immemor obligationis susceptae, modo tamen quod agit pro alia re non applicet. Quilibet enim ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis, quae sibi libera voluntate imposuit. Et hoc valet etiam *de sacramentali satisfactione*, si nempe agat opus a confessario impositum, non tamen intendens poenitentiam implere. — L. 30. 163., l. 3. n. 700.

216. *Quandonam cesset legis obligatio?* — Obligatio dupliciter cessare potest, vel ex parte subditi, vel ex parte superioris. — Ex parte subditi cessare potest: 1.° *Simpliciter*, per *causas eximentes*, quae totaliter eum subtrahunt dominio legis, puta si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. 2.° *Secundum quid*, per causas *impedientes*, quae subditum sub lege remanentem ab eius impletione impediunt seu excusant. — Hae causae ad *ignorantiam* invincibilem, ad *metum*, et *impotentiam* reducuntur. — Ex parte autem superioris cessare potest: 1.° Per *dispensationem*, quae est legitima relaxatio legis in casu particulari. 2.° Per *privilegium*, quod generatim definitur: gratia constans et permanens contra vel praeter legem communem a superiore concessa.

Ignorantia, si sit invincibilis, excusat; quia nemo peccat, nisi actu voluntario; hic autem cognitionem praesupponit. Si autem sit vincibilis et culpabilis non excusat; qualis est cum poteras et tenebaris scire, aut discere, et in mentem veniebat dubitare, nec studuisti intelligere. L. 168. 170. seqq.

Metus, nempe metus gravis saepe excusat, cum inde legis observatio in grave cedat incommodum. Et sic, metus mortis, e g., saepe non tantum excusat a praecepto positivo, tam humano quam divino; sed quandoque etiam ab affirmativo naturali. Unde non tenetur quis cum periculo vitae integre confiteri, servare depositum, implere votum, etc. L. 175.

Impotentia, etiam moralis, excusat. Cum ad impossibile nemo teneatur, postquam quis ad legem implendam factus sit impotens, excusatur, quamvis peccaverit causam ponendo, v. g., si quis bona sua dilapidaverit, et deinde debita solvere non possit. L. 176.

217. *An teneatur ad partem, qui ad totum est impotens?* — Si praeceptum tale sit, ut commode possit aut soleat dividi, atque in eius parte salvetur ratio, seu finis praecepti, tunc qui non potest servare totum, debet servare partem, quam potest. Unde, qui non potest legere omnes horas,

debet dicere eas, quas potest, quia dividuae sunt. Si vero non salvetur ratio praecepti in parte, neque id commode possit aut soleat fieri, tunc qui non potest totum, hoc est tantum, quo moraliter censeatur integrum praeceptum, is non tenetur ad partem. Quare obligatus visitare limina Apostolorum Romae, sciens se eo pervenire non posse, non tenetur ingredi iter; quia nec finis nec ratio praecepti salvatur. Quae omnia aestimanda sunt 1.° ex intentione legislatoris; 2.° ex ratione, fine et materia legis; 3.° ex iudicio prudentum; 4.° ex communi usu. — L. 176. 177.

218. *Nota:* Si quis impotens ad totum, dubius sit, an potens sit ad partem, ab hac etiam saepe excusatur, « sicut, v. g., in infirmis, in quibus vix, aut ne vix determinari potest, quid possunt, usquequo possunt, et non ultra. Unde, si dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis, et continua esset perplexitas in determinanda parte, ad quam tenerentur. Et ideo iure praesumitur de mente aequi legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem: ita graves theologi ». Billuart de Leg. diss. 4. a. 7.

219. *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?* — R. Affirmative, si determinatio temporis facta fuerit *ad finiendam obligationem.* Et sic, qui missam audire omisit die dominica, eam audire amplius non debet aliis hebdomadae diebus. — Negative, si ea determinatio facta fuerit *ad urgendam obligationem.* Unde ille, qui die per contractum constituta debitum non solvit, illud adhuc solvere tenetur.

220. *An liceat apponere causas a lege eximentes?* — Licet semper apponere causas *eximentes,* et probabilius etiam *directe* et *proxime.* — Causae deobligantes a lege dicuntur apponi *directe,* cum agentem movet finis sese legis obligationi subtrahendi; *indirecte,* si alia causa, praeviso tamen legis servandae impedimento. Hae causae sunt proximae vel remotae, prout lex urgeat brevi, vel post notabile tempus. — Iam vero lex, *per se loquendo,* non facit, ut aliquis sibi subditus sit, aut subditus maneat, sed eum, qui subditus iam est et manet, ad sui observationem obligat. Ergo, si actione aliunde licita te subtrahas eius dominio, uteris iure tuo, neque agis in fraudem legis. *Per se loquendo,* quia potest lex hoc etiam praecipere, ne adeas, e. g., locum liberum, et eius vim effugias, ut in matrimonio clandestine contrahendo contra legem Trid. Urban. VIII. Ad Archiep. Colon. 1627. — L. 152. 157., Struggl q. 3. n. 20., Elbel 370.-372.

221. *An liceat apponere causas legis observantiam impedientes?* — Non licet *directe* apponere causas *impedientes* sive proximas, sive remotas. Immo, ne *indirecte* quidem causas proxime impedientes apponere licet, nisi proportionata adsit necessitas. Licet vero, etiam sine ratione, *indirecte* apponere causas remote impedientes. — Prob. 1.ª p. Nam omnis lex *implicite* obligat, ne quid data opera fiat, ut lex eludatur; vel, quod idem est, omnis lex prohibet, ne quis *in fraudem* eiusdem legis operetur: secus enim lex quoad obligationem imponendam fere irrita esset. L. 30. *de Legib.*, L. 5. e. t. C., L. 152., l. 3. n. 1045., S. Th. 4. D. 15. q. 3. a. 4., q. 1. ad 1., Sanch. Cons. l. 5. c. 1. D. 7. n. 11. — Prob. 2.ª p. Quia lex proxime urgens proxime ligat voluntatem ad adhibenda media, ex ipsa natura rei necessaria et ordinaria, ne ipsa absque sufficienti ratione violetur, adeoque ad impedimenta non iniicienda. Secus enim frustraneus omnino est legisla-

toris actus, quo subditos obligare intendit. S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. Ratio vero exceptionis est, quia ex una parte adest sufficiens ratio impedimendi apponendi, ex alia parte non-observatio legis praeter agentis intentionem est. — Prob. 3.ª p. Quia neque lex divina positiva neque humana obligant generatim cum incommodo valde gravi. At esset onus nimis grave, si quisque multo ante obligationem legis ad omnia opera cum illa obligatione insociabilia derelinquenda, tempusque obligationis exspectandum adstringeretur. Ratio haec, qua thesis probatur, optima norma esse potest diiudicandi in dubio, an causa sit tantum *remote* impediens, si eius nempe omissio grave afferat incommodum. Verum hic notandum generatim est, quod non semper idem incommodum, quod revera grave est respectu unius praecepti, tale etiam erit respectu omnis praecepti; cum non eadem sit omnium praeceptorum gravitas. Hinc incommodum illud grave non solum absolute et in se ipso, verum etiam respective et relate ad praeceptum, de quo agatur diiudicandum est. — L. 152., S. Th. 1. 2. q. 152., Ithur. Cas. 32., Sanch. in Dec. l. 1. C. 15. n. 4., Suarez de Pecc. D. 3. S. 4. n. 10.

222. *Resolves:* Peccat qui die ieiunii laborem, licet honestum, assumit ut excusetur a ieiunio; quamvis is, postquam graviter est defatigatus, etiam malo isto fine, ad ieiunium amplius, non teneatur. L. l. 3. n. 1022. Minime vero peccat, qui pridie ieiunii diem venando consumit, *praevidens* fore, ut per lassitudinem sibi non liceat ieiunare. — Peccat qui, sine iuxta causa, eodem die festo aut una alterave hora ante illum iter ingreditur, *praevidens* fore ut sacrum audire non possit. Non peccat vero, si id faciat die anteriori. Gur. Baller. 111., Del Vecchio 161. Sed hoc non admittit S. Alph. l. 3. n. 301., negans « posse aliquem proficisci in sabbato ad venandum in nemore longinquo, licet in dominica ibi non possit audire missam ». — « Excommunicatus vel interdictus non peccat omittendo missam, et sic pariter incarceratus, etiamsi negligant absolutionem vel libertatem, quia isti non obligantur auferre impedimenta remota ». L. l. 3. n. 325., l. 1. n. 152., l. 7. n. 161. « Secus tamen dicunt quoad annuam confessionem et communionem, cum hoc sit unum ex praeceptis divinis, erga quae tenemur tollere impedimenta ». L. 161., l. 6. n. 299. « Censent vero Tamb. et Viva carcere detentos non teneri ad quaerendam libertatem, ut communicent ». L. l. 6. n. 299., Ithur. Cas. 32. n. 7.

V. — DE LEGE IRRITANTE ET POENALI

223. *Quaenam sit natura legis irritantis; et quotuplex ipsa sit?* — 1.° Lex *irritans,* illa lex proprie est, quae actum aliquem, naturali iure de se validum ad suum producendum effectum, irritum et nullius roboris esse praecipit. Lex naturae nihil ulterius videtur utique exigere ad actus alicuius validitatem, si abstracte, sine suis circumstantiis res consideretur. Sed ipsa lex naturae exigit, ut, habita ratione circumstantiarum, omnia ita in concreto peragantur, ut ad bonum commune conducant. Determinatio autem eorum, quae conferunt ad commune bonum, ex ipsa naturae lege ad illum pertinet, qui curam habet communitatis. Quare eadem naturae lex exigit, ut habeantur tanquam invalidi illi actus, quos publica potestas tales declarat. — Aliae autem sunt leges, quae actum irritum

esse iubent *ipso iure, pleno iure;* aliae *rescissioni* tantum *obnoxium* reddunt. Illae primario et directe ad publicum bonum, istae vero ad privatum bonum spectant. In istis officium iudicis requiritur, si nempe ille in cuius favorem leges inductae fuerint, velit earum beneficio uti. In illis vero opus non est iudicis sententia, nisi *actualis rescissio* cum *rescindibilitate* confundatur. Neque valet dicere, quod nulli privato licet sibi ius dicere. Utique in foro externo; minime vero in foro interno propriae conscientiae, ubi manifeste constet de veritate. — Actus *rescissio* induci potest etiam in odium alicuius criminis, ut impedimenta matrimonii, *criminis*, nullitas collationis *simoniacae* beneficii, etc. In tali casu videndum est, utrum nullitas actus sit primario et directe ratione sui inducta ob commune bonum, vel in poenam criminis. In primo enim casu lex est simpliciter, vel saltem primario, irritans, in altero vero est primario poenalis, et naturam induit legis *poenalis;* siquidem accessorium sequitur principale. — Si autem *lege ipsa* actus rescissio non constituatur, nequit iudex eam *sua sententia* inducere. Iudicis enim est secundum leges iudicare, non leges condere.

2.° Actus lege irritantur, vel quia *ipsi actus* a lege *prohibentur;* vel quia *persona* a lege declaratur *inhabilis;* vel quia factus sine *forma* ab eadem lege *constituta.* — Si lex actum *prohibet* et simul *irritat*, lex est simul *prohibens* et *irritans*, et vim obtinet simul in foro externo et interno, uti, e. g., incestuosa connubia, renuntiatio haereditatis nondum apertae. Si vero lex prohibet quidem actum, sed non irritat, actus in utroque foro valet, secus enim iam lex non mere prohibens esset, sed simul irritans. Et sic matrimonium mixtum, quamvis illicitum, est tamen validum.

Si persona a lege *inhabilis* declaratur, lex proprie *inhabilitans* dicitur. *Incapacitas* ista, alia proprie talis est, et actum irritum reddit, alia minus proprie talis est, et actum talis personae irritum non reddit, sed ei *restitutio in integrum* conceditur, ut in recentioribus Codicibus videre est. C. I. 134. 319. 339. 1106. 1300., C. G. 215. 484. 513. 1124. 1304. — Porro *inhabilitas* constitui potest propter *bonos mores*, propter *pericula avertenda*, propter *statum* seu *conditionem personae in societate.* — Si *propter bonos mores;* inhabilitas intelligenda est, et consequenter etiam actus irritatio, in utroque foro, externo et interno. Et sic docent communiter theologi peccare, et irritum actum efficere patrem, qui donationem contra legem adulterino filio facit, ipsumque filium, irritam donationem acceptantem. Lugo de Iust. et Iur. D. 24. n. 92. — Si *propter praecavenda pericula;* inhabilitas et irritatio in utroque etiam foro intelligenda est, secus nihil praecaveretur. Et sic iudices et officiales publici ministerii nequeunt lites redimere, C. I. 1458., C. G. 1597.; tutores nequeunt quidvis capere ex testamento eorum, qui sub tutela ipsorum sunt, C. I. 769. — Si tandem *propter statum* seu *conditionem personae in societate,* actus valet in foro conscientiae, qui aliunde de iure naturali valet, *si eo religioso vel civili statu seu conditione* non adimatur naturalis status seu conditio, nec lex huiusmodi positiva ea adimat, quae naturali lege ad hominem spectant, secundum eius *naturalem statum*, seu *conditionem;* sed tantum *secundum eius statum seu conditionem in societate.* Et sic manent firma in foro conscientiae iura coniugum, iura parentum, iura filiorum, si verum adfuit matrimonium; licet defuerit *matrimonium civile.* Defectus enim matrimonii civilis naturalem statum seu conditionem ex vero matrimonio profluentem non adimit. E contra, irrito matrimonio scienter contracto, nec vir, nec uxor,

nec dos, nec filii legitimi, nec legitima successio intelligitur. C. 10. *Qui fil. sint legit.*, Epist. Leonis XIII. *Il divisamento* 8. Febr. 1893. § *Ora una legge,* C. I. 116., C. G. 202., C. A. 160. Valet venditio in foro conscientiae, licet facta fuerit non *civi* sed *extero,* ubi id prohibetur. Huiusmodi enim lex non aufert ea, quae naturali lege *ad hominem* spectant, sed quae *ad civem.* Non valet e contra matrimonium servi, ignorata eius conditione a comparte. Itemque non valet testamentum religiosi, neque valet testamentum incapacis: utraque enim lex ea aufert, quae ipsa naturali lege *ad hominem* spectant, propter eius statum seu conditionem in societate; nempe, quoad priorem, in Ecclesia, quoad posteriorem, in societate civili. — Lugo de Iust. et Iur. D. 24. S. 4.

Si tandem actus propter defectum *formae* irritatur, leges tunc magis proprie habentur *irritantes,* prout ab *inhabilitantibus* distinguuntur. Forma autem alia est *intrinseca* ipsi actui et ab actu inseparabilis, alia actui *extrinseca.* Prior est quasi *species* actus, et proprie *forma* nuncupatur, eaque ordinarie sita est in hoc, quod actus fiat coram aliqua persona publica, et coram testibus, nec non publicis instrumentis, fidem iuridice facientibus, consignetur. Posterior *solemnia* actus appellatur, quibus omissis actus proprie *irriti* dicuntur; *infecti* vero si omissa fuerit *forma,* cum forma det esse rei: sed saepe promiscue verba haec usurpantur, et actus *irritus* et *infectus* etiam dicitur ex defectu *habilitatis* personae. Et sic in matrimonio praesentia parochi et testium matrimonii *formam* constituunt; in alienationibus bonorum ecclesiasticorum, uxorum, et minorum, Apostolicum beneplacitum requisitum in illis, et viri consensus in istis, ac iudicis decretum requisitum in his, ad *solemnia* pertinent actus. *Forma* et *solemnia* actus, ad fraudes removendas inducuntur. Quare leges huiusmodi in fraudis praesumptione innituntur. Si fundentur in praesumptione *facti,* et fraus reapse absit, actus validus est. Si vero fundantur in praesumptione *periculi,* quamvis fraus absit, actus tamen semper irritus est. In casibus particularibus facile sane non est definire, an lex fundetur in *praesumptione fraudis,* an *in periculo fraudis.* Quare, stante dubio, possessori favendum est ante iudicis sententiam, post eam latam huic standum est. — L. l. 3. n. 711. 890. 918. 927.

224. *An peccet qui actum irritum facit?* — R. Affirmative, si actus *malus* sit, ut, e. g., matrimonium inire cum consanguineo, vel si actus *damnosus* sit, sive iustitia, sive caritas, sive respublica, sive religio laedatur, v. g., si notarius publicum instrumentum conficiat sine iuridica forma; si testator libere testamentum condat, non servatis legalibus praescriptionibus, unde rixas et scandala exoritura praevideat; si iudex legitimum non servet iudiciorum processum; si forma et solemnia iuris canonici non serventur in electionibus ad officia ecclesiastica, in collatione beneficiorum, etc. — Affirmative item, si actus lege simul *irritetur* et in conscientiae etiam foro *prohibeatur,* ut in matrimoniis non servare formam a Trid. praescriptam; adulterino filio donare. — Negative, si actus ipse neque *malus,* neque *damnosus,* neque lege *prohibitus* sit, tunc enim non nisi frustraneus actus est, e. g., si quis suum scribat testamentum, omissa subscriptione, vel nondum adeptus aetatem praescriptam a lege. Licet autem lex non obliget in conscientia ad actum omittendum, si sit in tali casu *mere irritans* et non simul *prohibens;* obligat tamen ad standum

iis omnibus, quae intrinsece ex irritatione nascuntur. Auctoritati enim legitime praecipienti obtemperandum est. Omnis autem legislator leges irritantes condere potest, quia hoc ad bonum commune requiritur: secus enim fraudes et pericula humanae societatis propulsari satis non possent.

225. *An ignorantia, metus et grave incommodum ab irritatione excusent?* — R. ad 1.um Negative, quia subiectiva ignorantia sive facti sive iuris non supplet obiectivum actus defectum, et sic nullum est matrimonium, stante, e. g., impedimento dirimente consanguinitatis, sive bona sive mala fide contrahatur. Verum, si lex irritans sit *poenalis*, tunc, si ignorantia excusat a culpa, excusat quoque a poena irritationis. Si culpa vero admittatur, sed ignoretur poena irritationis, tunc probabilius haec non incurritur, quia irritatio poena extraordinaria et exorbitans est, a qua ignorantia excusat, Schmalz. l. 5. t. 37. n. 105., Sanch. de Matr. l. 9. D. 32. n. 17. Communius tamen affirmant incurri, quia talis ignorantia cum non excuset peccatum contra legem, nec consequenter excusat poenam, licet haec ignoretur. Suarez l. 5. c. 22., Ithur. Cas. 53. n. 24.

Ad 2.um et 3.um Negative, quia gravis metus et gravissimum etiam incommodum neque personam reddunt *capacem*, neque actibus *vim* reddunt per legem ademptam. Cum autem huiusmodi leges primario et directe tendant ad publicum bonum servandum, locus non datur epikeiae propter *privatum* tantum damnum. Et sic irritum inter cognatos et affines erit matrimonium, etiam ad mortem vitandam, etiam in articulo mortis. *Privatum,* si enim commune adest damnum, cum lex tunc nociva evaderet societati, irritatio cessat. — L. 191., l. 3. n. 112., l. 6. n. 1029., de Privil. n. 57., Diana T. 2. Tr. 6. R. 62. 73., Sanch. de Matr. l. 3. D. 17. n. 3., Ithur. Cas. 53. n. 18.

226. *Nota:* 1.° Ut adsunt leges *irritantes,* ita leges adsunt *constitutivae* iuris, quas ad irritantes alii revocant. Tales leges sunt illae, quae ius aliquod constituunt et conferunt. Et sic religiosa professio, adoptio, vim obtinent suam illa a lege canonica, ab Ecclesia, religiosam professionem acceptante, ista a lege civili. Quare tales leges in utroque foro valent, in externo et interno. Si quis enim tale ius vere habet in foro conscientiae, non nisi a lege sive canonica, sive civili habet. — 2.° Adsunt praeterea leges actionem denegantes in foro externo, quae si respiciunt aliquod *ius naturale*, non prosunt in foro conscientiae. Huiusmodi enim leges actionem non praestant, non quia *naturale* ius adimunt, sed tantum ut sit aliquis litium finis, ne lites multiplicentur. Si vero ius respiciant, quod ex ipsa lege profluat, sive canonica, sive civili; tunc, si quis intra praefinitum tempus ius suum non fuerit prosecutus, ius ipsum, adeoque ex opposito, alterius obligationem adimunt. Quare huic prosunt etiam in foro interno, nisi forte is per iniuriam alterum impedierit ius suum prosequi.

227. *Quaenam sit natura legis poenalis?* — Lex obligare potest ad actum vel actionem aliquam faciendam sive omittendam, et tunc dicitur lex *moralis*, *praeceptiva* vel *prohibitiva*. Potest vero lex obligare ad solam poenam subeundam, et tunc dicitur lex *poenalis*. Etenim ad legis essentiam sufficit, ut imponat aliquam obligationem in conscientia, neque necesse est, ut obligatio actum vel eius omissionem determinate respiciat. Praeterea lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris. Atqui legislator

ad solam poenam obligare potest, si communi bono procurando sufficiat. Quare merito docet S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9., « quod non omnia, quae continentur in lege traduntur per modum *praecepti;* sed quaedam proponuntur per modum *ordinationis* cuiusdam, vel *statuti, obligantis ad certam* poenam ».

Lex ergo *poenalis* est lex, quae non obligat ad actum ponendum vel omittendum *sub culpa,* in conscientia, sed tantum sub *poena* temporali, i. e., ad acceptandam poenam, ut iustam. Quare dari nequit, *proprie loquendo,* lex *mere poenalis* hoc sensu, quatenus nullo modo obliget in conscientia; potest tamen dari lex *mere poenalis,* hoc alio sensu, quatenus nempe ad alterutrum in conscientia obliget, vel ad legem implendam, vel ad poenam subeundam. — « Sanctiones quae nullo modo obligant in conscientia, nec ad actum, aut eius omissionem, neque ad poenam non sunt *proprie leges,* sed simplices *constitutiones et ordinationes*... Huc reducuntur *statuta* diversorum ordinum, congregationum, academiarum, etc. ». Struggl q. 2. n. 32. — Extra omnem vero quaestionem est, dari posse simul legem *moralem, praeceptivam* seu *prohibitivam* actus, et simul *poenalem,* et tunc lex dicitur *mixta.* — E. M.

228. *Quomodo dignoscantur leges mere poenales?* — Dignoscuntur: 1.° *Ex legis materia, verbis, et adiunctis.* 2.° *Ex communi sensu doctorum.* 3.° *Ex persuasione et praxi praesertim timoratorum.*

Ex materia; hinc uti poenales, per se loquendo, haberi possunt civiles leges, si earum attenta *materia,* legis finis sufficienter obtineatur, poenae tantum incusso timore, ut, e. g., leges de mulctis seu taxis solvendis quoad merces advehendas vel extrahendas. Uti *praeceptivae* vero habendae sunt civiles leges, si, attenta earum *materia,* legis finis sufficienter non obtineatur solo poenae timore, nisi timore etiam culpae; tales sunt leges illae, quae directe et proxime conferunt ad commune bonum, pacem et ordinem civilis societatis, uti sunt leges, e. g., contractuum; publicorum officiorum, administratorum, magistratuum, etc.; iudiciorum, probationum, nisi quoad has ius sit certum et evidens; siquidem tunc non deficit *ius,* sed *iuris probatio,* dummodo *probatio* ipsam *formam* actus non attingat. C. I. 779. 1314., C. G. 973., etc. Itemque leges sunt omnino in conscientia obligantes, leges definitivae iuris, uti sunt leges concedentes patri usumfructum in bonis filiorumfamilias, filiisfamilias vero legitimam in bonis paternis, dimidiam partem thesauri inventori, dimidiam domino fundi; restitutionem in integrum minoribus, nuptis, metum passis, regularibus; muri communionem vicino; actionem damni dati sola culpa civili, etc.

Ex verbis; hinc censet Suarez l. 5. c. 4. n. 9., si per verba legis poenalis non satis declaratur praeceptum, praesumendum esse pro lege pure poenali, nisi poena intrinsece supponat culpam theologicam, ut est excommunicationis poena. Habetur autem lex tanquam *pure poenalis,* si non feratur per modum praecepti ac prohibitionis, sed mere assertive, v. g., qui frumentum e regno transtulerit, solvet centum libellas; vel si feratur *disiunctive,* v. g., nemo frumentum e regno transferat, vel si transtulerit solvet centum libellas. Si vero lex feratur simpliciter per modum praecepti ac prohibitionis; aut nullam poenam imponit, et est lex *moralis* praeceptiva vel prohibitiva, obligans, *per se loquendo,* in conscientia ad culpam; aut poenam coniunctam habet, v. g., prohibetur canonicis abesse a choro sub poena amis-

sionis distributionum, quae quotidie fiunt inter praesentes, et lex est *mixta*, obligans, iterum *per se loquendo*, simul ad culpam et poenam. *Per se loquendo*, nisi nempe aliter expresse monuerit ipse legislator, uti videre est in pluribus regulis et constitutionibus ordinum et congregationum religiosarum, S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1., vel aliud iudicandum sit ex aliis capitibus. — L. 145.-147.

Ex adiunctis; e. g., si nulla morum corruptela ex legis transgressione sequeretur, nullum publici ordinis periculum, etc., et superior ipse suis ministris efficacem legis executionem, graviori imposita poena, demandaret. Iuste enim tunc praesumitur princeps nolle obligare ad culpam simul et poenam. L. l. 3. n. 616. Cf. 232.

Ex communi doctorum sententia; et sic uti poenales habentur leges, quae laicis aleas et ludos prohibent. L. l. 3. n. 885.

Ex consuetudine; « hinc leges oppidorum prohibentes sub poena caesionem lignorum, sive herbarum, piscationem, venationem, non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo ». L. 145. Idem dicendum videtur de gestatione armorum *ad venationem*, minime vero de gestatione armorum *insidiosorum*. C. I. Poen. 460. seqq. — E. M.

229. *An ignorantia, ut excusat a culpa, ita etiam excuset a poena?* — R. Affirmative pro foro interno, si ignorantia excuset a culpa, nam poena est naturalis quaedam consequentia culpae. — Negative pro eodem foro, si ignorantia non excuset a culpa, aut circa solam poenam versetur, intellige *ordinariam;* non vero *extraordinariam* et *exorbitantem*. Ratio discriminis est, quia poena ordinaria ex natura ipsius criminis semper aliquo modo praevidetur, cum ipsum lumen naturale dictet malum iuxta suam naturam esse puniendum. At poena extraordinaria ne in confuso quidem praevideri potest. — Affirmative item pro eodem foro, si ipsemet legislator scientiam poenae requirat, ut in censuris ecclesiasticis videre est, quas non incurrunt, qui eas invincibiliter ignorant. — Pro foro autem externo, Negative, quatenus nunquam licet auctoritati resistere. — L. 169., l. 6. n. 705. 1074., l. 7. n. 351.

230. *An lex poenalis obliget ad subeundam poenam ante iudicis sententiam?* — Poena, quae lege continetur alia est *activa*, quae nequit executione donari, sine aliqua delinquentis positiva actione, uti esset, v. g., pecuniae solutio; alia est *privativa*, quae consistit in mera privatione alicuius iuris acquisiti, e. g., officii, beneficii, iurisdictionis, iuris suffragii, etc.; eaque *conditionalis* est, si privat aliquo iure sub data conditione; alia *inhabilitans*, quae nempe inhabilem seu incapacem reddit alicuius iuris, aliquid nempe faciendi, vel contrahendi, acquirendi, dandi, etc. — Itemque alia est poena *latae sententiae*, alia *ferendae sententiae;* prima sola criminis patratione, secunda iudicis sententia incurritur. Haec autem sententia ferenda, vel *condemnatoria* est, per quam reus certa poena mulctatur, vel *declaratoria*, per quam iudex declarat aliquem in illud incidisse crimen, propter quod poena a lege statuta ipso facto incurritur. Ut poena latae sententiae dici possit, necesse est, ut legislator caverit evidenter, ut reus, delicto admisso, illico ea teneatur.

Si poena sit f. s. lex non obligat ad poenam subeundam ante istam sententiam; lex enim tunc poenam ipsa per se non infligit, sed tantum per iudicem infligendam decernit. Si poena vero sit l. s. tunc distinguendum

est. Poena *activa,* e. g., aliquid solvendi vel patiendi, subeunda non est ante iudicis sententiam. Ratio, « quia nimis ardua, et inobservabilis esset lex illa humana: quod reus ipse in seipsum deberet poenam exequi ». L. 149. 148. — Idem ob eandem rationem dicendum de poena *privativa* simul et *activa.* « Et sic igitur dicendum de legibus privantibus beneficiis, iam obtentis, ratione simoniae vel alienationis bonorum beneficii, etc., ubi semper requiritur declaratio iudicis » L. l. c.; nisi id expresse in lege cautum sit, ut videtur constitutum in Trid. S. 14. C. 18. de R. contra synodales examinatores, aliquid recipientes occasione examinis, siquidem dicitur, « a qua (i. e. a simonia) nequeunt absolvi, *nisi dimissis beneficiis* ». L. l. 3. n. 112. 397. Sed Cf. 521. — Si poena sit *simpliciter privativa,* ante iudicis sententiam *ordinarie* erit subeunda, ut patet ex usu et consuetudine ubique recepta de censuris ac poenis similibus. Hinc absque alia sententia coniuges incestuosi privantur iure petendi. C. *Si quis de Eo qui cognov.* Ac merito; cum enim incestus fere semper occultus sit, poena redderetur inutilis, si ille esset probandus, et sententia requireretur. *Ordinarie,* nam excipitur: si reus nequeat poenam exequi sine infamia, cum hoc esset nimis durum; si aliter alicubi habeat particularis consuetudo. L. 148. — « Poenae *inhabilitantes* obligant ante iudicis sententiam, ut est poena imposita a Trid. non residentibus non lucrandi fructus. Item quando poenae *privativae* sunt *conditionales,* v. g., ut habens beneficium curatum, si non ordinetur sacerdos infra annum, sit ipso facto privatus beneficio, ut ex C. *Licet de Elect.* in 6.° Sic etiam clericus beneficiatus non deferens habitum ipso facto privatur privilegio fori ». L. 149. Ratio 1.[i] est, quia nemo potest acquirere id, ad quod nullum ius habet. Ratio 2.[i] est, quia cum lex non tribuat ius nisi sub tali conditione, ea deficiente, et omne ius deficere debet. Attamen, ut pro poenis *privativis,* ita etiam pro *inhabilitantibus* sententia declaratoria requiritur, « casu quo reus non possit exequi poenam sine propria infamia ». L. l. 6. n. 705. — L. l. 3. n. 397. 442. 472., Struggl q. 2. n. 38. seqq.

231. *An poena conventionalis in contractibus debeat solvi ante sententiam?* — « Prima sententia affirmat, quia quisque tenetur ante sententiam pactum observare... Secunda sententia, quam aeque probabilem vocant Salm.... negat, quia sentiendum est, contrahentes non aliter velle sibi imponere poenam, quam iuxta dispositionem Iuris circa leges poenarum, quae non nisi post sententiam contrahuntur. — Profecto tenetur reus post sententiam ad poenam. — Sed notandum est, non teneri eum ad solvendam pecuniam, nisi petatur a parte. — Et si poena sit nimis dura, ultra sententiam requiritur praeceptum iudicis, et ministrorum executio ». L. 150.

VI. — DE LEGE TRIBUTORUM

232. *An et quomodo in conscientia obligent tributorum leges?* — Leges tributorum, *per se loquendo, morales* sunt, seu *praecipientes* in conscientia; illae nempe quae feruntur *a legitima auctoritate, ex iusta causa* communis boni, sustentationis et decoris Principis, et *servata debita proportione,* ita ut subditorum moralem facultatem non excedant, et ut, e. g., pauperes non

graventur sicut divites, sic enim illi longe maius onus quam isti sustinerent. Lugo de Iust. et Iur. D. 36. n. 25. 26. Enimvero huiusmodi leges actum praecipiunt naturalis iustitiae, videlicet *iustitiae legalis*, eum tantum definiendo et determinando; qua et princeps et subditi tenentur pro sua quisque parte necessaria praesidia societati conferre. Quare naturalis haec iustitia praecipit *subditis* subministrare superiori, habenti curam communitatis, ea quae ad hanc curam habendam sunt necessaria; praecipit item *extraneis* debere eos compensare damna, quae mercium asportatione et venditione inferunt alienae societati; praecipit tum *subditis* tum *extraneis* debere compensare expensas necessarias in constructione, et custodia viarum, pontium, etc., quibus fruuntur. Ad Rom. 13., 5.-7. Attamen, cum publice horum tributorum *exactores* constituantur, haec esse videtur mens legislatorum, ut tributorum solutio non censeatur debita, *nisi exigatur*. Minime vero inde permittuntur mendacia et fraudes ad exactores decipiendos. Cum item in non solventes gravis poena imponatur, plures et graves sunt doctores, qui leges de tributis habent, ut leges *mere poenales*. Verum inde non sequitur, quod quis non debeat solvere *iusta tributa*, quando *legitime ab exactoribus petantur;* sed sequitur tantum quod ea, nisi legitime petantur, non teneatur quidem in conscientia solvere, sed teneatur ad subeundam poenam, si deprehendatur gabellam non solvisse, et poena imponatur. Quare tunc tantum quis peccat, quando, non soluta gabella, quoad tributa ab exactoribus non petita, nollet post confiscationem solvere poenam. Atque haec sententia communi etiam praxi et persuasione confirmatur, has nempe leges in conscientia non obligare, ad tributa sponte solvenda. Quapropter, stante saltem dubio de obligatione, nemo etiam videtur ex hoc capite inquietandus, si tributa nondum ab exactoribus petita, non solverit; imo etiam si exactorum vigilantiam quis mere eludat, res occultando, vel non manifestando, nempe ne illi exigant, ut timorati etiam facere solent. — L. l. 3. n. 614.-617., H. A. Tr. 10. n. 81., Ithur. Cas. 2., Struggl 32., Elbel 303.-306.

233. *Resolves:* Damnandi sunt: 1.° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim peccant contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ad Rom. 13., 2. Peccant etiam contra iustitiam legalem; nam lex, quae respicit tributa, etiamsi ut mere poenalis habeatur, gubernatoribus tamen ius certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur. — 2.° Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur. Huiusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi. — 3.° Nec indulgendum est iis, qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem defraudandi incumbunt, eamque veluti vitae professionem habent. Hi enim et temporalium bonorum vitae ac fortunae et animae periculis haud raro exponuntur. Insuper aliud prorsus est res suas non manifestare seu occultare, ne tributum exigatur; aliud artem exercere defraudandi tributa, quod certe prohibetur; cum hoc societati omnino damnosum sit, et propter ipsam tributorum defraudationem, et propter plura alia delicta, quae cum illa naturaliter consociantur.

234. *An peccent contra iustitiam praepositi, quoties iustum tributum non exigant?* — R. Affirmative, *per se generatim*, et quidem graviter in

materia gravi. Ratio patet, siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa, alioquin iusta, diligenter exigenda. Quare, si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga principem, vel rempublicam. *Generatim*, quia iuxta plures praepositi vectigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, praecipue cum pauperibus, vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt; quia in tali casu rationabiliter praesumitur remittere ipse princeps. « Praeterea, si telonarii deprehendunt defraudatores, et solum dissimulant mulctam, probabiliter non tenentur hanc resarcire. Ratio huius est: quia telonarii vi sui officii solum tenentur exigere vectigal in bonum principis, non autem hunc per mulctas ditare. Praeterea mulcta aliunde non debetur ante sententiam iudicis, nec fiscus ante hanc habet ius ad mulctam. Unde etiam custodes stipendiati ad observandum, ne per passus occultos declinentur telonia, si culpa sua sinant transitum, tenentur ex iustitia resarcire iactum telonii, non vero mulctae ». Struggl 30., L. l. 3. n. 583. 614.-617. Damnandi vero sunt, qui vectigalibus exigendis praepositos mediis iniustis corrumpunt, ne officio suo fungantur, tributum alioquin *iustum* exigendo, peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando, et ad restitutionem tenentur. L. l. 3. n. 617., Struggl 32., Cf. 1386.

VII. — DE DISPENSATIONE

235. *Quid dispensatio sit?* — Dispensatio est relaxatio legis in casu particulari, propter specialem causam. S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. Differt a *declaratione*, qua edicitur hunc vel illum casum non comprehendi in lege. Differt a *licentia*, quae locum habet, quando lex rem absolute non prohibet, sed tantum conditionate, nempe sine superioris consensu et approbatione. Quare legis vinculum per *licentiam non relaxatur*, sed apponitur dumtaxat conditio, qua posita, lex non amplius locum habet. Lex tunc potius observatur, nam lex praecipit reapse petere licentiam, si tale vel tale quid fiat, petere nempe superioris consensum. Differt a *privilegio*, quod et *contra legem* et *praeter legem* etiam esse potest, et, cum contra legem est, illi simpliciter derogat, adeoque non pro casu tantum, aut casibus aliquibus in particulari, sed pro omnibus. Differt etiam ab *irritatione*, *abrogatione*, et *cessatione* legis, quia in hisce lex pro omnibus extinguitur.

236. *Nota:* Potestas dispensandi *generaliter* data recidit in privilegium *praeter ius*, et favorabilis est, adeoque *latam* habet interpretationem; sed non *extensivam*. Ipsa vero dispensatio, quia legi derogat odiosa est, et *strictae* est interpretationis, nisi debita sit, vel concessa fuerit, motu proprio vel communitati, vel in bonum commune, vel inserta in Corpore Iuris. *Strictae*, sed non *restrictivae*, nisi forte ius tertii laedatur. Nunquam vero ita est interpretanda, ut fiat ei cui est concessa inutilis vel onerosa. R. 61.ª de R. I. in 6.° — L. 187. 192. 195.

237. *Quaenam ad dispensationem requirantur?* — 1.° Necesse est, ut is qui dat dispensationem eam det sciens volens, sed metu extorta valet; et ut ille cui datur, *regulariter loquendo*, eam acceptet. Invito enim beneficium non datur. Dari autem potest et acceptari etiam tacite, et facto

ipso. L. 184. 187., Sanch. de Matr. l. 3. c. 36. n. 2. *Regulariter loquendo*, absolute enim dispensari potest etiam inscius et invitus. Siquidem legislatoris est ligare et solvere.

2.° Ex parte *concedentis iusta* requiritur *causa*, secus enim superior non esset fidelis custos legis, sed imprudens dissipator. Insuper naturale ius dictat, partem debere conformari suo toti, nisi iusta causa excuset. Trid. S. 25. C. 18. de R., S. Th. 1. 2. q. 97. a. 4. Sine iusta causa dispensatio data ab ipso legislatore *valida* quidem est, quamvis *illicita;* ab inferiore vero seu a delegato et *illicita* et *invalida*. Legislator enim tanquam propriam habet potestatem ligandi et solvendi, cui illa iusta causa extrinseca est, eam vero non censetur communicare inferiori seu delegato, nisi ut ea rationabiliter utatur. *Leviter* tamen peccat et legislator sine causa dispensans, et dispensatus, eam petens; qui vero, sublata lege per dispensationem, hac utitur ne leviter quidem peccat. Nulli enim et ille dando et iste acceptando iniuriam faciunt, quamvis legalem iustitiam laedant. *Graviter* vero peccat delegatus dispensans sine iusta causa *in re gravi*, siquidem graviter concessa sibi potestate abutitur. *In re gravi*, in re enim levi, venialem culpam non excedit. — Ex parte autem *petentis* requiritur, tum ad *liceitatem* tum ad *validitatem*, ut vera adsit causa, siquidem superior non dispensat, nisi preces veritate nitantur.

3.° Ceterum causa sufficit *probabiliter* iusta, et ad petendam, et ad concedendam dispensationem, tum valide tum licite, ne res nimis anxia et scrupulis obnoxia sit. Neque vero opus est ut tanta sit, quanta sufficiat de se ad excusandum, secus inutilis prorsus evaderet dispensandi potestas in superiore. « Causa est dignitas petentis aut superioris, ut se benignum ostendat, nec non utilitas communis, aut privata et similia. In dispensationibus autem impedimentorum pro matrimoniis, sufficit pro causa solutio pecuniae in subsidium Ecclesiae, ut est praxis ». L. 195. 178. 181. 182. 186. 192. 195., l. 3. n. 251., l. 7. n. 353., S. Th. 1. 2. q. 96. a. 6., q. 97. a. 4., 2. 2. q. 63. a. 2. ad 2., Cf. 283., E. M.

238. *An existente iusta causa, teneatur superior dispensare?* — R. Negative, si causa sit tantum *sufficiens*, ita ut dispensatio sit *permissa;* et superior eam potest vel dare vel negare, vel dare uni, alteri negare, nam est mera gratia, adeoque libera. Insuper ut subdito prodest dispensatio, ita bono communi eiusdem negatio prodest. — Affirmative, si causa dispensationem *necessariam* reddat ad evitandum damnum commune, vel privatum magni momenti, vel ad procurandam utilitatem communem, vel privatam magnam, alioquin peccaret graviter vel leviter iuxta materiam; ideo enim ei potestas data fuit. — « Denegata tamen, etiam iniuste, dispensatione, nequit subditus agere contra legem; nisi talis causa urgeat, ut eum extrahat a lege: quare si episcopus iniuste neget dispensationem publicationum ante matrimonium, potest, urgenti gravi causa, illud contrahi sine eis ». L. 179., S. Th. 1. 2. q. 97. a. 4.

239. *Utrum in dubio, an casus indigeat dispensatione, ea opus sit?* — R. Negative in dubio positivo; extensio enim legis ad illum casum incerta manet. Affirmative in dubio negativo de sufficientia causae excusantis; nam lex certa possidet. Negative vero in dubio negativo de necessitate dispensationis, nam tunc e contra possidet libertas. L. 97. 180. 192. 195., l. 3. n. 325., l. 4. n. 154., H. A. Tr. 2. n. 51.

240. *An liceat uti dispensatione tacita, praesumpta, interpretativa?* — R. Ad 1.um Affirmative, *adest* enim vere voluntas dispensandi in superiore; cum *tacita* dispensatio habeatur, quando superior aliquid velit cum quo dispensatio sit connexa, vel quando sciens et potens contradicere non contradicat.

Ad 2.um Affirmative, tunc enim etiam *adest* in superiore vere voluntas dispensandi, ut rationabiliter ex hypothesi praesumitur, v. g., si sciens praelatum te esse excommunicatum, beneficium tibi conferat.

Ad 3.um Negative, non enim *adest,* neque ulla ratio persuadet quod *adsit* in superiore voluntas dispensandi, sed tantum ratio adest, quod *adesset* talis voluntas in superiore, si rem sciret. Attamen in rebus minoris momenti facilius quis tunc epikeia uti posset. Nec refert, quod valeat licentia *praesumpta de futuro;* nam ad actiones, quae ad sui valorem requirunt positivum actum voluntatis non sufficit voluntarium interpretativum, ut in *dispensatione* contingit, siquidem *relaxatio legis* positivum superioris consensum requirit. E contra ad actiones, ad quas mere sufficit superiorem non esse invitum, ut in casu *licentiae* petendae, voluntarium interpretativum sufficit. L. 187., l. 3. n. 288., Struggl Tr. 1. q. 1. n. 21., Sanch. de Matr. l. 3. D. 35. n. 16. 24.

241. *Quinam dispensare possint, et cum quibusnam?* — R. Ad 1.um Cum dispensatio *relaxatio sit legis,* patet eam esse actum iurisdictionis. Quare ille tantum dispensare potest, *potestate ordinaria,* qui legem condidit, vel eius superior, aut successor; *potestate* vero *delegata* qui ab his dispensandi receperit potestatem. Ratio, quia legislator tantam habet potestatem ad solvendum quantam ad ligandum; parem habet cum suis praedecessoribus potestatem; sibi demum subordinatam habet inferiorum potestatem. Inferior autem nullam habet potestatem in legem sui superioris. — Non potest legislator dispensare etiam in sua lege, si lex transeat in contractum. Nam pacta sunt ab omnibus observanda. L. 190. 191. — Potest vero inferior dispensare in lege etiam superioris, si in lege *generaliter* permittatur dispensatio, v. g., si dicatur *donec dispensetur,* L. 90., si consuetudo praescripserit, si communiter a theologis admittatur. Hinc valide et licite inferior, potestate ordinaria, dispensat ex iusta causa in lege superioris: 1.° Circa levia, h. e. quae sub mortali non obligant, etsi sit facilis ad superiorem recursus. 2.° In casibus, qui frequenter occurrunt, et in casibus dubiis. 3.° Quando urgens adest necessitas, recursus ad superiorem est difficilis, et in mora periculum adest. L. 180. 190.-192., l. 6. n. 902. — *Potestate ordinaria, delegata.* Ordinaria est, quae alicui competit ex vi officii sui; delegata, quae competit ex concessione illius, qui ordinariam habet. Si delegata potestas ab ipso iure concedatur, ordinariae aequiparatur, utpote officio et dignitati adnexa; si vero tota sit a superiore pure delegata est.

Ad 2.um Cum illis tantum dispensari potest, qui dispensantis iurisdictioni subiiciuntur, v. g., cum *incolis,* domicilium habentibus, sive in proprio sint territorio, sive extra illud, L. l. 1. n. 158., l. 7. n. 81.; cum *advenis,* quamdiu quasi domicilium in territorio habent, L. l. 1. n. 158., l. 3. n. 262., S. O. 22. Nov. 1865., A. S. S. V. 2. p. 671., qui impetrata dispensatione uti possunt etiam cum peregre abeunt, Suarez l. 8. c. 26. n. 12.; cum *vagis,* quamdiu ii versantur in territorio, Bened. XIV. Not. 33. n. 10.;

immo etiam cum *peregrinis*, siquidem peregrini etiam per accessum ad superiorem localem sufficienter fiunt subditi, dum in alieno sunt territorio, L. l. 1. n. 158., l. 3. n. 262., atque haec dispensatio cum *personalis* sit, personae adhaeret, adeoque peregrinantem subsequitur etiam extra territorium seu dioecesim dispensantis, Cf. 248.; tandem cum *seipsis*, quamvis delegatam tantum habeant potestatem, sed *generalem*. Ratio est, « quia est iurisdictio pure voluntaria, quae etiam erga seipsum exerceri potest. Hinc bene sibi dispensare potest in votis, iuramento, ieiunio, etc. ». L. 183. *Generalem*, quia nullus excipitur in facultate generali quocumque modo habeatur. Secus vero est, si quis delegatus sit ad casus tantum particulares. L. 158. 183., l. 3. n. 262., E. M.

242. *An Papa dispensare possit in lege divina?* — Potest dispensare ex iusta causa in iis, in quibus ius divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et in iuramentis. Certum enim est, quod in his gerat vicem Dei. Unde est, quod dispensatio in voto vel iuramento, sine iusta causa, etiam a Papa facta sit invalida. *In ceteris* controvertitur, an vere dispensare possit ex gravissima causa, vel tantum declarare ius divinum tunc cessare. In praxi parvi refert. *In ceteris*, in quibus nempe dispensare potest; non enim potest dispensare in omnibus, sed tantum in aliquibus, e. g., in sponsalibus, in matrimonio rato, etc. Excipe vero semper leges, quae ad essentialem Ecclesiae constitutionem pertinent, ut sunt leges circa formas et materias sacramentorum, circa oblationem sacrificii, etc. — L. 180. 188. 189., S. Th. 1. 2. q. 100. a. 8., 2. 2. q. 88. a. 12., q. 89. a. 9. ad 3., S. q. 65. a. 1. 2. 4., q. 67. a. 3., Struggl q. 4. n. 11., E. M.

243. *In quibusnam legibus dispensare possunt episcopi?* — *De iure ordinario*, dispensare possunt in propriis dioecesibus a legibus latis in synodis provincialibus, cum ita sit consuetudine introductum, C. *Cum contigat* 13. *de For. comp.*, modo non sint concilio specialiter reservatae. Dispensare item possunt in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus, et quidem independenter a capitulo et clero. Neque obstat, quod concilium provinciale, vel synodus dioecesana ab Apostolica Sede fuerit approbata. Ista enim approbatio non est *specifica* et *absoluta*, ut singula examinentur, cognoscantur, *ac motu proprio et certa scientia* probentur. Sed est *ordinaria, communis et conditionalis, si iuste, si canonice*, etc., quod quidem nihil novi iuris tribuit, ut cum Fagnano docet Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 5. Ceterum episcopi iure suo dispensant in legibus etiam Pontificiis pro sua dioecesi latis, habentur enim instar legum dioecesanarum. A statutis episcopalibus et synodalibus dispensare valet etiam capitulum, sede vacante, cum succedat in locum episcopi. Id tamen nequit vicarius generalis episcopi, sine speciali delegatione, cum id non habeat de suo iure ordinario; siquidem in generali commissione non intelligitur facultas dispensandi. — Non possunt tamen episcopi dispensare in lege synodali taxativa congruae pro ordinandis. Ratio est, quia Innoc. XII. B. *Speculatores* statuit, ut « beneficium eius sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive ea deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad SS. ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur ». Quare Pontifex implicite adimit episcopo facultatem dispensandi hac in re, seu potius arbitrandi, aut faciendi supputationem suo modo. — Quia autem omnis potestas, et maxime spi-

ritualis, non in destructionem, sed in aedificationem data est, et ex ipsa natura ecclesiasticarum legum, et ex praesumpta Rom. Pontificis voluntate, nec non ex consuetudine, episcopi dispensant etiam in legibus communibus, 1.° cum materia est levis, 2.° quoad casus dubios, 3.° quoad casus, qui saepe accidunt, ut in plerisque votis, ieiuniis, abstinentia *cum privatis*, observantia festorum, officio divino, *in casibus particularibus*, etc. — Itemque dispensant in aliis etiam pontificiis legibus, quoties non est facilis recursus ad Summum Pontificem, et periculum grave est in mora, e. g., in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis, etc. — Possunt vero dispensare in legibus pontificiis, si in lege ipsa dicatur posse ab ea dispensari; nam si verba haec aliquid significant, et dispensationem permittunt, eam certe inferioribus permittunt, nempe episcopis. Excipiuntur tamen matrimoniales dispensationes, Cf. Trid. S. 24. C. 5. de R. M., ex praxi et Stylo Curiae, vel si dispensandi essent ipsimet Ordinarii. Cf. C. *super eo* 2. *de Big.* — L. 180. 190. 191. 192., App. 2. n. 54. seqq., l. 6. n. 613. 902., H. A. Tr. 2. c. 6. n. 57. Cf. 241.

244. *Nota:* 1.° Dicitur episcopos in praecedentibus casibus dispensare *de iure ordinario*, quia talis facultas eis competit vi proprii officii, cui est perpetuo annexa, et ideo bene eam possunt alteri delegare. L. 190. 192. 193., l. 6. n. 613., de Priv. 57. 58., Struggl q. 4. n. 12. — 2.° In casibus dubiis episcopus potest *declarare* casum dispensatione non indigere, vel *ad cautelam* dispensare. Quoad dispensationem *ad cautelam* haec notat Bened. XIV. Not. 101.: « Diana sapienter advertit concedi a S. Poenit. vel Datar. dispensationes huiusmodi non tanquam necessarias, sed ut omni scrupulo animique sollicitudine fideles eripiantur ». Dispensatio non erit tunc, regulariter loquendo, necessaria; sed valde prodest; si forte enim deinde veritas appareat, dispensatus nihilominus quis vere manet. — Sanch. l. 8. D. 6. n. 18.

245. *An parochi in aliquibus dispensare valeant?* — *De iure ordinario*, possunt, *ratione consuetudinis*, dispensare cum subditis, pro casibus tantum particularibus, in ieiuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis, et in aliis similibus, quae frequenter occurrunt et indigent prompta dispensatione. *Ratione consuetudinis*, iurisdictionem enim in foro externo non habent. *De iure ordinario*, siquidem haec facultas ipsis tributa est ratione officii, utpote exercenda in casibus, qui frequentes occurrunt. — Quin immo in gravioribus etiam dispensare possunt, in quibus possunt episcopi dispensare, stante gravissima necessitate, si episcopus non possit adiri et periculum sit in mora. — L. 190. 192., l. 3. n. 288., l. 6. n. 613., H. A. 59.

246. *An regulares in aliquibus dispensare possint?* — 1.° « Praelati regulares habent potestatem dispensandi cum suis subditis in praeceptis ecclesiasticis, ut possunt episcopi cum suis dioecesanis. Etenim ipsi habent quasi episcopalem iurisdictionem, ut communiter docent dd. ». L. de Privil. n. 106. Cf. 243. 281. — 2.° « Confessarii Mendicantium, et ceteri regulares communicantes, potestatem habent irritandi, remittendi, et dispensandi iuramenta, ac vota. Possunt insuper dispensare cum coniugibus quoad impedimentum ad petendum debitum, propter incestum commissum cum consanguinea coniugis. Animadvertendum est autem hic, quod confessarius debet in hoc obtinere licentiam specialem, et saltem a superiore inferiore

sui monasterii. Possunt praeterea confessarii Mendicantes dispensare cum coniugibus in voto castitatis, elicito ante matrimonium, ad petendum debitum, sicuti etiam in voto elicito post matrimonium. Possunt ipsi dispensare in omnibus votis, in quibus valent de iure ordinario dispensare episcopi cum suis subditis». L. ib. 109., l. 1. n. 194., Struggl q. 4. n. 13.

247. *Utrum dispensatio in foro externo, an in foro interno dari possit?* — Dispensatio dari potest in foro externo, siquidem si vinculum legis in foro externo constituitur, in eodem etiam foro solutio illius vinculi dari potest. Et sic dispensatio ab abstinentia, quae datur per Indultum tempore quadragesimae, in foro externo datur. — Dari etiam potest in foro interno *sacramentali;* nam in foro sacramentali bene agi possunt ea omnia, quae ad spiritualem salutem pertinent. Dari item potest in foro interno *conscientiae,* licet non sacramentali, nam ut ad forum *sacramentale* pertinent proprie peccata, ita ad forum conscientiae pertinent omnia, quae spectant ad spiritualem uniuscuiusque salutem. Illud autem essentiale intercedit discrimen inter forum internum *sacramentale* et forum *mere* internum *conscientiae,* quod in illo res inter praesentes tractantur, in hoc res agi etiam possunt inter absentes. — Distinguitur etiam *forum poenitentiae,* sed hoc, secundum alios, est forum sacramentale; secundum alios, est forum conscientiae. Quare quod alicui committitur *in foro poenitentiae,* praeter *peccatorum absolutionem,* v. g., dispensatio, absolutio a censuris, etc., etiam extra sacramentum poenitentiae potest expediri, quamvis mandatum *sacerdoti confessario* dirigatur. — Suarez l. 8. c. 6. n. 15. 16., Salm. Tr. 18. c. 1. n. 33., Schmalz. l. 2. t. 2. n. 2., L. 194., S. Th. 1. 2. q. 97. a. 4.

248. *Quandonam dispensatio cesset?* — Dispensatio cessat: 1.° *Revocatione,* ea enim *legis* vinculum restituitur. Quare a legislatore facta etiam sine causa valet; a delegato facta etiam ex iusta causa non valet; facta ab inferiore, quando illam ordinario iure concessit, si ex iusta causa, valet; secus vero, si absque iusta causa, quia non potest superioris legem restituere. L. 197. *Legis,* nam si obligatio non a lege, sed a propria pendet voluntate, ut in votis, sine hac restitui non potest. Praelatus dispensationem revocans sine iusta causa *per se* venialiter tantum peccat. L. 197.

2.° *Renunciatione,* quae statim valet in illis, quae ex propria voluntate vim habent, in votis, iuramentis, etc. In illis vero, quae ex lege effectum sortiuntur, e. g., in impedimentis matrimonii, in horis canonicis, etc., tunc valet, cum a superiore fuerit acceptata, qui legis vinculum restituere potest. L. 198.

3.° *Cessante totaliter causa motiva,* si dispensatio tractum habeat successivum, et absolute data non fuerit, ut, e. g., dispensatio a lege abstinentiae ob infirmitatem. Secus vero, si dispensatio absolute data fuerit, quamvis, attenta materia, tractum habere possit successivum; vel si unico actu fuerit perfecta, e. g., si quis ab irregularitate fuerit dispensatus ob paupertatem parentum, vel ob morum honestatem, vel ob inopiam ministrorum. Quare qui absolute fuit dispensatus a voto castitatis, mortuo coniuge, alteri nubere potest; si vero pro speciali casu dispensatio fuerit concessa, nova indiget dispensatione. — Si dispensationi fuerit adiuncta aliqua commutatio oneris, tunc etiam, cessante causa, dispensatio non cessat. — Dispensatio item non cessat: 1.° *Non usu,* aut *usu contrario,* unde ea quis semper deinde uti poterit, siquidem haec legis vinculum resti-

tuere non valent. 2.° *Dispensantis territorio relicto,* quia factum legitime retractari non debet, etsi postea is casus inciderit, a quo initium haberi non potuisset. 3.° *Morte dispensantis,* quicumque ille sit sive praelatus superior, sive inferior; cum dispensatio sit gratia, et gratia non expiret morte concedentis. — Porro, si causa iudicatur *perpetua,* tunc dispensatio censetur data *absolute,* etsi postea per accidens causa cesset. Secus vero, si causa diiudicatur tantum pro tempore duratura. — R. 73.ª de R. I. in 6.°, L. 195.-198., Cf. 241.

VIII. — DE PRIVILEGIIS

249. *Quid sit privilegium?* — 1.° Privilegium est, quasi *privata lex, aliquod speciale alicui concedens beneficium, extra Corpus Iuris existens Privata,* quia aliquid speciale alicui et non omnibus concedit. *Lex,* quia dum ius privilegiato concedit privilegio utendi, omnibus seu toti communitati obligationem imponit privilegii usum non impediendi. *Speciale,* neque enim privilegia concederentur, si praeter generalem legem nulli aliquid speciale concederetur. *Beneficium,* siquidem gratiam principis continet. *Alicui,* h. e. sive singulari personae, sive personae morali, e. g., Universitati, Ordini religioso, etc. *Extra Corpus Iuris existens,* quia lex proprie non est, unde neque indiget promulgatione: sed, cum donatio quaedam sit, *acceptatione* indiget. Idque de qualibet *gratia* concessa valet; regulariter nihil acquiritur nisi volenti. Cf. Schmalz. l. 4. t. 3. n. 203. seqq. Sed petitio pro acceptatione est; et, si per procuratorem petatur, sufficit ut per eum acceptetur. Quare, quoad quis ignoret, an gratia concessa fuerit, ea regulariter uti licite non potest; sed verius valide potest, Suarez l. 8. c. 25. n. 25., Laymann c. 23. n. 10., Sanch. de Matr. l. 3. D. 36. n. 6.-8., l. 8. D. 26., Engel l. 5. t. 33. n. 8., l. 4. t. 3. n. 15., si verum est gratiam fuisse concessam. Nec refert, si gratia pro alio petita fuerit, etiam ignorante, immo et invito. Sanch. de Matr. l. 8. D. 26. n. 4., Bonac. D. 1. Q. 3. c. 3. n. 4. Hinc, si quis, nec ipse gratiam petiit, nec scit petitam ab alio concessam fuisse, eaque tamen forte utitur, standum erit pro valore actus, cum nempe iste non nisi a gratiam concedentis voluntate dependet, uti, e. g., in dispensationibus matrimonii in radice videre est. Verum, nisi aliud ex concessione gratiae eruatur, censetur ea nonnisi scienti et acceptanti concedi. — Suarez l. 8. c. 25., L. 1., Lugo de Poenit. D. 19. S. 2. Cf. 237.

Privilegium differt a *lege,* proprie tali, *singulari;* quae nempe aliquid speciale constituit *pro certo personarum genere,* et, cum vera lex sit, continetur in Corpore Iuris, et communiter *privilegium clausum in Corpore Iuris* appellatur, uti, e. g., est facultas, concessa episcopis a Trid. S. 24. C. *Liceat* 6., dispensandi ab irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus; restitutio in integrum ex legibus concessa minoribus, uxoribus, interdictis. Quare, ut aliae leges, ita et hae non acceptatione, sed promulgatione indigent. Quin immo neque scientia eorum, quibus fuerint concessae, requiritur, ut hi valide eis utantur. Cf. Suarez l. 8. c. 26. n. 16. Itemque, prout aliae leges, ita etiam hae sunt perpetuae et renuntiatione non cessant, licet in particularibus casibus possit quis iuri pro se introducto renuntiare, dummodo privilegium concessum non fuerit aliorum causa, vel ob

dignitatem ordinis seu coetus, vel ob praesumptionem communis periculi fraudis, ut ea quae concessa sunt imbecillitati personarum, velut restitutio concessa minoribus et profitentibus ante aetatem canonicam, si hi restitutioni renuncient.

250. *Quotuplex sit privilegium?* — 1.° Privilegium *ratione subiecti*, aliud est *personale*, quod *individuae* conceditur personae, v. g., Titio, vel *coetui* personarum, v. g., minoribus, vel *corpori morali*, v. g., ordini religioso; aliud vero est *reale*, quod etiam personis conceditur, sed respectu dignitatis, officii, loci, rei. Privilegia realia perpetua sunt, et his etiam accensentur privilegia personalia secundae et tertiae speciei. Quare privilegia *realia* ad successores in eadem re transeunt. Privilegia vero *personalia* cum eadem persona extinguuntur. — 2.° *Ratione obiecti*, aliud est *contra ius*, quod legi derogat, ut privilegium oratorii privati; aliud est *praeter ius*, quo mera gratia praeter legem conceditur, v. g., facultas absolvendi a reservatis. — 3.° *Ratione causae*, aliud est *remuneratorium*, quod ob certa merita conceditur; aliud *gratiosum*, quod sine praeviis meritis conceditur. Privilegium *gratiosum* etiam sine causa revocari potest, procedit enim principaliter ex concedentis liberalitate. *Remuneratorium* sine causa revocari non potest; conceditur enim propter merita. Ac, si sit *remuneratorium* ex stricta iustitia, nempe propter solutum pretium, propter onus impositum, sine debita compensatione revocari non potest. — Suarez l. 8. c. 4. n. 38., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 19., L. l. 1. n. 197.

251. *Quid sit gratia facta, et facienda?* — Gratiae distinguuntur in *factas* et *faciendas*. Gratia dicitur *facta*, cum ille, qui eam concedit annuit petitioni, si nempe detur *ad preces supplicantis;* vel cum gratiam faciens eam simpliciter concedit, si eam *motu proprio* largiatur. Iam vero quando Princeps *ipsemet* eam concedit in gratiam eius cui illa concedit, seu ut dicitur in forma *gratiosa*, gratia tunc regulariter *facta* intelligitur, uti si summus Pontifex concedat ordini religioso, vel singulari personae, Titio sacerdoti, facultatem absolvendi a reservatis, benedicendi coronas eisque indulgentias adnectendi, etc. Quando autem eam concedit *per alium*, seu ut dicitur in forma *commissaria*, quia in mandatum recidit, tunc gratia aliquando *facta*, aliquando est *facienda*. Est *facta*, si alius constituitur *executor necessarius*, est vero *facienda* si alius constituitur *executor voluntarius*. In primo enim casu alius est mere *executor* concessionis gratiae, in secundo vero alius est *executor* gratiae concedendae, ipsi nempe gratia concedenda remittitur. Et sic gratia est *facta*, si in Rescripto, e. g., Ordinario dicatur, *dispenses, absolvas*, etsi conditio aliqua verificanda adiiciatur, etsi addatur *pro tuo arbitrio et conscientia*, quae verba non nisi propter expressionem *reverentiae* et *convenientiae* ponuntur. S. C. C. 6. Dec. 1845. Est vero *facienda*, si in Rescripto dicatur *dispenses, absolvas, si expedire iudicaveris*, vel preces ei remittantur *cum facultatibus necessariis et opportunis*. L. l. 1. App. 2. n. 13., Bizzarri Collect. p. 666. Hinc gratia *facta* non expirat, morte concedentis, aut eo ab officio cessante; e contra expirat gratia *facienda*, nempe *re integra*. Verum gratiae *faciendae*, concessae a Romano Pontifice, postridie electionis successoris reviviscunt ex Reg. 12. Canc. Apost. — L. 8., l. 6. n. 559., Laymann l. 1. de Privileg. c. 23. n. 18., Alois. Trombetta Prax. Reg. circa Contr. rer. Eccl. c. 6. Cf. 255. 283. et V. 2. 1045.

252. *Quinam privilegium concedere possint, et quibusnam?* — Privilegium *contra legem* concedi potest ab illis, quibus lex subest; et quidem solis subditis, solisque locis, qui potestate sua continentur. Ratio est, quia tale privilegium legis derogatio est, et legislator supra non subditos, et extra proprium territorium nullam habet auctoritatem. — Privilegium *praeter legem* potest concedi etiam non subditis, quia non est actus iurisdictionis, sed actus merae facultatis et quasi donatio. Sic princeps potest concedere extraneo privilegium venandi in suo territorio. — Suarez l. 8. c. 8. 10. 26.

253. *An peregrini gaudere possint privilegiis locorum, quae peragrant, etsi sint contra legem communem?* — R. Affirmative. Constat ex consuetudine generali.

254. *An delegatus ad gratiam concedendam subdelegare possit?* — R. *Negative, per se* loquendo, quia haec facultas per se non includitur in concessione superioris, nisi expressa sit. Excipe: 1.° Si quis esset delegatus a Principe; casu tamen, quo delegatio facta sit tanquam per officium; non vero, si eligatur persona propter suam peritiam, aut si ei non *iurisdictio* committatur; sed mera alicuius causae *executio*, C. 6. et fin. § 1. *de Offic. et pot. iud. deleg.* 2.° Si quis esset delegatus ad totum officium alterius supplendum, seu *ad universitatem causarum*, etsi non a Principe; hinc vice-parochi, universim deputati in locum parochi absentis, vel mortui, possunt alium subdelegare, L. 1. § *Ob eo* ff. *Quis a quo.* Haec tamen subdelegatio non potest esse ad totam, sed ad unam vel alteram causam tantummodo, ut commune est cum D. Th.: « Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem ». Quodl. 1. a. 31. Verum oeconomus curatus, vacante paroecia, ab episcopo constitutus, in vim dispositionis Concilii Tridentini S. 24. C. 18., potest alium sacerdotem delegare ad omnia officia, nisi obstet voluntas Ordinarii. S. C. C. 9. Maii 1874. A. S. S. V. 8. p. 134. Quod autem dictum est de delegatione facta a Principe, valet magis de delegatione facta a Papa. L. 193. — Sanch. de Matr. l. 3. D. 31. n. 4., Ferraris v. *Delegare*, L. l. 7. n. 224.

255. *An delegatio absolute facta, expiret morte delegantis?* — R. Negative, si delegatio sit per modum *gratiae factae*, quantumvis *res* sit adhuc *integra*, quod evenit: 1.° Cum conceditur publicae utilitatis causa, prout est facultas dispensandi in votis, in impedimentis matrimonialibus, absolvendi a censuris, etc. 2.° Cum conceditur causa privatae utilitatis alterius, v. g., Caii, Sempronii, etc., ita tamen, ut commissario seu delegato imponatur praeceptum exequendi mandatum, veluti si dixerit, *dispenses cum Titio, absolvas, provideas de beneficio,* etc., si preces veritate nitantur. Huiusmodi enim delegatio ius continet perfecte concessum, adeoque semel acceptatum perseverat in suo esse, licet concedens moriatur. C. 1. § 1. *de Filiis presbyt.*, atque haec delegatio late est interpretanda. — Affirmative, si data sit per modum *gratiae faciendae, re* tamen *integra*, quod evenit quando gratia non est perfecte concessa, uti contingit cum datur in favorem alterius privatae personae, neque praecipitur delegato eam exequi, sed concedendae gratiae potestas datur, vel eius remittitur arbitrio et voluntati, veluti si dixerit, *dispensare possis ac valeas*, etc., si vera sint exposita. *Re integra*, nam secus est, re non integra. Et huiusmodi dele-

gatio stricte est interpretanda. Dicitur autem *res non integra,* si delegatus primum actum exercere coepit, ut si coepit vocare partem ad cognoscendum de precum veritate. R. 16.ª de R. I. in 6.°, L. 192.-194., Cf. 251. 283. et V. 2. 1045.

256. *Quomodo sint privilegia interpretanda?* — Privilegia tantum valent quantum sonant. C. *Per exemptionem* 9. *de Priv.* in 6.° Neque ergo extensivam, neque restrictivam declarationem recipiunt, sed *regulariter* declarativam tantum. Quare, concessa facultate absolvendi a reservatis *papalibus,* non includitur facultas etiam absolvendi a reservatis *episcopalibus.* L. l. 7. n. 98. Concessa facultate eligendi confessarium, illum quis eligere poterit quoties voluerit. *Regulariter,* quia si privilegium concedatur verbis generalibus, in tali generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter concessurus, R. 81.ª de R. I. in 6.°, i. e. extraordinaria prorsus et insolita, Laymann in C. *Sedes* 15. *de Rescript.,* Reiff. in cit. C. 81., nec ea quae merentur specialem mentionem, vel ex consuetudine aut iure excluduntur. Quapropter, concessa facultate absolvendi a reservatis, non intelligitur concessa facultas absolvendi a *specialiter* reservatis; concessa facultate absolvendi a reservatis etiam specialiter, non comprehenduntur casus C. *Sacramentum Poenitentiae.* — Privilegia *praeter* legem latae sunt interpretationis, siquidem beneficia Principis sunt. C. 16. *de Verb. sign.,* C. *Quia circa* 22. *de Priv.* E contra Privilegia *contra* legem sunt strictae interpretationis, quia legem vulnerant. C. *Ut filii* 1., C. *Ad praesentiam.* 2. *de Filiis presbyt.* Nihilominus haec quoque latae sunt interpretationis, si reipublicae vel Religionis bono interest, uti sunt privilegia communitatibus vel piae alicui causae concessa, L. l. 1. App. 2. n. 8., si concessa sint *motu proprio,* C. *Si motu.* 23. *de Praeb.* in 6.°, si alias forent inutilia, C. 30. in fin. *de Priv.* — Ea sola privilegia sunt semper strictae interpretationis, quae laedunt ius tertii, siquidem semper intelliguntur, salva iustitia, et iure tertii, C. *Licet.* 12. *de Off. iud. ord.,* C. *Super eo.* 15. *de Off. iud. deleg.,* C. *Cum olim* 12. *de Priv.* — L. 5. seqq.

257. *An privilegia contra ius commune sint necessario odiosa?* — R. Negative. Nam privilegium *favorabile* illud est, quod uni prodest, ita ut nemini noceat, e. g., privilegium vescendi carnibus in quadragesima. *Odiosum* vero, quod ex favore uni concesso alteri procreat incommodum, e. g., exemptio a solvendis tributis, quae alios gravat. Inde sequitur privilegia contra ius non esse odiosa, nisi alicui noceant. Vix autem dari potest ullum privilegium, quod sit iuri communi vere ac proprie oppositum. Nam, ut ait S. Alph. 1., *privilegium* differt a dispensatione, quae eximit a lege, et ideo semper est per se odiosa, et legi contradicit; subditus enim licet *actu* ab ipsa eximatur, manet tamen *habitualiter* ligatus. Privilegium e contra parallele potius cum lege procedit: nam privilegium est *lex* aliqua privata, subditos suos dirigens, adeoque *permanenter.* Quare minus probare videtur intentum ratio, quam idem S. D. adducit, contendens haec privilegia esse odiosa, et strictae interpretationis, quia nempe dispensationem important. L. 7., l. 3. n. 318. Claus. I.

258. *Quandonam privilegia cessent?* — Privilegia cessant: 1.° Ex parte concedentis, revocatione, e. g., contraria lege lata, quae secus suum effectum sortiri non possit, vel quae clausulam contineat, *non obstantibus privilegiis*

quibuscumque; vel iussu ipsius principis concedentis privilegium, aut eius successoris, directe manifestato ei cui privilegium concessum fuerat. Minime vero extinguitur morte concedentis, cum sit *gratia facta.* — 2.° Ex parte privilegiati, per renunciationem, C. *Si de terra* 6. *de Priv.*, a concedente acceptatam; per non usum, seu contrarium usum, si ius laedant tertii, et hic legitime adversus ea praescripserit. Cf. Engel l. 5. t. 33. n. 19. seqq., Pirhing ib. n. 176., Reiffenst. ib. n. 209. — 3.° Ex parte ipsius privilegii, concessi sub conditione, licet tacita, vel in diem, conditione expleta, et elapsa die. — Privilegium autem *personale,* morte personae, cessat; *reale* interitu rei vel loci, vel dignitate et officio amissis. — Cessante vero causa finali, etiam in perpetuum, privilegium non cessat, cum sit quaedam donatio, Suarez l. 8. c. 30. n. 2., nisi cesset *contrarie,* ita ut privilegium illicitum et iniustum evadat, Suarez l. c. n. 6. Enimvero, cessante mere *negative* causa, non ideo privilegium evadit inutile beneficium, ut, e. g., privilegium oratorii privati, concessum infirmo vel personae in dignitate constitutae, sanitate recuperata, dignitate amissa. — L. 14.-17.

259. *Nota:* Nemo tenetur *per se* uti privilegio, quia unusquisque iuri suo renuntiare potest; aliquando tamen *per accidens* privilegiatus obligatur ad usum privilegii: 1.° Ratione caritatis; hinc peccaret qui habens facultatem absolvendi a reservatis, peccatorem in gravi necessitate positum audire nollet. 2.° Ratione boni communis, quando nempe privilegium non est personale sed reale, addictum loco vel dignitati, vel statui; sic clericus non potest renuntiare privilegio *canonis* aut *fori,* nec religiosus privilegio *exemptionis.* — L. 3., l. 3. n. 318. *Claus. XI.* Dub. 3., n. 324., Ithur. Cas. 32. n. 20.

IX. — CLERICORUM EPISCOPORUM REGULARIUM PRIVILEGIA

260. *Quaenam sint praecipua clericorum privilegia?* — 1.° *Privilegium fori,* quo a laicis magistratibus in civilibus et in criminalibus eximuntur. C. *Nullus* 2. *de For. comp.* Competit hoc privilegium clericis constitutis in sacris, beneficiariis, aliisque, sive regularibus, sive saecularibus, si tamen hi ultimi, i. e. simpliciter clerici, « clericalem habitum et tonsuram deferant, alicui Ecclesiae ex mandato episcopi inserviant, aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur ». Trid. S. 23. C. 6. de R., S. 25. C. 20. de R. — Quare ecclesiastici gaudent 1.° exemptione circa suas personas, neque possunt a curia laicali iudicari et puniri. 2.° Exemptionem etiam habent quoad propria bona, tam ecclesiastica, quam quocumque alio modo acquisita; unde respectu illorum non tenentur solvere ullum vectigal. Varia hic attendenda sunt *Concordata.* — Schmalz. l. 2. t. 2. n. 80. seqq., Bened. XIV. de Syn. l. 12. c. 6. n. 5., L. 18. seqq., A. S. S. V. 2. p. 178. 431. 584.

2.° *Privilegium* C. *Odoardus* 3. *de Solut.*, ne clericus nempe debitor condemnetur, si propter rerum inopiam debita solvere non possit, usquedum ad pinguiorem devenerit fortunam.

3.° *Privilegium canonis,* quo percussores clericorum excommunicationem incurrunt ipso facto Rom. Pontifici reservatam. C. Pii IX. *Apostolicae Sedis* de censuris.

4.° Hisce privilegiis spoliantur clerici, realiter degradati; itemque vilem artem exercentes, coniugati, vel si non coniugati, ut laici incedentes, si tertio admoniti intra convenientem terminum non resipuerint, Clem. *Dioecesanis* 1. *de Vit. et hon. cleric.;* clerici tyrannidi seu enormitati sese immiscentes, dimisso habitu clericali, C. *Perpendimus* 23. *de Sent. excomm.;* clerici bigami, qui duas legitimas uxores aut viduam duxerunt, C. *Altercationis* un. *de Dig.* in 6.°, C. *Clerici de Cler. coniugat.* in 6.°, Cf. Trid. S. 23. c. 6. de R., Schmalz. l. 5. t. 39. n. 218.; clerici minoribus ordinibus constituti, qui clericalem habitum dimittunt, S. C. Imm. 20. Sept. 1860. ad *Ordinarios Pontificiae Ditionis;* clerici minores ordinati, Sede Vacante, intra annum a die vacationis, nisi beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctati fuerint, Trid. S. 7. C. 10. de R. — L. 24., l. 6. n. 827.

5.° Ecclesiis, publicis Oratoriis, Palatio Episcopali, Domibus Regularium, Hospitalibus, in quibus publica est Cappella, *immunitas* competit quoad delinquentium *asylum,* exceptis casibus comprehensis in BB. Gregorii XIV. et Bened. XIV. Omnes delinquentes, dummodo sint christiani, licet haeretici, aut interdicti, aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad praedicta sacra loca confugerint, hac gaudent immunitate, praeter tamen casus in iure exceptos. Sicuti vero possunt superiores ecclesiastici extrahere proprios subditos ab Ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eamdem extrahendi licentiam curiae saeculari concedere. Varia item hic attendenda *Concordata.* — L. 25. seqq., E. M.

261. *Quaenam sint praecipua episcoporum privilegia? — Quoad eorum servandam dignitatem.* — Episcopi, si crimen commiserint, quod vetitum sit sub poena suspensionis vel interdicti, has censuras non incurrunt, nisi et in ipsos latae sint nominatim. — Eorum causae per S. Pont. sunt terminandae. Trid. S. 13. C. 8. de R. — Qui vero episcopos laedunt excommunicationem incurrunt, Rom. Pontifici *speciali modo* reservatam. C. *Apostolicae Sedis* de censuris. — Ex ead. C. *Apost. Sed.*, « Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserint, competenter satisfacerint ».

262. *Quoad missam.* — « Episcopus potest dispensare ad celebrandum in alio altari, aut ecclesia non destinata a fundatore, quando adest aliqua iusta causa ». L. 60., l. 6. n. 329. — « Potest dispensare iustis de causis tam secum, quam aliis ad celebrandum post meridiem ». L. 61. l. 6. n. 344. — Celebrare possunt non solum in domo sua episcopali, sed in domibus etiam laicis, in quibus occasione visitationis vel itineris hospitio excipiuntur, et cum, in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae habitationis moram idcirco faciunt in aliena domo per modum similis habitationis. L. 63., l. 6. n. 358., Bened. XIV. de Sacr. Miss. l. 3. c. 6. n. 6., De Angelis Praelect. Iur. Can. t. 41. l. 3. n. 3. in fine., S. R. C. 22. Aug. 1818., Gard. 4547., Gattic. de Usu alt. port. c. 7., E. M. — Facultatem concedere possunt celebrandi extra ecclesiam, in loco

non sacro, et in domibus privatorum, si graves adsint et proportionatae causae, et per modum *actus* transeuntis tantum. L. 64. l. 6. n. 344. 359., Lucidi de Visitat. Sacror. Limin. V. 1. p. 97. n. 108. Cf. 644.

263. *Quoad confessionem.* — Possunt sibi eligere confessarium extra dioecesim, modo sit eorum subditus, et eum valent secum educere in diversa loca; at si non est subditus debet ab Ordinario suo esse approbatus. Idem possunt Cardinales, sed Romae tantum, etsi illum, quem elegerint, extra Romam secum possint educere. L. 65., l. 6. n. 565.

264. *Quoad censuras et irregularitates.* — Possunt episcopi per se, vel per alium specialiter deputatum absolvere subditos a casibus papalibus, occultis, exceptis iis, qui *speciali modo* S. Pontifici reservantur. Ex Declar. S. O. 17. Iun. 1866. et 4 Apr. 1871. excipitur etiam casus personae cuiuscumque sexus, *falso denuntiantis* sacerdotem de sollicitationis crimine in confessione. Possunt item dispensare in omnibus irregularitatibus et absolvere ab omnibus suspensionibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum. Trid. S. 24. C. *Liceat,* C. *Apostolicae Sedis,* L. 29., l. 6. n. 593. 705., l. 7. n. 353. 392. 394. Probabiliter dispensare possunt in irregularitatibus etiam dubiis ex defectu. L. 29. Insuper dispensare possunt in irregularitatibus non occultis ex defectu natalium ad ordines minores et beneficia simplicia. L. 49. Quoad inhabilitates iniunctas a Pontificibus in poenam, an possint dispensare controvertitur, et valde dubia res est. L. 53., l. 3. n. 397., l. 6. n. 705.

Notandum hic, sub nomine *episcoporum* venire etiam vicarios capitulares, Sede Vacante. L. 31. et l. 6. n. 593. — Nomine *subditorum* venire etiam peregrinos quoad facultatem absolvendi a casibus papalibus occultis, quia subiiciendo se foro sacramentali iam fiunt sufficienter illorum subditi quoad istum actum. L. 32. 35. — Nomine delicti *occulti* intelligendum quodcumque delictum, quod aliquo modo possit celari, etiamsi in iudicio probari possit. L. 33. — Potest episcopus delegare generaliter aliis hanc facultatem. L. 34. 53. l. 6. n. 594. — Quoad homicidium « communis sententia est, posse episcopum dispensare, quando immineret periculum animae; aut alia causa gravissima, et difficile esset ad Pontificem habere recursum, etc. ». L. 51. 52. — Possunt praeterea episcopi absolvere, et delegare facultatem absolvendi etiam a casibus reservatis cum censuris ab aliis episcopis, quando sunt occulti, modo illa censura lata sit per statutum vel per sententiam generalem; neque quis *in fraudem* legis absolutionem petat. Ita Bonacina et alii ap. S. Alph. 35., idque S. D. approbare videtur.

Absolvere possunt percutientes *leviter* clericum; et, si hi sint collegialiter conviventes, vel impediti Romam adire, absolvi etiam possunt ab episcopo, si percussio fuerit *gravis,* non vero si fuerit *enormis.* L. 46. 47. Varii praeterea ipsis reservantur casus in C. *Apost. Sedis.* — E. M.

265. *Quoad ordines.* — Episcopus dispensare potest in interstitiis a Tridentino praescriptis quoad ordinationem clericorum, ut in eodem Trid. statuitur, S. 23. C. 11. 13. de R. L. 59., l. 6. n. 775. 780. 789. Dispensatio interstitiorum ad episcopum pertinet etiam quoad regulares.

266. *Quoad matrimonium.* — Dispensare possunt: In bannorum publicationibus, L. 54., ac in impedimentis *impedientibus,* exceptis voto casti-

tatis perpetuae, voto ingrediendae Religionis, sponsalibus, et impedimento disparitatis cultus inter catholicos et haereticos, nec non rationabili parentum dissensu. — In impedimentis *supervenientibus,* contracto matrimonio, in ordine ad debitum petendum, v. g., si affinitatem ideo contraxerint, quod alteruter commercium carnale cum consanguineis alterius habuerit; vel si unus castitatem voverit. Immo episcopus etiam dispensare potest coniugem a voto perpetuae castitatis, quod ante matrimonium emisit, ut iura matrimonialia exercere queat. — In impedimentis *dirimentibus* dubiis. L. 55. — *Per accidens,* in impedimentis *dirimentibus certis,* tum ante, tum post contractum matrimonium, quando recursus ad Papam est valde difficilis, et adest periculum in mora, seu ubi instat periculum scandali, infamiae, incontinentiae, etc. — Circa dispensationes matrimoniales, uti etiam circa casus reservatos solent episcopi specialiores habere facultates ad quinquennium. — L. 56. 57. 58., l. 6. n. 613. 1122., E. M.

267. *Quoad clausuram.* — « Episcopi sunt delegati Sedis Apost. ad tuendam clausuram monasteriorum monialium etiam exemptarum, earumque quae regularibus sunt subiectae ». L. 66. 67.

268. *Quoad alias leges ecclesiasticas.* — Episcopi dispensare possunt pro *casibus et personis particularibus,* vel ad breve tempus, prout iam n. 243. dictum est. *Casibus et personis particularibus;* nam, in iure communi, cum tota communitate dispensandi facultatem episcopi non habent. Utrum vero possit episcopus dispensare in statutis canonicis non expresse reservatis, negativam sententiam omnino tenendam censuit. S. Lig. l. 1. n. 191. Attamen idem S. D. in opere H. A. Tr. 2. c. 6. n. 58. sententiam affirmativam *satis probabilem* dicit. Et in Append. de Privil. 71. haec habet: « Potest probabiliter episcopus dispensare in omnibus, in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata ». — S. Th. l. 2. q. 97. a. 4. ad 3.

269. *Quoad vota et iuramenta.* — Episcopi dispensare possunt: 1.° In omnibus votis simplicibus privatis, exceptis quinque Papae reservatis, nempe castitatis perpetuae, Religionis et peregrinationum ad Hierusalem, ad limina Apostolorum et ad S. Jacobum Compostellanum. — 2.° In omnibus iuramentis, si iuramenta excipias a tertio acceptata, quae metu aut fraude non fuerunt extorta.

270. *Quaenam sint praecipua regularium privilegia? — Quoad privilegiorum communicationem.* — Omnes ordines regulares communicant in privilegiis aliorum ordinum, sive mendicantium, sive non; L. l. 4. n. 60. « Hae religiones mendicantes communicant privilegiis ceterarum religionum, vel congregationum, vel collegiorum monasticorum vel non monasticorum... Et hoc valet, etiamsi in privilegio concesso alteri religioni, vel congregationi, adsit clausula, quod non communicetur... Huiusmodi privilegiis perfruuntur tam conversi, ipsi enim vere religiosi sunt, quam novitii... fruuntur quoque religiosi ad episcopatum promoti, dummodo non agatur de rebus, quibus episcopi, si uterentur, aliquod religioni praeiudicium proveniret, ut esset habitatio in monasterio, datio suffragii... tertiarii autem, et tertiariae, vel beatae subditae mendicantibus, et quae habitum religionis deferunt, et votum habent castitatis... eorum quoque privilegiis gaudent, sed quatenus sunt capaces. Confratres scapularis, et cinguli, vo-

cati *cordonis,* fruuntur tantum, et participant in omnibus indulgentiis et remissionibus peccatorum, sed non in alio ». L. 9. — Bouix V. 2. p. 76. seqq.

Moniales gaudent iisdem privilegiis (intellige de favorabilibus), quorum sunt capaces, religiosorum eiusdem ordinis. Ratio, quia cum ipsae vivant sub eadem regula, sunt pars ordinis, et ideo ordinis privilegiis merito gaudere debent. L. 10., l. 4. n. 60. 61. 63. Hinc potest abbatissa dispensare in ieiuniis, officio, etc. iuxta privilegia sui ordinis praelatis concessa; quia, licet ipsa non possit per se dispensare defectu auctoritatis spiritualis, potest hoc tamen, praelati commissione, quae praesumitur ei facta, statim ac fuit electa in abbatissam. L. l. 4. n. 61.

Privilegia alicui loco vel personae concessa non tanquam personae particulari, sed tanquam communitatis membro, intelliguntur quoque concessa ceteris locis et religiosis eiusdem dignitatis et gradus, tam illius ordinis, quam aliorum, qui communicationem habent, quando scilicet eadem, vel similis ratio militat. L. 11.

Privilegia non communicantur: 1.° Quando sunt odiosa vel contraria propriis statutis, adeo ut praeiudicent bono sive communi observantiae religionis. 2.° Quando conceduntur alicui personae privatae, vel alicui congregationi, sed ad tempus determinatum, vel per Brevia particularia, vel ob rationem particularem, quae in ceteris locum non habeat, vel de re exorbitanti, quae difficile solet concedi, et speciali commemoratione digna; vel, ex Decr. Gener. S. C. R. 20. Mart. 1706., de iis quae respiciunt missas et officia, L. 11. 3.° Non communicatur item privilegium suscipiendi sacros ordines a quolibet episcopo. Bened. XIV. C. *Impositi nobis* 27. Febr. 1747. par. *Quod vero.*

Privilegia, religiosis familiis a Iure Can. vel a S. Sede concessa, solis competunt superioribus, qui ea pro sua prudentia subditis communicant. Quare possunt iidem praelati auferre vel limitare subditis usum privilegiorum. L. 6., l. 4. n. 64. — E. M.

271. *Quoad privilegiorum interpretationem.* — Privilegia, « quae sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur Iuri Communi, vel alicui tertio. Privilegia enim, communitatibus concessa, praesumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum praestitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia ». L. 8.

Episcopi ceterique praelati saeculares prohibentur, ne praefata privilegia *iuridice* et *authentice* interpretentur. Si quod dubium oriatur, de eo iudicetur inter homines peritos, vel Sedes Apostolica consulatur. Generales religionum pro toto ordine nedum doctrinaliter, sed etiam *iuridice* et *authentice* privilegia interpretantur, ita ut omnes subditi teneantur stare illorum interpretationi, quando vel leges et consuetudines, vel privilegia interpretantur. Eadem facta fuit potestas aliis praelatis regularibus, etiam immediatis, sed prudenter et ex consilio peritorum procedant, ut possent pro foro conscientiae Auctoritate Apostolica omnia dicta authentice ac iuridice interpretari ac declarare. L. 6.

272. *Quoad exemptionem.* — Regulares habent privilegium exemptionis a iurisdictione episcoporum. Quare praelati regulares habent in suis ecclesiis et monasteriis iurisdictionem quasi-episcopalem, tum quoad personas, quam quoad loca. L. 72. — Privilegio exemptionis gaudent non

tantum professi et conversi, sed etiam novitii et tertiarii, qui intra claustra commorantur; item, quoad censuras, sacramenta, et sepulturam, famuli regularium, qui actu famulantur, et quasi de familia ac perpetui commensales intra claustra monasteriorum resident, haud secus ac ipsi conversi. Trid. S. 24. C. 11. L., 74. — Exemptio ista universalis non est, sed plures habet exceptiones, praesertim pro viris, quoad celebrationem missarum; et pro monialibus, quoad clausuram. Trid. S. 22. Decr. de Observ. etc., S. 25. C. 5. 9. etc. — Ferraris v. *Regulares* art. 2., L. 75.-91.

Communiter loquendo, certum est, extra loca missionum, exemptas esse a visitatione episcopi tam personas, quam monasteria, et ecclesias regularium, dummodo in illis degant saltem duodecim vel sex religiosi. Excipe vero: 1.° Ecclesias saecularium, quarum parochus sit religiosus. Cf. Lucidi V. 2. p. 4. seqq. 2.° Ecclesias regularium, si sint parochiae, verumtamen quoad ea tantum, quae ad paroeciam et parochum, quatenus id gerit officii, spectant. L. ib. Cf. Bened. XIV. C. *Firmandis* 4. Nov. 1744., Leo XIII. C. *Romanos Pontifices* 8. Maii 1881. — Bona item religiosorum exempta sunt ab episcopi iurisdictione. Administratores vero monasteriorum monialium rationem reddere debent episcopo administrationis bonorum. — L. 79. 80. 81., E. M.

Controvertitur, utrum regulares possint ad episcopum recurrere pro gratiis obtinendis. — Negant plures, in hoc fundati, quod talis recursus implicite dicat exemptionis desertionem. Melius affirmant alii cum Schmalz. l. 2. t. 2. n. 149., et Bouix de Iud. V. 1. p. 256., ac docent licere recursum ad episcopum in iis, quae pertinent ad iurisdictionem gratiosam, cuiusmodi est absolutio a peccatis et censuris, dispensatio in votis, iuramentis, irregularitatibus, legibus, recitatione breviarii, ieiuniis, etc. At triplicem requirunt conditionem, scilicet: 1.° ut facile nequeat adiri Papa vel eius legatus; 2.° ut superiores ordinis careant facultate dispensandi; 3.° ut adsit praelati permissio, saltem praesumpta.

273. *Quoad eucharistiam.* — Regulares praeter *ecclesias publicas* habent etiam *oratoria privata.* Porro alios admittere possunt *in utrisque*, tum ad celebrandum, tum ad missam praeceptam audiendam. Bouix p. 191. 196., L. 62. 121., l. 6. n. 357. — Necessaria est regularibus etiam exemptis Ordinarii licentia, ut possint SS. Sacramentum *detectum publice* exponere: eaque vero minime requiritur, sive pro exponenda sacra Eucharistia *velata*, adstante populo, sive pro exponenda *detecta*, exclusis saecularibus. Bouix p. 212. seqq. — Ex CC. Julii II., Pauli III. et S. Pii V. regulares possunt quotidie et singulis fidelibus SS. Eucharistiam distribuere, *excepto tamen die Paschae.* Nullatenus ab episcopo prohiberi possunt regulares, quominus SS. Eucharistiam in suis ecclesiis distribuant a *Dominica Palmarum ad Dominicam in albis.* Sic S. C. 9 Jul. 1644. Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 15., L. 123. — « Possunt regulares celebrare una hora ante auroram; quare valent celebrare missam tribus horis ante solis ortum. Immo, cum adest aliqua iusta causa, possunt celebrare immediate post duas horas post mediam noctem. Idque valet tantum pro ecclesiis propriis: in quibus tamen possunt huiusmodi privilegio uti etiam sacerdotes saeculares. Insuper Eugen. IV. concessit regularibus licentiam celebrandi tribus horis post meridiem, iusta tamen ex causa ». L. 122., Salmant. Tr. 15. c. 7. P. 4. n. 94. 95., Pellizzar. Manuale Regul. Tr. 8. c. 2. n. 97. Oppositum vero tradit idem

S. D. l. 6. n. 342. Ceterum hoc posteriori in loco n. 344. facultatem S. D. affirmat adesse omnibus superioribus dispensandi, in aliquo casu particulari, ex rationabili causa, circa horam missae, « secluso privilegio, erga suos religiosos, cum sint eorum Ordinarii ». — Habent mendicantes, saltem superiores sive praelati, privilegium benedicendi sacras vestes. L. l. 6. n. 376. — L. l. 6. n. 239. 240. 300. 360. 363. 378. 381., H. A. Tr. 12. n. 41., Lugo de Euchar. D. 18. n. 49.-50., Diana Tr. 2. de praec. div. et eccles. Commun. Sacram. R. 22. 23., E. M.

274. *Quoad confessionem.* — « Cum saecularibus, conceditur facultas deligendi sibi *confessarium* semper supponitur, quod sit ab episcopo approbatus; sed regulares ex expressa, aut tacita sui superioris licentia possunt confiteri cuicumque simplici sacerdoti... Quare omnes superiores regulares possunt sibi eligere in confessarium quemlibet sacerdotem ». L. 110. — Quoad casus, in ordine reservatos, absolvendos, iuste superior facultatem negare *potest* et *debet,* si agatur *de damnificatione aliorum,* i. e. quando scandalum vel quodvis damnum forte immineret vel religioni, vel domui, vel alteri, vel ipsi poenitenti; nec aliter occurri illi posset, nisi rei notitiam superiori praebendo. L. l. 6. n. 586. Verum, « si superior confessario regularium, ad hoc deputato, neget facultatem absolvendi, confessarius autem iudicet debere concedi, potest is *illa vice* absolvere », i. e. *toties quoties* casus iste contigerit. Constat ex Decreto Clem. VIII. Cf. C. Urbani VIII. *Sanctissimus* 21. Sept. 1624., Ferraris v. *Praelatus regularis* n. 58., Pellizar. de Monial. c. 9. n. 29. — Regulares exempti reservationi episcopali non subiacent, cum exempti sint a iurisdictione episcopi. Immo neque novitii, neque familiares regularium reservationi episcoporum subiacent. Sic ex B. *Superna* Clem. X. Si vero novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum in religionem, a confessario religionis ex privilegio absolvi poterit. L. l. 6. n. 583. 602. — L. 102. 103. 111. 112.

275. *Quoad ordines.* — « Regulares non recipiunt litteras dimissoriales ab episcopis, sed ab eorum superioribus, aliter graviter peccant, et incurrunt suspensionem ». — « Possunt ordinari *extra tempora* ». L. 113. 115., l. 6. n. 797. Sed Cf. Cas. Consc. de Ord. — Cf. 906. 907.

276. *Quoad praedicationem.* — Extra ecclesias suorum ordinum praedicare non possunt regulares, absque obtenta licentia episcopi. — In ecclesiis vero sui ordinis praedicare possunt, petita episcopi benedictione, etiamsi eam non obtinuerint, modo tamen episcopus non contradicat. — Potest episcopus, licentiam concessurus regularibus, in ecclesiis quae suorum ordinum non sunt, praedicare volentibus, illos, quamvis ab universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit. In ecclesiis vero suorum ordinum praedicare volentes, non spectat ad Ordinarium eos examinare, sed ad eorum superiores. — Potest episcopus licentiam praedicandi semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere. Non potest tamen episcopus prohibere generatim regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum praedicent. — Bouix p. 148. 263. seqq., L. 124. seqq.

277. *Quoad censuras ecclesiasticas.* — Revocatis privilegiis absolvendi a casibus papalibus per C. *Apostolicae Sedis,* possunt adhuc absolvere a casibus per eandem Const. episcopis reservatis, et a censura canonis, uti ante praedictam Const. — Omnes regulares utriusque sexus tempore interdicti generalis possunt privatim in suis monasteriis divina peragere, ac sacramenta suscipere; et possunt etiam publice celebrare in pluribus festis, Paschatis, Pentecostes, etc. — L. 95. seqq., l. 4. n. 61.

278. *Quoad irregularitatem.* — « Regulares valent dispensare cum *suis subditis* in omnibus irregularitatibus occultis, in quibus possunt Ordinarii dispensare cum suis dioecesanis. Et idem possunt cum saecularibus ». L. 104. — « Possunt praeterea dispensare *cum subditis* in quacumque irregularitate, aut ob delictum, aut ob defectum ». L. 105., Frassinetti *Comp.* 6.ª edit. V. 2. n. 681. Loc. cit. S. D. ad particulares casus mox descendit, concludens: « Ultimo possunt regulares dispensare cum *suis subditis* in omnibus inhabilitatibus et poenis contractis ratione delicti... etsi illae reservatae sint Pontifici ». Cf. L. l. 7. n. 355. 358. 364. 396.

279. *Quoad ius sepeliendi.* — Quando regularis defunctus sepeliri nequit in conventus ecclesia, obstante, v. g., lege civili, possunt regulares cadaver ad commune coemeterium deferre, cum stola et cruce conventus, absque interventu ullius parochi, dummodo tamen cadaver deferatur, absque solemni pompa, et recto tramite ad coemeterium. Res decisa fuit in causa Ordinis Praedicatorum 24. Jan. 1846. Idem ius monialibus exemptis competit: quare ad earum capellanum seu confessarium pertinet funus ducere, parocho excluso. Bouix p. 345. Porro solemnitas, quae prohibetur non consistit in cantu, sed in concursu populi, in assistentia ministrorum, sacris paramentis indutorum, etc. S. C. EE. et RR. 26. Febr. 1864. declaravit: « Religiosos dispersos quoad funera subesse parocho loci, prouti ceteri parochiani ». A. S. S. V. 1. p. 168. — L. 91. seqq.

280. *Quoad iuramenta, vota, et impedimenta matrimonii.* — « Confessarii mendicantium, et ceteri regulares communicantes, potestatem habent irritandi, remittendi, et dispensandi iuramenta, ac vota, in quibus valent *de iure ordinario* dispensare episcopi cum suis subditis. Possunt insuper dispensare cum coniugibus quoad impedimentum ad petendum debitum, propter incestum commissum cum consanguinea coniugis. Animadvertendum est autem hic, quod confessarius debet in hoc obtinere licentiam specialem, saltem a superiore inferiore sui monasterii ». L. 108. 109., l. 4. n. 257., l. 6. n. 1076. 1127. « Possunt praeterea dispensare cum coniugibus in voto castitatis elicito ante et post matrimonium » L. 109., l. 6. n. 987. Demum improbabile eidem S. D. non est, quod plerique affirmant, posse nempe in casu necessitatis dispensare cum sponsis, ut possunt episcopi, in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, l. c., l. 4. n. 258.

281. *Quoad alia praecepta ecclesiastica.* — « Praelati regulares habent potestatem dispensandi cum *suis subditis* (adde, *et in casibus particularibus*) in praeceptis ecclesiasticis, ut possunt episcopi cum suis dioecesanis... Et idem valet quoad regulas religionis ». L. 106. 107., l. 4. n. 63. 64., La-Croix l. 3. P. 2. n. 1310. Cf. 246.

282. *Quoad indulgentias.* — «Omnes regulares professi gaudent indulgentiis concessis cuicumque ordini religioso», L. l. 4. n. 64., secundum nempe Br. Leon. X. *Dudum per Nos accepto* 10. Dec. 1519., et Br. Pauli V. *Romanus Pontifex* 23. Maii 1606., exclusis ab hac communicatione indulgentiis exclusive propriis uniuscuiusque ordinis, S. C. Indulg. 25. Apr. 1735. Theod. a Spiritu S. P. 2. p. 88. seqq. p. 114. — *Recentiores moniales* votorum simplicium, in Gallia, antiquorum ordinum religiosorum, ex speciali indulto, «lucrari possunt indulgentias omnes, quae religioni seu instituto aliarum monialium, solemnia vota emittentium, secundum institutum, seu regulam respectivam, concessae fuerunt». S. C. Indulg. 10. Iul. 1843., S. Poenit. 12. Iul. 1847. — Notandum insuper est, quod privilegia personalia, et indulgentiae, in ecclesiis regularium, pulsis religiosis, evanescunt, quamvis in ecclesia aliquis religiosus, quasi capellanus, aut custos, remanserit. Privilegia vero realia, velut ius tumulandi, religioso inibi relicto, capellani vel custodis nomine, ab hoc exerceri debent. S. C. C. 29. Maii 1841, 29. Aug. 1864., 16. Sept. 1871., S. R. C. 20. Dec. 1864., S. C. Indulg. 24 Maii 1819., A. S. S. V. 1. p. 587., V. 4. p. 228., V. 7. p. 34. — Itemque «notandum, privilegium altaris privilegiati non esse communicabile per generalem communicationem privilegiorum, ex Decreto S. C. Indulg. d. 5. Febr. 1748., et approbato a Benedicto XIV. 2. Mar. eiusd. an.» L. l. 6. n. 339.

X. — DE RESCRIPTIS

283. *Quid sit Rescriptum; quaenam eius necessariae conditiones?* — R. Ad 1.um Privilegia et Dispensationes per Rescripta plerumque solent concedi. Dispensationes ac Privilegia, quae prodeunt a S. Sede, sine litteris de more expeditis, in foro externo non suffragantur ex Reg. 52. Canc. Apost.; verius tamen valent in foro conscientiae; quia litterae non ad *formam,* sed ad *probationem* pertinent. L. 5. C. *de Transact.*, L. 4. *de Pignorib.*, de Iustis l. 1. c. 3. n. 25. — Rescriptum est *Responsum scriptum* Principis; et aliud est *iustitiae* ad lites finiendas, aliud *gratiae* quod Principis continet beneficium.

Ad 2.um Ex C. *Nonnulli* 28. h. t. rescripta quis impetrare non potest favore alterius, nisi habeat expressum mandatum. Consuetudine tamen contrarium in praesenti receptum est. — Ut rescriptum valeat necesse est, ut in supplici libello nulla sit substantialis subreptio, nisi *motu proprio* concedatur, vel obreptio, quamvis *motu proprio* concedatur, quia poterit tunc superior decipi. — *Subreptio* est reticentia veri necessario exprimendi, *obreptio* expositio falsi. Quare subreptio habetur, nisi exprimantur ea *omnia* et *sola,* quae ex iure seu ex stylo Romanae Curiae exponi debent, C. *Quam gravi* 6. *de Crim. fals.* Cf. Sanch. de Matr. l. 8. D. 21. n. 10. etc. *Omnia,* neque ignorantia seu bona fides excusat. *Sola,* secus nulla amplius gratia tuta et certa esset. — *Obreptio* vero habetur, si causa *motiva,* quae nempe *movet* seu *determinat* ad dispensationem sit falsa. Ac, si plures exponantur, et aliquae tantum sint falsae, valet dispensatio, si una saltem sit vera. Causa vero *impulsiva,* quae nempe tantum *iuvat* ad dispensandum addita *motivae,* etsi sit falsa, dispensationi non nocet; siquidem ea clausula,

si vera sint exposita, C. *Ex parte* 2. *de Rescr.*, ad causam motivam non impulsivam refertur. Idemque dicatur, si plures addantur causae impulsivae falsae. Verum, si unica exponitur causa, sive motiva sive impulsiva, falsa, vel si plures exponantur tantum causae impulsivae falsae, quae omnes simul pro una motiva computantur, rescriptum non valet, si una tantum sit falsa. — Causa *motiva* se tenet potius ex parte ipsius *obiecti*, quatenus huiusmodi obiectum in praesentibus circumstantiis obnoxium evadat alicui speciali difficultati, seu incommodo. Et sic rationabilis et conveniens fit, in casu, dispensatio, cum huius subditi conditio sit, in casu, dissimilis a conditione in qua alii communiter reperiuntur. Causa *impulsiva* se tenet potius ex parte ipsius *personae*, quae dat vel cui datur dispensatio, ut, e. g., Principis benevolentia ostendenda, et subditi probitas. — Si rescriptum sit *in forma gratiosa*, subreptio et obreptio censenda tantum est adesse, si adsit tunc cum a Principe gratia conceditur, seu rescribitur. Quare, tunc causa adesse debet, et ea clausula verificari debet: *si vera sint exposita*. Si vero rescriptum sit *in forma* simpliciter *commissaria* causa adesse debet tunc cum a delegato gratia conceditur. Ratio est, quia praedicta clausula verificari debet tunc cum gratia conceditur. Atqui gratia conceditur quando conceditur a Principe in primo casu; in altero autem quando conceditur a delegato, non quando datur a superiore mandatum delegato eam concedendi. — Atque hoc clarum omnino est, si delegatus sit *executor voluntarius*, siquidem tunc delegatus reapse gratiam concedit, nomine delegantis. Ei fit tunc *potestas et licentia gratiae concedendae*. Verius autem est, si delegatus *executor sit necessarius*, siquidem etiam tunc superior gratiam non concedit, cum mandat eam concedi, sed tunc, cum delegatus eam communicat, ipse revera concedit, non delegatus. Delegatus tunc habet *simplex ministerium exequendi mandatum*, applicandi nempe gratiam, quam ipse superior tunc tribuit. — Secus vero dicendum esset, si delegatus *mere communicaret* seu manifestaret gratiam iam absolute a superiore *tributam*. — L. 178. 181. 185., Struggl q. 4. n 14. 16., Sanch. de Matr. l. 8. D. 21., Riganti in Reg. 52., Cf. V. 2. n. 1045.

284. *Resolves:* 1.° Invalida est dispensatio, quoties in postulato irrepsit error circa causam motivam, aut circa obiectum ipsum dispensationis, sive culpa oratoris aut alterius, sive etiam ex mera inadvertentia id evenerit, v. g., si ponas in petitione impedimentum affinitatis, loco impedimenti consanguinitatis, vel tertium gradum pro secundo; secus tamen si ponas secundum pro tertio, quia minor gratia in maiori eiusdem generis continetur. C. *Si is* 2. *de Fil. presb.*, L. 185. 202., l. 6. n. 1131. — 2.° Valet dispensatio, si error irrepserit in rescripto superioris, v. g., incuria secretarii, quia concessioni iam factae supervenit, et superior sic concedit: *Fiat ut petitur.* — 3.° Valet dispensatio, ex iusta causa concessa alicui improbo, quem probum reputavit superior, etsi cognita improbitate, non fuisset dispensaturus, quia probitas non reputatur causa motiva, sed mere impulsiva. Excipe, nisi quis *motus* fuerit ob probitatem. — Valet etiam, si causa falsa tempore *petitionis*, vera fiat tempore *concessionis*, sive haec immediate fiat ab ipso superiore, sive mediate per delegatum; sed non vice versa. — Itemque valet, etiamsi concedatur in mala fide, ut cum dispensator putat causam non adesse, quae revera adest; nam valor non

pendet a subiectiva cognitione, sed ab obiectiva existentia causae. — 4.° Valet, generatim loquendo, dispensatio concessa a superiore, licet ab inferiore iam fuerit negata. Immo etiam probabiliter valet, si a superiore negata, ab inferiore et etiam a delegato concedatur; quia potestas inferioris non est adempta neque restricta per negationem superioris, nisi hic expresse eam restringat. Neque vero aliquo iure id prohibetur. Cf. V. 2. n. 1041. A fortiori valet dispensatio ab uno superiore negata, et ab eius successore negationis ignaro data. Ratio est, quia successor eamdem habet potestatem ac praedecessor, nec regitur per iudicium et voluntatem illius. Valet etiam dispensatio prius negata, et postea ab eodem superiore, rei immemore concessa. Nullo enim pacto rationi consentaneum est, quod superior dispensationem velit negare ob solam hanc rationem quod alias negaverit. Nam, si reapse iusta adsit causa, potius decet priorem rigorem temperare quam illum firmare. Nulla autem facienda est negationis mentio; haec enim nullo iure praecipitur. Ac, si alicui duplex sit concessa facultas, v. g., absolvendi et dispensandi in irregularitatibus, una earum, etiam maiori, adempta, altera non ideo adimitur, sed permanet. L. 1. 4. n. 50., Lugo de Fide D. 23. n. 130.

285. *Quaenam sint a delegato praestanda in Rescriptorum executione?* — 1.° Mandatum, adeoque iurisdictio, in delegato nondum habetur, usquedum autographae mandati litterae ad ipsum pervenerint. C. *Super eo* 12. *de Appell.*, Sanch. de Matr. l. 8. D. 29. n. 10. Sufficere tamen videtur, si litteras, ad vicarium generalem missas, officiales curiae acceperint et legerint, eique renunciaverint; siquidem *officiales* ad idem *officium* pertinent. Ac, si in longinquas regiones litterae essent mittendae, et periculum esset in mora sufficere etiam videtur, si per telegraphum ex officio renunciatum fuerit, rescriptum expeditum fuisse. Ep. Circ. Secret. Status 10. Dec. 1891. prohibitum est admittere per telegraphum gratiarum supplicationes. Et ex S. O. ac ex S. Poenit. invalidae declaratae sunt dispensationes matrimoniales, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit *ex officio*, auctoritate S. Sedis. — 2.° Explorare debet, an vera sint exposita. Si exploratio omittatur, et in mandato clausula habeatur: *si preces veritate nitantur*, dispensatio valet, siquidem haec clausula non inducit *novam formam substantialem*, sed tacite inest. Si vero clausula habeatur: *si preces veritate niti repereris*, tunc prima sententia tenet adhuc valere; dummodo verae sint reapse; siquidem dispensatio propter causam motivam, non propter huius notitiam datur. Neque vero hac clausula *nova inducitur substantialis forma;* nam tacite etiam ipsa inest. Hanc sententiam receptissimam vocat Navarr. c. 27. n. 37. Verum secunda communior sententia, et tenenda, affirmat, illa clausula *novam induci substantialem formam*, adeoque, exploratione omissa, irritam esse dispensationem. Ac, quoad impedimenta matrimonii in particulari, S. Alph. l. 6. n. 1131. causarum verificationem ad validitatem dispensationis pertinere affirmat, ex C. Bened. XIV. *Ad Apostolicae servitutis* 10. Mart. 1742. Inquisitio autem non iuris ordine necessario est facienda; sed sufficit summaria et extraiudicialis in foro exteriori. Ac in foro interiori fides oratori habenda est. Trid. S. 22. C. 5. de R., Sanch. de Matr. l. 3. D. 33. n. 4., l. 8. D. 34. n. 21. seqq., de Iustis l. 1. c. 6. n. 249., Bened. XIV. Not. 87. n. 34. — 3.° Mandato *per se* defungi debet, pro eo dumtaxat casu, qui in mandato exprimitur. C. *Susceptum* 6. *de*

Rescr. in 6.°, C. *Cui* 27. *de Praeb.* in 6.° — L. 202. seqq., Alois. Trombetta Praxeos Regulae circa contr. rer. eccl. c. 6., Cf. 254., E. M.

286. *An variarum clausularum observatio ad validitatem pertineat actus?* — Clausulae, quae continent tantum *monitionem* vel *praeceptum*, ad liceitatem tantum pertinent. Illae vero, quae continent *conditionem*, spectant ad validitatem. Quaenam istae sint, difficultate non caret. Haec habet Zitelli de Disp. matr. c. 5. « Eae clausulae, quae exprimuntur per particulas *si, dummodo, postquam*, vel quae efferuntur ablativo absoluto, e. g., *audita prius eorum sacramentali confessione*, conditiones esse generatim censentur, nisi forte id, quod per clausulam exprimitur, ex ipsa rei de qua agitur natura, vel iure sit servandum. Si enim, quod clausula faciendum iniungit eiusmodi est, ut etsi non iniungeretur, nihilominus sive ex rei natura, sive ex iure communi praestandum esset, S. Sedes, illud in clausula commemorando, non aliud intendere existimatur, quam obligationem aliunde provenientem in memoriam revocare atque urgere. Ob hanc causam, e. g., clausula, *peractis publicationibus*, quae est forma Iuris communis, cum forte in litteris dispensationum exprimitur, non novam formam et *conditionem* inducit, sed est *admonitio* quaedam, ut servetur forma ipsius Iuris communis ». Verum doctrina haec, licet communis, constans tamen non est: siquidem validae declaratae sunt variae dispensationes, quibus omissae fuerint clausulae iniunctae, sive ablativo absoluto, sive particula *dummodo*. — Sanch. l. 3. D. 33. n. 3., Monitore Ecclesiastico Conversano V. 7. P. 1. p. 269. seqq.

DE PECCATIS

I. — DE NATURA PECCATI

287. *Quid sit peccatum?* — Cum peccatum sit actus humanus malus, recte a S. Augustino definitur: dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam. S. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. *Factum*, « peccatum potest contingere, sive aliquis faciat quod non debet, sive non faciendo quod debet ». S. Th. 1. 2. q. 71. a. 5. ad 1. *Contra legem aeternam*, quia omnis lex sive humana sive divina ab hac lege vim suam habet; quia nulla potestas est nisi a Deo; quia nulla legis transgressio peccatum esset, nisi Deum offenderet; quia in hoc quod dicitur *contra legem aeternam* tangitur aversio a fine, et omnes aliae inordinationes. — Peccatum est *formale*, si lex libere et scienter violetur; est *materiale*, si transgressio legis prorsus involuntaria sit. — L. 1. 11., S. Th. de Malo q. 2. a. 1. 2., 1. 2. q. 71. a. 6. ad 5., q. 87., q. 76. a. 2. ad 1., 2. 2. q. 20. a. 3., Compend. Theol. c. 119., E. M.

288. *An ad peccatum actuale requiratur necessario actualis advertentia et consensus voluntatis?* — R. Affirmative. Peccatum enim est libera transgressio legis. Atqui non potest haberi *actualis* transgressio libera sine *actuali* voluntatis actu, vel *hic et nunc*, vel *in causa*. Nequit item haberi *actualis* transgressio legis libera, quin aliquo modo, vel *hic et nunc*, vel

in causa, saltem in confuso advertat quis *peccatum;* nihil enim volitum, quin praecognitum. — Sed qui *hic et nunc* ignorat, nihil advertit, nihil dubitat, *hic et nunc* nihil peccat, quamvis forte ignorantia vel inadvertentia fuerit culpabilis *in causa.* Si enim antea praeviderit effectum ignorantiae suae vel inadvertentiae, eius quod facit reus est quidem *in causa,* sed non nisi *in causa.* — L. 1.-5. 10., S. Th. 1. 2. q. 76. a. 3., de Malo q. 2. a. 1. 2., q. 7. a. 6., E. M.

289. *Resolves:* 1.° Nullum peccatum habetur, si perturbetur usus rationis et tollatur libertas, ut in vehementissimo motu irae; si advertentia habeatur, sed desit consensus voluntatis, ut in pravis motibus contra castitatem quousque displicent; si advertentia habeatur et consensus, sed non ut in rem malam, v. g., si quis die abstinentiae carnes advertenter quidem et voluntarie omnino comedat, sed nihil de praecepto Ecclesiae cogitans. L. 2. — 2.° Actus humanus non nisi eam habet malitiam, quae apprehenditur. Quare, si in aliqua re multiplicis malitiae, unius tantum speciei malitia advertatur, haec tantum contrahitur. L. l. 1. n. 168. Itemque si negligentia, e. g., ebrietatem, aut eventus ex ea sequi solitos praecavendi, fuerit tantum venialis, etiam mala, quae praevideri poterant, venialia tantum sunt. Cum non in se, sed in causa sint libera, non possunt habere maiorem culpam, quam in ipsa causa. L. 4.

290. *An peccatum actu tantum interno, vel etiam externo contineatur?* — Peccatum *formaliter* actus internus voluntatis est. Nam peccatum secundum *sui naturam,* non nisi a libera voluntate et in voluntate proprie est. « Peccatum, ait S. Th. de Malo q. 3. a. 1., secundum quod *proprie in moralibus* dicitur, habet rationem *culpae,* et provenit ex eo quod *voluntas deficit* a debito fine, per hoc quod ad indebitum finem tendit ». Actus alius internus, et actio exterior aliarum facultatum, *obiectum* actus interni voluntatis, huius quasi complementum sunt. Ex illo enim interno voluntatis actu, et actu interno aliarum facultatum, vel exteriori actione, unum totale concretum morale efficitur, ille enim alius internus actus, vel exterior actio, qua *actus morales,* tota quanta sunt, pertinent ad ipsum individuum morale actus interni voluntatis, cui substant, et a quo *suum esse morale* accipiunt. Peccatum ergo inchoatur actu voluntatis interno, perficitur et consummatur actu alio vel alia actione aliarum internarum vel externarum facultatum. Hinc cum *pars* essentialiter differat *a toto,* peccatum, quod solo interno voluntatis actu continetur essentialiter differt, moraliter loquendo, a peccato quod actu alio interno perficitur alterius facultatis internae, vel quod usque ad opus externum prodeat, quod consequenter necessario in confessione est accusandum. Unde non sufficit voluntatem homicidii confiteri, sed necesse est confiteri etiam ipsum homicidium commissum. — S. Th. 1. 2. q. 17. a. 4., q. 72. a. 7., q. 74., q. 75., L. 5.

291. *Quaenam sint peccata mere interna voluntatis; et quaenam eorum natura?* — Peccata omnia, quae interiori tantum voluntate committuntur, facile reduci possunt ad *desiderium* et *delectationem.* — *Desiderium* est propositum alicuius rei, seu actus voluntatis, qua bonum aliquod assequi volumus. Aliud est *efficax,* et est propositum absolute de se efficax, unde est quod quis media reapse suscipit ad ducendum illud ad effectum. Aliud est *inefficax,* et est propositum conditionate tantum efficax, quod nempe

quis exequeretur si posset, v. g., si posset furari thesaurum Ecclesiae, furaretur. — Porro desiderium rei malae malum est; siquidem unum idemque est obiectum actionis et desiderii. Hinc pravum desiderium *speciem* habet ac malitiam peccati mortalem vel venialem, quam habet exterior res, in quam fertur. Scilicet desiderium eo tendit absolute vel saltem conditionate, ut rem exequatur, eamque realiter existentem constituat. Atqui, si quis rem vere exequeretur, contraheret omnem malitiam tum obiecti tum circumstantiarum. Ergo idem dicendum, si quis affectu et desiderio rem prosequatur; cum enim hic desiderii affectus coniungatur cum ipsa existentia obiecti, coniungitur necessario cum omnibus, ipsi obiecto necessario connexis. — Quare Titius rem habens cum Caia uxore aliena, committit adulterium, si norit eam esse alienam, etiamsi nollet esse alienam; eodem modo desiderans Caiam uxorem alienam, adulterii etiam reus est, si norit esse alienam, et etiamsi nollet esse alienam, quia desiderium tendit, ut ipsa executio, in idem opus existens, adeoque concretum omnibus suis circumstantiis. Hinc in confessione, e. g., desiderii fornicandi declarandae sunt circumstantiae consanguinitatis, matrimonii, voti castitatis personae, etc. L. 12.

Delectatio, simplex quaedam voluntatis quies et complacentia est *ex praesentia* boni convenientis, aut secundum rem possessi, aut secundum cognitionem et apprehensionem. *Delectatio* a *gaudio* proprie non differt, nisi quatenus *gaudium* potius dicitur delectatio appetitus rationalis, et *delectatio* potius dicitur illa, quae est appetitus sensibilis cum quadam corporis transmutatione, et quae *delectatio* etiam *sensibilis* appellatur, et si est cum transmutatione organorum ac spirituum generationi inservientium *delectatio venerea* nuncupatur. S. Th. 1. 2. q. 31. a. 4., q. 72. a. 2., Sanch. in Dec. l. 1. c. 2. n. 33. Secundum autem S. Alph. 15., ut *desiderium* respicit tempus *futurum*, et opus *patrandum*, ita *gaudium* respicit tempus *praeteritum*, nempe cum quis sibi complacet de malo opere *patrato*, et *delectatio* respicit tempus *praesens*, videlicet quando quis per *imaginationem* et *cogitationem*, sibi reddit praesens opus peccati, e. g., fornicationem, et de illa deliberato consensu delectatur, tanquam si actualiter fornicaretur, sine tamen desiderio illam exequendi.

Delectatio morosa rei pravae peccatum est, quia delectatione inest dilectio. Nunquam enim res illa prava delectaret, nisi ipsa secundum se amaretur. Suarez de Pecc. D. 5. S. 7. n. 5. *Delectatio morosa*, delectatio voluntaria est; morosa enim dicitur non ob necessariam alicuius temporis moram; sed ob necessarium voluntatis consensum. Non enim delectatio, sed consensus in delectationem peccatum est. S. Th. 1. 2. q. 74. a. 6. 8., q. 88. a. 5. ad 2. *Rei pravae;* delectatio enim duplex est. Alia est de opere pravo, ita ut opus malum sit obiectum delectationis, quae semper mala est; alia est delectatio de cogitatione obiecti mali, ita ut non opus malum, sed ipsa cogitatio de opere malo sit per se obiectum delectationis. Et haec vel potest esse bona, si adsit iusta causa cogitandi, v. g., causa studii, consultationis, etc., cum abominatione obiecti, vel potest esse venialiter mala, si fiat ex curiositate, etc., vel potest esse aliquando etiam graviter mala, si adsit periculum proximum consensus. S. Th. de Verit. q. 15. a. 4., L. 16. 17. *Delectatio morosa* rei pravae, prout delectatio a *gaudio* secundum tempus distinguitur, malitiam et *speciem* habet secundum varietatem tantum obiectorum mente exhibitorum. Simplex enim delectatio non tendit

in obiectum, ut in re ponendum, sed in eo quiescit, ut repraesentato per intellectum. Atqui intellectus abstrahit ab aliis proprietatibus obiecti praeter illam, quae delectationem movet. L. 15. 28.

Gaudium vero, ut desiderium, *malitiam* et *speciem* induit tum obiecti, tum circumstantiarum, ipsi *realiter annexarum.* Gaudium enim, cum sit volitio sibi complacens, adeoque approbans rem praeteritam, in eam fertur, qualis in se extitit, suis nempe circumstantiis vestitam. Hinc, in recordatione et complacentia praeteritorum peccatorum, necesse est in confessione declarare naturam et specificas circumstantias obiecti. L. 15. *In recordatione et complacentia.* Peccatum enim non habetur simplici peccati, olim commissi, recordatione, eo quod illud neque placeat neque displiceat recordanti, quia nulla lege iubemur peccatorum pluries poenitere, si eius iam egimus poenitentiam, vel hic et nunc poenitere, si nondum eius poenituerimus. Laymann de Poenit. D. 2. S. 8., Sporer de Poenit. n. 192., Lugo de Poenit. D. 16. n. 376. seqq.

292. *Resolves:* 1.° Gaudere de *modo*, e. g., novo, callido, strenuo quo res confecta est, illicitum non est, cum obiectum delectationis malum non sit. L. 18. — 2.° Si res, *sic ut accidit,* non sit mala, ne materialiter quidem, nec alteri noxia, eam *desiderare* non est per se illicitum; quamvis *alias* esset intrinsece mala, v. g., pollutionem, quae in somno naturaliter evenit. *Desiderare,* nempe simplici affectu et sine ulla cooperatione. Si autem licet *desiderare,* licet etiam *gaudere* de illa iam facta. Ratio est, « quia quod licitum est desiderare ut fiat, licitum etiam est de eo gaudere, quod factum sit, et contra si fas est gaudere de facto, etiam licitum est desiderare ut fiat; haec enim sunt eiusdem moris: nam gaudium necessario resultat ex bono desiderato obtento, et supponit vel implicite includit desiderium ». Lessius de Iust. et Iur. l. 4. c. 3. n. 104., Laymann l. 3. S. 4. n. 17., Lugo l. c. n. 389. « Ego tamen, ait idem Lessius l. c., huiusmodi desideria admitti cuipiam non sum auctor; tum quia etsi per se mala non sint, tamen imperfectum indicant castitatis affectum, tum quia sanctiora remedia et a sanctis viris usurpata non desunt. Idem dixerim de gaudio. Cavenda quoque in omnibus huiusmodi, ut iam saepe monuimus, omnis cooperatio et periculum consensus ». Billuart Tr. de Temp. Diss. 6. a. 4. Obii. III., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 5., L. 19. 20., l. 3. n. 478. — 3.° Non est peccatum, *per se loquendo,* saltem mortale, si coniuges delectentur, *appetitu tantum rationali,* de actu coniugii praeterito, futuro, vel possibili, respectu compartis praesentis vel absentis. Idem dicendum, si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea pariter *rationali tantum appetitu* delectetur, vel vidua de praeterita, secluso periculo consensus in detectationem veneream, quae ex illa consurgat. Ratio, quia hi actus habent obiectum licitum. Pleni tamen periculo sunt propter praedictam veneream delectationem, ex illis saepe exurgentem. Lugo de Poenit. D. 16. n. 376. 385., Sanch. de Matr. l. 9. D. 47. n. 1. 4. 7., L. 23. 24. 25. — 4.° Tristitia de bono peracto, quod sub gravi praecipiebatur graviter culpabilis est; de bono quod praecipiebatur sub levi, levis est. De bono item neque sub gravi neque sub levi praecepto, levis est, nisi iusta adsit causa nunc poenitendi; inordinatio enim quaedam est tristari de bono peracto, licet non praecepto. Si vero tristitia feratur non in ipsum bonum, sed in molestiam, in laborem, etc., peccatum *per se* non est. Sanch. in Dec. l. 4. c. 12. n. 2., Suarez l. 5. de Voto c. 7. n. 4.

293. *An liceat desiderare malum, sub conditione, si licitum sit?* — R. Affirmative *per se,* si conditio apposita *totam* operis *malitiam* tollat, e. g., ederem carnes in quadragesima, nisi Ecclesia prohiberet. Talis enim affectus nullam involvit deordinationem, neque in se neque in obiecto, a quo per conditionem omnis malitia excluditur. — Secus vero negative, e. g., peccarem, si non esset infernus, quia affectus tendit in obiectum malum, et quidem absolute, cum conditio non tollat malitiam ab obiecto, etiam ut repraesentato, et proinde tota malitia obiecti in actum voluntatis refundatur. — Et quidem sunt quaedam obiecta, circa quae conditio utcumque apposita malitiam tollere nequit, e. g., si esset licitum, destruerem Deum. Etenim, quae intrinsece mala sunt, mutari nequeunt; et proinde inutiliter conditio apponeretur, siquidem talia optare est desiderare, ut lex et ordo naturae immutetur, quod adhuc peius esset. — Attamen probabiliter excusandus esset a peccato gravi ille, qui tali desiderio *nollet certo,* ut id quod malum est intrinsece, fieret licitum, sed tantum *naturalem propensionem* suam in illud obiectum ostenderet, v. g., vindicarer si esset licitum, at nolo propter Dei legem; vel *enunciative* tantum rem proferret, e. g., iunior vindicarer, significans non quid vellet nunc, si iunior esset, sed quid forte iunior fecisset; remoto tamen semper periculo desiderii efficacis, et etiam veri desiderii inefficacis, omnis nempe voluntatis faciendi, et omnis simplicis affectionis voluntatis. — Id quod dictum est *de desiderio,* etiam *de delectatione* et *de gaudio rationalis appetitus* dicendum consequenter est. Nam gaudere et delectari non licet in illo bono, quod amare et desiderare non licet; et e contra licet gaudere et delectari rationali appetitu in illo bono, quod amare et desiderare licet. Amor enim et desiderium via est ad gaudium et delectationem, tanquam motus ad quietem tendens. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 384. seqq., Sanch. in Dec. l. 1. c. 2. n. 22. seqq., Billuart Tr. de Temp. Diss. 6. a. 15. § IV. *Petes* 3.°, S. Th. de Verit. q. 15. a. 4., L. 12. 13. 14.

294. *An liceat delectari de re aliqua mala, si ea citra omnem culpam peracta fuerit?* — Si res illa sit *intrinsece mala,* non licet de ea delectari *secundum se.* Ratio est, quia obiectum illud est in se malum, quod autem non fuerit peccatum ideo est, quia non fuit voluntarium. Ergo, si nunc accedat voluntas, *talem actum approbans,* vel *de illo gaudens* quod fit in delectatione, erit peccatum. La-Croix 89., Suarez de Peccat. D. 5. S. 7. n. 14. — Si res illa intrinsece mala non sit, et delectatio de ea non habeatur *sub ratione prohibitionis,* e. g., si quis delectetur, quod inadvertenter die veneris carnes ederit, alii putant esse licitum de ea *secundum se* delectari, quia secundum se mala non est; alii vero putant esse illicitum, quia materiali non caruit peccato, seu materialiter mala fuit. Lessius de Iust. et Iure l. 4. c. 3. n. 104., L. 20. 27. — Si delectatio referatur ad actum praeteritum malum *non secundum se,* prout est obiective malus, sed *exclusive prout fuit causa boni effectus, neque rectus iustitiae aut caritatis ordo pervertatur,* alii affirmant esse licitam, alii illicitam. Ratio 1.ae sententiae est, quia tunc non gaudemus de opere malo ob bonum effectum, hoc sensu, quatenus ob bonum effectum gaudeamus illud opus malum factum fuisse; sed, supposito quod illud opus malum factum fuerit, gaudemus de causatione boni, quae tali operi competit. Quod illicitum non est, cum sit de obiecto honesto, de illa nempe bona qualitate et virtute, quam opus cete-

roquin malum habuit. Praescinditur a malitia obiectiva, quae affectum non movet, et delectatio praecise cadit super praedicatum, *quod est causativum boni,* quod bonum est. Apposita autem restrictio, *neque rectus iustitiae,* etc., per se patet, et confirmatur ex pr. 13. 14. 15. d. ab Innoc. XI. Ratio 2.ae sententiae est, quia eo ipso quod quis delectetur de opere malo *prout est causativum boni,* iam implicite de ipso opere malo *secundum se,* seu *secundum sui existentiam* delectatur. Causalitas enim realis implicite includit realem existentiam. — « In quocumque tamen casu licet, *per se loquendo,* cuique delectari non de causa, sed *de effectu secuto,* nempe de exoneratione causata a pollutione etiam voluntaria, vel de consecutione haereditatis ob homicidium, modo causa detestetur ». L. 20. Et sane huius delectationis obiectum est bonum. — La-Croix 91., Suarez l. c. n. 15., Lugo de Poenit. D. 16. n. 389., Ithur. Cas. 18. n. 6., Lessius l. c. S. Th. 4. D. 9. q. 1. a. 4., q. 1. ad 5., 3. D. 30. q. 1. a. 1. ad 4., L. 19.-22., E. M. 389.

295. « *An peccet graviter, qui negative se habet, et positive non resistit motui appetitus sensitivi circa obiectum, sub mortali prohibitum?* — Tres adsunt sententiae. Prima affirmat peccari graviter, etiam cessante periculo consensus... Secunda sententia dicit, talem ne venialiter quidem peccare, remoto periculo consensus... Tertia et *vera* sententia tenet, cessante periculo consensus, esse veniale non resistere positive motibus illicitis, sed non mortale. Idque videtur expresse confirmare S. Th. 1. 2. q. 74. a. 4., ubi ait: *peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione.* Ratio igitur est, tum quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex sensili appetitu, sed ex voluntate, quae cum non positive consentit, non committitur mortale; et ideo committitur veniale, in quantum homo cavere debet, ne appetitus trahat post se voluntatem; *sed haec obligatio, quando periculum consensus non est proximum,* est tantum levis. Tum quia, si sub gravi teneremur omnes motus inordinatos positive repellere, teneremur ad impossibile: impossibile enim est, omnes hos motus collective sumptos positive coercere ». L. 6. 29., Diana V. 8. Tr. 6. de aliq. cas. circa mat. lux. R. 8., S. Th. 1. 2. q. 74. a. 3. ad 3., q. 79. a. 1. Cf. 58.

296. « *Notandum,* non esse obligationem motibus carnalibus resistendi *positive, si iusta adsit causa non resistendi,* nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari, et augeri; vel si motus ortum habeant ex actione necessaria, vel utili;... si non facile negotium sit illos repellere. Sat est igitur tunc *negative* se habere, cum firmo proposito nunquam consentiendi: ipsa enim non consentiendi actualis cura sufficit tunc ad liberandum hominem a culpa, saltem mortali, etsi non a veniali, si resistentia sit tepida ». L. 9. Verum in casu praedicto, quando tentatio diu durat, et nimis molestum foret iugiter motus positive repellere, nullum peccatum est eos permittere, negative se habendo. Et sic facere consulitur his qui sunt timoratae conscientiae. L. 9.

297. *Quomodo positive resistatur? — Positiva resistentia praestari potest dupliciter:* 1.° *Directe,* eos motus repellendo; et nulla quidem est obligatio hanc directam resistentiam adhibendi, quae, quoad carnales motus magis saepe eos excitat, multoque minus obligatio adest resistentiae materialis, quae et ipsa saepe, quoad istos carnales motus, nociva est. 2.° *Indirecte,* animum ad alia divertendo. Quoad motus contra castitatem et

contra fidem ac caritatem, indirecta haec resistentia magis consulenda est, quam directa aliqua resistentia seu oppugnatio, et si motus sint leves, melius est eos contemnere. L. 8., S. Th. 1. 2. q. 74. a. 3. ad 2.

II. — DE SPECIFICA PECCATORUM DISTINCTIONE

298. *Undenam sit repetenda specifica peccatorum distinctio?* — S. Th. 1. 2. q. 18. a. 2., q. 72. a. 1., 4. 9., etc., docet repetendam esse *ex obiecto*, quia peccatum est actus humanus; et actus humanus speciem sumit *ex obiecto*, et *ex diversa* eiusdem obiecti *ratione*. Et sic homicidium, detractio, furtum specie differunt, quia vita, existimatio, res, bona sunt, quae specie, inter se differunt, S. Th. de Malo q. 2. a. 6. Scotus e contra, in 4. D. 35. q. 2., putat repetendam esse ex *virtute*, quae laeditur, et *ex modo* sive *opposito*, sive mere *diverso*, quo virtus laeditur; quia peccatum formaliter in privatione consistit rectitudinis virtutis oppositae. Omnis autem privatio specificatur a *forma* sibi opposita. Et sic haeresis, fornicatio, furtum, sunt peccata specie distincta, quia opponuntur virtutibus specie distinctis, fidei, castitati, iustitiae. Praesumptio et desperatio, omissio amoris Dei et odium Dei specie distinguuntur, quia illa laedunt spem contrario modo, haec caritatem per defectum et per excessum. Detractio, calumnia, furtum, adulterium, homicidium, specie pariter differunt inter se, quia diverso modo iustitiam laedunt. Itemque periurium, violatio voti, blasphemia, licet sint contra eandem religionis virtutem specie tamen sunt diversa, quia diverso modo illi opponuntur.

Altera sententia alteri non opponitur, nam peccatum, utrumque est, *actus humanus* et *privatio*, actus humanus materialiter, privatio formaliter. S. Th. 1. 2. q. 72. a. 1. 6. Unde una sententia aliam perficit, et dici potest peccatum proxime specificari ex rectitudine seu honestate virtutis, cui opponitur, remote et fundamentaliter ex obiecto. Laymann l. 1. Tr. 3. c. 2. n. 2. Utraque vero sententia in idem fere recidit: « virtutes enim distinguuntur specie secundum obiecta ». S. Th. 1. 2. q. 72. a. 1. ad 2. Unde idem S. Th. 2. D. 42. q. 2. a. 2. q. 1. ad 1. inquit: « Dicendum ergo, quod divisio peccati in species suas essentiales est *per oppositum virtutis;* quia oportet, quod sit *secundum obiectum, ex quo specificatur peccatum et virtus* ». Cf. 1. 2. q. 71. a. 1., q. 72. a. 4. 8. — Tunc autem habetur vel *diversum obiectum*, seu *diversa eiusdem obiecti ratio;* vel *diversa virtus*, seu *diversus modus eandem virtutem laedendi*, quae novam prae se ferant *moralem peccati speciem*, quando ista prae se exhibent *specialem rationis ordinem*, seu *specialem convenientiam* vel *disconvenientiam cum recta ratione*, cum nempe habetur inde *specialis ratio*, cur aliquid sit moraliter bonum vel malum. « Ubicumque occurrit *diversum motivum*, inclinans intentionem ad peccandum, ibi est diversa *species* peccati ». S. Th. 1. 2. q. 72. a. 8. 9., q. 71. a. 2., q. 79. a. 2. ad 3., 2. 2. q. 154. a. 11., L. 30. 31. 32.

299. *An unius peccati multiplex species esse possit?* — R. Affirmative, siquidem obiecto circumstantiae adesse possunt, *speciem mutantes*, seu potius multiplicantes. Et sic qui ligatus voto castitatis cum consan-

guinea coniugata peccat quatuor committit, specie diversa, peccata, contra castitatem, religionem, pietatem, et iustitiam. S. Th. 1. 2. q. 73. a. 7.

300. *An ex diversis praeceptis circa eandem rem peccata plura specie distinguantur?* — Leges positivae cum aliquid praecipiunt, aut prohibent, actum constituunt in ea virtute, cuius intuitu praecipiunt, aut prohibent. Quare legis transgressio vitio tribuitur, illi virtuti opposito. Hoc autem fit quadrupliciter: 1.° Quando iubent aut vetant aliquid indifferens intuitu alicuius *specialis virtutis*, ut, e. g., abstinere ab operibus servilibus die festo intuitu *religionis;* unde ab illis non abstinere *irreligiositas* est; naturale ieiunium servare ratione *debitae reverentiae erga SS. Eucharistiam*, unde illud non servare *sacrilegium est.* — 2.° Quando praecipiunt aut prohibent actum alicuius specialis virtutis aut vitii intuitu eiusdem virtutis, ut interesse sacro die festo intuitu *religionis*, unde abesse *irreligiositatis* item species est; ieiunium ecclesiasticum intuitu *temperantiae,* unde illud frangere ad *intemperantiam* pertinet; matrimonium non ineundum cum consanguineis, affinibus, adoptivis, intuitu *pietatis,* unde illas ducere personas *incestus* est. — 3.° Quando praecipiunt aut prohibent actum alicuius specialis virtutis aut vitii intuitu alterius virtutis; unde qui rem sacram furatur, aut clericum percutit, is ex ipsa actus intrinseca natura, seu naturali iure, *iustitiam* laedit, ex lege autem extrinseca Ecclesiae, *religionem* praeterea offendit. Lugo de Poenit. D. 16. n. 139., L. l. 1. n. 167., l. 6. n. 808. — 4.° Si lex nullius specialis virtutis intuitu aliquid iubet aut vetat, e. g., proscriptos libros non legere; quod fit secundum eam legem, ad virtutem spectat *obedientiae;* quod contra, ad *inobedientiae* vitium pertinet. *Obedientiae,* nempe late sumptae, quia propria significatione *obedientiae* obiectum sunt praecepta non leges, hae proprie obiectum sunt *legalis iustitiae.* — Iam vero, si varia praecepta, omnia ad eandem virtutem spectant, et distinguuntur tantum *ex parte legislatorum*, ut est in furto, quod prohibetur lege naturali, divina, canonica, civili, minime inducunt distinctionem specificam peccatorum; quia diversitas legislatorum non efficit praeceptum esse formaliter diversum, sed tantum materialiter. Secus tamen, si praecepta distinguantur *ex parte ipsius obiecti,* nempe ex parte motivi proximi ipsius praecepti; quia tunc diversae virtutes laeduntur, prout si quis frangeret ieiunium praeceptum ab Ecclesia, et ad quod voto simul ipse se obstrinxerit, tunc enim laederet temperantiam, ex qua Ecclesia ieiunium imperat, et religionem, ex qua Deus praecipit vota observari. — L. 33., l. 1. n. 167., l. 4. n. 145., Lugo l. c. n. 144. seqq.

301. *Resolves:* Diversae *causae,* quibus praeceptum aliquod imponatur, peccati *speciem* non mutant, neque *numero* peccata augentur. Hinc licet una eademque virtute *religionis*, Ecclesiae praecepto accedente, ad horas canonicas obligentur et qui possidet beneficium, et qui in sacris est constitutus, unum tamen committit peccatum, canonicas horas non recitando, presbyter, e. g., qui parochiale habeat beneficium. Itemque unum committit peccatum sacrilegii praeter peccatum contra castitatem presbyter religiosus, qui turpiter agat, licet castitate teneatur, et qua presbyter et qua religiosus. L. 33., l. 3. n. 455., l. 4. n. 145., l. 6. n. 808.

302. *Nota:* 1.° Qui peccat ex ignorantia culpabili, vel quia dubitans agit, et qui peccat in causa, eius speciei peccatum admittit, cuius peri-

culum subit et saltem in confuso praevidet; uterque enim illud implicite et quasi per consequens vult. Sanch. de Matr. l. 11. D. 41. n. 7. — 2.° « Actus omissionem concomitantes, ut ludere, edere, dum, v. g., omittitur sacrum, non esse peccaminosos, nisi sint causa omissionis, puta cum lusus est causa omittendi sacrum... Tunc autem actus influentes eandem malitiam omissionis induunt, non vero diversam... Quare sufficit tunc tantum omissionem confiteri. Si vero actio, quae est causa omissionis sit etiam grave peccatum, nempe si quis omittat sacrum ob furandum, tunc furtum potest dici in confessione seorsim ab omissione sacri, quia tunc furtum non est nisi causa aggravans, non autem mutans speciem ». L. 9. 60.

III. — DE NUMERICA PECCATORUM DISTINCTIONE

303. *Undenam desumenda sit numerica peccatorum distinctio?* — Ea desumenda est 1.° ex diversitate *obiectorum totalium*, 2.° ex multiplicitate actuum *moraliter interruptorum.* — *Obiectum totale* illud hic dicitur, quod vel ex intrinseca natura sua, vel ex extrinseca intentione agentis, in se completur, neque ad aliud tanquam pars referatur. Sic in homicidio unicum habetur obiectum totale, licet homicida varios actus praevios praemiserit, v. g., quaerendo arma, struendo insidias, et pluries percutiendo; quia omnes isti actus praevii habendi sunt ut partes actus principalis, et ad illum sunt ordinati. Si vero homicida primum intenderit tantum percussionem, et postea, mutata voluntate, occiderit, duplex erit obiectum totale; quia ex intentione agentis unum ad aliud non ordinatur, sed per se seorsim intenditur. — *Moraliter interruptorum;* quia, etsi ad distinctionem numericam actuum physice sufficiat quaevis interruptio, in ordine tamen ad confessionem non multiplicantur, nisi *moraliter* multi sint, quia, sicut in confessione actus moralis, ita etiam multiplicatio, et distinctio moralis attendi debet. — Prob. 1.ª p. Quia obiectum, prout docet S. Th. 2. 2. q. 18. a. 2., est quodammodo, forma actus. Ergo talis est actus quale est obiectum. Ergo ubi plura sunt numero obiecta in genere moris, plures sunt numero actus in eodem genere; ubi unum est obiectum, unus reputatur esse actus. Ergo totidem sunt peccata quot sunt obiecta totalia. — Prob. 2.ª p. Etenim, quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, et singuli in propria malitia constituuntur; siquidem actus sequens non potest dici continuatio praecedentis: ergo actus illi interruptione morali evadunt diversi; ergo iteratione multiplicantur. Sic, qui pluribus vicibus moraliter interruptis alium percutit, vel furatur, tot peccata committit, quot sunt illae percussiones, vel illa furta; quia haec tot actus diversos constituunt. — L. 35. 36., Lugo D. 16. S. 14.

304. *An unum vel plura sint peccata, quando obiecta, materialiter et physice totalia, plura sint; sed ad unum voluntatis actum referuntur?* — Controvertitur. Duae adsunt sententiae, et pro utraque plures et graves stant theologi. *Prima sententia*, quam sequitur S. Alph. 45., docet diversitatem obiectorum, materialiter et physice totalium, constituere in uno eodemque actu diversa numero peccata. Ratio, quia peccatum est motus voluntatis in suum terminum, seu obiectum. Ergo sicut diversitate spe-

cifica obiectorum distinguitur specie, ita distinctione numerica illorum distinguitur numero. Ioann. De Dicastillo de Poenit. D. 9. Dub. 4. n. 216. seqq., La-Croix 150.

« *Hinc infertur* diversa numero peccata committere: 1.° Eum, qui uno ictu plures homines occidit, vel pluribus detrahit... Et idem dicendum, si quis intendit occidere sive infamare totam familiam... secus vero, si quis laederet bona, quae possidet aliqua civitas, monasterium, aut capitulum in communi; tunc enim non competit ius individuis in particulari, sed tantum toti communitati, unde unum ius laeditur. 2.° Qui unico actu optat ad plures feminas accedere, vel pluries ad eandem feminam; tanto magis, qui eadem nocte pluries eandem feminam cognoscit... quaelibet enim fornicatio habet suum terminum completum. 3.° Qui pluribus furatur. 4.° Qui pluribus unica vice scandalum praebet. 5.° Qui unico actu vult per plures dies horas canonicas vel ieiunium omittere. 6.° Qui unico actu malum tribus personis desiderat ». L. 46.

Secunda sententia tenet diversitatem obiectorum, materialiter et physice totalium, *in uno eodemque actu,* non nisi unum numero peccatum constituere. Ratio est, quia illa obiecta materialiter et physice plura per modum unius obiecti *adaequati* unico actu attinguntur, adeoque unum obiectum totale formale ac morale constituunt. *In uno eodemque actu,* uno eodemque actu interiori voluntatis; et si agatur de actu voluntatis *efficaci,* uno etiam eodemque actu exteriori. Nam, si actus exterior unus idemque non sit, sed plures sint, cum quilibet ad obiectum in se totale terminetur et compleatur, cum alio uniri iam non potest. Cf. n. seq., Lugo de Poenit. D. 16. n. 126. seqq., Suarez de Poenit. D. 22. S. 5. n. 34.

Hinc resolves: 1.° Unicum peccatum committit, qui unico ictu plures homines occidit. Sed non explicaret quis sufficienter suum peccatum, dicendo *homicidium* commisi, quod occisionem unius hominis significat, sed illud deberet saltem explicari, sub aliqua generalitate confusa significante pluralitatem, e. g., uno ictu occidi plures, vel multos. Lugo l. c. n. 141. Idem dicendum de eo, « qui unico actu voluntatis vult ad decem, v. g., mulieres eiusdem conditionis accedere, aut ad eandem vult accedere pluries. Satis enim est, si dicat: volui accedere pluries ad solutam, seu solutas, seu coniugatas, sine necessitate exprimendi numerum obiectorum talis unicae volitionis ». Tambur. Meth. Conf. l. 2. c. 1. § 9. n. 59., Dicastillus de Poenit. D. 9. Dub. 4. n. 256. 257. — 2.° « Qui unico actu detractionis multos simul laesit, propter eandem rationem, non est necesse, ut numerum personarum laesarum aperiat... Si quis detrahat familiae vel domui vel religioni, sive numerosa sit sive modica, satis est si dicat: detraxi cuidam familiae, etc. ». Tambur. l. c. n. 63., Lugo l. c. n. 135. Unicum etiam peccatum est, si quis detrahat alicui coram pluribus, cum ius ad famam non sit multiplex, sed unicum apud omnes. Unicum item est peccatum, si quis uno actu pluribus scandalum praebet. Lugo l. c. n. 112. 164., L. 49. Unicum pariter est peccatum, si quis eodem actu plures articulos fidei negat, quia non multiplex, sed unicum est obiectum formale fidei, nempe auctoritas Dei revelantis, L. 50., Lugo l. c. n. 288. seqq. Qui eodem passionis impetu plura diversa mala exoptat inimico, puta infamiam, mortem, paupertatem, unum numero et specie peccatum committit, si nempe omnia appetantur sub generica ratione *mali.* Lugo l. c. n. 260., L. 50. Unicum praeterea est peccatum, si quis furetur crumenam ad plures pertinentem, vel rem, quae materiam gravem pluries

excedat. Lugo l. c. n. 137., Diana Tom. 1. Tr. 7. R. 18. n. 8. — 3.° « Infero volentem non recitare officium per totum annum, et id postea *exsequentem*, committere plura peccata... Similiter, qui vult *exercere* latrocinia et caedes in via per totam vitam, non committit *postea* unum peccatum, sed plura ». Lugo l. c. n. 546., L. l. 4. n. 149. Idem dicendum de peccato commisso cum tribus mulieribus, triplex est, non unum, etc.

305. *An committat diversa peccata, qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit.* — Affirmat *probabilius* S. Alph. 48. Sed communis gravium doctorum sententia negat. Nam fama et honor semper est eiusdem speciei, quaelibet sit materia, de qua agatur. Unde haec in confessione necessario explicanda non est. Lugo de Poenit. D. 16. n. 265., Diana Tom. 1. Tr. 7. R. 19. n. 2. 3., Elbel 552.

306. *Nota:* Si quis coniugatus peccet cum coniugata, vel habens votum castitatis peccet cum habente etiam castitatis votum, duplex admittit peccatum. « Prior enim malitia est *contra fidelitatem,* quam debet *suae coniugi...* posterior vero est quatenus est *causa sua cooperatione* quod complex violet leges matrimonii ». Itemque « alia species malitiae contrahitur *ex violatione proprii voti,* alia vero *ex cooperatione* ad violationem *voti, alicui;* ad cuius observationem ego non teneor ex voto, ut constat ». Lugo l. c. n. 140. 141., L. l. 2. n. 46., l. 3. n. 456.

307. *Quandonam moralis actuum interruptio habeatur?* — Actus voluntatis triplici modo interrumpuntur, scilicet: 1.° *Per retractationem* seu *revocationem expressam voluntatis,* quia haec impedit, quominus actus posterior cum priore coniungatur, v. g., si quis retractet pravam voluntatem male agendi, et postea eam resumat, *nisi brevissima mora interfuerit.* — 2.° *Per cessationem voluntariam ab actu,* seu per mentis applicationem ad diversa obiecta, v. g., si quis libere cesset a proposito malo, et dein ad illud redeat; nisi propositum adsit statim eadem peccata continuandi, puta si quis turpiter conversans cum femina, alio adveniente, cessat interim, sed animo, eo abeunte, continuandi. — 3.° *Per cessationem involuntariam sat notabilem,* ratione habita ad actus naturam, secundum prudentum iudicium, v. g., per somnum, *distractionem,* etc. *Sat notabilem,* si enim sat breve tempus intercedat, actus, moraliter loquendo, non discontinuantur. — Tria haec facile applicari possunt triplici actuum classi, nempe actibus mere internis, actibus internis cum proposito externam actionem ponendi, actibus externis, seu externe consummatis. — L. 35. 38., Lugo de Poenit. D. 16. n. 551., Struggl q. 1. n. 41.

1.° *Actus mere interni,* qui intime omnino perficiuntur, v. g., odia, haereses, delectationes morosae, desideria turpia inefficacia, iudicia temeraria, etc., *per se loquendo,* statim ac *retractantur* vel *libera voluntate relinquuntur*, vel *involuntarie deseruntur* multiplicantur. Ratio est, quia tales actus cum obiectum in se completum habeant, et ad nullum externum effectum ordinentur, ratione cuius possint ad invicem continuari, actus in se sunt omnino completi. Et ideo poenitens debet explicare, si potest, quot vicibus interna voluntate rei pravae consenserit; si vero non potest, quia, e. g., pravus animus fuit diuturnus, tunc sufficit dicere *circiter,* vel saltem fateri tempus, in quo cum tali animo perseveraverit, et an valde frequenter, vel raro. Sic enim confessarius sufficienter intelliget ordinarias intercessisse

interruptiones, vel frequentiores, vel e contra rariores. — *Per se loquendo,* si enim plures huiusmodi actus ex eodem passionis impetu procedunt, unum peccatum mortale constituunt, etsi aliquod breve intervallum inter actus intercedat. Itemque unum habetur mortale peccatum, si pravae voluntates *ordinem inter se* habeant, ita ut una dependeat ab alia. Tunc enim posteriores voluntates, absque nova deliberatione aut consultatione, ex vi primae voluntatis ponuntur. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 562. seqq., Suarez de Poenit. D. 22. S. 5. n. 11., Struggl q. 1. n. 36., Tambur. Meth. Confess. l. 2. c. 1. § 5. n. 30. seqq., L. 35. 37.

2.° *Actus interni cum proposito externam actionem ponendi* multiplicantur pariter: 1.° *Per retractationem* voluntatis. Tunc enim, si quis redeat ad malam voluntatem, novum erit peccatum, cum posterior actus a primo non procedat. 2.° *Per cessationem voluntariam,* si quis nempe voluntarie et libere cesset a pravo proposito, *notabili* interposita *mora;* nam tunc etiam verificatur, quod posterior actus est novum peccatum, cum a primo non procedat. 3.° *Per cessationem involuntariam,* si *tempus diuturnum* intercedat; si enim tempus breve intercedat, actus moraliter non discontinuantur. — L. 35. 38. 39.

Difficultas hic adest quoad praedictam *notabilem moram* et *diuturnum tempus* definiendum. Iam vero duplex hypothesis fieri potest: 1.ª quod actus interni ordinentur immediate ad plures actus externos, directos et subordinatos ad aliquem unicum et communem finem; 2.ª quod actus interni ad unum actum externum ordinentur. — *In prima hypothesi* valet primum quod habet S. Alph. 40.: « Actus voluntatis, si ex prima voluntate *procedant,* et moraliter permaneant *in aliquo effectu,* qui conducat ad consummandum peccatum externum, *per qualecumque tempus duret prava voluntas,* unum solum peccatum constituunt. Hinc infertur, quod si quis proponat occidere hominem, et idcirco arma praeparet, viam arripiat, et inimicum occidat; unum peccatum committit, *licet per multos dies illum quaesierit, et pluries voluntatem repetierit* ».

In prima autem et altera hypothesi, si nullus adhuc exterior effectus habeatur, quale aestimandum sit *breve tempus* vel *diuturnum,* ita ut praedicti actus continuari vel discontinuari censeantur, certa regula assignari non potest. Breve et longum istud intervallum solo prudentum iudicio in peculiaribus casibus definiri potest. Idem enim propositum maiori vel minori tempore perdurat pro varia intensitate, nec non pro variis circumstantiis personarum, aetatis, sexus, indolis, etc. Generatim vero loquendo, praedicti actus non discontinuantur per interruptiones *breves* et *communes,* seu *ordinarias,* quae fiunt per somnum, prandium, confabulationem cum amico, etc. unde esto post eas iterum repetas pravum propositum occidendi inimicum, fornicandi, etc., unicum peccatum committis, quia cum prima voluntas permaneat virtualiter, unitur et continuatur cum secunda. Salmant. Tr. 20. c. 12. n. 38. Sed aliud dicendum est de interruptione *extraordinaria,* quae quidem tollit unitatem moralem actionis humanae. Non enim persistit tunc amplius prior voluntas. Si quis, e. g., vult occidere inimicum. ita ut per mensem *continuet* hanc voluntatem, non obstantibus brevibus et ordinariis interruptionibus, postea vero per annum, per plures menses, per mensem infirmetur, et hac rerum permutatione non amplius cogitet de inimico occidendo, ea priori voluntate frigescente, immo evanescente omnino, si postquam convaluerit, eam priorem voluntatem iterum resumat, haec quidem

posterior voluntas cum illa priore facere unum non amplius potest, cum tam distantes voluntates non possint amplius inter se neque morali aestimatione coniungi. Tambur. Meth. Confess. l. 2. c. 1. § 5. n. 34., Lugo de Poenit. D. 16. n. 545.

3.° *Actus externi, seu externe consummati* multiplicantur toties quoties obiectum est disparatum, vel in se terminatum; non autem multiplicantur, etiam interposito notabili temporis intervallo, quando sunt velut partes actus principalioris, seu ad finem unicum tendunt; quia quid unum morale efficiunt, quod non completur, nisi consummato actu principaliter intento; vel quando, licet isti actus partiales ad actum principalem non ordinentur, ex eodem tamen passionis impetu procedunt. Intellige omnes actus praevios quid unum morale efficere cum actu principaliori et consummato intento; nisi *per se* novam inducant speciem, quae *ex se* ad peccati complementum non tendat.

Quapropter: 1.° Unicum peccatum committit, qui intendens fornicationem, mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis, et tandem fornicatur; quia omnes actus praevii ad actum consummatum natura sua ordinantur. Si vero ab initio voluisset tantum mulierem tangere, et postea libidine inductus copulam perfecerit, duplex erit peccatum, adeoque non satis erit, si copulam confiteatur. — 2.° Unicum facit peccatum sacerdos, qui integrum officium vult una die omittere, quia singulae horae ordinantur ad complendum unum officium. Duo autem peccata faceret, qui voluisset tantum omittere matutinum, et postea reliquas horas recitare nollet, quia duplex foret actus malae voluntatis distinctus, obiectum in se terminatum habens. — 3.° Unicum perpetrat peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. g., qui pluries se, vel alium turpiter tangit, etiam cum aliqua interruptione; qui pluries inimicum percutit, vel ei plurima mala imprecatur, etc.; quia unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illae variae moraliter uniuntur. — 4.° Item probabiliter unicum facit peccatum, qui eodem actu in duodecim Apostolos blasphemat; quia omnes blasphemiae in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum. — 5.° Unicum facit peccatum, qui, summam aliquam determinatam pecuniae furari intendens, pluribus vicibus, moraliter non interruptis, ne detegatur, eam subripit, quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur. E contrario plura patrat peccata, qui pluribus vicibus ex eadem pecunia furatur, quin totam auferre ab initio statuerit, quia singula furta obiectum in se totale efficiunt. — 6.° Plura peccata facit, qui cum eadem pluries successive fornicatur, quamvis eadem nocte. Plura item peccata facit, qui ieiunium praescriptum per plures dies omittit, licet istae fornicationes et omissiones oriantur ex una eademque voluntate; quaelibet enim fornicatio et omissio successive facta in se terminatur, et obiectum totale constituit. Attamen, si quis in mortali plures audiat confessiones successive sed continue, unam post aliam, non desunt theologi, qui unum affirmant adesse peccatum ob moralem unionem. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 135. 546. 556. 557. 561., Tambur. Meth. Confess. l. 2. c. 1. n. 52., Struggl q. 1. n. 43., L. 41. 42. 43. 44. 46. 47. 50., l. 3. n. 538.

308. *Resolves:* Si quis statuit non restituere rem alienam, et in eadem voluntate semper, adhuc per annum maneat, unum peccatum committit;

quamvis etiam hoc suum propositum saepe renovet. Ratio, quia in illa retentione, nunquam retractata, virtualiter permanet prima voluntas, et moraliter posteriores voluntates uniuntur. Elbel 551., L. 40., l. 3. n. 683., Diana Tom. 1. Tr. 7. R. 158. n. 3. 4.

309. *An novum sint peccatum tactus, qui statim copulam fornicariam sequuntur?* — Omnes hi actus, sicut et complacentia de copula habita, novum peccatum non sunt, si statim post copulam habeantur, et minime ad novam copulam intendantur, quia verosimiliter adhibentur, tanquam complementum copulae obtentae. L. 41., Tamb. l. c. 72.

310. *An explicanda sint in confessione media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?* — Alii generatim affirmant, etiamsi media illa non fuerint mala in se, uti viam suscipere, scalam deferre ad furtum, etc. Ratio est, quia peccatum tunc non manet tantummodo internum, sed mediis istis externum evadit. Actiones enim illae, licet indifferentes sint in se, malae tamen a fine malo evadunt. — Alii vero distinguunt. Negant probabiliter, si illa media in se mala non sint, nullum enim tunc speciale peccatum constituunt; sed sufficit dicere generatim ad actionem *externam* peccati explicandam, conatus sum, e. g., inimicum occidere; praeparavi media ad illum interficiendum, etc. Affirmant vero, si media ista in se mala sint, et tunc indicari debent, et quidem omnia quoad speciem, si *sint specie diversa,* ut tactus secum habiti, aut verba obscoena ad sollicitandum adhibita. Et ratio est, quia peccato non consummato, illa varia media, in se mala, ad finem iam referri nequeunt, et quid unum in peccati consummatione constituere, unde ultimam sui speciem sumant. Ergo illi actus singuli cum sua malitia propria spectandi sunt. Ergo seorsim sunt accusandi in confessione. — Si vero media illa in se mala *eiusdem sint speciei,* quia eadem repetita pluries, tunc omnia quoad numerum explicanda, si in unum actum moraliter non coaluerunt, secus vero si unum moraliter actum constituerunt, puta quia ex eodem passionis impetu processerunt. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 240., Tambur. 66. seqq., L. 42., Cf. 783.

IV. — DE GRAVITATE PECCATI

311. *Quid gravitas peccati, et unde sit repetenda?* — *Peccati gravitas* est quantitas seu mensura malitiae, qua peccatum est magis vel minus Dei offensivum, et proinde maiori vel minori poena dignum. — Maior vel minor peccatorum gravitas repetenda est, generatim, 1.° ex obiecto, fine et circumstantiis, prout magis vel minus naturae rationali, vel legi repugnant; 2.° ex duratione actus mali, vel ex eius intensitate; 3.° ex advertentia maiori vel minori ad malitiam actus, vel ex diverso gradu consensus actui pravo praestiti; 4.° ex praestantia virtutum vel praeceptorum, quibus peccata opponuntur; 5.° ex variis modis, quibus virtutes aut leges violantur. S. Th. 1. 2. q. 73. 77. 78. 79. a. 4., 2. 2. q. 39. a. 2., q. 65. a. 4.

312. *Quotuplex sit peccatum?* — *Peccatum aliud est mortale, aliud veniale,* prout est transgressio legis graviter vel leviter obligantis, gravis vel levis offensa Dei. Peccatum mortale de se, ut tale est, habet aliquam

deordinationem *specie* distinctam ab omni ea, quae est in peccato veniali. Nam pravitas illa, quae est directe contraria ultimo fini, et ratione cuius homo avertitur ab ipso, et convertitur ad creaturam ut ad ultimum finem, est propria species deordinationis et pravitatis moralis, et haec propria peccati mortalis est, et reperiri non potest in peccato veniali. Suarez de Peccat. D. 2. S. 5. n. 2. 3., S. Th. 1. 2. q. 71. a. 4., q. 72. a. 5., q. 74. a. 9., q. 88. 89., de Malo q. 2. a. 8. — Peccata mortalia talia sunt: 1.° *Ex toto genere suo*, quando eorum obiectum seu materia, quaecumque ea demum sit, gravem continet deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, periurio, haeresi, etc. — 2.° *Ex genere suo non toto*, quando eorum materia in eadem specie manens potest esse gravis, quamvis etiam levis esse possit, ut sunt peccata contra iustitiam. — Venialia vero *ex genere suo* dicuntur peccata, quae, spectata obiecti materia seu natura, non admittunt gravem reatum, et ideo quousque manent intra suam speciem, alia scilicet species non accedat ex genere suo mortalis, nequeunt mortalia esse. S. Th. 1. 2. q. 77. a. 8. ad 1., q. 88. a. 5., L. 11. 51. — Trid. S. 6. C. 15., c. 27. 28., E. M.

313. *Quaenam requirantur ad peccatum mortale?* — Ad peccatum mortale requiruntur et sufficiunt, 1.° materia gravis; 2.° advertentia plena ad malitiam gravem; 3.° consensus plenus in praevaricationem. — Prob. 1.ª p. Nam materia levis non inducit nisi levem obligationem, adeoque eius transgressio grave peccatum esse nequit. Prob. 2.ª et 3.ª p., quia, cum per peccatum mortale homo *totaliter recedat* a Deo fine suo ultimo, ut creaturis *totaliter adhaereat*, et in illis tanquam in fine suo quiescat, id fieri non potest, nisi homo plene deliberate, et consequenter plena rei cognitione, creaturam praeferat creatori. — Peccatum ergo ex toto genere suo mortale fieri potest veniale, ratione imperfectae advertentiae, et imperfecti consensus. — S. Th. 1. 2. q. 74. a. 10., q. 88. a. 6., 2. 2. q. 35. a. 3., q. 36. a. 3., L. 52. seqq.

314. *Quaenam, in casu dubii, sint signa imperfectae advertentiae et deliberationis?* — *Signa imperfectae advertentiae sunt:* 1.° Si tenuiter, et quasi semidormiens apprehendisti esse malum. 2.° Si post, ubi melius consideras, iudicas te non fuisse facturum, si ita apprehendisses. 3.° Si vehementissima passione, apprehensione, vel distractione laborasti, vel turbatus fuisti, ita ut fere nesciveris quid ageres. — *Signa consensus imperfecti* sunt: 1.° Si ita quis dispositus fuerit, ut licet facile potuerit exsequi peccatum, non tamen sit exsecutus. 2.° Si quis dubitet, num consenserit, praesertim si sit vir timoratus. 3.° Si quis soleat esse ita affectus, ut malit mori quam expresse mortaliter peccare: quia talis non facile consentit. 4.° Si quis valde timide et suspense processisse se meminit. 5.° Si semisomnis fuit, non plene sui compos, etc., iudicetque se non id fuisse facturum, si plene vigilasset. — Sola pravae cogitationis continuatio indicium non est praestiti consensus, quia diuturna esse potest tentatio, cui pro virili resistitur. — Struggl q. 2. n. 6., L. 54. 55., l. 6. n. 476.

315. *An peccet graviter qui deliberat de praestando consensu obiecto graviter malo, si tandem non consentiat?* — Solutio quaestionis pendet a qualitate deliberationis. Etenim, si haec sit imperfecta, i. e., si non sit nisi quaedam haesitatio, vel omissio resistentiae ex torpore, pigritia, vel negligentia, peccatum veniale non excedit. Si vero deliberatio sit plena, quatenus nempe voluntas ad utrumque sit parata et affecta, erit peccatum

mortale, quia voluntas parata tunc se ostendit Deum peccato postponere; et erga malum deliberatum habet affectum.

316. *Quaenam ad veniale peccatum requirantur?* — Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis exigua, ad actus malitiam, et aliquis voluntatis consensus, quantumvis imperfectus. — *Requiruntur* ista quidem; quia, istis sublatis, nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse potest. *Sufficiunt* vero; quia, illis positis, mali cognitio et volitio, quae ad peccatum constituendum necessariae sunt, aliqua ratione habentur.

317. *An plura venialia possint constituere unum mortale?* — R. Negative, *ratione multiplicationis, et per se loquendo.* Essentiae enim rerum sunt immutabiles. Affirmative, *ratione levitatis materiae,* si haec, licet in se levis, aliis tamen accedens *in unum coalescat,* et materiam gravem *ratione continuationis* constituat, ut ex pluribus frustulis pluries sumptis in die ieiunii. Struggl q. 2. n. 26., S. Th. 1. 2. q. 88. a. 4.

318. *Quibus modis veniale fiat per accidens mortale?* — 1.° Ratione *conscientiae erroneae,* ut patet. — 2.° Ratione *finis, graviter mali adiuncti,* ut si quis leviter mentiatur ad fornicationem committendam. Sufficit autem in confessione fornicationem confiteri; necessarium non est mendacium etiam explicare. — 3.° Ratione *finis ultimi,* quem quis in re etiam levi constituat, e. g., in ludo, in persona inordinate amata, etc. « Si quis amore lusus paratus sit committere quodcumque peccatum mortale, esset peccatum temeritatis, et quidem gravissimum, sed sine specie ». L. 60. — 4.° Ratione *contemptus absoluti et formalis,* « quando nimirum ideo formaliter et absolute praeceptum violatur, quia *ipsi* aut *superiori subiici renuis,* quod est peccatum superbiae consummatae; vel quando ideo non vis obedire praecepto, *quia praeceptum est,* et est peccatum inobedientiae formalis, quorum utrumque graviter pugnat cum caritate debita superiori. Aliud igitur est contemnere *legem* seu *legislatorem,* etiam humanum, non qua talem personam, sed *qua legislatorem,* quod est mortale; aliud contemnere rem praeceptam, quod est veniale, si materia sit levis ». L. 61., l. 4. n. 161., S. Th. 2. 2. q. 105. a. 2., q. 186. a. 9. ad 3. — 5.° Ratione *gravis scandali aliorum,* quod graviter caritati repugnat. — 6.° Ratione *gravis aliorum damni,* quod graviter repugnet iustitiae. — 7.° Ratione *proximi periculi peccandi.* « Hac in re certissimum est, opus ex se veniale aut indifferens in mortale transire, si operans occasioni ita proximae exponatur, ut eum *in morali ac proximo* peccandi mortaliter periculo constituat... Tunc autem contingit *haec moralis proxima occasio, vel hoc morale proximum periculum,* quando ex suo genere occasio talis est, *ut frequenter* homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento constet, in hoc homine talem effectum habere... sicut is periculo damni temporalis incurrendi exponitur, qui aggreditur opus eo tempore et loco et talibus circumstantiis, ut vix illud damnum evadere valeat... Atque in hoc probabili peccandi mortaliter periculo fatendae sunt circumstantiae illius peccati, cuius periculo se exposuit... Quippe eiusdem malitiae est constituere se in morali periculo admittendi alicuius criminis, atque illud admittere. Nam eodem praecepto, quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoque ad proximum illius periculum vitandum ». Sanch. in Dec. l. 1. c. 8. n. 1. 4. — Excipe 1.° nisi ea cautio

adhibeatur, ut periculum cesset; 2.° nisi gravis adsit causa; tunc enim periculum moraliter voluntarium non est, sed invitus illud quis ea necessitate cogitur subire. Sanch. l. c. n. 2. 3., S. Th. 2. 2. q. 10. a. 9., L. 63., E. M.

319. *An graviter peccet, qui sola mortalia vitare vellet, et propositum haberet venialia omnia committendi?* — R. Negative, *per se loquendo*, secluso casu peculiaris fragilitatis, ita ut proximum inducatur graviter peccandi periculum. Nam neque peccatorum venialium multiplicatio constituet unquam peccatum mortale, quia singula venialia in specie inferiori semper manebunt; neque animus ita comparatus proximum inducit peccandi periculum. Verum, qui spernit modica ad maiora etiam spernenda paulatim disponitur. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 49. 50., Suarez de Rel. Tr. 8. l. 1. c. 4. n. 18., Ithur. Cas. 35. n. 28., L. l. 4. n. 12., S. Th. 1. 2. q. 88. a. 3. 4.

V. — DE VITIIS CAPITALIBUS

320. *Quaenam sint vitia capitalia?* — « *Vitia capitalia* dicuntur, ex quibus alia oriuntur, praecipue secundum rationem *causae finalis*... Secundum hoc ergo illa vitia capitalia dicuntur, quorum fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum; et secundum harum rationum distinctionem, distinguuntur capitalia vitia ». S. Th. 1. 2. q. 84. a. 4., 2. 2. q. 118. a. 7. « Non autem requiritur, quod vitium capitale semper sit peccatum mortale; quia etiam ex veniali potest mortale oriri, in quantum scilicet veniale disponit ad mortale ». S. Th. 2. 2. q. 132. a. 4. ad 3. — Capitalia vitia septem numerantur: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia. S. Th. 1. 2. q. 84. a. 4., q. 34. a. 5.

321. *Quid sit superbia?* — « *Superbia* nominatur ex hoc quod aliquis per voluntatem tendit supra id quod est ». Unde patet esse *peccatum*. Quatenus est inordinatus appetitus propriae excellentiae, *speciale peccatum est*. Quatenus vero ex ea omnia vitia oriri possunt, quia ad propriam excellentiam « potest ordinari omne id quod quis inordinate appetit »; et quia « homo per superbiam contemnit divinam legem, per quam prohibetur a peccando », quandam habet *generalitatem*, seu peccatum generale est. S. Th. 2. 2. q. 162. a. 1. 2. 7. 8. — Hinc idem S. D. 2. 2. q. 132. a. 4., q. 162. a. 8., ponit superbiam non vitium capitale, sed *reginam omnium vitiorum;* et *vitium capitale*, ponit *inanem gloriam*, quae immediate ab ipsa oritur. Communiter tamen superbia uti capitale vitium constituitur. — Superbia *ex suo genere* peccatum mortale est. Etenim « superbia humilitati opponitur. Humilitas autem proprie respicit subiectionem hominis ad Deum. Unde e contrario superbia *proprie* respicit defectum huius subiectionis, secundum scilicet quod aliquis se extollit supra id quod est ei sibi praefixum secundum divinam regulam vel mensuram... Manifestum est autem, quod hoc ipsum quod est non subiici Deo, habet rationem peccati mortalis, hoc enim est averti a Deo ». S. Th. 2. 2. q. 162. a. 5. « Et ideo *averti a Deo et eius praeceptis*, quod est quasi consequens in aliis peccatis, *per se* ad superbiam pertinet, cuius actus est *contemptus Dei* ». S. Th. l. c. a. 6. — Porro quando praedicta cessat *aversio* et *contemptus*, et non habetur nisi

inordinatus quidam motus in propriam excellentiam, superbia non habetur nisi *improprie* talis, eaque venialis, nisi fiat cum notabili aliorum contemptu, in eorum sibi complacendo abiectione. — S. Th. 1. 2. q. 77. a. 4. 5., q. 84. a. 2., L. 65.

322. *Quaenam sint superbiae et inanis gloriae filiae?* — « Illa vitia, quae de se nata sunt ordinari in finem alicuius vitii capitalis dicuntur filiae eius ». S. Th. 2. 2. q. 132. a. 5. *Filiae superbiae* sunt tres: 1.° *Praesumptio,* quae est appetitus inordinatus aggrediendi aliquid supra vires. Est communiter veniale tantum. S. Th. 2. 2. q. 130. a. 1., q. 134. a. 2. ad 4. Fit tamen mortale, si grave afferat damnum, v. g., si praesumat quis iurisdictionem ecclesiasticam, officium medici, etc. sine debita scientia. Prout autem praesumptio est peccatum speciale, spei theologicae oppositum, est semper peccatum mortale, nisi excuset imperfectio actus. — 2.° *Ambitio,* quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti, vel indebito modo et medio. Est per se peccatum veniale. S. Th. 2. 2. q. 131. a. 1. Fit autem mortale ratione materiae, ex qua; vel ratione medii, per quod; vel ratione finis, propter quem honor quaeritur, vel ratione damni, quod proximo infertur. — 3.° *Vana gloria,* scilicet cupiditas inanis gloriae, cuius finis est manifestatio inordinata propriae excellentiae, sive verae sive fictae. Est peccatum *per se* veniale. Mortale saepe est *per accidens,* ut modo de ambitione dictum est. Res vero etiam sacras peragere ob vanam gloriam, e. g., concionari, veniale non excedit. S. Th. 2. 2. q. 132. a. 3. 4., q. 162. a. 7., L. 66.

Tribus superbiae filiabus oppositione respondet *pusillanimitas,* qua quis nimium sibi diffidens detrectat honores, gloriam, vel officium, quo dignus est. Veniale est ex genere suo; et fit mortale, si detrectes, ad quod teneris sub mortali. L. 67.

Porro *inanis gloriae,* quam S. Th. vitium capitale constituit, sic *filiae* ab eodem S. D. 2. 2. q. 132. a. 5. assignantur. Ad manifestationem propriae excellentiae dupliciter homo potest tendere: « uno modo *directe* sive per verba, et sic est *iactantia;* sive per facta, et sic, si sint vera habentia aliquam admirationem, est *praesumptio novitatum,* quas homines solent magis admirari; si autem falsa sint, sic est *hypocrisis.* Alio autem modo nititur aliquis manifestare suam excellentiam *indirecte,* ostendendo se non esse alio minorem, et hoc quadrupliciter. Primo quidem quantum ad intellectum, et sic est *pertinacia,* per quam homo nimis innititur suae sententiae, nolens credere sententiae meliori. Secundo quantum ad voluntatem, et sic est *discordia,* dum non vult a propria voluntate discedere, ut aliis concordet. Tertio quantum ad locutionem, et sic est *contentio,* cum alius verbis clamose contra alium litigat. Quarto quantum ad factum et sic est *inobedientia,* dum scilicet aliquis non vult exequi superioris praeceptum ». Et sic convenienter haec vitia filiae inanis gloriae dicuntur. Cf. 2. 2. q. 37. a. 2., q. 38.

Iactantia per se venialis est, si sit de rebus bonis, eaque *per accidens* gravis esse potest. Si vero sit de rebus graviter malis, gravis est; quia approbatio operis eandem cum illo speciem habet, quae proinde in confessione debet exprimi, *saltem quando* cum iactantia de peccato coniuncta fuit complacentia eiusdem. *Saltem quando,* etc., quia, si absque ea fuit, plures tenent non esse necessario explicandam. Quaelibet enim iactantia de peccato mortali, praecisione facta ab ipsius complacentia, eiusdem est

speciei, quod nempe glorietur quis in hoc quod Deum offenderit. — S. Th. 2. 2. q. 112., L. 26. 66. 67., l. 3. n. 426., Lugo de Poenit. D. 16. n. 266. seqq.

Praesumptio novitatum, quae et *ostentatio* dicitur, si ea facta nihil habeant admirationis, *per se* etiam venialis est. Et sic leve est peregrinis indui vestibus, vel se nimium exornare ex animi levitate, vanitate, etc.; grave vero, si tale sit, ut notabiliter mores corrumpat. L. 66. 67.

Hypocrisis, qua quis «non curat sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere... est peccatum mortale... Simulare sanctitatem, a qua deficit per peccatum mortale... non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale», secundum quod contingat adversari vel non caritati. S. Th. 2. 2. q. 111. a. 4. Simulare item improbitatem peccatum est, et potest esse mortale. S. Th. ib. a. 1., L. 66. 67.

Pertinacia. «Pertinax dicitur aliquis, qui est impudenter tenens, quasi omnino tenax». Hinc pertinacia opponitur perseverantiae; nam perseverans persistit in propria sententia, «secundum quod oportet»; pertinax vero in ea perseverat «plus quam oportet». Et ideo peccatum est propter excessum. S. Th. 2. 2. q. 138. a. 2.

Discordia est, dissensio voluntatum circa bonum, quod ex caritate velle *debemus*. Porro, cum aliqua bona possint proximo deberi non solum ex caritate, sed etiam ex iustitia, discordia et dissensio a redditione similium bonorum opponitur tum caritati, tum iustitiae. Discordia peccatum est *per se* ex genere suo mortale. Directe enim caritati repugnat. *Per accidens* vero fieri potest veniale, ex parvitate boni debiti, in cuius redditionem consentire nolumus. Immo aliquando nullum erit peccatum, si oriatur nempe ex iudicio probabili, ex quo unus hoc, alter aliud iudicat ad honorem Dei et proximi utilitatem, et si modus dissentiendi caritati oppositus non sit. — Struggl Tr. 4. q. 5. n. 38., S. Th. 2. 2. q. 37. a. 1.

Contentio est, impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Contentio est peccatum ex genere suo mortale. Ratio, quia veritatem necessariam, aut utilem ad salutem animae, vel etiam corporis, debemus aliis ex caritate velle et communicare; adeoque eam impugnare, et velle expugnare opponitur virtuti caritatis, et est peccatum ex genere-suo mortale. — Struggl Tr. 4. q. 5. n. 39., S. Th. 2. 2. q. 38. a. 1.

Inobedientia, proprie et per se loquendo, seu inobedientia *formalis*, tunc solum habetur, «quando aliquis praeceptum contemnit, quia ex fine morales actus speciem habent. Cum autem facit aliquid contra praeceptum, non propter praecepti contemptum, est inobedientia *materialiter* tantum, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati», secundum varia motiva, v. g., ad speciem furti, homicidii, etc. Inobedientia ergo natura sua peccatum grave est. Non obedire enim praeceptis Dei et Superiorum, caritati contrariatur. S. Th. 2. 2. q. 105. a. 1.

323. *Quid sit avaritia?* — *Avaritia* est: inordinatus appetitus bonorum temporalium. Avaritia prout praecise opponitur virtuti *liberalitatis*, est peccatum ex genere suo solum veniale. Potest tamen tripliciter mortale fieri: 1.° Contra *caritatem sui*, finem ultimum in divitiis constituendo, vel praecepta Dei potius transgrediendo, quam detrimentum pati in bonis temporalibus. 2.° Contra *caritatem proximi*, eum in gravi necessitate constitutum non adiuvando, etc. 3.° Contra *iustitiam*, alienum accipiendo, etc. — S. Th. l. 2. q. 84. a. 1., 2. 2. q. 118., L. 68.

324. *Quaenam sint avaritiae filiae?* — Sunt sequentes: 1.° *Obduratio cordis,* contra misericordiam, egenis et pauperibus non compatiendo, eos obiurgando, debita dure nimis exigendo, quando creditor non est solvendo, etc. Ea aliquando peccari potest mortaliter, quando praeceptum eleemosynae vel caritatis urget, et tamen ex tali duritia non subvenitur. L. 69. — 2. *Inquietudo cordis,* h. e. vehemens et inordinata applicatio mentis ad acquirendas vel conservandas divitias, cum inani et vano timore, ne non acquirantur vel perdantur. Est mortalis, quando retrahit a spiritualibus vel aliis, ad quae ex praecepto gravi obligamur, vel inducit superfluum timorem, et ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis est, si sit de re bona, sed tempore vel loco indebito, v. g., de familia, messe, vindemia, quando quis est in templo, vel vacandum Deo. S. Th. 2. 2. q. 55. a. 6., L. 69. — 3.° *Violentia,* rei nempe alienae per vim usurpatio. Mortalis est, si circa rem gravem, vel gravem inferat vim. L. 69. — 4.° *Fallacia,* sive dolus in verbis; potest esse mortalis, ratione finis vel mediorum. S. Th. 2. 2. q. 55. a. 4., L. 69. — 5.° *Periurium,* si addatur confirmatio iuramenti. — 6.° *Fraus,* sive dolus in facto. Est mortalis ex genere suo; eaque multipliciter in contractibus contingit. S. Th. 2. 2. q. 55. a. 5., L. 69. — 7.° *Proditio,* quae est deceptio contra fidem datam, aut debitam, in damnum alterius. Mortalis est ex genere suo. Contingit fere tripliciter, 1.° circa personas, quo modo Iudas Christum prodidit; 2.° circa res, uti si hosti modum capiendi arcem; vel si pecuniam, vestem, etc., absconditam, praedoni ostendas; 3.° circa secretum, vel sibi commissum revelando, vel alienas epistolas legendo. Quod si sit in re gravi, *per se* mortale est. L. 69. — S. Th. 2. 2. q. 118. a. 8., q. 55. a. 8.

325. *Quid sit luxuria?* — *Luxuria,* quae castitati opponitur, est: inordinatus appetitus rei venereae. Luxuria gravis est ex toto genere suo, *si sit deliberata et directe volita.* Unde parvitatem materiae non admittit. Venereorum enim usus natura sua institutus est ad conservationem generis humani, quod est magnum hominum bonum, et externum Dei; proinde qui eo abutitur, graviter offendit Deum, et laedit humanam societatem. *Si sit deliberata et directe volita;* si enim deliberatio et volitio circa eius causam *tantum* versetur, tunc dari potest hac in re parvitas materiae. — S. Th. 2. 2. q. 153., L. 71. Cf. 37. seqq.

326. *Quaenam sint luxuriae filiae?* — Sunt octo, quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis. — 1.° *Caecitas mentis,* cum quis adeo est addictus turpitudini, ut de caelestibus non cogitet. S. Th. 2. 2. q. 46. — 2.° *Praecipitatio,* qua quis ex eadem causa sine consilio operatur. — 3.° *Inconsideratio,* quando in modo delinquit, inconsiderate agens, quae statum vel personam dedecent. — 4.° *Inconstantia,* quando quis ex eodem affectu voluptatum a piis propositis mox deficit. S. Th. 2. 2. q. 53. — 5.° *Amor sui,* lascivus enim ob voluptates seipsum finem suarum actionum facit, non Deum. — 6.° *Odium Dei;* nam lascivus solet a rebus divinis abhorrere, immo ab ipso Deo, tanquam peccatorum vindice. — 7.° *Affectus praesentis saeculi,* amor enim voluptatum carnalium ita animum afficit, ut subinde etiam beatitudini aeternae paratus esset renuntiare, si praesentibus frui semper permitteretur. — 8.° *Horror futuri saeculi,* quando voluptatibus immersus mortem inordinate timet, et de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare studet, etc. S. Th. 2. 2. q. 153. a. 5. — Priores quatuor sunt mor-

tales, quando aliquod Dei praeceptum graviter obligans praetermittitur. Quod si versatur solum circa materiam luxuriae, peccata specie distincta non sunt, secus vero si alia praecepta violantur. Posteriores quatuor, si plenus sit voluntatis consensus, *per se* sunt mortales et specie distinctae; ex indeliberatione vel alia actuum imperfectione saepe veniales.— L. 71.

327. *Quid sit invidia?* — *Invidia* est tristitia de bono alterius, in quantum est diminutivum gloriae propriae. S. Th. 2. 2. q. 36. a. 1. — Porro quinque modis potest quis de bono alterius tristari: 1.° Cum quis contristatur de bono alterius absolute, quia proximi bonum est; et proprie est odium inimicitiae, vel simpliciter odium seu aversio personae, cui volumus malum, quatenus eius malum est, quod quidem ex genere suo mortale est. 2.° Cum quis contristatur de bono proximi relative, quia ab eo timet aliquod malum et proprie est timor, qui erit licitus, nisi sit inordinatus, e. g., si malum sibi vel aliis timeat inferendum iniuste. 3.° Cum quis contristatur de bono proximi, non quia illud proximus habeat, sed quia eodem ipse careat, et non est invidia, sed *aemulatio* seu *zelus*, qui si est circa bonum honestum est laudabilis, si autem circa bona temporalia interdum est venialis, ut si bonum dolenti sit improportionatum, quale esset, si rusticus doleret, se non esse regem. 4.° Cum quis contristatur de bono alterius, quia talis boni eundem putat indignum; et est *indignatio* seu *abominatio*, quae non est peccatum, erit tamen, et quidem mortale, si vel Dei providentiam arguat, et est blasphemia, vel si ita afficiat, ut ducat homines ad malum imitandum. 5.° Si quis doleat quod alter sibi aequalis, vel non multum inaequalis, in excellentia crescat, ita ut eo fiat superior, et ipsum incrementum excellentiae apprehendat, ut sibi malum; et est proprie dicta *invidia*. Invidus enim dicitur, quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. — Invidia est ex genere suo mortalis, ad Gal. 5., 21. Est enim directe contra caritatem, quae gaudet de bono proximi, quod invidia destructum optat, vel non destructum dolet. S. Th. 2. 2. q. 36., L. 72.

328. *Quaenam sint invidiae filiae?* — Sunt *odium, susurratio, detractio, exultatio* in adversis proximi, et in prosperis *afflictio*. Eae sunt ex genere suo mortales; quippe directe contra caritatem. — *Susurratio,* sermo est, quo sine causa aliquid refertur alicui personae de alia, quod quidem ex se aptum sit ad utriusque amicitiam disrumpendam, quam proinde restituere et reconciliare tenetur. Mortalis est ex genere suo tum contra caritatem, tum contra iustitiam. — S. Th. l. c. a. 4. ad 3., q. 34. a. 6., q. 74., L. 72.

329. *Quid sit gula?* — *Gula* est inordinatus appetitus cibi et potus. Opponitur abstinentiae. Committitur quinque modis, 1.° si edas ante tempus, 2.° si nimis exquisita, 3.° si plus iusto, 4.° si voraciter, 5.° si nimis exquisite. — Gula ex genere suo est peccatum tantum veniale, quia graviter non opponitur caritati Dei vel proximi. Potest tamen mortalis fieri multiplici sub respectu: 1.° Contra *caritatem Dei,* in illa finem suum ultimum et beatitudinem constituendo. 2.° Contra *caritatem suiipsius,* ratione gravis damni animi vel corporis, si quis, e. g., ideo fiat ineptus ad functiones, quas sub mortali tenetur adimplere vel notabiliter noceat sanitati. 3.° Contra *caritatem proximi*, contra *pietatem* et *iustitiam,* uti contingit, cum nobiles uti gulae vacent graviter premunt subditos, dissipant bona familiae necessaria, contrahunt debita, quibus solvendis impares sunt. 4.° Ratione *scandali,*

si clericus, e. g., publice comessationibus et compotationibus indulgeat. 5.° Quando propter gulam quis *transgreditur praecepta Ecclesiae*, e. g., die abstinentiae comedendo carnes, die ieiunii pluries in die ad satietatem comedendo, die dominica propter comessationes sacrum non audiendo. 6.° Ratione *ebrietatis perfectae*, de qua mox dicetur. S. Th. 2. 2. q. 148., L. 73. — E. M.

330. *Resolves:* « Comedere vel bibere usque ad vomitum, probabile est esse tantum veniale ex genere suo, nisi adsit scandalum (nempe grave), vel notabile nocumentum valetudinis, ut communius dicunt... Qui autem sponte evomunt, quod sumpserunt, ut iterum edant et bibant *vix excusantur* a mortali; hoc enim *videtur* involvere magnam deformitatem. Ita *probabiliter* ». L. 73. Et sane alii probabiliter negant, quia ibi non habetur nisi aviditas delectationis in cibis, quae ex genere suo venialis est, nisi alia accedat peccati species. Vix autem dubium est, licere esu aut potu aliterve creare vomitum, si is salubris esse iudicetur. Habet enim tunc rationem medicinae. — Mortale censetur vesci carnibus et sanguine humano; tum quia est contra pietatem defunctis debitam, tum quia est contra naturae instinctum; nisi fiat causa medicinae, vel alia iusta causa, e. g., extremae famis. — Laymann l. 3. S. 4. n. 3., Diana Tr. 5. de Scand. R. 76.

331. *Quaenam sint gulae filiae?* — Sunt sequentes, quae ex genere suo veniales sunt, fiunt vero mortales, cum alteri virtuti graviter opponuntur; videlicet ex parte animae, 1.° *hebetudo mentis* seu stupiditas, nata ex crapula; 2.° *inepta laetitia,* quae movet ad actus turpes; 3.° *multiloquium;* 4.° *scurrilitas* in verbis et gestibus; 5.° ex parte corporis, *immunditia,* vomitus et seminis effusio. S. Th. l. c. a. 6., L. 74.

332. *Quid sit ebrietas?* — « *Ebrietas* est peccatum mortale, quia secundum hoc homo volens et sciens privat se usu rationis, quo secundum virtutem operatur, et peccata declinat; et sic peccat mortaliter periculo peccandi se committens. Unde ebrietas, *per se loquendo,* est peccatum mortale ». S. Th. 2. 2. q. 150. a. 2., 1. 2. q. 88. a. 5. ad 1., ad Gal. 5., 21. Ebrietas opponitur virtuti sobrietatis, cuius officium est mensuram adhibere « circa potum non quemcumque, sed eum, qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut vinum, et omne quod inebriare potest ». S. Th. 2. 2. q. 149. a. 1. Ebrietatis malitia est in *voluntaria* privatione, modo artificiali, innaturali et violento per immoderatum potum inebriantem, usus rationis, non mere negative, ut in somno, sed contrarie per rationis perturbationem. — L. 75.

333. *Resolves:* 1.° Si quis sciens et volens tantam sumit vini potionem, quae apta est ad inebriandum, nullo modo excusatur a mortali, quamvis antequam sensibus destituatur somno se committat, quo vini effectum effugiat: quia potio illa iam est intrinsece mala, cum de se apta iam sit ad privandum hominem usu rationis, et per accidens se habet, quod ipse per somnum sensibus privetur. Neque vero in somno potentiam habet proximam ad usum rationis. L. 78. — 2.° Non peccat mortaliter, qui ex potu vini non amittit totaliter usum rationis, quamvis mens perturbetur, ita tamen ut discernere valeat inter bonum et malum, ut communiter dicunt theologi. Addunt etiam communiter theologi, ebrietatem non esse mortalem, si per modicum tempus privet ratione. Dicit autem La-Croix, longum tempus videri unam horam. — La-Croix l. 5. n. 327., L. 75. 78.

334. *An liceat ad morbum depellendum potum sumere, si ex eo praevideatur secutura ebrietas?* — R. Affirmative probabilius, si potus sumatur ad pravas corrigendas qualitates, tunc enim rationis privatio per accidens et indirecte sequitur, et ideo licite permitti potest. — Si vero potus sumatur ad ebrietatem seu privationem rationis directe procurandam, negant S. Alph. aliique, quia privare se facultate proxima usus rationis est intrinsece malum; affirmant vero Busemb. aliique, innixi praecipue auctoritate S. Th. 1. 2. q. 88. a. 5. ad 1., ubi ait: « Quod enim homo, *absque necessitate,* reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur, et multa peccata occurrentia vitat *ex sola vini voluptate,* expresse virtuti contrariatur ». Nota to *absque necessitate, ex sola vini voluptate.* Ergo, si adsit necessitas, et non ex vini voluptate, virtuti non contrariatur. — Laymann l. 3. S. 4. n. 5., La-Croix l. 5. n. 319., Struggl 25., S. Th. 2. 2. q. 150. a. 2. ad 3., L. 76.

335. *An liceat alicui se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minitatur, nisi inebrietur?* — Prima sententia S. Alph. probabilior negat, quia privare se directe potestate proxima utendi ratione est intrinsece malum. Cum autem hic periculum mortis sit ab extrinseco, immoderatus ille potus usque ad ebrietatem nequit hic haberi tanquam causa producens duos effectus. Quare inebriatio esset directe intenta et volita. Secunda sententia, quam tenent cum Busemb. Less. Pal., et probabilem putant Laymann aliique, affirmat, quia privatio rationis hic non est intenta, sed solum permissa; vini enim excessus assumitur non animo se inebriandi, neque *absque necessitate, ex sola vini voluptate,* quod esset certe intrinsece malum, sed tanquam medium ad mortem fugiendam. — La-Croix l. 5. n. 321., Struggl 25., L. 76.

336. *An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam subeundam?* — Prima sententia, quam tenent S. Alph. 76. aliique, negat, quia in hoc casu directe intenderetur ebrietas, seu rationis privatio, quae intrinsece mala est, tanquam medium dolorem sensuum removendi. Secunda sententia vero affirmat. 1.° Quia privatio usus rationis saltem ad breve tempus, et ex gravi causa, non videtur intrinsece mala. 2.° Quia non directe potatio datur ad privationem rationis causandam, sed ad sensuum soporem; atque adeo ebrietas indirecte sequitur et per accidens; neque enim sensuum sopor provenit ex privatione rationis, sed ex nervorum laxitate et hebetudine. Gur. Baller. 182. — Nullo autem modo damnandus est usus aliorum medicamentorum, quorum virtus primaria est inferre soporem, vel nervos obtorpescere, uti opium et aetheris inspiratio.

337. *An licitum sit aliquem ad ebrietatem inducere, ut ille impediatur a graviori malo, e. g., a sacrilegio vel homicidio committendo?* — Prima sententia affirmat, quia hoc est malum, quod aliter impediri non potest, diminuere. « Plus habet de ratione mali id quod contrariatur rationi, quam quod ad horam usum rationis aufert ». S. Th. 2. 2. q. 150. a. 3. ad 2. Secunda sententia distinguit, et ait licitum esse alterum inducere ad ebrietatem materialem, i. e. quando alter se inebriet sine peccato, puta apponendo illi vinum fortissimum aut medicatum, quia tunc ex una parte ille non peccat, et ex altera damnum ebrietatis permittitur ad vitandum gravius damnum aliorum. Non autem licitum esse dicunt eum inducere ad ebrie-

tatem formalem, nempe cum suo peccato, cum haec sit intrinsece mala, ac ideo nunquam permittenda. Tertia vero sententia neutrum concedit, quia, cum talis neutiquam de vino cogitet, illum est positive inducere ad ebrietatem, adeoque malum. « His tamen non obstantibus, concludit S. Alph. 77., prima sententia satis probabilis videtur mihi, et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis, sive formalis, ob rationem iam allatam, quia licitum est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur a maiori ». Tunc nempe iam non est malum consulere, sed bonum, scilicet electionem minoris mali.

338. *An licitum sit aliquem inebriare, ut secreta patefaciat?* — Haec habet Struggl 25.: « Licet alterum materialiter inebriare... ad elicienda secreta, quae alter tenetur manifestare; si autem hoc fieret ad elicienda secreta, quae alter posset bona conscientia manifestare, non tamen tenetur, ei fieret iniuria, quia est rationabiliter invitus contra talem inebriationem et modum eliciendi secreta. Quod a fortiori verum est, quando alter similia secreta nequit bona conscientia manifestare ». Idem habet La-Croix l. 5. n. 328. 329.

339. *An peccet quis graviter amentem inducens in ebrietatem?* — R. Negative *per se*, quia fatuus, utpote iam usu rationis destitutus, nequit amplius usu rationis privari. *Per se*, quia si fatuus post potum excessivum soleat res turpes efficere, vel in blasphemias erumpere, et id sciat qui ad bibendum eum inducit, graviter hic peccabit contra legem naturalem; quia fatuus eam materialiter violat, cum ei in actu primo subiectus sit. — Elbel 679.-681.

340. *An sint imputabilia mala in ebrietate commissa?* — R. Negative, si praevisa non fuerint saltem in confuso, ut patet. Affirmative, si praevisa fuerint saltem in confuso, *saltem mala operis*, ut iterum patet ex dictis. *Saltem mala operis*, nam *verba* iniuriosa, aut etiam facta contumeliosa probabiliter non sunt imputabilia, si contra homines proferantur, quippe nullam iniuriam et contumeliam ex communi aestimatione inferre censentur. Secus tamen, si contra Deum proferantur, uti blasphemiae, etc., quia vel sola prolatio illa materialis blasphemiarum voluntaria in causa in diminutionem vergit divini honoris. Attamen S. Alph. 78. contrariam Salm. sententiam improbabilem dicere non audet. — Cum autem blasphemia in ebrietate prolata veram in se non habeat blasphemiae naturam, quamvis praevisa fuerit, reservationi et censurae, si forte adsit, non subiicitur. — L. 2. 78., S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4., q. 150. a. 4., Ithur. Cas. 30., Sanch. in Dec. l. 1. c. 16. n. 42. seqq.

341. *Quid sit ira?* — *Ira* est inordinatus appetitus vindictae. Haec inordinatio dupliciter fieri potest: 1.° Ex parte modi irascendi, ut, v. g., si nimium interius exardescas, vel exterius per signa nimis patefacias. — 2.° Ex parte obiecti, ut, si vindictam appetas plane iniustam ob causam, vel si iusto maiorem, v. g., optando inimico mortem, quam non est meritus, vel exsequendam propria auctoritate, vel denique, licet vindicta iusta sit, non tamen eam appetas ut iustam, sed ut satiativam animi tui malevoli. — Si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum irae: ut cum superiores irascuntur culpis subditorum, eosque puniunt, seu vindicant. Ira inordinata, primo modo ante dicto est ex genere suo peccatum veniale, potest tamen

fieri mortale ex accidente, propter violationem alterius virtutis, v. g., religionis, pietatis, caritatis, etc., ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum; tum etiam, si huiusmodi motus animi sit vere vehemens et deliberatus. Ira inordinata secundo modo est ex genere suo mortale; quia est directe contra caritatem et iustitiam, ad Gal. 5., 20. — S. Th. 1. 2. q. 88. a. 5. ad 1., 2. 2. q. 108., 158., L. 79.

342. *Quaenam sint filiae irae?* — Partim sunt ex corde: 1.° *Indignatio,* quae est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet se indigne a tali tractari. Communiter est veniale. Immo si ex iusto rationis iudicio procedat, nullum est. Posset tamen esse mortale, si cresceret usque ad deliberatum odium et contemptum personae gravem. — 2.° *Tumor mentis,* quo quis morose excogitat diversas vias vindictae, iisque cogitationibus animum tumefacit. Quale peccatum sit, iudicandum est ex qualitate vindictae, quae excogitatur. — Partim in ore: 1.° *Clamor,* cum iratus extollit vocem, multa inordinate et confuse effundens. Est veniale communiter, nisi aliud addatur. — 2.° *Blasphemia* contra Deum, et mortale est. — 3.° *Contumelia* contra homines, qua quis proximo malum aliquod obiicit, cum intentione illum inhonorandi. — 4.° *Maledictio,* qua quis optat et imprecatur alteri malum, sub ratione mali. — Partim in opere, ut *Rixae,* Pugnae, Seditiones, Vulnera. « *Rixae,* per quas intelliguntur omnia nocumenta, quae facto proximis inferuntur ex ira ». S. Th. 2. 2. q. 158. a. 7. Rixae, si modum non excedant, uti et leviculae pugnae veniales sunt; secus, si progrediantur ad seditiones, vulnera, caedes. Suntque haec communiter peccata mortalia ex parte incipientis rixam; alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatae tutelae. — L. 80. 83., S. Th. 2. 2. q. 40. 41. 42.

Contumelia. — Ex genere suo mortalis est. Venialis tantum est, si sit parva, vel tantum materialis sine animo dehonorandi, modo non sequatur laesio notabilis honoris proximi. Et sic excusantur saltem a mortali multi parentes, dum filios vocant asinos, etc., item mulieres, pueri, et infimae sortis homines, conviciis se onerantes; quia cum fides iis non habeatur, non laeditur graviter honor. Neque vero peccatum est, si fiat animo corrigendi, humiliandi, aliave ratione. Et sic potest superior verbum aliquod alias contumeliosum obiicere. In quo tamen peccari potest, si modus debitae correctionis excedatur, vel subditus gravius dehonoretur, quam meruit. Itemque, si ioci causa, per convenientem recreationem, leves defectus obiiciantur, urbanitas est, secundum S. Th. 2. 2. q. 72. a. 2., dummodo alter non contristetur, neque ad iram moveatur. — Contumelia etiam fit facto, tum *indirecte,* ut si imaginem vel litteras alterius conculces, comburas, etc., tum *directe,* ut si virum honestum fuste caedas, ad ianuam eius cornua apponas, vel repraesentes aliquid, quod honorem alterius laedat. — Huc spectat *subsannatio, illusio* et *derisio,* quando fit signis ut naso rugato, labiis extensis, etc., intendendo proximi confusionem, quae, si sit gravis, vel saltem proximus ea graviter contristetur, mortalia sunt. — Circa quae nota, quod qui per contumeliam laesit alterius honorem, teneatur hunc restituere, etiamsi fama non sit laesa. Hoc autem fieri potest vel per honorificam et amicam salutationem, vel invitationem ad mensam, vel petitionem veniae, etiam subinde flexis genibus et coram testibus, prout laesio fuit gravis. Variam contumeliae mortalis qualitatem in confessione explicare necessarium non est. — L. 81. 82. Cf. 305.

« *Maledictio,* de qua nunc loquimur est, per quam pronunciatur malum contra aliquem vel imperando vel optando. Velle autem vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat caritati, qua diligimus proximum; et ita secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus magis amare et revereri tenemur... Contingit tamen, verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel *propter parvitatem mali,* quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam *propter affectum eius,* qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ludo, aut *ex subreptione aliqua* talia verba profert, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur ». S. Th. 2. 2. q. 76. a. 3., L. 83.

343. *Quid sit acedia?* — Acedia, sive animi taedium, potest dupliciter usurpari: 1.° Generaliter, pro omni animi remissione in exercitio virtutum, eo quod labor aliquis sit adiunctus. 2.° Particulariter, pro tristitia, et taedio de divina amicitia, eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat; et sic amicitiam illam quis non curet. — Acedia accepta primo modo tum demum est peccatum mortale, quum ideo committitur opus vetitum sub mortali. Acedia accepta secundo modo ex se est mortale, quia repugnat caritati Dei. S. Th. 2. 2. q. 35., L. 84., E. M.

344. *Quaenam sint acediae filiae?* — Sunt sequentes: 1.° *Malitia,* qua quis odio habet bona spiritualia, et vellet ea non esse, aut qua ipsum poenitet bene fecisse vel implevisse id, ad quod tenebatur, aut qua contemnit Dei beneficium, v. g., desiderando non fuisse natum, aut non agnovisse Christum, etc. Est ex genere suo mortale. — 2.° *Pusillanimitas* et *Desperatio* de salute, quae mortale quoque est. — 3.° *Rancor,* quo ii sunt, fastidio, qui ad spiritualia inducunt. — 4.° *Torpor,* cum bona fiunt non cum debito fervore. — 5.° *Evagatio mentis,* qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita, sive per cogitationem, et dicitur curiositas, sive per locutionem, et dicitur verbositas, sive per inquietudinem, et dicitur inquietudo, quae communiter sunt venialia. — S. Th. 2. 2. q. 35., L. 84.

DE PRAECEPTO FIDEI

345. *Quid sit fides, et quomodo distinguatur?* — Fides supernaturalis, de qua hic sermo est, definitur: assensus firmissimus rebus a Deo revelatis propter auctoritatem Dei revelantis. Quare obiectum materiale fidei est omnis et sola veritas a Deo revelata: obiectum formale auctoritas Dei revelantis. S. Th. 2. 2. q. 1. — Fides alia est *formalis,* alia *virtualis. Formalis* habetur, quum quis veritatem a Deo revelatam credit propter auctoritatem Dei revelantis. *Virtualis* habetur, quando fides formalis habita sit, eaque habitualiter perduret, et actu influat in alium virtutis actum, ut, e. g., quando quis, quin actu eliciat actum fidei, actum elicit supernaturalis caritatis et contritionis. — Fides item alia est *explicita,* alia *implicita.* Fides *explicita* illa est, qua aliquis fidei articulus creditur in se, sub propriis ac particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur,

v. g., qui credit Deum unum in natura et trinum in personis, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, habet fidem explicitam Trinitatis. Fides vero *implicita* illa est, qua aliquid creditur non in se, sed in alio in quo illud aliquo modo continetur, v. g., qui credit in Christum Deum, hominem; eo ipso implicite credit in duplicem eius voluntatem, etsi eam ignoret. — L. 2., S. Th. 2. 2. q. 1. a. 1.-7., q. 2. a. 1. 2. 9. 10., q. 4., E. M.

346. *Quaenam sint peccata et vitia fidei opposita?* — *Fidei* opponitur *infidelitas,* quae triplex est: *negativa, privativa, positiva.* Prima est carentia fidei in eo, qui nunquam de vera religione quidquam audivit. Altera est carentia fidei in eo, qui sibi notitiam fidei data occasione comparare negligit. Tertia est carentia fidei in eo, cui sufficienter ipsa proposita est, et qui eam positive respuit. — Licet infidelitas *negativa,* ut patet, peccatum non sit, est tamen poena peccati; quia si ille fecisset quod in ipso erat, Deus fidem ei non abscondisset. Infidelitas autem *privativa* et *positiva* gravissimum peccatum est: ratio est, quia illa virtualiter, haec vero formaliter continet gravem contemptum et iniuriam auctoritatis Dei revelantis. Fides praeterea est initium, fundamentum et radix iustificationis. Trid. S. 6. C. 8. Ergo, qui se voluntarie privat fide, se privat pariter iustificatione, adeoque quam maxime peccat. — Fidei opponitur etiam *haeresis,* quae duplex est: *formalis* et *materialis.* Prima est error *voluntarius* ac *pertinax* contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui fidem recepit. Altera vero ea est, qua quis errori adhaeret, sed sine pertinacia. Porro pertinaciter errare hic non est acriter et mordicus suum errorem tueri, sed est eum scienter et voluntarie retinere, postquam contrarium est sufficienter propositum; vel quando scitur contrarium teneri ab universali Christi in terris Ecclesia, cui suum iudicium quis praeferat: sive id fiat ex vana gloria, sive libidine contradicendi, aliave causa. Haeresis mere *materialis* peccatum non est; ille enim error procedit ex ignorantia invincibili veritatis. At haeresis *formalis* gravissimum peccatum est, sicut ipsa infidelitas propter easdem rationes. — Ad haeresim *apostasia* revocatur, a qua tantum differt, quod haeresis sit error fidei ex parte tantum contrarius; *apostasia* vero ex toto; est enim totalis defectio a veritate fidei christianae. De ea igitur sicut de haeresi diiudicandum erit.

Haeretici sunt Episcopo vel Inquisitori denuntiandi ex C. *Noveritis* Nicolai III. et ex naturali lege, cum tale crimen in commune vergat damnum. L. l. 4. n. 249. seqq., l. 7. n. 248. Episcopus autem facultatem habet procedendi in causa haeresis etiam contra regulares, licet exemptos, C. 9. *de Haeret.* — Qui ab haeresi voluerint ad catholicam Ecclesiam converti ante absolutionem debent suam haeresim abiurare et publicam fidei professionem facere, secundum quod praescribitur C. *Si qui voluerint* 8. cau. 1. q. 7. et Rit. Rom. — Struggl q. 2. n. 1. 9., Suarez D. 16. S. 1., Lugo D. 16. n. 291. seqq., D. 18. n. 3. seqq., S. Th. 2. 2. q. 10. 11. 12., L. 17. seqq., Collectan. S. C. de P. F. n. 1682. 1683. 1689., E. M.

347. *An sit haereticus formalis, qui dubitat de aliquo fidei articulo?* — R. Affirmative, si positive dubitet, *iudicando* incertam esse veritatem, quam scit esse a Deo revelatam et ab Ecclesia propositam; voluntarie enim contradicit fidei sufficienter propositae; adeoque error vere habetur voluntarius et pertinax contra aliquam fidei veritatem, quae definitio est

haereseos formalis. — Negative, si negative se habeat, atque *suspendat* assensum, sive id fiat ex formali aut virtuali contemptu divinae revelationis, sive id fiat ex negligentia, aut quia vult mentem ad alia divertere, etc. Ratio est, quia cum nihil affirmet contra infallibilitatem fidei, ut supponitur, non errat positive in fide adeoque haereticus non est; licet contra fidem graviter peccet, vel ex contemptu verbi Dei, vel ex negligentia actum fidei praeceptum omittendo. — Struggl q. 2. n. 12. 13.

348. *An fides sit necessaria? — Actus internus fidei omnibus adultis, ratione utentibus, ad iustificationem necessarius est necessitate medii.* Nam, ut ait Apost. ad Heb. 11., 16., *sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. — Necessitate medii.* Quia fides positive influit in iustificationem, eaque inculpabiliter etiam non habita, iustificatio et salus obtineri non potest. — L. 1., S. Th. 2. 2. q. 2. a. 3. 5., E. M.

349. *Quaenam sint necessitate medii credenda? — Duo sunt certo de necessitate medii explicite credenda,* 1.° *quod Deus sit;* 2.° *quod remunerator sit.* Constat ex eodem textu Pauli modo cit. et ex pr. 22.ª 23.ª dd. ab Innoc. XI. — E. M.

350. *An etiam de necessitate medii credenda sint explicite mysteria Trinitatis et Incarnationis?* — Duplex adest sententia probabilis: altera affirmat, altera negat. Ratio prioris est, quia Incarnatio obiectum est maxime necessarium ex parte medii nostrae salutis, Trinitas maxime necessarium ex parte finis; adeoque utrumque maxime credendum. Ratio posterioris est: nullum adest et rationis argumentum, et positivum documentum, unde ista necessitas erui possit. Priori sententiae favet, maxime pro praxi, Resp. S. O. 25. Ian. 1703. Struggl q. 1. n. 21., L. 2., S. Th. 2. 2. q. 2. a. 7. 8., E. M.

351. *An possit absolvi qui ea ignorat, quae sunt certo de necessitate medii?* — R. Negative, nec licite nec valide. Ratio est, quia ille, ex defectu medii necessarii simpliciter, est incapax iustificationis; ergo etiam est incapax absolutionis. Aliunde nemo potest habere spem salutis, quin Deum remuneratorem credat.

352. *An possit absolvi ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis?* — Non potest *licite,* extra *casum necessitatis,* v. g., periculum mortis, quia confessarius, talem absolvens, sacramentum periculo nullitatis exponit. — Probabiliter potest absolvi *valide,* si versatur in ignorantia invincibili. Ratio est ipsa probabilitas sententiae negantis necessitatem medii pro talibus mysteriis.

353. *An actus internus fidei sit etiam adultis necessarius necessitate praecepti quandoque in vita?* — R. Affirmative. Prob. 1.° ex 1. Joann. 3. 23.: *Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius, Jesu Christi.* 2.° Ex pr. 1.ª d. ab Alex. VII., et ex pr. 17.ª 65.ª dd. ab Innoc. XI., E. M.

354. *Quandonam obliget praeceptum fidei?* — Fidei praeceptum urget *per se* et *ratione sui:* 1.° Post usum rationis completum, ad incipiendam vitam christianam. S. Th. 1. 2. q. 89. a. 6., aliique, alii tamen negant. 2.° Quando infideli seu haeretico adulto fidei nostrae veritas sufficienter proposita est. 3.° In articulo mortis, iuxta quosdam, ad proximius ten-

dendum ad Deum. 4.° Saepius in vita, saltem iuxta plures semel in anno, iuxta multos alios unoquoque bimestri, trimestri vel etiam semestri; et iuxta nonnullos singulis mensibus. — Urget vero *per accidens:* 1.° Urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequit, et tunc obligatio exoritur ex ipso praecepto fidei, si de tentationibus contra fidem agatur, secus vero si de aliis tentationibus. 2.° Ratione alterius praecepti, quando, e. g., ponendus est actus contritionis in confessione, qui cum ex fide procedere debeat, sine aliquo fidei actu, saltem virtuali, et implicito, circa proprium suum obiectum aut motivum esse nequeat. 3.° Post lapsum in haeresim, aut fidem negatam, et semper ac exterior fidei professio facienda est. — Struggl q. 1. n. 30. 33.-35. 46., Suarez D. 14. S. 2., L. 5.-8. 11. 20., E. M.

355. *Nota:* 1.° Haec habet Mazzotta de Virt. Theol. C. 1. § 1.: « Quilibet *in primo instanti morali* usus rationis, *si sit sufficienter instructus, et ad hanc obligationem advertat,* tenetur ex praecepto divino hos actus elicere,... ita ut, *si notabili tempore differt,* graviter peccet contra hoc praeceptum ». — 2.° In illis, qui veritates fide tenendas iam didicerunt et crediderunt, generatim sufficiunt actus fidei virtualis, et implicitae. Quare sufficienter hoc praeceptum adimpletur exercendo alios religionis actus. Hinc praecepto satisfacit, qui devote audit missam, adorat Crucifixum, orat, crucis signum format, sacramenta recipit. — 3.° Fide saltem generali et implicita necesse est credere omnia a Deo revelata; nempe necessarium est, ut generatim credantur ea omnia, quae a Deo revelata sunt, et per Ecclesiam proposita. Id enim exigit Dei revelantis auctoritas. — Struggl q. 1. n. 35., L. 7., S. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. 6., Bened. XIV. C. *Etsi minime* 7. Febr. 1742. § 18.

356. *Quaenam sint explicite credenda necessitate praecepti?* — « Explicite de necessitate praecepti debent sciri, et credi, saltem in substantia: 1.° Symbolum Apostolorum. 2.° Oratio dominicalis, et Salutatio angelica. 3.° Praecepta Decalogi, et Ecclesiae. 4.° Sacramenta, quae cuilibet sunt necessaria, ut baptismus, eucharistia, et poenitentia; ceterorum enim sufficit habere fidem implicitam, cum explicita sit tantum necessaria illis qui ea suscipiunt ». L. H. A. Tr. 4. n. 3. Prob. ex praxi communi, et communi thth. auctoritate. Ratio, quia haec continent substantialia capita et fundamenta Religionis, quam quis debet profiteri; et praecepta necessaria, secundum quae vivere debet. — E. M.

357. *Nota: Quoad Symbolum.* Suarez et Lugo putant non improbabilem sententiam, negantem necessitatem credendi explicite *perpetuam* B. Mariae virginitatem. — Licet *Passio Christi* explicite credenda sit sub gravi, illa tamen circumstantia, *sub Pontio Pilato* ad fidem explicite tenendam non pertinet. — *Crucifixus,* probabilius crucifixio, genus mortis exprimens, explicite est credenda: sic enim 1: Cor. 1., 23., *Praedicamus Christum Crucifixum.* Et sane hoc genus mortis Ecclesia fidelibus constanter praedicat. — *Sepultura* vero *Christi* explicite credenda est, sed probabilius sub levi tantum, quia est circumstantia levis. Lugo. D. 12. n. 21. — *Descendit ad inferos,* probabilius hoc non est explicite credendum sub gravi, imo nec sub levi, iuxta Suarez, quia a fidelibus non facile intelligitur. Sed contradicit Lugo ib. — Licet vero *Resurrectio a mortuis* sub gravi explicite credenda sit, quia substantialis res est, ut constat ex Paulo 1. ad Cor. 15.; illa tamen temporis circumstantia, *tertia die,* non est expli-

cite credenda. — *Sedet ad dexteram Patris,* probabiliter, iuxta plures, hoc non est credendum explicite, quia a fidelibus difficile intelligitur; alii autem affirmant esse credendum explicite, quoad honorem, potestatem, dominiumque supremum. — *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos;* haec verba *vivos et mortuos,* iuxta Lugo, non sunt explicite credenda, ob varietatem explicationum. — *Credo in Spiritum Sanctum,* processio a Patre Filioque non est credenda explicite, necessitate praecepti, a singulis fidelibus, etsi de fide sit. Multa enim de fide non ab omnibus sciri debent. — *Sanctam Ecclesiam Catholicam;* de Ecclesia sciri et credi debent tria, scilicet quod sit: 1.° unica in terris sub uno capite visibili; 2.° gubernata et conservata Spiritus Sancti assistentia; 3.° infallibilis in rebus fidei et morum, et ab omnibus audienda. Hoc tamen ultimum, licet certum et de fide, in Symbolo explicite non continetur. Quoad eius *sanctitatem* sufficit scire et credere esse sanctam ob caput, doctrinam, sacramenta, et Sanctos canonizatos, quia de ceteris diversi diverse sentiunt. Quoad eius autem *catholicitatem,* sufficit illi profiteri obedientiam in persona capitis sui visibilis. — *Communionem Sanctorum,* utrum credenda explicite, et quoad aliquam communicationem orationum tantum, an tantum implicite in unitatem Ecclesiae; utrum sub gravi, an sub levi non conveniunt dd.; quidquid sit, in praxi omnes videntur sufficienter illam cognoscere, cum saepe dicant, *ora pro me,* sanctosque frequenter invocent. — Trid. S. 4., S. 6. c. 9. 12.-15., Lugo D. 13. n. 65. 75. 82. 85. 87. 112., Suarez D. 13. S. 2. 4., S. Th. 2. 2. q. 1. a. 8. 9., E. M.

358. *Quoad Decalogum.* Credendus est explicite, quia praecepta Decalogi sunt revelata, ut ab omnibus serventur: porro quod revelatum est, *fide divina* est credendum; et quod revelatum est ad dirigendos actus singulorum, est ab omnibus explicite sciendum. Contradicunt tamen plures, quia alio modo, ac per revelationem, eiusmodi praecepta nosci possunt.

359. *Quoad Praecepta Ecclesiae.* Haec non sunt credenda fide divina, quia a Deo non sunt revelata, saltem quatenus praecepta Ecclesiae. Illud tantum credendum est, quod Ecclesiae praecepta condendi ex auctoritate divina ius habeat. Debent autem sciri ab omnibus praecipua Ecclesiae praecepta, quorum observatio ad omnes fideles pertinet: nempe praeceptum festa colendi, missamque in iis audiendi, praeceptum confessionis annuae, communionis paschalis, ieiunii et abstinentiae. Ad obligationem praecepta noscendi revocatur etiam, quod singuli officia proprii status seu conditionis nosse necessario debent.

360. *Quoad Eucharistiam.* Omnes scire et credere debent realem in ea Christi praesentiam. Item explicite credendum est, iuxta communem sententiam, quod Christus sit totus in singulis speciebus, et probabilius etiam, quod in sacrificium offeratur, cum omnes debeant missae sacrificio assistere. Non vero probabilius explicite credenda transubstantiatio. — Lugo D. 13. n. 121.

361. *Quoad Orationem Dominicam.* Omnes scire debent sub gravi, Deum esse orandum cum spe et fiducia, et ab eo petenda esse omnia bona tum animae, tum corporis, et gratias ad animae mala effugienda. Creditur in ea Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans. Datur item obli-

gatio, saltem sub levi, illam aliquando recitandi, iuxta communem sententiam. — Lugo D. 13. n. 133., Suarez D. 13. S. 4. n. 12., L. 3.

362. *An praedicta sint memoriter scienda?* — *Non omnes tenentur sub mortali praedicta scire memoriter, aut eo ordine, aut iis verbis quibus proponuntur, sed sufficit ea scire crasso modo, et quoad substantiam.* Consuetudo enim obligationem memoriter ea addiscendi exposuit non esse ultra veniale; uti nec est ultra veniale nescire facere crucem; ita Sanch. contra Sylv., qui docet esse mortale. Ac *quoad salutationem angelicam,* P. Gury 204., aliique, non nisi ex decentia eam sciendam et recitandam affirmant. — Suarez D. 13. S. 5. n. 8., de Relig. T. 2. l. 3. de Orat. c. 6. n. 8. seqq., L. 3.

363. *An possint absolvi qui ignorant ea quae necessitate praecepti et sub mortali scienda sunt?* — R. Affirmative, quia licet peccaverint omittendo discere, possunt tamen de hoc dolere, cum proposito discendi. — Parochus vero suas oves, sicut parens liberos, tenetur sub mortali per se, vel per alium, docere ea saltem, quae sub mortali scire tenentur. — L. 3.

364. *An detur praeceptum etiam actus externi fidei?* — *Quoad actum externum fidei, datur praeceptum negativum, prohibens veram fidem negare, falsamve profiteri. Datur item praeceptum affirmativum, obligans aliquando ad fidem etiam cum vitae periculo confitendam.* — Prob. 1.ª p. Veram fidem negare, vel falsam profiteri, est Deum et Christum negare. Atqui Christus ait: *Qui negaverit me coram hominibus negabo et eum coram Patre meo, qui in Caelis est.* Matth. 10., 33. — Prob. 2.ª p. Nam ordinata caritas, quam Deo et proximo debemus, exigit ut, cum Dei honor et proximi spiritualis utilitas *privative* vel *contrarie* subtraheretur, ad fidem profitendam, bona temporalia et vitam etiam aliquando spernamus. S. Th. 2. 2. q. 3. a. 1. 2. — *Privative,* ut si ideo cessaret magnus honor in Deum et magna utilitas in proximum. *Contrarie,* ut si alioqui Deus afficeretur iniuria, vel proximus gravi malo, v. g., si inde penderet aliorum conversio vel perversio, contemptus religionis, scandalum. — Suarez D. 4. S. 2., L. 10., Laymann c. 11. n. 2., S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2., Collectan. S. C. de P. F. n. 1647. 1648. 1653. 1657. 1683. 1827.

Positivo iure ad fidei professionem tenentur baptizandi omnes, sive per se, sive per patrinos; haeretici conversi; episcopi ante consecrationem, et ante expeditionem litterarum propriae provisionis, Trid. S. 25. C. 2. de R., Sixt. V. C. *Romanus,* Gregor. XIV. C. *Onus Apostolicae;* praelati omnes regulares, Pius IV. C. *Iniunctum nobis,* id. Nov. 1564., haec tamen Const. usu recepta non est quoad eos praelatos regulares, qui a S. Sede immediate non praeficiuntur regimini, sed vel a capitulo, vel a superiore maiori, Thesaurus de Poenis c. 1. v. *Fides;* habituri beneficia ecclesiastica, et qui in synodo dioecesana convenire debent, Trid. l. c.; itemque provisi de beneficio cum cura animarum, intra duos menses ab adepta possessione, coram episcopo vel eius vicario generali, secus non faciunt fructus suos; canonici cathedralis ecclesiae, qui etiam in capitulo id facere tenentur; secus nec ipsi faciunt fructus suos, etsi distributiones lucrari valeant pro eorum chori adsistentia, S. C. C. 1726., Trid. S. 24. C. 12. de R.; promovendi in gradus scholasticos doctoris, magistri, etc. Pius IV. C. *In Sacrosancta,* 3. Nov. 1564. § V. Doctores vero et Magistri Universitatum initio cuiuslibet

anni solemne iuramentum emittere debent, quo ad orthodoxam doctrinam tradendam obstringuntur, Trid. S. 25. C. 2. de R. — Fidei professio facienda omnino est forma proposita a Pio IV. C. *Iniunctum nobis*. Addenda autem pauca sunt, uti ratio habeatur etiam decretorum Conc. Vaticani, S. C. C. 20.Ian.1877. Aliter facta non proderit ad canonicas poenas vitandas, contra eos latas, qui hanc professionem omittant. — Conc. Rom. Bened. XIII. Tit. 1. C. 1., Bened. XIV. Inst. 60., Ferrar. v. *Fidei Professio*, L. 41., Collectan. cit. n. 1670., E. M.

Confessioni fidei blasphemia opponitur. De ea sermo erit in secundo Decalogi praecepto. S. Th. 2. 2. q. 13.

365. *Resolves:* — 1.° Qui rogatus, *privata auctoritate*, vel tacet, vel respondet obscure, vel ait se nolle respondere, se non rogari iure, non teneri se nec velle aliis dicere quid ipse credat, ac simili modo tergiversatur, nisi aliud expostulent rerum adiuncta, non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Unde, si sic potest molesta inquisitione liberari, licet. *Privata auctoritate;* quoad enim *publicam potestatem*, regulariter non licet. Cf. pr. 18. d. ab Innoc. XI., S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2., Suarez D. 14. S. 3., Lugo D. 14. n. 37. 39. — Non negat fidem, sed ostendit, qui fugit; quod etsi liceat, non tamen Pastori, tunc cum oves eius opera indigent; uti contra, si eis consultius est ut ad tempus se subducat, et in bonum earum reservet, tenetur fugere. Lugo D. 14. n. 42. 43. 96. — Cum non rogaris de fide, non solum licet, sed saepe melius est, ad Dei honorem et utilitatem proximi, tegere fidem, quam fateri: ut si veniens inter haereticos plus boni facias; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. g., turbatio, neces, exacerbatio tyranni, periculum defectionis, si torquereris. Unde temerarium plerumque est offerre se ultro. Struggl q. 1. n. 41.

2.° Non peccat contra fidem, qui templa haereticorum vel infidelium ex mera curiositate visitat, secluso scandalo, perversionis periculo, aut mandato, quod hoc prohibeat. Item, qui interest convivio nuptiali aut sepulturae haereticorum, quia haec proprie ad fidem non spectant, et praefatae adunationes ut mere civiles habentur. Non peccat item contra fidem, qui per loca haereticorum transiens, timore periculi gravis, carnes comedit die vetito, ne catholicus agnoscatur, quia hoc per se non est signum haereseos; secus autem, si carnes manducaret etiam metu mortis, ad id in odium fidei impulsus. — Collectan. S. C. de P. F. n. 1829. 1833. 1843. 1855., Struggl q. 1. n. 44. 45., Lugo D. 14. n. 156. seqq.

3.° Licet uti signis aut vestibus infidelium, si sint vestes aut signa propria alicuius regionis et distinctiva *gentis a gente*, licet regio haec tota sit infidelis, quia haec ad religionem per se non referuntur. Probabilius adhuc licet, gravi tamen de causa, si vestes sint distinctivae *sectae a secta*, quia tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam. Hinc licet missionario ad se occultandum indui vestibus ministrorum falsae religionis, ita ut unus ex ipsis appareat. Gur. Cas. 196., L. 15., Struggl l. c. n. 43., Lugo D. 14, n. 70.-97. Secus autem, si vestes aut signa, sint *protestativa falsae religionis*, ut sunt vestes et ornamenta quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur. Hinc neque licet incensio thuris, genuflexio coram idolo, sumptio coenae haereticae, etc., etsi externe tantum haec fiant. — Collectan. cit. n. 1640. 1649. 1650. 1651. 1663.

4.° Catholici viventes inter haereticos, si ex praecepto magistratus contrahant matrimonium coram ministro haeretico, peccant contra fidem, etiamsi contraxerint ante, vel contracturi sint postea coram sacerdote catholico; testatur enim contrahens caeremonia illa, se illum agnoscere verae fidei ministrum; quod est intrinsece malum, quia auctoritas ministri et consequenter doctrina eius augetur, et concurritur ad ritus haereticos, quos minister isto actu exercet. Licite tamen contrahunt coram magistratu civili, vel potius testantur se contraxisse; modo prius, vel posterius ritu catholico contrahant. Quia haec actio est instituta ad finem politicum, ut coniuges habeantur, et proles non censeantur illegitimae. — Bened. XIV. C. *Ex quo singulari* 1742., L. 12. seqq. 18., Lugo D. 14. n. 156. seqq., E. M.

366. *Qualis communicatio fidelibus sit prohibita cum Iudaeis?* — « Fidelibus praeter communicationem in rebus Religionis et matrimonii, cum Iudaeis est prohibitum, 1.° habitare; 2.° eorum medicis aut medicina uti; 3.° ex condicto et societate, convivio aut eodem balneo interesse; 4.° in domibus eorum agere famulum, aut nutricem; 5.° illis in testamento legata relinquere; 6.° eis publica officia inter christianos committere. Ita ex Iur. Can.... — Porro finis harum prohibitionum est partim dignitas Religionis Christianae, partim periculum subversionis. Quando igitur aliqua communicatio ex recensitis huic fini graviter opponitur, illa est peccatum mortale; quando vero solum leviter, illa est peccatum veniale. — Praeterea propter necessitatem aliamque rationabilem causam potest contingere, ut aliqua communicatio cum Iudaeis neque sit venialiter peccaminosa », Struggl q. 2. n. 5., La-Croix l. 3. n. 89., consuetudine praesertim interveniente, quae hodie ferme ubique obtinet, Scav. l. 2. n. 809. — C. *Nullus*, C. *Omnes* caus. 28. q. 1., C. *Iudaei de Iud. Sarac.* etc., L. 18., E. M.

367. *Qualis communicatio prohibita sit cum haereticis?* — 1.° Communicatio simpliciter prohibita est cum haereticis, si sint excommunicati *vitandi.* 2.° Communicatio prohibetur cum ipsis *in divinis*, communicando nempe in eorum ritibus, propriis sectae haereticae, minime vero communicando cum ipsis in nostris ritibus, si sint tolerati, audiendo, e. g., missam in ecclesia cum haeretico. 3.° Communicatio prohibetur cum ipsis etiam *in civilibus*, licet sint tolerati, semper ac inde scandalum et perversionis periculum habeatur. 4.° Laicis speciatim prohibitum est publice vel privatim cum haereticis disputare. C. *Quicumque* 2. § 1. *de Haeret.* in 6.° — Struggl q. 2. n. 32. 33., Lugo D. 22. n. 1. seqq., Suarez D. 20. S. 1., D. 21. S. 3. n. 4., S. Th. 2. 2. q. 10. a. 7., Quodl. 10. a. 15., E. M.

368. *Qualis communicatio fidelibus sit prohibita cum paganis?* — « Iure tam divino positivo, quam ecclesiastico, sub peccato mortali prohibita est communicatio 1.° in iis rebus, quae pertinent ad Religionem, e. g., in eorum dogmatibus, caeremoniis et ritibus... Ratio... quia taliter communicans utitur signis, et exercet actiones, quae per se significant professionem falsae Religionis, adeoque saltem externe abnegat veram fidem. — 2.° Iure pariter divino et ecclesiastico, prohibitum est fidelibus inire matrimonium cum paganis, immo etiam cum Iudaeis. C. *Cave* 28. q. 1.... — 3.° E contra in actionibus civilibus nullo iure fide-

libus est prohibitum communicare cum paganis, quando abest periculum perversionis ». Struggl q. 2. n. 4., 1. ad Cor. 10., 27. — S. Th. 2. 2. q. 10. a. 9. 10., E. M.

369. *Nota:* « Principes christiani possunt permittere iudaeis, et paganis, aut haereticis libertatem conscientiae tantum ob bonum Religionis, et ob spem conversionis; non autem ob temporale emolumentum... Bene autem potest Ecclesia, et quicumque Princeps supremus compellere iudaeos et paganos subditos *ad audiendam* fidem nostram ». L. 18., S. Th, 2. 2. q. 10. a. 8. 10. 11. q. 12. a. 2., E. M.

DE PRAECEPTO SPEI

---

370. *Quid sit spes?* — Spes actus voluntatis est, quo amore concupiscentiae Deum et divina prae omnibus aliis concupiscibilibus nobis concupiscimus, et quo ex virtute Dei auxiliatrice et fidelitate in promissis futuram beatitudinem et media ad illam consequendam certo expectamus. Hinc obiectum *materiale* spei primarium est Deus et aeterna beatitudo, secundarium vero divinum gratiae auxilium, et bona opera nostra. Obiectum *formale* spei, secundum varios eius actus seu formalitates, est bonitas Dei respectiva, virtus Dei auxiliatrix, fidelitas Dei in promissis. « Spes, ait S. Th. 2. 2. q. 17. a. 6. ad 3. et a. 8., facit tendere in Deum sicut in quoddam bonum finale adipiscendum, et sicut in quoddam adiutorium efficax ad subveniendum ». — Trid. S. 6. c. 31., Struggl q. 3. n. 1. 2. 3., q. 4. n. 2., Theol. Wirceb. n. 233. seqq., Laymann l. 2. Tr. 2. C. 1. n. 6., S. Th. 3. D. 26. q. 1. 2., de Virtut. q. 7. un. de Spe a. 1. 3., 2. 2. q. 17. q. 18. a. 4., L. 20. 21., E. M.

371. *Quaenam sint peccata et vitia spei opposita?* — Ratione primi actus, spei opponitur *odium Dei,* quo quis Deum abominatur, tanquam sibi infestum propter vindictam peccatorum, vel quo quis a Deo, aeterna beatitudine, avertitur, et vult in re alia, quam in Deo, ponere suam felicitatem. Hinc etiam mortale peccatum est, spei oppositum, *amare magis amore concupiscentiae terrena,* quam caelestia; v. g., si quis ita comparatus sit, ut desideret perpetuo degere in hac vita, et Deo relinquere caelum, si sibi relinquat terram. — Ratione alterius actus, spei opponitur *desperatio* et *praesumptio.* Prior est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem et media ad eam assequendam necessaria. Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendae sine mediis a Deo ordinatis. Praesumptio praecipue committitur, 1.° si praesumas vitam aeternam propriis naturae viribus obtinere; 2.° si eam exspectes sine poenitentia, sine labore, ex sola Dei misericordia. — Struggl q. 3. n. 11. 14.-16., Suarez D. 1. S. 2. 3., D. 2. S. 3., S. Th. 2. 2. q. 20. q. 21., L. 20. 21.

372. *An detur parvitas materiae in peccatis contra spem?* — R. Negative quoad praedictum *Dei odium* et *creaturarum amorem,* si actus sit perfectus, ut per se patet. — Negative quoad *desperationèm,* si sit perfeta et proprie talis; est enim maxime iniuriosa Misericordiae divinae. Secus

vero, si sit imperfecta et improprie talis, ut saepe in tristitia et impatientia accidit. Notandum autem hic est, quod animae etiam devotae tentationibus disperationis prope continuis nonnunquam exagitantur. Haud quidem facile credendum est eas peccasse graviter, quamvis putent se illis consensum praebuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est. — Affirmative quoad *praesumptionem*, etsi gravis sit ex genere suo. Bonac. apud La-Croix 128. docet, eum tantum venialiter peccare, qui ex praesumptione de bonitate Dei peccaret venialiter, aut in sequentem diem differret agere poenitentiam circa peccatum mortale. — Suarez D. 2. S. 3., S. Th. 2. 2. q. 20 a. 1. 3., L. 20.

373. *An sit peccatum contra spem ex taedio mortem exoptare?* — R. Negative *per se*, quia non est recedere a Deo tanquam a fine ultimo; neque generatim est grave peccatum, sed tantum veniale, nisi adsit expressa rebellio contra ordinem divinae Providentiae. — Cf. 386.

374. *An sit praesumptio peccare sub spe veniae, vel perseverare in peccato ex eadem spe veniae?* — « Dicendum quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae ad praesumptionem pertinet, et hoc non diminuit, sed auget peccatum ». S. Th. 2. 2. q. 21. a. 2. ad 3. Idem dicito de eo, qui peccat vel auget peccata, vel in peccato perseverat ex spe veniae, tanquam ex motivo sive ratione peccandi; quia nempe Deus peccatis ignoscit, vel tam facile decem quam quinque peccatis, nunc vel in fine vitae. — Non est autem praesumptio peccare ex passione et fragilitate *cum spe veniae*, quandoque percipiendae et proposito poenitendi, et ita peccatorum remissionem obtinendi; etsi actus iste spei, sive sit praevius, sive sit concomitans, removeat maiorem timorem peccati, et sit *per accidens* occasio liberius peccandi. Immo « hoc, peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum ». S. Th. l. c. Et sane « dum quis actu vult peccare vel actu peccat, bonum est sperare veniam peccati et proponere postea poenitere ». Struggl q. 3. n. 17., La-Croix 126., L. 21.

375. *An sit praesumptio committere pluries idem peccatum, quia tam facile pluries quam semel commissum accusatur?* — R. Negative. Ratio est, quia tunc quis non peccat ex facilitate veniae obtinendae, sed ex facilitate confitendi, quamvis haec omnino prava sit dispositio. La-Croix 127.

376. *An spes sit necessaria?* — *Spes in adultis requiritur de necessitate medii ad salutem.* Homo enim ad Deum finem suum ultimum consequendum pervenire nequit, nisi propriis actibus in ipsum tendat: hoc autem sine spe fieri non potest. Spe indigent iusti, ut possint gratiam ad perseverandum postulare. Spe indigent peccatores, ut ad iustificationem disponantur. Constat etiam ex Trid. Sess. 6. C. 6. 13. — *Spes necessaria est etiam necessitate praecepti.* Siquidem datur verum praeceptum eliciendi actus spei aliquoties in vita. Constat ex pr. 1.ª d. ab Alex. VII. — *Quandonam* et *quonam modo* urgeat praeceptum spei iisdem regulis determinandum est, quas supra de fide statuimus. Cf. 354. Ceterum, ut pro praecepto fidei, ita pro praecepto spei nulla practice habenda est anxietas. Nam ad illud implendum spes sufficit virtualis, orando, sacramenta recipiendo, alia pia opera exercendo. Qui vero desunt, cum id ordinarie fiat sine

advertentia, nullam quoad praeteritum perturbationem habere debent. — Suarez D. 2. S. 1. n. 3., Struggl q. 3. n. 7. seqq., S. Th. 2. 2. q. 22. a. 1., L. 20., E. M.

DE PRAECEPTO CARITATIS

I. — DE CARITATIS NECESSITATE

377. *Quid sit caritas?* — Caritas actus voluntatis est, quo Deum tanquam summum bonum amore benevolentiae et amicitiae diligimus propter seipsum, et proximum propter Deum. Quare obiectum *materiale* primarium caritatis est Deus, secundarium proximus. Obiectum autem *formale,* bonitas Dei absoluta. — S. Th. 2. 2. q. 23. 25. 27., L. 22. 23., E. M.

378. *An detur speciale caritatis Dei praeceptum?* — R. Affirmative. Prob. Matth. 22., 37.: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... hoc est maximum et primum mandatum.* Idem evincitur ex pr. 1.ª d. ab Alex. VIII. Caritatis praeceptum, ut patet ex allato SS. textu, nos obligat ad Deum super omnia amandum, haud quidem *intensive,* etsi hoc maxime deceat, sed *appretiative,* ita ut nullam creaturam pluris faciamus quam Deum, et velimus potius omnia perdere quam Deum graviter offendere. — S. Th. 2. 2. q. 44., L. 22., E. M.

379. *Resolves:* 1.° Peccatum mortale et gravissimum est neque parvitatem materiae admittit, cum infinitae Dei bonitati opponatur, si quis Deum formaliter oderit odio malevolentiae et inimicitiae, v. g., si quis optet Deum non esse, et odio haberi a Deo. — 2.° Mortaliter peccat, si quis amet Deum amore *appretiative* minore quam creaturas. — 3.° Peccat item contra caritatem Dei, si quis Deum non diligat *propter se,* tanquam finem ultimum omnium rerum; sed tantum propter aliud, v. g., vitam aeternam, vel ad evitandum infernum. Quod est mortale, quia scilicet Deus non diligeretur appretiative super omnia, si aliud ab illo *actuali intentione* amaretur ut *finis principalis. Principalis,* quia Deus propter retributionem vitae aeternae amari potest, sed minus principaliter. *Actuali intentione,* quia secus vitam aeternam et alia Dei dona amando, eo ipso quod talis actus sit in se rectus, vita aeterna vel alia Dei dona sunt semper saltem implicite et actu exercito ordinata in Deum, tanquam in supremum finem. — L. 23. 24., S. Th. 2. 2. q. 34. a. 1. 2., Struggl q. 5. n. 2., Sanch. l. 2. C. 35. n. 3.

380. *An schisma sit speciale peccatum contra caritatem?* — « Peccatum schismatis proprie est *speciale peccatum,* ex eo quod *intendit* se ab unitate separare, quam caritas facit; quae non solum alteram personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo; sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus. Et ideo proprie schismatici dicuntur, qui *propria sponte* et *intentione* se ab unitate Ecclesiae separant... Et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant... Schisma autem *per se opponitur unitati* ecclesiasticae caritatis ». — S. Th. 2. 2. q. 39. a. 1., q. 42. a. 1. ad 2.

381. *Quandonam urgeat praeceptum caritatis Dei?* — 1.° Nullum datur praeceptum agendi semper ex motivo caritatis. Prob. ex pr. 8.ª d. ab Alex. VIII. — 2.° Praeceptum caritatis frequentius, quam semel in vita, vel singulis quinquenniis urget. Prob. ex pr. 5.ª 6.ª 7.ª dd. ab Innoc. XI. — 3.° Quandonam et quomodo urgeat praeceptum caritatis iisdem regulis determinandum est, quas supra de fide statuimus. Cf. 354. — S. Alph. censet non excusari a mortali, qui per mensem actum caritatis differt. Verum haec opinio nullo demonstrativo argumento innititur, et limites probabilitatis non excedit. Insuper idem S. D. exsistimat probabilissimum, praeceptum caritatis urgere in articulo mortis. Si de iis sermo sit, quibus aliud iustificationis medium non suppetit, verissime id affirmatur. At si talis absit necessitas, etiam haec opinio limites probabilitatis non excedit. — 4.° Praecepto caritatis satisfit operando ad hunc finem, placendi nempe Deo, vitando peccatum quia Deo displicet, orando ut sanctificetur nomen Dei, ut fiat voluntas eius, gaudendo de perfectionibus divinis, optando ut nemo Deum offendat, actum contritionis eliciendo, quia contritio caritatis motivum includit, minime vero attritione, quia caritatis motivo non innititur, etc. Quare nemo qui pie vivit de hoc praecepto anxius esse debet. Ob varias item doctorum sententias, et ob defectum advertentiae, ut in praecepto fidei et spei, raro hic peccatum committitur. — L. 8. 23., H. A. 13., Struggl q. 4. n. 7.-10., E. M.

382. *An detur praeceptum caritatis proximi?* — Caritas proximi praecipit amorem sui et proximi, sed *ordinate;* non enim omnis proximus eodem modo nobis proximus est. Cum autem et inimicus proximus sit, inimicorum etiam amorem praecipit. Praeter *interiorem* hunc amorem, cum caritas natura sua sterilis non sit, sed operosa, hinc et *exteriora* quaedam opera praecipit, inter quae specialem locum tenent eleemosyna et correptio fraterna, quae opera sunt misericordiae: illa corporalis, haec spiritualis. *Misericordia* enim virtus est, quae nos ex compassione inclinat ad alienae miseriae subveniendum. — Eadem caritas prohibet e contrario odium malevolentiae et inimicitiae proximi; quod ex genere suo mortale est. Eo enim proximo malum volumus, prout ipsi est malum, quod semper est inordinatum, et caritati repugnans. Datur vero parvitas materiae, cum malum, quod proximo velimus, magnum vel parvum esse possit. Praeter internum hunc actum prohibet consequenter, ne exterioribus nostris actionibus damnum inferamus spirituale eius saluti per scandalum, neve aliud damnum ei faciamus sive quoad alia bona animi, sive quoad bona corporis. — De hoc postremo agetur in praeceptis Decalogi, hic de reliquis tantum dicemus. — Porro datur vere praeceptum proximum diligendi *vero* et *interno* affectu, ut constat ex Joan. 15., 12. 17.; et ex pr. 10.ª 11.ª dd. ab Innoc. XI.; et *externo* etiam amore, 1. Joan. 3., 15. seqq., S. Th. 2. 2. q. 31. a. 2. Sed huic praecepto sufficienter quis satisfacit per amorem quemdam generalem, qui neminem excludat, atque adeo orationem dominicam recitando, in qua et internum et externum actum habes. — Huiusmodi praeceptum obligat *per se,* quando *per se* obligat praeceptum caritatis in Deum. Est enim huic simile. Matth. 22., 39. Obligat vero *per accidens:* 1.° Si odium in proximum nequeat repelli, quin actus eliciatur amoris; qui enim tenetur ad finem, obligatur ad media. 2.° Quando proximus est in gravi necessitate, alioquin frustraneum esset praeceptum. — L. 8., S. Th. 2. 2.

q. 25., q. 27. a. 8., q. 30., q. 31., q. 34. a. 3. 4., q. 44., Struggl q. 6. n. 4., Salm. 17., d'Annib. Ed. 3.ª P. 2. n. 81., E. M.

383. *Quaenam sint peccata caritati opposita?* — Ex A. D. 2. 2. sunt: 1.° *Odium* Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni caritatis, q. 34. — 2.° *Acedia*, quae opponitur gaudio caritatis de bono divino, q. 35. — 3.° *Invidia*, quae opponitur gaudio de bono proximi, q. 36. — 3.° *Discordia*, quae est in corde, et opponitur paci, q. 37. — 4.° *Contentio*, quae est in ore, et paci etiam opponitur, q. 38. — 5.° *Schisma, rixa, bellum, seditio*, quae pertinent ad opus, et paci pariter opponuntur, q. 39.-42. — *Scandalum*, quod beneficientiae opponitur, q. 43.

II. — DE ORDINE CARITATIS

384. *Quinam ordo in caritate proximi servandus?* — Ordine caritatis quisque tenetur post Deum diligere, 1.° seipsum secundum bona spiritualia; quatenus Deum *finem suum*, i. e. bonum supremum et unice necessarium, plus sibi, quam alteri velit; 2.° proximum quoad eadem bona; 3.° seipsum quoad bona corporalia intrinseca, uti sunt vita, sanitas, etc.; 4.° proximum quoad eadem; 5.° denique seipsum, et deinde proximum quoad externa, uti fama, honor, divitiae. Ratio est, quia amor sui est regula amoris proximi. Regula autem prior est ac potior, quam regulatum. Quare amor sui praecedit semper et praefertur amori proximi, ubi de bonis eiusdem ordinis agatur, et de pari necessitate. Ordo enim in caritate servandus tum ipsum *amorem*, tum *bona*, tum *personas* respicit. — Quoad *amorem* enim attendendum est, an sit amor mere appretiativus et simplicis complacentiae, an etiam amor efficacis benevolentiae et exterioris operis. — Quoad *personas* attendenda est tum comparatio ad Deum, secundum quam aliae aliis sunt excellentiores et meliores, tum comparatio ad nos secundum quam aliae aliis nobis sunt coniunctiores, nobiscum autem non coniunctionem, sed unitatem et identitatem habemus. — Quoad *bona*, alia aliis sunt *praestantiora*, et magis *necessaria*.

Praestantiora: bona *supernaturalia* praeferenda sunt bonis *naturalibus*. Itemque bonum *commune* praeferendum est bono *privato;* quia bonum multorum commune divinius est, quam bonum unius privatum. Bona naturalia *intrinseca*, vita, sanitas, integritas membrorum, praeferenda sunt *extrinsecis*, famae, honori, divitiis. Fama vero et honor respectu divitiarum altioris sunt ordinis, quia quid spirituale et morale sunt. — *Necessitas* autem sive temporalis, sive spiritualis, triplex distinguitur: 1.° *Extrema*, cum periculum aeternae damnationis aut mortis alteriusve mali morti fere aequalis ita proximo instat, ut hic, moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit. 2.° *Gravis*, cum quis magnum patitur periculum salutis animae, aut vitae corporis, alteriusve gravis mali, quod sine magna difficultate effugere nequit. 3.° *Communis* seu *mediocris*, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur in ordine spirituali vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; in ordine vero temporali in ea sunt generatim pauperes mendicantes, quibus vita, pro eorum conditione, non

nimis molesta ac misera est. — Tambur. Expl. Dec. l. 5. C. 1. § 1. n. 4. seqq. § 2. n. 5. seqq., Suarez de Carit. D. 9. S. 2. n. 4., S. Th. 2. 2. q. 26. a. 4. 5., q. 31. a. 3., q. 44. a. 7. 8., L. 25. 27. 31., H. A. 18.

385. *Resolves:* Peccat 1.° contra caritatem erga seipsum graviter vel leviter pro rei gravitate, qui debitam animae vel corporis curam negligit. — Licet quidem, per se loquendo, se privare bonis spiritualibus non necessariis ad salutem ob bonum proximi spirituale vel corporale, ut esset omittere ingredi in religionem, ne desit qui aut paroeciae, aut seminario, aut missioni operam impendant, vel ad alendos parentes suos aut filios. Immo potest quis maiora bona spiritualia, non necessaria, optare et proximo procurare, quam sibi, secluso eorum contemptu. — At non licet leviter vel graviter peccare, neque subire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impedias, quando lapsus tuus appareat quodammodo certus; secus, si periculum istud fieri possit remotum, ita ut merito confidas non te lapsurum esse. L. 26., l. 4. n. 78., l. 5. n. 63., l. 6. n. 453., H. A. 14.

2.° *In extrema necessitate spirituali* succurrendum est proximo etiam cum certo vitae periculo, dummodo haec quatuor constent, 1.° ut sit aeque certa spes illum iuvandi; 2.° ut proximus nullum alium habeat, a quo sublevetur; 3.° ut proximus certo damnandus sit, nisi a te adiuvetur, ita ut tibi constet proximum non posse seipsum liberare a peccato per baptismum, per sacramentum poenitentiae, aut saltem per contritionem perfectam; 4.° ut gravius malum inde non immineat, v. g., si quopiam ea de causa moriente, plurium aliorum salus periclitetur. — L. 27., S. Th. 2. 2. q. 26. a. 5., Reginald. Prax. For. Poenit. l. 4. c. 25. S. 6. n. 357.

3.° *In extrema necessitate temporali* succurrendum est proximo ordinarie cum magno quidem incommodo, non tamen cum maximo, quale esset etiam pro divite magnae pecuniae largitio. Ratio est, quia ex una parte vita proximi bonum est excellentius aliquo nostro bono; et ex alia parte, cum amor sui ordine praecedat, nemo obligatur ad tantum incommodum pro aliis subeundum. — L. 31., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 7.

4.° *In gravi necessitate utriusque ordinis*, nemo tenetur proximo succurrere cum gravi suo incommodo, *secluso* tamen *iustitiae, pietatis, officii titulo,* vel *damno communi.* Ratio eadem est, quia nempe bonum proximi excellentius esse potest aliquo nostro bono; at, cum amor sui semper praecedat vi ipsius caritatis, hinc caritas non praecipit bonum proximi procurare, nisi cum minori semper nostro detrimento quam damnum proximi quod urget. *Secluso,* etc. unde tenentur ex iustitia pastores, scilicet episcopi et parochi, cum periculo vitae ministrare ovibus sacramenta necessaria, ut baptismum et poenitentiam, non vero alia. Nec pastor potest tunc officio renuntiare, licet possit alios substituere cum iusta licentia Ordinarii. Tenetur etiam pastor cum magno suo damno temporali procurare magnam utilitatem spiritualem subditi. — L. 27., S. Th. l. c.

5.° *In communi necessitate utriusque ordinis,* succurrendum proximo est cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit, sed levi tantum; non enim potest esse nisi levis obligatio caritatis, quando proximus sat facile ab illa necessitate sese eripere potest, vel non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari. Hoc enim impossibile est, et si fieri posset, iam non leve incommodum foret. — L. 32., S. Th. l. c.

386. *An sit contra caritatem sibi mortem optare ob vitae infortunia?* — R. Negative, si fiat ex desiderio vitae melioris seu aeternae felicitatis, ut per se patet; vel quando vita tam molesta sit, ut ipsa morte durior aestimetur. Ad Phil. 1., 21-23.; Eccli. 30., 17.; 1. Mach. 3., 59. 60. — Affirmative, si id ex taedio vitae et animi deiectione fiat, quod tamen veniale non excedit, si desiderium illud et inefficax sit, et divinae Providentiae ordini nolit contraire. Plerumque etiam excusat defectus advertentiae et deliberationis. — Struggl q. 5. n. 12., Viva in prop. 13.-15. Innoc. XI. n. 3., L. 30., l. 5. n. 22., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3.

387. *An in iis, quae necessaria sunt vitae, alium sibi praeferre liceat?* — Alii probabiliter negant, quia ordo caritatis postulat, ut quis ceteris paribus magis seipsum diligat quam proximum. Excipe tamen, si alterius vitam servare bonum publicum exigeret. Alii probabiliter affirmant, nam in his non amat reapse quis proximum plus quam seipsum, sed amat bonum heroicae virtutis plus quam seipsum. Excipe vero, si ille qui se exponit necessarius sit reipublicae aut familiae suae. — L. l. 3. n. 366., H. A. Tr. 8. n. 1., S. Th. 3. D. 29. a. 5. ad 3., Struggl 20., Tr. 7. q. 3. n. 8.

388. *Quinam ordo inter proximos servandus?* — *Ceteris paribus, dilectione simplicis complacentiae et gaudii* circa bona possessa, quam consequitur honor, cultus et reverentia magis appretiative diligendi sunt qui meliores sunt. Ratio, quia sunt magis coniuncti cum praecipuo obiecto caritatis, quod est Deus. Et sic parentes magis diligendi sunt quam filii vel uxor, magis benefactores quam beneficiati: maiorem enim isti cum Deo, communi omnium parente ac benefactore similitudinem habent.

Item, *ceteris paribus, dilectione benevolentiae et desiderii*, qua alteri optamus bonum nondum possessum, quam *beneficentia* consequitur, magis diligendi sunt ii, qui nobis sunt coniunctiores, quoad ea bona quae sunt debita tali coniunctioni. Ratio est, quia communicatio bonorum est fundamentum amicitiae et caritatis. Et sic in rebus pertinentibus ad civilem communicationem concives nostri, in rebus bellicis commilitones aliis praeferri debent. In spiritualibus vero auxiliis eorum maior habenda est ratio, qui nobis secundum spiritum filii, patres, aut fratres censentur. Non improbabiliter tamen parentes carnales, etiam in spiritualibus rebus, praeferendi sunt, partim quia eorum nobiscum coniunctio etiam in his fundata est; partim quia coniunctio carnalis, aliarum coniunctionum fundamentum ac basis, suapte natura prior ac stabilior est, sicuti monet S. Th. a. 8. Gratia autem caritatis inclinationem naturae non destruit, sed perficit et ad finem supernaturalem dirigit. S. Th. a. 7. Et, quod dictum est de parentibus, eadem ratione dici debet de filiis ac fratribus carnalibus, comparatione filiorum vel fratrum spiritualium. In bonis denique pertinentibus ad naturam et vitam corporalem conservandam, succurrendum est, *ceteris paribus*, 1.° *uxori*, quia est una caro cum viro; 2.° *filiis*, quibus naturali iure plus parentes obligati sunt ad providendum, quam vice versa; *non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, ait Apost. 2. ad Cor. 12., 14., et docet S. Th. a. 9.; 3.° *parentibus;* magis autem patri quam matri, quia ille excellentiorem principii rationem obtinet, S. Th. a. 10.; immo in casu necessitatis extremae, parentibus ante omnes alios, etiam uxorem ac proprios filios, succurrendum esse existimat S. Th. a. 9. 11. ad 2.; etenim ipsi nobis exsistendi causa et principium fuere; quare

aequitas postulat, ut in extrema necessitate, ab interitu eos liberando, tantumdem rependamus; 4.° *fratribus, sororibus;* 5.° aliis *consanguineis;* 6.° *benefactoribus*, *amicis.*

Ceteris paribus, nam insigni benefactori aut amico, e. g., potius subveniendum est ex caritatis lege, quam consanguineo non valde propinquo, vel de nobis non bene merito. Similiter fratribus spiritualibus magis, etiam in temporalibus bonis subveniendum videtur, quam cognatis non valde propinquis; quandoquidem coniunctio spiritualis praestat carnali. — Cum autem ista caritatis obligatio non sit nisi *ratione necessitatis*, patet illam magis generatim obligare, ubi maior adsit necessitas. — Verum, cum sint diversi gradus et indigentiae, et propinquitatis, non potest pro omnibus casibus universali regula determinari, cui sit magis subveniendum. Quare hoc requirit prudentis iudicium. — S. Th. 2. 2. q. 26., q. 31. a. 3., q. 32. a. 9., q. 44. a. 7. 8., L. 27.

389. *An sit contra caritatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere ob bonum finem?* — R. Negative, si debitus ordo caritatis servetur, i. e., si id fiat ob maius bonum, vel ad minus malum. Affirmative, si caritatis ordo pervertatur. Confirm. ex pr. 13.ª 14.ª 15.ª dd. ab Innoc. XI. — Quare licitum est optare malum temporale proximo, vel de eo gaudere, 1.° ob bonum spirituale proximi ipsius; 2.° ob bonum commune vel spirituale vel temporale; 3.° ob bonum etiam plurium, multo maioris momenti, v. g., familiae, communitatis, etc. — Illicitum vero est uxori desiderare mortem mariti ex eo quod iniuste ab eo male tractetur, vel filiae suae ad propriam molestiam vitandam, quia ob deformitatem vel paupertatem nubere nequit. — L. 30., l. 5. n. 21. 22., S. Th. de Carit. q. un. a. 8. ad 10., 3. D. 30. q. 1. a. 1. ad 4., Viva in prop. cit. n. 20., Struggl q. 5. n. 9., E. M.

III. — DE DILECTIONE INIMICORUM

390. *An etiam inimici sint diligendi?* — Certum est inimicos aliquo modo diligendos, cum sint proximi; idque constat etiam ex Evang. Matth. 5., 43. seqq. — Hoc praeceptum quatenus *negativum* prohibet, ne unquam quis odio prosequatur inimicum suum; quatenus vero *affirmativum* obligat etiam ad positivam benevolentiam et externam beneficentiam pro ratione necessitatis, in qua versatur. — Quaestio igitur tantum est de *modo* huius *positivae dilectionis*, ex praecepto habendae; qui seqq. paragraphis explicatur.

391. *Quilibet homo tenetur per se proximo, etiam inimico, communia dilectionis signa et beneficia exhibere ex praecepto; specialia vero ex consilio tantum, nisi aliunde ratio obligationis accedat.* — *Per se*, quia quandoque adest rationabilis causa ad tempus ea denegandi, v. g., ratione debitae correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, vel ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici, vel ob timorem prudentem, quod inimicus signis illis, etsi communibus sit abusurus ad novam iniuriam inferendam, item ob expressionem iusti doloris ex iniuria concepti, etc. — *Proximo etiam inimico:* Inimicus non est diligendus, in

quantum est *inimicus;* sic potius est odio habendus, S. Th. 2. 2. q. 25. a. 8., q. 27. a. 7.; sed in quantum *proximus* est. Inimicus enim intelligitur, qui immerito offenderit vel laeserit, et odio prosequatur. — *Communia dilectionis signa et beneficia* ea sunt, quae ratione *generalis caritatis* christiano debentur a quovis christiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato, et sic porro. — *Specialia* vero sunt, quae non debentur ratione *generalis caritatis,* sed alicui personae exhibentur ratione *specialioris amicitiae* et familiaritatis. Haec autem cum libera voluntate suscipiatur, hinc ea specialia signa non ex caritatis debito, sed ex caritatis liberalitate procedunt. — *Nisi aliunde ratio obligationis accedat,* qualis esset, 1.° timor scandali ex omissione; 2.° spes salutis inimici; unde, si per aliquid horum possis sine tuo incommodo inimicum tibi et Deo reconciliare, id omittere esset grave; 3.° necessitas temporalis vel spiritualis; 4.° culpae deprecatio et exhibitio specialium signorum amoris. In hoc autem postremo casu, ad specialem amicitiam et familiaritatem quod attinet, eius redintegratio necessario semper urgenda non est. Ista enim specialis amicitia ne amico quidem debetur, ergo a fortiori non debetur inimico, cum prorsus voluntaria sit.

Prob. 1.ª p. 1.° ex communissima thth. sententia; 2.° quia ea *communia signa* denegare est odii manifestatio, quae caritati adversatur. — Prob. 2.ª p. 1.° ex communissima pariter thth. sententia; 2.° quia, cum ad inimicum nulla alia unio nobis remaneat, nisi sola unio *communis caritatis,* ea sola signa exhibere ipsi tenemur, quae *communia caritatis signa* sunt. — Struggl q. 4. n. 29.-31., S. Th. 2. 2. q. 25. a. 8. 9., 3. D. 30. q. 1. a. 2., de Carit. q. un. a. 8. 9., L. 28.

392. *Resolves:* Non licet inimicum excludere a communibus orationibus, v. g., oratione dominica, et quae pro communitate instituitur; nec a communibus eleemosynis, *resalutatione,* responsione, expositarum mercium venditione, quia haec sunt communia dilectionis signa. Nemo autem, per se loquendo, tenetur ad inimicum diligendum positivo et *peculiari* actu, neque ad eum *salutandum,* alloquendum, aegrotum invisendum, moestum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, etc., quia haec sunt signa specialia amoris. Quare, si aliquod horum, attentis circumstantiis locorum et personarum, commune esset dilectionis signum, ab eo iam abstinere non liceret. — Struggl q. 4. n. 36., Sporer Tr. 2. in 1. Pr. c. 6., L. 28.

393. *Etsi quivis teneatur inimico, veniam legitime petenti, non tantum offensam interius remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere; non tenetur tamen statim postquam offensio ipsi illata sit. Neque vero tenetur remittere satisfactionem pro damno, si laesus fuerit. Immo nec eam tenetur acceptare, si offerat; sed etiam iuridice pro compensatione petere potest, dummodo deponatur odium.* — Prob. 1.ª p. Quoad actum internum: Matth. 5., 44.: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Et ib. 6., 15.: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* — Quoad actum externum: Quia secus censeris inimicum contemnere, et in hostilitate velle perseverare. « Si autem (inimicus seu offensor) non exhibet condignam satisfactionem *non tenetur* offensus *ei loqui,* quando scilicet satisfacere aut omnino non vult, aut semiplene ». S. Antonin. Summ. P. 2. tit. 8. C. 2. § 6. — Sedulo autem hic notandum est,

an offensus, dum quaedam renuit offensori officia, *grave* aliquod huic *malum* inferat aut exoptet. Nam, si hoc absit, et nulla alia gravia incommoda ex officiis istis offensori negatis timeri queant, gravis culpae statim quis insimulari non debet, ita ut propter eam confessarius absolutionem iure deneget. Cf. 391. 392., Coninck de Virt. Theol. D. 29. n. 60. — Ratio vero *factae restrictionis* est, quia res nimis violenta videtur, et supra humanam fragilitatem, laesum cogere *statim* ad reconciliationem faciendam, nondum sedata perturbatione. Unde expectandum tempus opportunum, et interea sufficit quod offensus odium deponat.

Prob. 2.ª p. Quia *caritas* non opponitur *iustitiae*. Sporer l. c. n. 18. — Prob. 3.ª p. Quia licita est vindicta auctoritate publica. Quare licet poenam publicam optare inimico, et eam expetere. Ratio autem limitationis est, quia, « si eius intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, et ibi quiescat, est omnino illicitum: quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi iniuste intulit malum; sicut non excusatur aliquis per hoc quod odit se odientem; non enim debet homo in alium peccare propter hoc quod ille peccavit prius in ipsum; hoc enim est vinci a malo, quod Apost. prohibet ad Rom. 12., 21. dicens: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius et quietem aliorum, et ad iustitiae conservationem, et Dei honorem potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis ». S. Th. 2. 2. q. 108. a. 1. — Haec quidem *speculative* et quoad doctrinam. Etenim, *practice*, difficile sane est, ut publica vindicta ex amore iustitiae disiungatur ab inordinato amore privatae vindictae, quae illicita est, ad Rom. 12., 19. seqq. Idque maxime valet, si poena sit valde gravis, v. g., capitis, mutilationis, neque laeso ex ea commodum proveniat. Difficile sane et raro abest malevolus animus. Itemque, si offensor satisfaciat, quantum potest, ad id quod non potest eum urgere, videtur contra caritatem. Struggl q. 4. n. 33. 34., L. 28.

394. *Etsi odium inimicitiae, sive personae secundum se, et bonorum, quae in se habet, volendo scilicet illi malum ut sic, sive quatenus illi malum est, ex genere suo sit mortale; odium tamen abominationis, sive qualitatis, quo non hominem, sed eius malitiam aversamur licitum est.* — Id per se patet, et communiter docent theologi. — Hinc privatus, qui aversus ab alio, fugit illum, si id faciat, ut eum suo colloquio et solatio privet, atque ita contristet et male illi sit, est odium *inimicitiae* et peccatum. Si vero, nihil mali optando, tantum fugiat, quia suae naturae est difformis, vel ipsi solet esse molestus, est odium *abominationis* et aversionis et peccatum, si sit irrationale; quale non erit, si reapse sit persona valde aspera; modo absit contemptus, scandalum, et vindictae cupiditas. — Struggl q. 4. n. 26. 28. 37., q. 5. n. 6., L. 30., S. Th. 2. 2. q. 34. a. 3.

395. *An offensor a laeso veniam petere debeat?* — R. Affirmative *per se;* nam quo modo caritas destructa est, eodem reparari debet; nisi tamen aliud medium, vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat, varia officia aut beneficia praestando, aut nisi ad placandum offensum nihil prodesse veniae petitio videatur. Excipiunt etiam casum, quo offensor

offenso longe superior sit, nisi forte tanta enormitas iniuriae urgeret, ut etiam a subdito petitionem veniae exigeret. Itemque casus excipitur, quo offensus prudenter censeatur id condonare. Sed alia revera non desunt media offensum placandi. — La-Croix. l. 2. n. 189., Struggl q. 4. n. 35.

IV. — DE ELEEMOSYNA

396. *Quid sit eleemosyna?* — Eleemosyna actus misericordiae est, quo proximi necessitati subvenitur. — Alia est spiritualis, alia corporalis, prout ea necessitas spiritualis vel corporalis est. — Agimus hic solum de corporali. Praecipue quaestio est *de eius praecepto*, quod seqq. paragraphis explicatur. S. Th. 2. 2. q. 32.

397. *Verum datur eleemosynae praeceptum.* — Prob. 1.° Eccl. 4., 1.: *Eleemosynam pauperis ne defraudes;* Matth. 25., 42.: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum.* 2.° Quia caritas praecipit proximum diligere, adeoque opem illi in necessitate ferre. Struggl q. 4. n. 40., S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5., E. M.

398. *Nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi necessitas esset personae talis, ex qua penderet salus reipublicae.* — *Bona ad vitam necessaria* illa dicuntur, sine quibus non potest aliquis, iique quorum curam habet, esse vel vivere. Quare *bona* etiam *ad vitam necessaria* sunt illa, quae necessaria sunt ad alendos et educandos liberos, ad ancillam sustentandam, quae infantes custodiat, aut infirmis advigilet. — Prob. 1.° ex communi thth. sententia. «Illud sine quo, ait S. Th., non potest esse vel vivere aliquis, *vel ipse*, vel *illi quorum curam habet*, non debet in eleemosynam expendi». 4. D. 15. q. 2. a. 4. q. 1. — 2.° Quia id caritatis rectus ordo expostulat. Struggl q. 4. n. 41. 42., Suarez D. 7. S. 4. n. 6., Valentia T. 3. D. 3. q. 9. p. 4., L. 31., S. Th. 2. 2. q. 32. a. 6.

399. *Eleemosyna tantum facienda est ex bonis propriis, et quorum quis liberam administrationem habet.* — *Caritas* enim illaesam servare debet *iustitiam.* Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate, et aliunde ei succurri non potest. Tunc enim omnia sunt communia. S. Th. 2. 2. q. 7., L. 33.

400. *Nota:* «Cum plures sciunt extremam necessitatem proximi, omnes tenentur succurrere per aequas partes: si nolint alii, omnes tenebuntur *in solidum*, omnesque scientes et omittentes peccabunt mortaliter. Si unus velit totum praestare per se, alii liberabuntur. Quod si vero aliis de contribuendo admonitis et recusantibus, unus totum praestiterit, poterit partes ratas ab aliis iure exigere, vel compensare». Sporer in 4. Dec. praec. c. 6. n. 50.

401. *Resolves:* 1.° Non licet dare eleemosynam ex bonis obnoxiis restitutioni v. g., furto ablatis: licet tamen ex acquisitis per opus illicitum, sed non cum iniustitia, v. g., ex lucro meretricio. — 2.° Pueris, filiisfamilias, servis, ancillis, non licet dare eleemosynam nisi tenuem, in qua nempe parentum et dominorum voluntas praesumitur. Ob eamdem hanc

rationem uxor eleemosynas ordinarias et communes facere potest iuxta morem conditionis suae; non autem extraordinarias, sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, quorum scilicet dominium simul administrationemque habet, et fructus percipit. — 3.° Tutores et curatores, qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis quae administrant, quales nimirum ipsi facere deberent quorum sunt; vices enim eorum gerunt: moderate tamen, cum rationem reddere debeant de expensis. — L. 33., l. 3. n. 540., S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. 8., Struggl q. 4. n. 49.

402. *In extrema necessitate proximo succurrendum est etiam ex bonis aliquo modo ad statum necessariis.* — *Bona ad statum necessaria* illa sunt, quibus indigemus ad honeste vivendum vel decenter secundum statum nostrum. Haec autem sunt, quae requiruntur, secundum propriam conditionem, ad famulos sustentandos, ad hospites recipiendos, ad honestas donationes, ad convivia de more instauranda, ad moderatam pompam, etc., spectatis etiam communibus eventibus, necessitate futura, etc. *Aliquo modo,* quia si deberes *excidere e tuo statu* non teneris. — Prob. 1.° ex communi thth. sententia; 2.° quia id exigit ordo caritatis. Vita enim proximi praevalere debet bono nostro longe inferiori. — La-Croix 201., Struggl q. 4. n. 42. 47., S. Th. 4. D. 15. q. 2. a. 1. q. 4., a. 4. q. 1., 2. 2. q. 32. a. 5. 6., L. 31.

403. *In gravi necessitate proximo succurrendum est ex superfluis vitae et status; immo etiam, probabiliter, ex necessariis ad statum, cum admodum modico tamen detrimento sui status.* — Prob. 1.ª p. Nam caritatis ordo postulat, ut bonum proximi velimus et procuremus quando ex una parte proximus est in gravi necessitate constitutus, ex altera vero, vel nullum nobis vel non nisi parvum incommodum nobis resultat. Prob. 2.ª p. eadem ratione, sed minus valide; cum *simpliciter modicum* revera in casu non habeatur incommodum, sed sat grave. Unde S. Th. ait non cadere sub praecepto, sed sub consilio, 2. 2. q. 32. a. 6. — L. 31., S. Th. 4. D. 15. q. 2. a. 1. q. 4., a. 4. q. 1. 4. ad 4., Struggl q. 4. n. 45.

404. *Resolves:* Tum in extrema, tum in gravi necessitate, tantum dandum est, quantum sufficit hic et nunc ad levandam *hanc necessitatem,* nisi sint alii, qui ipsi subvenire velint. Si proximus ergo tantum egeat usu rei, satis est illam commodare, v. g., si ab hostibus spoliato vestem commodes, vel vulnerato equum, donec domum revertatur. Nemo tamen tenetur magnam pecuniae summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia extraordinaria et magni pretii ei eroganda. Nemo enim, attenta conditione status sui, tenetur etiam pro vita sua tantumdem expendere in extraordinariam medicinam sibi comparandam. — S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5., L. 31., La-Croix 215., Struggl q. 4. n. 48., Lugo de Iust. et Iur. D. 16. n. 167. 168.

405. *In communi necessitate tenetur aliquando dare eleemosynam, qui habet bona vitae et statui superflua.* — Prob. 1.° ex communi thth. sententia. Prob. 2.° tum quia quisque tenetur diligere proximum sicut seipsum; tum quia alioquin pauperes isti in necessitatem inciderent gravem. — Struggl q. 4. n. 40. 41. 43., L. 32., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 2. 7., E. M.

406. *Nota:* « Non tamen adest (pro laicis) obligatio praestandi *totum superfluum;* sed sufficit, si detur quinquagesima pars annuorum proven-

tuum, qui supersunt... et si reditus sunt pinguiores minus quinquagesima parte ». — L. 32., H. A. Tr. 4. n. 19., S. Th. 2. 2. q. 32. a. 10.

407. *An praeceptum eleemosynae obliget sub gravi?* — R. Affirmative, *in extrema* vel quasi extrema *necessitate.* Ita omnes. *In gravi* vero *necessitate,* alii probabiliter et communiter affirmant, quia cum in Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae, haec non sunt restringenda ad extremam et raram necessitatem. Alii vero negant, neque haec sententia extrinsece saltem improbabilis pluribus videtur. *In communi* vero *necessitate,* alii etiam probabiliter et communiter affirmant; uti colligitur ex sententia, quam Christus est prolaturus in extrema die per illa verba: *Esurivi, sitivi,* etc. Neque enim Christus pro ratione damnandi iniquos duritiem in pauperes allegaret, nisi hoc vitium esset commune et frequens apud homines, quale non esset, si nulla foret obligatio ex superfluis eleemosynas in pauperes obvios erogandi. Confirm. ex 1. ad Tim. 6. 17. 18.: *Divitibus huius saeculi praecipe... facile tribuere, communicare...,* ubi verba illa, *praecipe* et *facile* praeceptum indicare videntur etiam extra gravem necessitatem. Et Luc. 11. 41.: *Quod superest, date eleemosynam.* Alii vero tenent vel nullam esse obligationem, vel obligationem saltem non esse gravem; neque haec sententia extrinseca probabilitate caret. — Struggl q. 4. n. 43. 45.-47., Suarez D. 7. S. 3. n. 7. 10., L. 31. 32., S. Th. Quodl. 8. a. 12, 2. 2. q. 32. a. 5., q. 71. a. 1., E. M.

408. *Resolves:* 1.° Tenentur medici, advocati, etc., operam pauperibus gratis impendere, quia sunt in vera necessitate, nec ab aliis adiuvari possunt. — 2.° Si quis dives et abundans sine ulla rationabili causa omnes a se pauperes repelleret, is revera versatur in malo statu. Nulli tamen, quantumvis diviti, omnes pauperes sine eleemosyna repellenti, facile deneganda est absolutio; tum ob dissensum auctorum de hac obligatione, tum ob difficultatem diiudicandi de superfluitate bonorum et de pauperum necessitate, tum ob praesumptionem quod alii velint succurrere, etc. — Laym. n. 5., Struggl q. 4. n. 44. 50. 51., Diana T. 4. Tr. 7. R. 8. 42., L. 32., S. Th. 2. 2. q. 71. a. 1.

V. — DE CORREPTIONE FRATERNA

409. *Quid sit fraterna correptio?* — Correptio *fraterna* est admonitio, qua quis ex caritate proximum conatur revocare a peccato, prout hoc est malum spirituale ipsius peccantis. Unde correctio fraterna actus misericordiae est. Differt a correctione *iudiciali,* quia haec fit auctoritate publica, et praecipue ab bonum aliorum, praesertim commune, et simul ipsius delinquentis; a correctione *paterna* vero, quia haec fit auctoritate superioris praecipue ab bonum privatum ipsius delinquentis, et simul aliorum ac commune. Istae competunt tantum particularibus personis in suos subditos; illa competit omnibus, cum oriatur ex motivo caritatis, quae omnes obligat. Eccli. 17., 12. Hinc, si in praelato ipso aliquid corrigibile inveniatur, ab inferiore etiam, ad id apto, esset *caritative* redarguendus. 1. ad Tim. 5., 1. 2. — Struggl q. 4. n. 52. 60., S. Th. q. 33. a. 1. 2. 4., 4. D. 19. q. 2. a. 1., L. 34., E. M.

410. *An detur verum praeceptum fraternae correptionis?* — R. Affirmative. Prob. 1.° ex iure naturali, quo membra unius corporis vi caritatis mutuo se iuvare tenentur. 2.° Ex iure positivo, Matth. 18., 15.: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum;* Eccl. 19., 14.: *Corripe proximum... ne forte iteret.* — Struggl q. 4. n. 53., S. Th. 2. 2. q. 33. a. 2.

411. *Quaenam sit huius praecepti materia? — Omne mortale peccatum proximi per se est sufficiens materia, ut hoc praeceptum obliget sub mortali. Omne mortale,* quia etsi *veniale* sit materia correctionis, non tamen graviter obligans; nec nisi facillime possis. Excipe tamen, si sermo sit de ordinibus religiosis. Si enim per venialia peccata aut penitus dissolvi, aut notabiliter imminui regularis disciplina videatur, gravis esse poterit obligatio tum in praelatis, tum etiam in privatis, cum utrique ad gravissimum hoc malum religionis avertendum ex caritate teneantur. Excipe etiam, si quis per peccatum veniale constituatur in periculo proximo peccandi mortaliter, etc. *Per se,* quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem, putat se non ita stricte obligatum vel minus esse idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter. — Prob. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° Quia cum peccatum mortale vitam spiritualem proximi tollat, sufficientem necessitatem correctionis inducit. Hinc, qui *facile* potest per correptionem impedire peccatum mortale proximi, et ob *vanum* timorem alicuius mali temporalis negligit, peccat mortaliter. — S. Th. 2. 2. q. 32. a. 2., q. 33. a. 2., L. 34. 35., l. 4. n. 13., Diana T. 1. Tr. 4. R. 8., Struggl q. 4. n. 55. 56.

412. *Quandonam obliget praedictum praeceptum? — Praeceptum hoc obligat, concurrentibus his circumstantiis:* 1.° Si certo tibi constet de peccato proximi; indagare autem tenetur solus superior. Prov. 24., 15. — 2.° Si non constet emendasse, nec constet emendaturum, sed relapsurum; quia eleemosyna egenti tantum facienda est. — 3.° Si alius aeque idoneus non adsit, qui correpturus putetur. — 4.° Si sit spes fructus, quia, desperato fine, cessant media. — 5.° Si sit bona occasio, locus, et tempus opportunum, possisque sine tuo gravi damno facere, nisi tamen ratione officii corrigere quis teneatur. — Quod si horum aliquid desit praeceptum non obligat. — S. Th. 2. 2. q. 33. a. 2. 5. 6., L. 36. 42., Struggl q. 4. n. 54. 57.

413. *Resolves:* 1.° Privati inter se raro ad correptionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter inter se coniuncti; quia raro omnes requisitae conditiones reperiuntur; rarius adhuc erga superiores propter ineptitudinem. — 2.° Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correptionem accipientes fiant deteriores. — 3.° Scrupulosi ordinarie excusantur a fraterna correctione facienda; quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretione ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

414. *An praedictum praeceptum omnes aeque obliget? — Etsi correptionis praeceptum obliget omnes etiam subditos, magis tamen praelatos.* Ratio prioris asserti est, quia omnes sunt eiusdem corporis membra et tenentur sibi externa officia caritatis praestare. Ratio posterioris est, quia subditi tantum

ex *caritate*, praelati vero etiam ex officio et *iustitia* tenentur. — S. Th. 2. 2. q. 33. a. 3., L. 40.

415. *Resolves:* 1.° Praelati, episcopi, pastores, magistratus tenentur, etiam cum magno suo incommodo, impedire peccata tum publica, tum occulta subditorum suorum, quia *ex iustitia* ad procurandum tuendumque bonum commune obligantur. — 2.° « Correctio delinquentis... pertinens ad praelatos, quae ordinatur ad bonum commune, et habet vim coactivam... non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur: tum quia, si propria sponte emendari non velit, cogendus est per poenas, ut peccare desistat; tum etiam, quia, si incorrigibilis sit, per hoc providetur bono communi; dum servatur ordo iustitiae, et unius exemplo alii deterrentur ». S. Th. 2. 2. q. 33. a. 6. — 3.° Tenentur ex officio superiores invigilare in subditos, et inquirere eorum peccata, non admodum tamen de certa quapiam persona, nisi ad hoc illos peculiaris aliqua ratio permoveat. — Struggl q. 4. n. 55. 57. 58., Diana T. 7. Tr. 4. R. 24. 30., L. 40. 42., E. M.

416. *Quinam ordo in correptione servandus? — Ordo in correptione servandus est, quem Christus praescripsit,* Matth. 18., 15.-17., scilicet ut corripias in secreto, deinde coram testibus, tum ad praelatum Ecclesiae sive superiores deferas. — Excipe tamen: 1.° Nisi praestet superiori, viro probo et prudenti, quam aliis testibus, rem innotescere. 2.° Nisi peccatum sit publicum; tunc enim potest publice corripi. 3.° Nisi vergat in grave damnum tertii aut communitatis, si superiori non statim innotescat, v. g., si quis proditionem moliatur, haeresim occulte spargat: tunc enim immediate superiori indicandum, quia commune bonum praeferendum est privato. 4.° Quando corripiendus est contentus, ut superiori statim significetur, ut est apud quosdam religiosos, qui quoad hoc iuri suo renuntiarunt. — L. 41., l. 4. n. 242.-247., S. Th. Quodl. 11, a. 12. 13., 2. 2. q. 33. a. 7. 8., Suarez D. 8. S. 6., Struggl q. 4. n. 59.

417. *Nota:* 1.° Si certo constat, fratrem perfecte emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsus, vel damni, ipsi aut alteri, non licet denuntiare patri vel praelato. Ratio, quia cessat motivum caritatis, atque adeo ratio denuntiandi, ideoque est peccatum, et quidem mortale ex genere suo. — 2.° Si superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus, ipsi vel alteri, vel communitati immineat, videtur peccare manifestando superiori mediato delictum. Peccat item quando delictum occultum subditi, quod in secreto potest paterne emendare, in publico manifestans corrigit. — 3.° In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc. plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem aut per se, aut per alium; nec possunt absolvi sodales aut convictores in eiusmodi denuntiationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agatur. Item de iure naturali denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes publice corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi videntur. — 4.° Correctio adhibenda est, non semper statim, sed dum maior fructus speratur: hinc interdum permitti potest reiteratio peccati, ut ferventius quis resipiscat. Neque sufficit semel esse factam correctionem, sed debet iterum iterumque fieri quandiu speratur fructus. — 5.° « Detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito

statim perpetrando, cuilibet licet; sicut cum aliquis detinet aliquem, ne se praecipitet, vel ne alium feriat. Sed simpliciter aliquem includere vel ligare, ad eum solum pertinet, qui habet disponere universaliter de actibus et vita alterius; quia per hoc impeditur non solum a malis faciendis, sed etiam a bonis agendis ». S. Th. 2. 2. q. 65. a. 3. ad 3. — Mol. D. 755. n. 4., Lugo de Iust. et Iur. D. 21. n. 34., Struggl q. 4. n. 59.

418. *Quid de monitione facienda?* — Praecepto de *correctione fraterna ad delictorum emendationem* praeceptum addendum est de *commonitione*, qua proximus *de veritate docetur*. Cf. V. 2. n. 814. Doctrina enim ibi generalis traditur, et non tantum specialis et propria confessariorum.

VI. — DE SCANDALO

419. *Quid sit scandalum?* — Scandalum definitur: *dictum vel factum minus rectum, praebens alicui occasionem ruinae spiritualis.* — *Dictum* vel *factum,* quo nomine etiam omissio intelligitur. *Minus rectum,* h. e., quod vel in se malum sit, ut si loquaris turpia coram adolescente, vel mali speciem habeat, ut si, iusta de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. *Praebens occasionem;* licet, metaphysice loquendo, *occasio* idem non sit ac *causa,* hic tamen occasio ista vera causa moralis est; nam cum proximus reapse ab illa alliciatur, et inducatur ad peccatum, verum ipsa exercet influxum moralem. *Ruinae spiritualis,* mortalis nempe vel venialis tantum peccati. Ruina ergo spiritualis non est rumor, aut admiratio in populo et a fortiori horror de facto commisso; sed graves suspiciones et iudicia temeraria, detractiones, calumniae, etc., in populo exorta. — Suarez de Carit. D. 10. S. 1., de Cens. D. 6. S. 3., S. Th. 2. 2. q. 43. a. 1., L. 43.

420. *Quotuplex sit scandalum?* — Scandalum aliud est *directum,* aliud *indirectum,* prout proximi *ruina,* seu *peccatum,* vel intenditur, vel, quamvis non intendatur, tamen praevidetur, saltem in confuso. Ac, si *ruina spiritualis* proximi intendatur, *diabolicum* dicitur; secus vero, si peccatum tantum intendatur, v. g., fornicationis, sed non ut spiritualis ruina alterius. — Scandalum item aliud est *activum,* aliud *passivum.* Scandalum activum illud est, cui convenit data definitio. *Passivum* est ipsa ruina spiritualis proximi, atque improprie vocatur scandalum, cum melius dici debeat effectus scandali. Scandalum autem potest esse *activum* seu *datum,* quin sit *passivum* seu *acceptum,* quia poni potest actio apta per se ad scandalum, quin subsequatur effectus. Et vice versa potest esse *acceptum,* quin sit *datum:* tunc autem scandalum non proprie tribuendum est actioni proximi, sed potius ignorantiae, imaginationi, aut etiam malitiae illius, qui scandalum patitur, vel sine fundamento admittit. Hoc autem dicitur scandalum *pusillorum,* si ex infirmitate vel ignorantia proximi suscipiatur; vocatur vero *pharisaïcum,* si ex mera subiecti malitia proveniat. — L. 43., S. Th. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4., a. 3., Lugo de Poenit. D. 16. n. 157.

421. *Resolves:* Non semper est *scandalum,* si peccas coram aliis, sed tantum quando, attentis circumstantiis, tam personae agentis, quam coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur

ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. Hinc blasphemia prolata coram viris religiosis et piis non habet rationem scandali, sed horroris et abominationis. Item non est scandalum peccare coram vilibus et infamibus, qui iam aliunde sunt peccaturi; ut si quis fornicetur coram aliis, qui iam sunt parati idem facere, nec eius exemplo moventur. — L. 43. 44., S. Th. 2. 2. q. 43. a. 5., Struggl q. 5. n. 29.

422. *Quale peccatum sit scandalum? — Scandalum est peccatum grave ex genere suo, specialem habens malitiam specificam, sive sit directum, sive indirectum.* Prob. 1.ª p. Christus Dominus exclamat: *Vae mundo a scandalis!... Vae homini illi, per quem scandalum venit!* Matth. 18., 7. Ergo scandalum ex genere suo, nisi nempe excuset parvitas materiae, peccatum grave est. Prob. 2.ª p. Scandalum directe opponitur correctioni fraternae, in qua intenditur remotio peccatorum proximi nostri. Ergo specialem habet malitiam specificam contra caritatem proximi. Prob. 3.ª p. « Si enim caritas obligat ad proximum corrigendum, et impediendum, cum possumus, ne ruat in peccatum; quanto magis obligat ad eum non impellendum ad peccatum consilio vel exemplo? » L. 45., S. Th. 2. 2. q. 43. a. 1.-4., E. M.

423. *Resolves:* Non nisi venialiter peccat ratione scandali, qui alteri praebet occasionem ruinae venialis tantum. Quod verum est, etsi directe illam intendat, et quidem per actum mortalem. Caritas enim graviter tunc non laeditur. E contrario graviter peccat, ratione scandali, qui alteri praebet occasionem ruinae mortalis, licet id faciat per opus indifferens, vel tantum veniale, v. g., si religiosus verba proferat iocosa et leviter turpia coram feminis, vel iis, qui occasionem mortalis peccati inde capere possunt. — L. 44., S. Th. 2. 2. q. 43. a. 4. 6., Ithur. Cas. 35.

424. *Qualis sit specialis malitia scandali? — In scandalo directo peccatum datur non solum contra caritatem, sed etiam contra virtutem, ad quam violandam proximus inducitur. In scandalo autem indirecto probabilis est tum sententia affirmans, tum sententia negans hanc aliam specialem malitiam.* Prob. 1.ª p. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° Quia quaelibet virtus prohibet non solum, ne quis eam laedat, sed etiam ne velit et faciat eam ab aliis laedi. Prob. 2.ª p. 1.° quia pro utraque opinione graves sunt theologi. 2.° Quia, ut voluntarium *indirectum* sufficit ad peccandum, ita etiam sufficit ad peccandum contra talem virtutem, respectu cuius voluntarium indirectum est; unde est quod in moralibus voluntarium *directum* et *indirectum* ad eamdem speciem pertinent. Ergo probabiliter in scandalo *indirecto* peccatum datur non solum contra caritatem, sed etiam contra virtutem, quae a proximo laeditur. At contra est, quod virtutes nos non obligant, ut *impediamus*, in aliis vitia opposita, licet praevisa, sed tantum ut non *intendamus* et *procuremus*, ut alii eas laedant. Ergo probabiliter in scandalo *indirecto* non datur peccatum contra virtutem, quam proximus violat. « Sicut enim in rebus naturalibus id quod est per accidens, non constituit speciem, ita etiam nec in rebus moralibus; in quibus id quod est *intentum*, est *per se;* quod autem sequitur *praeter intentionem*, est quasi *per accidens* ». S. Th. 2. 2. q. 39. a. 1. — Lugo de Poen. D. 16. n. 159. 168., Struggl q. 5. n. 21. seqq., L. 44. 45. 46. 47., l. 3. n. 537.

425. *Resolves:* 1.° Sufficit ergo in confessione exprimere generatim peccatum scandali, neque necesse est speciem peccati innuere, ad quod

inducti indirecte alii fuerint. Multo vero minus opus est, ut exprimantur circumstantiae, quae aliorum peccatis forte speciem superaddant, v. g., num qui induci ad luxuriam turpi sermone aut pictura potuerunt, coniugati sint, aut voto adstricti, etc. — 2.° Circumstantia sollicitationis et inductionis ad peccandum, e. g., ad fornicationem, circumstantia tantum aggravans est, adeoque sufficit confiteri fornicationem. Eadem enim malitia inductionis sive scandali habetur, licet minor, quando aliquis non sollicitat, sed consentit; consentiendo enim adhuc participat cum altero in suo peccato, et est causa cooperans ad eius ruinam. Quare haec malitia magis tantum aggravatur intra eandem speciem, si quis positive sollicitet. Et idem dicendum de collocutione turpi et simili. Ita Lugo, cuius sententia satis probabilis videtur S. Alph., « cum etiam in cooperatione ad fornicationem adsit peccatum *contra caritatem, bene distinctum* a peccato *cooperationis ad fornicationem, cooperando ad ruinam alterius partis* ». L. 46.

426. *An scandalum pusillorum sit vitandum? — Scandalum pusillorum, seu infirmorum vitandum est, quoties fieri potest, sine gravi incommodo, tum operis indifferentis, tum operis boni non praecepti omissione.* Prob. Quia ex caritate malum proximi impedire tenemur, cum facile possumus, v. g., abstinendo ab actione non valde utili, aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponendo, etc., cum proximus in illud discrimen incidit, *causa a nobis data.* Atqui *pusilli* seu *infirmi* in illud incidunt discrimen, *causa aliquo modo a nobis data*, nam, licet nostra actio *de se* non influat in peccatum proximi, *de facto* tamen influit, licet id sit ob proximi ignorantiam et infirmitatem. Ergo. 1. ad Cor. 8., 7. seqq. Unde patet scandalum *pusillorum* non esse *pure acceptum*, sed *aliquo modo datum*, datum nempe non ratione *operis* facti, sed ratione *circumstantiarum*, quibus opus illud fit, licet extrinsecae istae penitus sint.— L. 48.

427. *An vitandum quoque sit scandalum pharisaïcum? — Scandalum pharisaïcum, seu malitiosum, saltem ordinarie, nec omissione operis boni, nec omissione operis etiam indifferentis, mali speciem non habentis, est necessario vitandum.* Prob. Tale scandalum oritur a *sola malitia* illius, qui scandalum accipit, ac propterea non est *ullo pacto datum*, sed *pure acceptum.* Atqui caritas nullo pacto nos obligat, ut impediamus peccata aliorum omnino ipsis voluntaria, et omnino independentia a nostra agendi ratione, saltem *ordinarie;* caritas enim non urget cum tanto incommodo. Ergo. Matth. 15., 14. *Ordinarie;* nam, « si cura de bono proximi potest obligare ad bonum faciendum, cur non etiam *aliquando* ad intermittendum? Praesertim, cum nullo bono spirituali propterea privatur homo... quia hoc ipsum, quod est privare se merito illius operis propter bonum proximi, erit maius meritum, quam ipsum opus bonum. Unde in operibus consilii res est clara ». Suarez de Carit. D. 10. S. 3. n. 9. Casus esse posset, si ex dilatione, e. g., boni operis fructus speraretur.

428. *An liceat suadere minus malum alicui, ad maius exsequendum iam determinato?* — Alii negant, quia qui suadet minus malum, vere malum suadet. Alii probabilius affirmant, quia hoc genus consilii eo tendit formaliter, ne committatur maius peccatum. Ergo formaliter non nisi bonum suadet. Et hoc addit Sanchez cum Salm. licere, non solum privatis, sed

etiam confessariis, parentibus, et aliis, quibus ex officio incumbit impedire peccata subditorum. — L. 57., l. 5. n. 77.

429. *Resolves:* Licitum est aliquem ad ebrietatem inducere, ut ille impediatur a graviori malo, puta, homicidio committendo. L. l. 5. n. 77. Cf. 337. Licet volenti maius damnum uni inferre, suadere minus damnum *eidem* inferendum. *Eidem,* quia ratione iustitiae idem non videtur licere respectu *alterius personae determinatae,* saltem *ordinarie* et *per se loquendo,* quia tunc illud consilium est vera causa *de se efficax* damni alterius, et iniusta; non enim alter istud damnum subire tenetur, unde esset rationabiliter invitus. *Ordinarie* et *per se loquendo;* etenim, uti affirmat Viva prop. 36. Innoc. XI., volenti furari a Petro aliquid, ob quod ille in extremam redigeretur paupertatem, posset suaderi, uti aliquantulum subripiat a Paulo ditissimo, qui aliter in hoc esset irrationabiliter invitus. Immo sunt, qui tenent licere suadere minus malum etiam respectu *diversae personae determinatae;* quia hoc semper est a maiori malo tantum avertere, et non ad minus etiam inducere, et confirmatur exemplo Loth, qui filias stuprandas pro hospitibus obtulit. Gen. 19., 1. seqq. — Sanch. de Matr. l. 7. D. 11. n. 16. seqq., Vazquez Opusc. de Scand. art. 1. dub. 2. n. 14., L. l. 3. n. 565, Diana T. 7. tr. 5. de Scand. Res. 36.

430. *An liceat occasionem peccandi permittere, ut reus corrigatur, eamque etiam apponere?* — R. Affirmative, quando alter aliunde probabiliter ad continuandum peccatum censetur esse paratus. Ratio est, quia *permittere* non est inducere ad peccandum, et ratio adest sufficiens permittendi; quia permissio tunc est impeditiva maioris mali; permittitur enim unum peccatum, ne fiant plura. — Itemque *occasionem* etiam *apponere* peccati non est ex natura sua inducere ad peccatum, sed actus est *de se* indifferens, ex quo duplex sequitur effectus, alter bonus qui intenditur, alter malus, praeter intentionem agentis, et ex malitia peccantis, et ratio praeterea adest sufficiens istum actum ponendi. Ita probabilius, et confirmari potest exemplo Judith, quae cum videret permissionem libidinis in Holopherno futuram esse impeditionem malorum complurium pro toto populo Israelitico, ultro obiecit ei occasionem, nempe ornatum suum; et tamen in hoc communiter censent ipsam non peccasse. Judith 10. — Struggl q. 5. n. 33., L. 58.

431. *Resolves:* Licet patri et domino non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum nihilominus ad furandum propensos et paratos noverint, ut sic deprehensi puniantur et resipiscant. Licet custodi agrorum se abscondere, ut damnificantes capiat, et se indemnem servet a periculo damni obventuri. — L. l. c., S. Th. S. q. 62. a. 3. ad 4.

432. *An peccet mortaliter puella, ad conspiciendum se praebens viro scandalum passuro?* — Haec S. Alph. 53.: « Affirmant Busemb., S. Ant., Sylv., Nav., etc.... Sed valde probabiliter negant peccare graviter Cai., Sanch., etc. Sufficit enim, ut dicunt, ad eam excusandam, saltem a mortali, causa ne ipsa sua libertate privetur; cum ex una parte hoc scandalum non est datum, sed acceptum ex malitia viri; et ex alia res esset valde incommoda mulieri et scrupulis obnoxia, si expendere deberet semper, an habeat iustam causam egrediendi vel non. — Nequirem autem illam excusare a mortali, si ipsa, ex vanitate ducta, etsi scandalum illius viri non

intendat, *data opera* eius aspectui se offerat. Hinc recte dicunt Spor., Dian., Hurt., teneri mulierem sub gravi, scandalum *viri determinati* vitare, *si possit commode*, aliam Ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere, et similia. Hoc tamen non intelligendum *ad longum tempus*, sed tantum *pro una vel altera vice*, donec alter advertere possit, se fugi ab illa, et asserit Spor. in hoc omnes consentire. Nequirem etiam mulierem a mortali excusare, si illa peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret ibi amasium esse».

433. *Resolves:* 1.° Mulier, quae ex ornatu etiam *convenienti* suo statui, probabiliter praevidet *aliquem in particulari* lapsurum mortaliter, tenetur *ad breve tempus* eum dimittere, aut talis conspectum fugere. *Ad breve tempus*, quia *ad longum tempus* nimis illi grave foret. — 2.° Si vero idem timeretur *in particulari* ex ornatu *superfluo*, vano, et non convenienti statui, quem assumere vanitatis causa, seclusis aliis, non nisi veniale est, teneretur *per se loquendo* eum omnino dimittere, etiam sub mortali, quia nullum habet ius ad illum ornatum, et ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando *commode potest. Per se loquendo*, nam cum superflui ornatus, practice loquendo, mox in consuetudinem patriae foeminarum, quae honestae sunt, convertantur, neque dici absolute potest, quod ius non habeat talis mulier patriae consuetudinem sequendi, neque grave deest incommodum. — 3.° Si mulier non ita *in particulari*, sed *in genere* tantum aliquos in se scandalizandos putet, modo eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat, licet ei placeat quod laudetur ut formosa, non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam *superfluo* sub mortali, v. g., fucando faciem, etc. Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum quam datum, et ornatus ille ac pulchritudo remote tantum ad peccatum provocat, tum quia nimis grave esset isti sexui, praesertim si maritum quaerat, perpetuo sic abstinere; cum illa occasio sit *universalis* et *perpetua*, nec formosiores unquam licite irent foras, cum pulchritudo naturalis plus moveat quam artificialis. — L. 53. 54. 55., l. 3. n. 425., S. Th. 2. 2. q. 169. a. 1. 2., S. Antonin. P. 2. T. 4. C. 5., Diana T. 7. Tr. 5. R. 9.

434. *An ad scandalum vitandum tenearis dimittere bona temporalia?* — R. Negative, *ordinarie loquendo;* nam aut magna patienda est pecuniae iactura, et caritas erga proximum non urget cum tanto incommodo; aut levis tantum pecuniae iactura est, et haec cum saepius occurrere possit, iam gravis facile evadit; et bono communi praeterea noceret, cum iam malis occasio daretur aliena extorquendi et rapiendi, et ipsis malis nociva esset, cum in eorum prava voluntate sic firmarentur. *Ordinarie loquendo;* nam, si, in peculiari aliquo casu, grave cesset incommodum, et scandalum esset non *pharisaeorum* sed *pusillorum*, tunc vel bona temporalia sunt dimittenda, vel scandalum sedandum per aliquam admonitionem. — L. 52., S. Th. 2. 2. q. 43. a. 8.

435. *Resolves:* Non teneris plus aequo solvere operario vel rhedario, licet praevideas illum secus esse blasphematurum. — Non tenetur parochus iura stolae dimittere, licet plures praevideat obtrectaturos.

436. *An praecepta sint quandoque propter scandalum omittenda?* — R. Negative, si ex ista omissione propria salus periclitaretur, vel aliis, praesertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona spiritualia,

necessaria ad salutem, nec debet, nec potest quisquam dimittere ob cuiusquam scandalum. Negative etiam, si illa omissio sit intrinsece mala. Unde *praecepta naturalia negativa* omitti etiam nec debent, nec possunt. — Quoad *praecepta naturalia affirmativa,* per se et generatim, praetermittenda non sunt. Nam scandalum non est proprie datum, et est ratio sufficiens illud permittendi. Attamen ea omitti interdum possunt; quin immo et debent, si, omnibus prudenter pensatis, praestat vitare ruinam proximi, et grave inde damnum nobis non obveniat. Verius tamen dicitur in isto casu praecepta illa cessare, et non obligare, e. g., corrigendi peccatores, vel puniendi delinquentes, cum magis timeatur damnum quam fructus speratur. — Quoad *praecepta positiva humana* controvertitur. Prima sententia probabilis negat, quia iterum scandalum non est proprie datum, sed acceptum. Secunda sententia probabilis affirmat, secluso incommodo gravi, quia praeceptum vitandi scandalum proximi utpote naturale, positivis praeceptis praeferendum est. Hinc mulier sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad missam praeceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum, si spes adsit, ut deinde scandalum cesset: non tamen pluries ob *grave incommodum,* quod inde consequeretur. Alii tamen plures non minus probabiliter tenent bene posse illam semel vel iterum omittere sacrum, sed ad hoc non teneri. *Potest* ob probabilitatem posterioris sententiae. Non *tenetur*, quia iterum scandalum non est proprie *datum,* et est ratio sufficiens illud permittendi. — Notandum hic autem est, praesentem etiam controversiam locum habere non nisi in scandalo, quod aliquis *in particulari* pati possit; minime vero quando *generalis* adsit *timor,* ne quis forte scandalizetur; quia nimis id difficile esset. Itemque de scandalo tantum agitur *pusillorum;* nam si scandalum esset *pharisaicum,* occasio daretur malitiose semper bona impediendi. — Struggl q. 5. n. 30. 31., S. Th. 2. 2. q. 43. a. 7,, L. 50. 51. 52.

437. *An sit peccatum scandali petere ab alio aliquid, quod ipse non erit praebiturus absque peccato, cum iam paratus sit ad peccandum?* — Haec S. Alph. 47.: « Si res quae petitur sit de se *intrinsece mala,* ita ut nullo modo praestari possit sine peccato, prout est petere fornicationem a meretrice parata, non desunt plures dd., qui dicunt non esse peccatum scandali, quia cum talis mulier sit semper in actuali aut virtuali voluntate peccandi, non censetur graviter, sed leviter cooperari, qui occasionem ei praebet peccatum illud exequendi. Ita Sotus, Henriq., Azor, Valent., etc. Veneror tantorum dd. auctoritatem, sed non auderem recedere a sententia contraria, quam sequendam censeo, et tenent Sanch. cum Caiet., etc. Ratio mihi valde potens, quia, licet meretrix sit in actuali voluntate peccandi, certe tamen sibi infert ruinam graviter maiorem, opere complendo illud particulare fornicationis peccatum. Is igitur, qui illi cooperatur ad peccatum consummandum, dupliciter graviter peccat, tum contra caritatem, tum contra castitatem. — Si res, quae petitur sit *indifferens,* et bene possit praestari sine peccato, ut esset petere mutuum ab usurario, et similia; prima sententia tenet, non esse peccatum grave petere sine iusta causa. Ratio, quia, cum usurarius ille iam habeat voluntatem deliberatam peccandi, non inferes ipsi grave damnum, si proponas illi occasionem, qua exsequatur peccatum praeter tuam intentionem. Ea enim anticipatio operis externi peccatum illius tantum accidentaliter variat. Ita Lugo, Caiet., etc.

Secunda sententia, quam amplectimur, tenet id esse peccatum mortale tam contra caritatem, quam contra virtutem, ad quam laedendam occasio proximo praebetur, petendo ab illo mutuum, etc., sine gravi causa; nam, cum adsit gravis causa, petens omnino excusatur. Ita S. Th. 2. 2. q. 78. a. 4., Elbel., etc. Ratio, quia cum peccator actu externo notabilem maiorem ruinam sibi infert; non potest excusari a peccato gravi contra caritatem, qui sine gravi causa cooperatur illi ad opus exsequendum... Cum autem habemus gravem causam petendi non possumus sine gravi incommodo a petendo abstinere; et ideo tunc equidem excusamur. Ita Busemb., Sanch., Valent., etc. Notant autem Spor., Pont., etc., quod ad mutuum licite petendum ab usurario, non requiritur praecisa necessitas, sed sufficit quaevis notabilis utilitas, sive ad conservationem, sive ad decentiam status aut familiae ». — Lugo de Iust. et Iur. D. 25 n. 235., Diana T. 7. Tr. 5. R. 34. 55., L. 48. 49. 78., l. 3. n. 103. q. 5., 149., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 4.

438. *Nota.* Ex resolutione huius quaestionis, resolutio patet aliarum similium quaestionum: an liceat acceptare, offerre, dare, vendere, vel facere aliquid, quod alius non donet, acceptet, emat, vel utatur sine peccato; in quibus omnibus scandalum est per modum *cooperationis.*

439. *Resolves:* 1.° Non licet ergo petere, e. g., a notario aliquid officio suo oppositum. Licet vero sacramenta ab indigno ministro, aut iuramentum ab eo, qui peieraturus erit, petere, modo adsit iusta causa, nempe, pro primo casu, si adsit necessitas, aut notabilis utilitas spiritualis; pro secundo, si iudex petat iuramentum ratione officii, vel magni tua interest, uti periurio ad fraudes alterius manifestandas, ut ius tuum consequaris. — Peccat puella acceptans munera ab amasio, si ea ex turpi amore proveniant, nam turpem istum amorem fovent: secus vero, ut patet, si non nisi ex honesta benevolentia et amicitia procedant; vel si coram aliis offerantur, et absque aliorum scandalo et propria infamia respui nequeant. — Nullo pacto licet cauponi ad plures alliciendos hospites choreas graviter turpes ordinarie admittere in suis aedibus, vel illis legenda proponere publica folia, quae evidenter et ordinarie sint religioni vel bonis moribus adversa. — In civitatibus, in quibus vitandi maioris mali causa permissum est, licet domum locare usurario et meretrici; maxime si alii conductores desint, aut illis alias aedes conducere facile sit, nisi tamen meretrix graviter noceret vicinis honestis, vel ob situm ansam maiorem daret peccatis. — L. 47. 60. 61. 70. 76. 77. 79., l. 3. n. 434. 734., S. Th. 2. 2. q. 10. a. 11., Ithur. Cas. 26.

2.° Licet vendere res *indifferentes,* aut quae bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, quia malum non est praesumendum. Hinc licet vendere aleas, gladios, fucos, vinum, etc., etsi plurimi his abutantur, quia haec non ordinantur per se ad peccatum, immo saepe bono usui inserviunt. — Non licet vero vendere has ipsas res *indifferentes,* quando certo cognoscitur, emptorem illis male usurum esse, nisi denegari absque gravi incommodo non possent, vel etiam nisi aeque ab aliis emerentur; in hoc enim postremo casu, si vendens peccaret, hoc ideo tantum esset, quia non impedit peccatum proximi. Atqui, licet non venderet, non ideo impediret peccatum; alius enim esset qui venderet. Hinc non licet vendere ornamenta honesta puellae, si venditori constaret de abusu futuro, nisi notabile damnum pateretur, vel si aeque illa ab

aliis emeret. Ita La-Croix l. 2. n. 263., aliique. Sed postremum casum non admittit S. Alph. 71. — Non licet vendere vinum absque gravi et proportionata causa eis, qui revendunt mixtum aqua. Non licet pariter cauponi vendere vinum iis, qui praevidentur se inebriari, vel carnes comesturis die vetito praebere, nisi excuset gravis ratio, puta si alias notabiliter laederetur ex diminutione emptorum. Unde etiam licet communiter cauponi dare carnes quando petuntur, nisi petitio fiat in contemptum religionis; quia gravissimum incommodum esset inquirere de rationibus cuiusque petentis. L. 68. 69. 78. Immo licet generatim cauponi apud quem divertunt rhedae publicae, mensam cibis licitis vel illicitis struere; quia cum constet plures carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere quid velint. A fortiori licet vendere carnes diebus abstinentiae et tempore quadragesimae, quia venditor de rationibus ementium diiudicare nequit, nec pertinet ad ipsum de illis inquirere. L. l. 3. n. 1030. — Non licet vero vendere res, quae ex institutione sua vel usu sunt *destinatae ad malum*, nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata ratio excuset. Hinc non licet vendere venenum; nisi moraliter constet emptorem illo bene usurum, v. g., ad confectionem colorum, medicinae, etc. Non licet pravos libros indiscriminatim vendere, cuilibet scilicet emptori. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus ac doctis, qui huiusmodi libros utiliter legere possunt, v. g., ad eos confutandos, etc. Excipe tamen libros prorsus obscoenos, qui radicitus sunt extirpandi. Tambur. in Decal. l. 1. C. 1. § 4. n. 37., L. 69. 72. 76.

3.° Licitum est operariis theatra aedificare, et ornare, si ornamenta in se honesta sint, etsi gravis alia ratio desit; quia licitum est principibus spectacula permittere. Fas est Iudaeorum synagogas, et haereticorum templa, permittente legitimo magistratu, restaurare et aedificare, secluso tamen scandalo et quovis religionis contemptu, praesertim si aeque fieret sine ipsis. Licet etiam idolorum statuas conficere, si haec non debeant adhiberi ad falsum cultum, sed ad ornamentum platearum, aedificiorum, etc. — Licet captivis christianis ex gravi metu remigare in triremibus infidelium contra catholicos. Nam quid intrinsece malum non faciunt, nec proxime perniciosum christianis. Aliunde adest gravissima et proportionata causa id faciendi. — Non licet componere, sive repraesentare comoedias graviter turpes, quodcumque sit lucrum. « Pariter graviter peccant pingentes sive exponentes *publice* imagines obscoenas, scilicet detectis pudendis, sive tenui velo coopertis, secus si detectis aliis partibus, pudenda tegantur ». L. 56. Excipe tamen, si quid huiusmodi pingendum sit, v. g., ad scientiam anatomicam aut obstetriciam docendam vel addiscendam. — L. 73., l. 3. n. 427.-429.

440. *An nunquam liceat alterius peccato cooperari?* — *Cooperatio* in genere est concursus cum alio principaliter agente. Prout autem caritati adversari potest, est participatio quaedam ad actionem pravam alterius. Cooperatio est: 1.° *immediata* vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones cum peccato alterius connexionem aliquam habentes. 2.° *Proxima* vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius, ex natura sua vel ex circumstantiis, cum prava alterius actione connectitur. 3.° *Positiva* vel *negativa*, prout cooperans vel ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. g.,

eum adiuvando, vel omittit actum debitum, v. g., si non obstet cum obstare deberet. 4.° *Formalis* vel *materialis. Formalis* concurrit ad malam voluntatem alterius, et nequit esse absque peccato, utpote quae intendit ipsam cooperationem ad pravam actionem alterius, vel *explicita* operantis intentione, vel *implicita* in ipso opere, quod *natura sua* ad pravam actionem ordinatur. *Materialis* concurrit tantum ad malam actionem alterius, sine ulla intentione cooperandi ad peccatum, neque in *actu signato,* neque in *actu exercito.* — Ut scandalum ita cooperatio dupliciter haberi potest: 1.° *inducendo* alium ad peccandum, et proprie *scandalum* est; 2.° *agendo* aliquo modo *simul* cum eo qui peccat, et est proprie *cooperatio;* quae eandem *specie* malitiam scandali habet, nempe et contra caritatem et contra virtutem, quam alius peccando laedit, cum cooperatio *formalis* sit.

Certum est, nunquam licere cooperationem *formalem,* cum haec moraliter influat in peccatum alterius, et proinde sit illius causa moralis. — Cooperatio *materialis* licita est, dummodo 1.° actio sit per se *bona,* vel saltem *indifferens;* 2.° non teneatur quis *ex officio* peccatum impedire; 3.° adsitque *causa iusta et proportionata* ad gravitatem peccati alterius, et ad proximitatem concursus ad peccati exsecutionem. Ratio est, quia, cum tu praestas actionem honestam, vel indifferentem, sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad peccatum exsequendum, non teneris, nisi ex caritate, illud impedire; et cum caritas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum iusta causa, non peccas: neque enim peccatum illius provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. — *Causa proportionata;* nam cum obligatio illam actionem vitandi consurgat ex obligatione virtutis, cui opponitur proximi peccatum, et obligatio omnis virtutis non sit aequalis, sed quaedam magis, quaedam minus obliget, neque cooperationes pares sint, sed quaedam magis, quaedam minus ad peccatum accedunt; insuper nec aequa semper certitudo est, te non cooperante alterum non peccaturum; neque vero idem semper est ius ad actionem, sed aliquando maius aliquando minus; ideo non semper aequalis causa erit *proportionata* ad hanc cooperationem praestandam, sed quandoque maior, quandoque minor erit necessaria. Hinc urgentior causa desideratur, quando peccatum est *contra iustitiam* quam *contra solam caritatem,* et talis, quae merito praeferri possit damno alterius. Ratio est, quia in illis innocens invitus damnum patitur; in his autem solus peccans detrimentum spirituale subit, idque propria voluntate, quod idem detrimentum patitur cum contra iustitiam peccat. — Sanch. l. 1. c. 7. n. 12., L. 59. 63., E. M.

441. *Resolves:* 1.° Fas est famulo ostium aperire meretrici, quia huiusmodi materialis cooperatio satis remota est, maxime dum, eo etiam non aperiente, adhuc esset qui aperiret. — 2.° Haud quidem illicitum est, si famulus equum sternat domini ad peccandum profecturi, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici. — 3.° Licitum est famulo dominum ad concubinae domum comitari, quando etiam, famulo non comite, herus adiret, nec ex eo animosior reddatur, quia tunc est merus comitatus; et ipse famulatus ratio sufficienter excusat. Ita Busemb., aliique. Sed S. Alph. 63. 64. aliique hunc casum et praecedentem non nisi ex gravis damni metu excusant. Si herus vero

famulum comitem adhiberet, ut securius et liberius peccaret, tunc certe illicitum esset, quia iam influeret proxime in peccatum. Illicitum item prorsus esset famulo subiicere humeros, vel deferre scalam domino ascendenti ad fornicandum, vi aperire ianuam et similia, nam cooperatio omnino proxima est, et facilius reddens peccatum, in gravissimum damnum tertii. Cum tamen hae actiones intrinsece malae non sint, illicitae adhuc non essent, si metus mortis aut mutilationis accederet. Nullum alium timorem, addit S. Alph. 66., excusare cooperantem, nisi mortis; nam alias, ob solum metum iacturae facultatum, vel infamiae, non licet concurrere ad dehonorationem puellae deflorandae. — 4.° Sporer de 8.° praecepto c. 1. n. 99. famulum etiam excusat, dona meretrici deferentem, « quia, inquit, ex una parte illi ex officio et conditione sua tenentur dominis servire et obsequi; ex altera vero parte cooperatio ad peccatum mere materialis est, et tantum remota ». Alii vero aliam valde gravem requirunt rationem, quia cum munera haec apta sint ad libidinem fovendam cooperatio proxima est. Ac propter hanc ipsam rationem non licet famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre, nisi gravior et proportionata adsit ratio. Alii tamen, ut quoad dona, ita quoad epistolas deferendas specialem hanc non requirunt rationem, praeter ipsum famulatum. Nam hic attendendum non videtur, utrum *epistolae* vel *munera* habeant vim fovendi turpem amorem, sed ipsa *actio ferendi epistolas aut munera* spectanda est, quae de se indifferens est. Secus enim, cum vim fovendi turpem amorem magis habeat aspectus, neque ianuam aperire licebit. Ceterum famulus non tenetur inquirere quid litteris contineatur. — L. 63.- 68. 75., l. 3. n. 571., Salm. Tr. 21. c. 8. n. 72., Sanch. in Dec. l. 1. c. 7. n. 22. 23., E. M.

442. *An liceat meretricibus vel concubinariis famulari?* — R. Negative, *per se* et *ordinarie loquendo;* tum ob aliorum scandalum, tum etiam ob maximum lapsus periculum. Illi ergo casus, qui in praxi excipiendi sunt, ex necessitatis gradu et personarum adiunctis, scandalum et proximum peccandi periculum removentibus, diiudicandi erunt.

443. *An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?* — *Generatim* non videtur licitum esse *immediate cooperari* impressioni talium librorum, v. g., typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, etc., quia hoc valde propinque ad pravam librorum doctrinam divulgandam accedit. Attamen, in casu gravissimi detrimenti, *ad breve tempus, tale quidpiam materialiter* praestari posset, cum res tandem intrinsece illicita non sit. — Licet autem, gravi de causa, *cooperari mediate,* seu remote, v. g., atramentum vel chartam praeparare, aut libros impressos ordinare. — Laymann de Carit. c. 13. n. 4.

444. *An, qui pravum librum ab alio legendum commodatum acceperit, eum domino restituere possit?* — R. Negative, nisi prudens timor cuiuspiam gravis incommodi aliter suadeat. Hoc sua sponte defluit ex obligatione aliorum peccata impediendi, ratione caritatis, quando id sine gravi incommodo fieri possit. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixas, blasphemias, odia aliaque eiusmodi a domino pertimescas.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

445. *Quaenam sit natura et tractatio cardinalium virtutum?* — Diximus hactenus de virtutibus *theologicis*, ita dictis, quia earum obiectum tum *materiale* primarium, tum *formale* Deus est. *Materiale*, siquidem Deus est, quem credimus, speramus, amamus. *Formale*, nam credimus Deo, quia veritas est; Deum speramus, quia bonus est nobis; Deum diligimus, quia summa in se bonitas est. Praeter virtutes *theologicas*, virtutes adsunt *morales*, ita dictae, quia voluntatem, in ordine ad bonum honestum prosequendum perficiunt. Huiusmodi virtutes numerantur quatuor principales, seu *cardinales:* prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo, quarum naturam et tractationem in Theologia Morali breviter seqq. paragraphis explicabimus. — S. Th. 1. 2. q. 61. 62.

446. *Prudentia* est specialis quaedam virtus intellectus practici, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe. Et sic prudentia recta ratio agendorum est, seu virtus recte ordinans ea quae sunt ad finem totius vitae. Omnis autem virtus *in medio* est; medium est ea facere quae virtus praecipit, quando oportet, ubi oportet, prout oportet; adeoque prudentiae officium est huiusmodi medium invenire. S. Th. 2. 2. q. 47. — Hic prudentiae praeceptum non datur, ratione sui, sed ratione tantum alterius, nempe virtutis exercendae et peccati vitandi. S. Th. 2. 2. q. 56. Ut ergo ad prudentiam spectant omnia Decalogi praecepta, ita ad prudentiam spectat universa Moralis Theologia, speciatim vero Tractatus de Conscientia et de opinione probabili; siquidem tota Moralis Theologia et praedictus tractatus in particulari regulas tradunt, ut *prudenter* et *recte* agamus. Quare nihil speciatim hic dicendum est de prudentia. — Prudentiae vero opponitur *imprudentia.* Ea est *vel privative*, vel *contrarie* talis. « *Negative* autem non proprie dicitur, ita scilicet quod proprie importet *solam carentiam prudentiae;* quae potest esse sine peccato. *Privative* quidem imprudentia dicitur, in quantum aliquis caret prudentia, quam quis *natus est et debet* habere; et secundum hoc *imprudentia* est peccatum *ratione negligentiae*, qua quis non adhibet studium ad prudentiam habendam. *Contrarie* vero accipitur imprudentia, secundum quod ratio contrario modo movetur, vel agit, prudentiae; puta si recta ratio prudentiae agit consiliando, imprudens consilium spernit; et sic de aliis quae in actu prudentiae consideranda sunt. Et hoc modo *imprudentia* est peccatum *secundum rationem propriam prudentiae.* Non enim potest hoc contingere, quod homo contra prudentiam agat, nisi divertens a regulis, quibus ratio prudentiae rectificatur. Unde, si hoc contingat per aversionem a regulis divinis, est peccatum mortale; puta *cum quis quasi contemnens et repudians divina documenta*, praecipitanter agit. Si vero praeter ea agat *absque contemptu, et absque detrimento eorum, quae sunt de necessitate salutis*, est peccatum veniale ». S. Th. 2. 2. q. 53. a. 1.

447. *Iustitia* virtus est, quae *debitum* reddit ad aequalitatem. Hinc aliae virtutes morales *medium* tenent *rationis*, secundum nempe *pru-*

dentem aestimationem. Cum enim circa passiones regendas versentur, illud, quod rectum est pro uno, parum vel nimium pro alio est. Iustitia vero *medium rei* attingit, secundum nempe *aequalitatem rei ad rem*, ut scilicet tantum reddatur quantum debetur. Et sic medium iustitiae variare non potest pro personis, locis et tempore; sed quivis sit, ubicumque et quandocumque, qui debeat centum, et quicumque sit creditor, huic centum reddere debet. Si reddat quinquaginta iustitiam laedit, si centum et quinquaginta liberalitatem exercet. — Iustitiae *iniustitia* opponitur. — Nihil iterum speciatim hic dicendum est de iustitia. De ea enim agitur in Praeceptis Decalogi, potissimum vero in Tr. de quinto et de septimo Pr. — S. Th. 2. 2. q. 58. 59. 61.

448. *Fortitudo* virtus est, quae animum moderatur et firmat contra pericula praesertim mortis. — Non datur praeceptum *per se* huius virtutis; sed ratione tantum alicuius specialis praecepti implendi, e. g., martyrii etiam subeundi, ne fides denegetur. An autem et quando detur obligatio legem servandi, etiam cum vitae discrimine, dictum est in Tr. de Legibus, et in singulis Tractatibus explicatur, cum quaeritur, an liceat aliquid agere saltem ad mortem vitandam. — Quare neque de *fortitudine* instituenda hic est specialis tractatio. — Duplex fortitudinis est actus, *aggredi* et *sustinere.* Ad actum aggrediendi duo requiruntur. Primum est animi praeparatio, ut scilicet aliquis promptum animum habeat ad aggrediendum, quod praestat *magnanimitas.* Alterum operis executionem respicit, ne scilicet aliquis deficiat in executione illorum, quae magnanime inchoavit, quod praestat *magnificentia.* Ad actum sustinendi duo etiam requiruntur. Primum est, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, et decidat a sua magnitudine, et ad hoc ponitur *patientia.* Alterum est, ut ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur usque ad hoc quod desistat; et ad hoc ponitur *perseverantia.* — Fortitudini opponitur timor, intimiditas, audacia. Magnanimitati opponitur praesumptio, ambitio, inanis gloria, pusillanimitas. Magnificentiae opponitur parvificentia et consumptio vel nimia profusio. Patientiae opponitur impatientia, perseverantiae vero mollities et pertinacia. — S. Th. 2. 2. q. 133. seqq.

449. *Temperantia* virtus est, quae concupiscentiam et delectationem moderatur sensibilium bonorum. Porro bona sensibilia alia ad individuum, alia ad speciem conservandam spectant. Hinc temperantia in *abstinentiam* et *sobrietatem; humilitatem, mansuetudinem* et *modestiam; castitatem* et *pudicitiam* potissimum diducitur. — *Abstinentiae* opponitur *gula, sobrietati* opponitur *ebrietas,* de quibus iam egimus, cum de vitiis capitalibus diximus in Tr. de Peccatis, et iterum agendum est in Tr. de Praeceptis Ecclesiae. *Humilitati* opponitur *superbia, mansuetudini* opponitur *ira,* de quibus eodem in loco Tractatus de Peccatis diximus; de peccatis vero modestiae oppositis in sexto Decalogi Praecepto dicemus. Tandem *castitati* et *pudicitiae* opponitur *luxuria,* de qua etiam diximus in eod. Tr. de Peccatis, de vitiis capitalibus agentes. De ea tamen praecipue agendum erit in sexto et nono Decalogi Praecepto. Quare specialis tractatio de temperantia instituenda hic non est. — S. Th. 2. 2. q. 141. seqq.

DE PRIMO DECALOGI PRAECEPTO

I. — DE DEVOTIONE ET ORATIONE

450. *Quid primum Decalogi Praeceptum?* — Primum Decalogi praeceptum est: *Ego sum Dominus Deus tuus... non habebis deos alienos.* Exod. 20., 2. — Hoc praeceptum, qua *affirmativum*, praescribit in primis actus virtutis religionis; qua *negativum* prohibet vitia religioni opposita. Est autem religio virtus moralis, quae debitum cultum Deo, tamquam primo rerum omnium principio exhibet. Hinc post virtutes theologicas primum locum obtinet; adeoque peccata ipsi opposita gravissima, et ex genere suo mortalia sunt. — Religionis actus alii sunt interni, alii externi. S. Th. duos ponit actus internos: *devotionem* et *orationem*. Externos facit reliquos, *adorationem, sacrificium, oblationem primitiarum* et *donorum. oblationem decimarum, votum, iuramentum, adiurationem, laudem,* quibus infra adiungit *festorum sanctificationem* et *sacramentorum usum*, quatenus per ipsum protestamur Deum esse gratiae auctorem, qua mentem et animam nostram afficit, ut eas sibi magis magisque subiiciat. Addi insuper possunt omnes prorsus observationes sacrae, et caeremoniae ab Ecclesia ad cultum Dei ordinatae, uti sunt erectio ecclesiarum et altarium, usus rerum ab Ecclesia benedictarum, etc., quae ex religionis motivo ab Ecclesia determinantur et praescribuntur. — Actus vero religioni oppositi, alii tales sunt *per excessum*, ut superstitio cum suis speciebus, alii *per defectum*, ut irreligiositas cum suis. Ad superstitionem pertinent *idololatria, divinatio, vana observatio;* ad irreligiositatem, *tentatio* Dei, *periurium, infidelitas in promissis, blasphemia, sacrilegium, simonia.* — In praesenti Tractatu de illis tantum religionis actibus et oppositis peccatis dicemus, quae respiciunt hoc primum Decalogi praeceptum, de reliquis in duobus sequentibus praeceptis, aliisque propriis in locis sermo erit. Tria enim prima praecepta sunt de actibus religionis. — S. Th. 2. 2. q. 81. seqq., 1. 2. q. 100. a. 4.-8., L. init., Struggl 8. 9., Tr. 5. q. 1. n. 4. 5. 6.

451. *Quid devotio?* — Devotio est voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum. Devotio ergo specialem quemdam importat voluntatis actum, tradendi nempe se Dei famulatui. et specialem quamdam huius actus qualitatem, scilicet praedictam promptitudinem. Discrimen autem est inter traditionem sui, quae habetur per caritatem, et traditionem sui, quae habetur per devotionem. Per caritatem enim homo tradit seipsum immediate Deo, adhaerendo ei per quamdam spiritus unionem. Per religionem autem homo tradit seipsum immediate ad opera divini cultus. — S. Th. 2. 2. q. 82.

452. *Quid et quotuplex oratio?* — Oratio sumitur hic, prout significat quamdam deprecationem vel petitionem, secundum quod August. dicit. quod *oratio petitio quaedam est,* et Damasc., *oratio est petitio decentium a Deo.* Quare oratio definiri potest: quoddam veluti mentis nostrae colloquium cum Deo, in quo rei alicuius obtinendae desiderium eidem pa-

tefacimus. — Oratio est *mentalis* vel *vocalis,* prout sola mente peragitur, vel mentis conceptus etiam ore exprimuntur. *Privata* est vel *publica,* prout fit a persona privata et privato nomine, vel a communitate, aut Ecclesiae ministro nomine Ecclesiae, modo ab hac praescriptis. Ad hanc quam maxime pertinent *missa* et *horae canonicae*, de quibus speciatim dicemus, ubi sermo erit de sacramentis et de praeceptis particularibus. — Circa orationes *publicas* duo generatim sunt attendenda ex Bened. XIV.: 1.° Quod istae orationes, earumque formulae non a privatis, sed ab Ecclesiastica auctoritate indicandae et designandae sunt, B. *Quemadmodum.* 2.° Quod in sacris ritibus non aliae sunt adhibendae, nisi quae ab Ecclesia sunt receptae, B. *Inter omnigenas.* — Struggl n. 21., S. Th., 2. 2. q. 83., Suarez de Relig. Tr. 4. l. 1. c. 3. seqq., E. M.

453. *An detur orationis praeceptum?* — R. Affirmative. Prob. 1.° quia frequentissime in SS. tum a Christo, tum ab Apostolis, uti necessaria ad salutem praecipitur. 2.° Quia, *quantum est ex parte Dei,* gratias suas Deus, si paucas excipias, v. g., initium fidei, sub ea tantum conditione nobis elargiri *ordinarie* solet, ut easdem oratione expostulemus, idcirco legitur: *Non habetis propter quod non postulatis.* Jac. 4., 2. Et August. in Ps. 39.: « Deus dare vult, sed non dat nisi petenti ». *Ordinarie,* siquidem identidem Deus ex sua misericordia infinita etiam non petentibus gratias confert suas. Et hoc sensu probabilius et communiter docent, adultis orationem necessariam quoque esse necessitate medii ad salutem. Illud enim vere dici potest de necessitate medii, sine quo, attento ordinario divino ordine providentiae, salus ordinarie obtineri non potest. *Quantum* autem *est ex parte hominis,* summa eius indigentia est, ita ut quisque iure merito cum Propheta debeat exclamare: *Libera me, Quia egenus et pauper ego sum.* Ps. 108., 21. 22. Quare Angelicus: « Ad orationem quilibet homo tenetur ad bona spiritualia procuranda, quae non nisi divinitus dantur: unde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur ». In 4. D. 13. q. 4. a. 1., 3. p. q. 39. a. 5. — L. init., S. Th. 2. 2. q. 83. a. 2., Struggl n. 22.-24., E. M.

454. *Quandonam praedictum praeceptum urgeat?* — *Orationis praeceptum frequenter urget.* Prob. Christi enim et Apostolorum praeceptum est, ut *semper omni tempore*, *sine intermissione* oremus, quae verba non probant singulis physice momentis orandum esse, quod foret impossibile, sed *frequenter* orandum esse, tempore opportuno. Luc. 18., 1.; ad Thessal. 5., 17. — Porro praeceptum hoc *obligat per se:* 1.° Quando homo usum rationis adipiscitur, tunc enim tenetur se ad Deum convertere, eumque tamquam omnium bonorum fontem agnoscere ac supremo rerum omnium Domino sese subiicere, ad quod mirifice oratio inservit, S. Th. 1. 2. q. 89. a. 6. — 2.° Tempore mortis, tunc enim maxime necessaria est perseverantia finalis, ad quam obtinendam oratio est necessaria. « Cum constat, inquit August., alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam, profecto qui ex seipso hanc se habere putat, non orat ut habeat ». Lib. de Don. Perserv. c. 16. n. 39. — 3.° « Per certa intervalla horarum et temporum », ut ait idem August. Ep. 130. Porro alii docent, orandum esse sub gravi saltem semel in anno, alii sexto quoque mense, alii singulis ferme mensibus, alii singulis omnino mensibus, eodem fere pacto ac praeceptum fidei, spei et caritatis. — *Obligat* vero *per accidens:* 1.° Quoties

urget aliquod praeceptum, quod impleri non possit absque oratione; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. — 2.° Quando gravis urgeat tentatio, quae alio modo repelli non possit. — 3.° Generatim quoties aliquod auxilium divinum speciale nobis necessarium videtur, ut in gravi quadam calamitate sive privata, sive publica. — *Pro laicis et pro simplicibus clericis* ad peragendas *certas preces* nullum datur praeceptum. *Pro clericis* vero *constitutis in sacris ordinibus, et pro beneficiatis,* Ecclesiae praeceptum adest canonicas horas recitandi. — Qui omittit preces matutinas aut vespertinas, *per se,* non peccat, si interdum tantum eas omittat. Ratio est, quia nulla lex est, quae determinatas preces singulis diebus et certis horis praecipiat. DD. tamen advertunt, raro aliquam abesse negligentiae et acediae culpam. Ceterum in praxi excusari prorsus ab aliqua culpa non possunt, qui illas saepius omittunt, tum quia forte minime orant alio tempore, aliove modo, et sic orationis praecepto aliquando deerunt, tum quia ob pericula, quae quotidie occurrunt, neglecta oratione, in plura peccata labentur. — L. init., E. M.

455. *Quaenam sint orationis conditiones? — Ut oratio legitime fiat, debet fieri cum attentione, humilitate, fiducia, perseverantia.* Prob. 1.ª p. Qui enim mente voluntarie distrahitur, actu quo orat, incurrit in illam Dei reprehensionem: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Matth. 15., 8. Quomodo sane audiri postulat, qui seipsum non audit? *Per se* autem peccat venialiter, qui sine iusta ratione voluntarie distrahitur; idque valet etiamsi oratio fiat absque obligatione, quia aliquam irreverentiam Deo irrogat. Prob. 2.ª p. Scriptum est enim: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum... Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Ps. 101., 18.; Eccl. 35., 21. Prob. 3.ª p. *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Marc. 11., 24. Prob. 4.ª p. *Orationi instante, vigilantes in ea.* Ad Col. 4., 2. — Struggl 27. seqq., Elbel 419., S. Th. 2. 2. q. 83. a. 13. 14. 15., Quodl. 3. a. 8. 9., L. l. 4. n. 176., Suarez de Relig. Tr. 4. l. 3. c. 4., E. M.

456. *Quosnam praeter Deum orare possimus? — Beatam Virginem Mariam,* ut mediatricem nostram; *Angelos,* ut custodes hominum; omnes *Sanctos* et amicos Dei, ut intercessores nostros apud Deum. Invocari privatim possunt etiam *infantes baptizati,* et ante usum rationis defuncti, cum Sancti sint et regnent cum Christo, et iuxta Less., Bellarm., Bonac., Elbel idem probabilius dicendum est de de *Animabus in Purgatorio detentis.* Et sane amici sunt Dei. Neque vero repugnat eos, qui nostris precibus indigent, posse pro nobis utiliter orare; sicut viventes pro se invicem utiliter orant, licet etiam indigeant, ut pro ipsis oretur. — Invocatio autem Sanctorum est *de consilio,* non vero de praecepto, cum Trid. S. 25. dicat tantum, esse *bonum* et *utile* eos invocare. Attamen aiunt communiter a peccato veniali non esse excusandum, qui nunquam B. Virg. invocaret. — Trid. S. 25. *de Invocat.,* etc., Gur. comp. 262., Cas. 247., Struggl 31., Del Vecchio V. 1. n. 663., E. M.

457. *Pro quibus nos orare possimus?* — 1.° Neque *pro Sanctis,* neque *pro damnatis* orandum est. Illi enim beatitudine nunquam defutura potiuntur in coelo, isti vero suppliciis aeternis iam sunt immutabiliter mancipati in inferno. Honestum autem est orare *pro iustis, qui in igne pur-*

gatorii detinentur. Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. 2. Mach. 12., 46. Item orare licet et debemus *pro nobismetipsis*, et, *si de oratione privata sit sermo, pro omnibus*, qui in terris degunt sive fideles sive infideles, sive iusti sive peccatores, sive excommunicati sive non, sive amici sive inimici, pro iis nempe omnibus orandum est, quos iubemur diligere iuxta illud Christi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 22., 39. Hinc Apostolus ait: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus... hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* 1. Tim. 2., 1. seqq. *Si de oratione privata*, etc., quoad *publicam* enim vide exceptionem in Tr. de Censuris n. 1111. Huic autem muneri pro omnibus orandi satisfit, si quis, licet nullam aliorum faciat specialem mentionem, in iis tamen precibus, quae non pro se tantum funduntur, cuiusmodi sunt *oratio dominica et salutatio angelica*, neminem excludat. — S. Th. 2. 2. q. 83. a. 7. 8., Struggl 32., E. M.

458. *Quid petere orantes debeamus et possimus?* — Petere in primis debemus *bona spiritualia* eaque *absolute*, quia certum est non posse nos iisdem abuti: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius.* Matth. 6., 33. Petere autem possumus et *bona temporalia, et mala poenae temporalis*, ut humiliatio, paupertas, etc., sed *conditionate;* possunt enim aliquando nos ad salutem iuvare. — Struggl 25., S. Th. 2. 2. q. 83. a. 6.

II. — DE ADORATIONE

459. *Quomodo dividantur actus externi religionis?* — Hi actus in tres classes distribuuntur. Ad primam pertinent actus illi, per quos aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet, talis est *adoratio;* ad secundam pertinent illi actus, quibus aliquid de rebus exterioribus Deo offertur. Circa quos occurrit duplex consideratio: Prima quidem est de his, quae Deo a fidelibus dantur, ubi considerandum est *de sacrificiis, oblationibus, primitiis*, et *decimis*, ac *de sanctificatione festorum.* Considerationem *de sacrificiis* remittimus ad Tr. de Eucharistia; considerationem *de sanctificatione festorum* ad Tr. de tertio Decalogi praecepto; considerationem autem *de oblationibus, primitiis*, et *decimis* omittimus, cum nullum nunc vigeat in universa Ecclesia tale praeceptum. Cf. 1548. Altera consideratio est *de votis*, quibus Deo aliqua promittuntur, et hanc considerationem ad secundum Decalogi praeceptum remittimus. Ad tertiam denique classem pertinent actus illi, quibus aliquid divinum ab hominibus assumitur, quod est vel *sacramentum* aliquod, vel ipsum *nomen divinum.* Sed de sacramenti assumptione locus erit dicendi in Tr. de Sacramentis. Assumptio autem nominis divini tripliciter fit: uno modo per modum *iuramenti* ad propria verba confirmanda; alio modo per modum *adiurationis* ad alios inducendos; tertio modo per modum *invocationis* ad orandum, vel laudandum. Et de his omnibus dicendum etiam erit in secundo Decalogi praecepto. Quare hic non nisi de adoratione sermo erit. — S. Th. 2. 2. q. 84. 85. 86. 89.

460. *Quid et quotuplex adoratio?* — Adoratio est honor, externo corporis gestu alteri exhibitus, quo testamur nostram submissionem, et alterius excellentiam; vel quatenus est signum internae aestimationis, reverentiae et submissionis erga alterum, et consequenter illius quoque excellentiae. Adoratio ergo duplicem exigit actum internum; alterum intellectus, alterum voluntatis. Prior est iudicium speculativum de excellentia alterius; et iudicium practicum, honestum esse nos illi submitti propter excellentiam suam, et nostram respectu eius inferioritatem. Posterior vero est imperium voluntatis se demittendi ob superiorem illam in altero excellentiam. Unde demum exsistit exsecutio ipsa in exteriori corporis gestu.

Adoratio alia est *politica,* alia est *religiosa,* prout alteri cultum exhibet ob dignitatem aut excellentiam mere civilem, vel ob supernaturalem excellentiam, quae in Deo et in Sanctis eius reperitur. — Haec tres sub se species complectitur: Prima est *latria,* quae suprema est et singularis, quam soli Deo debemus, ob excellentiam divinam ipsi propriam, quaeque proinde nulli alteri communicabilis est, iuxta Matth. 4., 10. — Secunda *dulia,* quae Angelis et aliis Sanctis convenit, ob supernaturalem et creatam excellentiam, quae in ipsis est. — Tertia *hyperdulia,* quae B. Virgini exhibetur, ob supernaturalem et creatam eius excellentiam, sed plane singularem, et aliis omnibus creatis excellentiis maiorem et supereminentem.

Porro quaelibet adorationis species dividitur in *absolutam* et *respectivam.* Absoluta est, quando aliquid adoratur aut colitur propter excellentiam sibi intrinsecam; et ita adoratur cultu latriae absoluto Deus, SS.^ma^ Trinitas, Christus etiam ut homo, SS.^mum^ Eucharistiae Sacramentum, cultu vero duliae absoluto Sancti, cultu hyperduliae absoluto SS.^ma^ Virgo. Respectiva vero est, quando aliquid adoratur aut colitur propter excellentiam et sanctitatem sibi extrinsecam, sed intrinsecam illi, ad quem in aestimatione morali refertur; et ita adorantur cultu latriae respectivo SS.^mum^ Nomen Jesu, Christi Passionis instrumenta, Crux; cultu duliae respectivo, Sanctorum reliquiae, imagines, etc.; cultu hyperduliae respectivo SS.^mae^ Virginis imagines, etc. — Trid. S. 25. Decr. *de Invocat.* etc., S. Th. 2. 2. q. 84., Suarez de Relig. Tr. 2. l. 1. c. 2., Struggl 11. seqq., E. M.

461. *An homines qui e vita cesserunt cum sanctitatis fama adorari possint?* — Honorari possunt cultu *privato.* Verum cultu *solemni* et *publico* honorari nequeunt, nisi in Album Sanctorum vel Beatorum a S. Pontifice adnumerati fuerint. Est autem cultus *publicus,* qui nomine Ecclesiae, vel tanquam ab ea institutus exhibetur, *privatus* vero qui ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fiat. Itaque non licet ecclesias aut altaria erigere in honorem Sanctorum non canonizatorum, vel saltem non beatificatorum, Cf. 463.; nec licet eos publice invocare in litaniis, neque eorum reliquias, sive imagines publice venerandas exponere, vel in processionibus circumferre. Licet tamen has imagines vel reliquias asservare privatim, eas reverenter osculari, etc., quia talis cultus est omnino privatus, qui non prohibetur. — Struggl 18., E. M.

462. *Resolves:* 1.° Minime illicitum est apponere effigiem vel statuam alicuius defuncti non canonizati, sive in oratorio etiam publico, sive in ecclesia, dummodo id ad eum cultu publico honorandum non fiat, sed ex alio motivo patenti, v. g., si fundator aut benefactor sit ecclesiae, vel eius

statua ad ipsius tumulum in ecclesia apponatur. Sic etiam imagines imperatorum, regum et aliorum insignium virorum appendi possent; et Basilica Sancto Petro Romae dicata, imaginibus seu statuis Pontificum in Album Sanctorum non relatorum decorata est. — 2.° Sacerdos potest quidem stipendium acceptare et missam celebrare in honorem viri cum fama sanctitatis defuncti, vel in gratiarum actionem pro obtento beneficio, etc., dummodo missam sumat de festo aut de feria eo die occurrente, non autem de communi non Pontificum, nec specialem orationem de eo vel cum eius nomine recitet. Ratio est, quia sacrum facere ad praedictam intentionem non est cultu publico aliquem honorare, siquidem intentio celebrantis est quid omnino privatum. — Elbel 443., E. M.

463. *Nota:* 1.° Ad cultum publicum reliquiarum, certo constare debet, reliquias venerandas ad Sanctum vel Beatum, solemniter ab Ecclesia ut talem recognitum, pertinere. Insuper sigillum alicuius episcopi seu praelati apponi debet, sigillum autem episcopi loci ad reliquias cultu publico colendas sufficit, nec scriptum authenticum necessarium est. — 2.° Ut reliquiae, licet authenticae, publicae venerationi fidelium in ecclesia vel in oratorio publico exponantur, requiritur, ut ab episcopo loci recognoscantur, etiamsi Romae a Praeposito Apostolico obsignatae fuerint, Trid. S. 25. *de Invocat.* etc., Xistus V. C. *Dominus.* — 3.° Ad cultum privatum requiritur tantum certitudo moralis privata, qualis, v. g., ab homine fide digno habetur. — 4.° Graviter peccat quis furando reliquias notabiles, vel etiam minimam partem reliquiae valde pretiosae, v. g., SS. Crucis, quia, licet non sint pretio aestimabiles, tamen haec ablatio graviter possessorem contristare potest. In districtu autem romano sub poena excommunicationis prohibetur furari reliquias, etiam minimas pertinentes ad ecclesias, ex Const. Clem. VIII. et Pauli V. Quare non in omni casu furtum mortale est, et grave sacrilegium reale est. — 5.° Quoad imagines, non possunt apponi aureolae, seu radii imaginibus defunctorum, licet communiter habeantur ut Sancti, nisi ab Ecclesia beatificati fuerint; itemque nec tabellae et imagines, nec lampades aut alia quaevis lumina, in venerationem scilicet et cultum, ad eorum sepulchra appendere licet. At, cum licentia Ordinarii seu episcopi, licet similis Sancti reliquias in loco ab ecclesia separato et secreto custodire, oblationes et tabellas accipere, et beneficia recepta in libellis enarrare, non tamen sine recognitione et approbatione episcopi, uti statuit Urbanus VIII. in Decr. *Sanctissimus* 13. Mart. 1625., et alia speciali Const. *Caelestis Hierusalem* 5. Iul. 1634. — 6.° Imagines Beatorum pingendae sunt cum radiis tantum; Canonizatorum cum diademate circa caput. Ferraris v. *Veneratio SS.* n. 46. Item imagines D. N. et B. V., Angelorum et Sanctorum pingi aut sculpi debent ea forma et habitu, qui ab antiquo tempore est in usu in Ecclesia. Urban. VIII. C. *Sacrosancta Tridentina* 15. Mart. 1642. — Quoad *Beatos*, ipsis nec ecclesias nec altaria nuncupare licet, S. R. C. 11. Apr. 1842., eorumque imagines et reliquiae in iis tantum ecclesiis possunt retineri et exponi, in quibus de eorum officio fieri permittitur. Urb. VIII. cit. Decr., *Sanctissimus*, Clem. XI. C. 82. n. 11. — L. 1. 3. n. 45. 532., Epist. Resp. in fine cap. 1., Bened. XIV. de Canon. SS. l. 11. c. 2., Struggl 18., Scav. Ed. 12.ª Mediol. 1874. L. 2. n. 168. seqq., E. M.

III. — DE SUPERSTITIONE ET IDOLOLATRIA

464. *Quinam sint actus religioni oppositi?* — « Opponitur verae religioni aliquid dupliciter: uno modo *per excessum*, quando scilicet id quod est religionis, alteri indebite exhibetur, quod pertinet *ad superstitionem;* alio modo quasi *per defectum* reverentiae, cum scilicet Deus contemnitur, quod pertinet ad vitium *irreligiositatis*... *Superstitio* autem impedit religionem quantum ad hoc, ne suscipiatur Deus ad colendum... Per *irreligiositatem* autem impeditur religio, quantum ad hoc, ne Deus, postquam susceptus est, honoretur ». S. Th. 2. 2. q. 122. a. 3.

465. *Quid superstitio?* — « *Superstitio*, inquit S. Th., est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel *cui* non debet, vel *eo modo*, quo non debet ». 2. 2. q. 92. a. 1. « Praecipuum autem impedimentum religionis est quod homo falso Deo inhaereat... Et ideo in primo praecepto legis excluditur cultus falsorum deorum... Omnes aliae autem superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum daemonibus inito, tacito vel expresso; et ideo omnes intelliguntur prohiberi in hoc quod dicitur: *non habebis deos alienos* ». 2. 2. q. 122. a. 2., L. 1. 2., Collectan. S. C. de P. F. n. 1702.

466. *Quotuplex sit superstitio?* — Ex parte *rei*, quae cultu donatur, triplex est superstitionis species: *idololatria, divinatio, vana observantia:* vel enim creatura colitur *tanquam Deus*, et est *idololatria*, vel ab ipsa *tanquam a Deo* petitur rerum occultarum cognitio, et est *divinatio*, vel demum aliquod imploratur auxilium, et est *vana observantia;* quae omnia natura sua *mortalia* sunt, cum gravem Deo irrogent irreverentiam, tribuendo creaturae quod Deo debetur. — Ratione *modi*, quo cultus exercetur, alia est superstitio *cultus falsi*, si quid falsi significet, v. g., si quis Deo nunc offerat cultum per caeremonias Veteris Legis;- si laicus Deum colat tanquam publicus minister Ecclesiae, etc.; alia superstitio *cultus turpis*, si quaedam contineat Deo iniuriosa, v. g., si quis in suis precibus induceret verba inhonesta et contumeliosa; alia superstitio *cultus superflui*, si nihil conferat ad verum cultum Dei, v. g., caeremonia audiendi missam ante ortum solis, cum certo numero, situ, ordine cereorum, etc. — Ultima haec species, secluso scandalo, *ordinarie venialis* tantum censetur; quia materia levis est, et potius est dicenda mera simplicitas quam positiva irreverentia; sed duae aliae semper *mortales* sunt, quia graviter repugnant honori et cultui divino, qui veritate et sanctitate nititur. — Struggl 2. seqq., L. 3. 4., S. Th. 2. 2. q. 92. 93.

467. *Quid et quotuplex idololatria, et quale peccatum?* — *Idololatria* definitur: actio, qua cultus, soli Deo debitus, creaturae exhibetur. — Triplex est: *perfecta, imperfecta, simulata.* Prima creaturae defert divinum honorem, *falso iudicans* eam revera esse Deum. Altera defert quidem creaturae honorem divinum, sed vel ex odio veri Dei, vel ex cupiditate aliquid a daemone vel alia creatura obtinendi, non ignorans eamdem divinitate destitui. Tertia denique honorem illum creaturae exhibet, ex solo mortis metu, absque interno affectu, uti christianis quibusdam accidit tempore

persecutionum. — Quaelibet harum idololatria *peccatum grave* est. Prob. « Sicut in terrena republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat quam vero regi... ita in peccatis, quae contra Deum committuntur, quae tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturae impendat; quia quantum in se est, facit alium Deum in mundo ». S. Th. 2. 2. q. 94. a. 3. 1., L. 12. 13.

IV. — DE DIVINATIONE

468. *Quid divinatio?* — *Divinatio* definitur *tacita* vel *expressa* daemonis invocatio ad cognoscendas res occultas. *Tacita* vel *expressa*, quia duplici modo fieri potest; vel illud daemonis auxilium *expresse* invocando et dicitur *expressa*, vel adhibendo ad daemonis opem implorandam media quaedam ex se inutilia et inefficacia, et dicitur *tacita*. Ubi notandum est, non requiri, ut daemon aliquando pactus sit, se ad usum cuiuspiam vani medii concursurum, eo enim ipso, quod quis mediis omni proportione ad finem carentibus utitur, daemonis opem exercite invocat, qui iis rebus se immiscere solet. S. Th. 2. 2. q. 95. a. 1. 2., L. 5. 6. 8.

469. *Quotuplex sit divinatio?* — Divinatio in plures species, sed *materialiter* tantum distinguitur, ratione diversorum mediorum. Praecipuae divinationis species *per expressam daemonis invocationem*, sunt: 1.° *Pithonismus*, cum nempe daemon alicuius viri vel feminae corpus occupans et voces illinc emittens occulta patefacit. 2.° *Vaticinium*, cum daemon ad occulta significanda utitur opera pseudo-prophetarum. 3.° *Necromantia*, quando daemon per mortuos vel per revocatos ad vitam respondet. 4.° *Oraculum*, quum consultus daemon, in simulacris delitescens, respondet. 5.° *Praestigium*, cum daemon ipse apparitionibus oculos perstringit. 6.° *Oniromantia*, cum quis occulta patefacere praesumat ex somniis. 7.° Quando quis futura praenuntiat per aliquas figuras vel signa, quae in rebus inanimatis apparent. — Divinatio, quae fit *absque expressa daemonis invocatione*, duplex est: alia utitur aliquarum rerum dispositionibus, alia vero quibusdam utitur, quae ab hominibus serio fiunt ad aliquid occultum inquirendum. Ad primam pertinet: 1.° *Chiromantia*, quasi divinatio ex manus inspectione. 2.° *Physiognomia* ex lineamentis vultus. 3.° *Aruspicium* ex visceribus animalium. 4.° *Augurium* ex garritu avium. 5.° *Auspicium* ex earum volatu, situ, pastu. 6.° *Astrologia* ex astris. 7.° *Geomantia*, *hydromantia*, *pyromantia*, *aeromantia* ex signis in terra, in aqua, in igne, in aere. 8.° *Omen* ex verbis sine intentione dictis. Ad alteram vero spectat *Sortilegium*, quasi divinatio ex sortibus. — « Sic ergo patet *triplex* esse *divinationis genus*, quorum primum est *per manifestam daemonum invocationem*... secundum est *per solam considerationem dispositionis vel motus alterius rei*... tertium est, *dum facimus aliquid*, ut nobis manifestetur aliquid occultum... sub quolibet autem horum multa continentur ». S. Th. 2. 2. q. 95. a. 3., L. 6., Struggl 20. 21.

470. *Nota:* 1.° Distinguendi sunt sedulo effectus *naturales a liberis;* priores enim saepe coniici possunt, uti, v. g., ex cantu et volatu avium, aut siderum aspectu coniicitur tempestas, pluvia, vel caeli serenitas, etc. Experientia enim constat, inter haec naturalem adesse connexionem; secus

vero de posterioribus dicendum. — 2.° Indoles aut animi status interdum aliquo modo ex colore vultus, vel aliis signis externis coniici potest, etsi in praxi plerumque a talibus coniecturis sit abstinendum, ob iudicii temerarii periculum; actus vero liberi, sive praeteriti, sive futuri, numquam certo cognosci possunt. — 3.° Divinationi tribuendum est quidquid occulti cognoscitur alio modo quam per revelationem, aut per media naturalia; non enim aliud datur medium occulta investigandi. — S. Th. 2. 2. q. 95. a. 1. 7., q. 96. a. 2., L. 9. 10.

471. *Quale peccatum sit divinatio?* — *Divinatio ex genere suo mortalis est,* tum quia tribuit honorem divinum creaturae, volendo ab ipsa cognoscere res soli Deo notas; tum quia societas cum daemone est magnus Dei contemptus, proditio et apostasia a Deo, cum daemon ei sit perpetuus hostis. Hinc monet Apost.: *Nolo vos socios fieri daemoniorum.* 1. Cor. 10., 20.; Deut. 18., 10.-12. Attamen divinatio *tacita* aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem et ignorantiam, vel ob defectum fidei certae. — S. Th. 2. 2. q. 95. a. 2. 4., L. 7., Suarez de Relig. Tr. 3. l. 2. c. 8. n. 15., Laym. l. 4. Tr. 10. c. 3. n. 4., Struggl 19.

472. *Resolves:* 1.° Non vacat culpa gravi, qui utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum daemone commercium intendere; agit enim contra suam protestationem, et daemonem implicite invocat, cum nec Deus, nec Angelus talibus se immisceant. — 2.° Peccant graviter, qui de fortuna seu vita sua futura a vatibus inquirunt; nisi ex simplicitate, ioco, aut curiositatis causa agant, quin fidem dictis adhibeant. Si tamen serio faciat vates, difficile a cooperatione graviter culpabili excusari possunt. — Reuter 43., L. 8. 10., S. Th. Quodl. 3. a. 22.

473. *An aliquando liceat futura ex somniis coniicere?* — Quatuor sunt somniorum genera: 1.° *Naturalia,* quae ortum habent a causis naturalibus, v. g., occupationibus, vel temperamento corporis. 2.° *Casualia,* quae oriuntur ex vario concursu phantasticarum repraesentationum. 3.° Quae sunt a Deo auctore. 4.° Quae auctorem habent daemonem. — Porro ex somniis *naturalibus* superstitiosum non est coniicere praesentem corporis valetudinem; vel statum eiusdem futurum, vel etiam vivendi rationem et disciplinam; quia inter haec intercedit vera et naturalis connexio. Esset tamen superstitiosum inde coniicere futura, libere contingentia; cum haec non nisi a libera ac volubili hominis voluntate proficiscantur. — Ex somniis *casualibus* est superstitiosum futura deducere; quia eo ipso quod sunt casualia nequeunt esse accommodata ad rem quamlibet significandam. Eccli. 34., 7. At non videretur peccare mortaliter, qui ob somnium praecedens omittit vel ponit actionem indifferentem; quia id potius ex quadam animi simplicitate, vel nimia timiditate provenire videtur, v. g., si quis omitteret deambulationem, quia somniavit se fore in ea proditorie hac vel altera die interficiendum. — *Somniis, quae sunt certo* vel *probabilius a Deo,* possumus immo tenemur, ait S. Alph. 9., fidem adhibere, cum aliquando ita locuturum se Deus promiserit, Act. 2., 17.; Num. 12., 6. — *Somniis diabolicis* credere est mortale, nisi ignorantia vel simplicitas excuset; cum sit veritatem fundare in mendacio, et societatem cum daemone inire. Hoc sensu dicit Scriptura: *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Lev. 19., 26. — Struggl 24., L. 9., S. Th. 2. 2. q. 95. a. 6.

474. *Nota:* Regula generalis ad dignoscendum, an somnia a daemone proveniant, est: si ea impellant ad malum, vel si quis perturbatum et minus promptum ad bonum se experiatur. Secus vero, si somnium ad bonum impellat, vel ad illud alacriorem quis se sentiat; semper tamen cum humilitate et timore, cum diabolus saepe se transfiguret in angelum lucis. — Struggl 25., L. 9.

475. *An aliquando liceat astrologia?* — Astrologia duplicis est generis, *naturalis* et *iudiciaria.* Per primam effectus *naturales* praedicuntur, alii *certi*, alii *probabiles;* per secundam effectus *libere contingentes* praenuntiantur. Iam vero astrologia *naturalis* licita est, ut patet. At *iudiciaria* prorsus illicita et superstitiosa est; quia corpora caelestia in liberam hominis voluntatem nihil omnino possunt. L. 10., S. Th. 2. 2. q. 95. a. 5., E. M.

476. *An aliquando licitus sit usus sortium?* — Sortes aliae sunt *divisoriae*, aliae *consultoriae*, aliae *divinatoriae:* — *Divisoriae,* quae adhibentur ad componendas lites etc., utraque parte consentiente, licitae sunt, cum nihil contineant superstitiosi, sed sint veluti quaedam species contractus; et probantur etiam in Scriptura his verbis: *Contradictiones comprimit sors.* Prov. 18., 18. Excipe, positivo iure, electiones omnes ad praelaturas et beneficia ecclesiastica, quae Spiritus Sancti inspiratione, fieri debent; quod valet etiam de litibus circa eadem beneficia. C. *Ecclesia* 3. *de Sortil.* Attamen *probabilius* censent dd., hoc tantum vetari, adeo ut si sors usurpetur, electiones sint illicitae, sed validae; ratio est, quia nullibi declarantur invalidae, si una excipiatur electio praelati iurisdictionem habentis. C. *Quia propter de Elect.* Cf. Schmalz. l. 5. p. 2. t. 21. n. 38. seqq. Officia etiam secularia non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt distribuenda; etsi inter plures aeque aptos et dignos sorte agi possit. Sic etiam, si plures mortem meriti sint, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex eis sit occidendus. — *Consultoriae,* quibus inquiritur quid in hac vel illa re sit agendum, illicitae *plerumque* sunt, quia continent tentationem Dei et periculum diabolicae fraudis. *Plerumque,* nam aliquando licitae sunt: quando divino instinctu aut iussu fiant, ut contigit in electione Mathiae, Act. 1., 26.; quando causae necessitas et honestas exigit, v. g., urgens necessitas salutis, aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodo fiant praemissa oratione, cum debita reverentia, et iudicium non exspectetur nisi a solo Deo, et divina non convertantur ad terrena negotia, etc. — *Divinatoriae,* quibus inquiritur per taxillorum proiectum rei occultae vel futurae cognitio, et est *sortilegium,* nullo modo licent; cum neque ex natura sua, neque rerum ceterarum, neque ex Dei aut Ecclesiae institutione, sortitio illa ullam vim habeat ad praedictos effectus. Si tamen ad sortem ponendam impellat Deus ipse, quod vix unquam existimari debet, tunc licita erit; sicuti licita fuit Josue, quando ea usus est ad occultum ab Achan patratum scelus explorandum, Jos. 7., 14. « Porro, si quis manifesiationem occultae veritatis per sortes peteret *a Deo,* tale sortilegium non esset superstitiosum, sed *tentatio Dei,* aut aliud peccatum irreligiositatis; ut cum Sanchez docet Layman. n. 9. » Struggl 26. — L. 10. 11., S. Th. Quodl. 12. a. 35., 2. 2. q. 95. a. 8.

477. *An licitus sit usus virgae divinatoriae?* — Haec virga, cuius prima mentio facta est, ut aiunt, saec. XV., ex corylo est ac bifurcata. Ea

utuntur ad inveniendos thesauros, venas aquarum, transpositos agrorum limites, homicidas, etc. Non desunt qui illius usum *naturalem* defendunt; at merito communiter id negatur. Nam sola intentio nihil conferre potest ad motum physicum. Porro virga movetur iuxta mentem ferentis, ita ut si ille metalla quaerat, non aquam, virga non moveatur, si invenit aquam, et vicissim. Adde ipsam remanere immotam in manibus illius, qui protestatur se nihil velle superstitiosi, ut exempla probant. Negandum tamen non est, quod etiam naturaliter evenire possit, quod aliqua virga moveatur ad unam potius partem quam ad aliam; et sic inservire possit ad aquas vel metalla detegenda, vi nempe naturalis attractionis, ut patet de magnete. Sed id tum *constanter* contingit, et *independenter* ab intentione ea utentis. Oseae 4., 12.; L. 8., Albit. de Inconst. in Fide c. 32. n. 26.

V. — DE VANA OBSERVANTIA

478. *Quid vana observantia?* — Vana observantia in eo consistit, quod quis media nec natura sua proportionata, nec a Deo vel ab Ecclesia instituta adhibeat ad certum effectum obtinendum. Differt *a divinatione* eo quod haec ordinatur ad cognitionem occultorum; *vana* autem *observantia* ad quoscumque obtinendos effectus. Convenit cum divinatione, quia pacto etiam innititur expresso vel tacito cum daemone. Parum sane refert quod daemon expresse non invocetur; invocatur enim aequivalenter; nam cum rebus vanis se Deus non immisceat, effectus non potest nisi a daemone expectari. — S. Th. 2. 2. q. 96. a. 1. 2. 3., L. 24.

479. *Quotuplex sit vana observantia?* — Quatuor sunt vanae observantiae species, quae *materialiter* tantum distinguuntur ratione effectuum. — 1.° Si observentur quaedam inutilia ad scientiae infusionem acquirendam, absque alio studio, et *ars notoria* dicitur. Differt a divinatione, quia haec notitiam speculativam directe, illa directe notitiae infusionem ad propriam commoditatem spectat, indirecte vero ipsam notitiam. Sic peccant, qui elaboratam potionem sumunt, ut illico docti evadant.

2.° Si inutilia observentur ad obtinendam sanitatem, et dicitur *observatio sanitatum.* Sic peccant qui nomina ignota, certasque inanes caeremonias usurpant ad animalia fuganda; vel qui amuleta, involucra vel quid simile ad morbos depellendos collo deferunt.

3.° Si ex consideratione alicuius futilis eventus decernatur quid sit futurum, et inde quis actiones suas moderetur, eaque *observatio eventuum* dicitur, quae a divinatione differt, tum quia huiusmodi observationes sunt sine ulla ratione et arte, unde sunt magis vanae et superstitiosae, tum quia spectant ad proprios actus dirigendos; divinatio vero speculativam potius occultarum rerum notitiam intendit. Sic peccaret, qui recusaret cum tredecim in mensa sedere quasi id mortis sit signum, quamvis hoc plerumque valeat excusari, cum nulla huic rei vera adhibeatur fides; sed quaedam simplex sit ac inanis formido.

4.° Si observantia versetur circa corpora varie immutanda aliosque miros vel noxios effectus producendos, et dicitur *magia* vel *maleficium.* Maleficium triplicem continet moralem malitiam contra religionem, ca-

ritatem et iustitiam. Maleficium aliud est *amatorium* seu *philtrum*, aliud *veneficum*. Prius est ad carnalem amorem vel odium in aliquam personam excitandum, daemone hominis phantasiam vel corporis humores commovente, nihil tamen in voluntatem agente; unde non inducit necessario ad patrandum peccatum. Posterius vero est ad damnum alicui inferendum, sive in eius bonis, sive in eius sanitate.

Notandum autem hic est *possessionem* in eo consistere, quod daemon corpori humano quodam modo uniatur, et in illo, et per illud extraordinaria operetur. Quod si daemon in corpore hominis residere non videatur, sed tantum externe operetur, illud variis modis vexando, tunc habetur *obsessio*. — Struggl 28. 41. 42. 43., Suarez c. 15. 16., L. 15. 23., S. Th. Quodl. 4. q. 9. a. 16., 2. 2. q. 96.

480. *Quale peccatum sit vana observantia?* — *Ut divinatio ita etiam vana observantia grave peccatum est;* tum quia tribuit honorem divinum creaturae, ab ipsa exspectando quod debet attendi a solo Deo; tum quia innititur pacto, et consequenter societatem importat cum daemone. Multoties tamen a mortali valet excusari ratione ignorantiae et inconsiderationis, vel dubiae admodum fidei. — L. 15., S. Th. 2. 2. q. 96.

481. *Resolves:* 1.° Superstitionis rei sunt, qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas, qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucium vel orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos, etc. — 2.° Item qui gestant quasdam orationes ad S. Birgittam aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis exspectantes. Non tamen vituperandi sunt, immo admodum laudandi sunt, qui numismata pia, sacras effigies aut reliquas Sanctorum gestant, sperantes auxilium divinum specialiter se impetraturos esse. — 3.° Rei etiam sunt superstitionis, qui aliquos dies tanquam faustos, alios vero tanquam infaustos habent, ita ut actiones suas inde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas, etc. — 4.° Superstitiosum vero non est observare lunam aut tempora colligendis herbis, caedendis arboribus aptiora, etc.; nec res sacras, aut verba S. Scripturae gestare ad honorem Dei vel Sanctorum, et ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum orationum, nec facere ea omnia, quae devotionem augere possunt, modo vis infallibilis ipsis non tribuatur. — 5.° Nec ullatenus superstitiosum, quin immo valde religiosum ac pium est recitare preces novendiales, aut toties preces iterare in cultum Domini N. vel B. Virginis, vel alicuius Sancti, ratione indulgentiarum, quae tali precum numero sint annexae, vel ratione mysticae significationis ad devotionem augendam, e. g., *ternarii* in honorem SS. Trinitatis, *quinarii* in honorem quinque plagarum D. N. J. C., *septenarii*, quia in mentem revocat sex dies creationis et septimum quo requievit Dominus, *novenarii* in honorem novem mensium, quibus fuit Christus in utero Matris, etc., modo vis infallibilis non annectatur tali numero, certae diei, aut fixo tempori. — Struggl 33. 34., Caietan. in q. 96. a. 3. 4., L. 17.-22., S. Th. 2. 2. q. 96.

482. *An in dubio de causa naturali alicuius effectus liceat experimentum facere?* — In dubio, num effectus proveniant a causa naturali, an a daemone, tribui possunt viribus naturae; et proinde est licitum illos

procurare: quia non constat rem esse malam; consulto tamen praemittitur protestatio contra quemlibet daemonis interventum. In dubio autem, an effectus a daemone vel a Deo producantur, si certo constet eos a causa naturali provenire non posse, daemoni tribuendi sunt, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant, quia temerarium est putare, fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus, necne. — L. 20., S. Th. 2. 2. q. 96. a. 1. 2., Struggl 32.

483. *An magia novam inducat speciem praeter vanam observantiam?* — R. Negative. Nam magia non differt a vana observantia, nisi mere materialiter, quia nempe eius effectus sunt magis miri, v. g., immutatio corporum, etc. Specie autem morali nec a vana observantia differt, nec a divinatione, quia parvi refert utrum a daemone occultorum notitia aut effectus mirandi petantur. Quare tria haec in linea morali eandem continent specie malitiam. — Struggl 39.

484. *Quid fieri possit ad maleficium tollendum?* — Uti licet remediis naturalibus, ex medicina petitis, ad pravos humores corrigendos; exorcismis, sacramentis, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum; destructione signorum, per quae daemon nocet, absque tamen alio maleficio. Licet etiam contrarium signum apponere, ex se tamen honestum. Ratio est, quia non est nisi tollere signum, et dissolvere pactum cum daemone. — Si maleficus *licito modo* potest maleficium tollere, licet eum ad id accersere, rogare, immo etiam pecunia inducere, idque etiam si constet eum id facturum per novum maleficium, sicuti ex causa licet ab usurario petere mutuum ad usuram. Et ratio est, quia cum habeam ius petendi quod ab illo recte praestari potest, et est indifferens, imputabitur illius malitiae, si id male faciat. — Si maleficus non potest tollere maleficium, nisi per novum maleficium, non licet eum ad id inducere, quia id esset inducere eum ad peccatum, et actui intrinsece malo cooperari. — Si dubitetur, an possit sine maleficio novo tollere, non licet ab eo petere; quia praesumptio obstat, quod non nisi illicitum ille modum sciat. — Facilius autem praesumi potest eum, qui signa posuit, posse ea sine novo maleficio destruere, quam eum, qui non posuit. Unde, si hic operam suam offerat, prius erit examinandus de modo solvendi. — Suarez c. 17. n. 10., L. 24. seqq., Struggl 44. seqq.

485. *Quid sentiendum sit de recentioribus superstitionibus, quae circumferuntur?* — Huiusmodi superstitionum varii sunt effectus, omnibus noti; effectus *mechanici, physiologici, psychologici, spirituales;* variae item adhibentur vel adhiberi dicuntur causae ad huiusmodi effectus producendos: unde varia nomina sive ex effectibus, sive ex causis desumpta, nempe *magnetismi, magnetismi animalis, spiritismi, tabularum rotantium, sonnambulismi, hypnotismi.* — Duo autem in huiuscemodi re notanda sunt; *proportio* nempe vel *improportio effectus cum naturali causa; honestas* vel *turpitudo actuum,* qui adhibentur, vel conditionum quae praerequirantur, e. g., quod persona magnetizata sese subiiciat penitus voluntati personae magnetizantis, in eiusque sese tradat arbitrium. Ex illa improportione vel proportione *superstitio* habetur vel non; ex ista honestate vel turpitudine, etiam sine superstitione, *res illicita* esse poterit,

utpote *immoralis.* — Ad praeternaturalitatem quod attinet praedictorum effectuum, illud sedulo animadvertendum est; *an*, licet effectus aliquis a naturali causa absolute produci possit, *ab hac reapse producatur*, vel potius ab alia causa praeternaturali, attentis omnibus eius circumstantiis. — Porro magnetismus, magnetismus animalis, spiritismus, tabulae rotantes, sonnambulismus, hypnotismus, secundum illos effectus, qui in eorum usu *communiter contingunt*, non licent; siquidem vel reapse a divinatione, vana observantia, magia et maleficio non differunt, cum effetus, attenta eorum intrinseca *natura*, *modo* quo producuntur, aliisque *circumstantiis*, naturalium causarum vires exsuperent; vel turpibus et immoralibus actibus excitantur; vel certe saepe et illam impropoıtıonem et istam turpitudinem prae se ferunt. — Quare illicitum etiam est horum effectuum *experimentis adesse,* quamvis mere passive, siquidem est peccatum cooperationis rei intrinsece malae. — S. Th. 2. 2. q. 95. 96., C. G. l. 3. C. 104., E. M.

VI. — DE IRRELIGIOSITATE ET TENTATIONE DEI

486. *Quid irreligiositas?* — Irreligiositas est vitium, quod religionis virtuti adversatur *per defectum,* quodque tendit ad irreverentiam Deo inferendam vel *directe* in se, vel *indirecte* in rebus aut personis sacris. Primo modo dividitur in tentationem Dei, periurium, infidelitatem in promissis, blasphemiam. Altero modo, in sacrilegium et simoniam. De periurio infidelitate, et blasphemia in secundo Decalogi praecepto; de reliquis hic dicendum erit. *De blasphemia* tamen agit S. Th. prout est opposita *confessioni fidei* q. 13. 14. Sed Cf. q. 13. a. 2. ad 2. — Suarez Tr. 3. l. 1. c. 1. n. 8.

487. *Quid tentatio Dei?* — Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam aliam perfectionem habeat. — S. Th. 2. 2. q. 97. a. 1., L. 29.

488. *Quotuplex sit tentatio Dei?* — Duplex est: una *explicita* et *formalis,* altera *implicita* et *interpretativa.* Prima est, quando quis directe intendit divinarum perfectionum explorationem, et haec plerumque *ex infidelitate* oritur, quamvis possit etiam provenire *ex levitate, curiositate, imprudenti fiducia,* etc., v. g., si quis dubitans de aliquo fidei articulo petat a Deo miraculum, vel si quis sese ex alta turri deiiciat, curiose experturus, an Deus sit potens eum a morte servare. Secunda vero est, quando quis non intendit proprie eam explorationem; sed aliquid dicit aut facit, quod, spectatis circumstantiis, suapte natura eo referri videtur; idque contingit dupliciter: 1.° Cum quis sine iusta causa negligit remedia ordinaria, et a solo Deo temerarie exspectat effectum extraordinarium, v. g., si quis in morbo periculoso omnem respuat medicinam, volens a Deo tantum miraculose sanari. 2.° Quando quis sponte ipse sua absque ulla necessitate et utilitate se coniicit in tale periculum, ut vix queat liberari sine Dei miraculo, v. g., si quis per totam quadragesimam absque speciali Dei instinctu vellet abstinere ab omni cibo et potu, exspectans a Deo extraordinariam vitae suae conservationem. Ubi nota, quod si quis *temere* tantum agat, *absque ullo ad Deum respectu,* quin certo divinae providentiae confidat, sed stulta quadam confidentia credat casu forte

se superaturum tale vel tale periculum, non peccat *contra religionem*, sed tantum *contra quintum Decalogi praeceptum.* — Suarez de Relig. Tr. 3. l. 1. c. 2. 3., L. 29.

489. *Quale peccatum sit tentatio Dei?* — *Tentatio Dei peccatum mortale est ex genere suo.* Prob. quia gravem Deo irrogat irreverentiam; hinc scriptum est: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Matth. 4., 7. Idque valet sive tentatio sit *explicita* sive *implicita.* De *explicita* patet; quia explicita intentio illa explorandi divinas perfectiones est explicitus Dei ipsius contemptus. De *implicita* vero ex eo demonstratur, quod petitio etiam implicita, nempe ut Deus contra ordinem suae providentiae operetur absque necessitate, cedit evidentissime in gravem ipsius iniuriam, nam est agere cum Deo, uti curiositatum fautore. — Tentatio Dei non solum ob ignorantiam, inadvertentiam, defectum consensus, sed etiam *ob parvitatem materiae* potest esse tantummodo *venialis,* sic. v. g., venialiter tantummodo peccaret, qui levi laborans infirmitate negligeret remedia naturalia, et sanitatem a Deo imprudenti confidentia, vel potius praesumptione sibi exspectaret; iste enim non videtur committere gravem inordinationem, cum vere non petat miraculum ex dubio, vel ex gravi levitate et curiositate experiendi divinam potentiam. Immo ab omni etiam culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo iuvante, a tali morbo liberatum iri. Item peccat *per se* venialiter tantum, qui ex negligentia imparatus accedit ad praedicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium. Si tamen tentatio Dei non ex *imprudenti tantum et praesumptuosa divini auxilii imploratione:* sed *ex dubio de divinis perfectionibus proveniat,* nulla tunc aderit *parvitas materiae.* Nam parvitas materiae non datur in dubio deliberato contra fidem. Quare peccatum tunc locum habebit *contra religionem,* et etiam *contra fidem, ex toto genere suo mortale.* — L. 29. 30. 32.

490. *Resolves:* Ex dictis colligere est, quid sit sentiendum de probationibus olim usitatis, vulgo *iudiciis Dei;* quando nempe deficiebant testes, varia instituta fuerant experimenta, quibus subiiciebatur accusatus, v. g., ferrum calidum ferebat, super carbones ardentes gradiebatur, etc., et si nihil ei accidebat mali, uti innocens habebatur. Hoc enim est prorsus illicitum; est enim tum species divinationis, cum nulla sit proportio mediorum ad finem, tum Dei tentatio, cum sit velle indiscriminatim ab eo petere miraculum, quo patefaciat veritatem. Ecclesia id nunquam approbavit. Quando enim viis naturalibus crimen cognosci non potest, neque aliter suadet specialis Dei instinctus, illud iudicio Dei, secreta cordium scrutantis, relinquendum est. — C. *Consuluisti* 2. qu. 5., Tit. *de Purgat. vulgari,* L. 30., Struggl 6., Muratori Antiq. Ital. diss. 38. 39.

491. *An liceat petere a Deo miraculum?* — Docent communiter id licere, quoties adsit utilitas gravis ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem. Tunc enim non esset tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno. Peccaret vero qui *absolute* peteret, vel offerret miraculum ad conversionem haereticorum aut peccatorum; cum sufficiant fidei nostrae testimonia. Excipe casum particularis inspirationis Dei. — S. Th. 2. 2. q. 97. a. 2. ad 3., L. 31.

492. *An liceat se martyrio offerre?* — Distinguendum est cum D. Th. Vel adest legitima causa, vel non. Si 1.um, v. g., ad vitandas blaspher-

mias, ad procurandam Dei et fidei gloriam, ad eliminandum in proximo periculum incredulitatis, utique licet; cum sit opus maxime caritatis. Si 2.um, non licet, cum nemo sit vitae suae dominus, ut eam prodigere possit ad libitum suum. Unde graviter peccat, cum non excusat bona fides aut divina inspiratio, uti in Sanctis compluribus contigisse scimus. — S. Th. 2. 2. q. 174. a. 3., L. 32., l. 6. n. 101.

VII. — DE SACRILEGIO

493. *Quid sacrilegium?* — Sacrilegium est violatio *rei sacrae, qua sacrae;* h. e. rei dicatae cultui divino, non materialiter, sed *formaliter* sumptae, prout nempe ad hunc cultum ordinatur. Videlicet, ut aliqua actio sit sacrilegium, debet res violari in eo quo sacra est: unde, si quis male loquatur de aliquo qui votum castitatis habeat; istius detractio non induit naturam sacrilegii formalis: quia iste est sacer Deo tantum quoad corporis munditiem, non autem quoad famae integritatem. Porro *res sacra* illa solum proprie censetur, quae non est utcumque sacra, seu utcumque dicata cultui divino; sed publico ritu, et institutione divina vel ecclesiastica, seu Ecclesiae potestate, ad Dei cultum est deputata. Quare non sufficit, quod res fuerit simpliciter benedicta, benedictione nempe mere *invocativa,* qua bonum rei vel personae adprecamur, sed necessaria est benedictio *constitutiva,* qua rex ex profana efficitur sacra; quin immo necessaria est benedictio constitutiva, qua res *ad divinum cultum* consecratur. Et sic illicitum non est « proiicere canibus ossa agni vel ova, quae benedicuntur... sicut etiam licitum est uti aqua benedicta et candelis ad usum profanum ». L. l. c. n. 94. — Struggl 9., S. Th. 2. 2. q. 99. a. 1. 2., L. l. 6. n. 94.

494. *Quotuplex sit sacrilegium?* — Sacrilegium triplex est: *personale,* quo persona; *locale,* quo locus; *reale,* quo res aliae sacrae violantur. Sacrilegium *specie* differt prout personam, locum, aut rem sacram afficit. Ex communi constat thth. auctoritate; et quia personarum, locorum et rerum non eadem est sanctitas. — Suarez de Relig. Tr. 3. l. 3. c. 1., Lugo de Poenit. D. 16. n. 471., L. 48., S. Th. 2. 2. q. 99. a. 3.

495. *Quale peccatum sit sacrilegium?* — *Sacrilegium peccatum est ex genere suo mortale, si opus specialiter repugnet rei sanctitati;* quia gravem ex *natura sua* Deo iniuriam semper involvit; et tanto gravius, quo maiorem sanctitatem obtinet ipsa res sacra. Leve tamen fieri potest, ratione parvitatis materiae. *Si opus specialiter,* etc.; nam, si generaliter tantum repugnet sanctitati, v. g., quo modo omnia peccata mortalia generaliter repugnant sanctitati templi, veniale peccatum non excedit, vel circumstantia est leviter aggravans. — L. 33.

496. *Quotuplici modo sacrilegium personale committatur?* — Sacrilegium *personale* committitur tripliciter: 1.° Violentas manus inferendo in clericum vel religiosum. 2.° Luxuriose violando personas Deo dicatas, etiam solis tactibus. 3.° Personas ecclesiasticas subiiciendo foro laicali, contra privilegium exemptionis et immunitatis. — S. Th. 2. 2. q. 9. a. 3., L. 35., Struggl 11.

497. *Quotuplici modo sacrilegium locale committatur?* — Sacrilegium *locale* triplici item modo evenire potest: 1.° Actionibus profanis, quae vel natura sua vel iuris praescripto adversantur *sanctitati* et *immunitati* loci, quamvis per eas Ecclesia non polluatur, ut sunt publicus mercatus, publica convivia, ludi theatrales, publicae conclamationes, saecularia parlamenta, strepitus iudiciorum, nisi gravis causa excuset, etc. 2.° Peccatis omnibus, quibus ecclesia *polluitur* de iure canonico, scilicet iniuriosa et notoria effusione sanguinis humani; illicita et notoria effusione seminis humani; culpabili et notorio homicidio; sepultura excommunicati non tolerati, aut infidelis non baptizati in ecclesia, etsi talis sepultura fuisset inculpabilis. 3.° Peccatis omnibus, quae fiunt contra *immunitatem asyli* loci sacri. *Immunitas localis* est, qua vetatur in locis Deo sacris profana exercere. *Immunitas* vero *asyli* est, qua vetatur asyli iura violare. C. 2. *de Immun.* in 6.°, C. 6. *de Immun. eccl.* Porro *asylum* est privilegium, vi cuius malefactoribus ad locum sacrum confugientibus, securitas praestatur, ne inde vi extrahi possint, praeter casus tamen a iure exceptos. — Suarez de Relig. Tr. 2. l. 3. c. 8., Gregor. XIV. C. *Cum aliis*, Bened. XIII. C. *Ex quo divina* 6. Id. Jun. 1725., Clem. XII. C. *In suprema*, Bened. XIV. C. *Detestabilem*, C. *Officii nostri.*

Hic autem notandum est, quod ubi agitur de sacrilegio ob hanc violatam loci sacri *immunitatem*, sacri loci notio multo patet latius quam cum agitur de actibus directe oppositis loci sacri *sanctitati*. Nam quod ad hosce actus attinet, quibus et pollui ecclesia potest, locus sacer dicit tantummodo ambitum loci etiam simpliciter benedicti ac deputati ab episcopo ad divina officia aut ad mortuos sepeliendos a tecto usque ad pavimentum, etiamsi interdictus et pollutus. Quare excluduntur oratoria privata. Si vero de praedicta loci sacri *immunitate* sit sermo, hic exteriores quoque ecclesiae partes, porticus, v. g., sacristiam, turrim, tectum, subterraneas cryptas, scalas ad templum, totamque exteriorem basim comprehendit. Eodem censu habentur coemeteria etiam disiuncta ab ecclesia, episcopi palatium, immo et domus parochi, si sit ecclesiae coniuncta, religiosorum conventus cum horreis, hortis ac iis omnibus, quae eorum ambitu concluduntur, hospitia demum auctoritate episcopi erecta et sacellum ad celebrandum habentia. — C. un. *de Consecr.* in 6.°, C. *Ecclesiis* 20. *de Consecr.* D. 2., C. *Ecclesia* fin. *de Consecr.*, C. 9. *de Eccles. aedific.*, L. 36.-38., l. 3. n. 460., l. 6. n. 366. 920., Struggl 13., Schmalz. l. 3. t. 40. n. 72. 77.

498. *Quotuplici modo sacrilegium reale committatur?* — Sacrilegium *reale* tribus etiam modis, generaliter loquendo, potest committi: 1.° Res sacras indigne tractando. 2.° Eas iniuste usurpando. 3.° Res sacras profane vendendo et emendo, seu simonia. — Hinc sacrilegium *reale* committitur: 1.° Indigna administratione aut susceptione sacramentorum, quae sanctitatem producunt. Et sic etiam sacrilegium esset adhibere ad sacrificium vasa sacra, corporalia, etc. enormiter immunda, relinquere particulas consecratas corrumpi in pyxide, etc. — 2.° Abusu Scripturae, ad vana detorquendo eius verba, quae significant sacrum. Trid. S. 5. in fine hanc usurpationem vocat *temeritatem*, et eam puniri iubet. — 3.° Indigna tractatione sacrarum imaginum, vel caeremoniarum, quae sacra repraesentant. — 4.° Profanatione vasorum, instrumentorum, et ornamentorum sacrorum, etc., quae pertinent ad cultum sacrum: intellige profanationem de iis,

quae consecrari vel saltem benedici solent: nam ad nuptias, vel communem usum adhibere tapetes, candelabra, pelvim, immo et manutergium, etc., quae mediate serviunt ministerio sacro, non esse peccatum docet Tamb. Expl. Sacrif. l. 1. c. 2., nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, ut si semper, et indifferenter utaris supradictis. — 5.° Furto et usurpatione bonorum ecclesiasticorum, quae ad cultum et sacrorum ministrorum sustentationem deputata sunt. — 6.° Furto et indigna tractatione reliquiarum, quae Sanctorum particulae sunt. — 7.° Iurium Ecclesiae defraudatione, e. g., tributa imponendo, etc. — Struggl 15., L. 40. 48. 460.

499. *An tres praedictae species sint subalternae, vel sint infimae?* — Haec S. Alph. 34.: « Prima sententia tenet esse subalternas, continentes sub se alias *species infimas.* Ita Suar., Pal., Less., etc. Et ideo dicunt percussionem clerici specie differre a concubitu cum eo. Secunda tamen sententia tenet esse *infimas.* Ita Viva, Salm., Cai., etc., ita ut si quis violat sanctimonialem verberando, aut cum ea concubendo, unum sacrilegium formaliter committat. Et sic sentit S. Th. 2. 2. q. 99. a. 3. ad 2., ubi ait: *Possibile est aliqua duo peccata differre specie secundum materiales actus, convenire autem in specie secundum unam rationem formalem sacrilegii; puta, si quis sanctimonialem violaverit verberando vel concumbendo.* Et haec est probabilior ». — Sunt tamen in triplici hac sacrilegii *specie* diversi *gradus,* secundum differentiam personarum, locorum et rerum. Tanto enim sacrilegium est *gravius,* quanto res in quam peccatur maiorem obtinet sanctitatem. S. Th. ib.

500. *An sit sacrilegium violatio personae voto simplicis castitatis ligatae?* — Prima sententia probabilis affirmat, quia peccatum personae sacrae, quod directe agitur contra eam sanctitatem, qua Deo sacrata et dicata est, verum est sacrilegium. Atqui persona Deo dicatur non solum per sacram ordinationem, vel statum religiosum, verum etiam per huiusce status participationem, quale est votum simplex castitatis, maxime perpetuum. Ergo. Secunda sententia, probabilis etiam, negat, quia per votum simplex et privatum, neque res neque persona efficitur sacra, sed requiritur publica ecclesiae deputatio, *in ordine ad castitatem servandam.* — *In ordine,* etc., nam etiam clerici, in minoribus ordinibus constituti, sunt personae *sacrae,* etiam sacerdotes ritus graeci personae *sacrae* sunt; sed, quia ab Ecclesia consecrati non sunt in ordine ad servandam castitatem, sacrilegii proprie talis reatum non incurrunt. — Ceterum quisquis ligatus sit voto castitatis, quoties hoc violet, certo duplex committit peccatum, nempe *contra castitatem* et *contra religionem,* fidelitatem Deo non servando. — Sacrilegii vero proprie dicti reatus incurritur etiam ab iis, qui *vere religiosi* sunt, votis tamen tantum simplicibus adstricti. — L. 47., l. 6. n. 808. 809., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3., q. 97. proem., q. 99. a. 3. ad 3., q. 154. a. 1. ad 3., a. 10. ad 2. et 3., 4. D. 38. q. 1. a. 3. q. 2. 3., Suarez de Sacril. l. 3. c. 3., de Vot. l. 5. c. 3. n. 45., Laym. l. 4. Tr. 10. c. 7. n. 4., Less. l. 2. c. 45., Struggl 9. 10.

501. *An sit sacrilegium peccatum mere internum, contra castitatem, personae sacrae.* — Non desunt, qui negant, ut affirmat Gur. V. 2. n. 165.; siquidem castitas, secundum quam homo Deo consecratur, potius actus exteriores, quos Ecclesia suis legibus attingere solet, quam interiores *per*

se respicit. Verum communiter affirmant dd., quia per castitatem ipsa persona Deo consecratur. Attamen ratio haec non videtur rem *demonstrative* evincere. Nam licet ipsa persona per illud votum Deo consecretur, non ideo tamen quodlibet internum peccatum sacrilegium est, quod esset si reapse ipsa persona Deo esset absolute consecrata. Quare omnino tenendum est, ipsam utique personam esse Deo consecratam, per illud votum, sed *quoad castitatem* servandam. Quod autem haec extendatur etiam *ad actus internos,* hoc est demonstrandum. Et videtur demonstrari posse ex eo quod, cum *votum simplex perfectae castitatis* ita intelligatur, ut et internos et externos actus complectatur, *a fortiori* utrosque complectatur necesse est *votum solemne,* per quod persona evadit *sacra,* et quod certe perfectius est. — L. 454. 457., Cf. V. 2. n. 301.

502. *An omnia peccata luxuriae in ecclesia, aut coemeterio commissa sint sacrilegia?* — *Peccata mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, quia *locum sacrum* non videntur *specialiter afficere,* nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro. Quod si habeantur ut sacrilegia, Cf. 495., haec tamen circumstantia, utpote leviter culpabilis, non est necessario in confessione aperienda. Sacrilegium ergo erit *desiderium peccandi in loco sacro,* licet habitum extra ipsum, non vero desiderium conceptum in loco sacro peccandi extra eumdem. *Peccandi in loco sacro,* exteriori nempe peccato, quod sacrilegium locale sit. — Quoad *peccata externa,* certum est committi sacrilegium per actus consummatos, *notorios,* nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem, etc. *Notorios,* nam si ea peccata *occulta* sint, communius quidem et verius affirmatur sacrilegium committi, sed non desunt qui negant. Cf. L. l. 3. n. 334. par. *Absolute.* An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. g., tactus graviter turpes, controvertitur. Probabilius affirmant S. Lig. 459., Collet., etc. Negant autem non improbabiliter Sanch., Tamb., Bonac., etc. Alii vero affirmant de tactibus magis impudicis; negant de aliis actibus. Lugo de Poenit. D. 16. n. 461. seqq. Plures apud S. Alph. l. 3. n. 458. ceu probabile tradunt, praeciso scandalo, nunquam esse sacrilegium copulam maritalem in ecclesia habitam. Alii vero communius et probabilius id affirmant tantum in casu necessitatis, ad vitandum incontinentiae periculum. — L. 36. 43., l. 3. n. 334. 458. seqq., Elbel 575. 576., Cf. 805.-807.

503. *An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?* — Constat esse sacrilegium omne furtum rei sacrae, et etiam rei non sacrae, commissae tamen loci sacri custodiae. C. *Quisquis* 21. § 2. c. 17. q. 4.: « Similiter sacrilegium committitur auferendo *sacrum de sacro,* vel *non sacrum de sacro,* sive *sacrum* de *non sacro* ». Res autem sacra intelligitur res Deo quoquo modo donata, locus vero sacer ecclesia. — Quoad res, quae *casu* aut *per accidens* in ecclesia reperiuntur, ut crumenae, horologium, etc. controvertitur. Alii *probabiliter* negant, quia illa circumstantia loci sacri, cum omnino *per accidens* se habeat, nulla fit iniuria loco sacro. Alii *probabiliter* affirmant, quia verificatur adhuc, quod talis furetur *non sacrum de sacro.* Insuper, quia licet *res per accidens in ecclesia sit,* attamen *mala illa actio externa repugnat adhuc per se loco sacro, qua sacro.* — Furari *a sacristia* negat Sanch. esse sacrilegium *locale.* Certum vero est, non esse sacrilegium furtum in claustris, nec in oratorio domus privatae. In oratoriis xenodochiorum, seminariorum, vel eremitoriorum, licet non be-

nedictis ab episcopo, recte putat Sanch. furta esse sacrilegia, quia habentur ut publica. — L. 39., Lugo de Poenit. D. 16. n. 469. seqq., Struggl. 14.

504. *An laesio quorumcumque bonorum ad clericos pertinentium sacrilegium constituat?* — R. Negative, sed tantum laesio bonorum, quae clerici possident non suo, sed ecclesiae nomine, et de quibus disponere nequeunt, quia haec tantum sunt sacra. — L. 42., S. Th. 2. 2. q. 99. a. 3.

505. *An vasa et vestes sacrae converti possint in usum profanum?* — R. Affirmative, si res totaliter ita immutetur, ut ad communem materiam reducatur, v. g., si calix igne aut ferro argenti massa fiat. Secus autem, si totaliter non immutetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta sacerdotum ad usus profanos applicare. Secus autem de iis, quae non benedicuntur, ut tapetes, candelabra. — « Uti vestibus sacris, etiam attritis ad usus profanos est mortale. Vestes tamen sacrae in usibus profanis adhibitae non amittunt benedictionem ». L. l. 6. n. 376. — L. 41., l. 6. n. 371., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 2., 3. p. q. 83. a. 3. ad 3.

506. *Quibusnam licitum sit vasa sacra tangere?* — Omnibus et solis clericis absque licentia speciali; sed veniale est, et si causa subsit neque veniale. Id etiam conceditur regularibus laicis sacristis, ex privilegio Xisti IV., nec non monialibus sacristis, ex communicatione privilegiorum, itemque ex consuetudine et ex necessitate laicis oblatis recentiorum congregationum sacerdotum sacristis, et omnibus, qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt. — Prima pallarum corporalium et purificatoriorum lotio facienda est a persona sacra, et officium proprium subdiaconi est. Secunda et tertia lotio a laicis etiam fieri potest. Lotionis aqua in sacrarium proiicienda. C. *Nemo* 40. *de Consecr.* D. 1., Pontif. Rom. *De Ordinat. subdiac.*, L. l. 6. n. 387.—Licet autem omnibus tangere alias res sacras, cuiusmodi sunt, v. g., Agnus Dei, saltem ex hodierna consuetudine, reliquiae Sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis, quae sanctam Eucharistiam immediate tangunt. — C. 41. *de Consecr.* Dist. 1., L. 48., l. 6. n. 94. 382., l. 7. n. 340., E. M.

507. *An sit sacrilegium peccare die festo?* — R. Negative, « nisi notabilis irreverentia irrogatur cultui divino, ut si quis in die parasceves exhiberet comoedias, ludos publicos, etc. ». L. 46. 273., S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4., 4. D. 32. a. 5. q. 2., Lugo de Poenit. D. 16. n. 515. seqq., Suarez de Relig. l. 2. c. 18. n. 12. seqq.

VIII. — DE SIMONIA

508. *Quid sit simonia et quaenam eius malitia?* — *Simonia* est *studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.* — *Studiosa,* non modo quia ut quodvis aliud peccatum *deliberationem* exigit; verum etiam quia ad eius essentialem malitiam non requiritur, ut *pactum* mutuo consensu reipsa perficiatur, sed sufficit *interior* vel unius *voluntas* paciscendi seu alium obligandi. Act. 8., 18. seqq.

Spirituale, hic illud omne intelligitur quod *ex se* vel *ex institutione Dei* aut *Ecclesiae,* ad salutem pertinet animae, adeoque ad ordinem bo-

norum spiritualium. Alia porro sunt spiritualia *in seipsis* et *formaliter,* v. g., dona Spiritus Sancti et gratia sanctificans; alia autem *causaliter,* quatenus nempe sunt causa donorum spiritualium, v. g., sacramenta et sacramentalia, alia demum *effective,* quae a causa spirituali procedunt, ut sunt dispensatio in votis, absolutio a censuris, etc. — *Spirituali adnexum* tripliciter aliquid esse potest: *antecedenter,* cui accedit spirituale, utpote quod ad spirituale ordinatur, ut vasa sacra, quae ordinantur ad sacramentorum usum; *consequenter,* cui spirituale praesupponitur et quod ex spirituali dependet, ut ius ad reditus beneficiorum, quod habetur propter officium spirituale; *concomitanter,* sive *intrinsece,* si re ipsa non sit separabile, ut labor in administratione sacramentorum; sive *extrinsece,* si sit separabile, ut cantus in celebratione missae.

Iam age data definitio complectitur tantum spirituali adnexum *consequenter;* non etiam adnexum *antecedenter* et *concomitanter.* — Quare *per se* licitum est vendere temporale, quod *antecedenter* adnexum est spirituali, ut argentum calici; nam illa res semper retinet suum valorem intrinsecum, a re spirituali independentem, C. *Hoc eius* 2. § 1. c. 10. q. 2., nulla tamen in pretio habita ratione consecrationis. Si vero calix, vel vestis sacra ad usus profanos vendantur prius confringi vel dissui debent, ita ut consecrationem amittant, Authent. *Praeterea* C. *de SS. Ecclesiis,* manente re materiali cum suo valore. Quod cum in templis fieri nequeat; sic enim non venderetur nisi lapidum congeries, hinc templa vendi posse plures negant, Bened. XIV. Quaest. Can. q. 142., C. *Quaedam de simonia.* Dicitur *per se,* fieri enim potest, ut huiusmodi venditio ecclesiastica lege prohibeatur. Et sic iure ecclesiastico prohibetur venditio rerum beneficii, chrismatis olei benedicti, coemeterii. — Itemque pro adnexo *concomitanter extrinsece* licet stipendium accipere, e. g., pro itinere in celebratione missae, certa hora, certo loco, etc. Quae sunt adnexa spirituali *concomitanter intrinsece* vendi item *per se* possunt. Enimvero labor *intrinsecus* qua labor est ab *extrinseco* nihil differt. Quare propter *laborem,* sive intrinsecum sive extrinsecum, aliquid accipere, quasi *operis mercedem,* non rei spiritualis pretium, simonia *per se* non est. Et sic in missarum celebratione stipendium accipitur. *Per se,* si enim intercedat Ecclesiae prohibitio simonia tunc committitur. — Ea vero, quae *consecuntur* rem spiritualem, vendi non possunt, *manente hac connexione;* quod enim est adnexum consequenter alicui rei, rem ipsam supponit, et se habet veluti illius accessorium. Si ergo principale nequit vendi, nec quod ex illo necessario sequitur. C. *Si quis obiecerit* c. 1. q. 3. Hinc simonia est vendere ius vivendi de bonis monasterii, cum id sit adnexum consequenter professioni, quae spiritualis est. *Manente hac connexione;* auctoritate enim S. Pontificis separatio fieri potest.

Pretio temporali, i. e. re pretio aestimabili, vel quae temporale commodum prae se ferat; licet forte pretio seu pecunia aestimari non possit; sive sit *munus a manu,* ut est pecunia ipsa, vel aliud quodcumque temporale bonum illi aequivalens; sive *munus a lingua,* ut est laus, vituperium, patrocinium; sive *munus ab obsequio,* ut est famulatus. Simonia erit ob *munus a manu,* si detur alicui beneficium cum pacto, ut ille remittat debitum. Simonia erit ob *munus a lingua,* si episcopus alicui conferat beneficium, ut ab eo laudibus exornetur, favoribus afficiatur, ne illius odium incurrat. Simonia demum erit ob *munus ab obsequio,* si prae-

latus beneficium famulo vel famuli filio conferat, ut gratis sibi serviat, vel ut eius famulandi munus sic compensetur. Unde non est simonia dare *rem spiritualem pro spirituali;* e. g., ego dicam missam pro te, ut tu dicas pro me tot rosaria, dare reliquias pro aliis reliquiis, calicem pro ciborio, vel cum auctoritate legitimi superioris unum beneficium commutare cum alio. Res enim eiusdem ordinis bene invicem aestimantur.

Emendi aut *vendendi.* Verba haec significant quemcumque contractum onerosum, sive voluntatem alterum ex pacto *obligandi* ad dandum spirituale pro temporali, aut vicissim. *Obligandi,* ita ut, vel *primum* inde obligatio, vel *nova* inde habeatur rei temporalis obligatio onerosa, vel ex fidelitate, *quaelibet* res illa temporalis sit, quamvis non proprie res, sed contractus aliquis ineundus, e. g., mutui. C. 114. caus. 1., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 4. a. 5., L. 56. 57., Suarez C. 37.

Simoniae igitur *malitia* in eo est, quod *spirituale temporali aequiparetur.* Quod dupliciter locum habere potest, *formaliter* et *virtualiter;* formaliter, cum quis directe intendat loco temporalis, et propter eius aestimationem accipere spirituale; virtualiter, cum quis re temporali *proxime* et *immediate* obtinere velit spirituale, nec aliud motivum verum et honestum intercedat. In hac enim voluntate virtualiter includitur intentio unum cum alio *commutandi.* Nam tunc quis rem temporalem *pro* spirituali, aut vicissim, confert, tanquam pro *motivo intrinseco* et *finali,* et sic saltem in mente datur pactum virtuale. — Hinc simonia non erit, si quis aliquod temporale *gratis* alteri traderet pro beneficio iam accepto; vel ad eum alliciendum, ut pro ipso praestetur aliquod spirituale, v. g., si vir dives pauperi eleemosynam det, ut pro ipso oret. Hoc sensu licet etiam alicui promittere donum in spiritualem eius utilitatem, v. g., si missam audiat, sacramenta suscipiat, vel si monasterium ingrediatur; quia haec est *simplex donatio,* sub conditione quidem, vel sub modo, sed nullus *onerosus contractus* est. Secus vero esset, si simpliciter imponeretur obligatio, vel conditio esset praestandi aliquid *in utilitatem dantis.* — C. *Sunt nonnulli* 114. caus. 1. q. 1., L. 49. 55. 56. 59. 61. 63. 104. 70. 72. 93., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. 2. 4. 5., 4. D. 25. q. 3. a. 2., Ithur. Cas. 36., Suarez de Simon. c. 45., Schmalz. l. 5. t. 3. n. 62. seqq., Lessius l. 2. c. 35., E. M.

509. *Quotuplex sit simonia?* — 1.° Simonia, *ratione pacti,* alia est *mentalis,* alia *conventionalis,* alia *realis.* — *Mentalis* est, cum datur temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale, aut e converso, sed absque ullo pacto externo; vel quando datur temporale, tanquam compensatio ex iustitia debita pro re spirituali accepta, aut e converso, absque ullo tamen praevio pacto. *Conventionalis* ea est, quae ad ipsum pactum exterius procedit, absque tamen reali eius exsecutione. *Conventionalis* simonia dicitur *pure conventionalis,* si pactum ex neutra parte impletum est; dicitur *mixta* ex conventionali nempe et reali, si ex una tantum parte pactum impletum sit. *Realis* tandem ea est, qua pactum ex utraque parte, saltem *inchoate,* impletur. — Schmalz. l. 5. t. 3. n. 29. seqq., Struggl 24. 25., L. 49. 67.

2.° *Ratione materiae* distinguitur simonia *confidentialis,* quae est circa *beneficia ecclesiastica,* et *communis,* quae circa quamlibet est materiam. — *Simonia confidentialis* in eo consistit, quod is qui alteri beneficium dat utcumque, i. e., aut eligendo, aut praesentando, aut postulando, aut

conferendo, aut dando in commendam, aut instituendo, aut in alterius favorem *cedendo* et *resignando,* quidpiam propria auctoritate ex pacto, expresso aut tacito, vel circa beneficii *fructus*, vel circa *beneficium* reservet, assensum superioris impetrando; secus enim simonia iam communis non confidentialis esset.—Porro quatruplex distinguitur *reservatio:* 1.° *Reservatio accessus,* cum quis beneficium alteri, utcumque procurat seu confert eo tamen pacto, ut hic opportuno tempore alteri, v. g., consanguineo, vel sibi, ipsum resignet. 2.° *Reservatio ingressus*, cum quis beneficium sibi iam collatum, sed nondum possessum, alteri ea conditione resignat, ut in dato casu et tempore ipse resignans ius habeat eius possessionem adipiscendi, sive in beneficium reipsa *ingrediendi.* 3.° *Reservatio regressus,* cum, quis beneficium iam a se possessum resignat alteri eo pacto, ut in determinato aliquo casu et tempore, ad ipsum resignantem aliamve certam personam sit regressurum. 4.° *Reservatio pensionis* aut *fructuum,* quando conferens aut resignans beneficium, sive solum collatum, sive etiam possessum, istud alicui faciat obvenire cum pacto, ut hic *sibi, vel alteri* a se designando, omnes beneficii fructus, vel eorum partem tribuat, aut pensionem ex eo persolvat. *Sibi vel alteri,* si *alteri* omnes conveniunt, *confidentialem* esse simoniam. Si *sibi* plures negant esse simoniam *confidentialem,* sed *communem* esse dicunt. — Pius IV. C. *Romanum Pontificem* XVI. kal. Nov. 1564, S. Pius V. C. *Intolerabilis* 1. Jun. 1569., Trid. S. 24. C. 9. 19., S. 25. C. 7. de R., Suarez de Simon. c. 43., Ithur. Cas. 34. n. 24., Cas. 36. n. 25., Schmalz. l. 5. t. 3. n. 39., L. 49. 90.

Praedicta *reservatio ex pacto* esse debet. Praeterea simonia confidentialis vel *realis,* vel saltem *conventionalis mixta* esse debet: unde *confidentialis* dicitur, quia *cum quadam confidentia et pacto* est. Quare simonia *mentalis* licet circa beneficia, non est proprie simonia *confidentialis. Cum pacto;* ex Schmalz. l. 5. t. 3. n. 40.-42., aliisque sufficit, sine expresso pacto, intentio tantum resignantis seu conferentis obligandi alium ad dandum sibi vel alteri accessum, ingressum, regressum, aut pensionem signo externo expressa; id tamen negant *probabilius* S. Alph. 86. 87., aliique. Insuper ea reservatio *sine debita superioris auctoritate* esse debet: secus nulla erit confidentialis simonia. Postremo eadem reservatio circa *sola beneficia ecclesiastica* esse debet. Ex Extr. 2. Quare, si pacta simoniaca fiant circa *pensiones*, aut quodvis aliud ius, quod proprie nomine *beneficii* non comprehenditur, ad simoniam communem, non ad confidentialem pertinet. Simonia haec *communis* et *confidentialis* distinguitur ob speciales leges et poenas, quae in iure habentur contra hanc ultimam, quare ea non extenditur ultra casus in eodem iure determinatos. Unde *permutantes inter se* beneficia cum certa fiducia sive pacto, de permutatione dato tempore dissolvenda, et de concedendo regressu, e. g., ad beneficia sic permutata sibi aut aliis, vel de pensione solvenda sibi aut aliis, simoniam confidentialem non committunt, sed communem. Constitutiones enim Pii IV. et S. Pii V. non nisi de *cessione* et *resignatione* beneficiorum loquuntur. *Permutantes inter se;* secus enim esset de episcopo vel quovis alio beneficii collatore, cum alterutro, vel utroque permutantium, ita paciscente. Non est vero simonia confidentialis, sed communis, si cessio et resignatio beneficii habeatur cum confidentia seu pacto non de ipso beneficio vel de eius fructibus, sed de alia re temporali vel spirituali danda vel reddenda; vel etiam non de

eodem beneficio, sed de alio resignando. — C. *Quaesitum* 5., C. *Cum olim* 7. *de Rer. permut.*, L. 85. 88.

3.° *Ratione iuris*, quo simonia prohibetur, alia est *iuris naturalis* seu *divini* alia *iuris ecclesiastici*. Simonia *iuris divini* habetur, ubi vilipenditur *dignitas rei spiritualis*, quae nempe talis est in seipsa, vel ex Christi institutione, per comparationem *cum re temporali*. *Iuris* vero *ecclesiastici* est, cum contra Ecclesiae prohibitionem, *res spiritualis* datur pro alia *re spirituali*, ut in permutatione beneficiorum propria auctoritate facta; vel cum res *per se temporalis* alteri spirituali adnexa, vel ad eam ordinata datur pro pretio temporali, ut si quis emat ecclesiasticum officium oeconomi, thesaurarii, sacristae Ecclesiae, etc.; vel cum in administratione rerum sacrarum munus vel merces exigitur aut accipitur, quando id Iure vetitum est. Licet enim proprie absit ab istis permutationibus et acceptionibus malitia aequiparandi *spirituale* cum *temporali*, cuiusdam tamen venditionis et emptionis rerum spiritualium speciem prae se ferunt, et periculum continent. Unde eas Ecclesia merito interdixit ex motivo religionis et reverentiae erga sacra. Quare simonia haec *iuris* dumtaxat *ecclesiastici* non est *intrinsece mala*, sed solum mala est, quia ab Ecclesia prohibetur ob reverentiam erga res sacras: lex enim habet vim efficiendi ut suum obiectum sit materia alicuius virtutis, intuitu causae, ob quam illud praecipit, sic, v. g., communio facta ab homine non ieiuno sine causa excusante est sacrilegium, quia Ecclesia ex motivo reverentiae vetuit sumptionem cibi vel potus ante communionem. — L. 68. 69.

510. *Quale peccatum sit simonia? — Simonia est peccatum gravissimum; et, si sit iuris divini et naturalis, materiae parvitatem non admittit; si autem simonia sit iuris ecclesiastici, potest in ea dari materiae parvitas.* Prob. 1.ª p. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° Quia res spiritualis quaelibet ex comparatione cum temporali, magna iniuria in ipsum Deum, vilipenditur. Constat etiam ex verbis S. Petri ad Simonem magum, Act. 18., 20.: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* — Prob. 2.ª p. Nam ex parte rei spiritualis, haec licet minima maximae semper aestimationis est. Ex parte vero pretii, quo hoc minus est eo magis spirituale vilipenditur. — Prob. 3.ª p. Quia simonia iuris ecclesiastici non ideo interdicitur, quasi pro re spirituali detur temporale pretium; sed ab Ecclesia prohibetur ad omnem simoniae et avaritiae speciem, aliaque incommoda removenda. Unde per hanc non fit proprie iniuria rei sacrae, sed tantum Ecclesiae praeceptum violatur; in hoc autem parvitas materiae inveniri potest. Exceptio tamen facienda videtur iuxta aliquos quoad examinatores in concursu ad paroeciam. Trid. S. 24. C. 18. Alii vero hanc exceptionem omittunt, vel expresse negant. — Cau. 1. q. 1. 2. 3., *De Simon. et ne aliq.* etc., L. 50., E. M.

511. *An sit simonia dare principaliter temporale ob spirituale, vel contra, sed non unice?* — R. Affirmative. Ratio est, quia etiam sic adest comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim quod adiicitur quantumvis honestum sit, prioris motivi, *propter quod* principaliter datur temporale, malitiam non destruit. Confirm. ex pr. 45.ª 46.ª dd. ab Innocent. XI. *Temporale ob spirituale, vel contra:* secus enim esset, si temporale detur non *ob* spirituale, vel contra, sed *ad* gratum animum significandum, vel *ad* benevolentiam alliciendam, etc. Aliud autem est *motivum intrinsecum*

operis, ob, propter quod ipsum *opus* intendatur; aliud *finis extrinsecus operantis,* suam *actionem* ordinantis *ad* hoc vel illud. — L. 51. 52. 53. 54. 55. 64., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3., 4. D. 25. q. 3. a. 2. q. 2., E. M.

512. *An sit simonia obire functiones sacras ad lucrandum stipendium, vel recipere aliquid pro doctrina sua?* — Ad 1.um Haec S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. 3.: « Accipere *pecuniam pro spirituali gratia* est crimen simoniae, quod nulla consuetudine potest excusari, quia consuetudo non praeiudicat iuri naturali vel divino... accipere autem aliqua *ad sustentationem eorum,* qui sacramenta Christi ministrant, *secundum ordinationem Ecclesiae* et *consuetudines approbatas,* non est simonia neque peccatum. Non enim sumitur tamquam *pretium mercedis,* sed tamquam *stipendium necessitatis*... Ita tamen quod desit intentio emptionis et venditionis, et quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem, quae sunt exhibenda; hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. *Gratis* tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutae et consuetae oblationes, et quicumque alii proventus exigi a nolentibus et volentibus solvere, auctoritate superioris interveniente ». Neque vero obstat, quod talis neque missam legeret, neque concionaretur sine lucro; id enim non probat, temporale esse *pretium,* sed solum esse *finem,* finem nempe non *operis,* sed *operantis, occupati in gratiam alterius,* seu *conditionem,* sine qua non operaretur, deficiente nempe congruae sustentationis stipendio. Simonia ergo est quando datur temporale *pro* spirituali, quasi huius *pretium,* minime vero quando temporale exigitur ut iustum *stipendium* seu *merces operis* et laboris, nec non *opis* seu officii temporalis praestiti, ac multo minus si temporale quasi *subsidium* et eleemosyna detur. — Qui tamen sic « sacra ministeria peragunt *principaliter ob* emolumentum temporale, non facile excusari possunt a culpa veniali, cum sit quaedam inordinatio dirigere spiritualia ad temporale ». L. 55. Attamen idem S. Alph. l. c. ait: « illicitum non est ordinare rem spiritualem, etiam principaliter ad finem temporalem honestum ». Quare, *per se,* quod licite accipitur licite etiam intendi potest. Neque vero obstat, quod talis sustentatione non indigeat; hoc enim *per accidens* est. Cum autem stipendium hoc ex iustitia debeatur, licet etiam de eo pacisci. — Schmalz. l. 5. t. 3. n. 89.-95., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3., L. 55. 104.

Ad 2.um Distinguendum est: vel *instructio* illa natura sua tendit tantummodo ad spiritualem aliorum utilitatem, v. g., catechesis, verbi Dei praedicatio et similia; vel tendit etiam in aliquod eorum bonum temporale, v. g., ad oblectationem et honorem, uti est instructio ad interpretandas Scripturas sacras, ad enodandas Theologiae controversias, etc. Si 1.um, certe simonia est accipere *pro* ea aliquid temporale, nisi *ratione sustentationis;* cum sit res *mere spiritualis.* Si 2.um, nulla erit simonia; quia *qui docet scientiam,* ait Angelicus, *potest stipendium accipere quasi operas suas locans.* S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 3. Nec refert quod scientia illa supernaturalis sit; nam proxime et per se non ordinatur ad salutem animae, sed ad illustrandum intellectum, sicuti aliae scientiae naturales. — L. 94.

513. *An sit simonia, si sacerdos spondeat laico missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?* — R. Negative *per se,* quia hac ratione res spiritualis non aequiparatur proprie temporali, sicut non aequiparatur, quando missa dicitur pro stipendio; sed tantum offertur exse-

cutio rei spiritualis loco temporalis, quae foret alioquin tradenda. Non enim peccat qui offert creditori 100. missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum 100. francorum; ergo a pari nec peccat, qui spondet missam pro exitu ludi, dum alter 20. asses exponit. Ceterum eiusmodi ludus raro caret aliquo scandalo, et proinde semper dissuadendus est. — L. l. 3. n. 882., Voit 506.

514. *An sit simonia, si sacerdos pro missa stipendium supra taxam consuetam, aut ab episcopo statutam, exigit?* — R. Negative quoad forum internum et coram Deo, nisi mente simoniaca agat; quia cum alium habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam, vel iustitiam plus aequo exigendo, minime vero contra religionem. Attamen in foro externo ut simoniacus haberetur, eo quod eiusmodi auctuarium praesumeretur exigere non pro sustentatione, sed tamquam pretium rei spiritualis, qua de causa plures theologi et canonistae absolute affirmant, eo casu committi veram simoniam.

515. *An sit simoniacus clericus inserviens episcopo, et expectans pro retributione aliquid spirituale?* — R. Negative, si inserviat in spiritualibus, v. g. in munere praedicatoris, nam « ecclesiasticis utilitatibus insudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere ». C. *Eccles.* 67. c. 12. q. 2. Negative etiam, si inserviat in temporalibus, et si intentio primaria sit dandi gratis temporale; quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis, ut debita retributio, non vero ut effectus grati animi. — L. 51. 62., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 1.

516. *An sit simonia beneficium conferre ob carnalem affectionem, nempe ob parentelam?* — Haec S. Th. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 2.: « Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio; non tamen simoniaca; quia nihil ibi accipitur: unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium ecclesiasticum alicui, hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat est manifesta simonia ». — Quodl. 5. q. 11. a. 23.

517. *An sit simonia tradere temporale pro omissione rei spiritualis?* — Si detur pro omissione rei, quam quis *tenetur* ponere, *vi potestatis spiritualis,* ut est, v. g., omissio absolutionis, vel quae *directe et proxime* paret viam ad spiritualia, v. g., si alteri des pecuniam, ne concurrat ad beneficium, est simonia; cum vendatur exercitium rei spiritualis pro temporali. « Correctio est spiritualis actus: unde simoniam committit, qui pecuniam accipit, ut peccatum, quod tenetur revelare aut punire, non revelet aut puniat ». S. Th. 4. D. 25. q. 3. a. 2. q. 11. — Si vero rem omittere mere pendeat a libertate, poterit quidem turpe peccatum esse, non erit tamen simonia: quum nil sacrum vendatur, sed solum *usus liberi arbitrii,* ut esset omissio orandi, celebrandi, etc. — *Temporale;* simonia enim erit, si *spirituale* tradatur, cum aliquid temporale sit non facere aliquid spirituale, libertas nempe seu arbitrium faciendi. — L. 97., Ithur. Cas. 36. n. 17.

518. *An sit simonia dare vel accipere aliquid pro ingressu in religionem?* — Certum est non licere dare vel accipere aliquid *pro solo in-*

gressu; quia hoc esset commutatio rei sacrae, cuiusmodi est religio, cum re temporali. — Certum est etiam, licere monasterio *pauperi* aliquid exigere *pro ingredientis sustentatione,* quia tunc non commutatur res spiritualis cum temporali: et alioquin postulat aequitas, ut recipiatur aliquid, ne monasterium oneribus gravatum corruat. — Certum est pariter, licere monasterio aliquid exigere *pro sustentatione novitiorum,* quia cum non adhuc pertineant ad religionem, et pro libito discedere possint, et saepe reipsa discedant, aequum non est monasterium pro ipsis tam gravi oneri subesse. Religio tamen FF. Minorum, ex decreto speciali, nil accipere potest. — Controvertitur autem, si agatur de monasterio *opulento.* Negat S. Lig. n. 92., nisi recipiendus sit senex vel infirmus. Affirmant vero alii non pauci, modo non exigatur pecunia pro ipso ingressu, sed recipiatur aut postuletur tantum *ratione sustentationis,* seu dotis. — Quoad *sanctimoniales,* cum S. C. experientia didicerit nullum monasterium reperiri adeo opulentum, quod pluribus incommodis non sit obnoxium, amplexa est S. Caroli decreta, quibus a singulis indiscriminatim monialialibus statuitur tradendam esse dotem. Unde satis est episcopo, si modum imponat sumptibus fieri solitis occasione ingressus, etc., prout eum monet Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 6. Cavere tamen debent, ne inhabiles unice propter dotem aut aliud quidpiam temporale recipiant; id enim simoniacum esset. — Trid. S. 25. de Reg. C. 16., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4., E. M.

519. *An sit simonia pecunia se redimere ab iniusta vexatione circa beneficia, aut aliud bonum spirituale, v. g., sacramenta, etc.* — *Pecunia,* i. e. re temporali, quaelibet ipsa sit, pecunia aliquo modo aestimabilis. *Pecunia,* si enim vexatio *re spirituali* redimatur, simonia profecto adest. — Porro potest iniuste quis vexari vel *in iure spirituali iam acquisito,* vel *in tali iure,* nondum acquisito, sed certe *acquirendo.* Si 1.um non est simonia pretio temporali redimere *iniustam vexationem* a quocumque tandem proveniat. Pretium enim non datur pro re spirituali, sed pro cessatione iniustae vexationis. *Iniustam vexationem;* si enim vexatio iusta sit, v. g., si quis accusetur de vero crimine, ob quod beneficium debeat amittere, vel iura spiritualia amplius nequeat exercere, simoniacum esset pretio redimere vexationem hanc; quia tale ius non est firmum, ideoque tollendo vexationem iustam pretio emitur ius firmum, quod est spirituale. Ita pariter non licet dare pecuniam competitori, ne concurrat ad beneficium; nam directe pararetur via ad illud. Cf. 517.

Si 2.um vel ista vexatio provenit ab iis, qui nequeunt ius illud concedere, vel ab iis qui illud concedere possunt. Si 1.um fas est eam pretio redimere, quia pretium datur pro re temporali: sic, v. g., si quis per *diffamationem* patronum impediat, ne te eligat ad beneficium, poteris utique diffamatori dare pecuniam, ut ab illa cesset diffamatione; quia in hoc casu non redimeres nisi famam, et tolleres vim ac fraudem, quibus sublatis, patronus adhuc suo in arbitrio plenissime remanet te ad beneficium eligendi vel non eligendi. Si 2.um simonia erit temporale aliquid iisdem elargiri eo fine, ut cessent a vexatione; quia in hoc casu vere ac *proprie* daretur *temporale pro spirituali.* Nam « sic per pecuniam parares tibi viam ad rem spiritualem obtinendam ». S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad. 5. Quando datur pecunia ei, qui potest prodesse vel iustum ponere impedimentum, is inducitur ad non opponendum, quod iuste posset opponere;

et ita directe et proprie via sternitur, ad beneficium, e. g., temporali bono dato. — Aliter vero esset, si ageretur de actu possessionis beneficii iam collati: tunc *probabilius* liceret hanc vexationem pecunia redimere; quia possessio est temporalis, cum in solo *facto* sita sit, neque redimitur seu acquiritur *ius* ipsum beneficii, sibi iam debiti seu *sui*. — Pariter simonia non esset pecuniam tribuere electoribus, ut desistant ab electione indigni, quia Ecclesia habet ius acquisitum in dignos; unde daretur pro desistendo a malo: sicut nec simonia esset dare pro eligendo digno, vel digniori in genere; nam ideo daretur, ne mala electio fiat; sed si determinaretur persona, simonia esset; cum directe esset pro illius electione pecuniam tribuere. — Struggl 29., L. 49. 64. 65. 98. 99. seqq., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.

520. *Quot modis committitur simonia iuris ecclesiastici?* — Sequentibus: 1.° *Beneficia* commutando, in alterius favorem resignando, in iis paciscendo, vel transigendo, vel pensiones licet spirituales reservando, sine licentia superioris. C. *Quaesitum de Rer. perm.*, C. *Super eo*, C. *Statuimus de Trans.*, C. *Nisi essent* 21. *de Praeb.* Ratio legis est periculum, ne id fiat intuitu rei temporalis; cum haec commodum aliquod includant. S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. ad. 5., a. 4. ad 3. — Adde, *beneficia* vendere, etiam secundum illud, quod in illis temporale est, nempe secundum *ius percipiendi fructus*. « Probabilius tamen, ait S. Alph. 70., dicunt esse simoniam de iure divino ex S. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 2.... ut colligitur ex C. *Si quis* 1. q. 3. et ex C. *Ex diligenti* 17. *de Simon.* ». Cf. etiam L. 76. — Adde etiam, vendere *ius patronatus* praesentandi ad beneficium. C. *De iure* 16., C. *Praeterea* 23., *de Iure patr.* Affirmant tamen Less., Pal., Laym., etc., hanc venditionem iure etiam divino vetari. L. 71., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ad. 3. Prohibentur item transactiones super iure patronatus, ac super re alia spirituali adnexa, oratorio, templo, etc., si nempe ex una parte spirituale et ex alia detur temporale. C. *Praeterea* 9. 10. *de Trans.* Licitae vero sunt, si utrinque detur aliquid spirituale vel spirituali adnexum. C. 6. *de Permut.*, C. 2. 3. *de Trans.* — « Trid. S. 24. C. 14. de R. praecipitur episcopis, ne permittant pro admissione *ad possessionem beneficii* solutionem ullam, aut promissionem, utpote *simoniacae labis, aut avaritiae suspicionem habentes*, reprobata quacumque consuetudine in contrarium. Tantum permittit Conc., si sit consuetudo, dare aliquid in usus pios convertendum ». L. 99.

2.° Aliquid dando vel accipiendo etiam sponte oblatum, ante vel post *occasione examinis* ad curam parochialem, v. g., cum agitur de parocho eligendo in *concursu*, ex Trid. S. 24. C. 18. de R. *Occasione examinis;* nam pro *examine ipso* dare vel accipere esset simonia iuris divini.

3.° Aliquid accipiendo, etiam sponte oblatum *occasione collationis ordinis, vel litterarum ad ordinem ipsum, vel etiam primae tonsurae*, ex eod. Trid. S. 21. C. 1. de R. Ubi tamen excipitur decima pars aurei pro notario, si ei nullum salarium est constitutum, et consuetudo permittat accipere. Verum Sacra Congr. 8. Oct. 1678. permisit episcopis, ut candelam reciperent, et etiam mappam a presbyterandis: immo eadem Congr. deputata ab Innoc. XI, taxavit etiam emolumenta, quae exiguntur pro dimissoriis ac testimonialibus, etc. « Conceditur episcopis in dispensationibus (matrimoniorum) accipere aliquid eleemosynis tribuendum, modo ipsis

vel suis nihil perveniat, per modum poenae, vel commutationis, non autem per modum sustentationis. Hoc enim vetitum est illis ex... Trid. S. 24. C. 5. de M. ». L. 96.

4.° Vendendo vel emendo ecclesiastica officia procuratoris, sacristae, oeconomi, defensoris Ecclesiae: quod quidem factum est intuitu religionis. C. *Si quis* 3., C. *Salvator* 8. c. 1. q. 3., Suarez c. 29.

5.° Vendendo partem coemeterii: immo erit simonia iuris divini, si vendatur ut locus sacer, vel si ius sepulturae vendatur. Potest tamen emi ius sepulcri, ut quis in tali loco sepeliatur; quia tunc non venderetur sepultura ne ratione quidem terrae, sed pretium exigeretur ratione oneris, quod suscipitur, alios ibi non sepeliendi: quod quidem est quid temporale; neque id ius prohibet, immo probat usus. Idem dicendum est, si plus exigatur ad deferendam crucem argenteam pro ferrea; non enim est maioris benedictionis una prae alia; sed hic honor mundanus est, qui potest utique vendi. C. *Abolendae* 13. *de Sepult.*, L. 71.

6.° Vendendo oleum benedictum, vel sacrum chrisma, etiam secundum suam speciem physicam: usus tamen in ecclesiis cathedralibus invaluit, ut aliquid ab ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus, qui in materia comparanda facti sunt. C. *Placuit* 102. c. 1. q. 1., C. *Ea quae de Simonia.*

7.° Exigendo pecuniam pro admissione in religionem, non pro ipso statu, quod iuris divini simonia esset, sed ratione sustentationis, nisi *vel* lex, *vel* consuetudo, *vel* tenuitas monasterii excuset. Cf. 518.

8.° Accipiendo aliquid pro erectione, institutione, communicatione, vel aggregatione confraternitatum, contra C. *Quaecumque* Clem. VIII.

9.° Pluribus decretis S. Cong. Indul. interdictum est, ne rosaria, cruces aut numismata benedicta venditioni exponantur. — Trid. S. 21. C. 9. de R., Struggl 23., L. 68. 69. 72. 74. 77., E. M.

521. *Quaenam sint poenae in simoniacos latae?* — Manent etiam nunc firmae *poenae* a Pontificibus, maxime a Julio II. C. *Quum tam divino* 14. Jan. 1505., latae contra simoniam *in electione Romani Pontificis* commissam. Pius IX. C. *Apostolicae Sedis* de censuris. — L. 112. par. ult.

Excommunicatio habetur latae sententiae Romano Pontifici reservatae in « reos *simoniae realis, in beneficiis* quibuscumque, et eorum complices ». C. *Apost. Sed.* Ob eamdem simoniam realem, in materia beneficiaria, incurritur praeterea *nullitas electionis, praesentationis* et *canonicae institutionis,* ita ut sic promotus et institutus fructus beneficii nequeat *facere suos,* etiamsi pecunia data fuerit a tertia persona, ipso prorsus ignaro; nisi forte vel per triennii spatium bona fide beneficium possederit; vel si ille, cognito pravo simoniae consilio, contradixerit, et tamen, eo inscio, alius promiserit aut contulerit; vel si tertius simoniam commiserit eo fine, ut illum redderet inhabilem. Insuper incurritur *inhabilitas ad idem beneficium obtinendum. Ad idem;* nam ad alia obtinenda non fit inhabilis, nisi post sententiam, *ut probabilius* et communius docent explicantes Bullam S. Pii V. (ubi contrarium videtur innui), de foro externo; cum Bulla revera loquatur de *reis convictis.* Immo, si alia beneficia iam habeat, ea retinere potest, quia nulla lex expressa hanc poenam ipso facto decernit. — Riganti Reg. 36. Canc. n. 132., Suarez de Relig. l. 4. c. 57. 58., L. 111. 112., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6.

Notandum: Poenae huiusmodi simoniae *realis* non incurruntur, si non fuerit peccatum externum completum ex utraque parte. Odia enim sunt restringenda. Hinc beneficium ecclesiasticum accipiens cum pacto praestandi pecuniam, non tenetur ante pecuniae solutionem neque beneficium resignare, neque fructus a beneficio perceptos restituere. Aliud vero est de simonia *confidentiali*, ut mox dicetur; tunc enim ex Bulla *Intolerabilis* S. Pii V. poenae incurruntur etiam per simoniam conventionalem mixtam, scilicet ex una tantum parte completam. — L. 106.

Quoad *facultatem dispensandi* ab inhabilitate obtinendi beneficium, simoniace collatum, haec animadvertenda sunt: 1.° Si beneficium sit simplex, etiam canonicatus vel dignitatis, cui non insit cura animarum, et fuerit acceptum per simoniam ignoranter, scilicet, quando simonia fuit commissa ab alio, beneficiario ignorante, tunc potest episcopus dispensare etiam in illa vacatione, dummodo beneficiarius sponte renuntiet. C. *Si alicuius* 59. *de Elect.* — 2.° Immo eadem facultas episcopo tribuenda est, quando beneficium sit quidem duplex, sed collatio eiusdem irrita non fuerit declarata per *sententiam.* Nam, eiusmodi accedente sententia, ad Sum. Pontificem pro dispensatione *saltem illa vice* recurrendum esset. Dicitur *illa vice,* quia si idem beneficium alteri prius conferatur, et iterum vacare contigerit, utique poterit illi conferri, qui simoniam ab altero in sua provisione commissam ignoraverat. Cf. Reiffenst. l. 5. t. 3. n. 337. — 3.° Si scienter simoniace quis acceperit beneficium sive simplex, sive curatum, etiamsi sponte renuntiet, nequit episcopus cum illo dispensare ad idem beneficium habendum, neque pro illa, neque pro alia vice, ut docet S. Th. cum Salm., Sanch., L. 111. 117. 118., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6., Ithur. Cas. 34. n. 32.

Excommunicatio etiam habetur latae sententiae Rom. Pontifici reservata in « reos *simoniae confidentialis,* in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis ». C. *Apost. Sedis.* Insuper ob simoniam confidentialem completam, i. e., quando beneficium datum et acceptum est in confidentiam, etiamsi, pactum ab altera parte nondum impletum fuerit, habetur: *nullitas* resignationis aut collationis factae in confidentiam; *inhabilitas ad idem beneficium; reservatio eiusdem beneficii ad Sedem Apostolicam.* Fructus vero ex hisce beneficiis male percepti Camerae Apostolicae applicantur. — L. 89. 90. 111. 117., Schmalz. n. 273., Giraldi T. 2. pag. 572.

Excommunicatio pariter adest latae sententiae Rom. Pont. reservata in « reos *simoniae realis ob ingressum in religionem* ». C. *Apost. Sedis.* Incurritur praeterea ex utraque parte *infamia iuris,* et consequenter *irregularitas.* Valde autem probabile est non incurri has poenas in simplici ingressu, sed *in professione,* quae etiam simoniace facta valida certo est. — L. 118.

Omnes electiones simoniacae ad Generalatum, Rectoratum et quodlibet officium spirituale in religione sunt *irritae,* Extr. 2. *de Sim.*, L. 112.

Quoad simoniam commissam ab *examinatoribus synodalibus* beneficiorum parochialium, haec decernuntur a Trid. S. 24. C. 18. de R.: « Caveant, ne *quidquam prorsus occasione huius examinis,* nec ante, nec post, accipiant: alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant. Et ad alia in posterum inhabiles reddantur ».

Quare privantur ante omnem sententiam beneficiis iam obtentis. Ita Scav. Ed. 12.ª Mediol. 1874. l. 2. n. 143. et S. Alph. 112. Sed alii negant, quia haec poena cum tanto rigore recepta non est. D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 118. — Thesaurus de Poen. eccl. V. *Simonia* IV. 1., L. 112.

Praeter has, aliae etiam adsunt poenae, sed probabiliter non incurruntur nisi post iudicis sententiam, excepta *infamia iuris*, et *irregularitate*, quae, ob notorium simoniae crimen, facto ipso contrahitur. — Decretal. l. 5. t. 3. *de Simon.*, Extrav. Comm. l. 5. t. 1., S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6., E. M.

522. *An sit restituenda res spiritualis, simoniace acquisita?* — R. Affirmative quoad *beneficia;* ita communis et certa dd. sententia. Ratio, quia iura in poenam delicti obstant, quominus recipiens aut pretium, aut beneficium, possit dominium accepti acquirere. Et cum irrita sit beneficii adeptio, eo ipso nec fructuum acquiri potest dominium, atque adeo hi quoque sunt restituendi, *si mala fide percepti fuerint.* Hi autem restituendi sunt ecclesiae, modo commodum non recipiant ex hoc, qui simoniam commiserunt. Sed probabile est posse pauperibus « in eleemosynas erogari ». S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7., vel reddere successori in beneficio, vel « in pios usus convertere », S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. Potest etiam componere cum Pontifice pro dictis fructibus. L. 116. *Mala fide percepti,* quia non videtur teneri etiam restituere fructus perceptos *fide bona, nisi in quantum ditior evasisset,* adeoque non nisi extantes. S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3. Ac, sive sermo sit de simoniaco bonae fidei, sive etiam de simoniaco malae fidei, valde etiam *probabile* est, non esse restituendos fructus perceptos *intuitu stolae;* quia fructus isti non dantur ut reditus *beneficii*, sed ut *stipendia officii.* — Negative quoad reliqua, licet iudex possit in poenam criminis restitutionem iniungere. Ita communis cum Schmalz. l. 5. t. 3. n. 284. Ratio est, non modo quia quaedam restitui non possunt, v. g., sacer ordo; sed etiam, quia ut valida sit rei spiritualis, v. g., ss. reliquiarum translatio, iure divino non plus requiritur, quam potestas in altero transferendi, in altero recipiendi rei dominium; atqui nisi *aliunde* in alterutro sit defectus, haec potestas adest in utroque quoad rem spiritualem. Ergo. Si autem translatio valet iure divino, valebit etiam iure humano, cum ab hoc irritae nisi fere solae provisiones beneficiales simoniacae non decernantur. — L. 113. 116.

523. *An sit restituendum pretium, simoniace pro re spirituali acceptum?* — Si solum intercessit *simoniae crimen, nulla* vero *iustitiae laesio,* non adest obligatio restituendi simoniacum pretium ante condemnatoriam iudicis sententiam, nisi ipsum pretium excedat aestimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum transferatur. Schmalz. l. 9. t. 3. n. 286., L. 114. 115. Intellige, *excepta materia beneficiali,* in qua datum et acceptum ante omnem sententiam iudicis in foro conscientiae restituendum est, non quidem iure naturali, sed tantum ecclesiastico ex C. *De hoc* 11. h. t. Ratio est, quia iura tam beneficium quam pretium accipientem impediunt, quominus dominium accepti acquirere possit, idque in poenam tam gravis delicti. Schmalz. l. 5. t. 3. n. 283. — Ubi vero pactum simoniacum *repugnat etiam iustitiae commutativae,* pretium restituendum est ante omnem iudicis sententiam. Ratio est, quia ex iustitiae commutativae laesione, obligatio restituendi ipso naturae iure exurgit. L. 114.

524. *Resolves:* Proinde ad pretium restituendum, tenetur: 1.° Qui pretium accipit *pro re mere spirituali,* quae nullum commodum temporale affert; quippe rei, quae pretio non est aestimabilis, nullum est pretium; atque adeo contra iustitiam pretium pro ipsa accipitur. — 2.° Qui pretium accipit pro re spirituali, etiamsi haec commodum temporale afferat, quam tamen quispiam, v. g., parochus ex officio et iustitia praestare tenetur. — 3.° Episcopus seu praelatus, qui vendat beneficia vel officia ecclesiastica, quorum collatio ad ipsum vi muneris sui spectet; quippe ex officio suo dispensare ea gratis debet, adeoque accipiens pretium contra iustitiam peccat. Schmalz. l. c. n. 293. 295.

525. *Cui restituendum sit pretium simoniacum?* — Si datum sit pretium, *sed nondum tradita sit res spiritualis,* communis sententia docet, pretium illi restituendum esse, qui dedit, nisi aliter iudex decreverit. Ratio est, quia iura solum contra simoniam realem poenas statuunt. — *Si vero utrinque secuta sit traditio,* distinguenda a reliquis est causa beneficialis. In hac enim simoniacum pretium ex C. *De hoc* 11. *de Simonia* restituendum est ecclesiae, in qua situm beneficium est; vel, ita superiore decernente, potest pauperibus vel alteri ecclesiae distribui. S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 4. Non desunt tamen, qui putant restitutionem faciendam esse ei, qui laesus est, i. e. qui dedit. D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 119. Quoad pretium vero pro alia re spirituali acceptum, cum nihil Iure clare decretum reperiamus, superest ut ei restituatur, qui illud persolvit. Ratio est quia *per se,* et *lege seu superiore aliud non statuente,* ubi iniusta acceptio intervenit, restitutio facienda illi est, qui laesus fuit. Atqui in casu laesus ille fuit qui dedit pretium. Ergo. Proinde, si is, qui simoniacum pretium solvit, gratuito solutum remittat, ille qui istud accepit, licite idem retinet, donec in criminis poenam Ecclesiae vel pauperibus illud erogare per iudicem iubeatur. — Schmalz. l. 5. t. 3. 297.-301., Struggl 32., L. 115.

DE SECUNDO DECALOGI PRAECEPTO

I. — DE VANA NOMINIS DEI USURPATIONE

526. *Quid secundum Decalogi Praeceptum?* — Secundum Decalogi praeceptum est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Exod. 20., 7. Praeceptum hoc directe prohibet omnem inordinatam usurpationem nominis Dei, qualis potissimum fit blasphemando, temere iurando, vovendo et votum non servando. Indirecte vero reverentem nominis Dei usurpationem eiusque laudem praecipit. Struggl 11., L. 120.

527. *Quid vana SS. Nominis Dei usurpatio?* — Dicitur in vanum usurpari SS. Dei nomen, cum sine rationabili causa assumitur, aut sine debita reverentia. Idque tripliciter fieri solet, 1.° ex impatientia, vel indignatione in creaturas; 2.° ex admiratione, per modum exclamationis; 3.° mere superflue, vel ex levitate vel ex consuetudine et quadam loquendi formula.

528. *Quale peccatum sit vana usurpatio nominis Dei?* — *Peccatum veniale per se est. Per se;* nam 1.° culpa saepe omnis abesse poterit propter inadvertentiam. 2.° Mortale etiam evadere potest ob formalem Dei contemptum, aut gravem *in Deum* iram. Prob. 1.ª p., *per se* peccatum est, quia laedit reverentiam divino nomini debitam. Constat insuper ex Eccl. 23., 10.: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.* Prob. 2.ª p., *per se* peccatum est *veniale* tantum, quia reverentia illa non graviter laeditur.

529. *An sit eodem modo peccatum usurpare inutiliter nomina Sanctorum?* — R. Affirmative. Quod enim dicitur de sanctissimo Dei nomine, idem, servata proportione, etiam de nominibus Sanctorum dicendum est, ut constat ex citato loco Eccl., ubi additur: *Et nominibus Sanctorum non admiscearis.* Idem quoque dicendum est de vana usurpatione verborum Sacrae Scripturae, quando irreverenter sumuntur. L. 123.

530. *An sit peccatum frequens et inutilis usurpatio nominis daemonis?* — R. Negative *per se.* Reprobanda tamen est, ut minus decens in ore christianorum, praesertim in sacerdotibus, qui ratione scandali interdum immunes ab aliqua culpa non sunt. Quidam autem asserunt esse veniale per se. L. 131., Voit 514.

II. — DE BLASPHEMIA

531. *Quid blasphemia?* — *Blasphemia* definitur: *locutio maledictionis in Deum? Locutione* non intelliguntur tantummodo verba, sed et cogitationes et facta, quae Deo contumeliam irrogent; uti si quis pede conculcet Crucifixum, vel in coelum tanquam in Dei sedem sputum emittat. *Maledictio* hic non ad imprecationem alicuius mali restringitur, sed ad locutionem cuiuscumque mali generatim extenditur, ut comprehendantur contumelia, convitium, improperium, opprobrium, irrisio, derisio, subsannatio, illusio, ironia, imprecatio, *quaelibet derogatio* excellentis bonitatis divinae et divini honoris. *In Deum,* consideratum nempe vel *in se,* vel in suis Sanctis, et creaturis in ordine ad Deum ipsum, quatenus in iis elucet aliqua divina perfectio, v. g., sanctitas, bonitas, sapientia. — L. 121. 122. 125., S. Th., 2. 2. q. 13. a. 1.

532. *Nota:* Si sermo sit de reservatione aut de aliis poenis blasphemiae inflictis, sola *oralis* proprie intelligitur. Blasphemiae enim vocabulum stricte tunc est usurpandum. Porro communi hominum usu blasphemia vitium linguae significat; eaque *laudi Dei* opponitur, quae solis verbis exhibetur. Quare blasphemia *facti,* qua potius Dei *honor* laeditur, blasphemia proprie non est, sed ad blasphemiam, quoad indolem iniuriae in Deum revocatur. — S. Th. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 2., q. 103. a. 3. ad 3., Struggl 34., Ithur. Cas. 30., Suarez de Relig. Tr. 3. l. 1. c. 4. n. 1.

533. *Resolves:* 1.° Si quis ex *ira contra hominem,* vel exclamando ad veritatem exaggerandam, nominet Sanctos, B. Virginem, mortem Dei, Corpus Christi, Sanguinem Christi, Caput Christi, aliaque honesta Christi membra, blasphemiam *per se* non committit, sed tantum indignam divini nominis usurpationem. *Per se,* secus enim est, si haec *ex ira,* vel *indignatione in Deum,* per modum contemptus proferantur, vel apud audientes

Deus eiusque sacra inhonorari censeantur. — 2.° Neque est blasphemia dicere: nego Deum, si te non percussero; qui enim ita loquitur, vult tantum significare quod certe percusserit; neque dicere: hoc est verum sicut Deus; nam non aequiparatur veritas creata increatae, sed quaedam tantum innuitur similitudo hyperbolica. Esset autem blasphemia, si reapse intenderetur significare tantam esse veritatem secundum aequalitatem, quanta est in fidei veritate. — 3.° Blasphemia e contrario est dicere: perdat te mors Christi vel sanguis Dei; perdant te sacramenta; quia iniuria irrogatur morti, sanguini et sacramentis Christi, quae non ad perniciem, sed ad salutem hominum ordinata sunt. Blasphemia item est dicere: se velle agere, Deo invito, et similia. — 4.° Blasphemia est dicere: Deus mei est plane oblitus; quare Deus me creavit? Excipe tamen, si haec proferantur modo loquendi humano, ex levitate, vel ad ostendendum doloris vel taedii gravitatem, ut saepius fieri solet. Nunquam autem excusandi sunt a peccato gravi, qui advertenter ac serio dicunt: Deus est iniustus; Deus iniuste me tribulationibus gravat; iniuste sinit malos esse felices in mundo. — Voit 519., L. 123.-126. 128.

534. *Quotuplex sit blasphemia?* — Blasphemia imprimis distinguitur: 1.° *Directa* vel *indirecta,* prout Dei inhonoratio vel directe et formaliter a blasphemante *intenditur,* vel quamvis in se non intendatur, continetur tamen in gestis aut dictis Deo iniuriosis, quae ab eo intentione, v. g., iocandi, iram manifestandi, proferuntur, cum advertentia ad sensum, quem verba continent. — 2.° *Immediata,* vel *mediata,* prout Deum ipsum immediate afficit, vel mediate tantum, nempe Sanctos, aut res sacras verbis inhonorando. — 3.° *Haereticalis,* quae est etiam contra fidem, *imprecativa* seu *execrativa,* quae est etiam contra caritatem Dei, et *mere probrosa,* prout haeresim continent, vel imprecationem, aut merum contemptum Dei, licet vera pronuntiet, sed ex ira et malo animo in Deum. L. 122. 123. 126., S. Th. 2. 2. q. 13. a. 1. ad 2.

535. *Quale peccatum sit blasphemia?* — *Blasphemia quaelibet formalis et deliberata, sive directa sit, sive indirecta, sive immediata, sive mediata, est peccatum mortale ex toto genere suo.* Ratio est, quia quaelibet contumelia in Deum est iniuria gravis divinae Maiestati illata. Hinc Lev. 24., 16.: *Homo qui maledixerit Deo suo portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur.* — Struggl 36., S. Th. 2. 2. q. 13. a. 2. 3., E. M.

536. *Nota:* 1.° Blaspemia, ut quodvis aliud peccatum, veniale evadere potest ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiae, aut perfecti consensus. Ad rem S. Th. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3.: « Blasphemia potest absque deliberatione ex surreptione procedere dupliciter: uno modo quod aliquis non advertat hoc quod dicit esse blasphemiam: quod potest contingere cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, et tunc est peccatum veniale, et non habet proprie rationem blasphemiae ». — 2.° Blasphemia *directa* circumstantiam affert mere aggravantem prae *indirecta,* adeoque in confessione necessario exprimenda non est. Illa enim circumstantia voluntarii *directi* utpote mere subiectiva actum utique efficit magis voluntarium respectu obiecti mali, sed in novam malitiam obiectivam non tendit.

537. *Resolves:* Non peccat graviter, qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ita ut ad verum sensum non attendat; v. g., qui dicit: *nego Di! nego Diana!* Haec enim rationem blasphemiae iam non amplius habent. — L. 123.

538. *An ad blasphemiam necessaria omnino sit intentio Deum inhonorandi? — Ad blasphemiam perfectam, ratione actus, necessaria non est expressa et explicita intentio Deum inhonorandi, sed implicita sufficit, quae inest blasphemiae indirectae.* Ratio est, quia voluntarium indirectum ad peccatum sufficit. Quare, qui *advertenter* verba pronuntiat *blasphematoria,* unde Dei inhonoratio reapse habeatur, quacumque de causa id faciat, blasphemiae peccatum voluntarie admittit, eiusque reus efficitur. — Reuter 442., L. 124. 127.

539. *An specie differant blasphemiae in Deum et in Sanctos prolatae?* — Affirmant probabiliter Busemb. cum aliis; sed etiam probabiliter negant Bonac., Sanch., etc. Sed cum ii, qui blasphemant Sanctos, verius, communiter loquendo, eos iniuria afficere intendunt, non praecise ob propriam ipsorum excellentiam, sed quatenus ad Deum referuntur; ideo non *contra duliam,* sed tantum *contra latriam* peccant, et propterea non tenentur explicare, an Deum vel Sanctos blasphemaverint. Quod si constet aliquid contumeliosi in Sanctos quidem proferri, sed tantum uti *homines* olim in terris degentes, erit dumtaxat *contra duliam:* immo erit etiam solum *veniale,* si fiat ex ioco, v. g., si quis SS. Crispinum et Crispinianum *sutores* appellet; erit e contrario *mortale,* si fiat ex contemptu, ex odio, vel ex indignatione in Sanctos. — Struggl 37., Lugo de Poenit. D. 16. n. 277. seqq., L. 124. 125. 132., S. Th. 2. 2. q. 13. a. 1. ad 2.

540. *An gravis sit blasphemia per iocum prolata?* — Haec Reuter 442.: « Gravis blasphemia est... si quis *per iocum* dicat verba *blasphema;* ubi apud audientes iis coniuncta est inhonoratio Dei ». Aberit ergo gravis culpa, ubi apud audientes inhonoratio ista absit. — L. 124.

541. *An sit blasphemia maledicere creaturis?* — Est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. g., pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo, *Dei;* item maledicere creaturae, quae de se specialem relationem ad Deum habet, v. g., animae nostrae, fidei catholicae, caelo et similibus. Secus autem, ut fere contingit, si indignatio feratur in creaturas, sine relatione ad Deum. « Maledicere rebus irrationalibus, in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae; maledicere autem eis, secundum se consideratis, est otiosum et vanum », veniale nempe est. S. Th. 2. 2. q. 76. a. 2. Nullum vero est per se peccatum, si creaturis irrationalibus maledicatur propter nocumentum, v. g., tempestati quia devastavit vineas. Sic David sine peccato maledixit montibus Gelboe, nimirum propter caedem populi, quae in eis contigerat. — L. 128.

542. *Resolves:* Hinc ex Viva et aliis, non est grave maledicere simpliciter horae, diei, anno, nisi addatur verbum, *sancto;* vel nisi de se dies prae se ferat quid speciale sanctitatis, ut dies paschatis, etc. Ratio, quia quidquid sanctitatem importat ad Deum *per se* refertur, qui omnis sanctitatis est auctor, et prolatio verborum, quibus specialis quaedam sanctitas explicatur, saltem indirecte, per se loquendo, ad Deum refertur. Maledicere

bestiis, ventis, etc. regulariter levis est culpa; nec regulariter, in ira, animus adest, ut maledictio executioni mandetur, et actus impatientiae est. Itemque « in ira imprecari aliis daemonem, grandinem, fulgura, etc...., plerumque, saltem quando dicitur in illos, qui amantur ab irato, ob subitam commotionem et inadvertentiam ac defectum seriae voluntatis, non est nisi veniale... Grave autem est, si subditi superioribus, filii parentibus licet materialiter tantum sic maledicant, praesertim in faciem; quia est grave contra debitam reverentiam ». L. 130. Cf. ib. n. 126. seqq., Epist. Resp. et n. 134., S. Th. 2. 2. q. 76. a. 3.

543. *An sit blasphemia maledicere toti mundo?* — Affirmat S. Lig. 129., quia sicut iurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina, est verum iuramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur. « Reipsa tamen vix talis sensus animo haec proferentis occurrere solet ». Ita Gur. 304. Oppositum vero existimat idem S. Alph. l. c.: « Ordinarie loquendo censeo rusticos, qui mundo maledicunt, ut plurimum graviter peccare, dum ipsi de tali maledictione cum gravi horrore se accusant ».

544. *An sit blasphemia maledicere mortuis, et diabolo?* — R. Ad 1.um Negative, eo tamen casu, quo animus maledicentium ad hoc non feratur, ut iis maledicat prout sunt *creaturae Dei;* immo plerumque id neque *mortale* est, quia per hoc eisdem neque *in se,* neque *ex mente proferentium,* infertur gravis iniuria: non quidem *in se,* quia vox *mortui* vel magis referenda est ad corpus quod moritur, quam ad animam quae semper vivit; vel ad summum significat homines vita functos, qui possunt esse tam salvi quam damnati: *non ex mente proferentium,* quia mortuis maledicentes nullo modo intendunt mala adprecari animabus defunctorum; sed potius exprobrare vivos, ad quos maledictiones suas ad instar iniuriae solent referre. L. 130.

Ad 2.um Maledicere diabolo recte putat Tamb. raro esse peccatum mortale, quia semper solet illi maledici, ut auctori malorum, vel ut Dei inimico, quo pacto, abstrahendo ab impatientiae actu, ne veniale quidem esse dicit. L. 129.

545. *An blasphematoriae sint hae locutiones gallicae: « Nom de Dieu! Noms de Noms! Mille Noms! Sacré Nom! » sine addito, etc.?* — R. Negative *per se,* etiamsi prolatae sint in ira, nisi ira in Deum ipsum feratur, seu nisi adsit intentio blasphematoria, quae plerumque abest. Haec enim verba nullam blasphemiam in se continent. Venialia igitur tantum erunt propter vanam nominis Dei usurpationem; si vero nomen Dei in formulis neque *explicite* neque *implicite* adhibeatur, omnia culpa *per se* carebunt.

546. *An sit blasphemia locutio gallica S. Nom de D.?* — Alii respondent: Affirmative *per se,* quia ista verba ratione communis acceptionis fidelium in Deum contumeliosa sunt. Alii respondent: Negative *per se,* nisi intentio blasphematoria explicite, vel implicite saltem interveniat, quia ea verba in sensu obvio nullam in se Dei contumeliam continent; *benedictum enim Dei nomen* reapse significant. — In praxi ergo non sunt facile de peccato mortali arguendi ii omnes, qui huiusmodi verba proferunt. Nam certum est, teste experientia, non paucos praesertim rudes malitiam gravem in illis non apprehendere. Attendat igitur confessarius

imprimis ad varias poenitentium circumstantias. Et sane « peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis diiudicanda ». S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2.

547. *Nota:* 1.° In dubio, an aliqua locutio sit necne blasphemia, minime ut blasphemia sumenda est. L. 129. 130. Si verba secundum se divini honoris diminutionem nullam exprimunt, non est censenda blasphemia, neque mortale peccatum. L. 130. Si dubia sit significatio, tunc ad intentionem et affectum verba proferentis attendendum est. L. 130. — 2.° Rudes saepe confundunt cum blasphemia verba quaelibet minus decentia et maledictiones in bestias et in homines. Quare docendi sunt, « ne tot animae ex ignorantia ob erroneam conscientiam peccati mortalis misere pereant ». L. 131.

III. — DE IURAMENTO

548. *Quaenam sit natura iuramenti?* — *Iuramentum* est: invocatio tacita vel expressa Nominis Divini, tanquam primae et infallibilis veritatis, in testem alicuius veritatis. Ad Hebr. 6., 16. L. 133., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 1. Hinc patet iuramentum esse *actum virtutis religionis*, quia « in hoc ipso, quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, utpote cuius veritas est indefectibilis et cognitio universalis, et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet... Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad religionem ». S. Th. 2. 2. q. 89. a. 4.

549. *Quotuplex sit iuramentum?* — Distinguitur iuramentum: 1.° *Assertorium*, prout Deus invocatur in testem veritatis praeteritae aut praesentis; et *promissorium*, prout « inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum ». S. Th. 2. 2. q. 89. a. 1. Duplex est iuramentum promissorium, *stricte* vel *late* tale: Primum est confirmatorium *promissionis* vel erga Deum, quod est *votum iuratum*, vel erga proximum, quod obligationi iustitiae aut fidelitatis ex promissione ortae addit obligationem ex virtute religionis. Secundum vero nullam continet erga alterum promissionem, sed merum propositum. *Comminatorium* vero est, si iurans sub attestatione divini Nominis alteri minatur poenam, v. g., iuro per Deum, quod nisi hoc feceris, poenas lues. — 2.° *Solemne* vel *simplex*, prout fit forma iure requisita, solemnibusve caeremoniis, v. g., cum missa, cum praecedenti communione, aut iis seclusis. Laici *in iudicio* iurant tangendo Evangelia; *ecclesiastici* iurant, propositis tantum Evangeliis, et manu pectori admota. C. *Cum in* 7. *de Iur. cal. In iudicio*, nam extra iudicium clerici, etiam quando iurant et fidei professionem faciunt, consuetudo est, ut illud faciant, tactis Evangeliis. *Clerici*, praesertim sacerdotes, solemne iuramentum interponere non possunt, nisi de episcopi licentia, quae gravi solum de causa conceditur, coram iudice non suo, etsi ecclesiastico; coram laico vero iuramentum praestare non debent. Episcopi autem licentia indigent S. Pontificis. C. *Inhaerentes* 1. *de Iur. cal.*, C. *Quoties* 21. c. 22. Sed *extra iudicium* ecclesiastici venia non indigent episcopi. C. *Ex rescripto* 9. *de Iurei.*, S. Th. 2. 2. q. 89. a. 10. Prohibentur item clerici, nisi sint vassalli, *iuramentum fidelitatis* Principibus praestare, C. *Nimis* 30. *de Iurei* — 3.° *Explicitum* vel *implicitum*, prout Deus

expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturae, in quibus attributa divina specialiter relucent. — 4.° Accedit etiam iuramentum *invocatorium,* quo Deus simpliciter, ut testis invocatur; et *imprecatorium,* quo Deus invocatur simul in testem et in vindicem periurii. Huc revocatur formula: *Ita me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia;* sicut enim qui haec pronuntiat, bonum sibi, si verum dicat; ita malum sibi imprecatur, si mentiatur. Unde ille, qui hoc modo voluntarie peierat, serio malum sibi exoptans, non solum peccat contra religionem, sed etiam contra caritatem erga seipsum. —Struggl 3., L. 139.-142., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 1. ad 3.

550. *Quaenam sint requisita ad essentiam iuramenti? — Duo requiruntur ad iuramentum:* 1.° *Intentio iurandi,* saltem virtualis; quia sine tali intentione non potest exsistere iuramentum formale. 2.° *Formula iuratoria,* sive per Deum *explicite,* sive *implicite* per creaturas; quia, cum Deus invocetur ut testis, necesse est, ut hoc in iuramento exprimatur. — Quando dubium est de iurantis intentione, iudicari solet secundum communem verborum acceptionem, quibus est usus. Adeo autem ista intentio confert ad valorem iuramenti, ut si quis utatur verbis nullo modo importantibus iuramentum, is tamen putet ea esse iuramenta, vere iuret quoad forum internum; et e contra, ea intentione deficiente, iuramentum nullum est quoad forum internum, etiamsi verba adhibeantur vere iuratoria. — L. 134., Struggl 1.

551. *Resolves:* 1.° Non valet iuramentum fictum, seu mere externum ob defectum voluntatis seu intentionis iurandi. Peccat vero sic iurans, sed *probabilius* venialiter tantum, *per se* loquendo, quia non profert nisi mendacium cum vana nominis Dei usurpatione. Saepe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis. — Non valet *probabilius* iuramentum promissorium, factum cum animo quidem iurandi, sed *non se obligandi ex religione;* quia nugatorium est. Hoc autem valde probabiliter solum veniale per se est, quia, cum iuramentum nullum sit, habetur tantum vana divini nominis usurpatio. Valet autem iuramentum factum cum animo iurandi quidem, sed non se obligandi ex iustitia aut ex fidelitate. L. 172., H. A. 17. — Valet iuramentum promissorium, factum sine animo implendi, sed cum animo iurandi et se obligandi. Qui autem sic iurat peccat mortaliter, quia Deum testem invocat ficti propositi seu fictae promissionis, adeoque iurat contra veritatem. Deus enim in iuramento promissorio assumitur tanquam *testis* propositi seu promissionis praesentis, et tanquam *fideiussor* quodam modo exsecutionis futurae, prout haec saltem pendet a voluntate humana.

2.° Est iuramentum dicere: iuro per Deum, Deum attestor, etc. Item iuramentum est dicere: iuro per Sanctos, Ecclesiam, Evangelium, Fidem Catholicam; quia tunc censetur in testem adduci ipse Fidei, Evangelii, Ecclesiae et Sanctorum Auctor. Censetur pariter iuramentum, cum fit per creaturas nobiliores; cum per eas tunc accipiatur earum Creator, qui in iis singulariter residet ac relucet; sic, v. g., dum iuratur per coelum, intelligitur istius Habitator et Dominus; dum per terram, Is cuius haec est scabellum; dum per templum, Is qui ibi colitur. Sic pariter *probabilius* esse iuramentum censent plures, si dicas, per animam meam; quia in anima singulariter resplendet Deus, qui in testem tunc censetur adduci.

Fatendum tamen vix esse, qui dum usurpant ea verba de Deo cogitent; et ideo raro haec quoque formula iuramentum continet. Secus vero esset, si quis iuraret per creaturas, in quibus non elucet specialiter divina bonitas, aut potentia, v. g., per barbam, etc.

3.° Non est iuramentum dicere: Deus est veritas, vivit Deus, Deus novit, coram Deo loquor, si haec mere *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative*, quod dignoscitur ex circumstantiis, vel intentione loquentis. Item dicere: iuro ita esse, non est vere iuramentum, quia tunc nec explicite nec implicite invocatur divinum testimonium; nisi tamen praecesserit interrogatio de iureiurando, quia tunc per interrogationem praecedentem illud *iuro* satis determinatur ad verum iuramentum. C. I. Proc. Poen. 229. Insuper verba ista: occidar, si hoc non est, et similia, quamvis sint vera iuramenta, si per modum *exsecrationis* dicantur, communiter non continent nisi quandam sponsionem, seu poenae obligationem, et significant, si non est ita, spondeo meam vitam. Secus vero, si Deus ibi expresse nominetur dicendo: Deus me perdat, si mentior; quia tunc iam invocatur Deus, ut vindex mendacii, si forte profertur. — Non est iuramentum dicere: vere, certe, in veritate, fide boni viri, christiani, sacerdotis, militis, principis, regis; nec dicere: per conscientiam meam, quia in testem non adducitur Deus. — Non iurat, qui dicit: tam verum est, quam sol lucet, quam hic sedeo, ambulo, etc., unde etsi comparatio falsa sit, tantum est mendacium, cum nullus in testem invocetur. Quamvis dicere: tam verum est, quam Deus est; quam Christus est in venerabili Sacramento; quam verum est Evangelium, etc., communiter videatur continere iuramentum cum blasphemia: id tamen non satis apparet, quia nullus in testem invocatur, neque videtur esse blasphemia, si sit verum, et animus proferentis sit significare tantum similitudinem. — L. 134.-143., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 1. 6., Suarez de Rel. Tr. 5. l. 1. c. 13.

552. *An iuramentum sit licitum?* — Iuramentum, debitis vestitum conditionibus, honestum est et licitum; et, si promissorium sit, obligat in conscientia, nisi iusta causa obstet, vel legitime obligatio eiusdem cessaverit. Constat tum ex definitione Conc. Const. Sess. 8. contra Wicleffum, et ex pr. 101.ª d. a Clem. XI. B. *Unigenitus*, nec non ex pr. 75.ª d. a Pio VI. B. *Auctorem fidei*, tum ex praxi universali Ecclesiae et populorum, tum ex variis sacrae Scripturae locis. Deuter. 6., 13.: *Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius iurabis.* Et sane maxime Deus eiusque attributa honorantur ex eo, quod in medium adducatur et invocetur, tanquam summa et infallibilis Veritas in testimonium veritatis. — C. *Etsi* 26. *de Iurei.*, L. 144. seqq., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 2. 4., E. M.

553. *Quaenam sint ad liceitatem iuramenti requisita?* — *Triplex conditio requiritur*, iuxta illud Jeremiae 4., 2.: *Iurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in iustitia.* Ratio, quia secus praestari nequit cum debita Deo reverentia. — *Veritas*, i. e. conformitas assertionis cum intentione et cognitione iurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. In iuramento assertorio veritas respicit exsistentiam facti; in promissorio exsistentiam intentionis. — *Iudicium*, i. e. ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, nec sine necessitate aut gravi causa fiat. Cum enim iuramentum sanctissima res sit, non debet fieri absque prudentia, consideratione, reverentia, et temere absque ulla

necessitate et causa. — *Iustitia*, i. e. ut iuramentum sit de re, sive promissa, sive simpliciter proposita, vel de assertione, *honesta* et *iusta;* sic contra iustitiam iuraret, qui iuramento se obligaret ad damnum proximo iniuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum. — Eccli. 23., 9. 12., L. 144., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 3. 5. 10., E. M.

554. *Quale peccatum sit iurare sine veritate, sine iudicio, sine iustitia?* — *Iurare sine veritate* est semper mortale, etiam in materia levi; quia Deum adducere in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius infinite perfectam veracitatem. Constat etiam ex pr. 24.ª ab Innoc. XI. d. S. Th. Quodl. 1. a. 18. — *Iurare sine iudicio,* e. g., ex quadam levitate vel consuetudine, veniale est *per se,* secluso tamen scandalo et periculo peierandi; puta si quis temere iuraret, antequam veritatem sufficienter indagaret; quia est tantum vana usurpatio nominis Dei. — *Iurare sine iustitia* certo mortale est in iuramento *promissorio,* si de patrando gravi peccato agatur, ut patet, immo iuxta S. Lig., etiamsi agatur de peccato veniali tantum, saltem *probabilius,* quia gravis esse videtur irreverentia Deum invocare, ut testem ac fideiussorem peccati cuiuscumque committendi. Oppositam tamen sententiam Suarez cum aliis ait esse *communem.* In iuramento autem *assertorio, probabilius* veniale tantum est, *per se;* quia iuramentum *per se* cadit in assertionem, non ut malam, sed ut veram. Sic qui iuramento se iactat de fornicatione commissa, quamvis hac iactantia lethaliter peccet, vi tamen iuramenti per se non confirmat iactantiam, sed veritatem dumtaxat fornicationis. Excipe, nisi iuramentum assumatur tanquam instrumentum seu medium peccandi, v. g., ad firmandam detractionem. Idque valet etiamsi quis iuramento utatur tanquam instrumento seu medio ad consummandum peccatum *veniale,* quia sic iurans quantum in se est Deum facit complicem peccati sui. — « Si quis iuret, ait S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2., se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur (v. g. non ingrediendi religionem); peccat quidem iurando in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator, non tamen peccat iuramentum servando, sed multo melius faciat, si non servet ». Huiusmodi vero peccatum, cum agatur de *consilio* tantum non amplectendo, veniale est. — L. 145.-147., Suarez l. 3. c. 12., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7., Struggl 5. 7. 9., E. M., Cf. 558.

555. *Quaenam sit causa sufficiens ad iurandum?* — Quaecumque causa honesta alicuius ponderis, v. g., pax confirmanda in familiis, maior securitas in contractibus... etc. L. H. A. 14.

556. *An liceat iurare cum probabilitate veritatis?* — « Ad recte iurandum non requiritur certitudo absoluta, et omnino infallibilis, sed sufficit aliqua certitudo moralis, sive quaedam probabilitas, quae ad quamdam certitudinem moralem pertingat. Ita Tamb. Immo Sanch., Suar., Salm., Less., Bon., Azor cum *communi* expressius aiunt, sufficere in iuramento sive assertorio, sive promissorio probabilitatem veritatis assertae, vel impletionis exsequendae rei promissae, modo non habeatur ratio probabilis in oppositum. Hinc dicunt posse quidem affirmari cum iuramento quod auditum est a persona ita fide digna, ut moraliter certos non faciat. Hoc tamen non currit *in iudicio* », L. 148., ubi iuramentum quod exigitur est de certitudine propria emittendum. Struggl 6. Peccat ergo graviter, qui

iurat in mero dubio veritatis; quia Deus veritas infallibilis nequit invocari nisi in testimonium rei, quae moraliter saltem certa videatur. — Struggl 6., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 1.

557. *An liceat iurare cum restrictione mentali?* — R. Negative, si sit *pure mentalis;* et huc ex S. Alph. spectant pr. 26.ª 27.ª 28.ª dd. ab Innoc. XI. Affirmative, si sit *late mentalis,* ex iusta causa. « Certum est, ait S. Alph. 151., et commune apud omnes, quod ex iusta causa licitum est uti aequivocatione... et eam iuramento firmare... Iusta autem causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia ». Et rursus: « Ad sic iurandum, praeterquam in iudiciis et contractibus, non requiritur causa absolute gravis, sed sufficit quaelibet rationabilis causa, puta ad se liberandum ab importuna et iniusta interrogatione alterius ». Et Busemb. n. 170. subdit: « Quando adest iusta causa necessitatis vel utilitatis, potest quis uti amphibologiis in iuramento, etiamsi ad iuramentum sponte se offerat ». Addit denique S. Alph. 151., ex probabiliori sententia veniale esse, si id sine causa praestet. « Ratio est, quia in huiusmodi iuramento iam adsunt *veritas* et *iustitia,* et deficit tantum *iudicium* sive discretio, cuius deficientia non est nisi venialis... Excipiendum tamen cum Salm. et aliis communiter, nisi hoc fiat *in iudicio, vel in contractibus* ». Huius exceptionis ratio quoad 1.um est, quia superiori legitime interroganti tenemur ex obedientia respondere ad sensum interrogantis; quoad 2.um vero, quia tunc ex iustitia tenemur verba proferre ad mentem contrahentis, ne iste decipiatur et damnum patiatur. — Struggl 16. seqq., Lugo de Fid. D. 4. n. 67., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4., E. M.

558. *Quaenam sit obligatio iuramenti promissorii?* — Omne iuramentum promissorium de re licita et honesta praeter obligationem iustitiae, aut fidelitatis, quae ex simplici promissione oritur, obligationem quoque religionis inducit. Ratio est, quia promissio *per se* iam obligat, et testimonio divino invocato confirmatur et corroboratur. — Minime autem obligat iuramentum *de re illicita aut plane inutili;* quia iuramentum, utpote actus religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosae. R. 58. de R. I. in 6.° Eiusmodi autem iuramenta non reviviscunt, etiamsi res esse otiosa aut illicita postea desinat, iuxta R. I. 18. in 6.°. « Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit ». — Neque item obligat iuramentum *impeditivum maioris boni*, e. g., religionem non intrandi vel nubendi, nisi quis in favorem alterius iuraverit. Tunc enim, illaeso alterius iure, nequit consilia evangelica amplecti. Sic alumni Collegii S. C. de P. F. nequeunt absque venia S. Sedis Religionem ingredi, obstante iuramento quo adstringuntur. — Struggl 24. seqq., L. 172. 176., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. 8., Cf. 554.

559. *Resolves:* 1.° Nunquam obligatur iuramento, qui rem malam iuravit; immo dupliciter peccat, si iuramentum adimpleat, nempe contra religionem, et virtutem, cui opponitur materia iuramenti. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. — 2.° Non obligatur iuramento, qui promissionem prodigam iurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. — 3.° Non peccat contra iuramentum, qui urbanitatis causa iuravit, se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque eiusmodi iuramentum nul-

lum est ex defectu intentionis iurandi; vel, si valeat, ab altero cedente iuri suo relaxatur. — 4.° Raro peccant parentes non adimplentes iuramentum puniendi filios; quia plerumque iuramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; accedit quod saepe delinquentes aut iam emendati sunt, aut saltem emendationem promiserunt. — 5.° Plerumque etiam mercatores non videntur ligari iuramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; vel quia huiusmodi iuramenta ut plurimum sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum iurandi, aut certe quia iuramento inest tacita conditio, nisi aliter res melius cedere videantur. — L. 176. 180. 185. 186., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7.

560. *Quomodo iuramentum sit interpretandum?* — *Obligatio iuramenti interpretanda est stricte, et iuxta naturam actus vel contractus, cui adiicitur, ita ut omnes eius conditiones sequatur.* Ratio est, quia iurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit, et aliunde iuramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam religionis obligationem, et proinde easdem conditiones et limitationes habere debet. — Hinc non obligatur iuramento, qui iuratus promisit nuptias puellae diviti, sanae, virgini, bonae famae, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; quia promissio simplex tunc non obligat. C. *Quemadmodum* 25. *de Iurei.* Itemque, si promisisti et iurasti Titiae eam ducere, potes, ea relicta, religionem ingredi, quia promissioni matrimonii haec tacita conditio inest, nisi ingrediar religionem. Idque etiam valet, *si sponsalia sint iuramento firmata;* nisi matrimonium necessarium esset ad prolem legitimandam, scandalum reparandum, vel honori sponsae providendum, si alio modo non posset occurri. Non peccat, qui secretum iuratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare; quia iuramentum, ut diximus, sequitur naturam actus, cui adiungitur. — L. 180. 183. 727., l. 6. n. 870.

561. *Quaenam sint conditiones tacite in iuramento inclusae seu subintellectae?* — Sunt: 1.° Si potuero sine gravi damno; quia nemo censetur se ad rem tam *physice* quam *moraliter* impossibilem obligare. 2.° Si res non fuerit notabiliter mutata. 3.° Si iura aut voluntas superioris non obstent. 4.° Si alter fidem reciprocam servaverit. 5.° Nisi alter de iure suo cedat. — L. 180., Struggl 31.

562. *An detur parvitas materiae in transgressione iuramenti promissorii?* — Prima sententia *negat,* quia non tantum violatur promissio simplex, sed promissio *iurata.* In quacumque ergo materia gravis iniuria infertur Deo, cuius testimonium in vanum a iurante invocatum est. Et sane vocaretur Deus in testem falsitatis, si veritas non conformaretur rei promissae. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. Secunda sententia *affirmat,* quia in iuramento promissorio Deus non proprie adducitur, ut testis futurae exsecutionis rei promissae, sed tantum ut testis actualis promissionis, seu verae intentionis promissionem exsequendi, et ut praebens auctoritatem obligationi, quae oritur ex promissione coram se facta, sicut princeps sponsalia coram se contracta sua auctoritate firmiora reddit. Iam vero quoad primum, nulla per iuramenti promissorii transgressionem irreverentia in Deum committitur, seu Deus non efficitur *testis falsitatis,* siquidem sinceram fuisse supponimus in iurante promissionem, atque exsecutionis intentio-

nem; quoad alterum autem, *infidelitate* in re promissa implenda, irreverentia quidem auctoritati divinae irrogatur, sed quae neque directa est et formalis, cum indirecte solum intendatur in ipsa promissionis violatione, neque maior est, imo teste S. Th. 2. 2. q. 89. a. 8., per se est minor irreverentia, quae in voti transgressione invenitur. Cum igitur in hac, sicut et in qualibet irreverentia contra Deum indirecta, levitas materiae ab omnibus admittatur, in ea etiam admittendà est, quam infert iuramenti promissorii transgressio. Et sane si iurans, *actu iuramenti*, habuit voluntatem implendi, et postea non implet non committit *mendacium* et periurium, sed tantum *infidelitatem*, quae, cum res promissa non sit gravis ex hypothesi, protrahi non poterit ad culpam gravem. S. Lig. 173., dicit utramque sententiam probabilem; sed magis secundae sententiae adhaeret, et in H. A. n. 13. ait: « Si res promissa non sit gravis, infidelitas ad gravem culpam non pertingit ». — Suarez l. 3. c. 16. n. 9. seqq., L. 172. 173. 178. 211.

563. *An obliget iuramentum promissorium errore aut dolo emissum?* — R. Negative, si error aut dolus versetur circa *rei substantiam;* secus vero, si *adiuncta eius accidentalia* tantum afficiat; quia contractus simplex invalidus foret in priori casu, non vero in posteriori. L. 175. Advertit tamen idem S. Alph. l. 3. n. 187., probabilem esse sententiam oppositam, quando error vel dolus versetur circa illas circumstantias, licet accidentales, quae si ab initio notae fuissent, a iuramento et promissione deterruissent. Ingredientes quasi substantiam contractus sunt quasi conditio sine qua non. Quae quidem S. Alphonsi animadversio valere debet sicut in votis, ita in contractibus *gratuitis*, non vero in contractibus *onerosis*. Cf. 575.

564. *An obliget iuramentum promissorium, metu gravi et iniusto extortum?* — Prima sententia probabilis affirmat. Etenim regula generalis est, quodlibet iuramentum esse servandum, quando potest sine peccato, ne Deus in testem falsi adducatur. Secunda sententia sat etiam probabilis negat; quia iuramentum sequitur naturam actus, cui adiicitur. Illa autem promissio, de iure naturali est irrita vel saltem rescindibilis, prout promissio gratuita est vel onerosa, ob gravem quam continet iniuriam, quae iuramento firmanda et continuanda non est. Unde etiam patroni primae sententiae advertunt, eum, qui metum passus est, posse iuramenti relaxationem petere, ut ab obligatione solvendi excusetur; si vero iam solverit, posse id quod dedit, in iudicio repetere, vel occulte se compensare. — L. 174., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3., q. 98. a. 3. ad 1., Ithur. Cas. 15. n. 11. 18., Struggl 28. 29.

565. *An iuramentum in favorem tertii, semper ac impleri potest sine peccato, implendum sit?* — Affirmative respondet S. Alph., etiamsi sit *contra consilia evangelica*, et etiamsi promissio facta *irrita sit a iure*, in odium creditoris, velut promissio solvendi usuras, promissio facta meretrici, licet tale iuramentum fuerit illicitum; intellige, si meretrix, e. g., iam opus suum praestiterit; secus, si non. Aliter tamen dicendum, si promissio sit *irrita a iure*, quia esset *contra bonum commune*. Ratio, quia tunc ipsa impletio illicita esset. Ideo non obligat iuramentum metu extortum super professione religiosa, matrimonio, sponsalibus, etc. E contra propter divini Nominis reverentiam iuramentum observandum est, semper ac licite observari potest. Cf. tamen 554. 558. 560. 566. 970. et L. l. 6. n. 870. — « *An*

quando contractus est irritus a iure in favorem tantum promittentis, tunc iuramentum firmet contractum; ita ut promissarius ex eo acquirat ius iustitiae? — Affirmant Azor, Sanch. et alii. Sed probabiliter negant Elbel, Spor., etc. Ratio, quia nullo modo iuramentum habet vim firmandi huiusmodi contractum; non ex se, quia solum obligat *virtute religionis;* non ex iure positivo, nullibi enim habetur servandos esse *ex iustitia.* Et ideo haec obligatio non transit ad haeredes iurantis: et ipse iurans non obligatur, relaxato iuramento». L. 177. Cf. 560. 970.

566. *Quomodo ab intrinseco cesset iuramenti obligatio?* — Obligatio iuramenti, nempe *promissorii*, cessare potest tum *ab intrinseco*, tum *ab extrinseco.* — *Cessat ab intrinseco:* 1.° Si quòd bonum erat tempore iuramenti, propter circumstantias, postea fiat illicitum, vel impeditivum maioris boni, vel melius sit omitti quam impleri. Iuramentum enim actus religionis est, et Deus non colitur re illicita, vel quae detrahit potius de culto divino. — 2.° Si iuramentum mutes in opus aliquod aperte melius, et Deo gratius; id enim quisque per se potest. *Excipe* tamen semper, si quid in hominis commodum iuraveris, nec enim Deus illum vult defraudari. Cf. 568. — 3.° Si notabiliter mutetur status rei, nam talis mutatio aliud facit obiectum, ad quod iurantis intentio non se extendit. — 4.° Si res iurata facta sit inutilis ad intentum, maxime si magis illius destructiva; e. g., si correctio impoenitentis filii inutilis prorsus esset, immo peior in se evaderet. — 5.° Si ita ferant conditiones illae, quas in quovis promissorio iuramento tacite subintelligi natura et dd. docent, nempe, si potero, salvo iure tertii, salvo iure superioris, nisi res notabiliter mutetur, nisi obligatio tollatur. — 6.° Si cesset causa finalis illius, nam sine causa finali non subsistit effectus, v. g, promisisti pauperi eleemosynam, sed ille postea fit dives. Secus vero, si cessat causa tantum impulsiva. — L. 180. 187. 188., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. 9.

567. *An sit de se sufficiens illa mutatio etiam non notabilis, qua tamen praevisa, iuramentum quis non emisisset?* — Prima sententia affirmat ex S. Th. 4. D. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 1. Ratio, quia intentio se obligandi tunc vel deest, vel sic intelligitur. Secunda sententia tenet eam non sufficere, quia obligatio non est desumenda ex promissione, quae in futurum non fieret; sed ex illa quae iam facta est. Ita Suar., Sanch., Cai., etc. «Merito tamen dicunt non posse negari probabilitatem primae sententiae. Imo ipsimet cum Salm., censent, illam esse notabilem mutationem, quae si a principio cognita fuisset, iurans non promisisset, quod utique cum prima sententia cohaeret». L. 187. 226., Cf. 563. 564. 575. 597. 598.

568. *Quomodo iuramenti obligatio cesset ab extrinseco?* — Cessat *per irritationem, dispensationem, commutationem, remissionem.* — *Irritatio,* annullatio iuramenti est. *Irritatio* fit a quolibet superiore, potestatem dominativam habente in iurantem, licet agatur de promissionibus et de contractibus. Hanc dominativam potestatem habent pater, maritus, superior, tutor, dominus; iique irritare et annullare possunt suorum iuramenta eo plane modo, quo irritare possunt suorum vota. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. Cf. 599. seqq.

Dispensatio datur ab habente iurisdictionem in foro externo; intellige spiritualem. Quicumque habet potestatem ordinariam, dispensandi in votis,

potest in iuramentis et in votis dispensare, etiamsi haec iurata sint. L. 189. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9.

Commutatio ad dispensationem revocatur; et fit, ut ipsa, ab habente iurisdictionem in foro externo. L. 191. Cf. 566.

Remissio relaxatio est iuramenti in favorem hominis, ab eodem facta, aut ab eo, cui promittens et promissa materia subiecta est. Notandum: 1.° Quod, si promissio in favorem hominis, firmata iuramento, nondum acceptata sit, non est obligatio illam implendi, et revocari potest; quia iuramentum tunc est accessorium et sequitur naturam promissionis; secus autem, si promissio principaliter fuit facta Deo. 2.° Si talis promissio sit acceptata a tertio, cui facta fuit, et absolute sit illi ius acquisitum, tunc sine eius consensu, nec etiam a Pontifice relaxari potest. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2. Hoc autem posterius limitatur in tribus casibus. Primus est, si iurans sit subditus, et iuramentum sit circa ea quae superiorum potestati subduntur, ut docet S. Th. l. c. Alter est, si iuramentum non possit servari sine damno communi, vel sit super contractu a lege vetito. Talia iuramenta *verius* relaxatione non indigent, cum de se sint nulla. Tertius, si iuramentum sit dolo aut metu extortum, tunc enim, etiamsi validum sit, relaxari potest. Et hoc valet etsi promissio non sit indebita, puta de solvendo debito vero; sed iuramentum iniuste sit extortum; et etiamsi extorqueatur iuramentum metu levi, saltem pro foro interno, ex C. *Sollicite* 2. et ex C. *Accepta* 3. *de Restit. spol.*, ubi solum iuramentum omnino spontaneum relaxari nequit. Illud autem relaxare possunt non solum Pontifex, sed etiam episcopi, capitula, sedibus vacantibus, et alii iurisdictionem episcopalem habentes, et etiam confessarii, delegatam facultatem habentes dispensandi in iuramentis. 3.° Certum est, quod iuramentum in favorem tertii possit libere ab eo remitti, absque relaxatione Ecclesiae, ut docent omnes cum S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2., quia iuri suo quisque cedere potest. L. 189.-193.

569. *An qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis possit dispensare in iuramentis?* — Haec Suarezius de Voto l. 6. c. 14. n. 6.: « Satis probabile est, potestatem delegatam simpliciter ad dispensandum in votis, extendi ad dispensandum in iuramentis piis circa eandem materiam, quando per se stant, suamque solam obligationem producunt. Haec est sententia communis, et sine dubio potest in praxi observari ». Et n. 19.: « Etiamsi votum et iuramentum super eandem materiam immediate cadant, et unumquodque per se obliget ad Dei honorem; per facultatem absolutam dispensandi in votis auferri poterit vel votum, vel iuramentum, vel utrumque dispensantis arbitrio. Pro hac assertione possumus allegare omnes auctores primae (scil. praec.) assertionis..., et tenent alii moderni et viri docti ». — Alii vero negant, quia diversum est vinculum voti et iuramenti. Ita Less. l. 2. c. 42. n. 60., qui tamen priorem admittit sententiam, quando iuramentum voto est accessorium. Enimvero, dispensato tunc voto, iuramentum evanescit. Iuramentum autem natura sua accessorium est promissionis, cui adiicitur. — S. Alph. 190. utramque sententiam uti *probabilem* habet; secundam tamen omnino tenendam dicit; « nam obligatio iuramenti iam contracta, cum sit certa et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam. Verum, si probabilis est opposita sententia, ea omnino tuta est in praxi; siquidem, ea stante pro-

babilitate, superior concedens priorem facultatem iure censetur et posteriorem concedere, nisi expresse ipse limitet. Neque vero valet opposita ratio; nam licet vinculum sit diversum, quoad tamen dispensationem aequiparantur. Dispositum autem in uno aequiparatorum censetur dispositum in altero. — Attamen S. C. de P. F. 19. Maii 1845. decrevit: « facultatem dispensandi a votis facultatem dispensandi a iureiurando *per se* non includere ». Ac quoad vota iurata eadem S. C. 3. Maii 1828. rem dubiam relinquit. L. 189. 190. 192. 254., Collectan. S. C. de P. F. n. 2085. 2087., E. M.

IV. — DE VOTO

570. *Quaenam sit natura voti?* — Votum est: promissio deliberata *Deo facta* de bono possibili et meliori. *Deo facta,* votum enim est actus religionis, immo latriae actus est, soli Deo debitus; adeoque, dum quaedam Sanctis vovemus, sensus est, voveri ea Deo in eorumdem honorem. Duae ergo ad voti validitatem conditiones sunt requisitae, *intentio vera voti, materia apta.* L. 194., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1. 2. 5., Lugo de Poenit. D. 16. n. 281. seqq., E. M.

571. *Quotuplex sit votum?* — Votum distinguitur: 1.° *Absolutum* vel *conditionatum.* Illud est, quod fit sine ulla conditione: hoc autem, quod fit cum conditione, ita ut, nisi hac posita, non exsurgat obligatio. Hinc votum *poenale,* speciatim distinguitur, quando nempe res bona vovetur, ut *poena* seu poenitentia, e. g., dabo eleemosynam, si me inebriavero. — 2.° *Personale* vel *reale,* prout ipsius voventis actio vel omissio, e. g. peregrinatio, aut res aliqua ab actione personae separabilis, e. g., donatio calicis, eleemosyna, etc., promittitur. — 3.° *Temporaneum* vel *perpetuum,* prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur. — 4.° *Solemne* vel *simplex,* prout fit solemniter, et ab Ecclesia acceptatur, seu ratum habetur; aut, seclusa solemnitate, et Ecclesiae acceptatione, emittitur. Solemne est dumtaxat votum castitatis, quod maioribus ordinibus est annexum, et votum professionis religiosae. — L. 195., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 7., Struggl 28., Cf. V. 2. n. 248.

572. *Qualis esse debeat voti intentio?* — *Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu vera promissio Deo facta, et obligationem inducens ex virtute fidelitatis.* Votum enim est instar legis cuiuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi onus, quod assumit, sibimet imponit. Nemo autem censetur citra sufficientem animi deliberationem sese obligare. Hinc *votum* essentialiter differt *a proposito;* quia propositum voluntatem dicit deliberatam aliquid agendi vel omittendi, absque animo se obligandi. Quare propositum, quantumvis firmum, nullum vinculum obligationis producit, neque rei propositae omissio est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. g., propter inconstantiam, taedium, aut negligentiam, quae per se peccatum veniale non excedunt. — C. *Literaturam* 3. *de Vot.,* L. 196.-199., Struggl 3. 16.

573. *Resolves:* Ad voti valititatem non sufficit quaelibet voluntas et deliberatio, quae ad peccatum mortale sufficiat. Ad grave enim peccatum satis est confuse nosse gravitatem reatus et voluntarium saltem indirecte

et in causa; sed perfectior requiritur cognitio et volitio oneris, ad quod quis se obligat, ubi de promissione et obligatione contrahenda agatur. Bonum enim ex integra causa, malum ex quocumque defectu. « Cum voti obligatio sit gravissima, requiritur intentio, deliberatio et libertas perfecta, qua quis *libere* et *directe in se* voluerit promittere cum animo se obligandi ». L. 196. Non obligat ergo votum factum cum semiplena advertentia vel deliberatione. L. ib. Item vota facta in ebrietate, etiam ante praevisa, et sic volita in causa, non sunt valida, cum non sint volita in seipsis, et directe. Ad hanc tamen plenam et perfectam deliberationem non requiritur, ut quis exacte perpendat omnes circumstantias, quae ad votum allicere, vel ab eo absterrere possunt, sed sufficit, ut quis satis agnoverit gravamen et obligationem voti quoad *substantiam*. Struggl. 5. Sufficit item intentio virtualis, quae procedit ex praevia intentione actuali. Hinc qui. ex praevia intentione religiosae professionis, tria religionis vota emittit, etsi animo prorsus distractus, illis vere obligatur. Struggl, 6., Laym. l. 4. t. 4. c. 1. n. 4., L. 196. Si quis vero vovet cum animo positivo non promittendi, nec se obligandi ex religione, certe votum est nullum. S. Th. 4. D. 38. q. 1. a. 1; q. 1. ad 2. Si quis etiam vult promittere, sciens obligationem voti, sed non vult ad promissionem et votum se obligare communius et probabilius voto non tenetur. Sic autem vovere sine animo se obligandi, dicunt Sanch., etc. *ordinarie* non esse nisi veniale propter quamdam inordinationem. *Ordinarie*, quia in professione religiosa, et susceptione sacrorum ordinum, procul dubio esset mortale, quia esset deceptio in re gravissima. L. 201.

574. *Nota:* « Ad votum sufficit promissio implicita, ut patet in susceptione ordinum sacrorum, ubi, licet non dicatur, voveo, vel promitto castitatem, votum tamen hoc fit implicite, hoc ipso, quod sciens, Ecclesiam annexisse in ordinibus istud votum, eos suscipis. An vero, si quis plane id ignoraret, adhuc censeretur vovere ex implicita intentione, dubium est. Aliqui aiunt, aliqui probabilius negant, dicuntque, talem teneri ad castitatem, non ex voto, sed ex Ecclesiae praecepto ». L. 200., Struggl 6.

575. *An valeat votum ex errore emissum?* — R. Negative, si error versetur circa *substantiam rei*, vel circa circumstantias substantiales, seu quae principaliter intenduntur, aut ad substantiam spectant, vel illam notabiliter mutant; quia tunc res promissa non est satis cognita et volita. L. 198. Immo, addit S. Alph. 198., « certum est quod error *circa substantiam* invalidat votum, etiamsi fuerit concomitans, i. e. non dans causam voto, puta si adhuc, errore cognito, tu vovisses, et etiamsi error fuerit quantumcumque crassus ». Haec enim etiam ignorantia actum non voluntarium reddit. — Affirmative, si error sit tantum circa *causam impulsivam*. « Valet votum, quia illa est tantum causa secundaria, qua seposita, actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam. Neque talis error in ceteris contractibus actum vitiat; v. g., vovit aliquis peregrinationem Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem, quem putavit esse Romae, quem etsi intelligat deinde isthic non esse, non ideo desinit obligari voto ». L. 198. — Affirmative etiam, si error versetur circa *circumstantias accidentales* minoris momenti, quae voto non obstitissent, si, secluso errore, cognitae fuissent; nam qui vovet, censetur se obligare ad subeunda incommoda mere acci-

dentalia, quae in voto adimplendo occurrere possint. Ita S. Lig., qui tamen n. 198. non negat esse probabile, quod votum invalidet error, in circumstantiis accidentalibus, si hae sint magni momenti, et si, ipsis cognitis, votum emissum non fuisset. Cf. 563. 567. 597. 598. Excipi tamen debent vota, quae emittuntur post novitiatum *in quocumque approbato ordine;* quippe quae irrita non sunt ob ullum errorem, nisi solum *substantialem,* circa substantiam. Statum enim natura sua firmum et irrevocabilem constituunt; adeoque a nullo alio errore, quam substantiali, dependentem. Insuper, quia secus inde sequeretur plures invalidari Professiones in grave reipublicae damnum et scandalum. Quod et de matrimonio valet. L. ib. — Lugo de Iust. et Iure D. 22. n. 88., Sanch. de Matr. l. 10. D. 9. n. 20.

576. *An valeat votum metu factum?* — R. Negative, si metus sit *gravis, iniustus* et *ab extrinseco incussus ad extorquendum votum.* Ratio est, quia Deo acceptum id esse non potest, quod per iniuriam a quopiam vi extorquetur, quum lex naturae postulet, ut ius in integrum restituatur. Et hoc quidem evincit, eiusmodi vota esse invalida *iure naturae.* Constat autem ex iure canonico quoad vota solemnia religionis, et probabiliter etiam quoad cetera vota. C. *Perlatum* 1. *de His quae* etc., L. 197. *Iniustus;* nam si metus sit *iustus,* votum valet: cum non sit vera coactio in eo, quod quis facere debet, neque vovens est rationabiliter invitus. *Incussus ad extorquendum votum;* secus enim valet votum, v. g., si quis mortem timens, quam latrones minantur, votum Deo facit, ut liberetur. *Gravis;* utrum votum, ex metu *levi* iniusto emissum, sit invalidum, « affirmat hic Busemb. cum Suar. et Fill. Item Nav. et alii plures ap. Sanch. Dec. lib. 4. c. 3. n. 24. Ratio (ut dicunt), quia ideo metus irritat votum eo quod plenam consensus libertatem auferat: ergo metus quoque levis irritabit, quando eamdem libertatem aufert, *et causa est,* ut votum fiat. Et hanc opinionem probabilem vocat Sanch. Sed probabilior est sententia opposita, quam tenet Sanch. n. 24. cum Sot., Val., Sa., Azor, etc. ac Salm. ibid. n. 161., qui vocant communem, et probant ex C. *Perlatum, de His quae vi,* etc. Ratio, quia non censetur causa rei tam gravis, prout est votum, *levis metus,* qui de facili reiici potest, ut pariter dicemus de contract. n. 718. ». L. 197. — Affirmative, si metus oriatur *ab intrinseco* vel a causa *necessaria,* nisi voventi usum rationis adimat; ratio, quia eiusmodi vota sunt simpliciter voluntaria.

577. *An voto teneatur, qui dubitat, utrum votum emiserit; utrum cum sufficienti deliberatione; utrum votum emissum impleverit?* — R. Ad 1.um Negative, idemque dicendum si dubites, an voto aliquid comprehendatur; non teneris quoad partem de qua dubitas. Non enim imponenda est obligatio, nisi de ea certo constet.

Ad 2.um Impossibile sane est, ut, stante vero et positivo dubio de sufficienti usu rationis eiusque sufficientis deliberationis, certa inde voti obligatio habeatur. Votum enim essentialiter rationis perfectam deliberationem includit. Si igitur dubia haec est, dubium consequenter votum, dubia eius obligatio. Suarez l. 4. c. 6. n. 10.

Ad 3.um Negative, ob eandem rationem ac ad 1.um, si dubium sit *positivum.* Affirmative vero si dubium sit *negativum;* quia possessio tunc stat pro voto. — L. 196., Elbel de Actib. human. 156. seqq.

578. *An materia voti debeat esse res moraliter possibilis?* — R. Affirmative. Ratio, quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi; nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi *moraliter impossibile.* Si vero res sit divisibilis et ex parte possibilis sit, pro hac parte valet votum. Excipe tamen, si constaret, voventem per modum unius se voluisse ad utramque partem obligare, et indivisibiliter utramque prae oculis habuisse. Ratio, quia votum est lex particularis, quae non extenditur ultra intentionem voventis: et ideo si vovens collective promisit utramque partem, atque unam dependentem ab altera, si una sit impossibilis, totum votum irritum manet. Ita Salm. Tr. 17. c. 1. n. 74., qui mox ib. n. 75. 76. plura exempla subiiciunt votorum, quae vel servanda sunt ex parte, quae possibilis manet, vel irrita ob alicuius partis impossibilitatem censentur. Non valet autem votum, si res sit moraliter indivisibilis. — L. 202. 225.

579. *Resolves:* 1.° Non valet votum faciendi quidquid sit perfectius, sine speciali Spiritus Sancti instinctu, vel vitandi omnia peccata etiam venialia, etiam semideliberata; quia hoc moraliter impossibile est, sine speciali gratia et privilegio. Trid. S. 6. c. 23. — 2.° Valet votum vitandi omnia mortalia, vel etiam omnia venialia plene deliberata, quia hoc est cum divinae gratiae ordinario auxilio moraliter possibile, et speciali privilegio non indiget, si tamen de personis vere piis agatur. « Votum autem, addit S. Alph. 203., abstinendi a venialibus in aliqua materia determinata, communiter validum est, maxime in personis magnae virtutis; in aliis vero modicae virtutis erit materia impossibilis; immo in aliquibus materiis, puta cogitationum inhonestarum, otiosarum, etc., cum sint inevitabiles quoad omnes, votum est nullum ». At Salm. aliique apud eundem S. Alph. l. c. asserunt e contrario votum de vitandis omnibus venialibus, etiamsi esset de plene deliberatis, omnino invalidum esse, prout de re moraliter impossibili, ex c. 23. S. 6. Trid. Sed in hoc can. sermo solum non est de plene deliberatis.

580. *An materia voti debeat esse res moraliter bona, immo de bono meliori?* — R. Affirmative. Ratio, quia alioquin promissio voti non esset Deo grata et accepta. « Vota, quae sunt de rebus vanis et inutilibus, sunt magis deridenda, quam servanda ». S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3., L. 204. Promissio item, quae impedit maius bonum, sub hoc respectu detrahit de *cultu* Dei, nec illi consequenter grata et accepta esse potest, ad obligationem in conscientia pariendam ex motivo religionis, seu cultus divini. Hoc autem *bonum melius* non est intelligendum comparate ad bonum quodcumque, sed comparate ad eius oppositum, ita ut hoc bonum tale sit, ut eius positio sit melior quam omissio. Bonum item *melius* non solum *absolute* in se, sed etiam *relative* ad circumstantias intelligitur.

581. *Resolves:* Non valet votum rei bonae ex *fine pravo,* si finis pravus se tenet *ex parte ipsius voti,* si nempe ipsum votum ad pravum finem ordinetur, v. g., si voveas eleemosynam ad impetrandum felicem furti successum. Ratio, quia datio eleemosynae ad talem finem est actio blasphematoria, quasi Deus ad peccandum opem ferat. Itemque votum non valet *ex causa in se prava,* uti e. g. si votum facias, eo quod iniustam litem viceris, inimicum occideris. — Secus dicendum, iuxta communem sententiam, si malus finis *accidentaliter* tantum votum comitetur, et se prorsus

teneat *ex parte voventis*, v. g., si quis voveat ob Dei gloriam, sed *cum* aliqua vanitate, et ex vana ostentatione libentius externe voveat. — Valet item votum rei bonae *cum conditione mala*, si votum fiat ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi coniuncta cum causa seu occasione et conditione mala, ut si quis voveat eleemosynam, quia non est captus vel si non capiatur in furto. Etsi enim furtum malum sit; non laedi tamen non est malum, sed Dei donum; et votum non cadit super malum, sed super bonum, quatenus in se bonum est. Multo magis autem id valet, si votum fiat ex malae conditionis detestatione; ut si quis voveat eleemosynam, si et quoties blasphemet. — Valet votum de re aliunde *praecepta*, quia votum huiusmodi est de re bona in se, cum praecepta supponatur, et est de bono meliori, cum novum vinculum ad maiorem fidelitatem et devotionem in adimplenda lege conferre possit. — L. 206. 213., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 6., Laymann l. 4. Tr. 4. c. 2. n. 7.

582. *An invalidum sit votum de bono, impeditivo maioris boni?* — Haec S. Alph. 207. 209: Invalidum est et veniale peccatum vovere bonum, quod est impeditivum boni maioris, ut praesertim sunt vota contra consilia evangelica, v. g., manere in saeculo, ducere uxorem, ire ad militiam, facere mercaturam. Si tamen aliquod bonum, per se et absolute minus, fieret per accidens maius bonum, tunc talia vovere valet, v. g., si quis videret susceptionem ordinum sibi fore damnosam. Hinc votum nubendi, *per se loquendo,* nullum est, etiamsi sit de ducenda paupere, meretrice, vel ad tollenda aliena peccata, quia semper coelibatus est Deo gratior. Secus, si votum sit emissum, ad scandalum, vel honorem puellae ex obligatione reparandum, vel ad bonum commune; vel etiam longe probabilius ob expertam sui fragilitatem, *supposito quod talis nolit uti aliis remediis;* quia in tali casu matrimonium est maius bonum, cum a Deo concessum sit ad concupiscentiam sedandam ei, qui alia remedia meliora suscipere non vult. 1. Cor. 7., 9. Cf. 554. 558.

583. *An peccet et quomodo, qui voveat rem malam?* — Haec S. Alph. 204. 205.: Qui vovet rem *vanam*, inutilem, indifferentem peccat venialiter. — Qui vovet *mortale* peccat mortaliter. — Qui vovet *veniale* alii dicunt peccare venialiter, alii mortaliter. « Probabilius mihi est esse culpam gravem, cum de se blasphemia sit, velle ut malum cedat in honorem Dei; sed communiter ob ignorantiam hoc non est nisi veniale ».

584. *An et quomodo votum obliget?* — Responsio habetur seqq. propositionibus: — *Votum obligatorium est.* — Promissio enim facta homini certe obligat, quanto magis itaque facta Deo. Idque evidentissime suadent Scripturae: *Cum votum voveris... non tardaberis reddere*, etc. Deut. 23., 21. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*, etc. Eccle. 5., 3. « Haereticum est, ait S. Th. Quodl. 3. a. 2., asserere votum non obligare ». Cf. 2. 2. q. 88. a. 3.

585. *Votum obligat per se, sicut lex vel praeceptum Ecclesiae, ac proinde graviter in materia gravi, et leviter in levi.* — Votum enim est quasi quaedam lex privata, quam quis sibi imponit. — Struggl 17., L. 211. 213.

586. *Votum obligat secundum voventis intentionem, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinet, ita ut sub levi tantum in ma-*

teria quantumvis gravi se ligare possit. — Ratio est, quia sicut legislator vel superior potest in materia gravi obligare sub levi tantum; ita etiam, qui vovet de re gravi, levem tantum obligationem sibi imponere potest. Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis non est gravis obligationis capax. Verum, in voto castitatis sacris ordinibus annexo, et in votis professionis religiosae, Ecclesia specialiter requirit voluntatem se graviter obligandi. Unde irrita est professio religiosa, quando expresse emittitur absque voluntate se graviter obligandi. — Struggl 18., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3., L. 211. 212.

587. *Nota:* Illa materia gravis censetur, quae cum ab Ecclesia praecipitur, graviter obligat, ut ieiunium, missa, etc., vel quae comparata cum alio praecepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti, seu ad Dei cultum confert.

588. *Nemo obligari potest alieno voto vi voti:* quia votum est onus personale voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest. S. R. C. 18. Apr. 1643. Decr. Auth. 834. — *Vi voti;* nam 1.° *ex iustitia* haeres vota realia defuncti solvere tenetur, sicuti tenetur solvere alia illius debita, legata, etc. Ratio est, quia votum reale afficit ipsam rem, adeoque ista obligata manet ad quascumque manus deveniat. Hinc talibus votis debet satisfieri ante legata, quia prior est obligatio votorum realium, quam liberum legatum mortis causa, sed post debita iustitiae, quia defunctus censetur vota realia emisisse solvenda solum de illa parte bonorum, de qua libere, et sine aliorum iniuria disponere poterat. Hinc haeres necessarius potest non solum sibi, sed etiam aliis descendentibus, licite reservare partem legitimam, seu iuxta leges debitam, adeoque solum de residua substantia tenetur solvere vota realia defuncti. — 2.° *Ex obedientia* tenentur subditi, tum qui nunc vivunt, tum qui in posterum membra communitatis fient, vi cuiusdam pacti vel statuti aut consuetudinis, et ex motivo religionis, ad adimplendum votum, quod eorum nomine a magistratu civili, assentiente episcopo, aut a superioribus religionis emissum fuerit. — Struggl 24. 26., Suarez de Voto l. 4. c. 1. 9., Scav. Ed. 12.ª Mediol. 1874. l. 2. n. 219., L. 213. 214. 216., S. Th. 2. 2. q. 98. a. 2. ad. 4., E. M.

589. *Resolves:* 1.° *Vota realia* de suo solvenda sunt; qui autem nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus sive sponte pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat: quia quod dat alter, accedente voventis consensu, vel ratificatione, si ipso inscio dederit, fit ipsius proprium. Excipe, si materia voti realis fuerit determinata; tunc enim ea in *individuo* eroganda est, quando nempe peculiaris ratio movit ad rem hanc in individuo vovendam. — 2.° *Vota personalia* impleri possunt tantum ab ipso vovente, nec ad haeredes transeunt. Hinc qui vovit peregrinationem, non satisfacit, si conducat alium; neque ad conducendum tenetur, si ipse non possit. — 3.° *Vota parentum,* filios devoventium cuipiam religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. g., certis diebus ieiunandi, etc., istos ligare nequeunt. Licet autem filii non teneantur voto parentum, qui illos religioni, vel alicui obligationi devoverunt, parentes tamen votum obligat, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, hos moveant ad id, quod

pro ipsis voverunt, amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstent. — L. 213. 216. 217. 220.

590. *Vota conditionalia non obligant, cessante conditione, etiamsi ipse vovens causa fuerit, ut conditio non ponatur: modo id non impedierit dolo, vi, aut malitia.* — Ratio, quia iam non impletur conditio, licet culpa voventis — L. 218. 219.

591. *Qui vovet aliquid faciendum certo tempore, illo transacto sive cum culpa sive sine culpa, ad nihil tenetur, si dies appositus sit ad finiendam obligationem,* ut, per se et regulariter loquendo, censendum est *in votis personalibus,* nisi constet de opposito, ut communissime dicunt. Transgressio enim voti ad compensationem non obligat. Unde qui una die non implevit, non tenetur implere alia die. — *Secus, si dies appositus sit tantum ad sollicitandam impletionem,* sicut e converso iudicandum est, per se et regulariter, *in votis realibus,* nisi iterum constet de opposito, cum ille dies nullam habeat magis specialem rationem, quam alii. — *Si autem votum indeterminatum sit, quoad tempus,* v. g., de rosario diurno, etc., votum perpetuo obligat, nisi aliud colligatur ex circumstantiis. — Suarez l. 4. c. 15., Sanch. in Decal. l. 4. c. 14. n. 25., Struggl 17., L. 212. 220.

592. *Vota interpretanda sunt secundum benigniorem partem;* cum sint leges liberae voluntatis. L. 224.

593. *Resolves:* 1.° Vovens se per mensem auditurum sacrum, probabiliter non tenetur in festis audire duo; sicut probabile etiam est hoc, si imponatur a confessario pro poenitentia. — 2.° Vovens se recitaturum rosarium, satisfacit recitando tertiam partem, quia communiter sic intelligitur; et satisfacit recitando alternatim, quia tale votum obligat instar officii divini; et etiam satisfacit dividendo decades. — 3.° Vovens ieiunium se observaturum, potest comedere lacticinia. Vovens ieiunium per mensem, non tenetur in dominica. Vovens ieiunium in vigilia alicuius Sancti, quae veniat in dominica, potest anticipare ieiunium in sabbato. Vovens ieiunium singulis sabbatis, probabiliter non tenetur ad votum, si in sabbato cadat Natalis Domini, nisi expresse intenderit adhuc ea die se velle obligare, quia tunc procul dubio tenetur. — 4.° Cum autem ieiunii materia seu substantia dividua sit, ita ut ad unicam comestionem teneantur ii quoque, qui utcumque, sive culpate, sive inculpate carnes manducaverint; ille qui vovit ieiunium, si carnes comedit, et eadem die voti obligatio finitur, saltem ad unicam comestionem servandam tenetur; si vero voti obligatio ea die non finitur, siquidem diei affixa non est, ad ieiunandum alia die tenetur. — 5.° Quod si quis immemor voti, vel poenitentiae iniunctae, etc., praestet opus debitum, bene satisfacit voluntate generali, quam quisque censetur habere satisfaciendi prius obligationibus. — 6. *An Religiosus vovens quando licentiam petit a superiore, rem voto promissam implendi, teneatur idem manifestare suum votum?* Controvertitur. Alii affirmant, quia haec voti manifestatio conducit, regulariter loquendo, ad licentiam facilius obtinendam. Alii probabilius negant, quia votum est strictae interpretationis et vovens consequenter ad id solum obligare censetur, quod est necessarium et communiter sufficiens medium ad licentiam impetrandam. Ita Schmalz. in h. t. n. 23.-25. — L. 222.-224. 226.

594. *An materiae leves in votis possint secum coalescere ad materiam gravem efficiendam?* — Vel materiae illae leves voventur separatim, et per modum rerum complurium, a se invicem disiunctarum, puta ex diverso fine: vel conglobatim, et per modum unius. Si 1.um omissiones, etsi multiplicentur, materiam gravem nunquam poterunt conflare; quia inter se nullo modo uniuntur. Si 2.um possunt utique ob contrariam rationem constituere materiam gravem et pervenire ad mortale. Censentur autem materiae voveri per modum rerum complurium, a se invicem disiunctarum, *in votis personalibus;* per modum autem unius et conglobatim *in votis realibus,* nisi de contrario constet; vota enim personalia communiter censentur adfixa diei, unde transactio unius non coalescit cum altero: non item realia; sic, v. g., censetur votum reale, si quis voveat dare unam monetulam quotidie per annum: esset vero votum personale, si ille voveat recitare unum Pater singulis anni diebus. Quare omittendo recitare hanc orationem etiam longo tempore esset peccatum veniale: omittendo vero parvam illam eleemosynam, esset grave, cum ad gravem materiam pervenerit. Hinc huiusmodi omissio supplenda semper erit, cum lapsu temporis voti obligatio non cesset. Attamen si intentio voventis vere dubia esset, votum censetur adfixum diei, adeo ut eius materiae non coalescant, sed quaelibet terminetur in die. Quisque enim censetur se obligare quam minimum possit. — Struggl 17. 33., L. 212. 220.

595. *Quaenam dilatio gravis censenda sit?* — Gravis est *per se* quaelibet dilatio voti graviter obligantis, quando tempori determinato affixum est, ut est votum ieiunandi in tali vigilia, etc., quia elapso tempore cessat voti obligatio ex generali principio, quod *transgressio voti* non obligat ad compensationem. — Si vero tempus determinatum non fuerit, vel ad *urgendam* tantum, non etiam ad finiendam voti obligationem, praefixum sit; aut dilatio materiam promissam imminuit aut non. Si 1.um verificatur, dilatio gravis in re gravi peccatum grave erit, nisi excuset rationabilis causa, puta si quis opportunum interim exspectet tempus pro fine, quem sibi proposuit. Hinc, e. g., si quis vitam religiosam voverit, tunc inquit Tamburini, « considerandum esse tempus, seu aetatem voventis; nam, si vovens agat, v. g., decimum quintum annum, trium immo quatuor annorum dilationem non iudicarem notabilem: suscipere enim vitam religiosam solent adolescentes circa decimum quintum et vigesimum annum, quando scilicet status vitae consuevit assumi: quare dum aliquis decimum quintum annum agens perpetuam religionem vovet, nisi tempus determinet ad ingressum, non videtur renunciasse consueto modo, et tempori in assumendo statu vitae... Verum, si vovens quadragesimum, v. g., annum aetatis attingeret dilationem ultra sex menses satis esse notabilem libens admitto: talis enim aetas, longiorem moram non permittit ». Si vero 2.um verificatur, idem Tamburini ait, « non videri improbabile dilationem quamcumque, modo non sit probabile periculum omittendi omnino votum, non esse nisi venialem. Ratio esse potest, quia nemo cum dat totum quod promisit, et nullum damnum ex mora creditori facit, condemnandus videtur de gravi errore; sed solum de levi negligentia: at nullum damnum ex praedicta dilatione Deo cedit, etc. ». Et mox addit: « Illud merito certum est, quando non adest periculum diminutionis servitii, posse, etiam sine veniali, votum factum sine temporis determinatione

differri usque ad tempus, quo credit quis se illud cum maiori devotione adimpleturum: quia haec cedit ad maiorem Dei honorem ad quem votum ordinatur: quare illa maior sperata devotio, iudicanda est causa sufficiens dilationis ». Explic. Dec. l. 3. c. 12. § 3. n. 11. Verum alii generatim grave asserunt vota differre temporaria ultra duos vel tres annos, perpetua vero ultra sex menses. — S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3., L. 221., l. 4. n. 72 seqq., Struggl 19.-21.

596. *Quotuplex peccatum committit qui votum violat?* — Vel votum est de re aliunde praecepta, vel non. Si 1.um duplex erit peccatum, unum contra virtutem, ad quam pertinet res voto promissa, aliud contra virtutem religionis; nam duplex praeceptum violatur. Si 2.um unum erit peccatum contra religionem: quia vovens in hoc casu non aliam sibi vult obligationem imponere, quam quae ab ipsa exoritur vi voti. Malitia autem huius peccati contra religionem *perfidia* est, seu violatio fidelitatis Deo debitae, quae violatio *directe* pertinet ad *irreverentiam Dei*. Utrum autem violatio cuiuscumque voti, i. e. licet non solemnis, induat etiam malitiam *sacrilegii* stricte talis, i. e. aliud peccatum inducat contra religionem, *directe* pertinens ad *irreverentiam sacrarum rerum*, alii affirmant, alii negant. Cf. 500. — Roncaglia Tr. 7. q. 2. c. ult. quaest. 5., L. 213. 224.

597. *Quomodo ab intrinseco cesset votum?* — Obligatio voti cessare potest *ab intrinseco et ab extrinseco*. — *Cessat ab intrinseco:* 1.° Si materia antea possibilis fiat impossibilis, antea honesta fiat turpis, antea melius bonum fiat indifferens et impeditiva maioris boni, ratione destructionis ipsius rei, prohibitionis, et novae circumstantiae. Extinguitur enim obligatio, si in eum incidat casum, a quo incipere non possit. — 2.° Si votum mutes in opus evidenter *melius;* id enim quisque etiam per se potest, modo specialis in casu particulari non habeatur prohibitio. Cf. 623. — 3.° Si notabiliter mutetur status rei. « Est communis sententia, ait S. Alph. 226., apud Salm., quod in omni promissione, prout est etiam votum, mutatio materiae de se notabilis obligationem aufert. Ratio, quia per mutationem res fit diversa ab ea, quae est promissa ». Intellige « excepto voto simplici castitatis et religionis ». L. l. 4. n. 50. — 4.° Si res vota facta sit inutilis ad intentum, maxime si magis illius destructiva. — 5.° Si ita etiam ferant conditiones illae, quae in quovis etiam voto subintelliguntur. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. — 6.° Si cesset causa finalis illius; secus vero si cesset causa tantum impulsiva. Cf. 566. — 7.° Quando non impletur conditio, si votum fuerit conditionatum; quando lapsum fuerit tempus determinatum, si votum certo tempori fuerit affixum. Cf. 590. 591. — Struggl 32.-36., L. 225. 243.

598. *An sit de se sufficiens illa mutatio etiam non notabilis, qua tamen praevisa, quis votum non emisisset?* — Prima sententia affirmat, et hanc expresse tenet S. Th., qui docet: « Id liberare a voti vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret », 4. D. 38. q. 1. a. 3. Ratio, quia tunc intentio se obligandi vel deficit, vel sic interpretatur iuxta dicta num. praec. 5.° loco. — Secunda sententia negat; quia ad eximendum voventem ab obligatione voti, non est attendendum ad id, quod ipse promisisset, si meminisset; sed potius ad id quod actu promisit. Iam vero S. Alph. 226. loquens de prima sententia ait: « Haec

sententia mihi videtur non minus probabilis, immo forte probabilior ». Eamque quasi *certam* tradit l. 3. n. 720. Cf. 563. 567. 575. 597. 3.°

599. *Quomodo votum cesset ab extrinseco? — Quid et quotuplex irritatio?* — Cessat votum *per irritationem, dispensationem, commutationem.* — Voti irritatio est eius annullatio vel suspensio facta ab eo, cuius potestati subest voluntas voventis, aut materia voti. Est 1.° *directa*, si cadat *directe* in personam seu in voluntatem voventis; 2.° *indirecta*, si cadat tantum in voti materiam. In priori casu votum omnino annihilatur neque amplius reviviscit; in posteriori autem suspenditur tantum eius obligatio quoad materiam alterius potestati subiectam, et reviviscit, cum vovens fuerit perfecte sui iuris. — Struggl 30. 31. 43.

600. *Quid irritatio directa?* — Cum non debeat violari cuiusquam dominium, ac quilibet dominus possit uti sua libertate, hinc, *si potestati dominativae* alterius sit subiecta alicuius *voluntas*, potest is subditi istius omnia vota, qualiacumque sint, ad suum libitum, sine ulla causa valide irritare *directe;* hoc est, potest velle, et pronunciare, ut illa vota *nulla sint, ita ut nullo etiam casu obligatio postea reviviscat.* Haec enim irritatio non est appositio alicuius impedimenti exsecutioni actus voluntatis, sed eius valoris annullatio. Idque valet etiamsi votum sit in favorem tertii et forte acceptatum. *Potestas dominativa* in hoc a *iurisdictione* distinguitur, quod haec ex iure publici muneris, illa vero ex privati muneris iure exoriatur, unde et potestas *oeconomica* dici solet. Schmalz. l. 1. t. 32. n. 4., Laym. de Leg. c. 5. n. 1. — Porro hoc ius provenit *ex iure naturali*, et etiam *ex iure positivo*, quo datur alicui legitima potestas dominativa in voluntatem alterius. — L. 227., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8., q. 185. a. 5., Suarez de Relig. Tr. 6. L. 6. c. 6. 7., Bouix de Iure Reg. V. 2. pag. 481.-505.

601. *Quid irritatio indirecta?* — Si alicui non quidem voluntas voventis, sed voti *materia* sit subiecta, ita ut in hanc ius habeat, is tale votum potest irritare irritatione *indirecta*, hoc est, *eius obligationem suspendere*, in quantum suo iuri praeiudicatur; idque ex lege naturae docente, quod nemo possit alteri promittere aliquid in praeiudicium tertii. Hinc votum, rerum statu mutato, *reviviscit. Per accidens* vero potest *extingui*, si votum, e. g., obliget pro certo tempore, et pro illo licentia denegetur, vel materia prohibeatur. — L. 241., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8.

602. *An superior irritare possit vota, si haec a se ratihabita fuerint, vel transacto subiectionis tempore?* — R. Ad 1.um Affirmative, quia nequit sibi adimere potestatem, quam in subditos habet. Contra vero, qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideo votum revalidatur. Ratio est, quia per irritationem votum extinguitur. Ut extinctum autem reviviscat, nihil confert poenitentia superioris, qui irritavit, sed requiritur subditi voluntas, qui se iterum voto obliget. — L. 239.

Ad 2.um *Vota facta tempore subiectionis, possunt adhuc irritari post illud*, v. g., quando filius iam est pubes, et haec est, ait S. Alph. 238., probabilior sententia. Duplicem autem regulam hac in re tradit Sanchesius in Decal. L. 4. c. 30. n. 7. 8. « *Prior est:* Quando potestas superioris, cuius tempore votum emissum est, *non est omnino extincta aut omnino suspensa*, sed quoad aliqua manet, potest irritare votum subiectionis suae tempore emissum, etsi illud iam transierit; dummodo, eo transacto, non

sit denuo confirmatum (intellige confirmatum, modo sciat tunc vota fuisse infirma, ut habet S. Alph. l. c.). *Posterior regula est:* Quando ea superioris potestas est omnino extincta aut omnino suspensa, nequit irritare ea vota ».

603. *An ad irritationem votorum causa aliqua requiratur?* — *Vota irritare subditorum sine causa de se nullum peccatum est;* quia censentur emissa sub conditione consensus superioris; unde obedientia stat pro causa. *De se*, quia in praxi difficulter poterit a veniali excusari; esset enim actus otiosus, et irrationabiliter profectus alterius impediretur. Non tamen id communiter peccatum veniale excedit. Ad excusandum autem a veniali sufficit quaevis causa rationabilis. — Monet Suaresius de Relig. Tr. 6. l. 6. c. 7. n. 16., ad irritandum sufficere minorem causam, quam ad dispensandum. Unde ex omnium sententia infert, subditum, qui petat a suo praelato irritationem voti, quando non habet causam, quae ad iustam dispensationem sufficiat, non peccare, quia (inquit) utitur iure suo. Item, quia votum non fuit absolutum, sed conditionatum, et per illud non se obligavit ad cavendum, ne conditio impediretur, vel ad non praecavendum, ut non poneretur, ut constat ex communi modo vovendi. Item non est peccatum, se ostendere propensum ad irritationem; quia hoc neque est contra votum, neque contra aliud praeceptum. Tandem qui sentit onera religionis, sine peccato potest frui commodis illius. Ergo, qui se subiecit potestati superioris, ut ab illo onera recipiat, non peccat procurando licitis mediis aliquod levamen per eiusdem potestatem. Sicut ergo non peccat praelatus irritando, ita nec subditus petendo. — L. 228., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8.

604. *Quinam religiosorum vota irritare possint?* — Vota religiosorum, quaecumque etiam interna, etiam sub praedecessoribus emissa, irritare possunt directe, praeter *Papam (Papa* omnia quidem potest directe irritare vota religiosorum; et *episcopus* monialium subiectarum), *abbates, guardiani, priores* et *rectores*, etiamsi praelati secundarii, absentibus primariis, ac probabiliter etiam *abbatissae.* Excipitur tamen, praeter ipsa *vota professionis religiosae*, uti statuit Trid. S. 25. C. 4. de Reg., *votum transeundi ad religionem strictiorem*, uti statuitur C. *Licet* 18. *de Regul.* Hoc votum nec Papa potest irritare; prout est supremus religiosi ordinis praelatus, licet ab ipso non solum Papa, sed et praelatus regularis possit dispensare. — C. *Monacho* Cau. 20. q. 4. c. 2., L. 233. 242., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8., Cf. 616. Struggl 37. 38.

605. *Nota:* 1.° *Praelatus* pariter potest licite et valide irritare votum subditi, a praedecessore aequali vel inferiore confirmatum, non tamen a superiore. L. 239. — 2.° Certum est vota religiosorum per professionem extingui, ut habetur ex C. *Scripturae* 4. *de Voto:* « Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam *commutare* ». L. 237., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. 12. — 3.° Ad novitios quod attinet, possunt praelati regulares *indirecte* irritare vota *personalia* novitii, quando horum exsecutio praeiudicat exercitiis probationis. Nequeunt vero irritare eorum vota *realia*, quia haec non praeiudicant exercitiis probationis. Struggl 42.

606. *An pater, avus, tutor possint filiorum vota irritare?* — *Pater*, sive *avus paternus* in eius defectu, potest *directe* irritare quaecumque

impuberum vota, sive *personalia*, sive *realia*, etiam castitatis et religionis, quamvis filius sit doli capax, et votum sit de peculio castrensi, vel quasi, quia in tali aetate deficit perfecta deliberatio ad tantam obligationem; quare ad talem defectum natura prospexit, praebendo parentibus facultatem talia vota irritandi. In dubio, an votum sit emissum ante vel post pubertatem, adhuc potest pater illud irritare, quia praevalet eius potestas. Filiorum vero *puberum* non possunt parentes irritare vota *personalia*, puta castitatis, etc., nisi *indirecte*, h. e. nisi praeiudicent domesticae gubernationi, prout vota peregrinationis, etc. Bene item *indirecte* possunt irritare vota *realia* puberum in minori aetate, quia in ea carent ipsi administratione bonorum. Excipe, si votum sit de peculio castrensi, vel quasi; vel si filius exierit e patria potestate. Quod dictum est *de patre* et *de avo*, dicendum etiam *de tutore* respectu pupilli, et *de curatore* respectu minoris; et si sint plures tutores, vel curatores, quilibet eamdem potestatem habet. — C. *Puella* 2. c. 20. q. 2., L. 229. 242., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. 9.

607. *An etiam mater vel avia possint filiorum vota irritare?* — *Mater* potest irritare vota filiorum, *deficiente patre*, si sit designata tutrix aut curatrix, et potest quod tutores et curatores possunt. Sed, si non fuit designata ut tutrix vel curatrix, et filius careat patre, vel avo paterno, Sanch., Suar., etc. putant tunc filium esse sui iuris. Sed oppositum, scilicet, quod in eo casu incumbat matri esse tutricem, vel curatricem, probabilius tenent Salm., Tamb., etc., quia rationabile est, ut mater vel avia minori provideat; et ideo bene potest eius vota ut tutrix vel curatrix irritare. — Negant autem Sanch., Suar., etc. posse matrem vota filiorum irritare, *praesente patre vel tutore*, et dicunt *matrem*, et deficiente matre, *avum*, vel *aviam* ex *parte matris*, posse tantum vota impuberum irritare, *quando deficit pater vel tutor*. Sed non minus probabiliter, Salm., Ronc., etc., asserunt matrem, etiam *praesente patre vel tutore*, posse irritare vota omnia impuberum, etiam castitatis et religionis, et etiam vota personalia puberum, quae praeiudicant gubernationi domus; non vero realia, quorum administratio pertinet ad patrem vel curatorem: Ratio, quia talis potestas, licet *non civiliter* (Iure nempe Communi soli competit patrifamilias), *naturaliter* tamen etiam est in matre; cui filii tenentur obedire, etsi cum subordinatione ad patrem; ita ut possit pater irritare vota filiorum, contradicente matre; sed non sic mater, contradicente patre. — Recentioribus vero legibus *patria potestas in patre et matre est*, licet a patre solum exerceatur. — Inst. l. 1. t. 9., C. I. 220., C. G. 371.-373., C. H. 154., C. A. 143. 144. 147., L. 230., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. 9., Struggl 39. 40.

608. *Nota*: Iuri positivo debetur, nempe *Iuri Communi*, quod parentes possint *directe* irritare tantum vota filiorum impuberum, *indirecte* vero vota puberum. Distinctio impuberum et puberum recentioribus legibus praetermittitur. Hinc non improbabiliter possunt parentes *directe* vota omnia filiorum irritare usque dum maneant sub patria potestate. C. I. 220., C. G. 372., C. A. 174., C. H. 154. — L. 227., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8., D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 206.

609. *An possit vir uxoris vota irritare?* — Probabilius est, quod *vir* possit *directe* omnia vota uxoris irritare, licet non praeiudicent usui matrimonii, vel prolis educationi, vel gubernationi domesticae. Et ratio est,

tum quia maritus in uxorem dominatum habet, tum quia expedit valde ad pacem familiae, ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat, et sic impetus feminarum retundatur. Potest ergo vir irritare etiam vota castitatis et religionis ab uxore emissa, et exsequenda post mortem viri. Non potest vero vir *directe* irritare vota ab uxore emissa ante matrimonium, sed bene potest illorum suspendere exsecutionem, quatenus praeiudicant suae potestati. — L. 234. 237., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8., C. A. 91.

610. *An possit uxor viri vota irritare?* — *Uxor* nequit irritare vota viri, nisi sibi praeiudicent, ut votum longae peregrinationis, etc., vel etiam votum non petendi debitum, ut probabilius tenent Spor., Laym., etc., contra Less., Sanch., etc., quia valde grave esset pudori uxoris cogi semper ad petendum. Talia vota docent dd. communiter esse irritanda; at potius videntur esse invalida, utpote de materia inepta, sicut sentiunt Salm. — L. 235. 242., S. Th. 2. 2. q. 8. a. 8.

611. *Nota:* Possent *coniuges* etiam continentiae votum mutuo consensu emissum invicem irritare. Id consequi videtur ex potestate viri *directe* irritandi vota uxoris; ex potestate uxoris *indirecte* irritandi vota mariti, ex potestate irritandi vota etiam a se approbata seu ratihabita. Id negat S. Alph. 236. Non desunt tamen graves doctores, quid id affirmant. — S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3., Sanch. l. 4. c. 32. n. 7., Suarez l. 4. c. 6. n. 1., Gur. Baller. 331.

612. *An dominus possit servorum vota irritare?* — *Dominus* potest irritare quaecumque vota realia *servorum* seu mancipiorum, nisi illi aliquid de proprio habeant, et personalia, quae domino praeiudicant, prout religionis, etc., non vero castitatis, etc. Vota haec servorum et famulorum nequeunt tamen ab heri *directe* irritari, sed tantum *indirecte*, seu suspendi possunt pro tempore servitutis et famulatus, quatenus debitis obsequiis praeiudicant. — L. 240. 242., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8.

613. *An vir vel praelatus possit directe irritare uxoris aut religiosi vota, de quibus dubitatur, an sint emissa ante vel post subiectionem?* — Ratio dubitandi est, quia nullus praedictorum superiorum potest *directe* irritare vota emissa ante subiectionem, v. g., ante matrimonium. Porro negat S. Alph. 237. Ratio, quia vota sunt certa, et incerta est viri vel praelati possessio, eo quod dubitatur, an vota emissa fuerint necne tempore, quo incepit subiectio. Affirmant vero Suarez, Sanch., aliique. Ratio, quia e contra possessio praesentis voluntatis subditi est certa, cum certum sit, illam esse uxorem, vel hunc religiosum; at exceptio quoad illa vota est dubia; quare usquedum probetur exceptio, scilicet quod vota sint emissa ante subiectionem, praevalet certa possessio superioris. Sicut a pari coniux dubitans de valore matrimonii tenetur reddere debitum alteri petenti ob certam suam possessionem, ut habetur ex C. *Dominus de Secund. nuptiis.*

614. *Quid voti dispensatio?* — *Dispensatio voti* est: voti *remissio facta Dei ipsius nomine ob iustam causam ab habente spiritualem iurisdictionem in foro externo.* — *Remissio*, qua non intelligitur solutio obligationis iuris naturae, sed actio qua Ecclesia Dei nomine subtrahit voto materiam: hoc

patet exemplo illius, qui remittit promissionem sibi factam; non enim dispensat in iure naturali standi promissis, sed contractum rescindit, illius obligationem remittendo. Hanc porro facultatem Ecclesiae inesse constat tum ex facto, cum semper ea usa sit; tum ex iure, cum id expediat fidelium bono, et generalia sint illa Christi verba: *Quodcumque solveritis,* etc.: soli autem Ecclesiae inesse, constat ex eo quod hic actus sit spiritualis; solius ergo potestatis spiritualis esse debet. — *Dei nomine facta;* cum enim Ecclesia non dispenset in lege sua, sed Dei, non nisi ipsius Dei nomine id agere potest. Hinc discrimen constat inter dispensationem et irritationem. *Dispensatio* in votum cadit, prout hoc ex Dei acceptatione pendet. *Irritatio* vero in votum cadit, prout hoc quasi conditionatum est, vel ex parte voluntatis voventis, vel ex parte rei promissae, superioris potestati subiectae, ab eaque dependentis. Irritatio fieri potest, invito vovente, et superior prohibendo materiam, vel resistendo obligationi voti, aufert conditionem, scilicet honestatis, sine qua votum validum esse non potest. Dispensatio e contra, invito vovente, fieri non potest, quia cum in voto obligatio a propria pendeat voluntate, dispensationem non acceptando votum quis quasi confirmat, vel iterum emittit. — *Ob iustam causam;* quia inferior, cum sit simplex exsecutor, non potest sine iusta proportionata causa dispensare in lege superioris; quod si agat, invalide agit; et peccat, nisi bona fides eum excuset. — *Ab habente,* etc., cum enim potestas haec ad externam gubernationem pertineat, sicuti potestas ferendi leges, quarum naturam imitatur votum, hanc facultatem a voto dispensandi non possunt ut propriam habere, nisi qui externa pollent iurisdictione. Adde promissionem acceptatam solvi non posse, nisi consentiat qui acceptavit, vel eius repraesentator. — L. 250., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 10. 12.

615. *Quinam dispensare possint a votis, et cum quibusnam.* — 1.° Papa respectu omnium fidelium et omnium votorum etiam solemnium. 2.° Episcopus respectu suorum subditorum, etiam peregrinorum, in omnibus votis Papae non reservatis; non autem parochus, quia tantum habet iurisdictionem fori interni. Neque vero ex iure aut ex consuetūdine talis facultas ipsi communicatur. 3.° Praelati regulares exempti respectu suorum religiosorum et novitiorum, quoad vota, quae vel in saeculo, vel etiam in novitiatu fecerunt, exceptis votis reservatis. Non possunt vero dispensare praelati non exempti, neque abbatissae, immo neque poenitentiarii, neque vicarii episcopi, nisi facultas specialiter his delegetur. 4.° Ex speciali privilegio omnes confessarii regulares possunt dispensare in votis, non reservatis, fidelium, intra vel extra confessionem, neque vero requiritur, quod sit confessarius ordinarius voto obstricti. Alii confessarii nullam habent hanc in re facultatem, nisi ipsis a Papa vel ab episcopo communicetur. 5.° Eamdem facultatem habent *legati a latere,* et *nuncii* in provincia sibi commissa; item capitulum, sede vacante, et abbates episcopalem iurisdictionem habentes. — L. 256. 257. 262., S. Th. 4. D. 38. q. 1. a. 4. q. 1. ad 3., 2. 2. q. 88. a. 9. 10. 11., Struggl 45. 46. 47., Diana Tr. 4. de Voto et Iuramento R. 78., Tr. 1. de Dubiis Regularium R. 274. 275.

616. *Nota:* In votis religiosorum dispensari potest a suis praelatis, etsi fuerint emissa cum licentia ipsorum; et etiamsi fuerit votum transeundi ad strictiorem religionem, si utilius noscatur religiosum manere in sua. Potest episcopus cum suis subditis dispensare in voto ingrediendi arctio-

rem religionem, voto religionis quoad substantiam relicto; cum nullo iure talis dispensatio inveniatur reservata. Facultas autem dispensandi potest a dictis praelatis delegari etiam simplici clerico tonsurato. In votis substantialibus religionis, vel ipsis annexis, prout voto non edendi carnes, etc., quae solent emitti in aliquibus religionibus, nequit dispensari nisi a Pontifice. Praeterea in votis novitiorum, si non sint reservata, potest dispensari tum a praelatis religionis, tum etiam ab episcopo proprio. L. 257. Cf. 604.

617. *Quaenam sint iustae causae dispensationis?* — 1.° Bonum Ecclesiae, vel commune reipublicae, vel familiae, vel profectus voventis. 2.° Periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum. 3.° Magna difficultas in executione, non solum si non fuit praevisa, sed etiam si praevisa fuerit: tum quia tunc etiam adest periculum transgressionis; tum quia res multo difficilior apprehenditur dum instat exsecutio, quam dum deliberatur; et etiamsi talis difficultas ortum habeat ex fragilitate voventis. 4.° Si vovens vexetur magnis scrupulis. 5.° Si votum emissum sit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate. Ob hanc rationem in votis impuberum sine alia causa potest absolute dispensari sine aliqua commutatione. 6.° Si votum sit emissum ob metum levem, incussum ab extrinseco. C. *Ad audientiam* 4. *de His quae*, etc. 7.° Quando imperfecta deliberatio, aut libertas in vovendo processit ex tristitia, sive metu intrinseco naufragii, mortis, vel alterius mali, quia tunc immature vota fieri solent, et ideo potest in eis dispensari sine commutatione. Si autem constaret maturam adfuisse deliberationem; tunc dispensationi admisceatur aliqua commutatio. Sicut etiam fieri debet, si cesset causa impulsiva voti. — L. 250. 252. 253., Struggl 46. 47.

618. *An superior possit dispensare a votis in utilitatem proximi factis?* — Votum, *licet gratuitum*, si fuit emissum in solius hominis utilitatem, *vel principaliter in utilitatem tertii, et iste tertius sit determinatus*, v. g., talis pauper, talis ecclesia, nullo modo potest dispensari, *ubi semel* a paupere vel rectore illius ecclesiae *acceptatum sit;* nam ille pauper, illa ecclesia verum ius acquirit, quo quidem citra iniuriam sine consensu partis spoliari non potest. *Licet gratuitum;* nam multo minus posset dispensari promissio mutua, *onerosa*, ut contingit in votis et iuramentis perseverantiae, quae fiunt in aliquibus congregationibus; nam illa tunc assumunt rationem contractus, nempe congregatio se obligat ad sustentandum subditum, et hic ad inserviendum, et ita declaravit Bened. XIV. C. *Convocatis* 25. Nov. 1749. § 32., quod confirmavit C. *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749. § 66. *Vel principaliter in utilitatem tertii;* nam si principaliter sit emissum in Dei honorem; tunc tertius non acquireret verum ius ad rem promissam, nisi dependenter a Dei voluntate, quae quidem relaxari potest. « Sporer, Viva, Fagund., etc. dicunt satis esse probabile, quod bene potest tale votum commutari auctoritate praelati vel propria etiam post acceptationem ». L. 255. Hoc autem quod dictum est de voto dicendum etiam est de iuramento, *principaliter emisso in honorem Dei*, quod possit relaxari ab episcopo sine consensu partis. *Si tertius sit determinatus;* nam promissio facta soli Deo dandi aliquid, e. g., pauperibus indeterminatis semper dispensari et commutari potest. *Si sit acceptatum;* nam ante acceptationem

non habetur consummata traditio, et communissima sententia est posse tunc dispensari et commutari. — L. 255. 726., Suarez l. 6. c. 15. n. 7. 8., Sanch. l. 4. c. 41. n. 15. Cf. 567.

619. *Quaenam sint vota Papae reservata?* — Ex consuetudine ubique recepta atque ex ipso Iure Canon., praeter vota religionis, eisque annexa, sunt haec quinque: 1.° Votum religionem approbatam ingrediendi. 2.° Votum perpetuae et integrae seu totalis castitatis. 3.° Votum peregrinationis ad sepulchrum Domini in Hierusalem. 4.° Votum peregrinationis ad limina Apostolorum Petri et Pauli. 5.° Votum peregrinationis ad visitandum reliquias S. Jacobi Compostellae. — Unde in generali concessione dispensandi in omnibus votis, quinque ista vota non comprehenduntur, licet expresse non excipiantur. Ratio, quia illa quae speciatim reservantur specialem postulant concessionem. R. 81. de R. I. in 6.° — Struggl 48., L. 258.

620. *Nota:* 1.° Haec reservatio utpote odiosa stricte semper est interpretanda, adeoque reservatio non habetur: 1.° Si non sint perfecta ratione voti, e. g., si sint emissa sub obligatione levi. 2.° Si non sint perfecta ratione affectus ad rem promissam, e. g., si votum disiunctivum facias, puta religionis aut ieiunii; vel si votum sub conditione facias castitatis, impleta etiam conditione, vel votum adeundi Romam ad invisendum sepulchrum S. Aloysii Gonzagae, vel eundi in Palaestinam ad inserviendum peregrinis, infirmis, etc. 3.° Si non sint perfecta ratione libertatis, e. g., si sint emissa ex metu, etiam levi ab alio incusso. 4.° Si non sint perfecta ratione materiae, e. g., votum non nubendi, vel votum castitatis quoad actus externos tantum et non etiam quoad internos, religionis non approbatae, vel in qua non fiunt vota solemnia. — Struggl 49. seqq., L. 258. 261.

2.° Quamvis vota sint reservata non sunt tamen reservatae circumstantiae ipsorum, e. g., peregrinandi mendicando, ingrediendi religionem statim, etc. — L. 258. Cf. 616.

3.° Episcopi, et similem iurisdictionem habentes, possunt recte dispensare in votis reservatis, in urgenti necessitate, puta, si non sit facilis accessus ad Papam, et in mora sit periculum gravis damni, vel spiritualis, prout violationis voti, scandali, rixarum, vel temporalis, proprii aut alieni, nimirum gravis infamiae mulieris et similium. Praedicta facultas, quae probabiliter conceditur episcopis, et aliis quibus ab ipsis communicata est potestas dispensandi in votis reservatis, urgente necessitate, non conceditur confessariis in Iubilaeo, habentibus a Papa facultatem dispensandi in votis simplicibus. Eam vero Mendicantes habent. Dispensatio autem praefata non est concedenda, nisi quatenus necessitas obliget; unde, si sufficiat ut suspendatur votum, non potest dispensari. — Struggl 56., L. 258., l. 6. n. 987., Diana Tr. 1. de Dubiis Regular. R. 277.

4.° Potest episcopus dispensare coniugem a voto castitatis perpetuae, tum ante tum post matrimonium emisso, in ordine ad debitum petendum; quia dispensare ipse potest ab omni impedimento, exercitium actus coniugalis impediente. Idipsum possunt confessarii mendicantes, et quidem tum intra, tum extra confessionem. — L. 258. l. 6. n. 986. 987.

5.° Licet facultas dispensandi a iuramento aequiparari immo et associari soleat facultati dispensandi a voto, iuramentum tamen castitatis, religionis, etc. reservatum non est. L. 259. Cf. 569.

621. *Quid voti commutatio?* — *Commutatio voti* est: substitutio unius materiae in locum illius, quae fuit voto promissa, facta sub eadem voti obligatione. Triplici autem modo contingere potest, nempe in melius, in aequale, in minus. Haec autem facultas commutandi, uti et facultas dispensandi intelligitur sine praeiudicio tertii. Deus enim ratam non habet dispensationem vel commutationem iniustam et iniuriosam alteri.

622. *Quinam possit vota commutare?* — *Qui habet potestatem dispensandi in votis habet etiam potestatem commutandi;* quia commutatio est pars dispensationis. R. 80.ª de R. I. in 6.° Praeterea, iuxta R. ᵐ 53.ᵃᵐ de R. I. in 6.°, « cui licet quod est plus, licet utique quod est minus » in eodem nempe genere. Non tamen potest dispensare, qui tantum habet facultatem commutandi; quia minus non continet quod maius est. — C. *De peregrinationibus* 1., C. *Venientis* 2., C. *Magnae devotionis* 7. *de Vot.*, Struggl 57., L. 246.

623. *An possit quis proprium votum commutare?* — *Quisquis potest privata auctoritate, et sine causa speciali, votum suum commutare in opus evidenter melius,* modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit; quia dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat quod promiserat, cum perfectum in perfectiori eminenter includatur. Constat insuper ex C. *Pervenit* 3. *de Iureiurando.* Melius autem censetur, quod ad maiorem utilitatem spiritualem voventis, ac maius Dei obsequium conducit. Excipe tamen vota Papae reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum, uti statuitur C. *Scripturae* 4. *de Voto.* Excipe etiam nisi votum factum fuerit in favorem tertii, ab eoque acceptata sit promissio, quia commutatio ista, quae fiat cum alterius iniuria, grata esse nequit Deo. Pius IX. In Ep. enc. *Gravibus Ecclesiae* 24. Dec. 1874. pro Iub. a. 1875. addidit: « nec non (vota) *poenalia,* quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia ». *In opus evidenter melius.* Nam qui votum emisit, illud in bonum minus propria auctoritate commutare nequit; debet enim Deo dare, quidquid promisit. — Utrum vero possit mutare votum suum *in bonum aequale,* controvertitur. Prima sententia probabilior negat ex S. Th., « quia commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu eius, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet praelati ». In 4. D. 38. q. 1. a. 4. q. 1. Deinde, quia supposita promissione, magis gratum censetur esse Deo, ut vovens fidelis sit ei, praestando potius rem promissam, quam aliam aequalem. Ita Sanch., Cai., Covar., Sot., etc. Secunda sententia, quam tenent Elbel., Tamb., Sa., Bon., etc., affirmat. Ratio, quia praesumitur Deus acceptare opus quoad substantiam aequale, ob benignitatem divinam, saltem ut hilarius ei oblatio praestetur. — Struggl 58., L. 243. 244. 536.

624. *An sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare possit?* — R. Negative. Ratio, quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. Attamen *facultas vota commutandi* non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino aequale coarctetur; sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquando minus sese porrigat; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit aequalitatem invenire in

rebus omnino disparatis. Insuper commutatio fere debet in allevationem eius fieri, qui sese voto obstrinxit. L. 247. — *An facultas data commutandi vota dispensando sit facultas absolute dispensandi?* R. Negative, sed facultas est commutandi etiam in minus, adeoque dispensandi ex parte tantum. Secus enim esset, vel facultas simpliciter dispensandi, vel simpliciter commutandi.

625. *An requiratur causa aliqua ad votum in opus aequale vel minus commutandum?* — R. Affirmative quoad liceitatem, quia secus praelatus prodige potestate commutandi uteretur. Affirmative etiam probabiliter quoad validitatem, quia praelatus facultatem habet hac in re delegatam: delegatus enim nequit valide sine iusta causa dispensare; commutatio autem dispensatio quaedam est. Attamen sententiam oppositam probabilem dicit S. Alph. 245. Ratio, quia cum maior obligatio non sit erga homines, quam supplendi, tanto magis id valet cum Deo, quocum mitius agitur, seu qui nobiscum mitius agit.

626. *Nota: Ad commutationem voti* minor requiritur causa quam *ad dispensationem*, quia dispensatio plane liberat ab obligatione voti, commutatio vero aliam subrogat; et rursus minor requiritur ad commutandum in aequale quam in minus; sufficit enim maior propensio personae, vel minus periculum votum transgrediendi. — L. 244.

627. *An, facta commutatione, liceat redire ad primum opus?* — Affirmative, si commutatio facta fuerit in minus vel aequale, quia primum opus est aeque gratum Deo, immo et gratius videtur. — Affirmative etiam, probabilius, quamvis facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis. — L. 248.

628. *Resolves:* Licet vovens redierit ad primum opus, potest tamen iterum redire ad secundum subrogatum. Si pluries facta sit commutatio in diversa opera, potest vovens eligere eorum quodcumque malit. — L. 248.

629. *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?* — R. Negative, si mutatio facta sit alterius auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret; quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est. — Affirmative, si pro tuo arbitrio commutationem feceris; quia tunc non dissolvitur prior obligatio, sed tantum suppleri supponitur per aequalem aut meliorem. L. 249., Gur. 335. Verum negat D'Annib. edit. 3. P. 3. n. 201. 209.; siquidem Dei acceptatione prior obligatio extincta est.

630. *An, commutato voto reservato, etiam materia subrogata reservata maneat?* — R. Negative: ita communiter et probabilius. Ratio, quia licet materia subrogata habeat idem vinculum voti; cum tamen ipsa minime sit reservata, secum minime trahit reservationem, quae tantum primae addicta est. — L. 260.

631. *An habens facultatem commutandi vota pro aliis habeat etiam pro se?* — R. Affirmative, sicut de facultate dispensandi docent communiter Sanch., Bonac., etc. — L. 249. 256.

V. — DE ADIURATIONE

632. *Quid sit adiuratio?* — Adiuratio est: *contestatio, per Deum, Sanctos, vel rem sacram facta, ad inducendam naturam intellectualem ad aliquid agendum, aut omittendum.* — *Contestatio,* i. e. invocatio nominis Dei etc. *Per Deum* etc., innuitur motivum, propter cuius amorem, respectum, aut timorem, adiurans alterum intendit inducere ad aliquid agendum aut omittendum. *Facta* ad *inducendum,* superiores quidem deprecando, inferiores imperando. *Naturam intellectualem,* nempe Deum, Angelos, homines, daemones. Quare creaturae irrationales proprie et *directe* non adiurantur, sed tantum *indirecte,* adiurando nempe Deum, vel Sanctos, ut earum usus nos adiuvet, vel daemones, ut per eas desistant nocere. — 1. Thess. 5., 27.; L. 1. 3., S. Th. 2. 2. q. 90. a. 1. 2. 3.

633. *Quotuplex sit adiuratio?* — Adiuratio alia est *solemnis* vel *privata,* prout fit ab Ecclesiae ministris, et modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur; alia est *deprecativa* vel *imperativa,* prout fit per preces vel per imperium. — L. 1. 3., Struggl 37. seqq.

634. *Quaenam sint requisita ad liceitatem adiurationis?* — *Ut adiuratio sit licita tria requiruntur,* sicut in iuramento, scilicet: 1.° *Veritas,* i. e. ut adiurans vere intendat assequi quod petit, et vera sit causa, ob quam petit: carentia autem huius veritatis raro erit plusquam venialis, cum Deus reipsa non invocetur in testem falsi. Unde mendicus, qui fingit se pauperem et petit per Jesum Christum, peccat contra religionem; eius tamen peccatum veniale est. — 2.° *Iustitia,* ex cuius carentia certe graviter peccat rem petens graviter malam. Si rem vero quis petat leviter malam, alii tenent esse mortale, alii veniale. Si quis tamen adiuraret Deum ipsum aut Sanctos deliberate, ut sibi opem ferat ad rem etiam leviter illicitam, peccaret mortaliter, quia talis adiuratio esset directe contra sanctitatem Dei. — 3.° *Iudicium,* i. e. debita discretio; adeoque et adsit sufficiens causa adiurandi, et debita sit submissio et resignatio in voluntatem divinam. Huius iudicii carentia certe non est nisi venialis. — L. 2.

635. *An licita sit contra daemones adiuratio?* — *Privata adiuratio contra daemones omnibus quidem licita est. Solemnis vero adiuratio per exorcismos competit solis ministris rite ordinatis in Ecclesia,* nempe exorcistis; est enim actus ordinis. Verum ipsa, in praesente Ecclesiae disciplina, non nisi cum episcopi expressa licentia fieri potest, sine qua sub gravi prohibetur. — *Adiuratio contra daemones fieri debet tantum modo imperativo, non vero deprecativo.* Ratio est, quia daemones nihil faciunt ex respectu divini honoris, sed ex timore divinae potestatis. — Nullo pacto fieri potest talis adiuratio daemonis, ut *opem praestet;* sed fieri debet tantum *ad removenda damna, et vexationem obsessi;* neque vero ad vanitatem et curiositatem. Ratio est, quia nobis a Deo non est data potestas ad daemones invocandos, sed solum ad fugandos, tanquam infensissimos hostes Dei et animarum. — Struggl 42. 43., L. 4. 5., S. Th. 2. 2. q. 90. a. 2.

636. *An peccet qui sermones cum daemone immiscet?* — Dicunt dd. communiter non posse excusari a peccato gravi, qui multos sermones inu-

tiles haberet cum daemone obsidente. — Quaerere a daemone unam vel alteram rem curiosam affirmat Pal. esse mortale; sed S. Alph. probabilius ait esse tantum veniale, si revera adiuratio fiat modo imperativo. — Licet vero exorcistis interrogare daemonem de omnibus, quae ad eius expulsionem conducunt, v. g., de numero et nominibus eorum, qui in obsesso habitant, a quanto tempore et qua de causa, de signo egressus, etc. — L. 5.

637. *An liceat quaerere imperative a daemone manifestationem alicuius veritatis?* — Negat Elbel, quia, ut ait, non videntur ministri aliam habere potestatem, nisi interrogandi tantum de iis, quae ad eum expellendum conferunt. Sed probabilius et communissime affirmatur licere, si id conducat ad divinam gloriam. Expresse id docet S. Th. 2. 2. q. 95. a. 4. ad 1. — L. 5.

VI. — DE LAUDE DEI

638. *Quid sit laus Dei?* — Laus Dei locutio est, qua excellentiam et beneficentiam Dei cum honore profitemur. Locutio haec non fit, ut Deo, cordium inspectori, affectus nostros manifestemus; sed ut nosmetipsos et alios audientes ad eius reverentiam moveamus. Haec laus dupliciter fieri solet: 1.° Simplici locutione; 2.° cantu. Porro de sola laude Dei canonica, seu horis canonicis, in Theologia Morali sermo est. De ea vero agendum in Tract. de praeceptis particularibus. — S. Th. 2. 2. q. 91., Decr. S. R. C. de musica sacra, Monitore Ecclesiastico Conversano. V. 8. P. 2. p. 127. seqq.

DE TERTIO DECALOGI PRAECEPTO

I. — DE PRAECEPTO AUDIENDI MISSAM

639. *Quid tertium Decalogi praeceptum?* — Tertium Decalogi praeceptum est: *Memento, ut diem sabbati sanctifices... Non facies omne opus in eo.* Ex. 20., 8. 10. Praeceptum hoc *naturale* est, quatenus praecipit, ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; quatenus vero in L. V. sabbatum, in L. N. diem dominicam, ex Ecclesiae determinatione, aliosque festos dies designat, *positivum* est. S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4. Hoc praeceptum, qua *negativum* est, opera servilia die festo potissimum prohibet. Qua vero *affirmativum* est, praecipit *sub gravi* dominicis aliisque festis diebus interesse sacro. Idque constat. 1.° Ex variis Iuris Can. locis, praesertim ex C. *Missas* 64. *de Consecr.* D. 1., item ex C. *Omnes* 63. *de Consecr.* D. 1. 2.° Ex omnibus catechismis, quibus indubium praeceptum de missa his diebus audienda declaratur. 3.° Ex prop. 52.ª d. ab Innoc. XI. — Praeter istud vero nihil aliud *sub gravi*, vel etiam *sub levi per se*, praecipit. Ratio est, quia reipsa nihil aliud in Iure praeceptum invenitur; aut legitime consuetudine inductum. — Unde patet: 1.° Nullam reipsa esse *ex vi huius praecepti*, qua naturale et qua ecclesiasticum est, obligationem *sub gravi*,

aut *sub levi, per se*, assistendi officio vespertino, diebus dominicis et festis; aut concionem audiendi. Ex *vi huius praecepti;* nam forte quis peccare posset contra alias virtutes et obligationes sui status, concionem, catechesim, et cetera pietatis opera omittendo. 2.° Huic praecepto satisfacere, qui unicam missam audit die Nativitatis I. C. 3.° Nullam esse obligationem audiendi missam die cinerum, feria V., VI. et sabb. maioris hebdomadae, neque diebus rogationum; et die omnium fidelium defunctorum. — Obligat autem hoc praeceptum omnes baptizatos, usum rationis habentes, etiam sacerdotes non celebrantes; non autem infantes ante expletum septennium; vel catechumenos. Ratio 1.ⁱ est, quia est universale. Ratio 2.ⁱ, quia tunc illud humano modo servandi nondum regulariter capaces sunt. Ratio 3.ⁱⁱ, quia non sunt Ecclesiae subiecti. — Tandem obligatio diei festi incipit a media nocte ad aliam. Talis enim est usus hodiernus Ecclesiae Romanae. — Cat. Rom. n. 1. seqq., L. 263.-271. 308., S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4., Struggl 12.-14., Ithur. Cas. 20. n. 1.-4., E. M.

640. *Quid requiratur ad missam rite audiendam?* — Ad missam rite audiendam requiritur 1.° *ut tota missa audiatur;* 2.° *ut in loco debito;* 3.° *corpore praesenti;* 4.° *mente attenta.*

641. *Qualis sit obligatio totam missam audiendi?* — *Missa sub gravi obligatione debet audiri integra; et consequenter omittere libere notabilem eius partem est peccatum mortale.* Prob. 1.° ex C. *Missas* de *Consecrat.* D. 1. 2.° Ex communi thth. consensu. 3.° Quia in re magni momenti, et graviter praecepta, omittere libere notabilem partem est grave peccatum. Porro pars notabilis est, pars pertinens ad essentiam sacrificii; dimidia aut tertia etiam pars totius missae, pertinens ad integritatem, eaque minor etiam esse potest, si dignitas partis omissae diuturnitatem compenset.

642. *Resolves:* 1.° Grave est omittere simul consecrationem et communionem; quia deest tunc essentialis ratio sacrificii; immo et solam consecrationem, quia est pars dignissima in qua saltem praecipue consistit. Quin, immo probabilius grave est uni tantum consecrationi non adesse; quia essentia sacrificii probabilius in utraque consecratione consistit. L. H. A. 33.: «Alii tamen, ut Lugo, Tamb., Diana, Escob., a gravi excusant, etiamsi *tota consecratio* omittatur; cum satis non constat, utrum essentia sacrificii sit vere in sumptione vel consecratione; et probabile puta Elbel cum Suar., etc. valdeque adhaerent Sporer, etc.... Haec sententia non videtur improbabilis». L. 110. — Utrum vero solam communionem praeterire sit grave, controvertitur; affirmativa sententia est S. Alphonso probabilior, qui existimat essentiam sacrificii etiam in communione consistere. Communior tamen sententia eam in sola consecratione essentialiter reponit. Communio autem pertinet ad integritatem et plenitudinem sacrificii. — Hinc satisfacit quidem praecepto, qui *successive* audit duas dimidias missas a diversis sacerdotibus, si consecratio et communio in eadem parte missae reperiantur; quia tunc ratio integra sacrificii in eadem parte habetur, L. 311.; minime vero satisfacit, si consecratio et communio non sint in eadem parte, quia non assistit sacrificio substantialiter integro. L. H. A. 34. *Successive;* nam, si simul, non satisfacit, prop. 53.ª d. ab Innocent. XI. Inde etiam sequitur non debere saltem probabiliter reliqua audire, qui *post consecrationem* advenit; quia iam deest essentia sacrificii, et cessat

proinde obligatio illi assistendi, cum praeceptum per hoc impleri non possit. Attamen sententia opposita gravi etiam innititur fundamento, quia haberi potest assistentia parti notabili ceremoniae ab Ecclesia praeceptae. *Post consecrationem;* nam, si veniret *ante,* « omnino affirmandum est teneri, cum Sanch., Salm., Lug., Suar., et communi ». Et sane habetur tunc, tum pars omnino notabilis, tum tota essentia sacrificii. L. 310.

2.° Grave est omittere omnia usque ad offertorium inclusive, vel omnia ante evangelium, et simul omnia post communionem; quia pars notabilis quoad integritatem est. Item gravis habenda est omissio canonis a Praefatione exclusive ad consecrationem, a consecratione exclusive ad Pater exclusive, quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate simul. — E contrario leve certe est omittere omnia usque ad epistolam exclusive, et probabilius etiam inclusive; immo probabiliter etiam, iuxta S. Lig. 310., usque ad evangelium inclusive. Suarez de Euch. D. 88. S. 2. Leve pariter est omittere omnia, quae communionem sequuntur; immo omittere omnia post communionem et omnia ante epistolam. Ratio est, quia partem notabilem ratione integritatis non constituunt, si attendatur 1.° quod evangelium S. Joannis in fine probabiliter non est pars missae, quia ante illud iam dimittitur populus per benedictionem; 2.° quod alia sit ratio missae *catechumenorum*, alia missae *fidelium*, quae ab offertorio ad sumptionem se protendit. Omittere autem omnia usque ad epistolam inclusive, et omnia post sumptionem, « Baun et Llamas etiam excusant; sed contradicunt Pal., Suar., etc. communius apud Croix ». L. 310. — Ad symbolum vero quod attinet, utpote partis *non regularis*, rationem habendam non esse censet cum aliis S. Alph. 310. — Quoad autem offertorium, eius omissio levis reputatur, idemque existimatur de praefatione, utraque enim neque ad essentiam sacrificii pertinet, neque pars notabilis est ratione integritatis aut dignitatis. L. 310. — E. M.

643. *Nota:* An, qui omittit levem partem missae, teneatur supplere, si possit? alii affirmant; quia missam integram audire tenetur; alii vero probabiliter negant; « quia praeceptum est iam substantialiter impletum... illeque modus illam supplendi est valde imperfectus, et non multum conducens ad missae integritatem... et quia res morales non sunt adeo rigorose expendendae, praesertim quando leviores sunt ». Suarez de Euch. D. 88. S. 2. — L. 310.

644. *Qualis sit locus debitus? — Nulla adest obligatio missam audiendi in ecclesia parochiali. Praecepto. autem non satisfacit, qui missam audit in oratorio privato, secluso speciali privilegio.* Prob. 1.ª p., 1.° ex privilegiis regularibus concessis etiam post Trid. Constat praesertim ex C. S. Pii V. *Etsi mendicantium* a. 1567., ubi dicitur: « Christi fideles audiendo missam et alia divina officia in Ecclesiis Fratrum huiusmodi (mendicantium), diebus dominicis et festis, praecepto Ecclesiae satisfecisse censeantur ». 2.° Ex consuetudine legitime praescripta. 3.° Ex communissima et certa doctorum sententia, praesertim vero ex Benedicto XIV., de Syn., l. 11. c. 14., ubi asserit, Decretis Conciliorum et summorum Pontificum obligationem statuentibus, derogatum fuisse contraria consuetudine universali, quae constituit quoddam ius commune, contra quod insurgere nequeunt episcopi neque *licite,* neque *valide.* — Struggl 39., L. 320. seqq.

Oratoria privata sunt sacella, in domo privata erecta ex privilegio a summo Pontifice concesso, ut ibi peragantur divina mysteria. Non censentur vero privata, sed *publica* sunt habenda ea oratoria, quae legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, seu domibus religiosorum vel monialium, aliarumve communitatum, uti in conservatoriis, carceribus, nosocomiis, et etiam in domibus episcoporum et cardinalium. Non enim hae, domus privatae sunt. Immo aliquando oratorium in domibus privatorum haberi potest ut publicum. Sed ad hoc requiritur: 1.° Ut ingressus in viam publicam pateat; 2.° Ut nulli subiaceat servituti Iure Canonico reprobatae; 3.° Ut in perpetuum cultui divino addicatur; 4.° Ut reditus ad divina officia sufficientes statuantur. — L. 319., l. 6. n. 357., Bened. XIV. de Sacrif. Missae l. 3. c. 6. n. 6.

Prob. 2.ª p. Ex ipsis Brevibus concessionis habetur non satisfacere praecepto, qui missam audiunt in oratoriis privatis, nisi sint domini; aut illorum coniuncti, consanguinei nempe et affines usque ad quartum gradum, qui habitent in eadem domo, et eorum expensis vivant, ut vult S. Alph. 318., vel ut notat Gatticus n. 11., licet unam non constituant familiam; aut illorum sint nobiles hospites, illi quoque, qui ad prandium a privilegiato invitantur; aut sint familiares, qui nempe domini servitio incumbant, eiusque impensis vivant, ac sint familiares actu necessarii, quorum nempe praesentia in oratorio tempore missae est necessaria, licet hi extra domum habitent. Requiritur vero pro istis, ut actu intersit aliquis ex iis, quibus *principaliter* indultum concessum est. Indultum vero *principaliter* concessum intelligitur iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis, quae a tergo eiusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine praesentia alicuius ex dictis personis minime liceat missae sacrificium peragi, etiamsi alius praesens sit ex illis qui eodem Brevi commemorantur. Immo et pro omnibus festa solemniora excipiuntur. Haec sunt festa Natalis Domini, Epiphaniae, Feriae V. in Coena Domini, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis, S. Josephi, BB. AA. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, S. Titularis Ecclesiae et Patroni, Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, S. R. C. 10 Apr. 1896., et his quidem diebus prorsus interdicitur in eiusmodi oratoriis celebrare. Nulla tamen dies excipitur, quando oratorium a Pontifice infirmitatis causa conceditur. — L. 318., l. 6. n. 357. 359., La-Croix l. 3. P. 1. n. 626. seqq., Gattic. de Orat. priv. c. 25. n. 23. 24., A. S. S. V. 4. p. 257., V. 8. p. 61., V. 12. p. 254., E. M.

645. *Quaenam sit praesentia requisita? — Ad satisfaciendum huic praecepto requiritur moralis praesentia corporis. Praesentia moralis corporis* habetur, quando quis intra ecclesiam exsistit, vel extra illam, ita tamen ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium sacrificium. Atque hoc verificatur, si possit missam sequi quoad partes praecipuas audiendo, videndo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo, dummodo tamen magna non intercedat loci distantia inter ipsum et alios assistentes, si extra ecclesiam sit. Prob. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° Quia, sine praesentia saltem *morali*, fideles non censentur, secundum aestimationem moralem, sacerdoti sacrificanti assistere, et missam audire. — L. 312.

646. *Resolves:* 1.° Missae valide assistit, qui, etsi sacerdotem non videat, nec audiat verba, sacri partes distinguit sonitu campanulae, cantu

chori, motibus assistentium, quibus moraliter iungitur, licet sit extra ecclesiam, in qua turba contineri non potest. Item, qui stat post altare, post columnam, vel post parietem, modo ad partes praecipuas missae advertere possit. — 2.° Item probabilius, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel ianuam altare aut assistentes videat, aut partes missae distinguat, dummodo parvum sit spatium inter ecclesiam et locum in quo est. Secus autem, si magnum spatium aut platea intercedat. — 3.° Non assistit sacro, qui extra ecclesiam multum a longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et adesse moraliter. Iuxta Lugo et alios, spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediat, quominus quis sacro adsit. — L. 312.

647. *Quaenam sit attentio requisita? — Ad missam, ratione praecepti sub gravi audiendam, requiritur et sufficit 1.° voluntas audiendi missam; 2.° attentio pure externa. — Attentio,* duplex distinguitur attentio, alia *interna,* alia *externa.* Prior in hoc praecise consistit, quod quis advertat et animum applicet, aut ad verba et actiones sacerdotis; aut ad sacrificii mysteria; aut tandem ad Deum precibus vel meditatione laudandum, adorandum, colendum. Posterior vero in eo est, quod quis non ponat opus externum cum auditione missae *incompossibile,* quamvis mens interne, continue et voluntarie sit distracta. *Incompossibile,* e. g., dormire, vel confabulari per totam missam, vel per magnam eius partem, de re seria. — Prob. 1.ª p. *Requiritur* utrumque; nam, si alterutrum desit, vel non habetur actus humanus, vel non habetur actus religiosus cultum Deo exhibens, ne externe quidem. — Prob. 2.ª p. *Sufficit;* nam 1.° id docent plures et graves theologi, et illi ipsi, qui contrarium docent, hanc sententiam ut probabilem habent. L. 313., Struggl 37., Gur. 345. 2.° Quia attentio interna non requiritur ad substantiam moralem cultus externi. Ut enim communiter docent Sotus, Suarez, Sanchez, Salmant., Filliuc., etc. in hoc tertio praecepto tantummodo praecipitur cultus externus, et abstinendi a servilibus et missam audiendi. Confirmatur ex S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4., qui docet, quod ad interiorem cultum non cogimur, sed movemur a Spiritu S., « et ideo, ait, in tertio praecepto praecipitur *exterior Dei cultus* ». Idem docet Cath. Rom. n. 1.: « hoc legis praecepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, recte atque ordine praescribitur ». L. 264. Confirmatur iterum ex S. C. Indulg. 13. Nov. 1893. Monitore Ecclesiastico Conversano V. 8. P. 1. p. 247. — E. M.

648. *Nota:* Iuxta ipsam sententiam requirentem attentionem internam, parum admodum requiritur, ut quis praecepto satisfaciat, ita ut nemo hac in re anxius esse debeat ob scrupulum attentionis non praestitae. « Iuxta sententiam hanc, ait S. Alph. 313., sufficit ad satisfaciendum, sicut in officio, attentio virtualis, scilicet, quod quis sub initio habeat intentionem attendendi, et illam non mutet; nam, si postea distrahatur, etiam *advertenter,* sed non advertat, se distrahi a missa, vel ab officio, etiam satisfacit: quia iste, licet voluntarie se distrahat, non tamen distrahitur voluntarie a missa ».

649. *Resolves:* 1.° Satisfaciunt praecepto ministrantes missae; satis enim attendunt suum exhibentes ministerium, quo actualiter ad sacrificium cooperantur; licet ad breve tempus recedant ab ecclesia, ut sumant vinum, thus, etc., vel ut pulsent campanas quia talis recessus ordinatur ad sacri-

ficium. Idem dicendum est de sacristis, musicis, organistis, tympanistis, etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessariam impediunt attentionem ad ea, quae in altari peraguntur. L. 309. 317. — «Qui autem magnam sacri partem insumit in colligendis eleemosynis, a pluribus excusatur, si sit in ecclesia parva, secus in magna: ita Henr. cum aliis apud Salm. n. 52. Sed Lessius apud Croix n. 652. indistincte eos excusat, si simul attendant ad missam: et vere talis distractio non videtur esse incompossibilis». L. 317.

2.° Qui tempore missae ad confessionem se praeparat certe per se loquendo sufficienter omnino missam audit; nam sufficienter adhuc potest piis illis actionibus intendere. Ad confessionem vero quod attinet, quae notabili temporis intervallo duret, communior quidem et probabilior sententia negat praecepto satisfieri. At plures etiam sunt et graves theologi, qui affirmant, si aliquo modo ad missam simul attendatur. «Haec sententia, inquit S. Alph. 314., non videtur omnino probabilitate destituta, et olim probabilem ipsemet censui; sed quia postmodum observavi eam a pluribus gravibus doctoribus reiici, modo non audeo probabilem dicere». Attamen haec sententia sua reapse non destituitur probabilitate. Eam enim plures et graves recentiores theologi, vel tacite referendo et nihil in contrarium dicendo, vel etiam positive defendendo approbant. Gur. Baller. 346. Praeterea, qui negativam tuentur sententiam, ut notat La-Croix l. 3. n. 655., diversas afferunt rationes; et ipse S. Alph. id advertit, quod certe indicium est desiderari rationem omnino demonstrativam obligationis imponendae. Insuper satis quidem solida videtur ratio ab obligatione eximendi. Etenim «habet intentionem audiendi (ut supponitur); adest corpore, quia confitetur in templo; assistit moraliter, quia adest humano et religioso modo; denique etiam attendere potest ad missam; et licet forte actu non attendat tamen occupatur occupatione pia, adeoque adhuc censetur cum sacrificante et circumstantibus Deo cultum exhibere». La-Croix l. c. Neque vero attentio interna omnino necessaria est, ut quis huic praecepto satisfaciat. Si autem agatur de famulis, qui aliter non confiterentur, Lessius et La-Croix dicunt bene satisfacere; tunc enim saltem praesumitur quod Ecclesia consentiat. Idque admittere videtur etiam S. Alph. 332. — Lessius Auctar. ad Comment. in l. 2. v. *Missa* c. 2. n. 8. 9., L. 309.

650. *Quaenam sint causae a missa excusantes?* — Excusat a missa audienda quaevis *causa mediocriter gravis*, seu quae involvit notabile et saltem mediocre quoddam incommodum vel damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi, privati vel publici. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quae est optima legum interpres. — L. 324

651. *Resolves:* 1.° Excusantur mulieres, quae non habent vestes decentes iuxta conditionem suam et statum; ut etiam non habentes famulam vel sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur, bene excusantur a sacro audiendo, dummodo non possint eidem interesse vel summo mane vel in ecclesia remota, quo populus minime concurrat. Idem dicendum de puellis inhoneste praegnantibus, et de illis, quae ab ecclesia exeunt tempore quo fiunt proclamationes pro eorum matrimoniis, si magnam ob id verecundiam pati debeant. — Excusat usus, iuxta locorum consuetudinem domo non egrediendi sex hebdomadas post partum, vel mensem tempore luctus ob mortem viri, et etiam sororis, aut filiae. — L. 330., H. A. 42.

2.° Excusantur matres et nutrices, quae neminem habent cui relinquant parvulos, nec eos ad ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo coniuges tantum, alternis vicibus sacro interesse convenienter poterunt. — Excusantur qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere; si tamen plura fiant sacra, omnes, quoad fieri potest, missam successive audire debent. — Excusantur viatores, quibus non occurrit ubi sacro intersint, aut qui non possunt iter interrumpere, propterea quod rhedarii publici, vel socii viae, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt. — Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur. Si autem frequenter et sine iusta causa impedirentur missam audire, tenentur alium dominum adire, si id sine gravi incommodo possint. — Struggl 53., L. 326.-328.

3.° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes, quibus nocet foras prodire. Item qui infirmum custodire debet, qui ab illo relictus gravem turbationem patiatur: et hoc etiamsi adesset alius assistens, sed infirmus putaret illius assistentiam esse sibi necessariam, et alias gravem pateretur tristitiam: item excusantur qui aliter non possunt impedire blasphemias, rixas, furta, etc. Hinc excusatur etiam uxor, quae « ex accessu ad Ecclesiam timeret mariti indignationem, aut gravem zelotypiam mariti ». Struggl 50. — Excusat distantia a templo integro horae spatio, habita ratione personarum et tempestatis. Doctores gravissimi docent distantiam trium milliarium seu iter pedestre unius horae cum quadrante, atque etiam quid minus, si plueret aut ningeret, absolute et indistincte excusare omnes. — Excusat lucrum notabile extraordinarium faciendum. — L. 325.-327. 329. 332., H. A. 41., Collectan. S. C. de P. F. n. 2039.

II. — DE PROHIBITIONE OPERUM SERVILIUM

652. *Quaenam opera die festo prohibeantur?* — *Die festo prohibentur omnia opera servilia*, i. e. *operae*. — Ita dd. communiter ex C. 1. *de Feriis.* — *Opus servile* est quod corporis viribus potissimum exercetur, commoditati corporis immediate inservit, et a servis regulariter fieri solet. Quare opus servile non tantum ab intrinseca operis natura, sed etiam et maxime pendet a consuetudine et aestimatione hominum. Opus servile contradistinguitur ab opere *liberali*, quod a viribus animae maxime pendet, immediate commoditati animae inservit, et a dominis regulariter fieri solet. Opus autem adest *medium* inter servile et liberale, quod commoditati tam animae quam corporis inservire potest, et tam a servis quam a dominis fieri solet. Primi generis sunt arare, suere et alia opera mechanica; alterius sunt studere, docere, scribere, cantare, et alia opera liberalia; tertii vero generis sunt venari, piscari, iter facere, et similia opera *communia*. — Opus, quod *suapte natura* est liberale non fit servile ex eo quod fiat lucri gratia; neque illud quod *suapte natura* est servile fit liberale ex eo quod fiat gratis. Idem dicendum est sive opus fiat hac vel ista intentione pia, vana, turpi. Impertinens quoque est, sive fiat cum defatigatione et labore, sive non; sive brevi, sive longo tempore, ex pacta

mercede, vel ex recreationis causa, etc.; quia nihil horum mutat naturam operis. *Suapte natura;* nam cum reapse hac in re plurimum obtineat communis hominum opinio et existimatio, ut ex ipsa definitione operis *servilis* eruitur, hinc fit ut elementum extrinsecum *gratuitatis* operis, e. g., praesto aliquando esse possit, saltem ut maior quaedam excusandi ratio habeatur. Et sic piscari, v. g., si recreationis causa cum arundine aut levi reti fiat commune haberi solet et permittitur, cum tamen servile iudicetur, nec liceat, si fiat cum apparatu magno et labore. — L. 272.-274. 278., Struggl 7., S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3., E. M.

653. *Resolves:* 1.° Licitum est die festo non solum scribere, sed etiam transcribere, etiamsi hoc fiat propter mercedem. Probabiliter licitum etiam est die festo typographis ordinare characteres; quia opus videtur ad animum pertinens eodem pacto ac scriptio, licet maiori corporis defatigatione fiat. Verum, si in publica officina exerceatur a multis, ratione vilis apparatus, et communis aestimationis, ut opus servile habetur. At illicita prorsus est librorum impressio, utpote opus omnino servile. — L. 278. 279. 282., Struggl 8., Laymann 3.

2.° Satis probabile est licitum esse die festo pingere, multoque magis delineare, secluso tamen magno apparatu et labore, e. g., colores miscendo, tabulas dolando, etc. Etenim, si actio liberalis non est, certe actio media est et communis servis et liberis, dum saepe communiter observamus nobiles viros non erubescere hanc operationem pingendi addiscere et exercere. Hinc excusantur etiam puellae, acu in tela imagines retrahentes; itemque exercentes artem photographicam, nisi vili fiat apparatu. Sculpere autem, ait S. Alph. communiter, saltem in aestimatione hominum, inter artes mechanicas numeratur. « Sporer tamen excipit, quando in materia modica valde subtilia sculpunt aurifabri, in quibus fere nullus corporis, sed totus animi et ingenii labor intercedit ». Struggl 8. — L. 280. 283., S. Th. 2. 2. q. 212. a. 4. ad 3.

3.° « Licitum est die festo venari, aucupari et piscari, sine magno apparatu et recreationis causa. Ratio, quia similia, praeciso maiori apparatu et labore, non sunt opera servilia, sed communia dominis et servis. Imo similia, si fiant sine magno apparatu, etiam ex consuetudine sunt licita, etsi fiant lucri causa. Si autem fiant cum magno apparatu et labore, sunt servilia et illicita ». Struggl 8., L. 283.

4.° Licitum est die festo iter facere pedibus, equo, curru, navi, lectica, via ferrea, etc. Ratio huius est: quia iter facere non est opus servile, sed naturale, et commune omnibus hominibus. Ita dd. communiter; ac ita praeterea habet universalis consuetudo. Porro hoc ipso, quod praedictis modis liceat iter facere die festo, etiam licet praestare opera, quae ad id sunt necessaria et conducentia, ut, e. g., equos parare, currum iungere, lecticam portare, et in aqua remos ducere. Ratio est, quia accesosrium sequitur naturam sui principalis. — Struggl 8., L. 275.

5.° Licere in festis molere « concedit Sanchez, si sit mola, quae agitur aqua, vel vento; non autem, si agatur bestiis, et in qua requiritur magnus labor et occupatio. Ex qua doctrina satis probabiliter inferunt Tamb. n. 14. et La-Croix n. 578, quod quando cooperatio et applicatio hominis est modica, non sit illicitum, saltem graviter, etiam cum bestiis molere ». L. 277.

6.° Licita item est *distillatio,* si sine vili apparatu, nec in publica officina, ad experientiam physicam fiat, vel sine corporis defatigatione. L. 282.

654. *Quaenam sit materia gravis in opere servili? — Ad peccatum mortale non sufficit labor minor quam duarum horarum.* Prob. 1.° quia duae etiam horae sunt revera pars modica diei, utpote duodecima. 2.° Quia ita thth. communiter sentiunt. Struggl 12., L. 305.

655. *Quaenam magis determinate sit materia gravis in opere servili diebus festis peracto?* — Si opera valde corpus defatigent, et valde servilia sint, ut caedere lapides, fodere terram, etc., iuxta probabiliorem et communiorem sententiam, non est mortale peccatum, nisi quis laboret multum ultra duas horas, puta duas horas cum dimidio, vel saltem aliquantulum plus quam duas horas, vel certe duas horas compleat, quos temporis limites generatim statuit, uti communiter receptos, S. Alph. 305., H. A. 25., La-Croix 594., etc. Neque vero desunt thth., qui ad gravem culpam tres horas generatim loquendo requirunt. « Durum videtur, inquit Busembaum apud S. Alph. 305., mortalis damnare, si quis duas aut tres horas impendat ». — Si opera leviora sint neque valde servilia, e. g., artificiales flores conficere, maius temporis spatium requiritur ad materiam gravem, quam in operibus laboriosis et valde servilibus, ut tradit S. Alph. 282. — Si in operibus servilibus conficiendis aliud subintret elementum *excusans,* e. g., *necessitas* in operibus illis laboriosis, *pietas* in operibus aliis levioribus, scapularia, e. g., vel rosaria conficiendo, tunc ut maior adest ratio talia opera permittendi, ita et maior ratio maiori temporis spatio permittendi. L. 293., H. A. 25. Illud autem notandum est, quoad leviora ista opera, quod tunc tantum pietas potest illis favere, cum mere gratis et mere ad fovendam pietatem assumantur. Si enim pro mercede fiant, iam illa opera *omnino servilia* sunt, utpote *mercenaria,* neque ea pietas ad *opera pia* evehit. Quod et communi fidelium consuetudine ac sensu confirmatur.

656. *Resolves:* Quoad eos, qui currus vel iumenta onusta die festo ducunt, « sententia probabilior, saltem hodie censet, omnino licitum esse, non solum iter incoeptum continuare, sed etiam inchoare. Ratio, quia in tali labore muliones non insumunt tempus notabile: et, si aliquando sit notabile, excusantur vel ob evitandum grave damnum, vel ob publicam utilitatem, vel denique quia adest universalis consuetudo, quam adesse merito asserit Mazz. Idemque ait de nautis ». L. 276. — Qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam, probabilius graviter per se non peccat, quia opera famulorum, sive simul sive successive laborent, non coalescunt in unum ad materiam gravem efformandam. Et sane singuli non nisi venialiter peccant, si nulla adsit causa eos excusans. L. 306.

657. *An alia etiam opera prohibeantur? — Hoc praeceptum, prout est negativum prohibet non solum omnia opera servilia, sed etiam mercatum, et tria forensia; nempe placitum, iudicium ad mortem et sacramentum.* Ita communis thth. sententia ex C. 1. 2. et ult. *de Feriis.* L. 284.

Per mercatum intelligitur exercitium publicum mercaturae, seu mercatus cum strepitu, ut sunt nundinae annuae, vel hebdomadales, etc. *Venditiones mercium publicae,* ratione scandali, prohibentur; « unde, ut usus fert, vendi possunt (merces) clausis ianuis », Scav. edit. 12.ª Mediol. 1874. l. 2. n. 95. 239. Verum observanda hac in re est consuetudo, tum univer-

salis, tum etiam particularis locorum; nam haec legem humanam ex toto vel ex parte potest abrogare, et ut ait Mazz. magna ex parte hic legem iam abrogavit. — Hinc, ob consuetudinem generaliter receptam, excipiuntur nundinae ad certum diem constitutae, si in diem festum incidant. Sic declaravit Bened. XIV. C. *Ab eo tempore.* — Licite etiam, ex recepta consuetudine, venduntur et emuntur in officinis publicis esculenta, poculenta, calceamenta, candelae, panni ad vestes conficiendas, et alia huiusmodi. Attamen mercatores debent officinas suas claudere, ut ostendant se diem dominicum ab aliis diebus distinguere; sed plurimum etiam hic sibi vindicat locorum consuetudo, et varia pro variis locis necessitas. Tolerantur etiam alicubi publicae venditiones sub hasta, post peracta divina officia; quia aliis diebus pauciores essent concurrentes, etc. — Toleratur itidem, ut mercatores rerum parvi momenti ex uno loco in alium merces deferant, ostendant et vendant. — Licite venduntur et emuntur domus, equi, boves, aliaeque merces, sive praesentes, sive absentes, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo haec fiant inter privatos; tum quia sic fert timoratorum usus; tum quia Ecclesia tantum venditiones in publicis officinis prohibuit, ratione scandali. — An autem nomine mercatus vetentur in diebus festis locationes aliique contractus controvertitur. Sed communius negatur, quia talis est sapientum consuetudo. Hinc liciti sunt omnes contractus, si fiant sine instrumentis et iudicis auctoritate. Immo notat S. Alph., ferre consuetudinem, ut non modo privatе celebrentur, sed etiam per instrumenta, dummodo non requirant strepitum iudicialem, v. g., testamenta, instrumenta sponsalium, venditionum, etc. « quamvis, addit S. D., notarii alicubi soleant ad hoc petere ab Ordinario generalem licentiam, quae ceterum communiter conceditur ». L. 286. 289.

658. *Per placitum* intelligitur sententia civilis seu causarum civilium in iudicio. — *Per iudicium ad mortem* intelligitur citatio rei ad iudicium, eius examinatio, condemnatio et exsecutio sententiae. — Iam age processus iudiciales diebus festivis prohibentur, et sunt ipso iure irriti ex C. ult. *de Feriis.* Excipe tamen, si causa adsit tum necessitatis, tum etiam pietatis, ut ex eod. Cap. ult. *de Feriis,* et communi thth. auctoritate constat. — Licitum ergo est die festo excommunicare, dispensare, iudicem privatim informare, advocatum consulere, consilia conficere, etc., quia fiunt extra iudicium et consequenter non requirunt *strepitum iudicialem.* Dicitur esse *iudicialis strepitus,* ubi causa est contentiosa et litigiosa, atque ubi *quaestiones* et *iurgia* tractantur; et quidem in citatione, a qua causa maxime incipere videtur, in processus formatione, et causae cognitione, ac in sententiae prolatione *strepitus iudicialis* consistit. Quare actus voluntariae iurisdictionis die festo non prohibentur, neque actus extraiudiciales. — Suarez l. 2. c. 38., Caietanus 2. 2. q. 122. a. 4., Schmalz. l. 2. t. 9. n. 52. 53., Struggl 6., Bonacina t. 2. d. 5. q. un. p. 2. n. 25., L. 284. 287. 294. 295.

659. *Per sacramentum* tandem intelligitur iuramentum coram iudice, seu iudiciale. L. 284., S. Th. 2. 2. q. 8. 89. a. 10.

660. *Nota:* In his operibus forensibus et iudicialibus materiae quantitas, ad grave peccatum sufficiens, non ex quantitate temporis, sed ex operis qualitate desumitur. L. 307.

661. *Quaenam sint causae excusantes ab operibus prohibitis?* — Sex praecipue sunt causae excusantes: *Dispensatio, consuetudo, pietas, caritas, necessitas, utilitas,* ut constat ex communi thth. sententia. L. 288.

Dispensatio. In praecepto abstinendi ab opere servili dispensare possunt: 1.° Pontifex, ut supremus legislator et pastor, in omnibus festivitatibus, et pro tota Ecclesia. 2.° Episcopi et vicarii capituli, sede vac., in suis dioecesibus. 3.° Praelati regulares erga suos religiosos subditos, et eorum domesticos. 4.° Parochi, praesente etiam episcopo, ex consuetudine iam recepta. — Episcopi autem, praelati regulares, parochi non nisi in casibus particularibus dispensare valent. — L. 288.

Consuetudo. Hinc ex generali consuetudine fere ubique recepta excusantur: 1.° Tonsores, qui praeterea ex eo etiam excusantur, quod secus gravi ipsorum detrimento a plerisque relinquerentur. 2.° Quae ad domus nitorem pertinent, uti cubilia sternere, vasa lavare, et quae respiciunt personae compositionem, uti barbam tondere, vestes pulvere purgare et cetera eiusdem generis. 3.° Quae necessaria sunt ad victum; immo etiam licitum est parare cibos lautiores. — Struggl 23., Suarez l. 2. c. 21. n. 3. 4., L. 289. 298.

Pietas in Deum, per quam licita sunt opera quae *proxime,* non quae *remote,* spectant ad cultum Dei; uti sternere tabulata ad festivitatem, verrere et ornare templum, altare, etc.; minime vero ecclesiam aedificare, reparare, etc. L. 291.-293.

Caritas erga proximum. Hinc licet die festo: 1.° Facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos. 2.° Fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum. 3.° Laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret: non tamen iuxta graves theologos pro pauperibus in genere, nisi agatur de conficiendis vestibus aut aliis eiusmodi, quae usui pauperum deservire debent, non vero ad lucrandam pecuniam, quae pauperibus erogetur. — L. 293. 294.

Necessitas, sive propria, sive aliena, tum animae, tum corporis. Hinc: 1.° Excusantur pauperes, qui aliter se suosque alere non possunt, modo privatim, et secluso scandalo laborent. Itemque etiam excusantur, si suas resarciant vestes, quando diebus laborum ad id tempus commodum non habent. — 2.° Excusantur omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, etc. — 3.° Excusantur pariter pistores, qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant. — 4.° Item sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se, neque per alios ante festum perficere valent. — 5.° Item agricolae, qui ob praeteritam, aut imminentem pluviam foenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt. — 6.° Item famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint. Idem dicendum de uxoribus et filiis coactis a patre ad laborandum; si tamen non sit in contemptum religionis. — 7.° Excusantur fabri ferrarii, qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios reducunt; necnon ii, qui currus casu fractos, pontes, aut vias publicas reficiunt, si opus sine iactura boni publici differri nequeat. — L. 295.-304., S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4., Struggl 15.

Utilitas. Hinc excusantur 1.° ii, qui laborant ad utilitatem publicam, urgente aliqua necessitate, v. g., si agatur de celebranda victoria, de festo praeparando in principis adventum, aut alterius publicae exultationis

gratia. — 2.° Excusantur quoque probabiliter, ob lucri notabilis extraordinarii circumstantiam, illi qui laboribus se sustentant, quia pro istis tale lucrum omittere idem est ac damnum grave pati. — L. 301. 304.

DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO

I. — OBLIGATIONES FILIORUM ERGA PARENTES

662. *Quid quartum Decalogi praeceptum?* — Quartum Decalogi praeceptum est: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Ex. 20., 12. Praeceptum hoc primario et directe respicit obligationes filiorum erga parentes, propterea quod « sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est universale principium ». S. Th. 2. 2. q. 122. a. 3. Secundario autem et implicite spectat ad obligationes parentum erga filios, nec non obligationes mutuas aliorum consanguineorum, et aliorum inferiorum ac superiorum. Cat. Rom. P. 3. c. 6. n. 2. 8. — Quare hoc praeceptum de actibus per se est virtutis *pietatis, observantiae, duliae, obedientiae,* et praeterea *gratiae.*

Pietas, specialis quaedam virtus est, ad quam pertinet exhibere cultum parentibus et patriae; quia sunt « connaturale principium producens in esse et gubernans ». Hoc enim « principium respicit pietas, in quantum parentibus et patriae, et his qui ad haec ordinantur, officium et cultum impendit ». S. Th. 2. 2. q. 101. a. 3. Cultum praeterea exhibet pietas aliis etiam consanguineis, non quod principium sint ortus nostri, sed quia in illis sanguinis communione parentes quodammodo repraesentantur; itemque benevolis patriae, quia in ipsis favorem et auxilium patriae conspicimus. S. Th. l. c. a. 1. Hinc pietas est etiam inter coniuges et quoad filios, « quoniam inter coniuges est cultus et officium ad invicem, tanquam coadiutores ad conservationem consanguinitatis utriusque, quam quilibet coniugum a suis habet parentibus: conservatur namque propagatione filiorum utriusque parentis sanguis. Et idem dicimus de filiis, quia scilicet respiciuntur a pietatis virtute, ut conservatores consanguinitatis a parentibus susceptae ». Caiet.

Observantia virtus est, « per quam cultus et honor exhibetur personis in dignitate constitutis ». S. Th. 2. 2. q. 102. a. 1. Observantia reductive pertinet etiam ad quartum hoc Praeceptum; siquidem, ut parentes principium sunt nobis producens in esse et gubernans, ita personae in dignitate constitutae non solum quandam in se excellentiam habent, verum etiam quandam gubernandi potestatem, unde et ipsis competit ratio principii, sicut est princeps civitatis in rebus civilibus, dux exercitus in rebus bellicis, magister in disciplinis. Unde est quod omnes tales personae *patres* etiam appellantur propter similitudinem curae. S. Th. 2. 2. q. 102. a. 1. 2., Cat. Rom. n. 8.

Dulia est « quaedam observantiae species, quia per observantiam honoramus quascumque personas dignitate praecellentes; per duliam autem proprie sumptam servi dominos suos venerantur. Dulia enim graece servitus dicitur ». S. Th. 2. 2. q. 103. a. 3.

Obedientia est «specialis virtus; et eius speciale obiectum est praeceptum tacitum vel expressum». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 2. «Obedientia procedit ex reverentia, quae exhibet cultum et honorem superioribus. Et quantum ad hoc sub diversis virtutibus continetur, licet secundum se considerata prout respicit rationem praecepti, sit una specialis virtus. In quantum ergo procedit ex reverentia praelatorum continetur quodammodo sub observantia; in quantum vero procedit ex reverentia parentum sub pietate; in quantum vero procedit ex reverentia Dei sub religione, et pertinet ad devotionem, quae est principalis actus religionis». S. Th. 2. 2. q. 104. a. 3. ad 1.

Gratia sive gratitudo virtus est, quae benefactoribus recompensat particulare aliquod et privatum beneficium receptum. Quare gratia virtus quaedam est, quae venit post pietatem et observantiam, tanquam ab illis deficiens: siquidem «non quidquid debemus patri vel personae in dignitate praecellenti debemus alicui benefactori, a quo aliquod particulare beneficium recepimus». S. Th. 2. 2. q. 106. a. 1.

663. *Quid de filiis legitimis et illegitimis, naturalibus et adoptivis.* — Filii alii sunt *legitimi et naturales*, alii *naturales*, alii *legitimi*. — Filii *legitimi et naturales* ii sunt, qui ex viro eiusque uxore nascuntur.

Filii *naturales* seu *illegitimi* ii sunt, qui extra matrimonium nascuntur. Hi iure canonico sunt irregulares; iure civili a *legitimis* distinguuntur potissimum quoad successionem in paternam haereditatem. C. A. 155. 165., C. H. 114. 127. 134. 139. — Filii hi *naturales*, si nati sint ex viro et muliere, inter quos matrimonium iniri non potuisset, sive iure naturali, sive iure divino et canonico, ex eodem canonico iure appellantur *spurii* seu *nati ex damnato coitu*, C. 3. 10. *Qui fil. sint legit.* Ex iure autem civili recognosci non possunt, C. I. 180., C. H. 119., C. G. 335. — Filii ergo *naturales*, praeter *spurios*, agnosci et legitimari possunt. *Agnoscuntur* parentum confessione, iure civili, *authentica*, C. I. 181., C. G. 334., C. H. 131., iure canonico, *simplici et nuda*, C. 10. *de Probat.* Agniti vero *legitimantur* subsequenti matrimonio, ipso iure, C. 1. 6. *Qui fil. sint leg.*, C. I. 194., C. G. 331., C. H. 120. 121., C. A. 161., ac etiam post contractum iam matrimonium agnosci possunt, C. I. 197., C. H. 121. Cf. C. G. 331. Ex quo vero fuerint legitimati perinde habentur, ac si ex iusto matrimonio editi fuerint, C. 6. *Qui fil. sint leg.*, C. I. 194., C. G. 333., C. H. 122., Cf. C. A. 161. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 24. n. 16. At *agnitus* tantum eius dumtaxat filius intelligitur, qui eum agnovit, C. I. 182., C. G. 336., C. H. 129. 134. — L. l. 3. n. 951.

Foetus nono editur plerumque mense, ex quo conceptus fuit, interdum ineunte septimo, nonnunquam decimo pleno, videlicet non ante 180. dies, nec post 300. dies, C. I. 161. seqq., C. G. 315., C. H. 108., C. A. 138. 163. — Hinc eius, qui vel *post septimum mensem* ab inito matrimonio, vel *ante decimum mensem* a soluto matrimonio nascitur, is pater est, quem nuptiae demonstrant, nisi aliud sit evidentissimum. Minime vero obstat, quod mater fuerit adultera, C. I. 165., C. G. 313., C. H. 109. C. A. 158., vel quod ipsa filium adulterinum fuerit professa, C. A. 158., nisi talia proferat indicia, quae in foro externo satis forent, Lugo de Iust. D. 12. n. 26., quamvis sit fide dignissima, et iurata, ac moriens id asserat; nemo enim meretur fidem allegans turpitudinem suam, C. *Inter* 8. § ult. *de Donat.* L. 654. 924. — Foetus, editus *ante septimum mensem* ab inito matrimonio, habetur legitimus dum-

taxat, si maritus vel duxit sciens volens mulierem praegnantem, vel, cum praesens esset, natum prorsus non repudiavit, C. I. 161., C. G. 314., C. H. 110. Foetus, serius editus *post decimum mensem* a solutione matrimonii, ut illegitimus habetur, nisi matris valetudo et mores et rerum circumstantiae, aliud suadeant, C. I. 169., C. G. 315., C. H. 111.

Filii *legitimi et naturales* iure *praesumuntur*, qui orti sunt ex matre iusto matrimonio coniuncta; nisi *iuridice* certo constet eorum origo ab alio quam a marito matris. Pater enim is habetur, *quem nuptiae demonstrant*. Mater quidem certa est; pater vero praesumitur. Et haec praesumptio in foro conscientiae vim etiam habet.

Filii *legitimi* sunt, filii *naturales legitimati*, et *adoptivi*, C. I. 737. *Adoptio* est actus, quo in locum filii adsciscitur is, qui natura talis non est. Ex recentioribus legibus adoptatus perinde habetur, ac filius legitimus et naturalis eius dumtaxat, qui eum adoptavit, eiusque successionis ius acquirit, C. I. 212. 737., C. G. 350. Verum patris sui naturalis potestati non eximitur, nec in patris adoptantis potestatem et familiam transit, C. I. 210. 212., C. G. 348. 349. Secus vero est ex C. A. 183., C. H. 177. Adoptio haec perpetua est, et ne mutuo quidem consensu dissolvitur, C. I. 217. Et ita etiam Iurisconsulti Gallici. Secus est ex C. A. 185.

Filii *legitimi et naturales*, quoad ius successionis tales habentur ex quo revera *concepti sunt*, dummodo *vitales* postea nascantur, C. I. 724., C. G. 725., C. A. 138. *Vitalis* natus est, qui natus est post 180.um diem a conceptione, C. I. 160. 162., C. G. 312. 314., C. A. 138., et perfecte natus est. In dubio, qui vivus editus fuit, vitalis natus fuisse praesumitur, C. I. 724. Filii *naturales* tantum, sive *legitimati*, sive *agniti*, ius successionis acquirunt ab inito parentum matrimonio, vel ex eo tempore quo postea agniti fuerint. C. I. 197., C. H. 124. Filii *legitimi* tantum, ius acquirunt successionis ex eo tempore, quo fuerunt adoptati, quasi tunc primum concepti fuissent. C. I. 210. 217. Nullum ex C. H. 177. adoptatus ius acquirit successionis, nisi ex testamento, vel ex praevia conventione.

664. *Quid de infantibus; de impuberibus et puberibus; de minoribus et maioribus; de pupillis?* — Minores septennio *infantes*, quasi *non fantes, fandi impotentes*, dicuntur. A septennio ad annum decimumquartum, si masculi; ad duodecimum, si feminae, *impuberes* dicuntur; *püberes* vero ultra praedictam aetatem; ex proxima nempe generandi potestate, ea aetate, adepta. Impuberes, si desinunt esse sub patris potestate, patris morte vel filiorum emancipatione, *pupilli* appellantur; facti puberes, *minores* vocantur, filii usque ad 25. annum, filiae usque ad 21. annum aetatis. Ita ex Iure Romano. — Recentiori Iure, quavis alia sublata distinctione, qui vel quae nondum compleverit 21. aetatis annum *minor* nuncupatur; tali aetate expleta, vocatur *maior*, C. I. 323. 240., C. G. 388. 488. Ex C. H. 320. *maior* aetas anno 23.° expleto constituitur; C. A. 21. 174. anno 24.° — *Maior* vero est clericus in beneficialibus, et aliis spiritualibus causis, qui 14.um aetatis annum expleverit. C. *Si annum* 3. *de Iudic.* in 6.°

665. *Quaenam sit propria filiorum obligatio?* — Cum filii a parentibus exsistentiam habeant, ideo, praeter amorem, *pietatem* illis debent. Pietas duo *per se* exigit, *reverentiam* et *obsequium*, *per accidens* vero *opem* praestandam, si indigeant. Quavis autem aetate filii parentibus debent honorem

et reverentiam, quia ipsi semper filii, illi semper parentes sunt. — S. Th. 2. 2. q. 101. a. 2., L. 333., C. I. 220., C. G. 371. C. H. 154., C. A. 144. 154., C. H. 154.

Reverentia laedi potest verbis, gestibus et factis, nempe graviter, in illis etiam, quae quoad alios levia sunt, dummodo levia prorsus non sint. Quare graviter filii peccant: *Verbis*, passim parentes aspere alloquendo; vel etiam nullum benevolentiae signum eis ostendendo; eos *praesentes* verbis contumeliosis appellando; vel eis *ex animo maledicendo; Gestibus*, torvis oculis eos aspiciendo, eis *praesentibus* irridendo, subsannando; *Factis*, manus in illos *considerate* levando, in signum ipsos percutiendi; eos criminum accusando, nisi de criminibus agatur in rempublicam perniciosis, ut haeresis, perduellio, etc. — L. 333. 334.

Obsequium item graviter laeditur, parentibus non obediendo in iis, quae *ad domesticam gubernationem* et *oeconomiam* spectant, vel *ad bonos* pertinent *mores;* si tamen parentes serio et in re gravi praecipiant; excepta electione status, matrimonii ineundi, religionem ingrediendi, nisi tamen parentes ex iusta causa filiis hac in re contradicant. Grave pariter committitur peccatum, eos quasi parentes non agnoscendo, nisi id fiat ex iusta causa, et exterius tantum se eorum filium esse dissimulando. — L. 334. 335., S. Th. Quodl. 2. a. 9., 2. 2. q. 104. a. 2., C. A. 148.

Opem parentibus *egentibus* debent etiam filii, eosque consequenter alere debent, et grave est religionem etiam ingredi, eos in egestate deserendo. Grave item est ex hoc capite non curare sacramenta aegrotantibus conferri; mortuos tradi sepulturae; pro eorum anima sacrificium aliquod offerri. — S. Th. 2. 2. q. 101. a. 2., a. 4. ad 4., q. 102. a. 2., q. 122. a. 5. ad 3., L. 333. 335., C. I. 139., C. G. 205., C. A. 154.

666. *An filii parentibus debeant etiam pioppria bona?* — R. Negative. *Pietatem* filii parentibus debent, non *operas*. Quare, si filius in domo paterna operas praestet, v. g., fabri, sutoris, quod ex eis lucratur, suum est, deductis alimentis, quae a patre accipit; cum iam sua opera et labore, sustentari valeat, nec amplius paterna egeat sustentatione. Verum, si nihil petit, videtur ea patri remittere ex grato animo et pietate. Idem dicendum est de bonis a filio acquisitis, donatione, testamento, etc.; ea quidem filius sua facit, sed patri educationis expensas refundere tenetur. C. A. 150. 154. Haec iure naturali constant, et iure positivo confirmantur, quod naturalem determinans obligationem parentibus abscribit usumfructum bonorum filiorum. — Ad Ius positivum quod attinet, distinguenda sunt *dominium*, seu proprietas bonorum, *ususfructus*, *administratio*. Distinguenda item sunt varia *bona* et varia *Iura;* Ius Commune seu Romanum, et varia Iura Recentiora, quae vigent in variis regionibus. Cum ius parentum quoad filiorum bona partem constituat illorum iurium, unde *patria* habetur *potestas*, de eo mox dicemus patriam potestatem declarantes. — L. 488.

667. *Quid patria potestas?* — *Patria potestas* est complexus iurium parentum in filios. C. A. 147. Ea est ex Iure simul Naturali et Positivo, ius naturale definiente et determinante. Iura enim parentum in filios ex iure naturali et civili profluunt.

Iure Naturali parentibus, sive legitimis sive illegitimis, debetur *pietas;* nempe patri et matri, eaque ipsis aeque et perpetuo competit. Ipsis praeterea competit potestas quoad ea, quae ad spiritualem filiorum salutem pertinent. Et haec etiam utrique pariter competit. Si vero inter se dissentiant,

ille praevalet, qui filii saluti consulit. Et, patre mortuo, si dissentiant mater, tutrix et avia paterna, haec potior erit. Bened. XIV. Ep. *Probe te* § 20. 21. 23., Ep. *Postremo mense* § 16. 17., C. *Ex litteris* 2. *de Conv. infid.* — Parentum naturalis potestas in his, quae pertinent ad salutem animae, *infantia exacta*, finitur; in his quae pertinent ad electionem status finitur *pubertate*, C. *Cum virum* 12. *de Regul.*, C. A. 148.; in his quae pertinent ad domesticam curam et disciplinam *emancipatione* finitur. — Verum in iis, quae spectant ad sustentationem corporis et generationem prolis, filii sui iuris sunt. Emancipatio autem naturaliter habetur, cum iam sufficienter per aetatem adoleverit filiusfamilias, ita ut iam paterfamilias ipse esse possit, et per se ipsum rite considerare, et se obligare circa ea quae ad personam suam et ad sua bona exteriora pertinent. C. 11. 12. *de Regul.*, S. Th. 4. D. 37. q. 2. a. 2., D. 38. q. 1. a. 1. q. ult. Sol. 3., 2. 2. q. 104. a. 5., S. q. 43. a. 2., q. 58. a. 5.

Iure Communi patria potestas soli patrifamilias competit, Inst. l. 1. t. 9. § 2. 3., Lib. 1. Tit. 6. ff. § 3. *de Patr. pot.*, C. 2. *de Convers. infid.* Verum *ex Recentioribus Legibus* competit etiam matrifamilias, C. I. 220., C. G. 372. Sed mater ea non utitur, quamdiu ea utitur pater, cui principaliter competit. C. I. 46. 220. 230. 331., C. G. 141. 373. 507., C. A. 144. 147., C. H. 154. Competit autem in filios tantum legitimos et naturales, in naturales agnitos seu legitimatos, in adoptivos, C. I. 66. 184. 220., C. H. 154. — Patria potestas a patre exercetur, eoque mortuo vel absente, a matre aequo iure, C. I. 46, 220. 231., C. H. 154., C. G. 141. 390., C. A. 144. 147. Attamen ius est patri morienti matri superstiti praescribere, quem velit in filiorum educatione et bonorum administratione modum servari, C. I. 235. 1059. Cf. C. G. 391. Si mater secundas ineat nuptias, in potestate erit Consilii familiae, vel Iudicis pupillaris, ei permittere vel adimere tutelam, C. I. 237., C. G. 395., C. A. 255. — Deficientibus parentibus, et non nominato tutore, tutela iure spectat ad avum paternum; et, hoc deficiente, ad maternum, C. I. 244. — Porro patria potestas partim in *personas*, partim in *res* filiorum exercetur.

Patria potestas exercetur 1.° in personas facultate, quam habet pater retinendi domi filium, nisi filius velit voluntarie nomen dare militiae, C. I. 221., C. G. 374.; facultate quam habet pater moderate corrigendi et puniendi filium discolum; eum etiam a propria domo arcendi, et recurrendo etiam ubi opus sit ad tribunal, eumque collocandi in domo alia educationis seu correctionis, C. I. 222., C. H. 155. 156., C. G. 375. seqq., C. A. 145. Insuper filius prohibetur sine parentum consensu in adoptionem se dare, C. I. 224. 315. 330., Cf. C. G. 346., et matrimonium inire, C. I. 63. 208., C. G. 142., C. A. 49. 153. Matre autem dissentiente, sufficit patris consensus. C. I., C. G. ll. cc. Parenti postremo decedenti ius competit tutoris dandi, C. I. 242., C. G. 397.

Excepto matrimonio, quod ante pubertatem ex lege canonica nullum est, *quoad alios actus et contractus* filiifamilias *minores* naturaliter et civiliter obligari possunt, et qui cum eis contrahunt naturaliter et civiliter obligantur. Quare, si sponsalia inierint, si votum emiserint, sponsalibus et voto obligantur. Si quid donaverint dominium transferunt in accipientem, et si quid dono ipsi accipiant dominium licite acquirunt et retinent. C. 1. *de Desp. impub.*, C. I. 1304., C. G. 1314., C. H. 160. 161., C. A. 244. 246., — Inst. l. 3. t. 20. § 5. 10., t. 15. § 1., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8., 4. D. 27. q. 2. a. 2., L. l. 3. n. 918., Lugo de Iust. D. 22. n. 228. 295. 300.

Quamvis vero minor *valide* contrahat, ex Recentioribus Legibus *firmiter* non contrahit, si non observentur variae earundem legum praescriptiones, et tunc conceditur ipsis *restitutio in integrum,* quae in foro etiam conscientiae valet, cum huiusmodi lex sit definitiva iuris, et iusta: siquidem est *propter bonos mores* tuendos, propter familiarum pacem et bonum, propter bonum commune.

Ex C. I. actio nullitatis admittitur: 1.° Si minor non emancipatus actum ex se confecit sine interventu patris seu eius legitimi repraesentantis. 2.° Si minor emancipatus actum ex se confecit, pro quo lex exigit assistentiam curatoris. 3.° Cum non observantur formalitates pro quibusdam actibus constitutas per speciales legis dispositiones. — Actio vero nullitatis non admittitur: 1.° Si *minor* mala arte et dolo occultavit suam conditionem *minoris.* 2.° Si agatur de obligatione ex delicto vel quasi delicto exorta. 3.° Si probetur quod solutum est in commodum et utilitatem minoris fuisse conversum. C. I. 1300. 1303. 1305. 1306. 1307. 1899.

Ex C. G. 1304. 2012. actio nullitatis admittitur, si legis praescriptiones in contractibus *minorum* non fuerint observatae. Verum *simplex laesio* locum dat huic rescissioni in favorem minoris, C. G. 1305. Atque haec rescissio non admittitur: 1.° Si laesio ex casuali eventu contigerit. 2.° Si minor commercium aut artem aliquam exerceat quoad contractus initos ratione sui commercii seu artis. 3.° Si de obligatione agatur profluente ex delicto vel quasi delicto. 4.° Si probetur quod solutum est in eorum cessisse commodum et utilitatem. C. G. 1306. 1308. 1310. 1312. — Quare ex C. I. *minor* restituitur quia *minor;* ex C. G. quia *laesus.* — L. l. 3. n. 514. 918.

Ex C. H. 317. 320. 1304., non servatis legis formalitatibus, contractus minoris rescissioni obnoxii fiunt. Ad restitutionem autem non tenetur, nisi quatenus re accepta ditior evaserit. Cf. etiam art. 1163. 1764. 1765.

Ex C. A. 151. 152. 246. non potest quidem generatim minor valide obligari sine consensu patris, aliisque legis praescriptionibus. Libere tamen disponere potest de rebus propria industria acquisitis, aliisque ipsi pro suo usu datis post adeptam pubertatem. Cf. art. 244. 248.

Patria potestas exercetur 2.° in res filiorum. *Iure Communi* filius initio *res patrisfamilias* erat: quidquid acquirebat patris erat. Deinde *peculium* recognitum est. Peculium est, quodcumque bonum proprium filii, separatum a paternis bonis. Quadruplex est: 1.° *Castrense,* acquisitum occasione militiae; et hoc totum, perfecto dominio, filii est: impubes tamen eius administrationem non habet. — 2.° *Quasi-castrense,* acquisitum professione scientiarum, vel liberalium artium, vel aliquo civili munere, v. g., iudicis; et huius etiam perfectum dominium ad filium spectat; administratio tamen ad patrem, si impubes ipse sit. — 3.° *Adventitium,* acquisitum propria industria et labore, alienis liberalitatibus, casu et fortuna. Dominium proprietatis ad filium, usufructus et administratio huius peculii ad patrem, *quoad vivit,* spectat. — 4.° *Profectitium,* quod vel ex bonis paternis acquisitum est; vel patris intuitu filio est donatum. Et hoc, totum patris est, proprietate, usufructu, administratione. — Inst. l. 2. t. 9. § 1. 2., l. 3. t. 29., Lugo D. 5. n. 23. seqq.

Pater disponere potest de bonis *adventitiis,* si sint consumptibilia, cum onere tamen restitutionis. — Si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis quam paternis, lucrum est *adventitium.* Si laboret in domo paterna et a patre nutriatur, vel negotietur ex bonis patris, *profectitium* est.

L. 488. — « Si filius pecunia patris vel mutuo accepta, vel occulte surrepta suomet periculo negotietur, ita ut serio constituat patrem indemnem quocumque eventu conservare, certum est ex commumi omnium sententia apud Laymann l. 3. tr. 4. c. 8. n. 12. lucrum omne ad proprietatem filli tanquam adventitium peculium pertinere. Cur id rei? nisi quia tametsi lucrum omne pecunia patris comparat, ita comparat, ut lucrum totum derivetur non ex pecunia patris suapte natura sterili, sed ex industria filii, quae pecuniam reddit foecundam ». Ithur. Cas. 3. n. 6., L. 488.

Paterfamilias et filiusfamilias pro una persona habentur. Cum igitur nemo secum ipso contrahere possit, si contrahunt, *civiliter* irritum est pactum. *Civiliter*, nam *naturaliter* vicissim obligantur et obligant. Inst. l. 3. t. 19. § 16. — Filiusfamilias, ne patre quidem consentiente, testari potest de peculio adventitio vel profectitio; potest vero, etiam invito patre, de castrensi vel quasi castrensi. — Inst. l. 2. t. 12.

Ex Recentioribus Legibus minores iure inhabiles habentur ad se et propria bona tuenda. — *Administratio* omnium bonorum filiorum *minorum* est penes patrem, vel matrem, vel tutorem, qui filiorum incapacitatem vel imperitiam supplere debent donec *maiores* fiant, vel *emancipationem* obtineant. *Maiores* suis gerendis negotiis omnino liberi sunt, nisi in aliquo casu id lex speciatim ipsis vetet; adeoque plenam habent administrationem bonorum suorum; *emancipati* vero eam non nisi limitatam habent. C. I. 323. 310. seqq. C. G. 488. 476. seqq., C. A. 149. 187. 251. Unde is, qui patriam potestatem exercet, filii negotia gerit, C. I. 224. 242., C. G. 389., C. A. 149. 152.; is, non filius, in iudicio agit, haereditates filio obvenientes adit, confecto inventario, donationes acceptat, C. I. 226. 1059., C. A. 205. 222. seqq. 243., Cf. C. G. 389., eiusque bona administrat, C. I. 224., C. G. 389., C. H. 159., C. A. 149., sed bona sive immobilia, sive mobilia, iis exceptis quae servando servari non possunt vel deteriora fiunt, non potest alienare, hypotheca vel pignore obligare; neque item nomine filii mutuum accipere, aliosque actus exercere, qui simplicis administrationis actus excedunt, nisi ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis, et civilis tribunalis decreto, C. I. 224., C. H. 164. Cf. C. G. 389.

Pater, vel mater patriam exercens potestatem, *usumfructum* habet eorum, quae filio obveniunt, successione, donatione, vel alio titulo lucrativo, C. I. 228. 229. 231., C. G. 384. 386., C. H. 160., nisi bona filio vel testamento relicta, vel donatione data fuerint, ea conditione, ne usufructus ad parentes pertineat; vel labore, professione, industria separata ea sibi filius acquisierit, C. I. 229., C. G. 387. Excluduntur etiam ab eo usufructu ea, quae filio fuerint testamento relicta, vel donatione data ad aggrediendum aliquem vitae cursum, artem, vel professionem, C. I. 229.; vel ad eorum educationem et instructionem, C. H. 162.; vel nisi, invitis parentibus donationem aut legatum acceptaverint vel haereditatem filii adierint, C. I. 229.

Huic usuifructui obligatio inhaeret alendi, sustentandi, educandi et instruendi filios. C. I. 230., C. G. 385. — Ex C. A. 149. 150. 151. 154. bona omnia, excepta administratione, ad filium simpliciter pertinent, pater tamen ex redditibus expensas educationis deducere potest. — Ex C. H. 161. ad parentes simpliciter pertinent bona a filiis acquisita eorundem parentum bonis. Ex eodem C. H. 160. ad parentem, patriam potestatem exercentem, pertinet usufructus etiam eorum bonorum, quae filius suo labore et industria acquisivit.

Huiusmodi ususfructus finitur *emancipatione filii*, vel morte, vel expleta *minori aetate;* patre vel matre viduis, transeuntibus ad alias nuptias; *si pater patriæ potestate abutatur*, aut impositas obligationes non curando, aut bona male administrando, tribunalis sententia accedente; itemque cessat respectu coniugis, cuius culpa legaliter divortium sit pronuntiatum. C. I. 156. 228. 232. 233. Cf. C. G. 384. 386., C. H. 167.-172. — Filio autem *maiore* facto, ea quae a parentibus gesta sunt, si facta fuerint secundum legem, rata manent, secus vero irrita ab ipso fieri possunt. Ac. si interim conflictus quoad bona inter patrem et filium, sub patria potestate, exoriatur, ad tribunal iste recurrere poterit. C. I. 224. 227. 1304., C. G. 1314., C. H. 165., C. A. 271. — L. 488. 543. 544., Gousset 682.

Patria potestas solvitur emancipatione filii, C. I. 220. 311., C. G. 372. 476.-479., C. H. 167., C. A. 174. 252.; emancipatur autem filius ex ipso iure per matrimonium, C. I. 310., C. G. 476. *Emancipatio*, actus legitimus est, quo pater filium suum minorem dimittit a sua potestate, ut sui iuris efficiatur. Emancipatio fieri non potest ante annum 18.um C. I. 311. — *Solvitur* praeterea *aetate maiori*, C. I. 220., C. G. 372., C. A. 172. Cf. 664. — *Solvitur* item, *si pater patria potestate abutatur*, accedente sententia criminis, C. I. Poen. 392., C. H. 171. Patria potestas in pietate debet non atrocitate consistere. Cf. C. H. 167. seqq. — Soluta patria potestate, filiusfamilias *sui iuris* efficitur. Sive autem sui iuris sit, sive adhuc patriae subsit potestati, cum ipso patrefamilias utiliter contrahere potest, et a 18.° aetatis anno potest testamentum conficere, C. I. 763. 1107., C. G. 94. 903., C. A. 271. 569. — Inst. l. 1. t. 12.

668. *An possit filiusfamilias retinere lucra, quae ex proprio labore, sed non industria separata, in domo paterna ipsi obveniunt?* — Plures et graves theologi negant. Ratio est, quia tunc filiusfamilias laborans non nomine proprio, agere censetur tanquam membrum familiae, et sic omne lucrum bono familiae cedere debet. Illi praeterea non favet, sed obest omnino Ius positivum. Plures etiam et graves theologi affirmant. Ratio est, quia filius peioris conditionis non est, quam famulus; filio ergo cedere debet saltem merces, quae famulo vel extraneae personae laboranti deberetur. Illa certe deberetur filio, si ex conditione sua non tenetur laborare, et extraneam personam supplet, vel si extraordinarium et indebitum omnino laborem in domo paterna impendat. Neque vero in duobus hisce casibus obesse videtur Ius positivum, cum sint extraodinarii, et, legitima epichcia, non comprehensi positivo Iure, quod casus respicit communiter contingentes. Sed tunc deducendae semper sunt expensae, quas fecerit pater in eo alendo, sustentando, educando, etc. Eas enim facere non tenebatur pro filio potente lucrari et volente. — L. l. 3. n. 488. 3.° 544. 910., Ithur. Cas. 3., S. Th. 2. 2. q. 57. a. 4.

669. *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsis data a parentibus aut cognatis?* — R. Affirmative, si primo usu sint consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forte aliqua restrictio apposita fuerit, ut esset pecunia ad libros emendos, ad pensionem solvendam, etc. — « Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes etc., filius non habet generatim nisi dominium utile, quia parentes fere non aliud ipsi conferre intendunt ». Ita Gur. 546. Verum dicendum potius videtur, eo ipso quod filii possint continuato usu propter propriam utilitatem res

has consumere et destruere, habere dominium harum rerum etiam directum, licet forte restrictum, et non omnino absolutum, quatenus ex mente dantis, non nisi in eorum utilitatem res sit tota convertenda, ut., e. g., videre est in libris, vestibus, etc.

670. *An filius censeatur renuntiare usuifructui, ad quem ius habet, si, eo vidente et tacente, pater hunc usumfructum percipiat?* — R. Negative, saltem generatim loquendo. Ratio est, quia silentium in tantum aequivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset. Iam vero, quin id facile possit, plerumque metus reverentialis obstat. — Ex C. I. 234. si, cessante usufructu, adhuc pergant parentes illum percipere, filio apud ipsos morante, et quin constituta fuerit conditio reddendae rationis, parentes vel eorum haeredes non tenentur nisi ad fructus exsistentes a die, quo postulantur.

II. — OBLIGATIONES PARENTUM ERGA FILIOS

671. *Quaenam sit propria parentum obligatio?* — Parentes principium sunt exsistendi filiorum; et filii aliquid patris sunt. Quare, praeter amorem, parentes debent filiis *providentiam*, scilicet filiis providere debent *quoad corpus, quoad animam, quoad statum.* L. 336., S. Th. 1. 2. q. 100. a. 5. ad 4.

Providentiam debent quoad corpus; adeoque graviter parentes peccant, si eos, nondum in lucem editos, periculo exponunt abortus, si natos iam exponunt publicis misericordiae locis, nisi id faciant ex gravi causa. Eos praeterea alere debent, nisi tamen aliunde se alere possint, et non indigeant, sive sint legitimi, sive illegitimi, sive *spurii*, C. *Cum haberet* 5. *de Eo qui dux.*, C. I. 752., C. G. 762., C. H. 139., C. A. 166. — Ad id autem tenentur simul pater et mater ex C. I. 138., C. G. 203; vel pater primum ut ex Iure Communi L. 9. C. *de Patr. potest.*, ex Iure Canonico C. 2 *de Convers. infid.*, C. A. 141. 143. 167., C. H. 155. — Adoptivum etiam alere debet adoptans in casu necessitatis ex C. I. 211. — Mater vero tenetur lactare prolem proprio lacte. Id enim postulat ipsa lex naturalis. Attamen haec obbligatio *per se* non urget sub gravi; cum gravis deordinatio secus non habeatur. A levi autem culpa excusat *necessitas*, si, e. g., mater sit debilis; *notabilis utilitas*, si, e. g., mater deberet aliam occupationem deserere, qua sustentationem sibi et suae familiae comparat; *consuetudo*, apud nobiles familias vigens. Tunc vero mater tenetur sub gravi peccato bonam nutricem quaerere. — L. 336. 949. 951., C. A. 218.

Providentiam debent quoad animam; quare sub gravi parentes debent filios docere ea, quae necessaria sunt *ad aeternam salutem*, eos bonis moribus imbuere verbis et exemplis, a proximis peccandi occasionibus arcere, debita moderatione corrigere, ne ad iracundiam provocati peiores fiant, eosque delinquentes coercere, implorato etiam iudicis officio, si necesse sit. C. I. 222., C. G. 377., C. H. 155. 156., C. A. 145. Quapropter graviter peccant parentes, sinentes filios libere pravis sociis comitari, pravos libros et ephemerides legere, pravas officinas et scholas frequentare, nisi adsit gravissima causa eos excusans. — L. 339.

Providentiam debent quoad statum; unde parentes debent filios arte aliqua vel litteris instituere, secundum morem regionis et conditionem

familiae. Curare debent, ut filii, qui velint matrimonium inire, honestum ineant matrimonium; et si filiarum pudicitia in periculo ideo versetur, debent saltem ex caritate eas dotare. Quin immo non desunt qui absolute tenent, patrem obligari ad dandam dotem filiae, quod C. H. 1340. 1341. et C. A. 1220. 1222. 1231. praescribitur, sive contrahat dignum matrimonium, sive religionem ingrediatur, itemque obligari ad dandum patrimonium filio, qui velit sacerdotium suscipere. L. l. 6. n. 819. Attamen ex C. I. 147. et ex C. G. 204. nulla filiis competit *actio* contra parentes, nolentes quidquam suo patrimonio detrahere, ut filii aut filiae matrimonium inire possint, aut alio simili titulo. Si vero parentes sua bona dilapident, et ideo filios egenos derelinquunt, gravi profecto non vacant peccato. Neque vero a peccato excusari possunt, si non adhibeant saltem mediocrem diligentiam, ut acquirant bona, quibus filii alantur, habeantque haereditatem secundum suum statum. Maxime vero tenentur proli relinquere libertatem quoad electionem status; et graviter peccant invitos ad matrimonium vel religionem cogentes vel eos avertentes a tali statu. — L. 336. 337. 339. 740., S. Th. 2. 2. q. 101. a. 2., C. I. 138. 230., C. G. 203. 385., C. A. 139. 148., C. H. 155., E. M.

672. *An parentes filios aliquando exhaeredare possint?* — R. Affirmative; ob iustam tamen, et gravem causam criminis contra ipsos parentes, quod talem poenam mereatur. Id constat primo iure naturali. Aequum enim omnino est, ut parentes possint filios, in ipsos graviter iniurios, tali poena plectere, et eiusdem poenae timore in proprio officio continere. Constat praeterea iure positivo. Etenim *Ius Romanum* hanc potestatem in parentibus agnoscit, et plures casus determinat, quibus parentes filios exhaeredare possunt. Ac ob eandem criminis rationem possunt filii exhaeredare parentes, et fratres exhaeredare fratres. *Novella* 115. cap. 3. 4., *Novella* 22. cap. 47. Idem ex *Iure Hispano* habetur 848. seqq.: et *ex Iure Austriaco* 768. seqq. *Ex Iure Italico* 725. 1081., et *ex Iure Gallico* 727. 955. 1046. 1047., non habetur quidem exhaeredatio proprie dicta, sed generatim statuitur incapacitas et indignitas succedendi ratione criminis, et revocabilitas ipsius donationis factae ratione ingratitudinis, ob determinata quaedam delicta; si nempe 1.° vitae testatoris fuerint insidiati; 2.° si alio crimine, saevitiis vel gravibus iniuriis rei in eum fuerint; 3.° si alimenta ei denegaverint: 4.° si calumniose eum gravis criminis ex Iure Ital. vel criminis capitalis ex Iure Gall. accusaverint; et 5.° ex Iure Ital., si ad testamentum condendum vel mutandum coegerint, vel ab eo condendo aut revocando impediverint. — L. 340. 948. 949., Ferraris v. *Exhaeredatio.*

673. *An parentes teneantur in foro conscientiae legitimam filiis secundum leges relinquere?* — Parentes, verius et secundum communem doctrinam, debent *legitimam* post mortem relinquere filiis suis, sive maribus sive feminis, *naturalibus et legitimis*, immo etiam *naturalibus iure agnitis et legitimatis,* nec non *legitimis* seu *adoptivis*, nisi gravis adsit causa. Lex enim iusta est, et in conscientia quidem obligans; sed rariores quosdam necessitatis casus non excludens, quibus aliter agendum ipsum filiorum et familiae bonum suadeat; quod etiam timoratorum praxi confirmatur. — L. 215. 740. 947. 950., La-Croix P. 3. l. 2. n. 1173., Gousset 794.

Nullum sane dubium est, quod possint parentes, attentis civilibus legibus, *manualia dona* praesertim remuneratoria filiis facere; si enim haec

non prohibentur pro amicis, neque pro coniunctis prohibentur, aut pro piis causis. Possunt praeterea etiam, iisdem personis, maioris momenti dona efficere, si ex meris reditibus fiant; quia horum sunt pleni et liberi domini, neque, ipsis civilibus legibus, tenentur patrimonium reditibus augere. Tandem, si iusta et proportionata gravis adsit causa, possunt etiam, si legitima filiorum non laedatur, donationem efficere ex iis quoque, quae patrimonium constituunt. Ratio est 1.° quia lex casus spectat ordinarios, non extraordinarios, in quibus ipsum familiae bonum et bonum commune aliud expostulant. Ratio 2.° est, quia lex, *legitimam* determinans, hanc dat parentibus facultatem, ut de reliquis bonis libere disponant pro aliis. Si ergo pater ea aliis extraneis relinquere potest, donare potest etiam ipsis filiis, si rationabilis adsit causa ita agendi. Non enim supponi potest, quod lex deneget pro filiis eam facultatem, quam dat pro extraneis. Ratio 3.° est, quia lex successionis bona proprie respicit, quae pater decedens relinquit; dummodo igitur *legitima* non laedatur, potest quidem reliqua, *donatione* saltem *inter vivos*, dare. Illud vero notandum est, quod habet Lugo D. 23. n. 147., nempe « parentes, si *inofficiose* donaverint, h. e. in praeiudicium *legitimae* filiorum, eorum donationes revocari possunt a filiis. Non tamen est *invalida* donatio, sed *irritari potest* ». Idque valet etiam in Iure Italico et Gallico; non enim in utroque hoc Iure dicitur quod *est irrita*, sed quod *erit irrita*. C. I. 821., C. G. 920. — L. 740. 950.

III. — OBLIGATIONES CONIUGUM

674. *Quotuplex inter coniuges iurium et obligationum genus?* — Matrimonium est viri et mulieris coniunctio, individuam vitae consuetudinem continens. Inst. l. 1. t. 9. § 1. Unde triplex ex matrimonio iurium et obligationum genus promanat, quoad *personas*, quoad *bona*, quoad *corpus*. De iuribus et obligationibus utriusque coniugis *quoad corpus* in Tr. de Matr. dicendum erit. Quare hic de aliis tantum dicemus. — C. A. 89.

675. *Quaenam sint iura et obligationes coniugum quoad personas?* — Caput uxoris est vir, adeoque uxor sub viri potestate est, in iis quae ad matrimonium, i. e. quae ad individuam vitae consuetudinem pertinent. Ad Eph. 5., 22. seqq., C. A. 91. Quare uxor sine consensu viri, nequit obligari *voto*, S. Th. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3., L. l. 3. n. 234.; nequit regulariter obligari *contractu;* nequit sine consensu viri *peregrinari*, et *viri domicilium* regulariter *sequi debet*, C. I. 131. 134. 135., C. G. 214. 217. 220. 221. 222., C. H. 58., C. A. 91. 92.; licet sine causa, Sanch. de Matr. l. 1. D. 41. n. 2.; dummodo uxor possit eum sequi sine gravi seu animae, seu corporis detrimento. — C. *Pervenit* 1. *de Coni. lepr.*, Sanch. n. 4., L. 351., l. 6. n. 977., S. Th. S. q. 64. a. 6. ad 1., Quodl. 4. a. 11. Cf. V. 2. n. 1052.

Viro quidem *reverentiam, obsequium* et *obedientiam* praestare debet uxor, in iis quae spectant ad domus gubernationem et bonos mores; sed eius socia, non famula est. L. 351., Sanch. de Matr. l. 6. D. 6. n. 14. Quare, si ipsa est dives, aut nobilis non cogitur praestare viro, quae suae dignitatis non sunt, v. g., coquere cibos, verrere domum, etc. L. 352. Si tamen viro non obediat *in re gravi*, graviter peccat, et viro modica quaedam coercitio permittitur, L. 356., l. 6. n. 972. — C. I. 131., C. G. 213., C. H. 57.

Vir vicissim *amare* et *tueri* debet uxorem, ad Eph. 5., 25., C. I. 132., C. H. 57., C. G. 213., eam *alere, cum ea habitare;* adeoque *diu* ipsi abesse non licet, nisi ex gravi causa, Gen. 2., 24., C. 1. *de Coni. lepr.*, C. I. 130. 132., C. G. 212. 214., et ne peregrinationem quidem longam inire, muliere invita, C. 8. *de Voto.* Licet autem uxori virum sequi, si possit citra incommodum illius gravi, C. 9. § *In tanta de Voto.* Peccat vero graviter maritus, si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiat uxorem; si illam impediat circa praecepta Dei vel Ecclesiae sine iusta causa, si graviter caedat uxorem, si gubernationem domus et rem familiarem negligat. L. 356. — Sanch. de Matr. l. 9. D. 5. n. 17.

In his, quae pertinent ad mutuum vitae adiutorium, paris iuris sunt vir et uxor, cum matrimonium mutui adiutorii causa ineatur. Hinc mutuo sibi debent *fidelitatem, assistentiam, subsidium,* C. I. 130., C. G. 212., C. H. 56., C. A. 90., ac si quid adversi alteri acciderit particeps alter esse debet. Quare mulier virum alio migrantem valetudinis causa, vel in poenam, et vir mulierem sequi debet, L. 353., l. 6. n. 957. 977., et alter alteri egenti, etiam in exilium acto sua culpa, vel carceri incluso, immo et ab eo separato, dummodo non sua culpa, si facultates habeat, alimenta debet praestare, et vir alere debet uxorem, etsi indotatam duxerit, vel dos casu perierit. C. I. 132. 133. 142., C. G. 214., Sanch. de Matr. l. 9., D. 4. n. 20., D. 5. n. 8. 14.

Neutri fas est, altero invito, *religionem ingredi,* C. un. Extr. *de Voto;* et qui transit, coniuge invito, ad religionem, revocari potest, C. 3. 12. *de Conv. coni.;* nec viro, uxore invita, ordines, immo nec tonsuram fas est accipere, C. 4. *de Temp. ord.* in 6.°, praeterquam si ab ea iuste et ex iure quoad habitationem diverterit. L. l. n. 969.

676. *Nota:* Possunt filii et uxor accipere alimenta a debitis gravato qui non est solvendo, cum ipse ad eos alendos ex iustitia teneatur; neque minus eos alere teneatur, quam alia solvere debita. Immo id possunt, etiamsi paterfamilias alia contrahat debita, modo tamen isti non habeant aliunde sustentationem. «Nequit tamen uxor uti ad sustentationem familiae pecuniis a viro datis ad solvenda debita, nisi in casu, quo familia graviter egeret; tunc enim huic prius vir succurrere tenetur, ideoque uxor tunc utitur iure suo. Ita Laym., qui addit mercedes operariorum ad necessarios usus debitoris praeferendas esse etiam creditoribus hypothecariis». L. 695.

677. *Quaenam sint iura et obligationes coniugum circa bona?* — Si Ius naturale inspiciatur, maritalis societas non impedit, quominus et maritus et uxor retineant proprietatem, usumfructum et administrationem etiam bonorum, quae habebant ante matrimonium, et quae acquirunt durante matrimonio. Concurrere tamen debent ad expensas ob communia onera necessario sustinendas. Convenit autem, ut maritus vel omnem habeat bonorum administrationem, vel uxorem certe coadiuvet, quantum necesse est ad eius imbecillitatem supplendam. — Si vero Ius positivum inspiciatur, amplior est hac in re mariti potestas. Hinc varia Iure positivo distinguuntur bona uxoris. — S. Th. 2. 2. q. 57. a. 4.

Ex Iure Romanò: Bona uxoris alia sunt *dotalia,* quorum fructibus vir gaudet ad onera matrimonii sustinenda; alia sunt *paraphernalia,* nempe *praeter dotem,* quae uxor habet praeter dotem, et quae sibi specialiter

reservat; alia *communia*, quae pactis coniugum aut determinatione legis in societatem quandam conferuntur. — Possunt coniuges ante ineundum matrimonium determinare quibus conditionibus subiicienda sint ipsorum bona, servatis quibusdam legis statutis. Si haec facere omiserint lex supplebit.

Uxor habet dominium directum *suae dotis*, maritus vero usumfructum et administrationem. Mortuo viro, omnibus creditoribus mariti personalibus praefertur, et etiam in vita dotem iuridice repetere potest, si timeat, ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si dos consistat in pecunia, aut in aliis usu consumptibililus, aut in rebus aestimatis traditis, dotis quidem plenum dominium viro tribuitur, sed cum obligatione valorem restituendi, translato pro uxore dominio in omnia bona mariti pro rata seu quota suae dotis. — Uxor habet plenum dominium et administrationem bonorum *paraphernalium*, ita ut de his maritus, ipsa nolente, nihil disponere valeat. Hinc quoad illa nullatenus uxor a marito dependet. — Proprietas et utilitas bonorum *communium* pertinent ad utrumque coniugem; sed administratio eorundem pertinet ad solum maritum. Haec autem communitas bonorum varias conditiones seu restrictiones admittere potest, et idcirco attendendum est ad varias locorum dispositiones. — Gur. 549., Elbel. 69., L. 489.

Ex Recentiori Iure: Distinguere in primis possumus bona *uxoris*, bona *mariti*, et bona *communia*.

Quoad bona uxoris, haec item sunt vel dotalia, vel extradotalia, seu paraphernalia. — *Dos* est pecunia marito data vel promissa matrimonii oneribus sustinendis. Bona autem quaecumque uxoris in dotem non constituta, ut *paraphernalia* habentur. C. I. 1388. 1425., C. G. 1540. 1574., C. A. 1218. — Ut sit *dos* necesse est: 1.° Ut *hoc nomine* expresse constituta fuerit, C. I. 1388., C. H. 1336. Quare dotalia non sunt, quae mulieri donantur contractu matrimonii, nisi aliud expresse cautum sit. Secus vero est ex C. G. 1541. Potest autem *dos* comprehendere bona omnia, etiam futura, C. I. 1389., C. G. 1542., C. A. 1218. 1227., C. H. 1336. 1337. — 2.° Ut *instrumentum* per notarium conficiatur, et, si dos ab ipsis coniugibus constituatur, *ante matrimonium*, C. I. 1382. 1391., C. G. 1394.; *post matrimonium* enim dos nec constitui, nec augeri ab ipsis potest. C. I. 1391., C. H. 1338., et ex C. G. 1543. neque ab aliis. Cf. C. A. 1225., C. H. 1344. — 3.° Ut *ex Iure Civili* initae sint nuptiae. L. 3. *de Iure dot.*, C. I. 93., C. G. 165., C. A. 44., C. H. 42.

Qui dotem constituit eam ex suis bonis praestare debet, etsi mulieri propria bona non desint, C. I. 1392. 1393. 1394. 1395., C. G. 1544. 1545. 1546., C. A. 1224., Cf. C. H. 1340. 1341., et evictionem praestat, C. I. 1396., C. G. 1547. Vir autem pro dote ad cautionem non tenetur, nisi ad eam conventione facta obligetur, aut adigatur per iudicis sententiam, si dos periculo exponatur, et dos ab eo fuerit constituta, qui dotatae, ea deficiente, alimenta praestare cogeretur. C. I. 1400., C. G. 1550., C. A. 1245. Cf. C. H. 1345. 1349. 1358.

Ea quae dotis causa dantur, alia transeunt in plenum viri dominium, alia non, et permanentem dotem constituunt. — *In plenum dominium* viri transeunt res, quae usu consumuntur, C. A. 1227.; res sive mobiles sive immobiles, quae ei *in solutum* dantur, C. I. 1403., C. G. 1553.; res mobiles, si aestimatae datae fuerint, C. I. 1401., C. G. 1551., non item immobiles,

nisi id palam fuerit expressum, C. I. 1402., C. G. 1551., C. A. 1228. Ex C. H. 1346., si nihil in contractu matrimonii determinetur, uxor servat dominium omnium suorum bonorum dotalium. Cf. C. A. 1227. 1228. — Eorum bonorum, quae *permanentem dotem* constituunt, dominium naturale et directum penes uxorem remanet, civile et utile transit in maritum. C. A. 1227. 1228. 1230. Quare, vi naturalis et directi dominii uxoris, dotis incrementum vel damnum uxoris erit. Vi civilis et utilis dominii mariti, vir habet bonorum dotalium administrationem et usumfructum; unde bona dotalia administrat quasi sua, pro ipsis in iudicio agit, C. I. 1339., C. G. 1549., C. H. 1357. 1360., et omnia quae fructuum nomine continentur sua sunt ab inito matrimonio, C. I. 1399., C. G. 1549., C. A. 1227.; et si pecunia numerata promissa fuit, usurae ipso iure ei debentur, licet dilatio solutioni stipulata fuerit, C. I. 1397., C. G. 1548. Verum maritus debet eam diligentiam praestare in rebus dotalibus administrandis, quam in suis rebus praestat, et omnes implere debet usufructuarii obligationes, C. I. 1408., C. G. 1562., *fructus* autem ad alendam familiam adhibere tenetur, ideo enim *fructus* ipsi assignantur, scilicet ad ferenda onera matrimonialia. — Potest mulier *officio iudicis* separationem bonorum dotalium obtinère, si dos in periculo sit, vel res viri in malum vergant, vel ab ipso sit iudicialiter separata, C. I. 1418., C. G. 1563., qua impetrata, ipsa, loco mariti, dotalia bona administrat, C. I. 1424., C. G. 1449., C. H. 225. 1365., sed domesticis necessitatibus et filiorum institutioni simul cum marito providere debet, C. I. 1423., C. G. 1448. Cf. C. A. 1241. 1263. — Constitui potest in contractu matrimonii, 1.° quod uxor singulis annis recipiat partem fructuum pro minutis expensis, C. I. 1399., C. G. 1549.; 2.° quod coniux superstes super dote lucrum aliquod percipiat, salva filiorum legitima, C. I. 1398. — L. l. 3. n. 539.

Bona dotalia regulariter, constante matrimonio, alienari non possunt, et facta alienatio revocari poterit ab ipso etiam marito, qui alienationi consensit, C. I. 1407., C. G. 1560. — *Bona dotalia*, nempe *omnia* ex C. I. 1405., *immobilia* tantum ex C. G. 1554. — *Regulariter*, alienari enim possunt ex gravi necessitatis vel utilitatis causa, ex tribunalis decreto et utriusque coniugis consensu, C. I. 1405., C. G. 1558., C. H. 1358. seqq.; vel si alienatio permissa fuerit in ipso matrimonii contractu, C. I. 1404., C. G. 1557. — *Alienari non possunt* ob quamvis causam ex C. I. 1405., nihil distinguente, excepta causa filii alicuius collocandi ex C. G. 1556. Alienatio vero comprehendit etiam permutationes, servitutes, hypothecas, C. I. 1404. 1405., Cf. C. G. 1554. 1559. — *Constante matrimonio*, quare etiam post separationem ex C. I. 1405., Cf. C. G. 1449. Si vero constante matrimonio, mulier aes alienum, vel quamlibet obligationem *legitime* contraxit, post solutum matrimonium bona etiam dotalia creditoribus obligantur ex C. I. 1407., secus vero ex C. G. 1558. 1560. Cf. C. A. 1260.

Solutio matrimonio, dos cessat, et restituenda est. — Dos uxori restituenda est, vel eius haeredibus. C. A. 1229., C. H. 1365. Res quarum dominium civile et utile tantum penes maritum erat, in propria specie sunt *statim* restituendae, ut tunc sunt, C. I. 1409. 1411. 1412., C. G. 1564. 1566., 1567., C. H. 1367., et si culpa mariti deteriores factae sint, detrimentum ipsi aestimatur, C. I. 1408., C. G. 1562., C. H. 1360. 1375. — Rerum vero, quarum plenum dominium habuit maritus, pretium tantum est *infra annum* restituendum, C. I. 1401. 1410., C. G. 1551. 1565., C. H. 1347. 1366. 1370. Ex

his potest mulier sibi retinere lintea et quae ad ordinarium ipsius usum sunt necessaria, eorum actuali pretio detracto, si eorundem facta aestimatione, data ipsa primum fuere, C. I. 1411., C. G. 1566. Cf. C. H. 1374. — Restituendi praeterea sunt fructus ultimi anni matrimonii, pro rata temporis. Annus a die celebrati matrimonii anniversaria computatur. Sed potest vidua pro suo arbitrio vel hos fructus exigere, vel alimenta toto luctus anno. Ipsi praeterea debenter hoc anno habitatio et vestes luctus, C. I. 1415. 1416., C. G. 1570. 1571.; vestes tantum luctus, C. H. 1379. Cf. C. A. 1242. 1243. — Tandem soluto matrimonio, lucra etiam seu *incrementa dotalia* coniugi superstiti debentur ex bonis defuncti, si de eis pactum in matrimonii contractu adfuerit. C. I. 1398.

Bona paraphernalia seu extradotalia ea sunt, quae extra dotem uxor sibi reservat. C. H. 1381. — Haec *pleno iure sunt uxoris,* adeoque ea administrat eorumque usufructu potitur, C. I. 1427., C. G. 1576., C. H. 1382. Non potest tamen immobilia alienare, neque pro eis in iudicio se sistere sine expressso mariti consensu, aut renitente marito, sine sententia tribunalis. C. I. 134. 136., C. G. 215. 217. 1576. 1538., C. H. 1387. Cf. C. A. 91. Quod idem dicendum est ex C. G. 1536. si uxor in bonis sit prorsus separata. Si vero maritus ea administrat *ex* mandato uxoris *expresso vel tacito* et fructus percipit, fructus tantum restituere debet, qui tunc sunt, cum mulier petit, aut moritur; omnes vero fructus quos percepit restituere debet, si apposita fuerit mandato conditio, ut redderet rationes fructuum, vel si mulier saltem extraiudiciali actu se opposuerit. C. I. 1427. seqq., C. G. 1576. seqq. Verum ex C. H. 1384. 1389. seqq. si paraphernalia bona ab uxore marito administranda tradantur, dotalibus bonis tunc aequiparantur, quorum dominium penes uxorem permanet. Ex C. A. 1238. 1239. nisi uxor se opponat, iuris praesumptione censetur marito tanquam legitimo procuratori concredita administratio liberi patrimonii uxoris. Ipse vero respondet tantum de rei substantia seu de capitali; sed non tenetur dare rationem fructuum perceptorum, nisi id convenerit expresse. — Ad bona paraphernalia spectant, et uxoris sunt ea bona, quae, durante matrimonio, ex suis bonis, vel ex sua singulari industria, vel ex suo extraordinario labore acquirit, praesertim si mercaturam suo nomine exercet, vel etiam aliquid subtrahendo de sibi concessis ad victum, vestitum, recreationem, etc., tum etiam ea, quae ipsi data fuerint cum expressa conditione, ut viro non cedant. C. A. 1237. — L. l. 3. n. 541.

Quoad bona mariti. — Nullum bonorum mariti dominium uxor habet. Verum, cum uxor socia sit viri, et vir uxorem alere debeat pro sua conditione, uxor sumere sibi potest ea, quae sibi hac de causa sunt necessaria. Lugo de Iust. et Iur. D. 16. n. 72., Less. de Iust. et Iur. l. 2. c. 12. n. 85., ac si ex consuetudine regionis receptum est, ut uxor aliquid impendat ex bonis viri, hoc etiam efficere potest, Lugo l. c. Quare potest uxor sumere non solum ea, quae corpori sunt necessaria, sed etiam quae ad animum levandum et ad sui status decentiam pertinent, Lugo l. c. n. 68. 70. Neque vero id potest *pro se* tantum, sed etiam *pro filiis* ex eo matrimonio susceptis, *pro utilitate familiae,* vel ad aliquod eius damnum removendum, idque invito etiam viro. Quare potest res viro prodigo subtrahere, ad ea pro familia in posterum reservanda, vel viro avaro ad moderatas eleemosynas faciendas. Lugo l. c. n. 65., Less. l. c. n. 85. Ex ipsa natura societatis coniugalis uxor *administrationem* habet *rerum domesticarum,* penus, su-

pellectilis, etc., Lugo l. c. n. 64., Less. l. c. n. 85. — Ex C. I. 1432., si uxor bona mariti administravit, eidem iuri, quo ipse in administratione bonorum paraphernalium uxoris, subiicitur. Viro autem absente vel furioso, uxor eius bona administrat, eaque expendere potest, secundum vires patrimonii, pro sustentatione et dignitate servanda familiae, licet forte vir, si praesens vel compos sui esset, non fuisset expensurus. — Ex C. H. 1442. 1444., uxor omnia matrimonii bona administrans, easdem habet facultates et obligationes, ac quando maritus ea administrat. Immobilia tamen alienare et gravare non potest. — Lugo l. c. n. 16. 70., Less. n. 12. 86., L. 541.

Quoad bona communia. — Ex C. I. 1433. 1435. 1436. 1438. 1439. 1441. in ipso matrimoniali contractu, quamvis *dos* fuerit constituta, possunt sponsi una simul inire *societatem universalem*, non quidem bonorum, sed *fructuum* ex ipsis bonis sive mobilibus sive immobilibus, sive praesentibus, sive futuris provenientium. Non potest tamen haec societas comprehendere debita et credita ante coniugium existentia, neque quae postea deferuntur titulo successionis vel dotationis, ipsa communione durante. — *Effectus* huius communionis est *communia* et divisibilia *reddere ea quae* a coniugibus unitim vel separatim *acquiruntur durante communione*, sive communi industria, sive parsimonia facta super fructibus vel introitibus coniugum, detractis semper debitis ipsius communionis. — Bona in communi posita *administrantur* a marito, qui si ea locat, leges observare debet constitutas pro locatione, quae fit ab usufructuario. — Cessat autem *societas* per mortem alterutrius coniugis, per declaratam unius absentiam, per definitivam separationem personarum, per separationem iudicialem bonorum.

Ex C. H., *deficiente contractu* super bonis, quo separationem etiam bonorum possunt inter se constituere, matrimonium censetur initum sub regimine *societatis legalis lucrorum*, 1315. 1432. Si vero societas haec excludatur, quin exprimantur regulae, quibus bona regantur, servatur tunc *regimen dotale*, et nihilominus percipit maritus fructus omnes *societatis lucrorum*, perinde ac si ea exsisteret, 1364.

Iam vero *societate lucrorum* maritus et uxor sua faciunt, dimidia parte, dissoluto matrimonio, lucra et beneficia indistinte obtenta a quovis ex coniugibus, durante matrimonio, 1392. — Lege ipsa determinantur bona uniuscuiusque coniugis propria, et communia lucra, 1396. seqq. 1401. seqq., necnon onera et obligationes huius societatis, 1408. seqq. — Maritus secundum statutas leges societatem *administrat*, 59. 1412. seqq., qui moderatas donationes pietatis et beneficientiae causa facere potest; usumfructum vero sibi reservare non potest, 1415. — *Solvitur societas* per matrimonii dissolutionem, per alterutrius coniugis absentiam, per separationem personarum vel bonorum, 1417. 1433. — Soluta societate, confecto inventario, et restitutis bonis dotalibus ac paraphernalibus, nec non satisfactis aliis societatis oneribus, *quod reliquum est dividitur aeque* inter maritum et uxorem, vel eorum respectivos haeredes, 1418. seqq. Cf. ib. 1435. 1436.

Ex C. G. 1393. 1400. 1401. 1402. 1482., etc., etiamsi coniuges non statuant quaedam bona fore *communia*, si tamen quodvis aliud pactum desit, locum habet vi legis *Communio legalis*. Pacta enim, quae a coniugibus ante matrimonium iniri possunt, tres classes, seu regimen triplex constituunt, scilicet regimen *dotale*, de quo iam dictum est, regimen *communitatis* et regimen *excludens communitatem*. — Porro *Communitas* est

vel *legalis* vel *conventionalis*, prout lege vel pacto speciali contrahentium constituitur.

Communitas legalis coalescit 1.° *ex omnibus bonis mobilibus*, quae coniuges possidebant ipso initi matrimonii die, vel quae ipsis deinde titulo succesionis vel donationis adveniunt; 2°. *ex omnibus fructibus et quibuscumque reditibus* bonorum immobilium possessorum a sponsis ante matrimonium, vel ipsis, durante matrimonio, advenientium; 3.° *ex omnibus bonis immobilibus,* quae *ex bonis communibus* tempore matrimonii acquisita fuerint. — *Communitas conventionalis* consistit in aliis pactis sponsorum, quibus statuta legalia restringi vel relaxari possunt. His deficientibus, sola legis dispositione communitas regitur. — Sub regimine *communitatis* solus maritus *administrationem et usumfructum* habet bonorum communium. Immo potest ea vendere, commutare, in hypothecam tradere, etiam sine uxoris consensu. Non tamen potest donare titulo gratuito immobilia, neque mobilia titulo universali, seu quoad eorum universitatem, vel quotitatem seu dimidiam tertiam vel quartam partem. — *Dissoluta* autem *communitate,* bona et onera *in duas partes dividuntur,* nisi uxor aut illius haeredes bonis renuntiare, et ita ab oneribus se eximere maluerint. Debita ab utroque coniuge, vel ab eorum haeredibus solvenda sunt.

Regimen excludens communitatem duplici modo a sponsis constitui potest, scilicet 1.° declarando se inire matrimonium *sine communitate;* 2.° statuendo, se quoad bona quemque sua fore *omnino separatos. In priori casu* vir percipit omnes reditus bonorum uxoris et solus omnia administrat. Sed si usu consumantur, illorum valorem reddere tenetur. *In casu* vero *posteriori* mulier habet omnium suorum bonorum administrationem et usumfructum. Uterque autem sponsus ad onera matrimonii speciali pacto concurrit; si vero nulla conventio exsistat, uxor usque ad tertiam partem redituum suorum concurrere debet. Quocirca in tertio hoc regimine, quemadmodum et in secundo, *dos quaedam* ab uxore tribuenda est, qua oneribus matrimonii ex parte subveniat; verum dos eiusmodi a viro alienari potest. — Cf. 868. 1237.

Ex C. A. 1233. 1234. *Ad communionem bonorum* inter coniuges requiritur specialis contractus. Ea vero intelligitur tantum pro casu mortis, et coniugi dat ius ad dimidiam partem bonorum in communione constitutorum, quae remaneant post alterius coniugis mortem. Cf. art. 1262. 1266.

Praeter haec, tum a viro tum ab uxore ea omnia pacta servanda sunt, quae in contractu matrimonii vel tacite inita sunt, secundum leges proprias regionis, vel expresse privata voluntate constituta. C. I. 1338., C. A. 1217., C. G. 1387., C. H. 1315.

678. *Quid possit uxor quoad varios contractus ineundos?* — Non potest uxor, sine viri consensu et auctoritate, res suas immobiles donare, alienare, hypothecae subiicere, mutuum contrahere, cedere vel exigere capitalia, fideiubere, transigere vel in iudicio de his actibus agere, C. I. 134., Cf. C. G. 215. 217., C. A. 91., nec alterius negotia gerenda suscipere, C. I. 1743., Cf. C. G. 1990. — Nullo vero indiget viri aut alterius consensu seu auctoritate mulier, viro minore, interdicto, absente, vel poenam anno longiorem expiante, vel absente, vel quando iuridice sit separata ex culpa mariti, vel quando mercaturam exerceat, C. I. 135. Cf. C. G. 220.-222. — Qui cum uxore contrahit, sine viri consensu et auctoritate, cum ea opus

sit, uxori obligatur tum civiliter tum naturaliter, illi vero uxor pariter obligatur. At uxori, eiusque haeredibus, nec non viro, constante matrimonio, datur *in integrum restitutio;* nisi probetur, quod uxori solutum est, eidem in commodum et utilitatem cessisse. C. I. 134. 137. 1107. 1300., C. G. 217. 225. 1304. 1312. Ex C. H. 1304. uxor ad restituendam rem contractu acceptam, eo rescisso, non tenetur, nisi eadem ditior evaserit. Cf. etiam art. 1163.

679. *An uxor pro viro fideiubere aliquando possit?* — R. Affirmative, ut domesticis nempe necessitatibus consulat. Secus vero negative. Ita communiter. Ratio est, quia illud aliquando exigitur ab ipso familiae bono, hoc vero ab hoc eodem bono excluditur. Unde sequitur teneri uxorem ad solvenda debita *legitime* a marito contracta nomine uxoris, ipsa sciente et consentiente, propter bonum et commodum ipsius familiae. L. 354. Cf. C. I. 1405., C. G. 1558.

680. *Quid iuris sit, si vir et mulier irritum matrimonium contraxerint?* — *Si uterque conscius* erat nullitatis, nullum quidem est matrimonium, et nullum inde ius ex positivo iure praetendi potest sive quoad *dotem* uxoris, sive quoad *legitimitatem* et *successionem* haereditariam filiorum, C. 10. *Qui fil. sint legit.*, C. I. 116., C. G. 202., C. A. 160. — *Si uterque inscius* erat nullitatis, matrimonium perinde est ac si validum revera sit, unde iura ex eo fluunt quasi veri matrimonii, C. 2. 8. 14. *Qui fil.* etc., C. I. 116., C. G. 201., C. A. 160., L. 1. 7. n. 425. — *Si alter conscius, alter inscius* nullitatis erat, civilia iura coniugi soli constant, qui in bona fide contraxit, filii vero quoad utrumque legitimi sunt. C. 14. *Qui fil.*, C. ult. § *Si quis* l. *de Cland. desp.*, C. I. 116., C. G. 202., C. A. 160. Cf. art. 1265. 1266. — Schmalz. l. 4. t. 17. n. 13. 18. 57., Lugo D. 24. n. 8., Cf. 223.

IV. — COGNATORUM ET TUTORUM OBLIGATIONES

681. 1.° *Quaenam sint aliorum cognatorum obligationes?* — *Quoad alios cognatos, ascendentes et descendentes,* eaedem sunt generatim obligationes cum debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa; isti enim omnes, ratione generationis aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo invicem ligantur, praesertim si, parentibus deficientibus, ascendentes nepotum curam suscipiant. Hanc autem curam suscipere debere docent communiter thth. in defectu parentum et tutorum, quamdiu isti sunt minorennes, et quantum illi commode possunt. Ceteris paribus, avus paternus tenetur istam suscipere curam prae avo materno, ut dd. communiter docent. — *Quoad fratres et sorores,* hi debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut ceteri homines, sed peculiari dilectione ob arctum sanguinis vinculum. Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitae, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. L. 340. — *Religui consanguinei et collaterales* tenentur pariter sibi invicem praestare amorem et auxilium in necessitate, iuxta ordinem graduum consanguinitatis. Ratio est, quia sanguinis coniunctio et descensus ab eodem stipite et principio vitae hanc inducit specialem pietatis obligationem. Unde in defectu parentum, vel quasi parentum, et

ascendentium, consanguinei collaterales etiam succedunt in obligatione praebendi alimenta egenti in ordinaria necessitate, et mendicitate, si possunt, vel nisi alii adsint, qui similem necessitatem liberaliter velint sublevare. Struggl 20.

682. *Quid de alimentis praestandis quoad varios consanguineos et affines?* — *Ad alimenta praestanda primo loco* obligatur coniux, *secundo* descendentes, *tertio* ascendentes, *quarto* gener et nurus, *quinto* socer et socrus, C. I. 132. 138.-142., C. G. 203. 205.-207. 212., *denique* fratres et sorores; quae quidem obligatio *reciproca* est, C. I. 140., C. G. 207. Cf. C. H. 143. seqq.

Ascendentes tenentur ordine proximitatis, C. I. 138., C. H. 144. *Descendentes* autem tenentur eo ordine, quo ad legitimam successionem vocarentur personae egentis, C. I. 142., C. H. 144. — *Fratribus et sororibus* alimenta debentur, si sint in admodum gravi necessitate, C. I. 141., C. H. 143. Illis in locis, in quibus lex civilis non obligat fratres et sorores ad alimenta praestanda fratribus et sororibus, urget tamen graviter naturalis caritas et pietas, si fratres vel sorores sint in *gravi necessitate* constituti. — *Quoad alios* autem *consanguineos* remotiores, praeter fratres, si in gravi versentur necessitate, obligatio adhuc adest, quamvis levis, « cum erga ipsos etiam adsit aliqua, licet non ita stricta obligatio pietatis ». L. 339., l. 3. n. 946., Lugo de Iust. et Iur. D. 24. n. 175. — *Socrus et nurus* alimenta amittunt, si ad alias transeant nuptias, aut mortem obierit coniux, ex quo orta est affinitas, nullis relictis descendentibus, C. I. 140., C. G. 206. — Parentes filiis alimenta denegare non possunt, quia ipsis invitis nuptias cum indignis contraxerint. L. l. 3. n. 337. 949. « Dicunt Sanchez, etc. quod pater tenetur alimenta praestare non tantum filio, sed etiam uxori illius, quamvis eam duxerit sine dote, et contra ipsius patris voluntatem. Praeterea tenent Azor, etc., quod pater debet filium alere, etiamsi filius consummasset vitiose portionem iam prius sibi traditam ». L. 336. 337. « Certum est autem, quod parentes tenentur alimenta praestare filiis, etiam spuriis, et adhuc ex damnato coitu natis, si isti nequeant aliunde sustentari ». L. 951. — Neque vero generatim licet alimenta denegare eo quod is qui ea petit ad egestatem sua culpa devenit, praeterquam fratribus et sororibus exC. I. 141.

Quantum autem praestari debet ex necessitate petentis et ex facultatibus dantis aestimandum est, C. I. 143., C. G. 208., C. H. 146. *Alimenta* complectuntur victum, vestitum, habitationem, aliasque res ad vitam necessarias, et, secundum circumstantias, instructionem personae convenientem, C. I. 846, C. H. 142. Optio vero datur, vel domi egentem recipiendi, vel ei pensionem suppeditandi, nisi aliud iudex constituerit, C. I. 145., C. G. 210., C. H. 149. Quia vero haec obligatio praestandi alimenta *ex caritate et pietate* est, non *ex iustitia*, qui ea non praestat, non tenetur ad restitutionem; neque erga haeredes mortui, qui ius ad ea habebat, obligatur, C. I. 144. 146., C. G. 209., C. H. 148. 150. 151. secus est ex C. A. 171. — L. 339. 356. 946. 949. 951.

683. *Quid de damnis reparandis?* — Quaestio generatim movetur: *An superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?* — R. Affirmative, in *foro externo,* secundum varias leges, in variis regionibus vigentes. Cf. C. I. 1153., C. G. 1384., C. H. 1903., in quibus fit expressa mentio: 1.° De patre, et, eo defuncto, de matre relate ad filios minores

cum ipsis habitantes; et in C. I. ac in C. H. de tutoribus relate ad eos, quorum sunt administratores, cum ipsis item habitantes. 2.° De hero et de mandante relate ad famulos et ad mandatarios in exercitio functionum, ad quas eos ipsi destinarunt. 3.° De institutore et artifice relate ad alumnos, durante tempore, quo sunt sub eorum vigilantia. — De marito vero relate ad uxorem nihil statuitur. — Eiusmodi autem obligatio sive in parentibus, sive in tutoribus, sive in heris et mandantibus, sive in praeceptoribus et artificibus cessat, ex utroque Iure I. et G., quoties probent, non potuisse impedire factum, de quo secus respondere deberent, vel, ex C. H. debitam adhibuisse diligentiam.

Negative in *foro interno.* Ratio est, quia qualitas superioris infert tantum onus recte subditos gubernandi; minime vero obligationem *ex debito iustitiae* damna suorum subditorum, et multo minus aliorum non subditorum impediendi; nisi vel *ex speciali contractu,* vel *ex speciali officio* ea impedire debeat. — Instit. l. 1. t. 7., l. 4. t. 5. 8., Dig. l. 47. t. 5., C. A. 1308. 1309. 1314. 1316.

684. *Quid tutor et curator?* — Iis, qui se suaque *tueri* nequeunt, si non sint sub patria potestate, datur *tutor* aut *curator.* C. A. 187. — *Tutor* et *curator* differunt inter se 1.° quia tutor datur principaliter personae, secundario rebus. Curator autem vel rebus tantum, vel principaliter rebus, et non nisi secundario personae, saltem regulariter loquendo. C. A. 188. 209. 2.° Differunt, quia *tutor* certae rei et causae dari non potest. Curator vero dari potest certis rebus et determinatis causis. Et sic C. I. 980. curator *haereditati iacenti* assignatur; C. A. 274. 690. curator datur futurae prolis nasciturae haereditati, et haereditati quum integram legata gravant et haeres renuit administrare. 3.° Differunt ex Iure Communi, quia tutor regulariter datur *pupillo* seu impuberi, eique qui impuberi comparatur. Curator vero datur *minori* seu puberi usque ad 25.um aetatis annum. Inst. l. 1. t. 13. 23., Ferraris v. *Tutela* 10. seqq. — Ex Recentiore Iure tutor datur *minori* non emancipato, et *interdicto* bonorum administratione. Curator vero datur filio mox nascituro; minori ad haereditatem vocato; minori emancipato; maiori inhabili renunciato ob mentis infirmitatem, vel prodigalitatem; surdo muto, vel caeco a nativitate. C. I. 236. 241. 245. 247. 314. 315. 329. 339. 340., C. G. 389. 393. 405. 482. 505. 513. — Ex C. H. 199. 200. nulla habetur distinctio inter *tutorem* et *curatorem* quoad nomen; sed quoad rem servatur. Tutor enim datur tum personae et bonis, tum tantum bonis. Tutelae obnoxii sunt minores non emancipati, amentes, surdimuti, prodigi, interdicti. — Idem fere habetur C. A. 187. 188. 273. 275. — In qualibet autem tutela *protutor* est etiam eligendus, cuius est vices tutoris supplere. C. I. 265., C. G. 420., C. H. 201. 234. Cf. C. A. 211. 215. — L. 917.

685. *Quinam tutorem designent; quinam tutores esse possint?* — R. ad 1.um Tutorem dare possunt: *Parens,* qui postremus moritur, sive per testamentum, sive per publicum instrumentum, C. I. 242., Cf. C. A. 196. 197., C. H. 206.; *Consilium familiae,* si parens non designavit, et desint ii, quos lex designat, C. I. 245., Cf. C. A. 198. 199., C. H. 204. 211. 212. 231.; *Consilium tutelae et iudex* in certis casibus, C. I. 248. 261. 262., C. A. 189. 190. 199. 204.

Ad 2.um Cum minorum tutela sit officium publicum, pluribus curis refertum, neque omnes eam *assumere,* neque omnes eam *respuere* possunt

vel debent. C. I. 268. seqq., C. G. 427. seqq., C. H. 202. 203. 237. seqq. 244. seqq., C. A. 191. seqq. 201. — Inst. l. 1. t. 14.-20. 25. 26.

686. *Quaenam sint tutoris et curatoris officia?* — Tutor habet *curam personae minoris,* eiusque educationis, et eum repraesentat in actibus civilibus, *eiusque bona* mere *administrat.* C. I. 277. 298. 318., C. G. 450. 457. 481., C. H. 261. seqq., C. A. 188. 205. 216. 243. Hinc administrationis fines excedere non potest. C. I. 296. seqq. 301., C. G. 457. seqq. 482., C. A. 233. 484., C. H. 269. 275. — Curator assistentiam et auctoritatem praebet ei, qui sub eius cura est. C. I. 318. 339. 342. — Tutoris ergo et curatoris potestas certis limitibus coarctatur, et in quavis re gravioris momenti a Consilio familiae et etiam a tribunalis decreto dependens est. C. I. 296. 297. 301., C. G. 457. 467., C. H. 269. seqq. 293. seqq., C. A. 216. 233. — Quare sive tutor sive curator magnam in proprio officio *fidelitatem* adhibere tenentur, tanquam bonus paterfamilias, et si graviter in eo implendo delinquant peccant graviter, etiam *contra iustitiam* vi quasi-contractus, et ad damnorum compensationem tenentur. C. I. 277. 302., C. G. 450. 469., C. A. 202. 204. 228. 264. 265., L. 341. 917. 918. — Tutor, nisi sit avus paternus aut maternus, cautionem dare debet, a qua tamen potest eum dispensare Consilium familiae. C. I. 292., Cf. C. H. 252. seqq. Ex C. A. 237. tutor ad cautionem non obligatur. Debet insuper *ab initio tutelae* inventarium conficere bonorum minoris, C. I. 281., C. G. 451., C. A. 222. 223. 224., C. H. 264. — Singulis annis, *dum tutela durat,* nisi sit avus paternus aut maternus, statum suae administrationis exhibere debet Consilio familiae, C. I. 303., vel subrogato tutori, C. G. 470., vel iudici pupillari, C. A. 238. 239. Cf. C. H. 279. seqq. — *Exacta tutela,* tenetur item rationem suae administrationis reddere, C. I. 302., C. G. 469., C. H. 281., et de minus solerti administratione tenetur, nisi legitima praescriptione liberetur. C. I. 309., C. G. 475., C. H. 287. — Inst. l. 1. t. 21.

687. *Nota:* Tutor, vel pro-tutor, *minoris* bona *emere vel conducere* non potest, neque *acceptare potest cessionem* iurium *minoris.* Nulla conventio fieri potest inter tutorem et minorem, neque ulla testamentaria dispositio illi utilis esse potest, ante redditam et approbatam rationem tutelae. — Ius tamen ad convenientem officii sui remunerationem habet. — C. I. 300. 307. 769. 1457., C. G. 156. 450. 472. 907., C. H. 269. 270. 275. 276. 285. 753., C. A. 266. 271., L. 917.

688. *Resolves:* Tutor vel curator non potest *donationes vel remissiones gratiosas* facere de bonis pupilli; non ad destruendum, sed ad tuendum est constitutus. Excipe donationem remuneratoriam; sic enim potest, v. g., stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere ex liberali donatione. Lugo D. 23. S. 10., L. 341., C. H. 275.

689. *Quaenam sint minoris obligationes?* — Tutor loco patris est. Hinc officia *minoris* erga ipsum similia sunt illis, quae ipsi patri deberentur. Minor vero est obligatio *minoris* erga curatorem; cui tamen quoad bonorum administrationem et subesse debet, et gratum gerere animum. *Minor* vero sive erga curatorem, sive erga tutorem non tam stricte ad amorem, ad reverentiam et obedientiam ac erga parentes obligatur. Longe enim minor est eius ab ipsis dependentia ac a parentibus. — C. I. 280., C. H. 263, C. A. 217.

690. *Quinam sit tutoris et curatoris actuum valor?* — Illa, quae secundum leges fiunt sive a tutore, sive a curatore *valida et firma* sunt, adeoque rescissioni minime obnoxia, licet non utilia sed nociva fuerint ei, qui sub tutela vel cura erat. C. I. 1304., C. G. 1314. — Illa e contra, quae non secundum leges facta fuerint, licet utiliter gesta, revocari possunt *per restitutionem in integrum. Per restitutionem,* nam interim *valent,* C. I. 1107., C. G. 1125., C. H. 1291.

691. *Quomodo tutela et cura finiantur?* — Finiuntur ex parte tutoris vel curatoris legitima eius excusatione, remotione, morte, vel negotiis ei commissis iam expletis. Ex parte eius cuius est tutor vel curator, *maiori* ipsius aetate, aut cessata interdicti vel inhabilitationis causa, vel eiusdem morte. C. H. 278., C. A. 249. 251. 253. 283. — Inst. l. 1. t. 22.

V. — INFERIORUM ET SUPERIORUM OBLIGATIONES

692. *Quaenam sit servorum et famulorum distinctio?* — *Famuli* a *servis* distinguuntur. *Servi* sunt, qui ex iure gentium et civili contra naturalem libertatem subiiciuntur alieno domino, ita ut ad instar patrimonii possideri, alienari, et vendi possint. Schmalz. l. 4. t. 9. n. 1. seqq. *Famuli* vero non sunt *servi,* sed *liberi,* qui libere famulatus contractum ineunt. Famuli sunt de familia, ideoque *familiares* etiam vocantur vel *domestici.* Hinc famuli sub gubernatione domini sunt, et domini iura et obligationes erga famulos habent. Licet autem *famuli* et *de familia* proprie non intelligantur, qui per unam vel alteram tantum diei horam, officia famulatus praestant; *familiares* tamen satis intelliguntur, qui per totam diem in domini domo stabilem habent sedem, eique inserviant, quique vero noctu in propria dormiunt domo.

693. *Quaenam sint obligationes dominorum?* — Domini tenentur famulos suos: 1.° Benigne tractare, id est decenter et humane eos alloquendo et eis praecipiendo, bonaque et sufficientia alimenta praestando, nimiis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando. Constat ex iure naturali, et ex S. S. Eccli. 33., 31.: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.* Ad Ephes. 6. 9.: *Et vos, domini, eadem facite illis* (servis), *remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum.* — 2.° Instruere et corripere: dominus enim est caput famuli, sicut totius familiae; ad caput autem spectat dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis Pauli. 1. ad Tim. 5., 8.: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Famuli autem inter *domesticos* reputantur. Elbel n. 590. — 3.° Iustum pretium solvere: agitur enim de obligatione *iustitiae et aequitatis* naturalis; unde defraudatio talis mercedis inter peccata in caelum clamantia recensetur. 1. ad Tim. 5., 18. — L. 342.

694. *Resolves:* Peccare, et quidem etiam graviter, possunt domini: 1.° Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta fidei christianae, vel eos ad catechismum et concionem non mittant; si non caveant,

ut tempore debito confiteantur et communicent. — 2.° Si conducant, vel in domo retineant famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes; si peccantes graviter non moneant et corrigant, aut emendationem promittere nolentes non dimittant, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint. — 3.° Si curam non habeant, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis abstineant; si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant. — 4.° Si stipendium promissum aut iustum non solvant, aut nimis differant; si famulos aegrotos non curent, eosque statim expellant, vel absque iusta causa ante praefixum tempus dimittant. — L. 342.

695. *Quaenam sint obligationes famulorum?* — Tenentur famuli praestare dominis: 1.° Reverentiam; sic enim Apost 1. ad Tim. 6., 1.: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Exinde peccare possunt etiam graviter, qui dominis irrident, eos aspernantur, illorum occultos defectus manifestant. — 2.° Obsequium et obedientiam in iis omnibus, ad quae se obligarunt vi contractus, et in iis quae spectant ad bonos mores: Sic ad Ephes. 6., 5.: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordi vestri, sicut Christo.* Et 1. Petr. 2., 18: *Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* Hinc peccant plus minusve, ratione materiae, qui cum aliquid eis praecipitur, obmurmurant, insolenter respondent, tempus inutiliter terunt, negligunt praeceptum laborem peragere, aut cum damno domini pro se laborant; et uno verbo, ii omnes qui obsequium non praestant, quale ordinarie a talibus exigi et praestari solet. — 3.° Fidelitatem; iuxta verba Pauli ad Tit. 2., 9.: *Servos dominis suis subditos esse..., non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Hinc peccant, et saepe graviter contra iustitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent, qui ex culpa sua eas deteriores fieri sinunt, qui victualia pretiosa, aut ipsis non dari solita, surripiunt sive ad manducandum, sive ad extraneis dandum aut vendendum. — S. Th. 2. 2. q. 103., L. 343.

696. *Nota:* 1.° « Merces debetur famulis ad breve tempus infirmis, v. g., ad paucos dies, quia tempus anni, ad quem conducuntur, moraliter accipiendum est, seu ad breve tempus deficiens non est attendendum; parvum enim tempus respectu totius anni pro nihilo reputandum est. Secus vero, si famulus aegrotet ad plures menses, quia merces pro officio non praestito minime debetur. L. 346. Neque tenetur dominus ad expensas pro curatione, seu pro remediis et medici opera faciendas. De hoc conveniunt omnes, si expensae sint notabiles; immo id etiam admittit S. Lig. n. 864. post Lugo, saltem ut probabile, si expensae sint leves. — Non debetur autem merces ulla operariis, etiam ad breve tempus aegrotantibus, quia isti ad diem conducuntur..., ergo pro singulis diebus tantum, immo pro media diei parte, si per mediam diem deficiant, iis retribuendum est ». Gur. Cas. 972.

2.° Dominus nequit ante constitutum tempus famulum dimittere absque *causa gravi.* Ratio est, quia contractus locationis est vere onerosus, utramque partem obligans pro ratione materiae. Ergo, quemadmodum famulus sine gravi causa herum deserere nequit, si hic, defectu famuli, damnum grave subire deberet; ita pariter neque dominus sine gravi causa famulum pro anno conductum abiicere. Herus ante tempus famulum dimit-

tens sine sufficienti causa damnum inde emergens resarcire tenetur. Si famulus vero ante constitutum tempus discedat, *per se* ius habet ad salarium fere pro rata temporis famulatus, paulo minus tamen; sed si dominus grave detrimentum patiatur ex discessu famuli, partem proportionatam stipendii retinere potest. — L. 342. 345., C. H. 1584.

3.° Recte possunt famuli recipere salarium a domino, debitis gravato, si bona fide famulatum praestiterunt. Est enim iusta laboris merces, et dominus rem suam dat. « An vero ipsi teneantur discedere, si advertant, dominum ex tali famulatu impotentem reddi ad satisfaciendum debitis? Affirmat Navarr., etc. Negat tamen Molina, et non improbabiliter ait Laym. Nam ipsi neque contra iustitiam peccant, si a domino rogati famulentur, et mercedem accipiant; neque contra caritatem, si defuturi non sint alii ad famulandum ». L. l. 3. n. 694.; idque maxime, si dominus servo indigeat.

697. *An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter non impediunt damna, quae domino inferuntur?* — Aut famuli conducuntur ad rem familiarem custodiendam, et defendendam, ac ad invigilandum et impediendum, ne damnum ullum eidem inferatur, ut sunt *administratores, custodes*, etc., qui hoc potius nomine, quam nomine *famuli* appellari solent; aut ad merum laborem, et operam suam praestandam, in rebus familiae necessariis, conducuntur, qui proprie *famuli* communiter nuncupantur. In primo casu ad restitutionem et damnorum compensationem tenentur. Dominorum enim damnum ex officio et contractu, adeoque ex stricta iustitia commutativa, impedire tenentur. In altero casu, alii dicunt teneri etiam *famulos* ad damnorum compensationem, sive illa ab extraneis, sive ab aliis famulis inferantur. Eorum ratio est, quia, vi ipsius famulatus, dominus unicuique famulo res suas in custodiam committit. Alii *communius* et *probabilius* dicunt teneri, si furtum et damnum committatur ab extraneis: non teneri, si committatur ab aliis famulis seu domesticis. Ratio est, quia eo ipso quod in familiam admittantur censentur quidem obligationem suscipere eam adversus extraneos defendendi, minime vero etiam adversus alios familiares. Lugo D. 19. n. 105. 106., L. l. 3. n. 344. 573. Alii tandem dicunt famulos non teneri ad restitutionem seu damni compensationem. Licet enim ex caritate obligentur ad illud damnum impediendum, non obligantur tamen ex iustitia. Nam conducuntur quidem ad laborem et operam suam praestandam in rebus familiae necessariis, minime vero ad custodienda etiam et defendenda bona familiae. Ad custodiam et vigilantiam supra res domesticas vel familiam, et speciatim ad penus curam et custodiam speciales famuli et administri praeficiuntur; et istis claves ad res custodiendas traduntur. Quare tunc tantum famuli ad restitutionem seu damni compensationem tenentur, cum ipsis illa cura et custodia rei familiaris speciali munere commissa sit, vel explicite, vel implicite, e. g., cum datur eis clavis ad extrahendum aliquid de aliquo loco, quia pro tunc custodia eius loci ipsis demandatur. Stante hac sententiarum varietate, confessarius, ab urgenda restitutionis obligatione prudenter abstinere debet.

698. *An famuli, iudicantes salarium esse infra operam ab ipsis praestitam, uti possint occulta compensatione?* — R. Affirmative, si domini stipendium ex conventione constitutum non solvant, vel imminuant. Aperte enim tunc commutativam iustitiam laedunt. Ithur. Cas. 1. n. 2. — Negative

vero, *saltem generatim loquendo,* extra praedictum casum. Prob. 1.° ex pr. 37.ª d. ab Innoc. XI. 2.° Nam licet de minori pretio convenerint, contractui tamen, utpote iusto in conscientia standum est. *Saltem generatim loquendo*, quia excipiunt plures: 1.° Si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale. 2.° Si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio, iam iuste non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit. Quin immo, si famulus, nulla statuta mercede, inserviat, ex mera domini caritate, ut ab eo alatur, nullam praetendere potest, « quemadmodum accidit cum pueris, quos nobiles aut episcopi rogantur in suam familiam admittere; tunc enim sufficit, si domini tribuant eis victum, vestes, et habitationem, cum talis sit consuetudo ». L. 348. 3.° Si invitus operibus indebitis gravetur. 4.° Si operas augeat ex voluntate domini, sive expressa, sive tacita; operarius enim dignus est mercede sua; secus vero si omnino sponte ipsemet operas augeat, quia tunc censetur operas condonare ad conciliandam sibi gratiam domini. — L. 522. 523., E. M. 1473.

699. *Nota:* 1.° Quod de famulis, idem dicendum est de aliis operariis, et mercatoribus. — 2.° Quaenam sit iusta compensatio iudicio etiam famuli relinqui potest, si prudens sit et timoratae conscientiae. Sed res in praxi periculo saepe hallucinationis non caret. — L. 524.

700. *Quaenam sint magistrorum et discipulorum obligationes?* — Inter magistros et discipulos sunt quodammodo eaedem obligationes, *quae inter parentes et liberos.* Ratio, quia parentes, quorum ius et obligatio proprie est educationis et institutionis filiorum, magistros sibi substituunt, qui proinde eorum locum hac in re tenent erga liberos.

Quare *magistri* et praeceptores debent discipulis amorem, exemplum, correctionem, doctrinam. Hinc tenentur sese perficere in scientia, quam docent, ad alios debite erudiendos; promovere profectum discipulorum in litteris, quantum in ipsis est; eos avertere quantum possunt ab aliis, qui pravis moribus turpantur, quosque in scholis suis admittere nullo modo debent. — Praeceptores ergo delinquere possunt etiam graviter, cum discipulorum instructionem negligunt, aut eos iniuste vel indiscrete puniunt; sed praesertim si eosdem seducant, ad peccata impellendo; si non doceant bonos mores; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel saluti noxia; si alumnos retineant malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint, etc. — Graviter autem delinquere possunt tum ratione *officii*, tum ratione *stipendii*, quod recipiunt.

Discipuli tenentur exhibere magistris amorem et reverentiam, ob superioritatem et curam eorumdem. Debent praeterea obedientiam, dum erudiuntur ab eis in bonis moribus et artibus. Ratio patet: hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et praecepta magistrorum. — Peccant autem discipuli, graviter vel leviter ex ipsa rei gravitate vel levitate, eiusque variis circumstantiis, si magistris non obediant in rebus pertinentibus ad studia et bonos mores; si magistris non exhibeant honorem et reverentiam; scilicet si nedum diligenter studeant, tempus conterant in otio, lusu, aliisve ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum;

si magistris detrahant, vel irrideant, eos subsannent, maledictis, calumniis, molestiis afficiant, etc. — L. 361., E. M.

701. *Quaenam inferiorum obligationes quoad ecclesiasticos superiores?* — *Subditi tenentur suis superioribus spiritualibus exhibere amorem, honorem, et obedientiam in his, quae ad eorum iurisdictionem, et curam, spectant; item subsidium necessarium.* Prob. 1.° Id constat ex pluribus locis S. S., 1. ad Timoth. 5., 17. 18.: ad Hebr. 13., 17., etc. 2.° Quoad *amorem, reverentiam* et *obedientiam;* quia superiores sunt, veram habentes iurisdictionem: quoad *subsidium;* quia dignus est operarius mercede sua. — Trid. S. 25. C. 17. de R., E. M.

702. *Resolves:* Christiani omnes tenentur ergo sub gravi culpa obedire Summo Pontifici in rebus ad fidem et christianam disciplinam pertinentibus; nam in his est Christi in terris Vicarius. Eodem modo dioecesani tenentur obedire episcopis, secundum rationem materiae, in illis, quae ad eorum iurisdictionem spectant.

703. *Quaenam ecclesiasticorum superiorum obligationes?* — *Superiores spirituales tenentur vicissim suis subditis exhibere amorem, curam, doctrinam, et bonum exemplum.* Prob. 1.° Id constat ex pluribus locis S. S., Cf. Epp. ad Timoth. et ad Tit., et ex Trid. S. 23. C. 1. de R. 2.° Ex ipso eorum officio id evincitur. Unde neglectus animarum quoad curam, et administrationem sacramentorum, quoad doctrinam, et correctionem in superioribus ecclesiasticis non solum est contra caritatem, sed etiam contra iustitiam, et plerumque peccatum mortale, iuxta illud Ezech. 34., 2. 4.: *Vae pastoribus Israel... quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis,* etc. — L. 357. seqq.

704. *Quaenam subditorum obligationes erga civilem auctoritatem?* — Subditi tenentur etiam superioribus saecularibus, exhibere amorem, reverentiam, obedientiam. Sunt enim, in ordine civili, veri superiores, vices Dei ipsius in ordine temporali erga nos gerentes. Confirmatur ex S. S., ad Rom. 13., 1. seqq., 1. Petr. 2., 13. 17. Quamobrem Catechismus Conc. Trid. huiusmodi obligationem cum ea comparat et coniungit, qua erga auctoritatem paternam et ecclesiasticam obstringimur. Etenim, P. 3. de 4.° Mandato § 15., postquam docuit parentes et superiores ecclesiasticos debito honore colendos esse, subdit: « Item de Regibus, de Principibus, de Magistratibus, et reliquis, quorum potestati subiicimur, dicendum est. Nam, si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus; quia divinae potestatis est instar: in quo etiam Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procurationem iis attribuit, quibusque utitur tanquam potestatis suae ministris ». — Litt. Enc. Leonis XIII. *Quella lunga* 29 Iun. 1881., E. M.

705. *Quaenam obligationes civilium superiorum?* — Hi tenentur subditis exhibere amorem, bonum exemplum quoad mores et religionem, administrationem iustitiae, et publicae felicitati prospicere mediis iustis ac opportunis. Id constat apertissime ex ipsa natura eorum officii. Unde superiores saeculares peccant graviter per negligentiam, conniventiam, et omissiones, puta si subditos ab hostibus et iniustis vexationibus non tueantur, maxime vero per positivas iniurias oppressiones, et exactiones

excessivas, vel christianae religionis persecutionem: quas iniustitias Deus certe non relinquet inultas; nam, ut dicitur Sap. 6., 6. 7., *Iudicium durissimum in his, qui praesunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Struggl 28. Peccant item, si reipublicae ignaros imperitosque praeficiant. Hoc autem grave praeceptum probos eligendi, debita proportione, in gubernio Constitutionali ac Republicano, urget etiam omnes deputatorum electores; et, aliis circumstantiis praeclusis, non solum peccant qui malis suffragium tribuunt, sed etiam qui non concurrendo in causa sunt, ut mali ab aliis eligantur; unusquisque enim cum potest tenetur a republica malum avertere. Quot autem mala ab impiis deputatis tum religioni, tum civili societati obveniant, nemo ignorat, cum ipsis summa omnium rerum concredita sit, neque tantum tribuant consilium, sed ipsas leges cum aliis condant. Excipe, nisi alicubi ob speciales rationes praestet aliter agere, et specialis habeatur praescriptio aliter agendi. — Leo XIII. Enc. *Immortale Dei,* Trid. S. 25. C. 20. de R., E. M.

706. *An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali; an liceat aliquando rebellare; an liceat aliquando principem interficere?*

Ad 1.um Sicut evidens est, nunquam obediendum esse auctoritati humanae in iis, quae evidenter contra legem Dei sunt, ita *in iis, quae per se licita sunt, et quae ad civilem pertinent potestatem, est omnino obediendum principibus, etiam dyscolis,* et illis quoque, qui auctoritate sua abutuntur. Ex hisce fontibus purissimis, Scriptura nempe et Traditione, ait Gregorius XVI. in Br. 9. Junii 1832., apertissime edocemur obedientiam quam praestare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse praeceptum, cui nemo contraire potest.

Ad 2.um *Nunquam omnino licitum est rebellare.* « Nimis perniciosum in hac re, ait S. Lig., fuit principium Joannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione iudicari, si regnum iniuste regat...: principium, inquio, non tantum falsum, sed perniciosissimum ». Ratio est, quia subditi eo ipso quod subditi sunt non possunt sibi arrogare potestatem supra principem, eum iudicando et puniendo. — S. Th. 2. 2. q. 60. a. 6. L., H. A. Tr. 8. n. 13.

Ad 3.um *Nemini licet unquam principem interficere.* Contraria opinio antiquorum dicitur a S. Alph. l. c. *improbabilis, falsa, falsissima,* « Postulo, ait S. D., estne ille *homo,* ut alii, et si est *homo* nequit ipse privari vita, aut bonis ab iis, qui ius non habent eum vita aut bonis expoliare. Communis est SS. PP. doctrina, quod *nulli privatae personae licet unquam occidere hominem,* quamvis privatum, et quantumcumque iniquus ille sit nisi publicam habeat auctoritatem, aut nisi id necessarium sit ad propriam vitam tuendam ». Idemque prorsus valet, sive princeps sit bonus sive malus; sive legitimus, sive regni usurpator. — S. Th. 2. 2. q. 12. a. 2., q. 42. a. 2., q. 64. a. 3., q. 101. a. 1. 3., q. 102. a. 1. 2., q. 104. a. 1. 2. 5.

707. *An ad civilia officia digniores sint eligendi?* — R. Affirmative, si habeatur *concursus;* tunc enim adest contractus implicitus de digniore eligendo. Negative vero, si non habeatur *concursus.* Non constat enim de tali obligatione. Ad hoc enim, ut sufficienter publico bono provideatur, sufficit ut excludantur et removeantur indigni, et digni eligantur. Atque hac obligatione tenentur non tantum ipse supremus princeps, verum etiam

illi omnes, qui potestate ab ipso accepta eligere possunt. Non enim accipiunt potestatem nisi eligendi eo modo, quo princeps eligere deberet. — Lugo de Iust. et Iur. D. 33., L. 342.

DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO

I. — DE OCCISIONE SUI

708. *Quinam sit ordo praeceptorum inter se?* — « Post praecepta tria pertinentia *ad religionem*, qua redditur debitum Deo, et post quartum praeceptum, quod est *pietatis*, qua redditur parentibus debitum, in quo includitur omne debitum, quod ex *aliqua speciali ratione* debetur, necesse fuit quod ponerentur consequenter aliqua praecepta pertinentia *ad iustitiam* proprie dictam, quae indifferenter omnibus debitum reddit ». S. Th. 2. 2. q. 122. a. 6. — Sex igitur, quae sequuntur decalogi praecepta, ut idem A. D. docet, l. c. a. 1., sunt « *de actibus iustitiae communiter dictae*, quae inter aequales attenditur ». In sex istis praeceptis prohibentur homicidium, adulterium, furtum et falsum testimonium. « Omnia autem alia nocumenta, quae proximis inferuntur, possunt ad ista reduci, quae his praeceptis prohibentur, tanquam ad quaedam communiora et principaliora. Nam omnia nocumenta, quae in personam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio sicut in principaliori. Quae vero inferuntur in personam coniunctam, et maxime per modum libidinis, intelliguntur prohiberi simul cum adulterio. Quae vero pertinent ad damna in rebus illata, intelliguntur prohiberi simul cum furto. Quae autem pertinent ad locutiones, sicut detractiones, blasphemiae, et si qua huiusmodi, intelliguntur prohiberi in falso testimonio, quod directius iustitiae contrariatur ». S. Th. l. c. a. 6. ad 2.

709. *Quid quintum praeceptum Decalogi?* — Quintum praeceptum est: *Non occides*, Ex. 20., 13. — Iam vero quintum hoc praeceptum, quatenus *negativum* est, *primario* quidem prohibet homicidium, i. e. iniustam hominis occisionem: *secundario* autem et consequenter, iniustam iram, seu inordinatum appetitum vindictae, Matth. 5., 21. 22., et omnem aliam iniustam laesionem, vulnerationem aut mutilationem corporis, sive proprii sive alieni, quae ad homicidium, tanquam iniuriam corporalem principalem, reducitur. — Quatenus vero virtualiter est *positivum*, praecipit vitae conservationem. — Ea vero quae hic de occisione sive licita, sive illicita statuentur, eadem mutilationi vel cuilibet corporis laesioni, servata debita proportione, applicanda erunt. — Struggl 3. 5., L. 363.

710. *An licitum sit suicidium?* — *Absque divina auctoritate nefas est seipsum directe interficere. Directe* quis seipsum vel alium dicitur interficere cum vere per se et directe intendit sibi vel alteri vitam adimere; *indirecte* vero, cum hoc quis positive non intendit; voluntarie tamen aliquid facit, ex quo praevidet mortem sui vel alterius secuturam. — Prob. Nam 1.° id aperte prohibetur SS., Ex. 20., 13.; Deut 52., 39.; Sap. 16., 13. — 2.° Id repugnat caritati erga *seipsum*, et est iniuriosum tam *Deo*, qui solus est

directus et absolutus dominus vitae humanae, quam *societati* et reipublicae, quae iniuste per suicidium privatur sua parte seu cive. S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. Hinc suicidium utroque iure merito punitur. Nam Iure civili Communi tum suicidae, tum qui hoc crimen tentant, etiam morte non sequuta, poena infamiae puniuntur. Iure vero ecclesiastico suicidae privantur sepultura sacra et Ecclesiae suffragiis, ut statuitur C. 12. c. 23. q. 4., et ut videre est in Rit. Rom.; quae tamen poena non complectitur, qui furore, amentia aut phantasia per gravissimam animae tristitiam turbati vitam sibi eripuerunt, vel qui ante mortem de crimine doluerunt. — Struggl 7., Ithur. Cas. 40. n. 3. seqq., L. 366. 375.

711. *Resolves:* Non licet virgini ad castitatem etiam servandam, quae maximum bonum existimatur, directe occidere se ipsam. — Struggl 8., Ithur. l. c., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3., L. 366.

712. *An liceat positivo actu concurrere ad sui mortem? — Nunquam, sine divina auctoritate, fas est ponere actum externum, per se immediate tendentem ad sui destructionem, nisi actus ille habeat alium effectum bonum et immediatum, qui solus intendatur, et gravis ratio effectum illum bonum obtinendi urgeat.* Ratio est, quia ubi actus physicus, etiam per se indifferens, *non habet alium effectum quam suicidium*, iam fit malus, siquidem nulla adest ratio, qua praeceptum conservandi vitam, et cavendi a mortis periculo cesset. Unde in quocumque casu prohibetur. L. 366. Cf. 717.

713. *Resolves:* Nefas est se in flumen proiicere cum certo mortis periculo ad baptizandum puerum. Hoc enim esset sibi vitam directe auferre; quia nempe prius quis ponit medium, quod *directe et immediate* tendit ad sui occisionem, ut deinde eo posito, baptismum ministrare possit. — L. 366.

714. — *An mutilatio sui licita sit? — Non licet se mutilare vel etiam alium mutilare, nisi hoc ad conservationem totius corporis* sit necessarium, et de eius consensu, cuius est membrum, vel eius « ad quem pertinet curare de salute eius, qui habet membrum corruptivum » aliorum membrorum. S. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. Aliter autem aliquem membro mutilare est omnino illicitum; idque *etiamsi fiat ad conservandam castitatem et vitandas tentationes.* Ratio est, quia Deus est humanae vitae dominus absolutus atque directus; homo vero non nisi dominium utile seu indirectum in suum corpus habet. *Nisi hoc ad conservationem totius corporis sit necessarium;* cum enim pars ordinetur ad totum corpus conservandum, tali urgente necessitate, poterit utique membrum aliquod resecari, e. g., manum catena ligatam sibi abscindere ad vitandam mortem a bellua, vel tyranno, aut incendio impendentem. S. Th. 2. 2. q. 64. a. 2., q. 65. a. 1., Lugo de Iust. D. 10. n. 22., La-Croix 786. *Etiamsi fiat*, etc., quia hoc remedium neque est absolute necessarium, neque reapse eximit a tentationibus carnalibus, licet quis impotens fiat ad generandum. S. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. Hinc, *a fortiori, probabilius* non licet pueros castrare ad vocem in eis conservandam L. 374. « Et quidem *validissima* est ratio... Homo enim non ita membrorum corporis sui dominus est, ut assentiri valeat abscissioni alicuius ex illis, praeterquam si totius corporis salus et conservatio aliter obtineri nequeat ». Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 7. n. 4., Lugo D. 10. n. 23., S. Th. l. c. Ecclesiae autem disciplina, irregularitatis notam inurit eunucho, qui

extra necessitatem salvandae vitae mutilationi suae assensum praebuerit. Bened. XIV. l. c. n. 5. — Struggl 9. 10.

715. *Quaenam conservandae vitae sit obligatio?* — *Quisque tenetur mediis ordinariis ad vitam conservandam.* Ratio est, quia perinde est vitam sibi non conservare atque eam sibi adimere. *Mediis ordinariis,* nam ad *extraordinaria* non tenetur, nisi eius vita bono communi sit omnino necessaria. Et sane media extraordinaria extra communes vires posita sunt, ea ergo communiter lex praecipere nequit. — L. 372.

716. *Resolves:* 1.° Infirmus in periculo mortis, quando adest spes salutis, non potest respuere medicamenta ordinaria sibi praescripta. — 2.° Non tenetur quis ad vitam sibi conservandam ingentes facere sumptus aut remedia adhibere, quae ingentes ipsi causent dolores, v. g., amputationem cruris, incisionem ventris ad extrahendum calculum, etc. — 3.° Non tenetur virgo operationem pati per manus medici, etiamsi vita periclitetur, quando ob verecundiam id ei gravissimum accidit, maioremque illi horrorem, quam ipsa mors, ingerit. — 4.° *Licet* etiam virgini mortem potius pati quam permittere sui violationem, ob maximum virginitatis bonum. *Licet,* nam probabiliter non *tenetur,* saltem speculative loquendo, modo voluntate positive resistat, et proximum absit consensus periculum. Ratio est, quia haec permissio non est *formalis* ad peccatum alterius cooperatio, sed *materialis* tantum, iusta autem adest permissionis causa, mortis scilicet periculum. — 5.° Licet item virgini ad castitatem servandam se exponere mortis periculo, saltem si mors non sit certo secutura, idque tum ob amorem castitatis, tum ob periculum peccati, quod saepius in tali occasione habetur. Immo probabilius adhuc affirmandum est, licet mors certo secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum; quia etiam sola corporis integritas maxime aestimatur. — L. 366. 368. 372. 430. 433., H. A. 1. 2., S. Th. 2. 2. q. 65. a. 1., Struggl 6., Tr. 6. de Iust. et Iure q. 5. a. 1. n. 5. 10., La-Croix l. 3. P. 1. n. 916., Lugo D. 10. n. 197. 198.

717. *An liceat indirecte concurrere ad sui mortem?* — *Licet ex gravi causa, concurrere indirecte ad occisionem sui,* seu ponere actionem, ex qua *praeter intentionem* propria mors certo sequatur; modo ex ista actione sequatur *aeque immediate* aliquod bonum, et hoc solum intendatur. Ratio, quia tunc mors, si sequatur, non est *volita,* sed mere *permissa* ex proportionata causa. Cf. 36. — Struggl 7., L. 366.

718. *Resolves:* 1.° Licitum est reo non fugere, immo etiam sponte se sistere coram iudice, etsi certo morte puniri debeat: quia actio ista *per se* est indifferens, immo et honesta; in casu enim velle mori perinde est, ac velle iustitiae ordinem; et sicuti ob iustam causam mortem alteri desiderare licet, atque etiam legitimo modo procurare, ita et sibi. L. 369., H. A. 2. — 2.° Non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt, et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt; ratio est, quia ex causa rationabili id agunt. Contra graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in gravia discrimina sine causa se iniiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc. Hinc etiam prohibitae sunt periculosae taurorum agitationes. L. 365. 369., l. 7. n. 209. — 3.° Nunquam licet macerare corpus ad vitam

breviandam, neque etiam secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis poenitentiis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen, ex virtute, poenitentiis ordinarie gravibus uti, cum certa quadam vitae abbreviatione, quia propter meritum, et naturae pravae mortificationem, aliqua longioris vitae iactura contemni potest. L. 370. 371., H. A. 2., S. Th. Quodl. 5. a. 18. Haec vero *de via ordinaria*, nam Deus saepe Sanctis extraordinarias omnino poenitentias inspiravit, quorum valetudo saepe quo minus sibi parcerent eo fuit robustior. Cf. Bened. XIV. De Canoniz. SS. l. 3. c. 29. n. 6., L. Prax. 25. 26. — 4.° Licet, saltem probabilius, incendere navim, aut turrim, ut hostes grave damnum patiantur, quamvis cum certa vitae propriae iactura; quia expedit damnum publicum vitari, vel commune bonum procurari etiam cum damno privatorum certissimo. L. 367. — 5.° Potest quis ex incensa domo per fenestram prosilire, vel ex conflagrante navi in mare se coniicere, non quidem ad mortem petendam, sed ad duriorem evadendam. Idemque dicendum de virgine, quae ab altissima fenestra se dat praecipitem, ut e manibus impuri violatoris eripiatur. Elbel 13., Struggl 8., Gur. Cas. 377. 379. 384.

II. — DE OCCISIONE REI

719. *An publica auctoritate reos occidere liceat? — Licet malefactores publica auctoritate sive incarcerare, sive verberare, sive membro aliquo mutilare, sive etiam occidere.* Ratio, quia hoc est medium necessarium ad commune totius societatis bonum procurandum, immo ad ipsam societatem servandam; quod quidem non nisi hisce poenis, et plerumque non nisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Deus autem potestatem, sine qua societas stare non posset, contulisse dicendus est. Constat etiam ex praxi cuiusvis legislationis, ex sacra Scriptura, et universali omnium consensu. Lugo D. 10. n. 64., Struggl 34., Ithur. Cas. 40. n. 11-12., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 2. 3., q. 65. a. 1. 3., q. 66. a. 6. ad 2. a. 8., q. 67. a. 3., q. 108. a. 3. 4., L. 375., E. M.

720. *Quomodo rei publica auctoritate morte sint plectendi? — Peccat princeps vel magistratus, regulariter loquendo, qui occidi iubet reos, sine iudicio publico, non citatos vel non auditos, vel non damnatos,* etsi *privata scientia* constet eos esse nocentes: Ratio, quia ex iure naturae actus publicus fieri debet ex scientia et auctoritate publica. Excipe: 1.° Si crimen sit omnino certum et notorium. 2.° Si esset in mora, si iuridice procederetur, periculum seditionis. — L. 377., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 3. ad 2. ad 3., Struggl 35. 36.

721. *Nota:* Iudex tenetur sub gravi concedere reo tempus sufficiens *ad confessionem.* Tenetur etiam concedere tempus pro sumptione *communionis,* cum reus sit tunc in articulo mortis, in quo praeceptum communionis obligat iure divino, et tunc etiam non ieiunus reus potest communicare eadem die mortis, modo communio praecedat per horam executionem. Si reus nolit peccata confiteri, post adhortationem licite potest occidi a carnifice, quia tunc sua damnatio suae culpae tribuitur. L. 379., l. 6. n. 233.-285. par. *Hic autem,* 247.

722. *An liceat reos occidere etiam auctoritate privata? — Non licet occidere malefactores auctoritate privata.* Prob. quia non licet occidere malefactores, *nisi ob bonum commune,* sicut non licet amputare membrum, nisi propter salutem totius corporis: atqui administratio boni communis pertinet ad potestatem publicam, quae est in principe, aut in republica, non vero ad privatos. Ergo. Praeterea, si cuilibet liceret privata auctoritate occidere malefactores, et quilibet in propria causa posset esse iudex, omnia essent plena iniustis homicidiis. Ergo Deus, utpote auctor, et conservator naturae, non dedit privatis hominibus potestatem occidendi malefactores. C. 7. c. 33. q. 2., Pr. 19.ª d. ab Alex. VII., S. Aug., de Civ. Dei l. 1. c. 26., S. Th. 4. D. 37. q. 2. a. 1., 2. 2. q. 64. a. 3., q. 66. a. 8., L. 376., E. M.

723. *Nota:* Grassatorem et malefactorem *publice proscriptum quilibet saecularis, per se loquendo, potest intra territorium proscribentis* licite occidere. Ratio est, quia *per sententiam proscriptivam auctoritate publica* quilibet constituitur minister iustitiae. — *Quilibet saecularis,* nam in C. *Sententiam Ne cler. vel mon.* clerico graviter prohibetur, ne in causas sanguinis etiam iustas se immisceat. *Per se loquendo;* nam filius non potest licite occidere patrem bannitum seu proscriptum, neque parens filium, aut uxor maritum: quia hoc graviter repugnat caritati et pietati naturali; excipe tamen nisi id exigat bonum commune. *Intra territorium proscribentis;* nam bannitus non potest iuste occidi in territorio alieno, nisi tacito, vel rationabiliter praesumpto consensu alterius principis. — Struggl 36. 37., L. 376. 378. 380.

724. *Resolves:* 1.° Reus ad mortem condemnatus nequit per seipsum exsequi mortis sententiam, mortem sibi inferendo. An autem id facere possit saltem in casu, quo a iudice constituatur publicus minister iustitiae in ordine ad suam necem, plures affirmant, Struggl 8.; sed plures etiam negant, et hanc sententiam communiorem dicit S. Alph. 369. Utramque autem probabilem appelat S. D. l. 4. n. 284, Cf. ib. n. 281. — 2.° Milites iussi comprehendere et custodire malefactorem non possunt eum aufugientem occidere, etiamsi iam ad mortem fuerit damnatus; quia vi officii sui, et, secluso speciali principis mandato, satellites reum tantum coercere possunt. L. 380., H. A. 9., Cf. Struggl 36. — 3.° Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa mutilare aut occidere; ratio, quia punire per mutilationem et occisionem, quae damnum irreparabile inferunt, requirit sane potestatem perfectam, quam nec pater nec dominus habet. S. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. 2.

725. *An liceat saltem, privata auctoritate, aliquem verberare vel incarcerare? — Nemini licet aliquem potestati suae non subiectum verberare,* nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui potestatem habet, v. g., patris in filium, mariti in uxorem, domini in servum; *verberatio* enim est punitio: haec autem supponit potestatem gubernativam. Cum autem haec verberatio causa fiat disciplinae, moderata esse debet. — Hinc *per se* magistri possunt discipulos moderate verberare, quia parentum locum tenent. E contra frater natu maior non potest *per se* fratres minores verberare, nisi id ipsi sit a patre mandatum, aut nisi, mortuo aut absente patre, familiam ipse regat, quia primogenitura ei tale ius non confert. S. Th. 2. 2. q. 65. a. 2. — Itemque « *incarcerare aliquem, vel qualitercumque*

detinere est illicitum, nisi fiat secundum ordinem iustitiae, aut in poenam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 3. Cf. 417.

III. — DE OCCISIONE INIUSTI AGGRESSORIS

726. *An liceat vitae aggressorem occidere? — Potest quilibet iniustum vitae suae aggressorem occidere, cum moderamine inculpatae tutelae.* Ita S. Th., et thesim suam confirmat ex eo quod Exod. 22., 2. furem nocturnum occidere licet. Ergo multo magis, ait, licitum est defendere propriam vitam. Deinde *vim vi repellere* omnes leges et omnia iura clamant. Denique ipsa natura docet, esse in homine verum ius vitam propriam defendendi, si iniuste oppugnetur, eamque praeferendi vitae aggressoris iniusti, qui ex propria malitia in tale periculum se coniecit: Idque valet non solum pro *saecularibus,* sed etiam pro ipsis *clericis et religiosis:* ius enim defensionis est unicuique a natura inditum: si secus esset, iniustitiae arma ministrarentur, bonorum caedi, rerumpublicarum eversioni. Hinc Catech. Rom. n. 8. hoc ius omnibus tribuit indiscriminatim. C. *Significasti* 18. *de Homic. vol.*, C. *Si vero* 3. *de Sent. exc.*, S. Th. 2. 2. q. 64. a. 7., L. 380.

727. *Nota:* Dicitur 1.° *potest,* nemo enim tenetur aggressorem occidere; horridum medium est ad propriam vitam conservandam: sed licite et laudabiliter potest quis occisionem propriam permittere, ne alter vita temporali et aeterna privetur. Excipe: 1.° Quando vita invasi esset necessaaria et valde utilis bono communi: 2.° Quando ipse esset in peccato mortali, quia tunc omnino teneretur se defendere. L. 380.

2.° *Cum moderamine inculpatae tutelae,* quod in tribus hisce conditionibus situm est: 1.° Ut occisio aggressoris non fiat ad vindictam, cum ea privatorum non sit; neque ex odio, cum hoc caritati adversaretur; sed solum ad iniuriam et vim propulsandam, seu ad sui defensionem. 2.° Ut qui aggressionem patitur, non utatur maiori violentia, quam necesse sit ad mortem vitandam; ideoque, si ab iniusto aggressore liberare se queat fugiendo vel vulnerando tantum, non potest occidere; alioquin occideret iniuste, et teneretur ad restitutionem excessui proportionatam, cum ius excederet a natura tributum. 3.° Ut aggressio iniusta *actu, moraliter loquendo,* inferatur, i. e. ita impendens sit, ut non possit quis, nisi adhibita vi, eam repellere; si enim aggressionem vix probabilem feriendo vel occidendo praeveniat, vitae alienae aggressor ipse efficitur, non defensor suae. C. *Significasti* 18. *de Homic. vol.*, Struggl 17. 20. 30., Ithur. Cas. 40. n. 9-10., Lugo D. 10. n. 161., L. 380. 381. 387. 388.

728. *An idem liceat pro vitae integritate servanda? — Licet eodem moderamine occidere iniustum aggressorem etiam pro defensione membrorum.* Prob. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° Quia quisque ius habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitae alterius, cui alter ex sua malitia se obiicit, modo aliud desit medium, nec mors aggressoris intendatur. — L. 380. 398.

729. *An idem liceat pro castitate defendenda? — Licet mulieri seipsam defendere, invasorem pudicitiae occidendo.* Prob. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° Quia mulier utitur iure suo naturali, quo licet vim vi repel-

lere, et magis tenetur sibi providere quam vitae alienae; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati permittendo se opprimi. Insuper, si licet invasorem bonorum occidere, quanto magis invasorem pudicitiae, cum sit bonum superioris ordinis? Unde quamvis puella invasorem occidere non teneatur, sed possit passive se habere, quia castitas invite non amittitur; ad id tamen non obligatur, tum quia vel ipsa materialis corporis integritas maximum est bonum; tum quia adest periculum pudoris, quod bonis feminis morte gravius est. — L. 368. 386.

730. *Nota:* Hic autem bene advertunt thth., quod non solum licet puellae aggressionem propulsare actu quo eandem patitur, sed etiam postea aggressorem potest percutere alapis, pugnis, fuste, baculo et similibus ictibus minime periculosis, ut sic displicentiam suam atque constantiam ostendat, et aggressor facilius discedat nec revertatur. Id porro (modo fiat immediate post acceptam iniuriam et nunquam ad vindictam) non tantum permittendum est, sed etiam mulieribus consulendum est omnino. — Struggl 28., L. 386., Lugo D. 10. n. 196.

731. *An idem liceat pro bonis fortunae defendendis? — Licet defendere bona fortunae magni momenti cum occisione furis, si aliter retineri non possint.* Prob. ex communi thth. sententia, quam supponit S. Th. 2. 2. q. 64. a. 7. Insuper quia praeceptum caritatis non obligat praeferre bona proximi altioris ordinis, nisi quando ille est in extrema necessitate, non vero quando ipse de se et sponte et ex malitia propria periculo mortis occurrit, prout in casu contingit. — L. 380. 382., Struggl 23., E. M.

732. *Nota:* Dicitur *magni momenti:* nam non licet occidere furem auferentem rem minoris momenti: quia caritas tunc prohibet, quominus pro levi nostro damno gravissimum proximo damnum inferamus, licet iste sponte eius periculo se obiiciat. Et sane non nisi leve est damnum nostrum sive spectetur *res ablata,* quae minoris est momenti, ut supponitur, sive inspiciatur *iniuria,* quae in ea ablatione habetur, et consequenter *contemptus* ac *dehonoratio,* quae illam iniuriam consequitur. Quis enim graviter dehonoratus existimatur, quia fur violenter ab eo rem aliquam arripuerit?

Attamen etiam in isto casu, si praecise consideratur *vis,* quae infertur domino, rem suam licet minoris momenti custodienti, semper ipsi licebit vim vi repellere, sed *cum moderamine inculpatae tutelae.* Ratio est, quia « quando quis ita, defendit sua, regulariter defendit simul suam propriam personam quam periculo pro suarum rerum defensione exponit ». Molina Tom. 4. Tr. 3. Disp. 16. n. 4. Insuper, quia id exigit ipsum publicum bonum. Secus enim scelerum impunitas improbos ad nocendum audentiores redderet. Laymann l. 3. Tr. 3. c. 3. P. 3. n. 4.

Generatim autem loquendo bona illa censentur *magni momenti,* quibus ablatis, deficeret alicui sustentatio pro se et suis: gravis autem notae theologi, inter quos Card. de Lugo, docent etiam hoc nomine donari posse illa, quorum iactura damnum notabile afferret domino iuxta qualitatem personae. Quamquam nec diffitendum sit admittere oportere aliquam damni gravitatem absolute respectu omnium gravem, longe tamen maiorem, quam quae sufficit ad furtum mortale. Quare, absolute loquendo, non sufficit certe summa 4. aut 5. aureorum; hodie 40. aut 50. libellarum. Suf-

ficere autem videtur summa 40. aut 50. aureorum, hodie 400. vel 500. libellarum. — L. 382. 383. 384. 385., Struggl 23. 24., E. M.

733. *An idem etiam liceat ad honorem defendendum?* — *Non licet quidem invasorem honoris occidere, si honor verbis tantum impetatur.* Nam, cum aliter tunc iniuria repelli possit, debeat et soleat, percussio et interfectio non defensionis, sed privatae vindictae rationem habet. Non licet pariter invasorem honoris occidere, *si honor factis* impetatur *post ipsum factum.* Etenim laesio etiam aggressoris post factum non habet rationem defensionis, sed privatae vindictae. Licet vero *cum debito moderamine* sese defendere contra invasorem etiam honoris, si hic factis, e. g., alapa vel calcibus, vel fuste impetatur, *ante ipsum factum.* Ratio est, quia *vim vi repellere omnia iura permittunt.* Ergo improbandus non est, qui velit eo uti iure, quod omnia iura permittunt ad tuendum nempe bonum in existimatione hominum magnum, quod melius est *quam mille thesauri pretiosi et magni,* Eccli. 41., 15., et pugnis ipse et etiam calcibus et fuste sese defendat. — Lugo D. 10. n. 166., La-Croix 803., Struggl 25. 26. 31., L. 380. 381. 382. 391., S. Th. 2. 2. q. 41. a. 1., E. M.

734. *An licita sit praedicta defensio, si de aliis agatur?* — *Potest aliquis privatus per occisionem etiam iniusti aggressoris, defendere vitam, bona, pudicitiam proximi.* Prob. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° « Quia sicut ipse proximus innocens potest se defendere occidendo aggressorem, ita fas est cooperari cum ipso ad rem licitam, quam ipse facere potest, ipsumque adiuvare ». Lugo de Iust. D. 10. n. 201., Struggl 29., L. 389. 391., S. Th. 2. 2. q. 60. a. 6. ad 2.

735. *Nota:* 1.° Dicitur *aliquis privatus,* nam certum est ad id teneri principes, magistratus et milites, qui specialiter conducti sunt ad civium defensionem. Isti tenentur etiam cum periculo vitae propriae, ubi agatur de avertendo a civibus malo publico; sed ubi agitur de vita dumtaxat alicuius privati, non tenentur cum tanto incommodo eandem tueri. — *Potest;* nam probabilius est, *saltem generatim loquendo,* eos minime obligari ad talem innocentis defensionem cum occisione aggressoris iniusti; idque tum quia praeceptum caritatis eo in casu non videtur obligare, cum potius praestet evitare mortem aeternam aggressoris ipsius; tum quia in alterius occisione nunquam potest evitari incommodum grave, v. g., ob timorem inimicitiarum, vel publicae iustitiae, vel etiam ob horrorem qui concipitur in foedando proprias manus sanguine humano. *Saltem generatim loquendo;* nam excipe: 1.° Si invasus esset necessarius ad bonum publicum, ad quod curandum quisque tenetur sub gravi. 2.° Si ille sit pater, filius, uxor aut fratrer, quos pietas ipsa obligat omnino tueri. 3.° Si sit ebrius vel amens et in statu peccati mortalis, a quo poterit post phraenesim aut ebrietatem resurgere; idque, quod rarissimum est, certo tibi constet; quia tunc iste vere esset in extrema animae necessitate, cui subveniendum est etiam cum ipso vitae corporalis aggressoris detrimento.

2.° Si agatur de invasore pudicitiae alienae; id intellige, modo mulier suum invasori consensum non praebeat, sed *positive* eidem resistat, alioquin invasorem occidere non esset vim vi repellere; cum non detur iniuria ubi est consensus; excipiunt Less., Spor., aliique, si invasa sit tibi valde pro-

pinqua; tunc, aiunt, ante factum adhuc potes invasorem occidere, quamvis aggressa consentiat; eo enim in casu iniuriam propulsas, quae in te redundat. — L. 389.-392.

IV. — DE OCCISIONE INNOCENTIS

736. *An liceat aliquando innocentem occidere?* — *Nunquam licet directe innocentem occidere, sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum.* Est enim actio intrinsece mala, et divina lege expresse prohibita. Exod. 23., 7.: *Insontem et iustum non occides.* — S. Th. 2. 2. q. 64. a. 2. ad 3., a. 6., L. 393., Struggl 11. 32., Lugo D. 10. n. 104.

737. *Resolves:* 1.° Non licet occidere lethaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; nec rabidos, ne aliis noceant, dummodo aliter a nocendo cohiberi possint. Ratio est, quia ex noto effato ad obtinendum bonum non sunt facienda mala. — 2.° Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno, mortem eius postulanti, etiam sub poena urbis subvertendae, et etiamsi morti suae ille consentiret, quia dominium in propriam vitam non habet. Probabilius tamen posset cogi, ut seipsum tyranno pro bono publico traderet, et probabiliter, si nollet, etiam tradi. L. 393., Struggl 11. — Secus vero esset, si tyrannus puellam ad stuprandam peteret, vel libros sacros ad comburendos. Utrumque enim intrinsece malum est. In priori enim casu puella in proximo peccandi periculo exponeretur: in posteriori Dei contemptus haberetur. Cf. Lugo D. 10. n. 114.-116. — 3.° Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides vel legatos ad eos missos iniuste interfecerint; quia sunt innocentes. L. ib.

738. *An liceat indirecte saltem concurrere ad mortem innocentis?* — *Licet, ob gravem causam, ponere actionem in se bonam, ex qua praeter intentionem sequatur mors innocentis.* Ratio, quia tunc ex causa proportionata innocentis mors mere *permittitur.*

739. *Resolves:* 1.° Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde etiam aliqui innocentes mortem passuri sint; quia eorum mors praeter intentionem sequitur. L. 393. — 2.° Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam qua quisquam ista sedens esset obterendus, licet nihilominus fugere cum eius periculo et interitu praeter tuam intentionem, dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus. Idem dicendum, si aggressor, corpore infantis obiecto, se tueatur. Lugo D. 10. n. 124.-127., Struggl 13., L. 393. 569.

740. *Nota:* 1.° Non est homicidii reus, qui etiam sine causa, sed adhibita diligentia, ponit actionem etiam alioquin illicitam, quae mortem *per se* non infert, licet sit periculosa, sed *raro* ex ea mors contingat. Tunc enim homicidium omnino fortuitum et involuntarium est; puta si clericus venationi prohibitae operam dans hominem casu interficiat, modo debitam adhibuerit diligentiam, ne id contingeret. Secus vero, si ponat actionem, quae licet mortem *per se* non inferat, est tamen communiter

periculosa, etiamsi diligentia ad damnum praecavendum adhibeatur. Est enim voluntarium in causa, dummodo tamen illud saltem in confuso praevideat; puta, si quis, v. g., funda lapides in via publica proiiciat. Inst. l. 4. t. 3. § 3. 4. 5., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 8., L. 398. — 2.° Nomine homicidii *voluntarii*, ubi de reservatione agatur, non intelligitur homicidium utcumque culpabile, sed studio quaesitum et ex industria procuratum. Secus enim illud additum omnino inutile esset. Cf. Ithur. Cas. 40. n. 19. seqq.

741. *An liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem?* — R. Affirmative *probabilius*, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari; rarissimus autem casus est, quo certo id constat. Ratio est, quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* iniustus, est tamen *materialiter* iniustus, et tu ius tuum servas vim vi repellendi. Defensionis ius ex iure ad propriam vitam, non ex alterius iniuria exoritur. Quod si certo scias, quod rarissimum est, eum in statu peccati lethalis versari, a quo poterit post phraenesim vel ebrietatem resurgere, e contra vero moraliter credas te esse in statu gratiae, cum hic in extrema necessitate versetur, caritas exigit, ut salutem eius aeternam vitae tuae temporalis conservationi praeferas. Nihil autem prohibet, quominus eum ita percutias aut vulneres, ut, salva eius vita, auferas ei vim nocendi. Lugo D. 10. n. 143.

V. — DE PROCURATIONE ABORTUS

742. *Quid abortus?*—*Abortus communiter definitur: eiectio foetus immaturi. Immaturi,* i. e. nondum ad vitalem nativitatem apti, talibus temporis gestationis circumstantiis, ut foetus, quamvis vivus adhuc in lucem prodeat, necessario tamen cito mori debeat. Quare, idem reapse non est, *abortus* ac mera *partus acceleratio.* In partus acceleratione foetus immaturus non est, et quamvis in lucem prodeat ante completum gestationis tempus, potest tamen *naturaliter* vivere. Abortus proprie locum habet septem prioribus gestationis mensibus; reliquis duobus mensibus mera partus acceleratio est, communiter loquendo et ex generali regula. *Eiectio foetus;* quare abortus proprie distinguitur a qualibet actione, quae *per se primo* non sit *eiectiva* foetus, sed *laesiva* eiusdem foetus, qualis est chirurgica illa operatio, quae *craniotomia* et *embryotomia* appellatur, propterea quod *caesio* sit *cranii* infantis, vel *foetus*, ad eum ex matris utero extrahendum.

743. *Quotuplex sit abortus?*—*Eiectio foetus dupliciter procurari potest:* 1.° *Directe* et *per se.* 2.° *Indirecte* et *per accidens.* — Habetur *directa* procuratio abortus seu eiectionis foetus, applicando medium seu medicamentum *per se* efficax et per se *primo* ordinatum ad expellendum foetum, uti sunt validae compressiones exteriores ventris, vel scissio seu disruptio, ope alicuius instrumenti, secundinae, seu coriaceae illius membranae, in qua foetus clauditur, et humore natat, quo subtracto, ibi vivere amplius non potest, sed necessario eiicitur. Quare *directa* procuratio abortus hic intelligitur non tantum *directa intentione*, quatenus quis foetus eiectionem intendat, sed *directa* etiam *actione* exteriore, quatenus haec per se primo

ad foetum expellendum efficaciter tendat. *Indirecta* procuratio abortus habetur, applicando medium vel medicamentum *per se primo* ordinatum ad sanitatem conferendam matri, ex quo tamen *sequatur* etiam expulsio foetus, vel etiam adhibendo medium vel medicamentum, ex quo *aeque* habeatur sanitas matris et foetus expulsio. Prioris generis sunt pharmaca quaedam irritantia et violentia, quae per se primo tendunt, propria efficacia, ad pravos humores et pravas morbi dispositiones corrigendas, consequenter vero abortum etiam procurant. Posterioris generis sunt ea remedia, quae fibrarum relaxationem causant, ut balneum, sanguinis fluxus et emissio; unde simul dum sanitati consulitur, abortus producitur, una eademque causa. *Indirecta* haec procuratio abortus, *indirecta* est *actione* simul et *intentione.* Verum potest quis *directa intentione* ad abortum procurandum adhibere medium indifferens de se, et ad alium honestum finem per se ordinatum.

744. *An licita sit indirecta procuratio abortus? — Licet aliquando indirecte abortum procurare*, seu potius permittere, subministrando videlicet matri morbo gravi laboranti remedia morbo curando *per se* idonea, etsi *consequenter* abortus sequi possit, vel remedia *aeque* per se idonea morbo curando, ac foetui nociva. — Prob. primo ex communi theologorum doctrina. L. l. 3. n. 394., Struggl Tr. 7. q. 3. n. 15., Sanchez de Matr. l. 9. D. 20. n. 13. seqq., Diana Tr. 6. de abortu R. 38. seqq. Praeterea, quando remedium aliquod, seipso unaque et eadem efficacia, utrumque effectum simul producere potest, sanandi matrem et prolem occidendi, sive primario sanitas matris et consequenter abortus sequatur, sive hi effectus sint sibi invicem paralleli, unus non assumitur necessario *re* aut *intentione* tamquam medium ad alium procurandum. Ergo adest tunc casus actionis bonae aut indifferentis, ex qua sequitur duplex effectus unus bonus, alter vero malus, quam fas est ponere, si finis agentis sit honestus, pravum scilicet effectum non intendat, et adsit causa proportionate gravis.

Licet aliquando; si nempe agatur de morbo lethali matris, cuius vita servanda causa proportionate gravis est respectu *vitae temporalis* prolis. « Certum est, inquit S. Alph. l. c., apud omnes, licitum esse remedium praebere praegnanti, directe ad eam curandam etiam cum periculo abortus, si morbus est mortalis, secus si non esset talis ». Et inferius: « Si (remedium) tendat directe ad servandam vitam matris, ut esset purgatio corporis, scissio venae, balneum, etc., haec *certe* licita sunt, *quando aliter certo moraliter* iudicatur mater cum prole moritura », nempe remedio non adhibito; vel quando aequale esset periculum abortus, sive remedium adhibeatur sive non; vel quando moraliter certo constet foetum nondum esse animatum, ut saltem pro prioribus conceptionis diebus teneri potest. Ratio est, quia consulitur tunc saluti matris sine maiori periculo prolis; et quia in pari necessitate mater potest magis prospicere sibi quam proli. Et *par est necessitas*, nam nulla quidem adest spes baptismum proli procurandi in primo et tertio casu; spes illa vero in secundo casu aequalis est.

E contrario *par non est necessitas*, quando certa quidem est mors matris, si medicinam non sumat; sed, si eam sumat, certa est mors prolis non solum temporalis, sed etiam aeterna, quia baptismus ministrari ei non poterit, qui vero certo ei posset ministrari, si mater a medicina abstineret; quia proles certo mortuae matri supervivet; et tunc « tenetur utique mater

ex ordine caritatis abstinere a medicina, et praeferre suae vitae corporali vitam spiritualem prolis ». L. l. c. Et « sic etiam ex eadem caritate tenetur abstinere, quando dubitatur de salute matris et prolis », L. l. c., quando nempe dubitatur, an, neglecta medicina, mater possit sanari; et an, pereunte matre, proles possit supervivere et baptizari. « Et etiamsi mors matris esset moraliter certa, si non sumat remedium, nec etiam tunc auderem ei medicinam permittere, *si aliqua rationabilis spes affulgeret*, quod, mortua matre, proles superviveret et baptizari posset: quia nemini licet, ad tuendam suam vitam temporalem, positive exponere proximum in necessitate constitutum, periculo mortis aeternae. Secus vero puto dicendum, *si nulla spes rationabilis esset* de vita prolis post mortem matris, ita ut possit illa deduci ad baptismi gratiam; quia tunc non videtur caritas obligare matrem in extrema necessitate positam, ut vitam suam negligat, a remediis abstinendo, ob exiguam et remotissimam spem vitae prolis ». L. l. c.

Atque hic, *ad praxim quod attinet*, animadvertit S. D. l. c., « medicos quoad pharmaca praestanda matribus, non esse scrupulose angendos, eo quod probabilissimum sit, rarissimum esse casum, et moraliter impossibilem, ut pene miraculum sit, quod, pereunte matre, proles supervivat, ut baptismum recipere possit ». Attamen ea res non adeo negligenda est; quia non semel etiam accidit, quod ob peritiam chirurgorum statim ac spiritum mater exhalaverit, inciso matris utero, proles viva extracta fuerit et baptizata.

745. *An licita sit directa procuratio abortus? — Nullo unquam casu vel causa licet directe procurare abortum,* etiamsi foetus supponeretur adhuc inanimatus. Prob. Etenim 1.° si sermo sit de directa procuratione abortus improprie talis, nempe per media vel medicamenta, quibus ad foetum vel infantem *laedendum* ac perimendum *directe* tenditur, ut, e. g., cum medici ope forcipis cranium infantuli in ipso matris utero conterunt, ad mortuum foetum postea violenter extrahendum; verissimum habetur homicidium, *directe* intentum, et *directe* exercitum, quod nunquam licet.

2.° Si sermo sit de directa procuratione abortus per media vel medicamenta, quae non nisi partus praematuram accelerationem directe causant, ex qua proles necessario, ex ipsis naturae legibus morti succumbere debeat, « *post animationem* id esset directe occidere infantem, quod numquam licet »: nam positiva actione eiicere infantem *immaturum* extra uterum, est positive subtrahere illi medium institutum ab ipsa natura ad eius vitae conservationem, quod est directe aliquem occidere: « *ante animationem* vero neque licet id directe procurare, sicut non licet procurare seminis effusionem etiam ad salvandam vitam, in quo casu loqui videtur Tertullianus in Apol. cap. 3.; rationem enim reddit universalem, *homo*, inquit, *est qui futurus est, nam fructus in semine est* ». Lugo de Iust. et Iure D. 10 n. 130. Quare, cum foetus etiam non animatus ordinetur ad hominem formandum; illius eiectio homicidium anticipatum est. Hinc Ithur. Cas. 21. n. 5. « certo certius, ait, semper esse gravi malitia infectam directam abortus procurationem ».

3.° Doctores sunt sane graves et plures, quos sequitur et refert Sanchez de Matr. l. 9. D. 20 n. 9. et Struggl Tr. 7. q. 3. n. 16., qui existimant, abortum directe procuratum, ubi tamen dumtaxat agatur *de mera foetus*

inanimati praematura eiectione, non ita esse intrinsece illicitum, ut saltem in casu servandi vitam matris, ex praesenti morbo extreme periclitantis, non liceat. Immo doctores non desunt, qui directam procurationem abortus foetus etiam animati defendunt, in praedicto casu, « quam sententiam olim non improbabilem censuit » cl. D'Annib. P. 2. n. 284. Ed. 3.ª Sed haec opinio omnino excluditur Decretis S. Offic. de illiceitate *craniotomiae.* Enimvero inter caedem, quae per craniotomiam habetur, et inter abortum huiusmodi nihil reapse distat. Nam quis negaverit pariter hominem occidere et qui eum transverberat, et qui e turri eum deiicit, et qui eum in mare mergit? Reiicitur praeterea ea opinio Decreto S. Offic. 24. Iul. 1895., quo ipsius *abortus* illiceitas expresse declaratur.

VI. — DE DUELLO

746. *Quid sit duellum?* — Duellum stricte dictum, et prout canonico iure gravibus poenis prohibetur, est pugna inter duos vel paucos privata auctoritate, et ex condicto inita, cum periculo occisionis, mutilationis vel gravis vulneris. — *Inter duos* vel *paucos*, nempe in pari numero, et ita a bello distinguitur, quod est multorum contra multos. *Privata auctoritate*, nam publica auctoritate, quale fuit illud Davidis cum gigante Goliath et Horatiorum cum Curiatiis, licitum est; cum paucorum pugna non minus licita sit quam multorum, si utraque publica auctoritate ad bonum commune suscipiatur. *Ex condicto*, quod nempe communi consensu indicat *locum* ac *tempus*, et sic distinguitur a rixa, quae nullum supponit pactum praecedens. *Arma* quoque designanda sunt ad poenas incurrendas. Hic enim est ordinarius duellorum mos, ut etiam arma designentur. Quare de tali pugna censendi sunt loqui Romani Pontifices, duellum prohibentes et poenas in duellantes statuentes. *Cum periculo* etc., ut excludantur a notione duelli stricte talis omnes illae pugnae, ad gravem laesionem inferendam ineptae, uti quae levibus baculis fiunt aut aliis instrumentis, ad occidendum vel graviter vulnerandum non ordinatis, licet in tali pugna unus per accidens laedatur. — Hinc patet, illicite quidem agi et mortaliter peccari, non tamen esse duellum stricte dictum, et consequenter poenis iuris subiectum, quando duo, ob iniuriam subita ira excandescentes, et ad pugnam se provocantes subito congrediuntur, quamvis ex eodem irae et vindictae impetu ad locum aliquem idoneum statim simul se conferant. Ratio est, quia sic provocatio et pugna non sunt moraliter duae actiones, sed unica tantum, adeoque non est proprie pugna ex praevio condicto, aut designatione temporis et loci. — Struggl 55. seqq., La-Croix l. 3. P. 1. n. 843. seqq., L. 399. 401.

747. *An licitum sit duellum? — Duellum est intrinsece malum et mortale.* Prob. 1.° Nam repugnat legi naturali *advertenter* et *privata auctoritate* seipsum et alium exponere proximo periculo occisionis, mutilationis vel vulneris; usurpatur enim ius Dei, qui solus est vitae Dominus. 2.° Trid. S. 25. C. 19. de R. docet: «*detestabilem* duellorum usum, fabricante diabolo, introductum esse, ut e cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur». — L. 399. 400. 401.

748. *Resolves:* Non licet acceptare duellum, ne quis timiditatis notam et ignominiam apud alios incurrat. Immo neque licet illud acceptare quamvis officio et sustentatione privaretur. Quod enim intrinsece malum est nunquam licitum esse potest. Cf. pr. 2.^{am} d. ab. Alex. VII. et ppr. dd. a Benedicto XIV. — L. 400. 401., E. M.

749. *An illicitum sit etiam duellum, apposita conditione, ut ad primos ictus illatos finiatur; vel si quis illud solummodo simulet, quamvis certo sciat pugnam non secuturam?* — R. Affirmative. Nam quoad primum, etiam in eo casu maximum adest lethalis vulneris periculum, ut ipsa constat experientia. Praeterea Clemens VIII. in B. *Illius vices* haec habet: « Auctoritate Apostolica et tenore praesentium decernimus et declaramus... iisdem poenis (excommunicationis reservatae), Decreto (Tridentino), et Constitutionibus (ceterorum Pontificum) teneri eos, inter quos pactiones initae sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit ». Insuper istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem praebet. — Quoad alterum, quia tunc peccat quis praebendo saltem alteri scandalum et occasionem peccati. Praeterea peccat praebendo etiam aliis scandalum et occasionem peccati; illi enim, qui duellum in loco signato suscipiunt, ab aliis iure credi possunt se duello concertaturos. Insuper leges Ecclesiae non tantum prohibent caedes, sed etiam intendunt *detestabilem* duellorum usum exterminare; huic autem fini repugnant duella etiam ficta. — Reuter P. 3. n. 380.

750. *An saltem aliquando licitum esse possit duellum?* — *Licitum quidem est duellum in omnibus illis casibus, in quibus agatur de sui defensione contra aggressorem;* nam tunc reapse non est *duellum facere, sed vim vi repellere,* quod omnia iura concedunt. Hinc Struggl n. 65. ait., « licitum posse evadere duellum, si duellum contra iniustum aggressorem ad defensionem vitae, vel ingentium bonorum, necessario deberet suscipi; ut si quis tibi *actualiter* intentaret certam mortem, direptionem bonorum, aut incendium domus, nisi cum illo *actualiter* duellum ineas; nam licitum est se defendere contra iniustum aggressorem vitae, et ingentium bonorum, alia via irrecuperabilium ». Et, ubi non de ipsa vita et bonis defendendis, sed de ipso honore defendendo agatur, idem theologus, haec antea n. 61. tradiderat: « Si igitur provocatus ad duellum sit vir nobilis, eques, aut miles, cui fuga provocatoris et actualis aggressoris esset valde ignominiosa, licitum est ei dicere ad provocantem, etiam gladium manu apprehendendo: Ego hoc ense me defendam, ubicumque me petiveris, quod etiam hic, si me aggressus fueris, praestabo; exire autem ad locum condictum non est hominis christiani, utpote contra legem naturae, Dei et Ecclesiae. Ratio est: quia similis vir non tenetur ex caritate fugere cum tam gravi honoris incommodo, et timiditatis nota; adeoque licite potest stare, et se stando defendere: nam sic ante actuale duellum se haberet mere defensive. Si tamen alicui alteri ex fuga non immineret periculum vulnerationis a tergo, aut gravis ignominiae, teneretur fugere; ut cum aliis docet idem La-Croix 841 ».

VII. — DE BELLO

751. *Quid sit bellum?* — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, legitima principis auctoritate suscepta, ad reipublicae bonum defendendum, aut ad eius illatam iniuriam vindicandam. Differt bellum a *rixa* quia rixa est, inter privatas personas, paucorum vel singulorum, contra paucos vel singulos. Differt a *seditione*, quia seditio est multitudinis contra multitudinem in eadem republica, sive societate. — *Rixa* ex inordinata voluntate procedit. Et ideo rixa semper importat peccatum. Et in eo quidem, qui alterum invadit iniuste, est *per se* peccatum mortale; inferre enim nocumentum proximo, etiam opere manuali, non est absque mortali peccato. Quia vero *seditio* habet speciale bonum, cui opponitur, scilicet unitatem et pacem multitudinis, speciale est peccatum. — S. Th. 2. 2. q. 40. a. 1., q. 41. a. 1., q. 42. a. 1.

752. *Quotuplex sit bellum?* — Bellum aliud est *defensivum*, aliud *offensivum*. — Bellum *offensivum* pertinet ad iustitiam vindicativam, et non potest institui, nisi auctoritate supremi principis. — Bellum vero *defensivum* illuc tantum spectat, ut vis ab alia republica illata vi repellatur. — « Porro, cum vim per iniuriam illatam vi repellere omnia iura permittant; hinc bellum defensivum non solum potest suscipi publica, sed etiam privata auctoritate invasorum ab hoste; ut habetur L. 3. ff. *de Iust. et iur.* Interim tamen inter bellum privata et publica auctoritate susceptum hoc est discrimen, quod pugnantes in bello defensivo, privata auctoritate, teneantur ad moderamen inculpatae tutelae, sistendo in sola necessaria et sufficiente defensione; e contra pugnantes in bello defensivo, publica auctoritate suscepto, possint iuste ulterius offensive procedere ad vindictam iniuriae illatae ». Struggl 40. — L. 402., S. Th. 2. 2. q. 40. a. 1.

753. — *An licitum sit bellum?* — *Liceitas belli defensivi* ex eo patet, quod si privato licet vim vi repellere, idem profecto licebit toti societati. — *Liceitas vero belli offensivi*, si debitae concurrant conditiones, constat tum ex communi catholicorum auctoritate, tum quia iure naturali non solum licitum est iniuriam propulsare, dum alicui iniuste infertur; sed etiam publica auctoritate vindicare et amovere, postquam illata est, ne deinceps iterum inferatur. Atqui supremi principes, qui in terris non habent iudicem superiorem, non possunt iniurias ab alio principe sibi illatas vindicare, nisi per bellum offensivum. Ergo. — C. *Iustum* 1. c. 23. q. 2., C. *Dominus* 2. ib., Struggl 41., Ithur. Cas. 40. n. 13., L. 402, S. Th 2. 2. q. 40. a. 1., E. M.

754. *Quaenam sint conditiones ad bellum licite et iuste inchoandum, continuandum, finiendum?* — R. ad 1.um 1.° *Auctoritas publica*, i. e. suprema, nullum alium superiorem in civilibus agnoscens. Ratio est, quia ubi maior auctoritas habetur, haec de lite iudicare debet. S. Th. 2. 2. q. 40. a. 1. — 2.° *Causa iusta* et *gravis*, quae sit praeponderans incommodis ex bello secuturis, v. g., regnum vel provincia recuperanda, aut iniuria gravis reipublicae propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda, etc. Cum enim e bello tot mala et corpori et animae multorum

proveniant, illud non nisi in extremis tentandum est. L. 403., S. Th. 2. 2. q. 40. a. 1. — 3.° *Ius moraliter certum.* Ratio est 1.° quia possessor bonae fidei nequit re possessa exspoliari, nisi constet eum iniuste illam retinere. 2.° Quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, *tum privatorum*, tum *ipsius societatis*, ut sunt caedes, iniustitiae, morum corruptelae et alia huiusmodi, quae bellum ordinarie subsequuntur, requiri videtur moralis certitudo iuris sui. Ita *longe probabilius* et *verius.* S. Lig. 404., Pal., Tamb., aliique contra plures, quorum alii maiorem tantum probabilitatem, alii vero aequalem sufficere autumant. Minorem autem probabilitatem, minime sufficere communiter docent theologi. — 4.° *Ut ante bellum* a parte adversa *requiratur condigna satisfactio;* quae si offeratur, ex iustitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse iustum. — L. 405., Verricelli Tr. de Apost. Mission. t. 13. q. 182. S. 17. § 13.

Ad 2.um Etiam post mutuam aggressionem, et conflictum, quando iam aliqui ceciderunt ex parte eius, qui iustum bellum gerit, debet acceptari condigna satisfactio, et bellum intermitti, si illa offeratur ab adversario principe; sin minus ex rigore iustitiae, saltem plerumque ex caritate, modo pars altera omnes expensas iam factas compensare velit, nec ad bonum publicum necesse sit, ut eius petulantia retundatur. L. 405., Laym. l. 2. tr. 3. c. 12. n. 5. Ratio 1.i est, quia tunc bellum iam desinit esse necessarium ad finem. Ratio 2.i quia, cum in bello vindicativo, cum iam plures ceciderint, ferme impossibile sit dare satisfactionem condignam, a bello actualiter coepto princeps offensus non tenetur ex iustitia, sed potius ex sola caritate desistere, et satisfactionem acceptare; ut cum aliis advertit Laymann l. c.

Ad 3.um. In bello offensivo post recuperatam rem debitam, et omnem indemnitatem, aut post vindicatam sufficienter iniuriam, victor tenetur acceptare pacem iustis conditionibus instructam : idem est de victore in bello defensivo, postquam iniuriam sibi illatam satis vindicavit. Ratio, quia excessus esset contra ius iustitiae vindicativae, immo etiam commutativae. Praeterea finis belli est pax et securitas. Ergo, his satis obtentis, a bello, tamquam medio atroci, est desistendum. Porro etiam victus, *per accidens*, saepius tenetur acceptare pacem, ne se et suos subditos maiori periculo, infortunio, aut intolerabili incommodo exponat. — Struggl 44.

755. *Quaenam in bello liceat facere contra hostem?* — In bello iusto omnia licet facere contra hostem, quae sunt *necessaria* et *apta* ad obtinendum *iustum belli finem*, iuxta mandatum tamen, et voluntatem expressam, vel tacitam belli ducis. Laym. n. 9., Sporer 112. Ratio est; quia ille, qui habet ius ad finem, habet etiam ius ad media necessaria et apta; ergo in bello iusto licet contra hostem omnia facere, quae sunt necessaria et apta ad obtinendum iustum belli finem. *Quae sunt necessaria, et apta;* nam alia proximo damnosa, quae ad talem finem non sunt necessaria, non possunt iuste inferri, et damnum dein debet resarciri. — Struggl 45., L. 409.

756. *Resolves:* 1.° In bello iusto licet uti insidiis et *stratagematibus*. S. Th. 2. 2. q. 40. a. 3. Haec non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii, cum media illa in bello adhiberi soleant. Illicitae

autem sunt *fraudes*, quae prudentia praecaveri non possunt. Licet aqua urbes privare; sed non licet veneno inficere puteos et fontes, innocentes *directe* occidere, occidere *legatos*, Cf. 737., qui iure gentium ubique sunt inviolabiles, itemque *subornare sicarios*, qui principem, vel ducem exercitus *occulte trucident*. — 2.° Licitus est usus cuiuscumque generis armorum, dummodo haec non sint venenata. — Licet urbes et arces obsidere, tormenta contra illas explodere, immo aliquando monasteria et ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si, v. g., hostes ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam *in praedam* dare, sed non nisi ob gravissimas rationes. Id tamen non licet militibus propria auctoritate, sed opus est, ut adsit *legitima permissio*. Et tunc non licet ullo pacto *directe occidere* innocentes, quo nomine veniunt, pueri, mulieres, senes, peregrini, clerici, rustici, mercatores, etc. quia hi nihil commiserunt, propter quod possent vita privari, neque sunt *actuales* vel *proximi aggressores*. *Peregrinos* insuper innocentes neque bonis *per se* licet spoliare, propterea quod neque in seipsis, neque in societate nocentes sunt. Itemque, quando urbs datur in praedam semper excipiuntur *monasteria, ecclesiae, loca pia*. Bona autem immobilia ex lege belli cedunt principi aut reipublicae; mobilia de usu fiunt primi capientis, nisi consuetudo, vel lex sit, ut pars cedat principi et communitati; vel omnia in communi reponantur, et singulis debita cum proportione fiat distributio. — 4.° Praeter *praedas licent* etiam *repressalia*, quae sunt occupatio vi facta et retentio personarum, vel rerum inimicorum, quae casu vel de industria in manus alterius partis perveniunt; cum sint quaedam compensationis ac belli species. *Licent*, si tamen: 1.° Manifeste constet cives alterius reipublicae fecisse iniuriam. 2.° Si illorum superiores rogati recusent administrare iustitiam. 3.° Si constet eos culpabiliter id recusare. 4.° Si princeps supremus, causa cognita, id concedat. 5.° Si non inferatur plus damni, quam iusta satisfactio requirat. 6.° Si non committantur in personas ecclesiasticas; C. *Etsi* unic. *de Iniur.* in 6.° — 5.° In ipso conflictu vel impugnatione licet occidere omnes *contra bellantes*, vel *in armis exsistentes*, cuiuscumque conditionis, status, vel sexus, usquedum ipsi se captivos dedant, et parta sit perfecta victoria. Post autem conflictum et obtentam victoriam, licet etiam aliquando occidere captos vel deditos nocentes, si nempe antea mortem aliquo crimine meriti sint; vel si id ad pacem et securitatem stabiliendam aut iniuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitae servandae se dederint; vel nisi sint clerici etiam nocentes, quos post conflictum nullo pacto licet occidere principi saeculari ob ipsorum immunitatem. — C. *Miles* 13. c. 23. q. 5., L. 409. 410., Struggl 47. seqq., Ithur. Cas. 40. n. 14. 17., Laym. l. 2. tr. 3. c. 12. n. 7. 9. seqq.

757. *An principes catholici possunt in bello vocare in auxilium haereticos vel etiam gentiles?* — Prima sententia universe affirmat. Secunda sententia absolute negat. Tertia sententia affirmat *per se* licere; *per accidens* tamen ratione scandali et damni religionis, quod plerumque adest, illicitum esse. « Haec tertia sententia, ait S. Alph. 406., speculative est quidem probabilis, sed secunda in praxi videtur omnino tenenda. Ratio, quia est moraliter impossibile, quod, contracta societate cum hostibus fidei, praefata damna religioni non obveniant ».

758. *An milites belligerare possint cum dubio de iustitia belli?* — Vel agitur *de militibus subditis;* vel *de non subditis;* vel *de conductis.* Si 1.um, tenentur obedire principi iubenti, donec de belli iniustitia sint omnino certi; subditi enim tenentur obedire, ubi peccatum non est certum. Deinde in proposito casu bellum praesumere debent tanquam iustum, ubi contrarium clare non appareat; possidet nempe ius superioris, ita ut, docente August., « fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi ». L. 22. cont. Faust. c. 75. Si 2.um, non debent militare, nisi certi fiant de eius belli iustitia; cum enim agatur de damno tertii et quidem gravissimo, nequit illud eidem inferri antequam constet de iniustitia possidentis. Si 3.um, vel iam erant conducti *ante* bellum indictum, et idem dicendum est ac de subditis; vel *post*, et valet quod de non subditis dictum est. — L. 407. 408., Ithur. Cas. 40. n. 16., Tambur. Explic. Dec. l. 6. c. 1. par. 1. n. 9., Lugo de Iust. et Iur. D. 10. n. 144., Laym. l. c. n. 8.

759. *An clericis liceat belligerare?* — Clericis *extra casum necessitatis* iure canonico sub poena irregularitatis prohibitum est in bello propria manu pugnare, C. *Clericum* D. 50., C. *Eos qui* c. 20. q. 3., etc. *Extra casum necessitatis;* nam in quibusdam casibus necessitatis, clerici absque licentia Papae, et absque poena irregularitatis, possunt propria manu in bello pugnare. — Struggl 54., Laym. l. c. n. 19., S. Th. 2. 2. q. 40. a. 2.

760. *Quaenam tempore belli specialis adsit pro principe et ducibus obligatio.* — Principes et duces, maxime tempore belli, tenentur curare, ut milites morum et religionis praecepta observent, ne populis scandalo adsint vel damno. Debent item recta administratione illis stipendia persolvere, et debita aequitate onera in cives distribuere, si quando apud ipsos pernoctent et morentur; alioquin tenentur ipsi compensare damna et militibus et aliis, qui a militibus damna acceperunt; cum horum omnium sint causa iniusta et efficaciter movens. Itemque civibus, qui tempore belli ingens damnum passi sunt restitutio quaedam a republica debetur. Ius enim belli excusat non quae civibus fiunt, sed quae hosti nocent. Neque vero aequum est, ut alii aliis plus onerentur, cum de communi omnibus bono agatur. Eadem ratione contributio fieri solet, si unius merces in mare proiectae sint, ut aliorum res salventur. — Luc. 3., 14.; L. 405. 407., Laym. l. c. n. 18.

761. *An confecto bello, teneantur partes publica pacta servare, belli et victoriae obtentae vi extorta?* — Huic quaestioni affirmative respondet Gury Cas. 410.: «Ratio est, ait, quia foedera publica per ius gentium, omni humano generi commune, introducta sunt, sic exigente bono communi generis humani. Etenim, nisi pacta publica inter tot principes diversos, et inter magistratus ac subditos omnimode servanda essent, nulla pax aut societas, stabilis consistere posset; sed via perpetuis bellis et caedibus aperiretur». Eandem habet sententiam Reuter, quam communem esse affirmat, inquiens P. 3. n. 510., « fides publica data hosti, etsi bellum iniustum gerenti, servanda est, modo foedus non sit *obiective malum* ». De hac eadem quaestione haec habet Lugo: « In bello propter publicum pacis bonum, et securitatem regnorum oportet, quod pacta utrinque serventur, quando fiunt sine coactione et metu; alioquin cum unusquisque praesu-

mat, se habere iustam causam belli, nunquam eiusmodi pacta servarentur, quod esset maximum impedimentum pacis componendae: sicut etiam propter eandem rationem debetur impunitas, et indemnitas oratoribus et legatis publicis, quia alioquin non posset haberi tractatus circa pacem, quod esset magnum inconveniens ». De Iust. et Iur. D. 37. S. 15. n. 179. Et S. Th. 2. 2. q. 40. a. 3. ait: « aliquis potest falli ex facto vel dicto alterius ex eo quod ei dicitur falsum vel non servatur promissum; et istud semper est illicitum; et hoc modo nullus debet hostes fallere; sunt enim quaedam iura bellorum, et foedera etiam inter ipsos hostes servanda ». — C. *Noli* 3. c. 23. q. 1., Layn. l. c. n. 15. 16.

DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRAECEPTO

I. — DE ACTIBUS NON CONSUMMATIS

762. *Quid sextum et nonum Decalogi praeceptum?* — Sextum et nonum Decalogi praeceptum sunt: *Non moechaberis... Non desiderabis uxorem eius* (proximi). Ex. 20., 14. 17. — Sexto decalogi praecepto prohibentur omnia, quae repugnant ordinatae propagationi generis humani. Nam haec omnia suo modo reducuntur *ad moechiam*, seu adulterium, tanquam actum primarium, repugnantem ordinatae huic propagationi. Nono vero praecepto omnis interior concupiscentia prohibetur eorum operum externorum, quae sexto praecepto prius fuerant iam prohibita. Utrumque ergo hoc praeceptum prohibet *luxuriam*, quae est: inordinatus appetitus vel usus venereorum. — S. Th. 2. 2. q. 154. a. 1., L. 412. 414.

763. *Quaenam sit luxuriae malitia?* — *Malitia luxuriae in hoc consistit*, quod homo venereis, i. e. commotione spirituum genitalium et semine, quod a natura et Deo, tanquam auctore naturae, ordinatur ad debitam propagationem generis humani, inordinate utatur ad voluptatem, aut alium perversum finem. *Inordinate*, h. e. extra matrimonium, vel contra matrimonii leges in matrimonio.

764. *An luxuria sit grave peccatum?* — *Luxuria cuiusvis generis vel speciei est, per se, grave peccatum.* Ratio est: 1.° Quia graviter pugnat contra naturam. Usus enim rei venereae ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem et propagationem generis humani; non potest igitur usurpari extra matrimonium; immo ne in matrimonio quidem, nisi debito modo, sine gravi recti ordinis perturbatione. 2.° Quia sub gravi a Deo naturae Auctore prohibetur, ut ex innumeris S. S. locis constat; sic ad Galat. 5., 19.: *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,... quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* — L. 14., S. Th. 2. 2. q. 153. a. 2. 3.

765. *An luxuria directe voluntaria materiae parvitatem admittat?* — *Luxuria directe voluntaria in quovis genere nunquam parvitatem materiae admittit.* Ratio est, quia quaevis delectatio directe quaesita subversionem,

in re gravissima, naturalis ordinis a Creatore stabiliti necessario inducit. Constat etiam ex pr. 40.[a] d. ab Alexand. VII. — Sporer de Matrim. n. 689. 690., L. 415. 416., S. Th. 2. 2. q. 153. a. 2. 3., E. M.

766. *An luxuria indirecte voluntaria admittat parvitatem materiae?* R. Affirmative, quia nullus tunc est *consensus* seu directa *intentio* in voluptatem veneream, sed tantum in causam, quae leviter vel graviter est peccaminosà, prout leviter vel graviter in delectationem influit. — L. 482. 483., Cf. 37.-40.

767. *Cuinam virtuti luxuria opponatur? — Luxuria directe opponitur castitati*, quae, generaliter sumpta, est virtus moralis, quae moderatur inordinatum appetitum et usum venereorum. Pars castitatis, eaque perfectissima, est *virginitas*, quae duo importat, integritatem nempe corporis, et integritatem mentis, seu propositum illam integritatem corporis servandi in perpetuum. Enimvero triplex distinguenda est castitas, *coniugalis, vidualis, virginalis.* Castitas *coniugalis* est, quae in matrimonio licitis voluptatibus moderate utitur. Castitas *vidualis* est, quae post mortem coniugis, aut aliunde amissam virginitatem, firmo proposito ab appetitu et usu venereorum deinceps abstinet. Castitas demum *virginalis* est, quae ab omnibus voluptatibus carnalibus, tam illicitis, quam licitis in matrimonio, proponit perpetuo abstinere. — S. Th. 2. 2. q. 151. 153.

768. *Quomodo virginitas amittatur? — Virginitas physice amittitur* in puella per aperitionem sive effractionem claustri virginalis, et in mare per effusionem seminis; *moraliter* vero tam a foemina quam a mare amittitur per voluntariam pollutionem. Attamen quoad statum politicum, et in facie Ecclesiae, puella manet virgo, quamdiu claustrum virginitatis per concubitum non fuit violatum, et mas quamdiu foeminam carnaliter non cognovit. — Tambur. Explic. Decal. l. 7. c. 5. n. 2. 3., Laym. l. 3. S. 4. n. 7.-9., Sporer, post Tract. V. in Append. ad 6.[um] Praecept. n. 6., S. Th. 2. 2. q. 152.

769. *Quotuplex hic delectatio distinguatur? — Duplex, hac in re, distinguenda est delectatio*, alia *venerea*, quae dicitur etiam *carnalis*, alia *sensibilis*. Delectatio *venerea* sentitur in partibus genitalibus per commotionem spirituum genitalium et seminis; e contra delectatio *sensibilis* in aliis sensibus sentitur ex applicatione eorum ad obiectum suum, et proportione obiecti ad proprium sensum. — Delectatio *sensibilis* dupliciter patet; alia est *pure talis*, alia est *sensibilis-venerea*. Delectatio *sensibilis pure talis* ea est, quae oritur ex obiecto, quod de se praecise non est aptum movere ad delectationem veneream, ut, e. g., delectatio, quae oritur ex tactu holoserici, odoratu floris, auditu musicae, gustu sacchari. Delectatio *sensibilis-venerea* ea est, quae exoritur ex obiecto, quod de se aliquo modo aptum est movere ad delectationem veneream, ut, e. g., delectatio, quae exoritur ex tactu, ex amplexu foeminae, ex eius osculo, etc. — L. 412. 413. 415.

770. *An licita sit delectatio venerea? — Delectatio venerea deliberate voluntaria inter homines, quibus illicita est copula, ad luxuriam proprie spectat*, et peccatum grave est ex toto genere suo, materiae parvitatem non admittens, ut constat ex n. 765.

771. *An licita sit delectatio pure sensibilis?* — *Delectatio sensibilis pure talis ad luxuriam proprie non pertinet, sed ad sensualitatem,* eaque de se mala non est, sed indifferens. Neque vero alia malitia in ea reperiri potest, quam ea, quae generatim est in actu, qui ad finem rationalem non refertur, qualis profecto esset, si quis non solum ageret *cum ea delectatione*, sed etiam *propter eamdem delectationem*, ulteriorem honestum operis finem positive excludendo.

772. *An licita sit delectatio sensibilis — venerea?* — *Delectatio sensibilis-venerea*, aut ex natura sua *proxime* disponit ad delectationem *veneream*, aut tantum *remote*. Si *proxime*, peccatum grave *per se* est; propter proximum periculum delectationis venereae. Si *remote*, peccatum veniale *per se* non excedit, si directe intendatur; propter inordinationem, quae in ea directe intenta est, neque tamen gravem, cum absit *proximum* periculum delectationis venereae. — Struggl 4. 7., Tambur. Expl. Decal. l. 7. c. 8. n. 1. seqq., Sporer de Matr. 686.-688. 691., L. 416.

773. *Quomodo luxuria distinguatur?* — *Luxuria alia est interior, alia exterior.* Prior est voluntaria occupatio phantasiae, intellectus et voluntatis per *gaudium, delectationem morosam*, aut *desiderium* rei venereae, voluptatis gratia. Posterior est ipsemet venereorum usus, voluptatis gratia; et multiplex *specie* est: Alia enim est in actibus *non consummatis*, alia in *actibus consummatis*, qui specie ab illis differunt; ac tum haec, quae in actibus consummatis est, tum illa, quae est in actibus non consummatis, in alias species subdividitur pro obiectorum specifica diversitate. Actus autem *consummati*, hac in re, sunt illi actus, qui usque ad humoris prolifici effusionem pertingunt. Qui ad hunc terminum non pertingunt actus sunt *non consummati*, qui proprie *sensualitatis* et *impudicitiae* actus sunt. S. Th. 2. 2. q. 151. a. 4., q. 154. a. 1. ad 5., q. 155. a 2. 3. 4., L. 412. Actus *non consummati* luxuriae sunt turpes aspectus, auditiones seu sermones, quibus lectiones turpes accensentur, odores et gustus turpes, denique tactus.

774. *Quid de aspectibus obscoenis?* — Aspectus voluntarius et deliberatus rerum *valde obscoenarum*, quae *ex sua natura proxime disponunt* ad delectationem veneream, nisi fiat *ex iusta causa*, est, *per se loquendo*, peccatum mortale; aspectus vero rerum *minus obscoenarum*, quae *ex natura sua* solum *remote disponunt* ad delectationem veneream, nisi etiam fiat ex *iusta causa, per se loquendo*, est peccatum solum veniale. Ratio 1.ae p. est, quia quis ita agens se exponit periculo proximo delectationis venereae, quae est graviter peccaminosa; adeoque graviter peccat. Ratio 2.ae p. est, quia licet obiectum sit aliqualiter inhonestum, adeoque actio circa illud illicita, non affert tamen proximum venereae delectationis periculum, unde ea actio graviter illicita non est. — L. 420. seqq.

775. *Resolves:* 1.° Aspectus picturarum obscoenarum, si obiter fiant et ex mera curiositate, et absit proximum periculum consensus in turpem delectationem, ut mortalia non habentur. Idque facilius admitti potest ob consuetudinem quoad imagines et sculpturas, angelos repraesentantes nudos, aut quasi nudos, sicut plures in templis christianis exponuntur. — Aspectus earundem picturarum *morosus* non videtur excu-

sari posse a gravi peccato, quia per se graviter influit in turpem delectationem — L. 424.

2.° Per se loquendo, et seclusa mala intentione, aut periculo consensus propter specialem fragilitatem, peccatum veniale non excedit aspicere ex levitate et quadam curiositate, partes turpes animalium, et animalia coeuntia. — Struggl 12., L. 419.

3.° Non est mortale aspectus propriorum genitalium, *si breviter fiat;* secus, *si fiat studiose et morose.* L. 419. « Non est mortale *de se*, citra periculum consensus venerei, aspicere pudenda personae eiusdem sexus, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam, vel nisi pulcher adolescens aspiceretur nudus ». L. 420. 421., vel iterum, *nisi fiat studiose et morose.*

4.° Aspectus in partes honestas personae diversi sexus, etiam pulchrae, *per se*, non sunt peccata. Quare si huiusmodi aspectus fiat ex simplici urbanitate, vel causa alia honesta nullum omnino est peccatum. Si autem ex curiositate vel cum morositate aliqua fiant, peccata *per se* sunt venialia. A mortali vero non excusantur aspectus *diuturni*, si proximum periculum involvant consensus in turpem concupiscentiam, praesertim, si commotio spirituum insurgat, et a fortiori si persona inordinato amore diligatur. L. 422., Sanch. l. 9. D. 45. n. 20.

5.° Aspectus in partes minus honestas, sed non turpes, mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, non sunt *per se* peccata mortalia, si obiter fiant, secluso semper proximo pravi consensus periculo. Si vero aspectus fiant *studiose et morose* ita ut proximum habeatur periculum consensus in veneream delectationem, grave est. A mortali ergo generatim non excusandi, qui ubera mulieris pulchrae nuda cum mora notabili sine causa aspiciunt, ob periculum huiusmodi aspectui adnexum. Sed graviter non peccant, qui, secluso speciali periculo, matres aut nutrices infantulos lactantes aspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris, vetulae aut iunioris non adhuc formatae, oculos figunt. — L. 423., Sanch. l. c. et D. 46. n. 26.

6.° Aspectus in verenda diversi sexus aut in partes vicinas ordinarie sunt peccata mortalia, nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus; quia aspectus huiusmodi *diuturni* per se graviter influunt in turpem delectationem. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. — Excipiunt: 1.° Si aspiciens sit puer vel valde senex, aut valde frigidus, quia isti parum moventur. 2.° Si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. Unde non censentur graviter peccare ancillae et nutrices, quae pueros sibi commissos sic aspiciunt; nisi morose vel iteratis vicibus, pravoque affectu id faciant. — Peccatum item grave est deliberate aspicere personam alterius sexus totam nudam, nisi aspectus fieret solum leviter, obiter, aut a longe, vel aspicere personas coniugatas coeuntes. — Sanch. l. 9. D. 46. n. 23.-25. 29., Laym. l. 3. S. 4. n. 10. 14., Struggl 12., L. 420. 421.

7.° Omnes aspectus praedicti, qui leviter vel graviter peccaminosi sunt, omni culpa carent, si ex proportionata utilitate et necessitate fiant, qualis datur, e. g., in medico vel chirurgo, dum in his partibus mederi debet. — Diana Tr. 6. de aliq. Cas. circa mater. lux. R. 19., L. 419. 420.

776. *Quid de turpibus sermonibus?* — « *De se* non est malum verba turpia proferre aut audire ». L. 426. *De se*, nam, practice loquendo, verba *valde obscoena*, continuata harum rerum conversatione, quae loquentem vel audientes *ex natura sua proxime disponunt* ad delectationem veneream, nisi fiant *ex iusta causa*, sunt peccatum mortale. Verba vero *minus obscoena*, vel obiter dicta, quae *ex natura sua* solum *remote disponunt* ad delectationem veneream, nisi pariter fiant ex iusta causa, sunt peccatum solum veniale. Ratio est *proximum* aut *remotum* venereae delectationis periculum, quod huiusmodi conversationibus et verbis habetur. — L. 426. 427. 428.

777. *Nota:* Quod de sermonibus dictum est, eadem proportione de cantionibus et lectionibus impudicis dicendum etiam est. — L. 426.

778. *Resolves:* 1.° Graviter peccant, qui coram personis solutis, praesertim alterius sexus, sermones inter se permiscent de seminatione, copula carnali et aliis, quae, attentis personarum, rei dictae, et modi eam dicendi circumstantiis, proxime disponere possunt loquentes vel audientes ad delectationem veneream. Neque, *per se loquendo*, excusantur a gravi peccato, qui, iocandi praetextu, verbis aequivocis, sed satis notis, de his rebus sermones miscent, et conversationem habent; excipe, nisi aliquid huiusmodi *mero ioco* et *obiter* dicatur. Ille enim iocus et aequivocatio nedum removet, auget potius, ob excitatam curiositatem, periculum venereae delectationis. — Item libros omnino obscoenos legere, absque iusta causa, est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis causa fieri id videatur; quia *per se* haec lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate ob aetatem provectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant. Certum autem est, componentes, ac etiam vendentes libros notabiliter turpes, nullo modo excusari posse a peccato gravi, ob scandalum aliorum, quamvis non intentum; nec lucrum quamvis magnum excusare valet. — L. 426. 428.

2.° Non est *per se* mortale proferre turpia quidem, sed non graviter obscoena, si fiat breviter, per iocum, aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dicteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemmiatoribus, mulionibus, quia ad merum iocum ordinarie dicuntur et audiuntur. — Neque vero semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia, ceteroquin honesta, cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis fiant. — Quid ergo iudicandum de amoribus, ut vocant, praesertim inter iuniores? Non sunt indiscriminatim omnes culpae mortalis damnandi; quamquam *saepe occasio proxima* lethaliter peccandi difficulter aberit, saltem in progressu, et accedentibus quibusdam adiunctis, ut si adamantes omnino soli, praesertim per longius tempus, aut noctu, etc. conveniant. — Item libros amatorios et leviter inhonestos legere per se non est peccatum mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum, praesertim iunioribus. — Componentes vero aut vendentes libros leviter obscoenos peccant quidem, etiam lethaliter, si ad excitandam libidinem id faciant; si vero tantum ad lucrum comparandum, aut ob aliud motivum non graviter pravum, peccatum erit solummodo veniale, cum absque

gravi periculo legi queant huiusmodi libri. Clerici vero ac religiosi non videntur per se loquendo posse componere aut spargere huiusmodi libros absque gravi scandalo. — L. 422. 426., Prax. 63.

3.° Legere libros obscoenos iustam ob causam, v. g., ad stilum efformandum et perficiendum, ad discendam historiae veritatem, ad superiores informandos, ad corrigendos mores, etc. nullum est peccatum, modo turpibus non assentiatur.

779. *Nota:* Ex illis, quae dicta sunt, n. 774. 776., iudicium ferri potest *de theatris;* an nempe peccent qui theatris intersunt. Si enim peccant, non nisi *ob turpes aspectus*, vel *turpes res auditas* peccare possunt. — L. 427. 428.

780. *Quid de tactibus turpibus?* — Tactus *valde turpes*, qui *ex natura sua proxime disponunt* ad delectationem veneream, nisi *ex iusta causa* fiant, *per se loquendo* sunt peccatum mortale; tactus vero *minus turpes*, qui *ex natura sua* non *disponunt* proxime, sed solum *remote* ad delectationem veneream, nisi pariter *ex iusta causa* fiant, *per se loquendo* sunt peccatum solum veniale. Ratio est, quia tangens priori modo se aut alteram personam, exponit se aut alteram personam *periculo proximo* delectationis venereae; posteriori vero modo, *periculo* solum *remoto:* neque utriusque tactus rationabilis adest causa, illum cohonestans. Ergo. — L. 415. 416. 417. 418., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. q. 156. a. 2. 4.

781. *Resolves:* 1.° Tangere genitalia brutorum non est ordinarie nisi veniale. Hos autem tactus producere usque ad effusionem seminis probabiliter est mortale, quia est actio vehementissime excitans ad veneream delectationem. Attamen, si quis id faceret, ex mera levitate et curiositate, et experiatur, se nihil inde veneree commoveri, de mortali damnari non posset. — Tamb. Explic. Dec. l. 7. c. 8. n. 5., Sporer de Matrim. n. 697., L. 419. 420.

2.° Tactus proprii corporis veniale non excedunt, quando, secluso affectu venereo, obiter tantum, et ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt admodum incentivi. — L. 419.

3.° Tactus in verendis alterius personae eiusdem sexus, aut partibus vicinis, etiam super vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, ioco, levitate, et obiter fiant. — L. 420.

4.° Veniale non excedit tangere partes *honestas*, e. g., digitos, manum, vultum personae diversi sexus, si haec ex mera levitate fiant, nec adsit speciale venereae delectationis periculum, ratione modi, quo hi tactus fiunt. — L. 415. 416. 417. 418.

5.° Tactus in partibus *minus honestis* personae diversi sexus, quales sunt pectus, crura, brachia, si ex mera levitate, curiositate, ioco, etc. fiant, veniale etiam non excedunt, secluso semper speciali delectationis venereae periculo ratione modi, quo hi tactus fiant. — L. 430.

6.° Tactus in partibus *turpibus*, h. e. in partibus genitalibus, vel quae ipsis proximae sunt, personae diversi sexus etiam brevi tempore habiti, sive immediate, sive mediate fiant, seu supra vestes, excusari regulariter nequeunt a peccato gravi, quia proximum venereae delectationis periculum continent. Probabiliter tamen arguendae non sunt de peccato gravi ancillae, quae tangunt pudenda infantium, dum eos vestiunt, etiamsi ex

levitate vel curiositate quadam; secus vero, si *studiose* et *morose* id fieret, ob proximum periculum venereae delectationis. — L. 420. 430.

7.° Ut alii actus incompleti, de quibus in numeris praeced., ita etiam tactus non sunt *ex intrinseca sua natura* mali, ut constat ex ratione constanter adducta, sed tantum extrinsece *ob proximum* nempe *venereae delectationis periculum, ob proximum periculum consensus in eam.* Et sane omnes hi actus *ex intrinseca sua natura* non pertinent *ad luxuriam* seu rem *veneream*, quae non nisi coitu, pollutione et delectatione carnali, quae ad ea disponit, vel ea sequitur in partibus genitalibus, continetur; sed *ad sensualitatem et pudicitiam per se* spectant, ut ex iam supra dictis constat, Cf. 773. Omnes ergo praedicti tactus liciti omnino sunt *ex proportionata necessitate et utilitate.* — Hinc medici tangentes ex necessitate pudenda personae etiam diversi sexus non peccant, esto per accidens involuntariam pollutionem patiantur. Neque peccant *per se*, qui se tangunt ad abstergendas corporis sordes, vel ad pruritum sedandum, aut ad infirmitates curandas. Si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant. Magna tamen in his discretione confessarius utatur, oportet. Huiusmodi enim dubia personas praesertim conscientiae timoratae vexare solent. — L. 417. 419. 420., H. A. n. 3., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4.

782. *Nota:* Ex illis, quae *de tactibus* dicta sunt, patet quid dicendum in particulari *de osculis, de amplexibus, de choreis:* quae graviter turpes, leviter turpes, et honestae esse possunt, attento vario, quo fiant, modo. — L. 417. 429. 430.

783. *An praefati tactus specie differant ab actu consummato pollutionis et copulae, et ab aliis actibus incompletis?* — R. Ad 1.um Affirmative; et haec responsio valet tum pro tactibus, tum pro aliis actibus incompletis, de quibus hactenus fuit sermo. Ratio est, quia actus inchoatus differt natura ab actu consummato. Quando igitur similes actus praecedunt actum venereum in eadem passione completum, aut eumdem comitantur, vel immediate subsequuntur, ut oscula, tactus, etc. constituunt cum actu venereo completo *unum numero* peccatum, et non sunt necessario in confessione sacramentali distincte explicandi: quando vero exercentur sine actu venereo completo sunt ab hoc distinctum peccatum, unum tamen vel plura numero, si exerceantur in eodem motu passionis, vel pluribus. Unde in tali casu sunt luxuria quaedam incompleta, et in confessione sacramentali explicandi.

Ad 2.um Prima sententia communior affirmat. Ratio est, quia hi actus secundum se inspecti et a facultatibus distinctis ac diversis procedunt, et ad distincta ac diversa obiecta ordinantur. Unde sequitur, quod « desiderium turpiter aspiciendi, tangendi, osculandi, fornicandi, distinguuntur *specie* non tantum a morosa delectatione de illis obiectis, sed etiam singula ab invicem, quia tendunt ad ista obiecta prout a parte rei ponerentur; si autem a parte rei ponerentur, distinguerentur specie, uti patet. Hinc, qui semel delectatus est cogitatione de copula, et semel desideravit copulam, non satisfacit dicendo, bis habui turpem cogitationem, sed dicere debet, semel delectatus sum copula, et semel desideravi. Similiter, qui semel desideravit aspicere, semel osculari, semel tangere,

semel fornicari, non satisfacit dicendo, quater desideravi aliquid turpe facere, sed tenetur ea obiecta exprimere ». La-Croix l. 6. P. 2. n. 1032.

Secunda sententia negat. Ratio, quia licet huiusmodi actus *physice* procedant a facultatibus realiter distinctis et diversis, et ad obiecta tendant realiter distincta et diversa, *moraliter* tamen inspecti non continent malitiam *intrinsecam* gravem, sed *gravem* quam continent *malitiam a delectatione venerea* habent, ad quam proxime disponunt, et quae eadem *specie* est pro omnibus hisce actibus. S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. Unde sequitur, quod, explicata in confessione *venerea delectatione* secuta, cui quis consensit, non est necesse explicare, an eam sibi procuraverit aspectu vel tactu suipsius, aspectu etiam vel tactu alterius personae, praecisione tamen facta *a cooperationis peccato*, et *scandalo*, explicandis certe, si adfuerint. Explicata item interiori voluntatis *delectatione*, vel *desiderio* quoad veneream delectationem, explicandum non est, an illa voluntatis delectatio et desiderium, immediate ad aspectus vel tactus turpes terminabatur.

Haec habet Billuart Diss. 6. art. 15. § III. *Nota* et seqq.: « Docet Franc. Henno delectationes de aspectu, tactu, osculo, etc. specie inter se differre. et debere sic distincte accusari... quia, inquit, aspectus, tactus, oscula, specie inter se distinguuntur... sed tamen fatetur praxim confessariorum et poenitentium esse contrariam. Insuper puto ego falsum esse eius fundamentum, nempe tactus, oscula, aspectus specie inter se distingui in genere luxuriae. Cum enim non sint per se mala, ut dictum est, sed tantum ratione commotionis, aut pollutionis, aut copulae, ad quas excitant et tendunt, eandem inter se malitiae speciem habent, scilicet vel commotionis carnalis, vel pollutionis, vel copulae, etc. Unde meo iudicio satisfaceret poenitens, qui diceret, toties excitavi in me vel in alio commotionem carnalem, aut pollutionem, tacendo an per tactus, aut aspectus, aut oscula, modo sui et complicis conditiones explicet. A fortiori satisfaceret dicendo, toties delectatus sum carnaliter circa talem vel talem personam, non explicando an circa tactus, aut oscula, aut aspectus; bene tamen si fuerit delectatio circa copulam, aut pollutionem, quia cum haec differant specie ab impudicitia, et distincte sint accusanda, ita et delectationes circa ipsa ». S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. ad 3., loquens de osculis et tactibus ait: « quod huiusmodi non sunt peccata secundum *suam speciem* ». Et ib. ad 2. ait: « *ex libidine* habent rationem peccati ». Et ib. in c.: huiusmodi, secundum quod *libidinosa sunt*, sunt peccata mortalia ».

784. *An tactus aliique actus incompleti, cum peccatum grave sunt, malitiam contrahant specie diversam pro variis personarum circumstantiis?* — Ad tactus, oscula et amplexus quod attinet, communiter affirmatur. Et ratio est, quia morali existimatione tactus prae aliis actibus maxime respiciunt personam *individuam*, et ad copulam *quam proxime* accedunt. Unde quemadmodum in copula circumstantiae specificae personarum sunt explicandae, ita et in tactibus. L. 417. 453. 459. 469. Quoad aspectus, affirmant pariter Salmant. apud S. Alph. 421., ac tum quoad aspectus, tum etiam quoad verba turpia sive dicta sive audita, eodem fere modo ac quoad tactus affirmat etiam Sanchez de Matrim. l. 9. D. 46. n. 17. 18. 30. 45. propter rationem omnino universalem, quia nempe hi actus omnes ordinantur ad coitum, eiusque malitiam moralem participant. Verum

S. Alph., relata Salmant. opinione, quoad aspectus haec subdit: « Sed huic doctrinae verius contradicit Croix l. 6. P. 2. n. 1030., ubi ait, quod qui sine ullo desiderio personam veneree aspicit, non tenetur dicere qualis fuerit persona. Quomodo enim foemina, aspiciendo turpiter sacerdotem... committet sacrilegium, quod consistit in violatione personae sacrae, cum ibi nulla violatio intercedat? Et quomodo quis, aspiciens turpiter consanguineam, committet incestum? » l. c. Haec vero valent etiam quoad verba turpia dicta vel audita, ut per se patet. — S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. ad 1.um, ad 2.um, L. 415. 416. 417., Gur. Cas. 146., Laym. l. 3. S. 4. n. 13.

785. *An in tactibus quos secum vel cum alio quis habeat explicandus sit sexus, an sit ipse mas, an foemina?* — R. *per se* loquendo negative; id enim se habet *per se* mere materialiter. Cf. 816.

786. *An quoad tactus explicandae sint corporis partes, quas graviter hac in re peccans tetigit?* — R. Haec La-Croix l. 6. P. 2. n. 1031.: « Qui sine desiderio veneree attigit puellam, secundum Dianam satisfacit dicendo se toties attigisse turpiter, nihil dicendo de partibus, in quibus attigit. Alii probabiliter dicunt exprimendum, si partem turpem attigerit ».

II. — DE PECCATIS IUXTA NATURAM

787. *Quomodo distinguantur peccata luxuriae consummatae?* — Alia sunt *secundum naturam*, quando nempe exercentur eo modo, qui generationi speciei humanae non adversatur, si videlicet in concubitu servatur sexus diversus, species eadem, vas et modus naturalia; alia sunt *contra naturam*, si semen ita effundatur ut generationi inservire non possit; id est si modo enumerata non serventur, sive id fiat extra concubitum, sive in concubitu. — L. 412. 432., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 2.

788. *Quid fornicatio?* — *Fornicatio* est copula *soluti* cum *soluta* ex mutuo consensu. *Soluti* cum *soluta*, h. e. a vinculis matrimonii, cognationis aut affinitatis et voti. — *Fornicatio est intrisece mala, et peccatum mortale;* ita ut nunquam liceat. — Prob. 1.a p. 1.° ex pr. 48.a d. ab Innoc. XI. 2.° Quia fornicatio et vagus concubitus repugnat bonae prolis educationi, quae sine vinculo coniugali maris et foeminae non potest fieri. Nam ad illam non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis etiam cura patris, a quo dein proles est instruenda, defendenda et ad statum, in quo sibi de necessariis possit providere, promovenda. — Prob. 2.a p. 1.° quia in S. S. fornicatores excluduntur a regno caelorum. 1. ad Cor. 6., 9. 2.° Quia fornicatio graviter repugnat bono prolis, et debitae propagationi generis humani; nam, si liceret fornicatio et vagus concubitus, mares de proprietate prolis dubii eam non agnoscerent, et debitae educationi non studerent: foeminae vero a maribus dein derelictae, procurarent abortus, relinquerent infantes, aut eos plane occiderent. — Porro fornicatio est peccatum mortale, etsi dives vellet curare debitam educationem prolis fornicariae; nam si fornicatio in tali casu liceret, plerique similem licentiam sibi arrogarent, omitterent matrimonia, et fornicatio successive fieret communis contra debitam pro-

pagationem generis humani. — Trid. S. 24 C. 8. de R. M., S. 25. C. 14. de R., Struggl 23., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. 3., L. 432. 435. seqq., E. M.

789. *Nota:* « Qui solum incipit copulam; sed non absolvit, nec seminat, debet idipsum explicare, quia licet tunc sit *fornicatio inchoata, et in affectu*, non est tamen fornicatio reipsa; sed est *actus impudicus*, et *extremus impudicitiae.* Multo magis, qui eamdem copulam incipit, ex excitata iam natura resilit, semenque dispergit, explicare debet; quia iam adest *duplex malitia*, nimirum *fornicatio inchoata et in affectu* et *mollities consummata,* ut per se patet ». Sporer 575. 576., Struggl 25., Lugo de Poenit. D. 16. n. 237. seqq., L. l. 6. n. 916.

790. *Quid stuprum?* — *Stuprum* sumitur aliquando pro omni illicito concubitu; sed communius hac voce speciale luxuriae peccatum designatur. Non autem sibi consentiunt thth. circa naturam huius peccati. P. Gury 425. stuprum, ait, est violatio seu oppressio mulieris, ipsa invita. Verum communiter thth. stuprum reponunt in defloratione virginis. Alii autem tenent propriam stupri rationem simpliciter consistere in *illicita virginis defloratione;* alii vero tenent consistere in *violento concubitu cum virgine*, ita ut concubitus cum virgine consentiente non sit peccatum distinctum a simplici fornicatione. Virginis autem nomine in utraque sententia non ea intelligitur, quae virtutem virginitatis ita servavit ut nullo peccato luxuriae fuerit maculata, sed illa quae virginitatis signaculum retinet integrum, etsi polluta fuerit etiam voluntarie, ideoque amiserit irrevocabiliter *virtutem* virginitatis. — L. 443., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 6., Laym. l. 3. S. 5. Tr. 3. P. 3. c. 13. init.

Certum apud omnes est *violentam* virginis deflorationem, praeter grave peccatum contra castitatem, involvere etiam peccatum grave contra iustitiam, in confessione necessario explicandum; propter gravissimam iniuriam virgini irrogatam, eiusque parentibus, si sub eorum tutela virgo sit. Inst. l. 4. t. 4. § 2. Atque haec violentiae circumstantia, ut per se patet, exprimenda est, etiamsi mulier non esset virgo, sed corrupta vel coniugata. Porro « per violentiam hic intelligitur non solum violentia *physica*, sed etiam *moralis*, qualis est fraus et metus; item importunae preces et blanditiae, quae, iuxta iudicium prudentum, in hac praesertim materia, violentia moraliter reputantur; quales sunt eae, quas comitantur magna promissa, oscula, tactus, veneris incentiva, ac uno verbo eae omnes quibus ingenua mulier facile resistere non potest ». Billuart de Temper. Diss. 6. art. 3. *Dico* 1.°, Struggl 28. 29. Quamvis vero non habeatur vis seu violentia, certe insignis fraus habetur, adeoque specialis malitia contra iustitiam in confessione declaranda, si quis fornicaretur cum muliere amente, ebria, aut dormiente, quia violatur sine eius consensu, et proinde gravis ei infertur iniuria. — Sporer 606., Laym. l. c. n. 1., S. Th. 1. 2. q. 154. a 6., L. 430. 433.

Verum, an illicita defloratio *virginis* ultro consentientis sit *species* luxuriae a simplici fornicatione distincta, controvertitur, et utraque sententia saltem extrinsece probabilis est. Negativa sententia probabilior videtur. Ratio, quia illa circumstantia physicae virginitatis seu integritatis mere materialiter se habet respectu virtutis castitatis, adeoque peccatum contra castitatem specie non immutatur. Hinc, quod consequens est, circumstantia haec virginitatis in peccatis quibuscumque a foemina

vel viro, virginibus, commissis necessario in confessione non erit explicanda; nisi forte occasione reservationis, vel censurae, vel alterius extrinsecae circumstantiae, puta si culpabiliter innotuerit, et dedecus ac damnum obvenerit, quod sit reparandum. — S. Th. 2. 2. q. 154. a. 1. 4., Laym. l. c.

Ad illatum autem damnum reparandum, si nulla matrimonii promissio intercessit, stuprator tenetur aut puellam ducere in uxorem, aut eam sufficienter dotare vel eius dotem sufficienter augere, ut alteri aeque nubat, ac si virgo esset. — L. l. 3. n. 640.-642. 648., Laym. l. c. n. 2.-4., Lugo de Poenit. D. 16. S. 4. § 7., C. I. Poen. 331. seqq., C. G. 331. seqq.

791. *An stuprum, si virgo deflorata consentiat, contineat saltem specialem malitiam iniustitiae respectu parentum, in quorum custodia erat?* — R. Negative. « Ratio, quia, si ipsa puella, cum sit domina sui corporis, nullam irroget iniuriam patri, si deflorationi consentiat, utens iure suo, tanto minus irrogat deflorator. Tantum illa peccabit, et consequenter etiam violator, contra pietatem patri debitam, et etiam contra obedientiam, si de tali crimine expresse prohibitionem a patre habuerit, ut ait Lugo n. 226. » L. 641., l. 3. n. 641.

792. *Quid raptus?* — *Raptus* dupliciter sumi potest. Primo enim sumi potest, prout est impedimentum dirimens matrimonium, et est abductio violenta mulieris cuiusvis e domo vel potestate paterna vel quasi paterna, ad alium locum *ad contrahendum matrimonium* sub potestate raptoris. Altero vero modo, est luxuriae species; eaque est personae cuiusvis, sive sit masculus, sive foemina, sive virgo sive corrupta, sive nupta sive innupta, abductio de loco ad locum, illata vi sive abductae, sive iis quorum potestati subest, scilicet parentibus aut tutoribus, aut viro, non autem si sint fratres et mulier sit sui iuris, *libidinis explendae causa.* Inst. l. 4. t. 4. § 2. Quare primo modo persona abducitur, matrimonii contrahendi causa; altero vero modo, causa libidinis. De raptu 1.° modo in tract. de Matrim. est sermo, hic de raptu agimus 2.° modo. Porro patet, quomodo raptus ita sumptus a stupro differat. Nam stuprum solummodo cum virgine invita locum habet, raptus autem cum quacumque persona; stuprum solam involvit violentiam vel fraudem, raptus etiam abductionem de loco ad locum; stuprum violentiam infert tantum virgini, raptus personae abductae, aut iis quorum potestati rapta subest, aut etiam utrisque. « Unde vides raptum virginis, secuto turpi effectu, non nisi valde accidentaliter differre a stupro ». Sporer de Matr. 603. Si quae tamen sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, non erit proprie *raptus*, sed *fuga*, non addens malitiam specie distinctam fornicationi. Malitia ergo raptus propria consistit in iniuria, quae infertur in violenta abductione, libidinis causa. Quare, ut stuprum perfecte tale, ita raptus praeter peccatum luxuriae continet peccatum iniustitiae: ac ista iniustitia est tam contra personam ipsam, quae violenter abducitur, quam etiam contra parentes aut alias quascumque, quarum in potestate persona illa est constituta. Ex Trid. S. 24. C. 6. de. R. M. raptor tenetur « mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter, arbitrio iudicis dotare; » nisi mulier sit meretrix aut malae famae. — S. Th. 2. 2. q. 154. a 7., L. 444., C. I. Poen. 340. seqq., C. G. 354. seqq.

793. *Quid adulterium?* — *Adulterium* est copula cum alterius coniuge. *Peccatum grave est, ab aliis specie distinctum.* Praeter peccatum contra castitatem, aliud contra iustitiam includit. Violat enim in re gravi ius inalienabile alterius coniugis; unde non cessat talis malitia, licet iste consentiat. — L. 445., S. Th. 2. 2. q. 154. a 8.

Gravitatis huius peccati gradus sunt: 1.° *Gravis*, cum persona soluta peccat cum ligata; quia praeter fornicationem solum cooperando peccat contra ius tertii. 2.° *Gravior*, cum persona ligata peccat cum soluta, quia praeter fornicationem peccat contra fidem a se datam propriae coniugi, et quia violat ius acquisitum coniugi in eius corpus. 3.° *Gravissimus*, cum persona ligata peccat cum ligata, quia praeter fornicationem peccat ipse contra iustitiam, violans ius proprii coniugis, et cooperatur peccato contra iustitiam sui complicis, violantis pariter ius proprii coniugis. Unde status utriusque declarandus omnino est in confessione. 4.° *Adulterium uxoris gravius* adulterio viri est, propter damnum gravissimum familiae et legitimorum haeredum, volitum in causa, quae circumstantia est, aliam inducens malitiae speciem. — Sporer 529., L. 445., C. I. Poen. 353. seqq., C. G. 336. seqq.

« *Adulterium committitur a coniugato in omni prorsus specie luxuriae*, saltem externae, non tantum naturali, cum soluta, ligata, consanguinea, sacra, etc.: sed etiam contra naturam, bestialitate, sodomia, mollitie, itemque osculis et tactibus impudicis etiam cum solutis: ideoque talia agens coniugatus, vel coniugata tenetur explicare statum matrimonii sui. Communissima dd. Sanchez l. 9. D. 18. n. 4., Lugo, Tamburin. Ratio est; quia in his omnibus semper fit *iniuria coniugi*, iuxta Apostolum. *Vir non habet potestatem corporis sui*, etc. Et e contra ». Sporer 529.

Adulterii etiam vel quasi adulterii malitiam coniuges contrahunt peccantes contra naturam, sodomia aut mollitie, quum mutuo vel seorsim se polluunt. Sic enim verissime dividitur eorum caro contra fidem matrimonii. Debent autem necessario explicare peccatum illud commissum esse cum propria coniuge: secus enim nunquam peccatum a se commissum explicabunt. — Sporer 526., L. 446., Diana tr. 6. de Matr. R. 186. n. 4., E. M.

794. *An coniux, si solum morose delectetur de copula cogitata cum altero, contrahat etiam adulterii mentalis malitiam, necessario in confessione explicandam?* — « Affirmat Vasquez 2.ª p. tom. 1. D. 112. cum aliis. Ratio est, quia fides matrimonii obligat, non solum corpus, sed etiam mentem ad aliud obiectum turpe non collocare: ideoque talis morose delectans, non tantum peccat peccato luxuriae, sed etiam adulterii mentalis: quemadmodum omnium consensu religiosus, sacerdos, vel alius, voto castitatis adstrictus, in confessione delectationis morosae venereae tenetur explicare circumstantiam voti, vel status sui; quia non solum contra castitatem, sed etiam vere contra votum et virtutem religionis delinquit. Probabilis, et sine dubio tutior sententia. Negat vero non improbabiliter Hurt. apud Tambur. l. 10. Decalogi n. 6. his verbis: Docet Vasquez coniugatum, qui veneree delectatur de fornicatione cum non sua, non tantum peccare peccato luxuriae contra castitatem, sed etiam peccato adulterii contra fidem matrimonii. Id tamen difficili et absque sufficienti fundamento probatur, quia difficile et absque fundamento dicitur in matrimonio praestari fidem coniugi non collocandi mentem in aliam.

Haec Hurtad. satis probabiliter. Certe, absque sufficienti fundamento et urgenti necessitate aut ratione, non est gravandum sacramentum poenitentiae. Alia est ratio de voto castitatis adstricto. Nam vovens castitatem Deo inspectori cordium, sine dubio principaliter vovet et obligat se ad castitatem etiam internam, sine qua nihil valet externa: at contrahens matrimonium cum homine sine fundamento asseritur, ei etiam obligare mentem, ne in aliud obiectum libidinose tendat ». Sporer n. 523.

795. *Quid incestus?* — *Incestus* est concubitus cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos. — Incestus grave peccatum est, et *specie* differt ab aliis luxuriae peccatis. Est enim non solum contra castitatem, sed etiam contra pietatem et reverentiam, quam ipsi coniuncti sibi mutuo debent. — S. Th. 2. 2. q. 154. a. 9., L. 448., C. I. Poen. 337., C. G. 333. seqq.

796. *An non solum copula, sed etiam omnes tactus impudici inter coniunctos induant naturam incestus in confessione necessario explicandi?* — R. Affirmative. Nam isti etiam actus reverentiae, coniunctis debitae, repugnant. — L. 453. 469., Billuart Diss. 6. art. 6. 9., Cf. 784.

797. *An adsit incestus inter eos, qui ligantur impedimento publicae honestatis?* — Quidam affirmant, et Sporer 613. tanquam certum tradit. Sed saltem probabiliter negandum est. Ratio est, quia incestus est inter cognatos et affines. Atqui inter eos, qui ligantur impedimento publicae honestatis, neque cognatio est, neque affinitas stricte talis. Ergo.

798. *An incestus inter cognatos spirituales et legales sit diversae speciei, quam inter consanguineos et affines?* — « Absolute affirmandum cum Salm. et S. Th., qui 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2.um docet, per copulam inter cognatos spirituales *committi sacrilegium ad modum incestus*... Pariter incestus inter cognatos legales, nempe ratione adoptionis, est *diversae speciei* ab aliis enunciatis et explicari debet ». L. 450. 469. — « Fatendum est illum (incestum inter cognatos legales) esse *proprie incestum;* unde non est cur dicamus differre specie ab incestu inter consanguineos et affines naturales... Unde... non necesse erit explicare *differentiam cognationis legalis a naturali*... Circumstantia vero cognationis spiritualis *specie diversa est* ab incestu, quia licet contineat malitiam aliquam incestus... addit tamen ultra hoc *malitiam sacrilegii* ». Lugo de Poenit. D. 16. n. 327. seqq. — Haec autem Sporer n. 612. 613.: « Qui peccat carnaliter cum persona coniuncta cognatione legali (cuius quadruplex est gradus, 1.° inter adoptantem personam et adoptatam eiusque descendentes, 2.° inter adoptatum et filios legitimos adoptantis, 3.° inter uxorem adoptati et ipsum adoptantem, 4.° inter uxorem adoptantis et adoptatum) sine dubio committit *speciale peccatum incestus*, ut tale necessario confitendum, cum inter easdem personas ob saepe dictam reverentiam coniunctis debitam, Ecclesia constituat impedimentum dirimens matrimonium. Utrum autem incestus iste sit explicandus, *ut distinctum peccatum* ab aliis incestibus supra dictis, et an etiam explicari debeat illa modo dicta *diversitas graduum* seu personarum? Rursus probabilius ac tutius quod sic; et satis probabile quod non. Qui autem peccat cum persona coniuncta cognatione spirituali contracta ex sacramento baptismi et confirmationis (cuius duplex est gradus seu species, *paternitas spiritualis* inter baptizantem et confirmantem,

item inter patrinos ex una parte, et baptizatum et confirmatum ex altera parte: et *compaternitas spiritualis* inter eosdem, baptizantem et confirmantem, ac patrinos ex una, ac parentes baptizati vel confirmati ex altera parte: nam *fraternitas spiritualis*, inter baptizatum et confirmatum, et filios baptizantis vel patrinorum exolevit) is omnino committit *incestum distinctum* ab omnibus praedictis in consanguinitate, affinitate, vel legali cognatione, ideoque specialiter explicandum in confessione: quia addit specialem malitiam irreverentiae sacramenti, ratione cuius reducitur ad genus quoddam *sacrilegii*. Utrum autem etiam explicari debeat, an factum sit ex sacramento baptismi vel confirmationis: item an in paternitate vel compaternitate? Probabilissimum quod non, quia in omnibus eadem deformitas non multum gravior vel levior ». Ita etiam Billuart Diss. 6. art. 6. — Caietanus vero in 2. 2. q. 154. a. 9.: « Ad 2.am obiectionem de cognatione spirituali et legali, dicitur, quod quia coniunctio talis non ordinatur ad consanguinitatem, ut proprium ac proximum finem, sed secundum quamdam assimilationem, ideo illius violatio metaphorice dicitur incestus ».

799. *An propinqui, obtenta dispensatione ad matrimonium contrahendum, si ante matrimonium fornicentur, incestum committant?* — Duplex est sententia: utramque probabilem habet S. Alph. 452. Ratio sententiae negantis est, quia, cessante *speciali* matrimonii *repugnantia*, cessat consequenter *specialis* fornicationis *repugnantia:* hac enim manente ipsum matrimonium impediretur.

800. *Quid sacrilegium?* — Sacrilegium, quatenus est luxuriae peccatum, est violatio loci, rei, vel personae sacrae, per actum venereum: praeter peccatum ergo contra castitatem, complectitur etiam peccatum contra religionem. S. Th. 2. 2. q. 154. a. 10., L. 454.

801. *Quid sacrilegium personale?* — *Sacrilegium carnale et personale* « *proprie* et *in rigore* dicitur concubitus illicitus seu quodvis peccatum carnis personae Deo voto solemni castitatis adstrictae et consecratae, utpote per professionem religionis approbatae, aut per susceptionem ordinis sacri a subdiaconatu inclusive. Ratio est, quia sacrilegium proprie et in rigore est violatio rei sacrae: res autem sacra proprie dicitur, quae publica auctoritate et ritu ad cultum Dei instituta et consecrata est: atqui per solum votum solemne professionis, vel sacri ordinis persona publica auctoritate Ecclesiae, illud votum solemniter loco Dei acceptantis, consecratur ad cultum Dei: non item per votum simplex privatim emissum. Quare peccatum carnis personae sacrae solo voto simplici castitatis adstrictae, non quidem est in rigore proprie dictum sacrilegium; cum non sit personae sacrae: est tamen speciale peccatum contra virtutem religionis et 2.um praeceptum Decalogi, scilicet violatio voti et promissionis Deo factae, et ideo necessario quoque in confessione explicandum, secundum omnes ». Sporer 615. Cf. 500.

802. *Resolves:* Hinc, qui ligatus solemni castitatis voto peccat carnaliter, peccatum perpetrat triplicem continens malitiam; *impudicitiae* contra castitatem; *infidelitatis* contra Deum, ob non impletionem promissionis ipsi factae, *sacrilegii* ob violationem seu profanationem personae Deo consecratae. *Sacrilegii* vero gravitas triplicis gradus est, si compli-

cem habeat: 1.° *Gravis*, si peccatum carnale *sit personae non sacrae cum sacra*. 2.° *Gravior*, si sit *personae sacrae cum non sacra*. 3.° *Gravissimus*, si sit *personae sacrae cum sacra*. L. 456.

803. *Nota:* 1.° Probabile est non opus esse exprimere, utrum votum fuerit solemne vel simplex, quia probabilis est etiam opposita sententia, quod nempe verum etiam sacrilegium sit violatio personae sacrae, voto simplici castitatis ligatae. Neque item necesse est dicere, si persona sit duplici titulo sacrata, v. g., quia est religiosus et sacerdos, quia constitutus in sacris probabilius et verius tantum ratione voti ordini adnexi tenetur ad castitatem, et colligitur ex C. *Cum olim de Cler. coniug*. L. 454. 455. Cf. 500. — 2.° « Omnino tenendum, sacrilegium committere religiosum, qui morose delectaretur de peccato carnali alterius, vel qui alterum suis manibus pollueret, etiam sine sua delectatione ». L. 457. Itemque sacrilegium committit, qui personam sacram ad peccatum luxuriae inducit, licet ipse cum ea non peccet; sacrilegio enim cooperatur. E contrario, satis probabile est sacrilegium non committere, qui habens votum castitatis alterum suo consilio inducit ad carnale peccatum, quia castitatis votum emittens, non alienam sed tantum propriam castitatem respicit; unde tunc scandalo peccaret. Intellige tamen, si id alio fine faceret, quam ex positivo libidinis affectu: secus enim iam directe in propriam castitatem, cuius votum emisit, peccaret. L. 457. — 3.° Sacrilegium personale in affectu esset, si quis se pollueret cogitando cum delectatione Sanctum vel Sanctam, vel quod horribilissimum est, ipsum D. N. J. C. aut ipsam B. V.

804. *Quid locus sacer in sacrilegio locali?* — *Locus sacer* hic solummodo intelligitur ecclesia, h. e. locus ad divina officia ab episcopo consecratus, vel etiam simpliciter benedictus a tecto usque ad pavimentum; et coemeterium, h. e. locus benedictus et deputatus ad mortuos sepeliendos. Quare excluduntur oratoria privata, cum non sint verae ecclesiae; excluduntur etiam aliae omnes partes ecclesiae, quae intra tectum et pavimentum minime continentur, uti sunt cellae, claustrum, sacristiae, dormitorium, tectum supra ecclesiam, ianua extra limen ecclesiae, atrium. L. 460.

805. *An peccata interna in loco sacro sint sacrilegia?* — *Peccata mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, graviter talia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro, etiamsi extra locum sacrum illud desiderium habeatur; est enim tunc sacrilegium *in affectu*. Cf. 502.

806. *Quid de peccatis externis?* — *Quoad peccata externa* certum est apud omnes, committi sacrilegium *per actus consummatos*, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem, etc. Ubi advertendum est, quod plures ex S. Alph. 458. probabiliter tenent non nisi per *publicam* seminis effusionem sacrilegium in ecclesia committi; licet alii probabiliter dicant etiam *occultam* effusionem esse sacrilegium. — L. 36. 334. 458., l. 6. n. 920., Cf. 502.

807. *An praeter actus consummatos, sacrilegium committatur per alia peccata externa gravia non consummata?* — Alii probabilius affirmant, alii non improbabiliter negant. L. 459. 461., Spor. 619. « Excipit tamen merito Lugo et alii passim, nisi quis eiusmodi impudica exerceat in loco

sacro cum magna ecclesiae irreverentia, ut si meretricem ante altare publice impudice tangeret, si in sacro templo lascivas comoedias exhiberet, etc. tunc enim non esset negandum, proprie sacrilegii scelus committi: fieret enim gravis irreverentia divino cultui, ad quem locus sacer deputatus et consecratus est ». Sporer ib. Cf. 502.

808. *Quinam notandi sint speciales casus in sacrilegio reali?* — Sacrilegium committit, qui indutus ad missam se pollueret. Itemque sacerdos, gestans ss. eucharistiam qui carnaliter peccaret; vel qui se pollueret infra mediam horam post communionem. Minime vero qui carnaliter peccaret, gestando reliquias, agnos Dei, etc., vel die festo. Ratio est, quia haec omnia videntur per accidens se habere ad carnale peccatum. Neque revera *res* ipsa *sacra* violatur. E contra in primo, secundo et tertio casu gravis irreverentia foret in ss. eucharistiam, et in missae sacrificium, ac sacra vestimenta ad illud offerendum destinata. — Sacrilegium pariter non committeret, qui reliquias Sanctorum daret amasiae, titulo simplicis donationis. Secus vero, si eas daret in pretium peccati; nam esset tunc sacrilegium et simonia. — Huc vero spectat sollicitatio ad turpia in confessione, quando scilicet confessarius sacramento poenitentiae abutitur ad peccatum carnale: gravissima enim irreverentia infertur sacramento. — Elbel De Actib. hum. 104., Sporer 621., L. 463.

III. — DE PECCATIS CONTRA NATURAM

809. *Quid mollities seu pollutio?* — *Mollities*, seu voluntaria *pollutio*, est *voluntaria seminis humani extra copulam seu concubitum effusio.* — *Voluntaria;* nam ista seminis effusio potest etiam provenire naturaliter ex ipsa abundantia humoris; et ex pluribus etiam extrinsecis circumstantiis tum in statu vigiliae, tum potissimum in somno, determinari saepe potest. Hae autem circumstantiae aliae sunt physicae, ut debilitas temperamenti, morbus aliquis irritationem organorum genitalium progignens, decubitus supinus, mollities et calor lecti, potiones excitantes, exercitium equitationis, etc.: aliae morales, ut cogitationes rerum venerearum, lectiones earumdem rerum, conversationes, etc. Voluntaria vero erit pollutio, cum ipsa *in se* vel etiam in *sui causa,* quaecumque ea tandem sit, intendatur. Cum autem voluntaria ista pollutio saepe manuali contactu excitetur, hinc vulgo mastupratio appellatur.

Effusio: effusio haec in maribus fit extra membrum genitale; unde effusio exterior est; in foeminis vero fit tam extra, sed rarius, quam intra vas genitale absque ullo effluxu exteriori. Licet vero in foeminis ista effusio fiat in vase genitali, hanc ipsae sensibiliter percipiunt; in ea enim magna voluptate afficiuntur, eaque completa, satiantur et quiescunt; et hoc magnae voluptatis et satisfactionis subsecutae signo dignoscitur, an revera fuerint pollutae. Hinc pollutio differt omnino a motibus inordinatis, qui motus sunt, partium genitalium alteratio, tumor, erectio: et hi motus voluptatis venereae sensui consociantur, et ad pollutionem disponunt. Hi motus tam in viris, quam in foeminis locum habere possunt.

Seminis: semen generatim hic intelligitur humor viscosus ad generationem ab ipsomet Creatore destinatus. Humor iste non est eiusdem naturae in mare ac in foemina. Materia enim, quae per pollutionem segregatur in foemina, non est prolifica, sed simplex quaedam excretio mucosa, quae opus coniugii facilius efficit; materia vero quae segregatur in viro vere prolifica est, eaque in testiculis elaboratur. Hinc *pollutio* in viro differt a *distillatione,* quae est uretralis quaedam excretio, et fluxus alterius humoris, qui non in testiculis, sed aliis uretrae glandulis elaboratur, nec est prolificus, nec etiam adeo vehementi, sed levi tantum, immo et quandoque absque ulla carnis commotione ac venerea delectatione emitti solet. Foeminae etiam, ut plures asserunt, experiri possunt non solum pollutionem, sed etiam effluxum cuiusdam humoris non absimilis distillationi marium, qui proinde non est confundendum cum mollitie seu pollutione.

Extra copulam, seu concubitum; hinc pollutio habet, quod sit peccatum *contra naturam,* adeoque specie diversum. Et sic S. Th. 2. 2. q. 154. a. 1. 11. 12. specialem malitiam vitii *contra naturam* constanter ex eo repetit, quod per ipsum *impeditur generatio prolis,* et quod *repugnet ipsi ordini naturali venerei actus.*

810. *An pollutio sit peccatum? — Voluntaria pollutio peccatum grave est,* ut constat ex pr. 49.ª d. ab Innoc. XI. « Ratio huius certissimae veritatis potissima affertur: quia si eiusmodi pollutio esset licita, et saltem non graviter prohibita, impediretur usus coniugii tam necessarius in mundo; quandoquidem homines ea sola voluptate contenti forent, nec coniugiis plerumque tam molestis vacare vellent. Accedit: si fornicatio est iure naturae vetita, et intrinsece mala, multo magis erit pollutio, qua prorsus prodigitur semen, et impeditur generatio contra unicum a natura intentum finem, iure naturae illicita, et intrinsece mala erit ». Sporer 628., L. 465., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 1. 5., E. M.

811. *Resolves:* 1.° *Specialis pollutionis malitia* consistit *in frustranea seminis effusione contra naturae ordinem.* Quare peccatum hoc specie differt ab omni tactu impudico, quem utique *venerea voluptas,* nulla tamen seminis effusio sequitur. S. Th. 2. 2. q. 154. a. 1. 11. 12. — 2.° Voluntaria pollutio, cuiusvis morbi, vel mortis periculi evadendi causa, semper est peccatum mortale. Licitum omnino est pro conservanda vita, et toto supposito, homini membrum aliquod, manum vel pedem abscindere. Nulla enim ex ista abscissione, aliquando licita, sequuntur inconvenientia; cum enim ab ea tamquam a re permolesta appetitus naturalis vehementer abhorreat, non facile homines eo medio abutentur, et ultra casum extremae necessitatis extendent. E contrario, cum pollutio res sit magnam afferens voluptatem, ad quam natura ipsa inclinat, periculum maximum adest, ne, si aliquando hoc liceat, homines abutantur in detrimentum *ipsius speciei.* Et sic, e. g., nunquam licet, neque in casu extremae necessitatis, sigillum sacramentale violare; quia, si hoc vel in rarissimo casu liceret, odiosum redderetur fidelibus sacramentum poenitentiae, ab eoque removerentur, maximo animarum detrimento; quemadmodum reapse saepe bono consilii petendi homines privantur, quia sciunt posse quibusdam in casibus forte secretum manifestari. Insuper « quando aliquid est magis necessarium tanto magis oportet, ut circa illud rationis ordo servetur...

Usus autem venereorum est valde necessarius *ad bonum commune*, quod est conservatio humani generis ». Hinc licet superfluum sit semen, seminis tamen emissio « taliter debet fieri, ut conveniat fini, ad quem eo indigetur ». S. Th. 2. 2. q. 153. a. 3. — 3.° Simplici pollutionis malitiae, aliae malitiae *ratione circumstantiarum* addi possunt, idque generatim valet etiam pro aliis luxuriae speciebus, « puta, si polluatur sacerdos, additur sacrilegium; si coniugatus adulterium; si cum desiderio peccandi cum alia persona additur malitia iuxta qualitatem personae concupitae; item additur alia malitia, si quis polluitur se delectando de concubitu imaginato, cum polluitur tactibus alienis ». L. 476., Sporer 640. 641., Sanch. de Matr. l. 9. D. 17. n. 16. — 4.° Sicut velle et procurare ipsam pollutionem, vel delectationem veneream, peccatum grave est, ita consequenter peccatum grave erit *distillationem libidinosam* velle et procurare, distillationem nempe cum partiali seminis effusione, vel cum carnali tantum commotione et venerea delectatione. De ea vero, quae involuntarie et insensibiliter accidit, inquietari non oportet. Caiet. opusc. 22. q. 1., Sporer 660., Salmant. 33., L. 477.

812. *An impuberes, sive pueri sive puellae, et eunuchi, qui conantur impudicis motibus semen emittere, cum non possint, peccent peccato pollutionis, vel tantum impudicitia?* — Haec Tamburini de 2.° Eccl. pr. c. 17. n. 13.: « Qui ex defectu aetatis vel ex alia causa (quales sunt impuberes et eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere, vel effundunt semen inutile, peccant mortaliter... sed certe haec species peccati differt a vera pollutione, cuius est proiicere semen contra generationis finem, quae proiectio non est in praedictis eiusmodi; ergo peccatum in impuberibus reducitur reipsa ad tactum impudicum ». Ita Sporer 639.: « Respondetur, utique esse peccatum mortale ad mollitiem reducendum; est enim ex se pravus affectus ad pollutionem: attamen videtur specie differre a vera pollutione, per quam seminatur; in specie proprie reducendum ad impudicitiam tactus; unde in confessione explicandum ». Ita etiam Holzmann, Babenstuber aliique. Contrarium tamen docet S. Alph. 476., qui aperte affirmat, quod « pollutio spadonum et puerorum (licet illi semen perfectum non habeant) nihil differt a pollutione adultorum ».

813. *An foeminae, quae carent semine vere prolifico, cum pollutionem sibi procurant, peccatum committant speciale pollutionis, vel tantum impudicitiae, ut pro impuberibus et eunuchis dictum est?* — Affirmant nonnulli e recentioribus theologis propter rationem in ipso quaesito indicatam. Hinc autem deducunt: 1.° Confessarium posse ab omni ulteriori interrogatione abstinere, cum malitia haec pollutionis non sit specie diversa a malitia tactuum. 2.° In muliere uxorata talem pollutionem non excedere culpam venialem, cum in eadem tactus impudici talem malitiam probabiliter non excedant. — Verum negat communissima recentiorum et *unanimis omnino veterum theologorum sententia*, licet horum etiam quam plures mulieris seminationem necessariam conceptioni non reputarent. Ratio est, quia licet ille humor non sit *de se* prolificus et necessarius ad generationem, est tamen ex natura sua ad actum generativum destinatus; ad hunc enim melius et facilius efficiendum ordinatur. Hinc in effusione istius humoris frustratur adhuc ordo naturae in re gravissima humanae generationis, ad quam extra concubitum totus ille actus iam amplius

ordinabilis non est; adeoque contra naturam est. — Atque hinc discrimen patet pollutionis mulierum, et illius impuberum et eunuchorum effusionis. Haec enim est intrinsece et essentialiter actus physice incompletus, et *de se* ordinabilis ad actum licitum completum, nempe copulam coniugalem: dum e contra haec mulierum pollutio intrinsece et essentialiter est actus physice completus, ut constat vel ex ipsa serie phaenomenorum excitationis, quae praecedit, et quietis ac satietatis quae sequitur; adeoque, si fiat extra omnem concubitum, de se amplius ordinabilis non est ad actum licitum completum, nempe copulam coniugalem. Quare iterum actus contra naturam est.

Apposite Sanchez l. 9. D. 17. n. 12.: « Voluntaria seminis effusio extra vas, aut is modus congrediendi, ex quo illa sequatur, est manifestum scelus mortale *contra naturam*. Quia adversatur fini generationis naturali, ad quam natura ipsa semen destinavit. Quae ratio in viri semine, utpote omnino ad generationem, manifeste locum habet. Sed idem dicendum est de foeminea pollutione voluntaria: illius enim semen a natura ordinatum est ad generationem, aut tanquam necessarium iuxta unam opinionem, aut saltem iuxta veriorem, tanquam utilissimum, et valde ad illam conferens ». Et S. Th. 2. 2. q. 154. a. 11. nulla distinctione absolute affirmat; vitium contra naturam, quale est pollutio, determinatam *speciem* esse luxuriae, cum in ea specialis occurrat deformitatis ratio, nempe « quia repugnat ipsi *ordini naturali* venerei actus, qui convenit humanae speciei... si absque omni concubitu causa delectationis venereae pollutio procuretur ». Et a. 12. nulla item facta distinctione absolute ait: « Quia in vitiis, quae sunt *contra naturam* transgreditur homo id quod est *secundum naturam* determinatum circa usum venereorum, inde est quod in tali materia, hoc peccatum est gravissimum ».

Neque vero valet instare, quod licet ille actus sit contra naturam adeoque de se illicitus, non est tamen graviter, sed leviter tantum illicitus, cum iste uxorius actus non sit ad esse simpliciter generationis, sed tantum ad melius esse. Si enim id non esset graviter illicitum, et ex intrinseca natura sua, iam foeminae, quibus matrimonium tam onerosum est, contentae ea sola voluptate, qua a natura ad opus coniugii alliciuntur, eidem minime vacarent, ac nulli amplius essent uxoriae masturbationis et coniugalis onanismi ex parte earumdem uxorum limites. Quin immo impudicis mulieribus matrimonium via esset ad impudicitiam magis magisque fovendam et augendam, cum eam iam saltem citra grave peccatum exercere possent.

Neque iterum urgeri potest, quod saltem in ista mulieris pollutione desit propria ratio pollutionis, frustranea nempe seminis effusio *contra generationem*, cum contra hanc nihil fiat. Etenim in pollutione mulieris duo sunt apprime distinguenda. Primum est *humoris* effusio, qui ad generationem minime est necessarius, sed dumtaxat utilis; alterum vero est *ovuli decisio*, quae non solum fit naturaliter et spontanee tempore menstrui, sed fit etiam venerea hac excitatione, quae folliculum disrumpit, quo ovulum continetur, tum ipso totius organi generationis erethismo, tum secretione humoris quo illud repletur. Quatenus ergo venerea ista excitatio tendit de se ad ovuli decisionem ex ovario, veram ea continet pollutionis malitiam; siquidem ovulum est ex parte foeminae elementum omnino necessarium generationis, quod spermatozoidum virilis spermatis contactu

foecundatum generationem exhibet novi individui. Quare, ut in viro pollutionis malitia reapse non est in *frustranea humoris effusione*, sed in frustranea *a testiculis decisione spermatozoidum*, in quibus residet vis ovulum foecundandi, quae spermatozoidum decisio illam reliqui humoris effusionem comitatur; unde haec ab illa habet quod *contra naturam* sit; ita pariter in foemina pollutionis malitia non est in *frustranea humoris effusione*, sed in *frustranea ab ovario decisione ovuli*, ad quam illa effusio humoris tendit, unde haec ab illa habet, quod *contra naturam* sit. — Milne Edwards Leçons sur la physiologie et l'anatomie comparée etc. Paris 1870. tom. 8. pag. 338. 339. 355. 356. 359. 360., tom. 9. pag. 106-109., Longet Traité de physiologie Paris 1850. tom. 2. 3.ᵉ part. pag. 80.-95.

814. *An omnes pollutiones sint eiusdem speciei?* — « Omnes pollutiones *secundum se* sunt eiusdem speciei, quocumque modo fiant, si fiant sine concubitu ». L. 476. 477. *Secundum se*, quia ratione circumstantiarum personae, vel interioris delectationis et desiderii, vel cooperationis ad peccatum alterius, possunt ei adiungi aliae malitiae.

815. *Resolves:* 1.° Necesse non est explicare in confessione, an propriis manibus immediate, vel mediante aliquo instrumento inanimato quis se polluerit. — 2.° Copula cum foemina mortua non includit aliam malitiam in genere luxuriae quam malitiam pollutionis; sicuti qui concubitum iniret cum pictura vel statua foeminae vel vestibus foeminae, etc. Nihilominus id explicandum erit in confessione, saltem generatim dicendo: pollui me cum instrumento inanimato, cum affectu ad foeminam. Adest enim pollutio et fornicatio affectiva. L. 466., Spor. 639., Diana l. c. Resol. 6. n. 5. — 3.° « Qui se polluit instrumento alieno animato, seu partibus corporis alterius personae... foeminae vel viri, etc., tenetur quidem explicare personam illam (ratione cooperationis)... Sed opus non est explicare ipsas illas particulares partes corporis, quia materialiter solummodo differunt, et illa maior delectatio quaesita in una parte non transcendit speciem malitiae, quae est in alia, nisi adesset affectus aliquis particularis ad partes praeposteras, et sodomiam, quod utique explicandum foret ». Sporer 636. Cf. 816.

816. « *An pollutio habita tangendo puerum aut mulierem dormientes, aut doli incapaces, aut pudenda bestiarum, sed absque concubitu, sit diversae speciei a simplici pollutione?* — Prima sententia affirmat, et dicit talem pollutionem cum puero esse sodomiam, cum foemina vero esse copulam inchoatam. — Secunda sententia tenet, esse simplicem pollutionem. Ratio, quia, quando abest concubitus, dicunt de materiali se habere, quod fiat pollutio tactibus propriis vel alienis. Sufficit tunc confiteri: habui pollutionem tactibus alienis. Quando enim non adest *concubitus*, non adest affectus ad sexum, sed ad pollutionem; et haec est probabilior. Notat ideo Ronc. de VI. Praec. c. 7. q. 6. cum Bon., Trull. et Fill., quod, si quis polluatur tactibus alienis, non oporteat, ut explicet an tactibus viri vel foeminae; quia, cum tantum pollutio tunc intendatur, etiam de materiali se habet si tactibus viri vel foeminae illa eveniat. Secus tamen dicendum, si facta sit tactibus coniugatae, vel votum castitatis habentis ». L. 467. 474. 485. Difficultas autem hic adest conciliandi haec cum dictis ab ipso S. D. H. A. Tr. 9. n. 3., ubi asserit sexum in tactibus explicari debere, quia, ait, tactus « omnes eiusdem sunt naturae quam actus consummatus ».

817. *An, si semen corruptum fuerit, liceat illud medicamentis expellere, etsi praeter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio?* — R. Affirmative. Ita communius dd. Ratio, quia medicamenta illa per se directe solum tendunt ad expulsionem seminis corrupti; effusio autem aliqualis veri seminis sequitur per accidens, et praeter intentionem, quod non potest dici illicitum, cum omnes concedant licitum esse remediis alios expellere humores nocentes, quamvis per accidens sequatur pollutio, sicut etiam licet pharmacum sumere ad morbum expellendum, etsi indirecte expellendus sit foetus inanimis, iuxta pariter communem sententiam. « Hanc sententiam, ait S. Alph. 478., satis probabilem censeo, modo tamen: 1.° Semen certo sit corruptum, non vero, si dubie. 2.° Expulsio seminis corrupti possit fieri sine sensu libidinis. 3.° Alia non sint remedia ad semini corrupto medendum. Nunquam tamen est licitum tactu semen corruptum expellere, etiamsi absit periculum consensus; sic tenendum omnino... Ratio, quia, licet permittatur remedium, eo quod illud solum tendat de se ad expellendum semen corruptum, nullo modo tamen est permittenda confricatio; quia ista tendit de se ad commovendos spiritus carnales, et semen verum expellendum, quod nunquam est licitum ».

818. *An liceat sumere medicamentum ad semen verum corrumpendum, et postea iam corruptum eiiciendum?* — « Probabiliter id concedunt Sanch., Bon., Anacl., Ronc., etc. Ratio, quia natura non obligat ad conservandum semen cum periculo vitae. Si enim (ait Sanch.) licet amputare testiculos ad tuendam vitam, quamvis homo sine illis omnino impotens reddatur ad generandum; cur non liceret semen corrumpere? » L. 478.

819. *An teneatur quis pollutionem involuntarie coeptam impedire?* — Affirmant nonnulli, quia, aiunt, falsum est quod inde ullum adsit periculum morbi. Debreyne Macchialogie Bruxelles 1853 pag. 26. Verum alii communiter negant. Tunc enim quis illam pollutionem *non vult,* sed *mere patitur.* L. 479., Spor. 657. 642. 656.

820. *Nota:* « Quando pollutio incipit in somno, et emissio contingit in vigilia semiplena, tunc, si homo aliquam experitur delectationem, non plene deliberatam, non peccat quidem nisi venialiter ». L. ib.

821. *An teneatur quis pravos concupiscentiae motus involuntarie exortos positivo conatu impedire?* — R. Negative; neque vero id expedit, siquidem imaginatio tunc ipsamet contentione excandescit, et per sympathiam naturalem facultatis cum facultate genitales spiritus magis magisque excitat. Opportunum magis remedium erit Deum invocare et mentem ac imaginationem ab imaginibus obscoenis avertere et seria applicatione ad alia praesertim ad exteriora negotia applicare.

822. *An, si actiones, quae per se nullo pacto, vel tantum omnino leviter influant in pravos motus, vel etiam in pollutionem, graviter influant in eosdem effectus, ratione peculiaris infirmitatis et dispositionis subiectivae, teneatur quis sub gravi abstinere a talibus actionibus?* — R. Affirmat Scavini l. 1. n. 78. Ed. 12.ª Mediol. 1874. Verum negandum videtur, secluso tamen *proximo consensus periculo* in pravos illos effectus. Ratio est, quia dispositio subiectiva non potest immutare intrinsecam naturam illius actionis, adeoque non potest eam facere graviter illicitam, si ea *in se* est

tantum *leviter illicita*, vel etiam *simpliciter licita*. Quod [autem ex ea sequantur pravi motus vel etiam pollutio, hoc est *per accidens*. Casus iste, cum actio in se honesta sit, est casus causae in se honestae, habentis duplicem effectum, alterum *per se* bonum, alterum malum, et quidem *per accidens*. Potest ergo quis in ea actione ponenda prosequi ius suum. Neque vero *ex parte agentis* sufficiens et proportionata ratio deest in tali ratione agendi; nam qui ita sensibiliter afficitur ipsis honestis rebus, obnoxius est innumeris scrupulis et anxietatibus, et, si omnia vitare velit quibus male affici potest, vere intolerabilem cogitur ducere vitam. Si vero actio illa omnino leviter illicita sit, *per se* « non est gravis obligatio » illam vitandi, L. 484.; *practice* vero « hominibus est quasi moraliter impossibile omnes has causas communiter evitare ». L. ib. — Billuart Diss. 6. art. 12. *Dico* 1.°, L. 423. 484.

823. *Quid bestialitas? — Bestialitas* est concubitus cum bestia. Huius peccati species non mutatur moraliter loquendo ex varietate bestiarum. An autem moraliter immutetur ex diversitate sexus aliqui affirmant, sed communiter et probabilius negatur. « Quare tota essentialis deformitas huius facinoris consistit in accessu ad diversam speciem ». L. 474. « Ut completa sit bestialitas requiritur seminis effusio ex parte patrantis. Dicit Soettler necesse haud esse declarare in confessione, an congressus fuerit in alvo aut in alia parte corporis bruti, quippe ad recipiendum semen humanum nulla est destinata. Attamen casu quo hoc peccatum esset reservatum, Billuart tenet necessariam esse seminationem intra vas bruti, quia reservatio, utpote odiosa, restringi debet ad actum consummatum. Billuart ergo non reputat consummatam bestialitatem, nisi fiat intra vas bruti, proinde, saltem ut plurimum, consummare nequit a mulieribus ». Craisson Notiones circa sext. Decal. praec. n. 178. — S. Th. 2. 2. q. 154. a. 11., E. M.

824. *Quid de congressu cum daemone? — Ad bestialitatem reducitur congressus cum daemone.* — Hinc « universalius a D. Th. et aliis definitur bestialitas peccatum contra naturam, quo homo concumbit cum re animata diversae speciei; ut nimirum etiam comprehendantur infandi coitus sagarum et magorum cum daemonibus incubis vel succubis, praeter peccatum contra naturam, etiam speciale peccatum contra religionem, sc. societatis et commercii nefandi cum daemone, Dei nostrumque omnium nequissimo inimico, continentes; ideoque sine dubio id necessario explicandum in confessione ». Sporer 625.

825. « *An autem qui coit cum daemone apparente in forma coniugatae, monialis, aut consanguineae, peccet semper affective peccato adulterii, sacrilegii, aut incestus?* — Videtur universe affirmare Busemb. cum aliis; sed valde probabiliter negandum, si concumbens delectetur de muliere illa a daemone repraesentata, non qua nupta, aut moniali, sed qua pulchra, iuxta sententiam Lug., Pal., Vasq., et aliorum plurium, qui valde probabiliter docent, quod delectatio morosa non involvat speciem obiecti, de quo aliquis delectatur: nisi circumstantia personae intret in delectationem ». L. 475.

826. *Quid de tactibus cum bestia?* — « *Tactus impudici cum bestia*, licet non sint proprie peccata bestialitatis, tamen habent aliquam specialem turpitudinem, ut ait Elbel, saltem venialem ». L. 474. Cf. 814.

827. *Quid sodomia?* — « *Quaestio magna est in quonam actu consistat sodomia?* — Alii tenent consistere *in concubitu ad indebitum vas.* Alii *in concubitu ad indebitum sexum.* Utraque sententia est probabilis, et in utraque sententia cernitur *specialis deformitas,* quam habet sodomia *contra naturam,* quae requirit utrumque servari ad generationem, i. e. *debitum vas* et *debitum sexum* ». L. 466. — Secunda sententia *probabilior* et *communis* theologorum dicitur a S. Alph. l. c. « Ratio, quia vera et propria sodomia committitur in accessu ad personam, quacum *nullo modo* generatio fieri potest ». L. ib. Iuxta hanc sententiam non refert in quo vase coeant masculi aut foeminae inter se, in anteriori vel in posteriori, vel in alia parte corporis, cum malitia sodomiae in affectu ad sexum indebitum consistat, atque in genere suo completa sit, dum fit applicatio membri genitalis ad partem corporis eiusdem sexus per modum concubitus. Si autem fieret tantum applicatio manus, pedis vel oris ad partes genitales alterius, etiamsi pollutio ex utraque parte locum haberet, non reputaretur sodomia, quia non esset concubitus. Cf. 814. — L. 466. 485., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 11. 12., ad Rom. 1., C. S. Pii V. *Horrendum,* C. I. Poen. 338., C. G. 330., E. M.

828. *Resolves:* « Hinc infertur 1.° esse veram sodomiam coitus foeminae cum foemina, ut dicunt S. Th., Ronc., Holzm., Spor., Salm cum Cai., etc. Quamvis non improbabiliter sentiat Elbel l. c. cum Fel. huiusmodi concubitum, etiam cum affectu ad vas praeposterum, non videri nisi sodomiam impropriam, cum inter foeminas non possit dari copula perfecta. — Infertur 2.° esse veram sodomiam quemcumque concubitum, sive corporum coniunctionem, habitam cum persona eiusdem sexus, sive in vase praepostero, sive in alia parte; semper enim adest tunc, regulariter loquendo, affectus ad indebitum sexum, ut tenent Tamb., Ronc., Tourn., Croix, Salm. Hinc dicunt Ronc., Tamb. et Salm. contra Graff., non esse necessario in confessione explicandum, si pollutio fuerit intra vel extra vas; sufficit enim confiteri, peccavi cum puero, ut confessarius iudicet adfuisse sodomiam cum pollutione. Si vero non adfuerit pollutio, deberet explicari. — Infertur 3.° cum Salm., Bon., Tamb. et communiori, coitum viri in vase praepostero mulieris esse sodomiam tantum imperfectam, *specie distinctam* a perfecta, ut aiunt Tourn. et Tamb. Qui notat cum Fill. et recte consentiunt Holz. et Spor. cum communi, ut asserit, quod, si vir coiret inter crura, brachia, aut alias partes mulieris, esset quaedam copula inchoata, saltem in affectu. Unde, iuxta hanc doctrinam, vir *concumbens* cum virgine extra vas, duo committit peccata, contra eamdem quidem castitatem, sed diversae speciei, unum fornicationis in affectu, alterum contra naturam in effectu. Dicunt autem praefati Spor., Holzm., Tamb. cum Angel., quod confessarius, intelligens mulierem cognitam fuisse extra vas naturale, vel praeposterum, non debeat quaerere in quo loco, vel quomodo ». L. ib. — Porro haec Sporer 627.: « Hoc nota, quando vir et foemina, ita commiscentes se polluunt extra vas: si quidem fiat ex affectu ad personam ipsam (uti ordinarie fit) spectat ad copulam fornicariam, adulterinam, incestuosam, etc., prout fuerit persona; si autem fiat ex affectu ad praeposteras partes, erit sodomia imperfecta de qua agimus; si denique fiat sine concubitu vel coniunctione aliqua, sed mere ad explendam libidinem, est mollities ». — L. 485.

829. *An pollutio in ore sit diversae speciei?* — « Affirmat Sporer cum aliquibus apud Diana, et hoc peccatum vocat irrumationem. Sed probabilius dicunt Holzm., Fill., Caiet., Graff. etc., quod, si vir polluatur in ore foeminae, erit copula inchoata; si vero in ore maris, erit sodomia ». L. 466.

830. *An in peccato sodomiae explicandum sit quis fuerit agens vel patiens?* — Probabilius *per se* non est declarandum; quia species peccati eadem est. — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. — L. 468., Lugo de Poenit. D. 16. n. 243.

831. *Nota:* Probabiliter notant Salm. cum Bonacina, quod sodomia cum foemina non comprehenditur sub reservatione sodomiae, cum non sit vera sodomia. Secus vero, si sit reservatum peccatum contra naturam. Huiusmodi vero reservatione, episcopi communiter pollutiones etiam comprehendere non intendunt. L. 471.

DE SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRAECEPTO

I. — DE IUSTITIA GENERATIM INSPECTA

832. *Quid septimum et decimum Decalogi praeceptum?* — « *Non furtum facies... Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt* ». Exod. 20., 15. 17. Septimo praecepto, formaliter negativo, nomine furti late accepti, prohibetur omnis iniuria, seu iniusta laesio vel damnificatio proximi, in bonis temporalibus fortunae: et ex consequenti, eodem praecepto, quatenus virtualiter et implicite affirmativum est, praecipitur cuivis ius suum quoad bona temporalia tribuendum esse. Ad idem sane praeceptum ad eandemque virtutem spectat et prohibere, ne alterius ius laedatur per iniuriam, ac praecipue obligare, ut alteri cuivis ius suum tribuatur per restitutionem aliosque modos. — Ut autem septimo praecepto actus externus, ita decimo actus internus proximo in bonis fortunae iniuriosus prohibetur. Eo enim prohibetur omnis appetitus inordinatus et iniustus bonorum fortunae proximi. Quare contra decimum hoc praeceptum peccant non solum invidi, verum etiam avari, qui nimia aviditate divitias expetunt, et modis iniustis opes augere concupiscunt. — Utrumque hoc praeceptum virtutem respicit *iustitiae*.

833. *Quid sit iustitia?* — *Iustitia* stricte dicta, prout est specialis virtus, de qua hic agimus, definitur: *constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Inst. l. 1. t. 1. — *Constans et perpetua voluntas*, quia debet esse animus firmus non tantum pro una aut altera die, sed semper ius suum cuique tribuendi, nam alias non est virtus perfecta, sicut poenitentia non est virtus perfecta, nisi includat propositum nunquam peccandi.

Ius hic non intelligitur ius *late* dictum, quod est exigentia rectae rationis ad aliquid *tanquam ad honestum*, i. e., ad aliquid faciendum propter

eius honestatem, vel omittendum propter eius inhonestatem; sed intelligitur ius *stricte* dictum, quod est potestas moralis ad aliquid *tanquam suum,* i. e., ad aliquid faciendum, omittendum, habendum, retinendum, exigendum ut *suum,* i. e., suae libertati subiectum, ceteris exclusis.

Hoc autem *ius,* aliud est *iurisdictionis,* aliud *proprietatis.* Primum est potestas legitima superioris, aliquid praecipiendi, aut prohibendi subditis in bonum horum proprium, aut totius communitatis. Administrandae communitatis necessitas et utilitas mensura est huius iuris, quoad suos actus. Alterum est potestas legitima cuiusvis privatae personae disponendi de re aliqua in commodum propriae libertatis, seu tanquam *sua.*

Ius proprietatis aliud est *in re,* aliud *ad rem.* Primum est, quo quis rem ipsam tanquam suam immediate devinctam, et iuridice obligatam habet. Unde res, tali iure alicui obligata, secum trahit suam obligationem, et quocumque devenerit potest a suo domino repeti, et iuridice vindicari. Secundum vero est, quo quis non ipsam rem immediate habet sibi devinctam, et iuridice obligatam, sed potius alterius personam ad aliquam rem sibi tradendam. Quare *ius in re* facit rem iam *suam, ius ad rem* facit *ut res fiat sua.* Ius *in re* dat actionem immediatam in ipsam rem, ut eam tibi sumas. Ius *ad rem* dat actionem immediatam in ipsam personam, ut eam cogas ad rem tibi tradendam, puta per iudicis sententiam. — C. A. 307. 308., Inst. l. 4. t. 6.

Suum; tripliciter res aliqua *sua* esse potest, si persona in societate tanquam eius membrum consideretur. Hinc ius etiam tripliciter distinguitur; in ius *altum, bassum* et *proprietatis.* Ius altum est, quod habet princeps, respublica, aut communitas ad bona membrorum, quae propter bonum commune potest exigere tanquam sua, *suitate communitatis.* Ius bassum est in membro communitatis, qua tali, ad bona communia, quae membrum in eorum distributione potest exigere tanquam sua, *suitate membri.* Ius proprietatis vero est in membro communitatis, qua tali, ad bona propria, quae unum membrum potest ab altero exigere tanquam sua, *suitate proprietatis.*

Ius suum *cuique tribuendi,* adaequandi nempe ius alterius per redditionem *debiti;* iuri enim tanquam cuidam morali exigentiae debitum correlative respondet. Quare, ut patet, iustitia non est virtus ad seipsum, sed *ad alterum.* — S. Th. 2. 2. q. 57. 58.

834. *Resolves:* Potest quidem princeps, si quando id requiratur ad commune bonum, rem a subdito tollere; quia ius ad finem importat necessario ius ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Bonum autem publicum aliquando requirit, ut aliquis re sua privetur, v. g., agro pro via publica construenda, etc. Sed tunc princeps, in quantum fieri potest, ad iustam compensationem tenetur; quia aequum non est, ut unus spolietur, aliis intactis, prout ex iure naturali et positivo constat. C. I. 438., C. G. 545., C. H. 349., C. A. 365. Nullo vero pacto potest, sine causa gravi publici boni, sed ob suam propriam commoditatem, per legem tollere a subdito rem eius notabilem, seu ius acquisitum; quia nihil potest circa bona privatorum, nisi id ratio boni communis omnino exigat. Quare ad restitutionem tunc tenetur. — S. Th. 2. 2. q. 66. a. 8.

835. *Quotuplex sit iustitia?* — Iustitia est triplex, nempe *distributiva, legalis,* et *commutativa.* Iustitia enim, cum tota sita sit in eo quod

alteri reddat ius suum, specificatur et dividitur secundum ius. Ius autem, ut modo dictum est, triplex est, nempe altum, bassum et proprietatis. — Iustitia *distributiva* igitur adaequat ius bassum per distributionem bonorum communium, munerum publicorum, officiorum, praemiorum, ius nempe, quod ad haec habet membrum communitatis qua tale; estque ista iustitia *totius ad partem,* seu capitis, aut communitatis ad membra. — Iustitia *legalis* adaequat ius altum per actiones et bona, quae principi aut reipublicae debentur, ad promovendum bonum commune; estque haec iustitia *partis ad totum,* seu membrorum ad caput et communitatem. Dicitur *legalis,* quia habet pro suo obiecto id quod communitati debetur *ratione* et *vi legum.* Quare revera vix iustitiae nomen meretur, siquidem revera nihil aliud est quam *obedientia legibus* praestanda. — Iustitia *commutativa* vero adaequat ius proprietatis, seu bassum membri contra alterum membrum, per commutationem rerum et pretiorum; estque haec iustitia *partis* ad *partem.*

Iustitia *vindicativa,* quae tribus prioribus iustitiae speciebus adiici solet, quarta proprie non est iustitiae species; quia iustitia specificatur et dividitur secundum diversitatem iuris quod respicit; et hoc est solum triplex illud ius modo dictum. Reduci tamen potest sub diverso respectu ad omnes illas tres species. Prout superior per poenas communi civium felicitati prospicit, ea ad *legalem* pertinet; prout poenas ipsas criminum gravitati proportionatas decernit pertinet ad *distributivam;* denique prout superior iustitiae vindicativae officia exsequitur ex quodam quasi contractu cum republica inito de recte negotiis publicis administrandis, pertinet ad iustitiam *commutativam.* — L. 486., S. Th. 2. 2. q. 58. q. 61.

836. *Quodnam sit inter iustitiam commutativam et distributivam discrimen? — In commutativa servanda est aequalitas arithmetica; in distributiva proportio geometrica.* Iustitia *commutativa* exercetur a cive ad civem, a privato ad privatum, et locum habet in contractibus ac in ceteris negotiis ad sociale commercium pertinentibus; servanda igitur in ea erit aequalitas rerum ipsarum, nempe aequalitas rei ad rem, uti si, v. g., debeas centum, centum reddas, non attendendo, nisi id quod debetur, ita ut si excipiantur casus, in quibus ratio personarum a lege ipsa praescripta sit, v. g., cum agitur de *minoribus;* in ceteris omnibus nullus habeatur respectus conditionis vel meritorum personae, et haec est aequalitas illa, quam vocant arithmeticam. Iustitia autem *distributiva* exercetur a superiore ad subditum, et locum habet in distribuendis *honoribus,* ut aiunt, et *oneribus;* praemiis ac poenis; ideoque non debet habere respectum *rei* ad *rem,* sed meritorum et conditionis personarum, loci, temporis et adiunctorum similium. Ex quo exsurgit et constituitur ea quae dicitur *proportio geometrica,* quae scilicet non est aequalitas rei ad rem, sed proportio rei ad personam, i. e., ad merita personarum, sive quod idem est non *rerum,* sed *rationum* aequalitatem significat; unde si illi, qui habet merita uti quinque, tribuantur, v. g., decem nummi; illi, cui sunt merita uti decem, tribui debent viginti. — S. Th. 2. 2. q. 61., Inst.. l. 4. t. 4. § 7. 8.

837. *Quaenam sit iustitiae obligatio? — Tum iustitia commutativa, tum etiam iustitia distributiva, vindicativa et legalis obligat per se sub gravi.* Nam *iustitiae commutativae violatio,* ut constat ex pluribus S. S. locis, poena aeterna est punienda, 1. ad Cor. 6., 10. Ea repugnat praeterea

per se seu ex natura sua caritati, quae movet ad volendum alterius bonum; ipsa enim essentialiter consistit in nocumento alteri inferendo. Ergo *per se* et *ex genere* suo peccatum mortale est. S. Th. 2. 2. q. 59. a. 4. Laesio autem iustitiae distributivae, vindicativae et legalis gravem *per se* inducit deordinationem; cum graviter necessario societatis ordini noceat. — *Per se,* quia hac in re, materiae parvitas admittitur.

838. *Quid sit dominium?* — Cum iustitia commutativa respiciat aequalitatem rei ad rem, ea non versatur nisi circa *ius proprietatis,* quod *proprietas* et *dominium* dici solet. *Dominium* solet communiter definiri: *potestas moralis disponendi pro arbitrio de re aliqua tanquam sua, nisi tamen lege, conventione vel testatoris voluntate prohibeatur.* — *Potestas moralis,* et sic a potestate physica distinguitur; potestas moralis, adeoque legitima. — *Disponendi de re,* et sic distinguitur a *iurisdictione,* quae etiam *dominium iurisdictionis* dicitur, ut a *dominio proprietatis* distinguatur; iurisdictio enim est potestas moralis *gubernandi;* neque in rem, sed in personam subditam immediate exercetur. — *Pro arbitrio,* h. e. vendendo, donando, vel etiam destruendo sine causa, quod licet alioquin prohibitum sit, quia Deus eo tantum consilio unicuique dominium permittit, ut suis suorumque necessitati et utilitati praesto sit; contra tamen commutativam iustitiam non est. — *Tamquam sua,* dominium enim proprie est *ius in re* et non praecise *ius ad rem,* quod ad illud tendit, et illo perficitur ac completur. — *Nisi lege prohibeatur,* sic *minoribus* non permittitur rerum suarum alienatio, nisi ex iusta causa, et servatis quibusdam solemnitatibus, quo tamen in casu non aufertur dominium, sed impeditur tantummodo usus. — *Conventione,* esset, v. g., si venditorem inter et emptorem conventum sit, ut emptor re empta non utatur, nisi post certum diem. — *Testatoris voluntate,* esset, v. g., si testator fundum legasset alicui ea conditione, ut illo non utatur nisi post annum. — C. I. 436., C. G. 544., C. H. 348., S. Th. 2. 2. q. 66., E. M.

839. *Quotuplex sit dominium?* — *Dominium proprietatis* immediate dividitur in dominium perfectum et in dominium imperfectum. Dominium proprietatis *perfectum,* seu plenum, est potestas legitima proprio nomine percipiendi ex re aliqua omne commodum suae libertatis. *Imperfectum* vero est potestas legitima percipiendi ex re aliquod, non tamen omne commodum suae libertatis. Dominium imperfectum immediate subdividitur in dominium *directum* et in dominium *utile.* Prius est: potestas legitima in substantiam rei sine fructibus. Posterius est: potestas legitima percipiendi fructus et emolumenta ex re aliena, salva eius substantia. *Dominium utile,* pro variis rerum commoditatibus percipiendis in varias dividitur species, praecipue vero *in usum, habitationem, usumfructum, servitutem, possessionem.* — L. 487.

840. *Quid usus?* — *Usus* definitur: *Ius utendi rebus alienis, salva earum substantia tum quoad materiam, tum etiam quoad formam. Ius* significat facultatem, quae competit *usuario,* sic nempe appellatur is cui competit usus, ille autem ad quem pertinet rei proprietas sive dominium, dicitur *proprietarius.* Quare *usus* hic, non sumitur generatim pro actuali cuiusvis dominii exercitio, sed speciatim pro speciali quadam potestate. *Utendi* significat facultatem usuario convenientem extendi ad illa dum-

taxat, quae sunt necessaria. C. I. 521., C. G. 630., C. H. 524., C. A. 504. Haec autem necessitas mentienda est iuxta conditionem, statum et dignitatem ipsius usuarii et eius familiae, inclusis famulis, non exclusis filiis natis post exercitium *usus*. C. I. 521. 523., C. G. 630., C. H. 524. 526., C. A. 505. 506. *Alienis rebus* indicant usum in rebus propriis consistere non posse; quilibet enim in rebus suis non *usum* tantummodo, sed *dominium* quoque habere dicitur. *Salva earum substantia*, alioquin non esset *usus*, sed *abusus*; ex quo sequitur usuarium non posse ne in meliorem quidem formam rem, cuius usum consecutus est, immutare, et ideo apposita sunt etiam ea verba: *tum quoad materiam, tum etiam quoad formam*. C. A. 507. — Atque haec est praecipua usuarii obligatio; unde tenetur etiam ad ordinarias reparationes, et tributa pro ratione tamen fructuum, ut res integra conservetur domino suo. C. I. 527., C. G. 635. Cf. C. A. 508., C. H. 527. — *Usus acquiritur et cessat* eisdem modis ac acquiritur et cessat *ususfructus*, C. I. 529., C. G. 625., C. H. 529. — Inst. l. 2. t. 5. § 1. 3. 4., L. 487. Cf. 848. 849.

841. *Hinc patet:* 1.° Quod sub *usum*, ut etiam sub *usumfructum* non veniunt res unico actu consumptibiles, ut vinum, oleum, panis, etc., quia per talem usum non manet salva rei substantia. — 2.° In casu destructionis rei tenetur quis refundere pretium aequivalens. Adeoque praevia cautio danda est, et inventarium conficiendum. C. I. 525., C. G. 262. Cf. C. A. 520. — 3.° Attenta natura ipsius *usus*, usuarius non potest alteri locare, vendere, aut donare *ius* suum. Usus enim in eo consistit, ut quis re utatur pro mensura suae necessitatis. C. I. 528., C. G. 631. 634., C. H. 525., C. A. 507. Excipe, nisi clare appareat ipsi hanc etiam facultatem fuisse concessam peculiari conventione, vel si usus esset omnino inutilis, nisi posset alienari. — 4.° Usuarius rei fructiferae, ut horti, agri, vineae, etc., nequit iuste plus de fructibus colligere, quam requiratur ad necessariam sustentationem; unde si plus fructuum colligat, tenetur eas domino directo restituere. C. I. 821., C. G. 630., C. A. 505. 506.

842. *Quid habitatio?* — *Habitatio* est: *Ius alienas aedes inhabitandi, salva earum substantia*. Et sic viduis nobilibus conceditur saepe a maritis ius habitandi ad dies vitae in domo haeredis. Is, cui domus habitatio concessa est, potest in ea habitare cum sua familia, quamvis eo tempore quo habitationem aedis acquisivit coniugatus non fuerit, in eaque hospites recipere, non potest tamen *ius* suum alteri transferre, illud vendendo, vel aedem locando, et acquirendo sibi pretium locationis. Qui totam habitat domum tenetur ad omnes necessarias ac ordinarias expensas et tributa; qui partem tantum habitat, non tenetur nisi pro rata rei. Habitatio incipit et cessat ut *usus*, cum quo confunditur ex recentioribus legibus. C. I. 521. seqq., C. G. 625. seqq., C. A. 521. 522., C. H. 524. 525. 529. Cf. C. A. 508., C. H. 527. — C. I. 1415., C. G. 1570. debetur viduae ex viri haereditate praeter vestes habitatio per annum luctus. — Inst. l. 2. t. 5. § 2. 5.

843. *Quid ususfructus?* — *Ususfructus* est: *Ius utendi et fruendi aliqua re, fructus ex ea percipiendo*, eò ipso modo quo perciperet ipse proprietarius, salva tamen eius substantia, tum quoad materiam, tum etiam quoad formam, sicut in usu. C. I. 477., C. G. 578., C. H. 467., C. A. 509., L. 487. Differt ab *usu* in hoc, quod latius pateat; nam *uti* simpliciter est fructus dumtaxat *necessarios* percipere; *frui* vero eos percipere *sicut ipse*

proprietarius perciperet. Sic, v. g., si quis habeat usum alicuius horti, potest quidem fructus ab eo suscipere pro se et suis, sed non potest eos alienare et extraneis elargiri, potest autem si eiusdem habeat usumfructum. Illud *utendi* et *fruendi* non frustra apponitur; nam ususfructus, prout respicit *rem fructiferam,* est ius *utendi,* prout respicit vero *fructus* est ius *fruendi,* seu *ex ea fructus percipiendi.* Et sic, si legati sint reditus alicuius praedii, non *ususfructus* censetur, sed *legatum redituum,* quod onus personale est, non fundi. Et ideo dicitur, ius utendi et fruendi *aliqua re, fructus ex ea,* etc. Unde ius *reale* est *in re* constitutum, et sic a *locatione* differt. Ille, cui competit ususfructus, dicitur *fructuarius.* — Inst. l. 2. t. 4. § 1.

844. *Quid et quotuplex sit rei fructus?* — *Nomine fructuum generatim intelligitur* illud omne, quod res fert vel producit; fructus enim dicti sunt a ferendo: et sunt alii *naturales,* qui ex re ipsa et solius naturae beneficio producuntur, uti herba, poma, nuces; item foetus animalium et quae ab ipsis proveniunt, cum habeantur uti pars viscerum: alii *industriales,* qui sola industria acquiruntur, ut est lucrum, quod percipitur a pecunia, quae negotiationi exponitur, aut a meliorationibus rei factis: alii vero sunt, in quibus praeter naturam, hominis quoque labor et industria partem habet, uti sunt, v. g., frumentum et segetes: hos theologi appellant *mixtos,* quia partim quidem natura, partim autem humanae industriae beneficio producuntur: alii tandem *civiles,* qui proveniunt tantummodo occasione rei, et vi obligationis particularis in iure civili fundatae, v. g., pretium domus locatae, pensiones fundi, usurae pecuniae mutuo datae, etc. Fructus ipsi naturales et industriales dividuntur in *nascituros* et *natos;* isti item in *pendentes* et in *perceptos,* et isti adhuc in *exstantes* et in *consumptos* dividi solent. — C. I. 444. 480. 494., C. G. 583. 584. 585. 598., C. H. 354. 355. 357., C. A. 330., L. 609. 610.

845. *Quotuplex sit ususfructus?* — *Ususfructus duplex est divisio.* — Prima est in usumfructum *proprium* et *improprium.* Ille constituitur in rebus, quae usu minime consumuntur, uti sunt, v. g., domus et hortus; iste vero constituitur in *rebus fungibilibus,* ut vocant, quae nempe usu consumuntur, uti, v. g., panis, vinum et oleum. Ususfructus improprius dicitur etiam *quasi ususfructus.* C. I. 483. 484., C. G. 587. 589., C. H. 481. 482., C. A. 510. — Altera divisio est in usumfructum *singularem,* i. e. quarumdam rerum in specie; *particularem,* i. e. alicuius partis bonorum; et *universalem,* in quo bona omnia continentur. Cf. C. H. 469. — Inst. l. 2. t. 4. § 2.

846. *Quaenam sint iura ususfructuarii?* — *Haec in genere sunt, seclusa speciali conventione:* 1.° Cum ususfructuarius personam proprietarii *quoad dominium utile* agere censeatur, primum eius ius est, ut possit fructus omnes percipere sive naturales sive industriales, sive civiles, eosque suos facere, sive collegerit per se sive per alios. C. I. 477. 479., C. G. 578. 582., C. H. 471., C. A. 509. 511.; collecti autem intelliguntur, cum a solo vel a re fuerint separati. — Hinc si fructuarius moriatur, fructibus quidem maturis, sed nondum a solo vel a re separatis, fructuarii haeredis non sunt, sed rei proprietarii, sine onere solvendi pro cultura vel semine, etc.; fructus enim quamdiu adhaerent fundo censentur unum cum illo. Quod si haeres iste, fructuario iam morituro, fructus immaturos collegerit, te-

netur eos proprietario restituere; nam sicut fructuarius non poterat fructus immaturos colligere, ita tanto minus eius haeres. — E contrario fructus naturales et industriales initio pendentes percipit usufructuarius, sine etiam onere solvendi pro cultura, vel semine, etc. — Fructus vero civiles de die in diem acquiruntur, ac proinde dividi debent pro rata temporis, quo usufructus duravit. C. I. 480. 481. 494., C. G. 585. 586. 598., C. H. 472. 474. 475., C. A. 511. Cf. ib. art. 519., C. H. 472. 476. 477.

2.° Insuper ius habet in ea omnia, sine quibus usufructus haberi non potest; quare ius itineris habet ad rem fructuariam per fundum haereditarium, si aliunde non pateat aditus: item ius utendi servitutibus omnibus fundo inhaerentibus; quia habentur tanquam qualitates fundi ipsius: item ius habet in fodinas apertas, in singula fundi instrumenta, nisi contraria appareat testatoris voluntas; non enim praesumendum est testatorem voluisse, ut fructuarius sibi instrumenta compararet pro fundo, quo ad tempus tantummodo usurus sit. C. I. 494., C. G. 597. 598., C. A. 511., C. H. 479. Cf. ib. art. 476. 477.

3.° Praeterea ius habet, ut possit fructus vendere, donare, res fructuarias locare, commodare ac hypothecae supponere, ac alii fruendam concedere immo et pignori tradere; nam qui per alium fruitur, per se frui ipse videtur. C. I. 492. 493. 1967., C. G. 595. 2118., C. H. 480. — Inst. l. 2. t. 1. § 36.-38.

4.° Usufructuarius ius non habet ad compensationem pro factis meliorationibus. Eas enim donasse censetur. Attamen augmentum pretii compensare poterit cum detrimentis, si quae secuta fuerint sine gravi fructuarii culpa. — Quae compensatio si locum habere non possit, licet fructuario eiusque haeredibus factas additiones sibi resumere, si absque fundi detrimento, et cum fructuarii utilitate possint auferri, nec proprietarius praeferat factas additiones sibi retinere, soluta earum aestimatione. Semper vero fructuario eiusque haeredibus licebit recuperare specula, tabulas depictas, aliaque ornamenta, modo omnia in pristinum statum restituantur. C. I. 495., C. G. 599., C. H. 487. 488. Cf. C. A. 514.-517.

847. *Quaenam sint fructuarii obligationes? — Hae in genere sunt:* 1.° Fructuario incumbit onus tum custodiam praestandi, tum expensas ordinarias subeundi, ut res in integro suo statu conservetur, tum etiam faciendi sumptus, ut naturales fructus ex ea percipiat. Tenetur etiam ad solvenda onera ordinaria, quibus gravatur res usufructuaria, qualia sunt salaria, tributa annua et similia. C. I. 477. 501. 504. 506. 509., C. G. 605. 606. 608., C. H. 500.-502. 504. 505., C. A. 512. 513.

2.° Fructuarius uti debet re aliena tanquam bonus paterfamilias eamque talem reddere, qualis reperiri debet post bonam administrationem. Proprietarius autem nihil facere potest, quo deterior fiat conditio usufructuarii, quia patitur frui. C. I. 495. 497., C. G. 599. 601., C. H. 489. 497. 503., C. A. 513.

3.° Res fructuaria domino restituenda est, finito usufructu, qualis quoad sui substantiam tunc erat cum incepit. C. I. 477.; ideo cautio danda est et inventarium conficiendum. C. I. 496. 497., C. G. 600. 601., C. H. 491. Ex C. I. 1922. aut cautio aut pignus dari potest. Cautio autem danda non est a patre vel matre in usufructu legali, nec ab eo qui rem vendidit, aut donavit, reservato sibi usufructu. C. I. 497., C. G. 601., C. H. 492. Neque

vero cautio danda, neque inventarium conficiendum, si utrumque remittat qui usumfructum constituit. C. I. 496. 497., C. H. 493. Cf. C. A. 518. 520. — Cf. C. I. 483. 484., C. H. 481. 482., C. G. 587. 589.

Haec de oneribus fructuarii *in genere*. Attendendae enim sunt speciales quae adsunt leges de usufructu *agri, gregis, sylvae.* — C. I. 486. 489. 490. 494. 512. 579., C. H. 483.-485. 499.

848. *Quomodo ususfructus acquiratur? — Ususfructus acquiritur:* 1.° Ex lege, et tunc dicitur *legalis:* talis est ususfructus parentum ex bonis filiorum, vel mariti ex bonis uxoris. 2.° Ex conventione vel contractu, et ideo *conventionalis* nuncupatur, v. g., vi donationis vel testamenti. 3.° Praescriptione. C. I. 478. 2137., C. H. 468.

849. *Quomodo cesset ususfructus?* — « Ne in universum inutiles essent proprietates, semper abscedente usufructu, placuit certis modis exstingui usumfructum, et ad proprietarium reverti ». Inst. l. 2. t. 4. § 1. — Porro *cessat ususfructus:* 1.° Morte naturali aut civili fructuarii; cum enim tam usus, quam ususfructus sint iura *personalia*, morte eius cui competunt, exstingui debent. Hinc *ususfructus,* i. e. ipsum ius stabile utendi et fruendi, neque transit ad haeredes, neque etiam vendi potest sine consensu domini directi. C. I. 515., C. G. 617., C. H. 498. 513. Ususfructus communitati vel corpori morali concessus spatio 30. annorum exstinguitur. C. I. 518., C. H. 515. — 2.° Finito tempore, si quod lege sit statutum, vel fuerit conventione constitutum. C. I. 515. 517., C. G. 617. 620., C. H. 513. 516., C. A. 528. — 3.° Omnimoda mutatione, v. g., si pratum fiat stagnum, vel totali rei interitu, si, e. g., totum aedificium diruatur; *totali*, nam si res partialiter tantum perit, sustinetur in eo quod remanet ususfructus. C. I. 515. 519. 520., C. G. 617. 624., C. H. 513. 514. 517. Cf. C. A. 525. — 4.° Exstinguitur item ususfructus, resoluto iure usumfructum concedentis, e. g., si Titius domum vendat Caio sub pacto redemptionis, et Caïus interim eius usumfructum Sempronio concedat, domo redempta a Titio, cessat etiam ususfructus. — 5.° Consolidatione, cum nempe fructuarius rei ipsius proprietatem et dominium consequitur, vel dominus usumfructum etiam acquirat. C. I. 515., C. G. 617., C. H. 513. — 6.° Renuntiatione fructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum. C. H. 513. — 7.° Abusu, quo per fructuarii culpam res deterior fiat. C. I. 516., C. G. 618. Secus vero ex C. H. 520. 529. discrimen constituente inter *usumfructum* et *usum*, qui gravi abusu rei exstinguitur. — 8.° Praescriptione, si nempe fructuarius iure suo non utatur tanto tempore, ut res fructuaria ab altero usu capi possit; 30. anni requiruntur, ut dominus adversus fructuarium praescribere possit. C. I. 515., C. G. 617., C. H. 513. — Inst. l. 2. t. 4. § 3.

850. *Quid et quotuplex sit servitus? — Servitus, active* et *generice sumpta*, est ius, quod inest cuipiam, ut *alterius res*, aut *alia persona*, rei suae vel sibi serviat; servitus vero *passive* sumpta est obligatio rei alienae, vel personae praedicto iuri correspondens. *Alterius res,* aut *alia persona,* nam res propria domino suo non servit; quare quae inde dominus commoda percipit *iure dominii* percipit, non *iure servitutis*. Idem a fortiori de persona dicendum.

Hinc servitus esse potest: 1.° *Personalis,* quae a persona personae debetur, et propria est mancipii erga dominum. 2.° *Mixta,* quae a re

debetur personae, cuiusmodi sunt usus, ususfructus, habitatio. C. A. 521. 3.° *Realis*, quae rei a re debetur: ut onus praedio in utilitatem alterius praedii impositum. C. I. 531., C. G. 637., C. H. 530., C. A. 473.

Servitus realis in *continuam* et *discontinuam* dividitur. Illa est, quae absque hominis facto exercetur, ut servitus prospectus, stillicidii, etc. Haec hominis facto exercetur, ut servitus itineris, aquae haustus, etc. C. I. 617., C. G. 688., C. H. 532. Alia praeterea est *apparens*, alia non *apparens*. Prior signo aliquo exterius apparet, ut servitus portae, fenestrae, aquaeductus; posterior hoc exteriori signo caret, ut servitus aedificium altius non attollendi. C. I. 618., C. G. 689., C. H. 532. — Inst. l. 2. t. 3. § 1. 2. 3.

851. *Quisbunam modis servitus constituatur? — Servitus realis ex triplici fonte oriri potest.* — Primus est *naturalis positio locorum;* sic, v. g., fundus, qui est in situ inferiori, tenetur recipere aquas effluentes a fundo, qui est in superiore. Servitutes ex hoc fonte manantes dicuntur idcirco *naturales.*

Alter est *lex*, quo nomine venit etiam *sententia iudicis;* sic, v. g., ob utilitatem publicam vel privatam lex praescribit regulas servandas quoad viarum constructionem atque reparationem, aquarum deductionem, domorum aedificationem, murorum distantiam, etc. Servitutes sic ortae dicuntur *legales.* Potest praeterea servitus *praescriptione* acquiri. C. I. 2137., C. A. 480. 1469. 1470. Solae servitutes *apparentes* et *continuae* usucapionibus acquiri possunt, et sola praescriptione 30. annorum, C. I. 629. 630., C. G. 690. 691.; sed C. H. 537.-539. praescriptione 20. annorum. Opus autem est in foro conscientiae bona fide, qua quis nempe existimat dominum, qui patitur eum servitute uti, non esse invitum. Servitutes *continuae* non *apparentes*, ut servitus non attollendi, et servitutes *non continuae*, sive *apparentes* sive *non apparentes*, nequeunt statui nisi mediante titulo. Possessio, licet immemorialis, non sufficit ad eas constituendas. C. I. 630., C. G. 691.

Tertius tandem fons est *conventio*, possunt nempe vicinorum fundorum proprietarii, si lex vel ordo publicus non obstet, secum convenire, ut unus fundus alteri serviat, et vicissim, si ita placuerit. Servitutes istae dicuntur *conventionales.* C. I. 532., C. G. 639. Potest item servitus constitui destinatione patrisfamilias, actu aliquo ultimae voluntatis, seu inter vivos. C. I. 629. 630., C. G. 692. 693., C. A. 480. — Inst. l. 2. t. 3. § 4.

Observandum autem hic est: 1.° Servitus *in rebus Ecclesiae* cadit sub Extrav. *Ambitiosae;* est enim quaenam iuris alienatio, adeoque sine beneplacito apostolico imponi non potest. — 2.° C. I. 556. facultas reddendi murum contiguum communem ad aedificia non extenditur usus publici, adeoque neque ad Ecclesias. — 3.° Conventiones, quae constituunt servitutes praediales onerosas, vel eas moderantur, *sub poena nullitatis* actu publico, aut privata scriptura fieri debent. C. I. 1314. Quod si constituantur titulo gratuito, actus publicus requiritur, cum donatio tunc habeatur, quae secus *nulla est.* C. I. 1056. Cf. 1011.

852. *Quibusnam modis servitus finiatur? — Exstinguitur servitus realis:* 1.° Elapso statuto tempore, vel impleta conditione. 2.° Renuntiatione expressa vel tacita. 3.° Consolidatione, qua dominus praedii dominantis fit simul dominus servientis, aut vice versa. 4.° Si res immutetur; si tamen res reducatur ad pristinum statum, servitutes reviviscunt, nisi obstet praescriptio. 5.° Praescriptione, seu non usu iuris servitutis per 30. annos.

C. I., C. G.; sed C. H. per 20. annos. Immo cum servitutes habeant rationem immobilium, praescribi possunt per spatium temporis, quod in his praescribendis servatur. Gur. 597. 598., C. I. 662. seqq., C. G. 703. seqq., C. H. 546. seqq., C. A. 524. seqq. 1488.

853. *Resolves:* 1.° Non potest dominus praedii superioris quidquam facere, ut aquarum fluxus insolite augeatur, cum nocumento praedii inferioris. Neque vero dominus praedii inferioris quidquam facere potest quod aquae fluxum impediat cum damno praedii superioris. C. I. 536., C. G. 640., C. H. 543. 545.

2.° Dominus praedii servientis non potest mutare positionem viae, aquarum, rivuli; nisi servitus gravior evaserit, aut impediat, quominus reparationes praedio utiles fiant: et tunc tenetur nullum afferre nocumentum, vel illud compensare praedio dominanti. C. H. 545.

3.° Qui agros possident ad ripas fluminum navigabilium, obstare non possunt, quominus aperiatur via necessaria ad navigiorum cursum. Idem dicendum de iis, quorum praedia viis aut aliis publicis operibus adiacent: ii enim tenentur ad servitutem patiendam, quamdiu necessaria est ad praedictorum operum confectionem vel reparationem. At in utroque casu proprietarii laesi ius habent ad indemnitatem quamdam, si fieri possit. C. I. 534., C. G. 650., Inst. l. 2. t. 1. § 4. 5.

4.° Ad acquirendum praescriptione ius servitutis, v. g., ius viae, aquaeductus, etc. per alienum fundum debet praescribens exercere actus positivos, quibus tale ius acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat ius illud ad se pertinere. Nec sufficit scientia et tolerantia illius, contra quem praescribitur, si titulum non habeat. Si vero titulum habeat, huiusmodi scientia ac tolerantia non requiritur. C. I. 630., C. G. 691., C. H. 539. — Gur. 598.

854. *Quid et quotuplex sit possessio?* — *Possessio* cum *proprietate* saepe confunditur. Differt tamen ab ista, quia *possessio* est ius, quo res *detinetur uti sua; proprietas* vero seu dominium est ipsummet ius, quo res *est sua,* et quis est dominus eius. Possessio potius res *facti* est, quam *iuris.* Nihilominus *duplex distinguitur possessio;* alia *facti,* alia *iuris.*

855. *Quid possessio facti et iuris?* — *Possessio facti* est: *rei apprehensio vel detentio, corporis, animi et iuris adminiculo.* — *Rei,* quo nomine intelligimus non solum res corporeas, sed etiam incorporeas, uti sunt census, patronatus, etc., quae quidem dicuntur *quasi possideri,* ad discrimen rerum corporearum, quae *possideri* dicuntur. *Apprehensio vel detentio;* quia possessio consideratur vel in sui initio vel in sui continuatione; in sui initio est *apprehensio rei,* in sui continuatione est *eiusdem detentio. Corporis adminiculo;* quia ut res aliqua corporea possideatur, debet actu aliquo corporali apprehendi, v. g., manibus, pedibus, etc. Si res sit nullius, ad eam acquirendam requiritur *vera* et *realis* apprehensio. Si res sit alicuius, qui eam alteri tradit, sufficit apprehensio *ficta,* ut si alteri tradat claves domus. Si res tandem sola legis dispositione acquiratur sufficit apprehensio *legalis,* ut si haeres, nesciens, haereditatem acquirat. Si res sit incorporea, apprehensio habetur ipso usu, vel iuris exercitio, vel servatis formis a lege praescriptis. *Animi;* quia res ut possideatur, debet apprehendi animo illam habendi ut suam. *Iuris,* i. e. iure non re-

sistente neque impediente; quia ad possessionem requiritur, ut ius seu leges non impediant, quominus detentio rei censeatur vera eiusdem possessio, incapacem possessionis reddendo; sic, v. g., detentio rei sacrae, quae fiat a laico; rei publicae, quae a privata fiat persona, ne *possessio* quidem *facti* dici potest; quia ius has personas incapaces talis possessionis reddendo, talem possessionem impedit; contra detentio rei furtivae profanae penes furem est vera *possessio facti*, licet iniusta; quia ius non impedit, quominus talis rei detentio sufficiat ad possessionem. — L. *Qui universos de acquir. vel amitt. possess.*, Inst. l. 2. t. 1. § 1. seqq., t. 2., C. I. 685. 687. 688. 690., C. G. 2134. 2228. 2230.-2232., C. H. 430.-432. 437.-440., C. A. 309.-315.

Possessio vero *iuris* definitur: *ius insistendi rei tanquam suae, non prohibitae possideri.* — *Ius*, per quod differt a *possessione facti*, quae est ipsa occupatio rei vel eius detentio, ex qua vel oritur ius si sit iusta, vel non oritur si iniusta sit. *Insistendi rei*, i. e. rem pacifice detinendi, et iuris remediis, interdum etiam armis ubi fuerit opus, eam tuendi contra perturbatores. *Tanquam suae;* nam si quis insistat rei nomine alieno, non erit *vera* possessio: sic, v. g., tutor dici non potest possidere bona minoris, sed minor ipse possidet per tutorem; quia tutor non retinet illa bona *tanquam sua*, sed nomine minoris. *Non prohibitae possideri*, i. e. nulla lege resistente atque impediente, uti dictum est supra *de possessione facti.* C. I. 686. 701., C. G. 540. 550. 2229. 2268., C. H. 430.-432. 437.-441., C. A. 316.-329. Ut autem legitima sit possessio servandae praeterea sunt formalitates a lege praescriptae.

856. *Quid possessio naturalis et civilis?* — Possessio tam *facti* quam *iuris*, dividitur in *naturalem*, *civilem* et *civilissimam*. *Naturalis* est, qua res possessa *corpore* et *animo* retinetur ut sua, dum scilicet quis corporaliter insistit detentioni rei tanquam suae; quod facit qui rei in conspectu positae ita vicinus est, ut continuo ei possit adesse. *Civilis* est, qua res corpore et animo apprehensa retinetur solo *animo;* sic possidet domum suam qui domo abest, quamdiu habet animum eam sibi retinendi. *Civilissima* tandem est, quae sola legis dispositione retinetur, absque omni *animi* et *corporis* adminiculo; quod contingit, v. g., in parvulo, cui haereditas aliqua obvenerit: iste possidet haereditatem defuncti sine ullo apprehensionis actu, immo et sine ulla intellectus cognitione. Inst. l. 4. tit. 15. *de Interdictis.* — Distinguitur item possessio *naturalis* et *civilis*, quatenus possessio mere *naturalis* dicitur *mera* rei alicuius *detentio*, vel *mera* alicuius iuris *fruitio; civilis* vero dicitur haec ipsa rei detentio, vel iuris fruitio, sed simul cum *intentione* rem vel ius habendi *ut suum;* adeoque non alieno nomine, sed *suo nomine* quis possidet, *animo* nempe *domini*, sive vero *per se*, sive per alium, per colonum, inquilinum, fructuarium, etc., rem detineat. C. I. 685. 687. 688., C. G. 2134. 2228.-2232., C. H. 430.-432. 438.-441., C. A. 309. 310. 313. 352.

857. *Quaenam sint possessoris iura?* — *Iura, et privilegia iuridicae possessioni annexa sunt sequentia:* 1.° Capiendo possessionem rei *nullius*, eius dominium acquiritur. C. A. 381. Itemque possessor bonae fidei, elapso certo tempore, potest praescribere contra dominum rei directum, et acquirere huius dominium; ut infra dicetur. — 2.° Possessio bonae fidei, si est immemorialis, seu si eius initium excedit memoriam hominum actu vi-

ventium, supplet regulariter omnes defectus, ex quibus alias dominium legitimum non esset; ut constat ex C. *Quibusdam de Verb. signific.* Cf. C. I. 630. — 3.° Possessor bonae fidei, suborto dubio, utrum res sit sua an aliena, si contrarium certo non potest ostendi, potest salva conscientia rem retinere, et iudex, stante tali dubio, rem ei debet adiudicare. C. I. 687. 691. 694. 700., C. H. 446. 459., C. A. 323. 324. — 4.° Possessor bonae fidei, si rem alienam absumpsit, dein non tenetur restituere, nisi in quantum est ditior factus, et suis pepercit. C. A. 329. — 5.° Possessor tempore contestatae litis est a iudice in possessione defendendus, nisi vi, clam, aut praecario illam attraxerit; nam tunc esset possessione privandus. C. H. 446., C. I. 694. — 6.° Si possessor privata violentia est a possessione deturbatus, ante omnia debet fieri spoliati restitutio, nec prius audiendus est occupator, allegans titulum, volensque probare rem esse suam. C. *In litteris de Restit. spoliat.* Cf. C. I. 694. 695. 697. 700., C. A. 339. — 7.° Possessor bonae fidei potest rem possessam etiam armis defendere contra invasorem, dummodo id fiat incontinenti, et cum moderamine inculpatae tutelae, hoc est defensive, et non offensive. L. 3. ff. *de vi et de vi armata.* — 8.° Si quis successive obligetur ad eandem rem mobilem duobus donandam seu tradendam, ille qui eiusdem rei possessionem prior obtinet, eiusdem etiam habet proprietatem, licet eius titulus posterior sit, dummodo bona sit fide. C. I. 1126., C. G. 1141., C. H. 445. 1473., C. A. 322. — L. l. 3. n. 927., l. 4. n. 210.

858. *An homo dominium habeat suipsius?* — Declarata intrinseca *dominii natura*, progredimur nunc ad explicandum *obiectum* et *subiectum* dominii. — *Homo non habet dominium directum animae et corporis ac membrorum, sed tantum utile.* — Prob. 1.ª p. Nam dominium importat quamdam superioritatem; atqui homo non est superior seipso, et suis membris, aut alio homine. Ergo. Praeterea ideo iure naturali competit dominium directum in reliquas creaturas sublunares, quia hae ex natura sua ordinantur ad hominem, ut ei serviant. Ergo, cum homo ex natura sua sit ordinatus, ut serviat Deo, dominium proprietatis directum in hominem, eiusque membra competit soli Deo. Unde Sap. 16., 13. dicitur: *Tu es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.* Et Deut. 32., 39. ait Deus: *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Prob. 2.ª p. Nam homo suo corpore, et membris, non solum potest licite uti ad plurimas functiones, sed etiam per has, divina gratia adiutus, potest mereri vitam aeternam. Ergo. — Lugo D. 10. n. 9. 17., Molina T. 4. D. 1. n. 1.

859. *Resolves:* Suicidium et mutilatio, per se loquendo, non solum est contra caritatem, sed etiam contra iustitiam, seu ius proprietatis divinum; nam usuarius habet obligationem conservandi substantiam rei, sibi ad usum concessae. Homicidium vero alterius personae non solum est contra caritatem, et ius proprietatis divinum, sed etiam contra ius utile humanum.

860. *An homo dominium habeat alterius hominis?* — *Unus homo esse potest sub dominio alterius non solum iurisdictionis, verum etiam proprietatis, sed imperfecto,* seu *utili. Imperfecto,* seu *utili,* nam dominium proprietatis perfectum soli Deo competit, ut constat ex praeced. prop. Ratio est, quia homo quilibet est dominus propriae operae; ac proinde potest illam alienare in propriam utilitatem, et in dominium alterius tradere.

Dominus enim pro arbitrio de obiecto dominii sui disponere potest. — S. Th. 2. 2. q. 57. a. 3. 4., E. M.

861. *Ex quibus titulis induci possit servitus?* — Ex quatuor sequentibus titulis: 1.° *Ex pacto,* seu renuntiatione propria. Etenim non repugnat, ut quis renuntiet suae libertati ad propriam inopiam sublevandam, etc. — 2.° *Ex iure belli.* Non enim repugnat, victorem hanc quandoque poenam infligere. Quandoque enim posset captivos occidere ob gentis securitatem: ergo *a fortiori* eos in servitutem redigere. — 3.° *Ex delicto,* seu ex iusta condemnatione. Etenim, si reus potest damnari ad mortem, *a fortiori* ad servitutem, cum privatio vitae summa omnium poenarum merito censeatur. — 4.° *Ex nativitate* in statu servitutis, quandoquidem de iure servi sunt, qui e servis nascuntur. Ita ex iure gentium iuxta communem sententiam. — Inst. l. 1. t. 3. § 3. 4., Lugo D. 6. n. 11. 17., E. M.

862. *An licitum sit nigritarum commercium?* — Omnino illicitum est ex omni iure, quoties nigritae iniuste libertate spoliantur, et turmatim ut vilia pecora a regionibus suis transvehuntur, et venduntur, ut fit in nefario eorum commercio. Contra tam immanem negotiationem prodiere variae Constitutiones apostolicae, nempe Pauli III., Urbani VIII., Benedicti XIV., Gregorii XVI. *In supremo apostolatus* 3. Dec. 1839. Cf. Ep. Leonis XIII. ad episcopos Brasiliae *In pluribus* 5. Maii 1888. — Si vero agatur de nigris aut aliis in legitima servitute exsistentibus, *per se* illicitum absolute non est, quia, semel admissa servitute ut legitima, dominus verum ius in servos, seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere in alios valet. *Per se;* obstare enim possunt circumstantiae, v. g., si coniux a coniuge esset separandus; vel leges civiles id vetent, prout reapse generatim in Europa servitus interdicitur. — Collectan. S. C. de P. F. n. 2103. 2104. 2105. 2107., E. M.

863. *Nota:* Ex C. I. 1628., C. G. 1780. non potest quis obligare propriam operam in alterius servitium, nisi ad tempus determinatum, et determinatum obiectum. Ex C. H. 1583. potest quis propriam operam obligare sine tempore fixo, certo tempore, vel propter rem determinatam. Locatio per totam vitam *est nulla.*

864. *Quid de propria fama?* — *Homo dominium habet suae famae.* Nam eam homo acquirit labore prorsus dependente a sua libera voluntate per virtutis exercitium, adeoque per proprios actus, quos illa veluti naturalis effectus consequitur. — L. l. 3. n. 983., Billuart D. 3. art. 2.

865. *Resolves:* Homo *ex iusta causa, et, praeciso scandalo ac infamatione aliorum,* licite potest se infamare, e. g., ad petendum consilium, ad propriam superbiam coercendam, ad divinam misericordiam commendandam, ad famam alterius restituendam, etc. *Ex iuxta causa;* nam, si quis sine iusta causa suam famam prodigit, peccat venialiter. Graviter vero peccaret, si infamia officeret proprii muneris exsecutioni, e. g., parochi, magistri, rectoris, etc. *Et praeciso scandalo;* nam, si quis revelando aliquod crimen proprium, prorsus occultum, aliis daret scandalum, peccaret alios scandalizando. *Ac infamatione aliorum;* nam alias homo peccaret laedendo aliorum famam, e. g., complicis, familiae, aut communitatis. Sic religiosus non potest exteris revelare sua crimina in religione commissa; quia hoc modo aliqualiter laederet famam suae religionis et communitatis. — Struggl 9., L. 983.

866. *Quid de exterioribus rebus? — Homo habere potest dominium utile et directum in bona externa fortunae, legitime acquisita.* Creaturae enim irrationales immediate fuerunt creatae propter hominem, ut iste illis uti, et Deo servire possit. Neque vero ulla restrictio apposita est a Deo huic usui, immo illimitate concessus est quoad praedictum finem, ut patet ex verbis Genes. 1., 28.: *Dominamini piscibus maris et volatilibus coeli* etc.; et Ps. 8., 8.: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Deus ergo homini concessit dominium *utile et directum* harum rerum externarum.—S.Th. 2.2.q.66.a.1.2.

867. *Quodnam sit subiectum dominii?* — Certum est, omnem et solam *substantiam intellectualem* dominii esse capacem; dominium enim est legitima facultas disponendi pro libito de re aliqua tanquam sua. Atqui omnis et sola substantia intellectualis hanc facultatem habere potest; cum sola praedita sit libera voluntate. — Soli quidem Deo competit *supremum*, absolutum, et independens *dominium in res omnes creatas.* Dominium autem particulare, supremo Dei dominio subiectum, hominibus etiam competit; licet *infidelibus* et *peccatoribus:* immo etiam *parvulis* et *amentibus.* Nam usus rationis necessarius quidem est ad disponendum de bonis, non vero ad habendam eorum possessionem atque habituale dominium; alioquin dormientes et ebrii verum non haberent dominium, illudque prorsus amitterent actu quo dormiunt, vel quo ebrietate obruuntur. Ipsa naturalis legis necessitate et legis positivae dispositione dominium acquiri et retineri potest, etiam sine ullo positivo actu propriae voluntatis. — Lugo D. 3. n. 16., S. Th. 2. 2. q. 12. a. 2., q. 66. a. 1. 2.

868. *Quid de dominio filiorumfamilias et uxorum?* — Filiusfamilias ille dicitur, qui potestati paternae adhuc subiacet. Quamvis autem « mulier sit aequalis viro in actu matrimonii, tamen in his, quae ad dispositionem domus pertinent, *vir caput est mulieris,* secundum Apostolum, 1. Cor. 11. ». S. Th. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. Porro « ille qui est sub potestate alterius constitutus, in quantum huiusmodi secundum superioris potestatem regulari debet. Hic est enim ordo naturalis, ut inferiora secundum superiora regulentur. Et ideo oportet, quod ea, in quibus inferior superiori subiicitur, dispenset non aliter, quam ei sit a superiore permissum ». S. Th. ib. c. Hinc patet, quod licet filiifamilias et uxores bene rerum dominium habere possint, hoc tamen dominium independens non est, per se loquendo, a potestate patrisfamilias et viri; sed horum subiicitur potestati quoad administrationem, et etiam quoad usumfructum, ad educationis expensas, et matrimonii onera sustinenda. Cf. 667. seqq. 677. seqq.

Filiorumfamilias dominium res spectat, ipsis quovis titulo dominii translatitio datas, vel propria industria acquisitas; nam *ad bona paterna* quod attinet, nullum filiis, *vivente patre,* strictum ius est in paterna bona. Unde, si quid filiifamilias ex hisce bonis surripiant ad restitutionem *per se* tenentur. *Per se,* nisi nempe agatur de re minoris momenti, et prudenter praesumatur patrem eam remittere obligationem. L. 539. 543. 544. — *Dominium item uxorum* in propria bona intelligitur, non in bona mariti. Unde uxor etiam, si quid marito surripiat ex ipsius bonis, ad restitutionem *per se* tenetur. *Per se* iterum, nisi nempe agatur de re minoris momenti, et prudenter praesumatur maritus consentire. Excusanda item esset uxor, si bona non habens paraphernalia, aliquid acciperet de bonis communibus, aut de fructibus suae dotis ad sublevandam necessitatem parentum vel

filiorum, qui ex primo matrimonio suscepti fuerint. Ad id enim tenetur iure naturae, et maritus in id consentire debet. L. 541. 542. 543., H. A. n. 33. Cum vero maritus bonorum uxoris dominium *directum* non habeat, si ea dissipet, ad restitutionem tenetur. — S. Th. 2. 2. q. 57. a. 4.

Quaestio movetur hic tantum de *bonis communibus*, an teneatur etiam maritus ad restitutionem, si prodige vel male ea impendat et dissipet; et omnino affirmandum est, si de ipsis bonis *capitalibus* et *communibus* agatur; siquidem si ea bona *communia* sunt, et consequenter ad virum et uxorem *in communi* pertinent, clarum est uxoris ius hac in re laedi, adeoque reparandum. Si vero agatur de eorundem bonorum *reditibus*, quando isti per leges marito assignentur, a restitutione quoad ipsos male impensos excusatur. Quando vero ipsi *reditus communia bona* ingrediantur, si illos maritus male impendat et dissipet, ad restitutionem tenetur. Atque id quidem habetur C. G. 1401. seqq., C. I. 1433. seqq., C. H. 1392. seqq. Cf. 677. 1237., L. 539. 542., Less. l. 2. c. 25. D. 4. n. 37.

869. *Quid de Ecclesiae dominio?* — *Dominium habet Ecclesia civilis iurisdictionis*, ut est dominium temporale Romani Pontificis. *Dominium* praeterea *habet Ecclesia proprietatis* in bona sive mobilia, sive immobilia. Ius autem Ecclesiae hac in re, independens natura sua est a civilis Status potestate; adeoque ab hac limitari et coarctari non potest. — *Dominium directum* horum bonorum ad ipsam universalem seu *Catholicam Ecclesiam* pertinet. Unde *bona Ecclesiae*, et *bona ecclesiastica* simpliciter appellantur. Hinc, cessante subiecto immediato horum bonorum, e. g., pio Instituto, Monasterio, etc., eorum bona non evadunt nullius, sed pergunt ad Ecclesiam pertinere, et potest consequenter Summus Pontifex de illis disponere in favorem, e. g., alterius pii Instituti, Monasterii, etc. Enimvero Summus Pontifex plenariam et supremam habet *administrationem* ac *dispositionem* omnium bonorum ecclesiasticorum. C. *Licet* 2. *de Praeb. et dignit.* in 6.°, S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7., Suarez Def. Fid. l. 4. c. 18. n. 8., L. l. 3. n. 591. 615.

Horum autem bonorum *ususfructus per se* respective pertinet, per translationem iuris, ad illas personas, loca, etc., quibus a fidelibus donata vel relicta sunt. *Per se*, siquidem S. Pontifex posset pro sua potestate hunc usumfructum immutare, sicut etiam debitos fructus condonare, etc. Etenim, cum huiusmodi fidelium donationes ultro prorsus fiant, integrum sit oportet offerentibus, sicut illas facere, vel non facere, ita etiam, cum faciunt, ius earum in eum transferre quem maluerint. — Solent aliquando huiusmodi oblationes Ecclesiis vel aliis religiosis locis factae, *ad certos usus* destinari. Earum tunc immediata administratio ad episcopum, parochum vel ecclesiae rectorem, sub dependentia episcopi, pertinet, minime vero ad laicos, nisi opera sint beneficentiae mere laicalis. Possunt tamen laici in administratione bonorum ecclesiasticorum tanquam puri ministri adhiberi. Etenim, cum ius administrationis huiusmodi quid sit spirituale, eo potiri laici non possunt. Si autem certa sit offerentium voluntas huic parendum omnino est, Clem. *Quia contingit de Religios. dom.*, Trid. S. 25. C. 8. de R. Cf. Ithur. Cas. 45. n. 47., A. S. S. V. 8. p. 174.

Postremo sine apostolico beneplacito, alienari non possunt ecclesiastica bona, aliaeque in hac alienatione servandae sunt praescriptae iuris solemnitates. Extrav. *Ambitiosae de Reb. Eccl. non alienand.* — S. Th. 2. 2. q. 86., Collectan. S. C. de P. F. n. 1622. 1623. 1624., E. M.

870. *Quid de dominio clericorum? — Bona clericorum quadruplicis generis distinguuntur*, scilicet: 1.° *Patrimonialia*, quae proveniunt ex paterna haereditate, aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione, etc. Bonis hisce patrimonialibus aequiparandae sunt pensiones, quae tribuuntur a Gubernio caducis praesbyteris, aut religiosis e monasteriis olim eiectis, tanquam auxilia ad eorum sustentationem et in compensationem erogata. — 2.° *Quasi patrimonialia*, quae acquiruntur occasione et intuitu functionum, v. g., missam celebrando, concionando, etc. Vocantur etiam *quasi ecclesiastica*, vel *casualia*. Huc pertinent etiam incerti parochorum proventus, qui dicuntur *iura stolae*, et quotidianae canonicorum distributiones ob servitium chori, quasi personae stipendium. — 3.° *Ecclesiastica*, quae ex beneficiis Ecclesiae, v. g., ex reditibus beneficiorum, etc. percipiuntur. Huc spectant etiam bona, quae a Gubernio solvuntur pastoribus et canonicis titulo supplementi, S. Poenit. 19. Jan. 1819., nec non decimae. Quare nomine *bonorum* ecclesiasticorum non intelliguntur hic *fundi*, quos certe clerici alienare non possunt, cum eorum dominium sit penes Ecclesiam, clerici autem sint simplices usufructuarii, sed solum intelliguntur reditus inde provenientes. — 4.° *Parcimonialia*, quae clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quae honeste vivendo consumere posset. — L. 490. 491.

Clericus dominium perfectum habet bonorum patrimonialium. Ratio, quia clericus est per se dominii vere capax, nec ulla lege prohibetur, quominus de praedictis bonis libere disponat. Immo ius illud sexcentis locis iuris canonici et civilis supponitur. — L. 491.

Clericus perfectum habet dominium bonorum quasi patrimonialium, seu quasi ecclesiasticorum, vel casualium. Ratio est, quia bona haec non sunt fructus beneficii, neque pretium muneris sacri, sed quoddam veluti stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur clericus, aut etiam quaedam largitio a fidelibus ad clerici sustentationem erogata. L. 491., Lugo D. 4. n. 23. Constat etiam ex responsione S. Poenit. 9. Aug. 1824., qua declaravit oblationes fidelium non esse bona ecclesiastica.

Clericus fructibus beneficii uti potest ad honestam sustentationem; sed omne superfluum in pauperes, vel in alia pia opera erogare tenetur. Ratio 1.ª est, quia ecclesiae ministrans de ecclesiae bonis honeste vivere potest; siquidem ad hunc praesertim finem beneficia instituta sunt. Ratio 2.ª eruitur ex Ecclesiae praecepto, quod ex innumeris Conciliorum et SS. Canonum decretis perspicuum est. *Hanc* enim *obligationem Ecclesiae canones clericis imponunt aut impositam supponunt*, ait Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 2. n. 4. — L. 491.

Nomine *usus pii* venit, *quidquid ad divinum cultum* pertinet. Nomine autem *pauperum* veniunt *non solum ostiatim mendicantes, sed etiam ii qui aliter nequeunt suum statum conservare.* Veniunt etiam consanguinei, si vere pauperes sint, ita ut alias non possint proprium statum sustinere. Et patet ex Trid. S. 25. C. 1. de R. Hos autem consanguineos indigentes potest clericus praeferre aliis pauperibus, etiam gravius egentibus; quia subventio propinquorum egentium pertinet etiam ad proprium statum clerici servandum, cum illorum paupertas in ipsius dedecus redundet. Licet autem sit congruentius, non necessario tamen succurri debent in pari causa pauperes, qui sunt in loco beneficii, quia canones indistincte praecipiunt eleemosynam fieri, sive in cives, sive in extraneos. — L. 491.

« *Licet haec specialis et gravis obligatio radicaliter et occasionaliter proveniat ex virtute caritatis et religionis, formaliter tamen solum oritur ex praecepto Ecclesiae, et iure positivo ac virtute obedientiae.* Ita cum Lessio l. 2. c. 4. dub. 6. communiter alii. Ratio quoad 1.^{am} p. est: quia clericis nullibi imponitur speciale praeceptum ex caritate pauperibus erogandi reditus superfluos, sed illi obligantur praecepto generali solum dandi eleemosynam, quamvis aliqualiter arctius, quam saeculares. Ratio quoad 2.^{am} p. vero est: quia fundatores clericis reditus amplos non assignarunt sub formali hac obligatione, sed solum spe, et intentione; ergo ». Ita Struggl 27. — S. Alph. 491. 492., licet admittat saltem probabiliter hanc obligationem non oriri *ex iustitia*, admittit tamen eam oriri ab Ecclesiae praecepto *ex motivo virtutis religionis*, probabilius vero *ex iustitia.* — Schmalz. l. 3. t. 25. n. 35.

« Dispensatum est cum clericis in urbe et istius districtu ad 10. milliaria degentibus, ut disponere libere de beneficialibus possent, perinde ut de propriis ac patrimonialibus bonis, prout habetur C. Sixti IV. *Etsi diversis* Kal. Ian. 1474., C. Iulii III. *Cupientes* Id. Maii 1550., C. Pauli V. *In eminenti* 18. Apr. 1606 ». Schmalz. l. c. n. 36.

Clericus perfecto gaudet dominio bonorum parcimonialium, adeoque de iis ut verus dominus disponere potest. Ratio est, quia clericus ius strictum habet ad honestam sustentationem; ergo quidquid ex ea tollit parcius vivendo, ad ipsum pertinet, et in libera eiusdem potestate manet; quippe ius illud omnino absolutum est. Trid. S. 24. C. 12. de R., C. *Consuetudinem de Cler. non resid.* in 6.° L. 491., S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7., Quodl. 6. a. 12. ad 3., Lessius c. 4., Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 2. n. 12.

Clericis saecularibus licet testari de suis bonis patrimonialibus, quasi patrimonialibus et parcimonialibus; verum de bonis beneficialibus superfluis nullum ipsi iure communi facere possunt testamentum, etiam ad pias causas. C. *Ut unusquisque* 3. *de Pec. cler.*, C. *Si quis* 5. ib. *Dicitur iure communi*, excipiendum enim est casus specialis privilegii vel consuetudinis. Struggl 28., Schmalz. l. c. n. 33. — E. M.

871. *An teneantur ad restitutionem clerici, male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum?* — R. Negative probabiliter, quia quamvis constet de praecepto Ecclesiae, non tamen constat de obligatione ex iustitia. Immo ex Trid. S. 24. C. 12. de R. colligi videtur, eos facere fructus suos, licet cum obligatione in eleemosynas aut alia pia opera superfluum erogandi. Dicit enim Conc. de clericis non residentibus: *Non faciant fructus suos.* — Affirmant tamen probabiliter alii, quia clerici sunt tantum administratores et oeconomi bonorum ecclesiasticorum; vel saltem quia Ecclesia ipsis eorundem bonorum dominium non concedit, nisi limitatum, hoc onere *ex iustitia* imposito. — Prima sententia, idest negativa, ait S. Lig. in Retract. qu. X. non minus probabilis videtur in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem D. Th. 2. 2. q. 185. a. 7. — Quod vero attinet ad culpam violati Ecclesiae praecepti, ad materiam gravem requiritur quantitas multo maior, quam in furto, L. 491. IV. 492., S. Th. Quodl. 6. a. 12.

Cum utraque sententia sit probabilis, haeredes etiam horum bonorum possunt probabiliter absque iniustitia et peccato ea retinere. An autem peccet cooperando peccato donantis ea bona accipiens, plures affirmant; sed probabilius dicendum est, « accipientem non peccare, neque contra

religionem, neque contra caritatem, nisi petat, vel inducat ad donandum ». L. 492.

872. *Quid intelligatur per superfluum?* — *Superfluum* censetur, quod honestae sustentationi superest. Porro honesta clerici sustentatio ea est, quae clerico convenit ratione sui status, dignitatis, etc. Quocirca non excludit honestas recreationes, moderatas donationes, et alias eiusmodi expensas; sed haec prudenti timoratae conscientiae iudicio, potiusquam generali regula determinari possunt. — Honesta vel congrua sustentatio non potest aequaliter definiri respectu omnium clericorum; plus enim, ut per se patet, debetur episcopo quam canonico, plus canonico in ecclesia cathedrali quam simplici praesbytero, plus in uno loco quam in alio: idcirco attendi potius debet ad usum aliorum timoratae conscientiae in eodem gradu, et in iisdem circumstantiis locorum et rerum. — Utrum autem possit haberi ratio nobilitatis disputant. Non videtur damnandus qui id affirmaret; unusquisque enim secundum suum statum vivere potest. — Licite quoque potest quis ex his bonis debita, legitime post beneficium contracta, solvere, cum id quoque pertineat ad rationem proprii status; sicuti etiam moderatam hospitalitatem exercere, cum id sit debitum virtutis; item nepotes in studiis alere, si parentes pauperes sint, ac alii pauperes non graviter indigeant, et ipse alia bona non habeat; tunc enim hoc evadit opus caritatis et misericordiae. — L. 491., Schmalz. l. c. n. 24. 25.

873. *An clerici possint servare superfluum in futurum?* — R. Affirmative, quia *per se* nulla est obligatio subito erogandi superflua; immo laudabiliter servari possunt ad fundationem piam, modo bona fide procedatur, et absit periculum, ne postea ad usus profanos convertantur. S. Th. 2. 2. q. 185. art. 7., L. 491.

874. *An clericus habens ex patrimonio unde vivat, ex fructibus beneficii se sustentare possit?* — R. Affirmative. Ratio est, quia iustum est, ut ille qui laborat in Ecclesia, ab eadem sustentetur, et per accidens omnino est, quod dives sit aut pauper. Non igitur ratione paupertatis, sed laboris clericus ad sustentationem ius habet. Unde clericus potest patrimonio parcere, dum fructibus beneficii utitur ad sustentationem suae dignitati convenientem. Constat etiam ex verbis Apostoli 1. Cor. 9., 7. 13.: *Quis militat suis stipendiis unquam?... Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?* — L. 491., S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7., Billuart D. 3. a. 5.

875. *Quid de dominio auctorum?* — « Certum est, inquit P. Gury Comp. V. 1. n. 566., hominem quemlibet ex iure naturali ius habere in fructum suae industriae et sui ingenii. Si enim res fructificat domino, a fortiori hoc verum esse debet de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit. Quilibet igitur in suum commodum uti potest iis, quae suo ingenio in scientiis excogitavit. Inventor igitur artis alicuius, strictum ius habet, ne secretum suum surripiatur, et se invito in vulgus divulgetur. Quod si fiat, damnificator pro ratione iniuriae illatae ad restitutionem omnino tenetur. — Difficultas autem est, utrum auctor, operibus semel in lucem emissis, ea sibi propria servare, et alios ab eorum *usu* excludere queat ». *Usus* hic, de quo agitur, ille est, quo

alii opera semel edita praelo ipsi committant, et proprio lucro vendant. Si auctor in eius opera, iam in publicam lucem emissa, ius sibi retinet proprietatis absolute et illimitate, impedire profecto potest, quominus alii edant et vendant opera sua, seu, ut communiter dicitur, potest auctor sibi reservare *ius proprietatis* quoad *hunc usum*. Si vero auctor in ea opera nullum iam sibi retinet *ius proprietatis*, praedictum *usum* sibi reservare non potest, librum edendi et vendendi.

876. *Qualis sit status quaestionis? — Quaestio haec agitari potest de iure naturali, et de iure positivo.* — Si consideretur primo *naturale ius*, sunt qui tenent praedictum proprietatis ius de iure naturali stricte omnino spectare ad auctorem. Ratio est, quia si lex ipsa naturae postulat, ut cuique ius suum in fructum industriae atque ingenii sui servetur, fructus autem industriae in re nostra percipi nullus possit, nisi in communitatem opus, ut dicunt, tradatur; profecto eadem lex naturae postulat, ut ista traditio seu evulgatio operis in communitatem auctorem fructu industriae suae non privet. Sunt e contrario qui tenent, auctorem non habere de iure naturae ius in opus suum, iam in lucem editum et evulgatum, quia res in communitatem semel tradita, fit eo ipso de iure communi; adeoque ius naturae exigere nequit, ut auctor sibi usum operis reservare possit, aliosque ab eo edendo et vendendo possit excludere.

877. *Quid naturalis aequitas exigat in casu? — Ut quaestio rite resolvatur, distinguenda est stricta iuris exigentia a convenientia seu congruentia et aequitate.* Distinguendus praeterea est liber *formaliter* consideratus, quoad nempe seriem illam doctrinae eiusque expositionem et explanationem, quam continet, a libro *materialiter* considerato, scilicet quoad illam materialem editionem, quam auctor fecit. Porro neque de mera iuris congruentia, neque *de mera aequitate* agitur; neque de materiali editione ab ipso auctore facta quaestio movetur. Evidens res est, quod conveniens omnino et aequum sit, ut permittatur auctori frui commodo et lucro, quod provenit ex libro a se confecto, quod commodum et lucrum non nisi parva forsan parte percipere poterit, nisi ius ipsi reservetur excludendi quemlibet alium a praedicto usu sui libri. Quare *lex positiva* accedens et definiens huiusmodi ius, lex profecto iusta omnino est et obligans in conscientia: et, ea lege stante, auctor *ius strictum* proprietatis habet in suum librum. Itemque evidens res est, quod auctor iure ipso naturali ius strictum proprietatis habeat in illam editionem sui libri, quam ipsemet proprio nomine conficiendam curavit.

878. *Quid in casu iustitia commutativa? — Si sermo sit de stricta iustitiae commutativae exigentia, ex naturali iure, et de alia libri editione, ab alio, nomine proprio, conficienda et vendenda,* longe probabilius videtur id naturali iuri non adversari. Et sane ius proprietatis aut est ius in substantiam ipsam rei, eiusque utilitatem, aut in alterutrum tantum. Si agatur de ipsa substantia rei, cum veritas sit obiectum proprium humani intellectus, statim ac veritas et veritatum complexus in publicam lucem editus est, proprietas fit uniuscuiusque. Quare quemadmodum statim ac astronomus manifestaverit exsistentiam alicuius astri in coelo, omnes illud videre possunt, neque astronomus retinere sibi potest ius, ut videat solus ipse astrum cum exclusione aliorum, vel ut ipsi saltem tributum aliquod

solvant, si astrum alii in coelo propriis oculis videre velint; ita auctor libri statim ac aliquam veritatem, vel veritatum seriem publice exposuerit impedire profecto non potest, quominus alii, nullo ipsi soluto tributo, veritatem intelligant, illamque etiam melius forte quam ipse sibi persuadeant. Idque confirmatur ex ipsa intentione et scopo scriptoris vel professoris: hoc enim omnes intendunt, ut lectores et auditores persuadeantur, et traditas doctrinas suas faciant. Et haec ipsorum maxima laus est, si id consequantur.

Hinc facillime aliud demonstratur, semel ac opus in publicam lucem emissum est, auctorem non servare dominium in usum sui operis, formaliter inspecti, ut iam explicavimus n. 877., quo sensu semper de auctoris dominio loquimur, et quaestio inter doctores agitatur. Evimvero, si auctor non servat dominium in substantiam rei, statim ac opus evulgatum est, quomodo translato dominio *in substantiam*, servabit ipse dominium *in usum?* Si hoc fieri posset, posset quis etiam mutuo transferre in alium dominium in substantiam pecuniae, reservato sibi dominio usus pecuniae, quem deinde venderet.

Ceterum, si auctor servat sibi dominium *usus* veritatum, quas ipse forte invenit, explicavit, ordinavit, non posset quis illis uti studio et meditatione; et ex illis ratiocinatione progredi ad alias veritates forte etiam inveniendas, aliisque communicandas, ut facile fieri potest in artibus et scientiis chimicis, physicis, mathematicis, etc., progrediendo usque ad practicam illarum veritatum applicationem, quod maximae quidem est utilitatis, et maximi etiam lucri. Itemque non posset quis alienum librum edere, notis appositis ad res explicandas, non posset etiam textus ex alieno libro in proprio libro referre, non posset alienum librum penitus confutare, et tanquam erroneo et scandaloso auferre illi omnem auctoritatem; quod dominium importat non tantum in *usum*, verum etiam in ipsam *substantiam* rei, quam pro iure suo *destruit*.

879. *An violet ius alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edat?* — R. Affirmative. Ratio, quia opus, quamdiu in lucem emissum non fuit, sub dominio prorsus remanet auctoris. Quare talis usurpator ad restitutionem manuscripti et damnorum compensationem tenetur.

880. *An item violet ius alienum, qui lectiones alicuius professoris, vel concionem oratoris typis edat?* — Sunt qui generatim affirmant, etiam de publica lectione vel concione. Ratio, quia publice docere vel concionari non est tradere opus suum alteri ad edendum vel vendendum. Distinguendum tamen videtur. Etenim, si agatur de privata lectione, de privata concione, perspicua res est, professorem vel concionatorem retinere totum ius suum in suam lectionem vel concionem. Si vero agatur de publica lectione vel concione, valet argumentum iam factum, quod res in communitatem iam tradita sit, et eo ipso facta sit de communi iure. Idque confirmatur ipso facto, nam nemo est, qui tanquam iniurios in alios condemnat eos, qui publicos sermones typis edunt, in ephemeridibus, deputatorum vel senatorum in Parlamentis, vel aliorum in publicis conventibus. Ipsa Summi Pontificis verba in publicis Christifidelium receptionibus publice eduntur, neque ullus est, qui id gravis peccati contra iustitiam insimulet.

881. *An typis mandari possit in alio loco liber recenter vulgatus sine licentia auctoris?* — Si de loco valde dissito agatur, illi ipsi doctores, qui contendunt de iure naturae auctorem ius proprietatis retinere in suum librum iterato edendum, ita ut alii excludantur a tali iure, concedunt in tali casu huiusmodi ius minus urgendum videri: siquidem editio in regionibus valde dissitis minus impedit, quominus fructum industriae suae congruum auctor percipiat. Atque haec ratio adhuc clarius ostendit auctorem revera non retinere ius proprietatis in suum opus: siquidem si illud ius retineret, parum referret quod in vicina vel longinqua regione liber edatur sine licentia, contra voluntatem auctoris. Parum sane refert, quoad iniustitiam, quod quis occupet alienam domum, alienum campum, iisque utatur ac fruatur, invito domino, in vicina vel remotissima regione. Neque valet dicere, quod quis in tali remotissima regione defendere ac tueri non posset suum ius proprietatis; secus, ut ipsimet doctores scite animadvertunt, fas esset cuique segetes aut uvas sibi sumere ad libitum, quod agri aut vineae dominus eas custodire non valeat. Si vero de vicino loco agatur, et tractatus adsint inter varias ditiones, quorum vi auctor eodem iure alibi ac in propria patria gaudere potest, laeditur certe iustitia commutativa, et violator alieni iuris ad normam legum damna compensare tenetur. Quod si nulla adsit conventio inter varias regiones, cum lex extra territorium legislatoris nullam habeat vim, quamvis forte talis adsit lex in loco auctoris, in alio tamen loco, libri editor ea non tenetur, adeoque non nisi naturali iure res definienda est. Atqui naturali iure huiusmodi proprietatis ius nullum est, vel valde incertum est. Argui ergo non potest, tamquam alieni iuris violator et tamquam damnificator, qui suo utitur iure, et alienum librum edit. Idque multo magis valet, si quis non mere ederet alienum librum, sed in aliam linguam antea verteret. Tunc enim adhuc magis accedit propria industria et proprius labor.

II. — DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM IURE NATURALI

882. *Quinam varii modi sint dominium acquirendi?* — Ad exactam notitiam dominii et iurium ac obligationum, quae inde derivantur, pertinet non solum nosse illius essentiam, et diversas eius species, verum etiam varios modos, quibus acquiritur. — *Modus acquirendi dominium* est titulus quilibet, seu causa ex se idonea ad dominium conferendum. — Porro alii modi oriuntur ex iure naturali seu gentium, alii ex iure civili, alii ex privata voluntate. — *Modi naturales* acquirendi dominium bonorum fortunae reduci possunt *ad occupationem et accessionem.* C. I. 710., C. H. 609., C. A. 317. 381. 404. 423. 424., C. G. 712. 714., Inst. l. 2. t. 1. § 11., Gousset Cod. Comm. in a. 712., S. Th. 2. 2. q. 57. a. 2. 3.

883. *Quid occupatio?* — *Occupatio est:* realis *apprehensio* rei *corporalis* cum animo habendi eam ut suam. *Apprehensio*, eo nempe modo, quem patitur res, et usus fert, e. g., manu, pedibus, laqueo, reti, vulnere inflicto. *Corporalis*, incorporalia enim, uti iura, apprehendi corporaliter non possunt. — *Est legitimus modus dominium acquirendi*, dummodo: 1.° Res sit dominii privati capax, nec ullius sit, vel si sit alicuius, cedat dominus volens iuri suo, puta per contractum, vel si sit invitus legitime

iure suo spolietur, puta occupatione bellica. 2.° Ut occupans velit rem suam facere cum eam de facto apprehendit. 3.° Ut nulla lege, quae eam certo dominio reservaverit, v. g., reipublicae, res veluti ante occupata fuerit. — *Occupationis species* sunt: *inventio, venatio, piscatio,* de quibus in particulari mox dicendum. — C. I. 711. 758., C. H. 610. 956., C. G. 539. 713. 714. 768., C. A. 382. 760., L. 493., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

884. *Resolves:* Potest miles omnia *mobilia* servare, si hostem a se occisum spoliaverit; haec est enim generalis consuetudo. Videtur etiam excusandus, si alios hostes prostratos exuerit. Si vero res a sodalibus occisis acceperit, eas parentibus vel haeredibus defunctorum cognitis restituere debet, in quantum fieri potest, et rei valor requirit. — Gur. Cas. 512., Struggl de V. Praec. Dec. art. 5. n. 49. 50., Reiffenst. Tr. 7. D. 5. q. 1. n. 4., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 8. ad 1., C. A. 402., Inst. l. 2. t. 1. § 17.

885. *Quid inventio?* — *Invenire et inveniendo acquirere* non est rem solum videre, sed est eam etiam physice aut moraliter prout res exigit apprehendere. — *Res inventae triplicis generis sunt.* Aliae sunt, quae nunquam fuerunt sub alicuius hominis dominio et *res nullius* dicuntur, ut gemma reperta in littore maris. Aliae sunt, quae fuerunt sub hominis dominio, sed de facto carent domino; vel quia dominus ea abiecit cum animo non amplius ea possidendi, et dicuntur *bona derelicta;* vel quia dominus absque testamento et haeredibus moritur, et dicuntur *bona vacantia;* vel quia a longo tempore defunctus est dominus, qui pecuniam vel alias res pretiosas abscondit, seu deposuit, ita ut nulla earum exstabat amplius memoria, et dicuntur *thesauri.* Aliae demum sunt, quae actualem habent dominum, sed iste ignoratur, eo quod ab ipso fuerunt perditae, et *res nuper amissae* appellantur.

886. *Quid de re nullius?* — *Res nullius, seu res inventae, quae nunquam dominum habuerunt, fiunt inventoris.* Prob. 1.° ex communi thth. sententia. 2.° Ex ipso iure positivo. 3.° Quia quod nullius est, occupationis facto fit legitime suum. Interim tamen quoad ius fodiendi metalla, etc., attendendae sunt particulares locorum leges. — C. I. 711., C. H. 610., C. A. 317. 382., Inst. l. 2. t. 1. § 18., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

887. *Quid de re derelicta?* — *Bona derelicta et vacantia de iure naturali primi occupantis fiunt.* Ratio, quia nullum amplius dominum habent; cedunt ergo primo occupanti, haud secus ac illa, quae nunquam dominum habuerunt. *De iure* autem *positivo* communiter reipublicae tribuuntur. C. G. 713., C. I. 425. 758. Hoc tamen ex consuetudine ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante iudicis sententiam. Ita vero expresse eruitur ex C. A. 386. 387. 388. — Inst. l. 2. t. 1. § 47., Carrière 285. 343., S. Th. l. c.

888. *Nota:* 1.° Ad occupationis titulum reduci potest modus, quo pauperes occupant ramos siccos silvae, spicas vel castaneas, post earum messem, racemos post vindemiam, etc., quae uti *derelicta* habentur, et a dominis generatim pauperibus conceduntur. — 2.° Bona naufragio perdita, etiamsi occasione tempestatis ultro proiiciantur in mare, non censentur *derelicta,* quia non eiiciuntur eo animo quasi dominus nolit illa habere, sed ut istud periculum naufragii cum navi effugiat. Inst. l. c. § 48. Neque

item habentur pro *derelictis*, quae ex incendio, inundatione aut praedonum manibus liberantur, etsi alias peritura fuissent; unde haec omnia restituenda sunt suis dominis. Ex C. A. 403. qui alienam rem a certo periculo praeservat, praeter expensarum compensationem, proportionatum praemium exigere potest. — 3.° Quoad bona *vacantia*, haec habet Struggl Theol. univ. P. 2. Tr. 8. D. 2. q. 2. a. 2. VII: « Satis probabile est, quod participans de bonis vacantibus, aut eorum possessor non tenentur ante sententiam iudicis eadem bona fisco tradere... Hoc ego a fortiori iudico, si quis tali defuncto diligenter inservisset, aut ita eius amicus fuisset, ut prudentem spem haereditatis aut legati habuisset, si ille testamentum condidisset ».

889. *Quid de thesauro?* — *Thesaurus* ex C. I. 714., C. G. 716., C. H. 352. est quodlibet obiectum mobile pretiosum, quod hominis manu fuerit absconditum, vel sub terra depositum, adeoque ibidem latens, cuius nemo probare possit se esse dominum, sive vetus sive recens sit depositio; sed ex C. A. 398. *vetus* depositio est.

Thesaurus, ubicumque reperiatur, *iure naturae totus inventoris est.* Ratio, quia thesaurus computatur inter bona derelicta, nec est pars fundi, aut fundi fructus. Thesaurum autem *invenire* non est illum manu apprehendere, sed illum primum videre, et cognoscere esse thesaurum. — L. 602., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

Thesaurus pertinet ex C. I. 714., C. G. 716., C. H. 351. *domino fundi.* Ex C. A. 399. tertia pars debetur fisco. Si *fortuito* quis thesaurum reperiat in alieno fundo, sive rustico sive urbano, inter inventorem et dominum fundi thesaurus est *dimidiatim dividendus.* Si vero *ex industria* thesaurum quis quaesivit, domino inscio, in eius fundo, vi legis *totus thesaurus ad dominum fundi* spectat. *Ad dominum fundi,* sive dominus sit homo privatus, sive fiscus, sive civitas, sive ecclesia. Si vero inventus sit in loco usibus publicis destinato, ut in publica via, platea, foro, etsi data opera, ex communi sententia totus inventoris est. C. I. 714., C. G. 716., C. H. 351. Cf. Lugo D. 6. n. 114. 117. *Ad dominum fundi,* non enim cedit usufructuario, C. I. 494., C. G. 598., C. H. 471. Inventus vero in fundo emphyteutico ex C. I. 1561., C. H. 1632. cedit non domino directo sed utili, ex C. A. 399. utrique cedit. — L. 602., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2., Inst. l. 2. t. 1. § 39. Cf. C. A. 401.

Thesauri dominium vi legis *statim* acquiritur domino fundi, et inventori. Verum lex, quae dimidiam partem inventori extorquet, cum thesaurum in alieno fundo ex industria quaerit, poenalis videtur, adeoque ante sententiam dimidia illa pars deberi non videtur. — L. 602., Lugo D. 6. n. 131., Gur. Cas. 526., C. A. 400. Cf. C. I. 714., C. G. 716. Gousset Cod. Comm. in h. a., C. H. 351. 614.

Potest quis praedium emere communi pretio, licet *certo* sciat ibidem fuisse absconditum thesaurum. Ratio est, quia neque thesaurus fundi fructus est, propter quem debeat maius pretium pro fundo solvere; neque certitudo rei, quam habet, ullam infert venditori iniuriam. Etenim, cum thesaurus ille non fuerit adhuc a domino fundi repertus, eius adhuc non est, sed res pergit esse nullius. Quod igitur emptor certo sciat in illo fundo absconditum esse thesaurum, agrum communi pretio emens, nullum venditoris ius laedit. — Lugo D. 6. n. 126., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

890. *Quid de re amissa? — Circa rem a quopiam amissam, si rem forte inventam quis accipiat, debet eam accipere animo restituendi et interrogandi de domino; et ad hoc ex quasi-contractu obligatur.* Ratio est, quia inventor hoc modo rem alienam libere in suam custodiam recipit; adeoque censetur, se ex quasi-contractu obligare ad eam restituendam, et consequenter ad interrogandum de domino rei. Praeterea dominus rei ordinarie vult, rem deperditam esse inventoris, postquam iste dominum rescire nequit; adeoque propter hunc favorem censetur ex quasi-contractu obligare inventorem ad onus interrogandi. Unde, si inventor dominum inquirere culpabiliter negligit, illa bona sunt debita ex delicto. Adde, quod, prout saepe evenit, cum inventor rem apprehendit, causa est, cur dominus communiter recordans loci, in quo eam perdidit, eandem frustra hoc in loco quaerat. Lugo D. 6. n. 132., Struggl l. c. III., L. 603.

Inventor malae fidei, qui rem perditam occultavit, et dominum debito tempore investigare neglexit, tenetur in conscientia rem inventam pauperibus erogare, aut piis causis applicare; etsi postea dominum rei inventae rescire non possit. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. Ratio huius est 1.° quia hoc ipso, quod aliquis rem ab alio deperditam occultet, aut negligat investigare dominum, peccat contra iustitiam, rem alienam detinendo. Ergo non minus, quam fur, ex iniusta detentione tenetur ad restitutionem. Cum igitur dein non possit amplius dominum rescire, tenetur eam erogare pauperibus, vel applicare causis piis. 2.° Quia non potest prudenter praesumi, quod dominus rei perditae velit, ut talis inventor ex suo delicto habeat emolumentum; sed potius, ut, postquam debitam inquisitionem neglexit, habeat onus rem inventam in eleemosynas, aut alias pias causas expendendi, ut dominus saltem emolumentum spirituale reportet. Struggl l. c. XIV., L. 603.

Inventor, qui in inquirendo domino debitam diligentiam adhibuit, et hunc rescire non potuit, probabilius rem perditam potest licite retinere, sine obligatione iustitiae aliquid dandi pauperibus, aut expendendi in alias causas pias. Ratio huius est, quia dominus rei perditae prudenter praesumitur velle, ut res inventa, post adhibitam sedulam et sufficientem sui indagationem, sit inventoris. Ergo propter titulum inventionis, et similem voluntatem domini prudenter praesumptam, potest inventor sibi prudenter, et licite rem inventam appropriare. *Cons. patet:* quia his suppositis nihil obstat, quin inventor possit rem sibi appropriare. *Ant. prob.* 1.° Dominus rei deperditae vult, inventorem esse obligatum ad sedulo et sufficienter inquirendum, quisnam sit dominus rei perditae. Ergo hoc ipso prudenter praesumitur velle, ut inventor, postquam dominum rescire non potuit, possit sibi rem perditam in praemium suae industriae appropriare: quia nemo praesumitur alterum velle obligare ad onera sine remuneratione, praesertim si haec potest fieri sine suo damno. 2.° Dominus rei perditae prudenter praesumitur velle, ut res deperdita eo modo asservetur, quo eamdem potest facilius, et securius recuperare; sed in hac sententia potest rem deperditam facilius, et securius recuperare. Ergo. Mai. patet; nam talem animum ordinarie habent domini rerum perditarum. Min. etiam constat; quia res facilius recuperatur ab uno inventore, quam a pluribus pauperibus, aut a piis causis. — Struggl l. c., Lugo D. 6. n. 100. seqq., L. 603., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2., C. I. 715., C. G. 2279., C. H. 615., C. A. 388.

891. *An qui rem alienam inveniat possit eam relinquere in loco ubi est, vel eam colligere teneatur?* — Non *tenetur* certe rem illam *ex iustitia* colligere; et ratio est, quia nullo speciali officio, nulloque contractu tenetur quis ad rem alienam inventam colligere. — *Tenetur* tamen *ex caritate* rem illam colligere pro domino, si secus periret, vel dominus eam recuperare amplius non posset. Ratio est, quia ex caritate tenemur damnum proximi avertere, quod facile impedire possumus. Hinc generatim loquendo, si res inventa magni pretii sit, magnaque adsit probabilitas dominum detegendi, nullumque sit ex parte inventoris detrimentum pertimescendum, ea obligatio gravis est.

892. *An peccet, qui rem alienam inventam primum acceperit, postea vero in eodem loco reponat?* — Peccat non solum *contra caritatem*, verum etiam *contra iustitiam*, si probabilitas aderat dominum detegendi, rem retinendo. Ratio est, quia rem alienam, in loco tuto iam exsistentem, periculo exponit, quod domino pereat, perinde ac ille qui pannum ab incendio a se ereptum in ignem proiiciat. Praeterea, rem alienam colligendo, suscipit obligationem ex iustitia eam domino restituendi, si possit. Excipe tamen, si praevides damnum inde te passurum; tunc enim « potes illam in eodem loco reponere et permittere, ut alter auferat, licet id faciendo in deteriorem statum rem immittas; tunc enim acceptio furis evenit ex sua malitia, et tua cooperatio est tantum permissiva detrimenti alieni, quod tu evitare non teneris cum proprio damno ». L. 569.

893. *An, qui rem invenerit alienam, et post sufficientem diligentiam, non invento domino, suam rem illam fecerit, noto vero domino post tempus ad praescriptionem sufficiens, possit nihilominus rem tanquam suam servare, titulo praescriptionis?* — R. Affirmative, probabiliter. Ratio desumi potest ex S. Alph. l. 3. n. 590.; ait enim: « Quando spectatis omnibus circumstantiis non est amplius possibile (intellige *moraliter* loquendo) quod dominus inveniatur » si res post debitam diligentiam adhibitam ad inveniendum dominum tradita sit pauperi, si postea dominus compareat, non tenetur pauper eam restituere, quia « tunc pauper acquirit rei *absolutum* dominium *sine ullo onere restitutionis* ». Ergo a pari idem dicendum est de ipso inventore, si, ut potest, rem ipse apud se servat. Et ratio a priori est, quia, ut inquit idem S. D. l. c. n. 603.: « Quando res, spectatis circumstantiis longitudinis temporis, vel distantiae loci, vel eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut accidit in nummis ordinariis, non videtur possibile, ut ad dominum redeat; tunc illa *fit nullius*, et ideo acquiritur a primo occupante, qui illam non tenetur dare iuxta voluntatem prioris domini, cum ille per impossibilitatem eam recuperandi eius dominium prorsus amisit... Ratio a priori est, quia ius gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur; hinc quando est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, illa tanquam derelicta *evadit nullius*, et redit ad primaevum ius naturae, ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione ». — S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

Ex C. I. 715.-718,. C. H. 615. 616. inventor obiecti mobilis, quod non sit thesaurus, debet illud restituere praecedenti possessori; quem si ignorat, debet illud absque mora tradere syndico loci, ubi obiectum repertum est. Syndicus rem notam facit publicatione iuxta consuetas formas iteranda duabus dominicis successivis. Exactis duobus annis a die secundae pu-

blicationis, quin dominus compareat, res aut eius pretium, si circumstantiae exegerint ut venderetur, spectat ad inventorem. Si vero dominus rei amissae opportuno tempore compareat, praemium debet inventori. Idem quoad substantiam habetur ex C. A. 288.-392. Inventor rei amissae eam suam facit, praeterlapso tempore ad praescriptionem requisito. Si interim dominus compareat, praemium debet inventori. Ex C. G. 2229. dominus rei amissae spatio trium annorum eam reclamare potest.

894. *Quomodo varia animalia distinguantur? — Ad venationem et piscationem quod attinet, animalia quadruplicis sunt generis.* Aliqua sunt *mansueta* seu domestica, quae ex sua indole gaudent humano consortio: ut sunt equi, oves, gallinae, etc. Aliqua sunt *sylvestria* seu *ferae*, quae ex sua indole consortium humanum fugiunt; ut sunt lupi, cervi, lepores, aves, pisces, etc. Haec aliquando exsistunt in sua naturali libertate, ut cervus in sylva undique aperta, piscis in mari; aliquando, dempta tali plena libertate, aliqua sunt custodia inclusa, ut cervus in nemore altis sepibus cincto, etc. Aliqua sunt *mansuefacta*, et sunt animalia sylvestria seu ferae, quae industria humana mansuefiunt, et ita curantur, ut consuetudinem habeant abeundi et redeundi, uti columbi in columbario, cuniculi in garena. Aliqua demum sunt *efferata*, et sunt animalia, quae, deposita priori consuetudine, vel pristinam naturam sylvestrem induunt, vel eam contrahunt.

895. *Quid de animalibus mansuetis? — Animalia mansueta, seu domestica, remanent prioris domini, quantumvis aberrent; unde non possunt ab alio occupari.* Ratio est, quia huiusmodi animalia sunt particularis hominis dominio subiecta, et moraliter recuperabilia; adeoque, cum dominus non deponat animum ea recuperandi ut sua, semper retinet eorum dominium. Ob eandem rationem, si quis ovem tuam e lupi faucibus rapuerit, non sibi, sed tibi eam servat. Interim tamen in hoc et simili casu servans animal alienum pretium suae operae saltem ex aequitate, pretium necessarii pabuli vero etiam ex iustitia, petere potest. — Inst. l. 2. t. 1. § 16., Lugo D. 6. n. 41.

896. *Quid de animalibus mansuefactis? — Animalia fera mansuefacta, quamdiu habent consuetudinem revertendi, aut certa custodia sunt inclusa, non fiunt primi occupantis; bene vero, postquam similem consuetudinem amiserint, vel postquam custodiam evaserint.* Ratio 1.ⁱ est, quia huiusmodi animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. Sic insuper omnia iura statuunt. Ratio 2.ⁱ est, quia si revertendi consuetudinem amiserint, aut si domini custodiam evaserint, alterius primi occupantis fiunt; quia suam primam naturam et libertatem recuperarunt. — Inst. l. 2. t. 1. § 12. 15., Lugo D. 6. n. 41.

897. *Resolves:* 1.° Quando tota turma apium ex alveari avolat, et dominus amittit spem probabilem eam recuperandi, turma apium fit primi occupantis. Ex C. G., Lege 6. Oct. 1791., pertinet ad dominum fundi, in quo consistit. Ex C. I. 713., C. H. 612., nisi dominus apes e suo fundo in alium evolantes, intra proximum biduum fuerit prosecutus, itemque nisi quis feras cicuratas, quas coeperit, intra viginti dies sibi vindicaverit, illae fiunt domini fundi, istae capientis et retinentis. — 2.° Columbae quamdiu habent consuetudinem domum revertendi non sunt primi occupantis; sicut

nec alia animalia mansuefacta. Hinc non licet pabulo specialiter confecto, aut aliis illecebris alienas columbas ad suum columbarium attrahere. Si tamen columbae, cuniculi, pisces in aliud columbarium, vivarium, piscinam sese sponte sua receperint, horum domini sunt. C. I. 462., C. G. 564., C. H. 613. — Inst. l. 2. t. 1. § 14. 15.

898. *Quid de animalibus feris?* — *Animalia fera, quae actuali domino carent, et naturali fruuntur libertate, fiunt primi occupantis.* Ratio est, quia ut dicitur Inst. l. 2. t. 1. § 12., « quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur ». Hinc fera ab uno vulnerata, ab alio capta, si constat manus vulnerantis effugere amplius non posse, vulnerantis est, non capientis. L. 604. Idem dicendum de ave, cui unus laqueum tetendit, alius tamen eam coepit. L. 604. — C. I. 711., C. H. 610., C. A. 383.

899. *Quomodo obligent leges, quae venationem et piscationem prohibent?* — Leges, quae venationem et piscationem prohibent tempore quodam determinato, vel aliquibus instrumentis determinatis, ex communi et probabili sententia, *leges sunt mere poenales;* adeoque non obligant nisi ad mulctam et poenam subeundam, si quis deprehendatur. Ratio est, quia huiusmodi leges non nisi materiale et externum bonum haud magni quidem momenti respiciunt, piscium vel avium debitam procreationem et multiplicationem. L. l. 1. n. 145.

Leges, quae prohibent venationem et piscationem in privato fundo clauso, *leges sunt prohibitivae in conscientia.* Hae enim leges confirmant legem naturalem, ne quis aliena re, invito domino, utatur, eique damnum inferat. Quare transgredientes has leges contra iustitiam commutativam peccant, et ad damni compensationem tenentur. L. 604., C. I. 712., Inst. l. 2. t. 1. § 12.

Leges, quae prohibent venationem vel piscationem in publico aliquo loco, vi contractus initi, e. g., locationis, *leges prohibitivae sunt in conscientia, vi iustitiae commutativae.* Quare, si quis eo in loco tantam caperet multitudinem piscium vel aliorum animalium, ut alterius ius notabiliter laederetur, graviter contra iustitiam commutativam peccaret, et ad damni compensationem teneretur. L. 605. 614. 617., H. A. Tr. 10. n. 71., Lugo D. 6. n. 189.

Leges prohibentes venationem et piscationem in aliquo publico determinato loco ex privilegio aliis concesso, *leges item sunt prohibitivae in conscientia*, obligantes quidem *ex iustitia legali,* minime vero ex iustitia commutativa. « Diana tamen cum Dic. etc. excusant venatorem a restitutione, et a peccato gravi, si loca non sint conclusa. Quod etiam admittit Less., si damnum non fuerit notabile, cum ferae non sint magni pretii, vel non sint multae; tunc enim dicit, prohibitionem accipi ex communi iudicio factam tantum sub veniali. Immo addit cum Mol., quod semper excusari possint venatores a restitutione, quando poena iniuncta est, quia illam tantum videntur tunc principes intendere ». L. 605.

Ad animalia capta quod attinet contra praedictas leges, prohibentes venationem et piscationem; si illa erant sub dominio domini loci, vel habentis ius sive ex contractu, sive ex privilegio venationis seu piscationis, restituenda sunt, siquidem ea quis capiendo sua facere non potest. Si vero illa animalia non erant sub praedicto dominio; siquidem, e. g., licet pisces erant in magno aliquo lacu, vel ferae in magna aliqua sylva circumsepta, unde exire non possint, adhuc tamen effugere possunt retia illius, qui

pisces capere velit, vel vagari et venatorem effugere; tunc nulla eorum facienda est restitutio, siquidem ea capiens facit sua. Lugo D. 6. n. 72.

Fera fit primi occupantis, etiamsi in fundo alieno capiatur. Ratio, quia licet fera exsistat in fundo alieno, adeoque eius ibi traiectio sit illicita, non exsistit tamen in alterius dominio; nisi fundus sit clausus, ita ut ferae non possint inde exire, *et facile capi* ibi *queant*, quia hae tunc censentur amisisse libertatem, et ad dominum fundi pertinere. Item licet dominus territorii possit sibi appropriare ius venandi in proprio territorio, non tamen feram liberam, cum solum ad illud, non vero ad hanc habeat titulum proprietatis. Verum dominus, qui in aliquo territorio ius venandi proprium habet, non solum potest feram laqueo captam eximere, sed etiam laqueum, aut aliud instrumentum auferre, quin teneatur ad huius restitutionem, ut communiter docent thth. Ratio, quia talis ablatio communi consuetudine censetur poena pro laeso iure venandi. Hinc, cum possit hoc titulo feram dimittere, potest etiam eodem titulo sibi retinere. — Inst. l. 2. t. 1. § 12.

Si dominus fundi ex sua magnificentia parvipendat vel feram captam restituendam, vel damnum illatum reparandum, et sola mulcta seu poena contentus sit, ut ferae tutae sint; neque restitutio, neque damni reparatio urgenda est etiamsi forte neque mulcta soluta fuerit, quia crimen mansit occultum. Ubi vero damnum sit reparandum, arbitrio viri prudentis, attentis omnibus circumstantiis, aestimatio facienda est. Haec enim non pendet ex pretio ferae captae, sed quantum domini vel ius habentis piscationis seu venationis intererat, animalia non esse capta, eo quod plura animalia per ipsum, vel per suos fuissent capienda, nisi quis iniuste accepisset. Quare, si illud factum, attenta ferarum multitudine, non impedivit, quod caperet ipse quotquot voluerit, neque effecit quod earum pretium decresceret, damni reparatio urgenda non est. — L. 604. 605.

900. *Quid et quotuplex sit accessio?* — Accessio dupliciter sumi potest *generice* et *specifice*. Generice inspecta est additamentum alicui rei factum, vel propter eiusdem *rei productionem*, vel propter eiusdem *rei unionem* cum alia. C. I. 443., C. G. 546., C. H. 353., C. A. 404. Cf. 902. 905.

901. *An rei productione dominium acquiratur?* — Ratione productionis rei distinguitur generatim *fructuum productio* et speciatim *nativitas*. — *Fructuum productione*, sive naturali, sive fictione iuris, proprietarius rei *fructiferae* sive *lucrativae* suos facit fructus, sive naturales sive civiles, uti fructus agrorum et pensiones locationis domorum aut censuum. Unde commune effatum: *Res fructificat domino.* C. I. 444., C. G. 547., C. H. 354., C. A. 405.

Nativitas autem partus est animalium, per quem acquiritur dominium animalis geniti ex proprio animali. Ad hunc titulum nihil refert quod partus fuerit conceptus ex proprio vel ex alieno animali masculino. Unde Iuris effatum: *Partus sequitur ventrem.* C. I. 443. 444., C. G. 546. 547., C. A. 406., C. H. 357., L. 494. 609. 610.

Qui fructus rei percipit, obligationem habet tertios compensandi propter factas expensas culturae, seminum, operum. C. I. 445. — Inst. l. 2. t. 1. § 19. 35.

902. *An unione rei dominium acquiratur?* — Unio rei cum alia, *accessionis* etiam nomine venit, et accessio sic sumpta, licet magis determinata, *generice* adhuc sumitur. Et sic accessio, *generice* sed magis stricte sumpta,

est unio, qua aliquid accidentale adiungitur principali. Haec autem unio *natura* vel *arte* fieri potest, unde variae sunt species, de quibus statim dicemus. — Cum accessorium sequatur principale, rei principalis proprietas tribuit generatim ius in rem accessoriam, ipsi unitam. — R. I. 42.ª in 6.°, C. I. 443., C. G. 546., C. H. 353., C. A. 404.

903. *An alluvione dominium acquiratur?* — Alluvio species accessionis est *in re soli*, non hominis *industria*, sed sola *natura*. Quatuor hic sunt distinguenda, *alluvio, avulsio, mutatio alvei, insula nata.* — *Alluvio* est incrementum *latens*, quod a fluvio alicui fundo paulatim adiicitur. Per *alluvionem* statim acquiritur dominium illius incrementi, quod, vi aut etiam recessu aquae, fundo insensibiliter et successive adiicitur, C. I. 453. 454., C. G. 556. 557., C. H. 366., C. A. 411., L. 494. Excipe tamen loca a mari relicta, quae sunt demanii; et lacus vel stagna privatorum, quae sive crescant sive decrescant, nihil novi iuris tribuunt vel conferunt. C. I. 454. 455. — *Avulsio* habetur cum integra pars terrae, vi fluminis detracta, alteri fundo adiungitur. Huius dominium non statim acquiritur, sed eius capta possessione, post annum, nisi eam dominus sibi vindicaverit. C. I. 456., C. G. 559., C. A. 412. Cf. C. H. 368. 369. — *Alvei mutatio.* Si flumen paulatim ab una ripa recedit, et alteram invadit, locus relictus ad proprietarios agrorum iuxta ripam pertinet, nullo refuso damno, C. I. 454., C. G. 557., C. H. 368. 372. Si flumen, relicto toto naturali alveo, novum alveum sibi efformet, prior ille relictus inter proprietarios agrorum utriusque veteris ripae dividitur, C. I. 461. Cf. C. G. 563., C. A. 409. 410. — *Nova Insula* in medio flumine *nata*, ad proprietarios item pertinet agrorum utriusque oppositae ripae, dummodo flumen navigationi vel rebus vehendis aptum non sit; secus, insula ad Statum pertinet, nisi contrarius adsit titulus vel praescriptio. C. I. 457. 458., C. G. 560., C. H. 371. 373., C. A. 407. seqq. *Nata*, si enim effecta est ex flumine circa agrum fluente, illius manet, cuius erat, C. I. 460., C. G. 562., C. A. 408., C. H. 374. — Inst. l. 2. t. 1. § 20-24.

904. *An inaedificatione, plantatione, satione dominium acquiratur?* — Inaedificatio, plantatio, satio sunt item species quaedam accessionis *in re soli*, factae tamen per hominis *industriam*. Quidquid solo inaedificatur, plantatur, seritur, solo cedit. Dominium enim fundi secum generatim trahit quidquid est supra vel infra positum. C. I. 447. 448., C. G. 552. 553., C. H. 350. 358. 359. — Porro qui in suo fundo aedificavit, plantavit, vel alia opera fecit ex materia aliena, debet pretium materiae refundere huius domino, et si mala egit fide debet eidem domino damna reparare, C. I. 449., C. G. 554., C. H. 360., C. A. 416. 417. — Si quis vero ex sua materia aedificavit, plantavit, vel alia opera fecit in fundo alieno, C. I. 450., C. G. 555., proprietarius fundi ius habet opera retinendi, vel obligandi alium, ut ea auferat suis expensis, et refusis damnis; si vero proprietarius fundi praefert ea opera retinere, debet, C. G., eorum solvere pretium, vel, C. I., auctum fundi valorem. Cf. C. H. 361.-364., C. A. 418. — Si tandem tertius quidam aedificet, plantet, etc. in fundo alieno ex materia aliena, dominus materiae non eam sibi vindicare potest, sed petere a tertio illo damnorum compensationem, et a domino fundi pretium nondum solutum materiae, si aedificium retineat. C. I. 451. Cf. C. A. 419. 420., C. H. 365. — L. 500. 501., Inst. l. 1. t. 1. § 29. 30. 31. 32.

905. *Quid sit adiunctio, et an per eam dominium acquiratur?* — Adiunctio seu *accessio, specificatio, commixtio* seu *confusio,* species accessionis sunt *in re mobili.* Accessio hic non sumitur *generice,* pro qualibet unione rei ad rem, sed *specifice,* pro speciali quadam rerum unione. Porro *adiunctio,* seu *accessio,* specifice talis, habetur cum duae res ita inter iunguntur, ut ex utraque unum *integrum* corpus efformetur, siquidem una res ex altera integratur, discreta tamen manente utriusque rei substantia, et sic adiunctio seu accessio habetur, textura, ut si aliena purpura tuo vestimento sit intexta; insertione, ut si aliena gemma auro vel argento inseratur; scriptura, pictura, etc. — Adiunctio seu accessio naturali regitur aequitate, C. I. 460., C. G. 562. — Quocumque autem modo fiat unio, si res unita aliena sit, et sine gravi detrimento separari ab alia possit, dominus rei accessoriae ius habet separationem petendi et utraque res suo domino reddenda est, ex C. I. 464., C. A. 414. 415., C. H. 378., ut, e. g., pali vineis iuncti, tegulae aedibus iunctae, etc.; sed ex C. G. 566. totum pertinet ad dominum rei principalis, soluto pretio rei accessoriae. — Si vero accessorium a principali non potest separari, ea vi accessionis cedit rei principali, sed huius dominus illius pretium solvere tenetur. C. I. 464., C. H. 375. Cf. C. A. 415., L. 497. Accessorium autem est illud quod rei ornandae gratia adhibetur, quod per se sine alio consistere non potest, quod vilius, quod minus est. C. I. 465. 467., C. H. 376. 377., C. G. 567. 569. — Verum, si accessorium praestet principali, in potestate domini rei accessoriae est, aut totum sibi vindicare, pretium solvendo domino rei principalis, quod haec habeat; aut rem suam eximere, quamvis id sine alterius rei detrimento fieri non possit, C. I. 466., C. H. 378., C. G. 568. Cf. C. A. 415., C. H. 379. — Ac, si accessorium longe omnino praestet principali, tunc accessorium ut principale habetur et artifex totum retinere potest, refuso pretio alienae materiae, C. I. 470., C. G. 571. — Tandem si neutra res alteri praestet, et altera ab altera separari non possit, neutra alteri cedit, sed cuique domino res sua manet, et totum commune dominis manet, C. I. 469., C. G. 572. — Inst. l. 2. t. 1. § 26.

906. *Quid sit specificatio, et an per eum dominium acquiratur?* — Specificatio est introductio novae formae in materiam. Ad specificationem habendam, li et non requiratur mutatio substantialis rei physice, requiritur tamen mutatio substantialis moraliter, e. g., si quis ex aliena lana conficiat pannum, ex auro annulum, ex tabulis navim, ex uvis, olivis, spicis, vinum, oleum, frumentum. — Sive materia ad priorem formam reduci possit, sive non possit, nova species alienae cedit materiae, refuso pretio artis adhibitae, C. I. 468., C. G. 570. Si tamen pretium industriae longe superet pretium materiae, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiae pretio, et, si mala egit fide, damna praeterea reparare tenetur, C. I. 470. 475., C. G. 571. 577. Ex C. H. 383. materia cedit formae, soluto materiae pretio; nisi materiae valor pretiosior sit, vel mala intercesserit fides. — L. 496. Inst. l. 2. t. 1. § 25. 33. 34., C. A. 414. 415.

907. *Quid sit commixtio et confusio, et an per eas dominium acquiratur?* — *Commixtio* est plurium solidarum rerum unio. *Confusio* autem plurium liquidarum rerum unio. — Si commixtio seu confusio sit plurium diversi generis rerum, et ex utrisque facta sit nova species, e. g., si ex melle et vino factum sit mulsum, cuinam cedere debeat ex iure specifi-

cationis repetendum est. Si nulla nova species facta sit, et res possunt separari, qui commixtioni seu confusioni assensum non praestitit separationem petere potest. Si res nullo modo separari possunt, ut frumentum Titii permixtum cum frumento Caii, aut non possunt sine detrimento rerum separari, tota massa fit communis, pro rata cuiusque portione et pretio, C. I. 471., C. G. 573. Attamen, si portio unius reputari potest uti principalis, vel uti multo pretiosior, neque possunt res separari, vel non sine detrimento, e. g., si granum optimae qualitatis permixtum fuerit cum grano infimae qualitatis, vel cum secali, illius dominus totum potest sibi retinere, pretio alterius portionis refuso, C. I. 472., C. G. 574. Cf. C. H. 381. 382., L. 498. 499. 607. 608. 611. 612. 686. Idque Lugo Romano innixus Iuri, L. *Si alieni nummi* 78. ff. *de Solut.*, sive quoad nummos sive quoad alias res intelligit, semper ac id quod accedit minus sit quam praecedens cui additur, et admixtio fiat animo acquirendi dominii. D. 6. n. 164.-166. — Inst. l. 2. t. 1. § 27. 28., C. A. 414. 415.

III. — DE MODO ACQUIRENDI DOMINIUM IURE CIVILI

908. *Quid sit usucapio seu praescriptio?* — Praecipuus modus dominium acquirendi iure civili est *usucapio* seu *praescriptio*, quae definitur: acquisitio dominii, vel liberatio ab aliqua obligatione, et iuris alieni peremptio per continuationem possessionis, tempore et modo a legibus definito, C. I. 2105., C. G. 2219., C. H. 1930., C. A. 1451. 1452. — *Acquisitio dominii;* nam per usucapionem seu praescriptionem legitimam, ex dispositione Iuris civilis et canonici, possessor acquirit rei alienae dominium, vel liberatur ab aliqua obligatione; duplex enim est *usucapio* seu *praescriptio*, una *acquisitiva* iuris, altera *liberativa* servitutis, vel alterius oneris: illa proprie *usucapio*, haec proprie *praescriptio* dicitur; sed promiscue haec nomina saepe usurpantur, et reapse separari nequeunt; nam quae quoad unum est *acquisitiva*, quoad alium *extinctiva* est. C. A. 1478. — *Et iuris alieni peremptio;* nam, postquam possessor per praescriptionem legitimam acquisivit rei alienae dominium, vel liberavit se ab aliqua obligatione, ex parte prioris domini non solum perimitur dominium, sed etiam omne ius ad rem: unde rem aliquam legitime praescribens non tenetur alteri pretium rei compensare. — *Per continuationem possessionis, tempore*, etc., nam continuatio legitimae possessionis tempore, et modo legibus definito, est proxima ratio propter quam Ius civile, et canonicum possessori tribuit rei alienae dominium. *Ius civile et canonicum,* siquidem usucapio seu praescriptio eo regitur Iure, cui res usucapienda vel praescribenda est obnoxia. — C. 4. 6. 8. *de Praescr.*, Inst. l. 2. t. 6.

909. *Quibusnam causis inducta fuerit usucapio seu praescriptio?* — *Causae, propter quas Iure civili et canonico introducta est usucapio seu praescriptio, sunt quatuor:* 1.° Ut tolleretur incertitudo et confusio dominiorum. 2.° Ne lites multiplicarentur. 3.° Ne possessores in continuo metu viverent rem possessam amittendi. 4.° Ne homines in conservandis suis rebus et iuribus essent negligentes. — Quare propter publicum bonum usucapiones seu praescriptiones sunt introductae: adeoque stipulari non

possunt creditores et debitores, ne ulla inter eos usucapio seu praescriptio procedat. C. I. 2107., C. G. 2220., C. H. 1935., C. A. 1502. — Inst. l. 2. t. 6.

910. *An praescriptio legitimus modus sit dominium acquirendi?* — R. Affirmative *tum in foro externo. tum etiam in foro interno*, ut habet communissima doctorum sententia, eaque ipso canonico iure est approbata. C. 3. 20. *de Praescr.*, C. 1. e. t. in 6.°, S. Th. Quodl. 12. a. 24., L. 513. 517., Lugo de Iust. et Iur. D. 7. S. 1. Possessor igitur, licet post legitimam praescriptionem resciat, quod alius fuerit rei praescriptae dominus, non tenetur tamen illam huic restituere, cum per praescriptionem legitimam ipse factus fuerit dominus. Praescriptione autem expleta, res ita sua est, ac si semper sua fuisset, neque fructus debet praeteriti temporis. Ac etiamsi possessor ignoret, se praescriptione acquisivisse dominium rei, legitime tamen praescribit; et si rem ita legitime praescriptam ex tali ignorantia reddat priori domino potest dein conscius iuris illam repetere. C. I. 2105., C. G. 2219., C. H. 1930., C. A. 1451. 1452., Inst. l. 2. t. 6., S. Th. Quodl. 12. a. 14.

911. *Quaenam ad praescriptionem conditiones requirantur?* — *Ad legitimam et consequenter ad validam praescriptionem ex utroque iure sequentes requiruntur conditiones:* praescribendi capacitas, res apta praescriptioni, possessio, titulus, legitimum tempus, bona fides. Inst. l. 2. t. 6., L. 504.

912. *Quinam praescribere possint?* — *Illi omnes praescribere possunt*, qui capaces sunt acquirendi dominium. Quare et privatae personae et Communitates et Ecclesiae praescribere possunt, uti etiam praescriptioni subduntur. C. I. 2114., C. G. 2227. 2251., C. A. 1453. 1454., C. H. 1931. 1932., C. 3. 8. 9. *de Praescr.*

913. *Quaenam possint praescribi?* — *Ea omnia et sola generatim praescribi possunt*, quae sub dominium et commercium privatum veniunt, et ad quorum acquisitionem dari potest titulus legitimus. Etenim cum finis praescriptionis sit dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio fieri nequit de re, quae ex natura sua, vel ex legum dispositione in dominium privatorum venire non possit. C. I. 2113., C. G. 2226., C. H. 1936., C. A. 1455.-1459. 1481., Inst. l. 2. t. 6.

914. *Resolves:* Res *sacrae*, ut ecclesiae, coemeteria, iura ecclesiastica, necnon ea quae sunt dominii *publici* stricte sumpti, ut plateae, viae, etc., praescribi nequeunt. — Praescribi nequit a laicis ius conferendi beneficia, C. 7. *de Praescr.* — Neque praescribi possunt fines parochiarum, vel dioecesium, dummodo constet a legitima auctoritate fuisse constitutos, C. *Super eo* 4. *de Paroch.* — Verius etiam praescribi non possunt onera missarum. Cf. Ferrar. v. *Usucapio* n. 17., S. C. C. 18. Febr. 1702., 18. Aug. 1843. — Licet Pontifices noluerint beneficia ecclesiastica per praescriptionem in laicos transferre, potest tamen ecclesiasticum beneficium praescribi a clerico triennali possessione, ut habetur Reg. 36.ª Cancellariae, de triennali possessione. Ubi tamen advertendum est, quod ad similem praescriptionem requiruntur hae conditiones: 1.° bona fides; 2.° possessio pacifica per triennium; 3.° titulus coloratus; 4.° ingressus non simoniacus; 5.° ut beneficiatus se non intruserit in beneficium Sedi Apostolicae in Corpore Iuris reservatum. L. 507. 515., Lugo D. 7. S. 7., Haunold. T. 1. tract. 5. c. 2. n. 273. — C. I. 177. 427. 430., Inst. l. 2. t. 6., C. 11. 12. 16. *de Praescr.*

915. *Nota:* 1.° Ut praescriptio adversus aliquem *procedat,* h. e. inchoari, et inchoata continuari possit, necesse est, ut is possit iura sua in iudicio tueri, et ut ius iam habeat in re completum. Hinc praescriptio non procedit, si quis in amentiam inciderit: itemque contra iura conditionalia, pendente adhuc conditione; contra iura ad diem determinatam, die nondum elapsa; contra actionem de evictione usquedum mota fuerit controversia. Cf. C. I. 2120. 2121., C. G. 2257. 2258., C. H. 1932. 1934., C. A. 1494. 1497., C. *Placuit* 1. *de Praescr.,* C. *De quarta* 4. ib., C. *Ex transmissa* 10. ib.

2.° *Praescriptio* vero simpliciter *non procedit,* i. e. neque incipi neque continuari potest inter eos, qui una veluti persona aestimantur, i. e. inter coniuges, inter filiumfamilias et eum cuius patriae potestati ille subest, inter administratos et administratores ex iure datos, inter haeredem, qui haereditatem adit beneficio inventarii et creditores aditae ab ipso haereditatis, C. I. 2119., C. G. 2252, 2253. 2258., C. A. 1495.

916. *An ad praescriptionem possessio requiratur? — Certum est, quod legitima possessio requiritur ad praescriptionem.* Id constat tum ex iure civili, tum ex iure canonico: « Sine possessione praescriptio non procedit ». R. I. 3. in 6.°, Inst. l. 2. t. 6., C. I. 2106., C. G. 2229., C. H. 1940., C. A. 1460. Laymann l. 3. tr. 1. c. 8. n. 4., Struggl Theol. univ. P. 2. Tr. 8. D. 2. q. 3. a. 4. II., E. M.

917. *Quaenam sint legitimae possessionis conditiones? — Ut legitima sit possessio* ea esse debet: 1.° *Dominativa,* h. e. debet quis rem per se vel per alium *nomine suo* detinere. 2.° *Pacifica,* absque ulla litis contestatione, absque ulla vi, v. g., si quis dominum vel eius colonum a praedii possessione vi prohibuerit, ei praedii usucapio non procedit. 3.° *Manifesta,* non clam, v. g., si locatarius Titii fundum Caio vendat, et in fundi possessione remaneat ut locatarius Caii, usucapio Caio non procedit. 4.° *Non aequivoca,* ut palam appareat, te rem quasi tuam possidere, te iure quasi tuo uti, et sic usucapio non habetur, si conductor ex praedio sibi locato, aquam in proprium praedium derivet, quod plerumque fieri solet iure vicinitatis, amicitiae et familiaritatis. 5.° *Continua,* non interrupta neque *naturaliter* neque *civiliter,* si res, e. g., intermedio tempore furto fuisset surrepta, vi fuisset ablata, vel si iudicialis adfuerit citatio, vel petitio rei in iudicio, etc. Cf. 923. 924. 6.° *Completa,* sed ad usucapionis tempus, a iure constitutum, implendum successor singularis uti *potest* accessione possessionis auctoris sui, v. g., emptor uti potest possessione venditoris; successor universalis, i. e. *haeres,* ea etiam uti *potest,* ex C. G., ea uti *debet* ex C. I. *Haeres,* qui vero alicui succedit in officio instar successoris particularis, non haeredis, est. Cf. 927. seqq. — C. I. 685. 686. 693. 2115. seqq., C. G. 2228. 2229. 2232.-2235. seqq., C. H. 1941. 1942. 1944. seqq., 1960., C. A. 1460.-1462. 1464. 1493., Inst. l. 2. t. 6., L. 506.

918. *Resolves:* « Hinc fit, non possidere sufficienter ad praescribendum colonum, conductorem, depositarium, commodatarium, servum, et similes: hi enim non possident *nomine suo,* sed *domini,* qui per illos possidet possessione utili ad praescriptionem, nempe et *civili,* atque etiam *naturali.* Usufructuarius vero, et emphyteuta possident quidem sufficienter, ut praescribant in ordine ad ius fundi, non quoad proprietatem; quia hanc non possident *civiliter.* Tutor item, et curator, procurator, et similes possident

non suo nomine, sed *aliorum*, quibus etiam praescribere possunt suus servus, et filiusfamilias, ac religiosus. Denique qui non est capax dominii acquirendi, non possidet possessione utili ad praescribendum. Unde laicus, qui non est capax iuris spiritualis, ad decimas, vel ad aliquid aliud, non potest illud praescribere, ut cum aliis communiter docet Molina D. 62. versus finem ». Lugo D. 7. n. 13., C. I. 685. 2115.

919. *Quid sit titulus ad praescriptionem requisitus? — Titulus requisitus possessionis in genere est* causa, ex qua rem tenemus seu possidemus. Alius est translativus dominii, qui per se ordinatur ad transferendum dominium, ut venditio; alius non translativus, qui per se non ordinatur ad transferendum dominium, ut locatio. Posterior est de se insufficiens ad praescriptionem. Prior vero, si non *verus* reipsa exsistens, saltem *apparens, existimatus*, vel *praesumptus* necessario ad praescriptionem requiritur. Nam, deficiente omni titulo, non potest quis prudenter iudicare, rem esse suam, adeoque sine omni titulo non potest esse possessor bonae fidei. C. I. 701. 2115. seqq., C. G. 550. 2228. seqq., C. A. 1461., C. H. 433. 1434. 1940. 1952. 1953. 1954. 1955. 1959. — Iam vero de hoc titulo breviter dicendum est, hunc non requiri *verum*, sed sufficere *existimatum, apparentem*, vel *praesumptum*. « Si enim vera fuisset emptio, vel donatio, etc., non requireretur praescriptio; requiritur ergo titulus *apparens*, qualis est emptio. v. g., ab eo, qui putabatur dominus ab emptore, licet dominus non esset, Ratio autem est, quia sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis. Quia tamen potuit titulus esse in ipso initio, et postea per oblivionem deperdi, ideo statutum est, quod sufficiat titulus *praesumptus*. Ad praesumendum autem titulum non sufficit possessio illius *temporis ordinarii* ad praescriptionem requisiti, sed requiritur possessio 30. aut 40. vel plurium annorum, quae solet appellari possessio *longissimi temporis:* et hoc quidem, quando ius non resistit, neque aliunde est praesumptio malae fidei in possessore. Si autem ius resistit, vel esset praesumptio malae fidei in possidente, requireretur possessio *tempore immemoriali*, ut constat ex C. 1. *de Praescr.* in 6.° Si autem non solum esset praesumptio, sed constaret de mala fide possessoris, aut de ignorantia iuris non dubii, quae ignorantia, etiamsi esset invincibilis, aequivalet malae fidei in hac materia; tunc etiam possessio *temporis immemorialis* non sufficeret; quia possessor malae fidei ullo tempore non praescribit. Dicitur autem ius resistere possessioni, non per hoc, quod quocumque modo fit in contrarium, sed ex eo quod positive prohibet talem possessionem ». Lugo D. 7. n. 15., L. 505.

920. *Qualis titulus requiratur ad praescriptionem ex recentioribus legibus?* — Pro *ordinariis usucapionibus* specialis titulus requiritur, *habilis* ad dominium transferendum, *coloratus* seu apparens, et non tantum existimatus, et *iustus*, h. e. titulus sua *forma* legali constare debet, C. I. 2137., C. G. 2265. 2267., C. A. 1461. 1467. Cf. C. I. 1056., C. G. 931. Eget praeterea transcriptione, ab eaque peracta incipit usucapio procedere ex C. I. 2137., C. A. 1467. Sufficit vero titulus existimatus seu praesumptus pro usucapionibus *longissimi temporis* seu 30. annorum. C. I. 2135., C. G. 2262., C. A. 1477., C. H. 1952. 1955. 1959.

921. *Quantum sit tempus ad praescriptionem requisitum?* — Ex Iure Romano *res mobiles*, si adest *titulus specialis*, tam inter praesentes quam

absentes, praescribuntur triennio completo. L. un. C. *de Usuc. transf.* Et hoc valet adhuc ut antea quoad bona ecclesiarum. Auth. *Quas actiones,* Extr. *Ambitiosae de Reb. Eccl. non alien.*, Lugo D. 7. n. 69., L. 506. 507. 510. — *Res immobiles* ex eodem Iure, si *adest specialis titulus,* praescribuntur contra dominum privatum inter praesentes decennio, et inter absentes, qui nempe sunt sub diverso gubernio provinciali, vicennio. Inst. l. 2. t. 6., L. 508. — *Res* tum *mobiles,* tum *immobiles,* si *nullus specialis titulus* adest, primum praescribuntur post completum tempus triginta annorum. L. 509. Bona vero immobilia ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, aut ad alias pias causas pertinentia non praescribuntur nisi spatio 40. annorum, immo bona immobilia Ecclesiae Romanae non nisi spatio 100. annorum. C. 4. 6. 8. 9. 13. 14. 17. *de Praescr.* Privilegium centenariae praescriptionis habet etiam Ecclesia Lateranensis, et plures religiosi Ordines. — Schmalz. l. 2. t. 26. n. 100. seqq., Struggl l. c. q. 3. a. 5., L. 510.

Ex C. A. ius proprietatis acquiritur in *re mobili* legitima possessione trium annorum, 1466. Iura impugnandi *ultimam voluntatem,* exigendi *legitimam,* revocandi donationem, rescindendi contractus, impugnandi divisionem, praescribuntur pariter spatio trium annorum, 1487. — Itemque ius proprietatis in *re immobili* acquirit decursu trium annorum ille, cuius nomine res inscribitur in publicis libris, secus vero non nisi decursu triginta annorum, etiam sine speciali titulo, 1467. 1468. 1477., quo tempore omnia iura contra tertium extinguuntur, 1479. Duplicatur ordinariae praescriptionis tempus inter absentes a Provincia; et cum quis rem mobilem acquisivit a vitioso possessore, vel cum indicare non potest eius auctorem, 1475. 1476.

Ex C. H. dominium *rerum mobilium* possessione praescribitur trium annorum cum titulo speciali, secus vero sex annorum. Ipsa possessio bonorum mobilium, bona fide, pro titulo est. Quoad res vero inventas et furto ablatas eas dominus sibi revindicare potest; refuso tamen pretio, si actualis possessor eas publica venditione acquisierit, 464. 1955. — Ius proprietatis in *re immobili* praescribitur possessione decem annorum inter praesentes, viginti inter absentes, et cum speciali titulo. Absens est qui vel *ultra mare* est, vel in extera natione, 1957. 1958. Ius item *reale* super *immobili* praescribitur triginta annis sine ullo speciali titulo, 1959. — Quinquennio praescribitur actio revocandi donationem ex superveniente prole, 646.; quadriennio actio nullitatis contractuum, 1301.; anno actio revocandi donationem causa ingratitudinis, 652.

Ex C. I. et G. haec disponuntur quoad praescriptionem dominii *acquisitivam.* Quoad *bona immobilia,* quoad *res* et *iura,* tam realia, quam personalia, *sine speciali titulo* possessa, requiruntur triginta anni ad praescribendum, C. I. 2135., C. G. 2262. *Cum titulo* autem *speciali,* quoad *bona immobilia,* decem anni requiruntur et sufficiunt, si dominus sit praesens, i. e. si habet domicilium in loco subiecto eidem Curiae superiori *appellationis,* in cuius territorio fundus est; si enim verus dominus sit absens, tunc anni absentiae duplicantur, ex C. G. 2265. 2266. *Bona immobilia* vero et *iura* etiam *realia* super immobili ex C. I. 2137., omni ablata distinctione inter praesentes et absentes, usucapione decennii a transcriptione tituli acquiruntur. — Quoad *bona mobilia,* exceptionibus factis de quibus mox dicemus, nullum generatim praescribitur tempus, sed sola sufficit possessio ex C. G. 2279. Quoad singulas vero res mobiles, et non quoad

mobilium universitatem, itemque quoad schedas mensarias innominatas (titoli al portatore), ex C. I. 707. 1126. 1513. possessio item pro titulo est, quoad *tertios,* qui sint *bona fide.* — *Exceptiones:* Quoad res *furtivas* et *inventas,* ille qui amisit rem aliquam, aut cui furto sublata haec fuit, revindicare eam potest *trium annorum spatio,* quod computandum est a die amissionis vel furti, ab illo apud quem rem reperit, servata huic actione contra eum, a quo illam accepit. Si actualis possessor rei furto ablatae, aut amissae eam emerit in nundinis vel mercatu, aut occasione publicae licitationis, aut a mercatore, qui eiusmodi merces divendat, proprietarius originarius, i. e. dominus, non potest eam sibi revindicare, nisi possessori solvat pretium, quo eam acquisivit. Ita ex C. G. 2279. 2780., cui consonat C. I. 708. 709. 2146., sed *biennium* statuitur ad rem propriam vindicandam. — L. 590. 592. 610.

Dispositiones vero eiusdem C. I. et G. quoad praescriptionem *liberativam* ab aliqua servitute, vel ab aliquo onere sunt sequentes. 1.° Omnes actiones personales et reales per *triginta annos* absque titulo praescribuntur, C. I. 2135., C. G. 2262. — 2.° Post *decem annos* architectus et operum susceptores liberantur ab onere damnum praestandi maiorum operum, C. G. 2270., C. I. 1639. Praescribitur item actio adversus eum, qui tutelam administravit, C. I. 309., C. G. 475. Praescribitur pariter actio in solidum creditoris contra suos debitores, si per decem annos separatim et sine ulla reservatione ab uno ex debitoribus solvatur sua portio, C. I. 1197. Praescribitur quoque ius contra illum, qui cedendo censum perpetuum fideiubet pro debitore, qui censum emit, C. I. 1544. — 3.° *Quinque anni* sufficiunt ad praescribendum pensiones ex censibus, sive perpetuis sive vitalitiis, debitas, pensiones alimentarias, pretium locationis domorum, praediorum, pecuniae mutuo acceptae, et generatim quidquid quotannis vel post tempus brevius periodice solvendum est, C. I. 2144., C. G. 2277. Idem etiam tempus requiritur ad praescribendam actionem divisionis rescindendae ob laesionem in successione, vel petendae restitutionis in integrum C. I. 1038. 1300.; sed ex C. G. 887. 1304. *decem anni* requiruntur. — 4.° *Biennium* sufficit ad praescribendam actionem venditionis rescindendae ob causam laesionis, C. I. 1531., C. G. 1676. — 5.° Praeter has aliae sunt praescriptiones ob acta consilii-familias, ob res praestitas a pharmacopolis, cauponibus, diversoribus, mercatoribus; ob stipendia advocatorum, procuratorum, apparitorum, notariorum, medicorum, chirurgorum, pharmacopolarum, magistrorum, habentium convictus vel domos educationis, architectorum, operariorum, famulorum, etc., quae tamen in conscientia non valent, siquidem iuramentum exigi potest de vera debiti exstinctione. Quare huiusmodi praescriptiones reapse non sunt nisi tantum quaedam iuris praesumptiones in foro externo, quae in foro interno cedunt veritati. C. I. 256. 2138.-2143., C. G. 2271.-2275. Cf. ib. 2276. Lugo D. 7. n. 56., L. 347. 516.

923. *Quid sit, et quandonam habeatur praescriptionis interruptio?* — *Interrumpitur praescriptio* quum ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut vim amplius non habeat, nisi de novo inchoetur legitima possessio. — Porro praescriptio *interrumpitur* dupliciter: 1.° *Naturaliter,* si praescribens amittat possessionem per tempus anno integro maius, aut si mala fides superveniat. C. I. 2124., C. G. 2243., C. *Quoniam* 20. *de*

Praescr. 2.° *Civiliter*, si lis moveatur *iuridice* circa possessionem, nec interpellatio a iudice fuerit reiecta, « nisi alter, addit S. Alph. 511., iniuste hoc faciat ad interrumpendam praescriptionem ». C. I. 2125. 2128., C. G 2244. 2246. 2247.; vel is qui coepit praescribere, praescriptione nondum impleta, alterius ius quoquo modo recognoscat. C. I. 2129., C. G. 2248., C. H. 1943. seqq., C. A. 1497.

924. *Quid sit, et quandonam habeatur praescriptionis suspensio?* — Praescriptio *suspenditur*, quum illa prius inchoata propter aliquod legitimum impedimentum tantisper cessat, ita ut tempus quo impedimentum durat, non possit computari, impedimento tamen cessante, possint anni priores, omisso tempore intermedio impedimenti, cum sequentibus coniungi, et ex omnibus praescriptio compleri. — Iam vero *praescriptio suspenditur:* 1.° Contra nuptas, durante matrimonio, quoad bona dotalia, C. I. 2120., C. G. 1561. 2255. — 2.° Contra minores et interdictos, C. I. 2120., C. G. 2252. — 3.° Contra milites tempore belli, C. I. 2120. — 4.° Contra ecclesiam quamdiu rectore careat, C. 4. 15. *de Praescr.* — 5.° Contra absentes ob servitium civile vel militare, ac dum iudicia exercere nequeant, tempore pestis, belli, etc. C. A. 1496. — In tribus prioribus casibus ex C. I. 2121. usucapio 30. annorum procedit ei, qui praedium possidet, vel reali aliquo iure utitur. — Impleto etiam praescriptionis tempore, beneficium restitutionis in integrum *Ecclesiae* conceditur, quae ut habetur C. *Auditis de In integr. restit.* fungitur *iure minoris.*

925. *Quid bona fides ad praescriptionem requisita?* — *Bona fides. requisita in hac materia, est firma persuasio*, qua quis prudenter iudicat, rem a se possessam esse suam. C. I. 701., C. G. 550., C. H. 1950., C. A. 326. Haec bona fides omnino necessaria est ad *inchoandam* et *continuandam* praescriptionem *acquisitivam* dominii. Ratio est, quia quisquis advertit, se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit, cum res aliena tum iure naturali, tum etiam positivo, sive divino, sive humano, scienter neque subripi, neque retineri possit. Constat etiam ex Conc. Lateran. IV. necnon ex R. 2.ª Iuris in 6.°: « Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit ». Unde dispositiones Iuris civilis, in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, pro foro interno non valent, et velut mera recursus, i. e. *actionis* contra alium, denegatio sunt habendae. C. I. 2135. 2137., C. G. 2262. 2265. 2269., C. H. 1955. 1959., C. A. 1493., C. 5. 20. *de Praescr.* — Requiritur autem bona fides non solum ad praescriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*, quia pro utraque eaedem rationes et auctoritates aeque urgent. Bona fides autem, in hac praescriptione, in hoc consistit, ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu iuris sui impediatur. Ratio est, quia praescribens nullo ligatur debito erga eum, contra quem praescribit; nec tenetur, decurrente praescriptionis tempore, monere alium, ut contra ipsum servitutis iure utatur. C. A. 1478. — L. 504. 513., S. Th. 4. D. 41. q. 1. a. 5., q. 1. 2., Quodl. 12. a. 24. 25., E. M.

926. *An quis praescribere possit, si putet ex ignorantia culpabili rem esse suam?* — R. Negative, si sit graviter culpabilis, quia nemo ex propria culpa debet commodum reportare. Affirmative, si sit leviter culpabilis; nam in Conc. Later. IV. non damnatur nisi sola fides cum peccato mortali. L. 511.

927. *An ad praescriptionem semper sufficiat bona fides theologice sumpta, qua nempe quis inculpabiliter nescit rem esse alienam.* — R. Affirmative quoad praescriptionem *longissimi temporis,* seu triginta annorum. Ratio, quia obligatio restitutionis stante *bona fide,* si nihil aliunde obstet, nequit tunc exsurgere *ex iure naturali,* ut per se patet, nam inculpabiliter quis putat rem esse suam. Neque vero exsurgere potest ex iure positivo: siquidem istud expresse habet, hoc in casu opponi non posse defectum bonae fidei, neque exigit titulum coloratum et determinatum; sed contentus est titulo aliquo praesumpto et indeterminato. C. I. 2135., C. G. 2262., C. H. 1959., C. A. 1477. 1493. Ex C. H. 1955. id valet etiam quoad res mobiles in praescriptione sex annorum. — Negative probabiliter quoad praescriptionem *longi temporis,* seu viginti aut decem annorum, et temporis brevioris, quando bona fides theologice sumpta fundatur in ignorantia iuris clari et certi, secus vero si fundatur tantum in ignorantia facti. Haec autem *iuris* ignorantia datur, quando quis sciret, v. g., Antoniam esse nuptam, et fundum constituere eius dotem, nesciret tamen maritum non posse eius dotem valide alienare. Esset vero ignorantia *facti,* si quis sciret bona dotalia non posse alienari, nesciret tamen Antoniam esse nuptam, et bonum esse dotale. Ratio responsionis est, quia ius praescriptionis est ex iure positivo. Ergo praescriptio nequit locum habere quando deficiunt conditiones requisitae ab isto iure. Ius It. 2137., Gall. 2265., Hisp. 1957., Austr. 1461. *bonam fidem* et *iustum titulum* exigunt pro *immobilibus: nullitas* praeterea *tituli defectu formae* fundare nequit ex eodem iure praescriptionem *longi temporis* seu viginti aut decem annorum. C. I. 2137., C. G. 2265. 2267., C. H. 1952. 1953., C. A. 1467.

Haec Card. de Lugo D. 7. n. 29: « Communior sententia dicit, ignorantiam invincibilem *facti* non excludere bonam fidem ad praescriptionem necessariam, neque etiam ignorantiam *iuris non clari, sed ambigui,* quia ipsa ambiguitas iuris facit probabilem utramque partem; at vero ignorantiam *iuris clari, et manifesti* obesse praescriptioni etiam in foro conscientiae, et licet invincibilis sit.... Ratio potissima est, quia hoc privilegium praescribendi rem alienam, cum sit de iure humano, iis solum competere potest, et in iis circumstantiis, in quibus leges tale beneficium concedunt. Leges autem expresse dicunt ignorantiam iuris non conducere ad hunc effectum, nec cum ea posse dari bonam fidem.... Ergo cum eiusmodi ignorantia praescribi non potest ». Intellige autem de illa solum ignorantia, quae est circa titulum iure prohibitum. Cf. Struggl l. c. VI. Hanc sententiam *probabiliorem* vocat S. Alph. 511., « quia ad praescriptionem non tantum requiritur fides theologice, sed etiam civiliter bona, cum tantum ex vi legum dominium acquiratur ». — Verum alii tum quoad dispositiones Iuris Rom., tum quoad dispositiones Iuris recentioris probabiliter etiam affirmant praescribi posse cum ignorantia invincibili, sive *iuris* sit, sive *facti,* sive *iuris clari,* sive *ambigui.* Ratio est, quia leges in tantum dicunt cum *ignorantia iuris* non praescribi, vel *iustum titulum legalem,* iuxta nempe leges, exigunt, in quantum difficile admittitur illa ignorantia *iuris,* et cum illo defectu *tituli iuridice iusti* non praesumitur bona fides. Ergo in foro conscientiae, in quo veritas constaret, et bona fides, non esset neganda praescriptio. Et hanc sententiam positive probabilem dicit Card. de Lugo l. c. n. 32., Struggl l. c. a. 3. 11. Cf. C. I. 701.-703., C. G. 549. 550., C. A. 326. 1460., C. H. 433. 434. 442. 1952. 1953., L. 511.

928. *An bona fides auctoris ad complendam praescriptionem prosit successori?* — Bona fides auctoris possessionem inchoantis prodest successori bonae fidei ad possessionem continuandam et legitimam praescriptionem complendam per accessionem utriusque temporis. Quare ad nihil amplius tenetur possessor, si sciat rem esse alienam post impletum tempus praescriptionis ab antecessore inchoatum et a se completum quocumque titulo sive universali, sive particulari, sive oneroso, sive gratuito illi successerit. Ita ex Iure Rom., Inst. l. 2. t. 6. § 12. 13., et ex Iure Ital. 693., Gall. 2235., Austr. 1493., Hisp. 1960. Cf. ib. 442.

929. *An praescribat haeres, qui dubitat de bona fide antecessorum?* — R. Affirmative, quia mala fides *per se et ordinarie* praesumi non debet, cum nemo malus praesumatur, nisi probetur. Ita communiter. L. 511., C. I. 702., C. G. 2230., C. H. 434., C. A. 328.

930. *An mala fides antecessoris impediat successorem a praescriptione?* — R. Negative, si succedat *titulo particulari*, quia neque *est*, neque fictione iuris *censetur* esse unica persona cum antecessore. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu, L. 516. — Affirmative, si haeres succedat ex *titulo universali* quoad *praescriptionem ordinariam* 10. seu 20. annorum; ratio est, quia « successor universalis, h. e. haeres ita repraesentat personam defuncti, ut succedat in omnes eius obligationes et onera: cum ergo praedecessor ob malam fidem, et iniustam rei acceptionem, et retentionem contraxerit obligationem restituendi, et impediendi praescriptionem illius rei, et resarciendi omnia damna, haeres in hac ipsa obligatione succedit, et ideo non potest cooperari praescriptioni, quam ipsemet tenetur impedire, pro qua debet restituere ». Lugo l. c. n. 60., L. 512., C. I. 693. Cf. C. G. 2235., C. H. 442. — Si haeres succedat ex *titulo universali*, sed agatur de *praescriptione extraordinaria* 30. annorum, negat Lugo ob eamdem rationem, quia haeres semper repraesentat defunctum cum omnibus suis vitiis, quare sicut defunctus cum sua mala fide nunquam posset praescribere, sic haeres, qui eum repraesentat qualis decessit cum illa mala fide nunquam praescribere potest. Lugo l. c. Quin immo idem Lugo id extendit etiam ad haeredes mediatos, n. 61., quod tamen alii plures negant. Struggl l. c. IX. Verum ex Iure Gall., et idem est quoad Ius Ital. et Hisp., P. Gury aliique tenent tanquam probabilius malam fidem antecessoris non nocere successori universali quoad hanc praescriptionem 30. annorum, si haeres bona fide haereditatem adeat et dein per 30. annos possideat, quia Ius Gallic. 2262., ut etiam Ital. 2135., et Hisp. 1959. 1963., nulla facta distinctione, dicit omnes obligationes tam reales quam personales posse praescribi per 30. annos; neque ullam admittit exceptionem ex parte tituli, vel bonae fidei. Idem etiam habetur ex C. A. 1477. 1479., nisi ipsius possessoris mala fides probetur. Cf. etiam C. H. 442. Idemque auctor quoad haeredem mediatum negat pariter malam antecessoris fidem ei nocere, quia hic non censetur ulla iuris fictione unam constituere personam cum antecessore mediato. Et sane haeres mediatus non est haeres primi defuncti, seu auctoris malae fidei, sed tantum est haeres prioris haeredis, qui malam fidem non habebat. — L. 512. 516.

IV. — DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM PRIVATA VOLUNTATE

931. *Quid sit contractus?* — Contractus est: conventio, qua unus vel plures sese uni vel pluribus obligant ad aliquid dandum, vel faciendum. — Hinc acquiritur dominium privata voluntate per varios contractus. C. I. 1098., C. G. 1101., C. H. 1254., C. A. 861., L. 707., Lugo D. 22. S. 1.

932. *Quotuplex sit contractus?* — Contractus multiplex est: 1.° Pariens in utroque contrahente obligationem, *synallagmaticus,* seu *bilateralis* appellatur. Pariens vero in uno tantum contrahente obligationem, *unilateralis* nuncupatur. C. I. 1099. 1100., C. G. 1102. 1103., C. A. 864. — 2.° *Commutatorius,* cum utraque pars contrahens obligatur ad dandum aut faciendum aequivalens. *Aleatorius,* cum huiusmodi aequivalens pendet ab incerto eventu lucri vel damni pro utraque parte. Quare in priori contrahitur de *re* aliqua, in hoc posteriori contrahitur de *spe probabili* rei adipiscendae, C. I. 1102., C. G. 1104. 1964. — 3.° *Gratuitus,* cum nihil ex obligatione iustitiae exigitur pro eo quod praestatur. *Onerosus,* cum utraque pars obligatur ad aliquid praestandum, C. I. 1101., C. G. 1105. 1106. — 4.° *Solemnis,* quem lex subiicit quibusdam formalitatibus, uti contractus matrimonii, donationis, etc. *Simplex,* qui nulli peculiari formae a lege subiicitur, uti venditio, locatio, mandatum, etc. — 5.° *Vestitus,* qui praeter conventionem partium, aliquod aliud adminiculum habet, ratione cuius oriatur actio in iudicio externo, e. g., si fa ta sit rei traditio, si facta fuerit scriptura contractus, etc. *Nudus,* qui praeter purum pactum nihil aliud habet, unde ex eo regulariter non conceditur actio in foro exteriori. L. 708., Lugo D. 22. n. 12.-14. — 6.° *Nominatus,* qui proprium nomen habet, uti venditio. *Innominatus,* qui nomine proprio caret. Contractus omnes innominati reducuntur ad unum horum quatuor: *do ut des; facio ut facias; do ut facias; facio ut des.* L. 707., Lugo D. 22. S. 2., C. A. 921. Ex C. I. 1103. et C. G. 1107. contractus omnes, sive nominati sive innominati generalibus contractuum regulis subiiciuntur. — 7.° *Explicitus* seu *formalis,* « qui fit cum formali et expressa partium conventione et obligatione, ut emptio, venditio, etc. ». *Implicitus* seu *virtualis,* « qui fit solum cum virtuali et tacita conventione, et obligatione; ut, e. g., quando quis suscipit tutelam, aut aliud officium, tacite se obligat ad ea prestanda, quae tali officio ex lege, aut consuetudine sunt annexa. Unde talis susceptio dicitur *quasi-contractus* ». Struggl 2., C. I. 1140., C. G. 1371.

933. *Nota:* 1.° Iure Romano contractus dividebantur in contractus *bonae fidei* et *stricti iuris.* Contractus *stricti iuris* est, in quo id unice spectandum, de quo expresse conventum est. Contractus bonae fidei est, qui non ex verborum rigore, sed ex benigna interpretatione accipitur. C. I. 1124., C. G. 1134. 1135. contractus omnes *bonae fidei* sunt, et debita sunt aequitate exsequenda. — 2.° Iure Romano contractus erant, qui licet ad sui perfectionem non indigerent rebus vel traditione, indigebant tamen ex Iuris dispositione, verbis; h. e. ultra consensum quomodolibet explicatum indigebant certa verborum formula, sine qua non dabatur talis contractus, qualis in Iure tali nomine significabatur. Hoc

praecipue procedebat in stipulatione, quae conceptis Iuris verbis fieri debebat, interrogante uno: *promittis te daturum aut facturum hoc?* et altero respondente: *promitto.* Inst. l. 3. t. 16. *de Verbor. oblig.* in princ., L. 5. § *Stipulatio* ff. e. t. Is autem qui interrogabat appellari solebat *stipulans* et *stipulator*, et dicebatur *sibi stipulari;* qui vero respondebat appellari solebat *promissor.* Recentiori Iure omnino sublata est haec verborum obligatio, et ipso Iure Romano illa « Iuris superstitiosa formula moderationem accepit ». Lugo D. 22. n. 20.-22. *Stipulatio* igitur in praesenti nomen commune est omnibus pactis seu contractibus, et *stipulari* ille dicitur, erga quem alter obligationem contrahit. C. I. 1134. 1137.

934. *Quid de translatione dominii per contractus?* — Ad acquirendum dominium alienae rei opus est titulo translatitio dominii, qualis est haereditas, legatum, donatio, emptio et venditio aliique contractus. — Ex iure autem positivo opus quandoque est publicis instrumentis, quae determinatam habent ex ipso iure positivo formam, ut in donatione rerum immobilium, et in pactis dotalibus, C. I. 1056. 1382., C. G. 931. 1394. Quandoque vero sufficiunt instrumenta privata, ut in alienationibus rerum immobilium, vel iurium his cohaerentibus, C. I. 1314. Atque haec instrumenta non valent, nisi munita sint partium subscriptionibus, C. I. 1316. 1321., C. G. 1318. 1323., C. H. 1226. 1228. 1229. Neque vero eadem haec *privata* instrumenta exiguntur ad validitatem ipsius actus, sed tantum ad probationem, nisi inter partes conventum fuerit, actum non valere, quamdiu non fuerit ille scriptura consignatus et subscriptus. L. 708. Cf. C. H. 1278.-1280., C. A. 883.-887. — Opus vero non est ad dominii translationem traditione, sed sufficit sola domini transferentis in alium consensus et huius acceptatio. Ita ex C. I. 1125. 1448. 1538., C. G. 1138. 1583. 1689. Ea vero opus est ex Iure Communi, C. A. 425., C. H. 609. 1095. Attamen ut quoad alios, volentes sibi rem vindicare, alienatio valeat rerum mobilium, traditione opus est, C. I. 707. 1539., C. G. 1689, 2279.; uti vero valeat quoad alios alienatio rerum immobilium, opus est, in casibus per leges determinatis, transcriptione, C. I. 1932. 1933., C. G. 939. Cf. C. A. 440. 444.

935. *Nota: Traditio* est: « rei, iuris, vel possessionis de persona in personam translatio ». Per traditionem acquiri rei dominium potest; quod tamen non est ita intelligendum, quasi sola traditio sine omni alia praevia dispositione domini transferret dominium, sed « si venditio, aut alia iusta causa praecesserit ». L. *Nunquam* 31. ff. *de Acquirendo rerum dominio.* — Porro traditio ad translationem dominii non est quidem necessaria iure naturali; sed, si necessaria est, id ideo est, quia requiritur a iure positivo humano; ut nempe sic compleantur contractus, et evitetur incertitudo dominii. Non requiritur autem necessario traditio rei physica, sed sufficit moralis, et diversimode fieri potest, sicut possessio. Cf. C. I. 1463.-1466., C. G. 1604.-1607. — Iure Romano traditio *ordinarie* est necessaria ad acquirendum rerum dominium. *Ordinarie*, nam 1.° traditio non requiritur ad ius praecise *ad rem;* ut patet in hypotheca, et aliis nudis contractibus; immo rerum, quae nullius sunt, etiam ius *in re*, seu dominium, acquiritur sine traditione, seu per solam apprehensionem et occupationem. 2.° Sunt quidam casus iure excepti, in quibus transfertur dominium ante traditionem. — Tales casus ex eodem Iure Rom. sunt praecipue sex: 1.° In beneficiis ecclesiasticis, C. *Si tibi absenti de Praeb.* in 6.° 2.° In haere-

ditate, L. 23. Dig. *de Acquir. vel amitt. possessione.* 3.° In legato quoad rem determinatam in individuo, L. 64. Dig. *de Furtis,* L. 86. Dig. *de Legatis et fideicommissis.* 4.° In his quae venduntur, donantur aut legantur Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, aut in Redemptionem captivorum, L. ult. C. *de Sacrosanctis Ecclesiis.* 5.° In donatione facta ex pacto, ut donatarius det alimenta donatori; nam, his denegatis, dominium redit ipso facto ad donatorem. L. 1. C. *de Trad. quae sub modo.* 6.° In his, quae per delictum ipso facto addicuntur fisco. — Inst. l. 2. t. 1. § 40.-44.

936. *An validus sit quoad forum conscientiae contractus destitutus solemnitatibus a iure positivo civili praescriptis?* — *Solemnitates* sunt, formae quaedam conficiendi contractum ex legis praescripto, v. g., ut fiat coram tot testibus, scriptura, etc. Aliae autem sunt *accidentales,* quae pertinent tantum ad maius quoddam complementum, e. g., quod testamentum fiat papyro obsignata, quaeque proinde omissae actum non invalidant; aliae *substantiales,* quae censentur pertinere ad substantiam, cum nempe adiunctam habent clausulam irritantem, uti, e. g., quod testamentum holographum manu propria subscribatur. De his quaestio movetur. — Agitur autem de *iure civili.* Etenim quoad *ius canonicum* servandae omnino sunt praescriptae iuris solemnitates; inter quas praecipuum locum tenet, in alienationibus, Beneplacitum Apostolicum, sine quo alienationes rerum Ecclesiae, nullae sunt. Idemque dicatur de forma a Trid., S. 24. C. 1. de R. M., constituta quoad matrimonii validitatem.

« Triplex datur *probabilis* sententia. Prima negat; quia leges irritantes tales contractus fundantur in praesumptione non solum doli, sed etiam periculi; et ideo potest lex humana omnino tollere naturalem obligationem contractus initi... Secunda affirmat... quia in illis humana lex, quamvis negat actionem civilem, non tamen tollit naturalem obligationem, ad quam solus quidem consensus sufficit. Tertia docet, in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam iudicis condemnetur ad restituendum... Hanc sententiam non solum puto probabiliorem, sed in praxi omnino tenendam, eo quod... cum possessio ius certum tribuat, nequit possessor re exspoliari, nisi constet de iure alterius ». L. 711. 927.-929.

Prima sententia rationi magis conformis videtur. Etenim, non solum quoad Ius Romanum, verum etiam quoad recentiora Iura, valet quod observat Lugo D. 22. n. 252.: « *Verba legis* id videntur sonare, neque aliis fere verbis utitur Trid. S. 24. C. 1. quando matrimonia clandestina irritat, nec possunt adhiberi verba magis apta ad id significandum, quam declarare antecedenter contractum nullum et irritum... Posita solum irritatione contractus in foro externo, parum utilis censeretur lex, cum solum deserviret ad fovendam iniquitatem eius, qui conscius de valore et obligatione contractus adhuc intentaret spoliare iustum possessorem, auferendo propter defectum solemnitatis id quod ab ipso in foro conscientiae auferri non posset. Et quidem durum esset cogere iudices ad favendum huic iniustae petitioni, quando ipsis constat, contractum coram Deo valuisse, et non posse sine peccato adversarium petere quod petit ».

Secunda sententia conformior videtur toti recentiorum legum contextui. Etenim C. I. 1104., C. G. 1108., C. H. 1258. 1261. 1278. 1279. 1300. contractus formas non enumerarunt inter conditiones *essentiales* ad validitatem contractus. Quare hisce formis illud tantum videntur intendere, instrumenta

scilicet seu media determinare, quibus voluntas partis contrahentis apud iudices constare valeat. Gousset in art. cit. et in art. 1101. Quin immo publica instrumenta non videntur explicite requiri ad *validitatem* actus, sed tantum ad *probationem*. C. I. l. 3. t. 4. C. 5. S. I. Rubr. 1313., 1314., C. G. 1315. seqq. 1335. 1338., C. H. 1278.-1280. Ex C. A. 883., exceptis casibus a lege determinatis, contractus quacumque forma fieri possunt, quin inde *diversitas obligationis* enascatur. Ex C. H. 1258. contractus solo consensu perficiuntur.

Tertia sententia reapse a prima et secunda non distinguitur, sed utramque admittens, utriusque corollarium deducit. Possessor enim esse potest et ille cui favet testamentum, licet destitutum formis legalibus, et ille cui favet defectus legalium formarum. Tunc reapse tertia haec sententia a prima et secunda esset distincta, si dicatur quod praedictae leges actum non reddant ipso iure irritum, sed irritationi obnoxium per iudicis sententiam, quam quis pro suo arbitrio poterit invocare; et tunc, ut ait idem S. Alph. l. c., « procul dubio tenetur possessor stare sententiae iudicis, si damnetur ad restituendum ».

937. *An teneatur ad restitutionem, si quis, probabilem sequens sententiam, impediat ne compars adeat iudicem, qui eum condemnet et obliget ad restitutionem?* — R. « Affirmative, si impediat vi vel fraude; secus, si alio modo ». L. 888. Ratio 1.ⁱ est, quia laedit ius alterius; 2.ⁱ vero, quia tunc prosequitur legitime ius suum.

938. *Quaenam sint essentiales contractuum conditiones?* — *Quatuor sunt conditiones essentiales ad valide contrahendum:* Consensus partis, quae obligatur; Capacitas contrahendi; Obiectum certum quod sit materia contractus; Causa obligationis licita. C. I. 1104., C. G. 1108., C. H. 1261.

939. *Qualis esse debeat contrahentis consensus?* — Consensus esse debet: 1.° *Internus*, obligatio enim contractus oritur a sola contrahentis voluntate. 2.° *Liber* et plene *deliberatus;* secus enim voluntas esset imperfecta, et perfectam obligationem sub gravi parere non posset. 3.° *Externus*, nam comparti manifestari debet; secus enim nequit quis *alteri* se obligare. 4.° *Mutuus*, ut enim quis *alteri* propria voluntate se obliget, requiritur, ut iste eam voluntatem acceptet. 5.° Neque vero necesse est, ut utriusque partis consensus *simul* eliciatur. Consensus enim unius semel datus nec revocatus moraliter perseverat, unde, accedente alterius consensu, statim contractus perficitur. — C. I. 1108., C. H. 1262., 1265., C. A. 863. 869.

940. *Resolves:* 1.° Qui ficte consentit in contractum, non contrahit, adeoque nullum transfertur dominium. Verum deceptor tenetur in conscientia partem deceptam indemnem facere, si damnum alter inde patiatur, vel partem suam iam praestiterit, ubi contractus sit onerosus, adeoque, si aliud non adsit medium, internum consensum praebere debet et stare contractui. L. 709. 711., C. A. 877. Supplere autem poterit consensum, quamdiu alter suum non retractaverit, quamvis hic defectum consensus compartis ignoret, H. A. 93. — 2.° Consensus interpretativus, non sufficit ad contrahendum, quia consensus est, qui adhuc non est, adeoque nequit obligationem contractus parere. — 3.° Quando agitur de contractibus onerosis, contractus non perficitur donec utriusque acceptatio utrique etiam nota fiat, atque ideo potest quis ante resilire. Ratio, quia sicut voluntas me

obligandi tibi, nondum tibi manifestata, non me obligat tibi; ita voluntas te obligandi mihi, nondum mihi manifestata, non obligat te mihi, et consequenter nec te nec me. Excipe, nisi quis velit ipse obligari, et contractum perfici ante manifestatam acceptationem compartis, v. g., si quis a te petat mutuam pecuniam, et illi statim eam mittas; contractus mutui erit perfectus, et poterit ille de pecunia accepta statim disponere. Lugo D. 22. n. 26. 27. 33. 34., D. 23. n. 70. seqq., C. H. 1262.

941. *An valeat contractus initus cum animo contrahendi, sed sine animo se obligandi; vel illum implendi?* — R. Ad 1.um « Prima sententia affirmat cum Less., Soto, Dic., Pont. etc. ap. Salm... Secunda sententia vero probabilior negat... Ratio, quia conditio apposita contraria substantiae contractus, contractum invalidat ». L. 710. — Ad 2.um Affirmative. Ratio, quia simul consistere possunt voluntas se obligandi, et voluntas non implendi contractum. — L. l. 6. n. 832. 833.

942. *An contractus omnis solo mutuo consensu externe manifestato et acceptato intrinsece perficiatur, absque rei traditione?* — Aliqui contractus sunt, qui, per se loquendo, solo consensu mutuo, exterius sive verbis, sive scriptis, aliove signo, manifestato perficiuntur, et ideo *consensuales* dicuntur. Ratio, quia nihil aliud important, quam mutuam partium *conventionem*, uti venditio, mandatum, etc. Aliqui vero contractus sunt, qui, per se loquendo, non nisi rei traditione perficiuntur, qui *reales* ideo appellantur. Ratio, quia praeter mutuam illam partium conventionem, ipsam rei traditionem important uti mutuum, commodatum, depositum, C. I. 1837., C. G. 1919. Ad hanc secundam classem contractuum, qui *re ipsa* perficiuntur, pertinent contractus omnes innominati, qui non complentur, nisi secuta *traditione rei* ex parte unius. Et sane absque traditione non mutuum, sed potius promissio mutui habetur, etc. Dicitur, *per se loquendo*, nam « in foro conscientiae contrahentium intentioni standum est », L. 708., Lugo D. 22. S. 3. — Ex C. G. 1138. « Obligatio tradendi rem est perfecta solo consensu partium contrahentium. Ea reddit creditorem proprietarium, et rem eius periculo constituit ab ipso instanti, quo res tradi debuit ». Ita etiam ex C. I. 1125. Ex C. H. 1095. 1258. contractus mero consensu perficiuntur, et statim obligant ad exsecutionem. Statim ac obligatio exoritur tradendi rem, creditor ius habet ad fructus rei. Verum *ius in re* non acquiritur nisi traditione rei. — Inst. l. 3. t. 14. 15. 16. 22. 23.

943. *An error et dolus invalidet contractum?* — Duplex distinguitur *dolus*, dolus bonus et dolus malus. Dolus *bonus* nihil est aliud quam solertia quaedam in agendo, et in hoc sensu dixit Ulpianus, licere contrahentibus in pretio emptionis et venditionis se naturaliter circumvenire, nempe intra limites iusti pretii. Dolus *malus*, de quo in praesenti quaestione agitur, est: calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Calliditas sita est in tacendo fallacia in mentiendo, machinatio in faciendo. C. H. 1269.

« Contractus est nullus, si dolus vel error sit circa *substantiam contractus*... quia deficit actualis consensus ». L. 714., C. I. 1108. 1110., C. H. 1266., C. A. 871.

Si error vel dolus sit circa *qualitatem rei, et non dederit causam contractui*, contractus est validus; consensus enim non deest circa obiectum ipsum conventionis. C. I. 1110., C. H. 1270.

Si error vel dolus sit circa *qualitatem rei, sed causam dederit contractui,* controvertitur. Prima sententia affirmat. « Ratio, quia licet qualitas in esse physico sit quid accidentale, in esse tamen morali habet rationem substantiae. Oppositum tamen est communiter traditum a dd. et probabilius... Ratio, quia contractus hic non est invalidus neque de iure positivo (sive Rom. sive Ital. 1110. 1115. 1300., sive Gall. 1116. 1117., sive Hisp. 1266. et Austr. 872.), neque de iure naturali... nam ad contractum validandum sufficit animus voluntarius quoad substantiam, licet sit involuntarius quoad accidentia: nisi... contrahens expresse consentiat *sub conditione,* si talis adsit circumstantia, quia tunc qualitas transit in substantiam. — Communiter autem dd. docent semper posse irritari talem contractum a decepto, ratione iniuriae, et defectus consensus, et teneri deceptorem ad damna ex deceptione orta ». Ac quamvis error fuerit invincibilis adhuc tamen contractum irritare quis potest in conscientia, et illum non adimplere, si res sit magni momenti, in quam merito non censetur voluisse consentire, saltem omnino absolute. L. 714. 715., l. 6. n. 835., C. A. 874., C. I. 1108. 1115. — Verum « si dolus a quodam tertio, sine ulla alterius contrahentis culpa adhibeatur, certo validus est contractus; sed alii cum Lessio, Sanchez, Bonac. volunt adhuc esse rescindibilem, alii dicunt rescindi non posse, dari tamen actionem decepto adversus deceptorem pro reparatione damnorum obtinenda ». Gur. 777., C. A. 875.

Error vel dolus circa *causam motivam contractus* invalidat contractum, tunc enim deficit consensus circa ipsam substantiam contractus. C. I. 1109., C. H. 1266. Hinc « non mirum si paupertatis fictio impediat dominii translationem, cum motivum dandi eleemosynam huic pauperi sit eius paupertas, quam ille nequiter dolose fingit ad extorquendam eleemosynam », Lugo Resp. Mor. D. 17. n. 1. Restitutio autem in eo casu probabiliter fieri potest vel ipsi domino, vel aliis pauperibus ex praesumpta domini voluntate. L. 622.

Error vel dolus circa *causam* mere *impulsivam contractus,* v. g., si pauperi eleemosynam largiaris, quia eum existimas valde probum, cum minus probus sit, non invalidat contractum, cum non desit consensus in substantiam rei, potest tamen quis in conscientia contractum rescindere, si res sit magni momenti, in quam merito non censetur voluisse consentire, saltem omnino absolute, prout de *qualitate dante causam contractui* dictum est. Idque maxime in contractibus gratuitis locum habet, qui plenum voluntarium et spontaneitatem requirunt, L. 737., C. I. 1109. 1110., C. H. 1266.

Error vel dolus circa *personam contractus,* per se loquendo, non irritat contractum in contractibus *onerosis;* persona enim est omnino extrinseca et indifferens talibus contractibus. Excipe tamen matrimonium, in quo persona contrahens est simul obiectum ipsius contractus. Invalidat vero contractum in contractibus gratuitis, per se loquendo, in his enim e contra persona donatarii specialiter a donatore intendi solet. Dicitur *per se loquendo,* spectanda enim sunt rerum adiuncta, ex quibus contrahentis voluntas melius dignoscatur. C. I. 1110., C. G. 1110., C. H. 1266., C. A. 873.— Lessius l. 2. c. 17. D. 5., Rogron et Gousset in a. 1110., Molina Tr. 2. D. 352. n. 7. 8.

944. *An gravis metus invalidet contractum, aut saltem rescindibilem reddat?* — R. Negative, si agatur de metu ab *intrinseco,* aut a causa

necessaria seu naturali; vel de metu ab *extrinseco* quidem, sed *iuste* incusso. Ratio, quia metus non tollit simpliciter voluntarium, nisi tam gravis sit ut rationem perturbet. Neque vero talis metus ullam irrogat iniuriam contrahenti.

Si agatur de metu gravi ab *extrinseco* et *iniuste* incusso, sed non *ad consensum extorquendum*, controvertitur, sed distinguendum videtur. « Si enim incussus est ab altero contrahentium... contractus est irritabilis; quia metum iniuste incutiens tenetur tollere omnia incommoda, quae ex iniuria proveniunt, inter quae est obligatio ex tali contractu orta. Ita probabilius Lugo. Si autem metus a tertio impertinente est incussus, contractus adhibeatur, ut medium ad declinandum malum imminens; tum contractus onerosus valet irrevocabiliter... nam nullus contrahentium iniuriam intulit; tertius autem metum inferens non potest auferre obligationem consentiendo in rescissionem contractus; quia cum illo contractum non est: quamquam hic tenetur inducere ad rescissionem, ut ab innocente avertat iniuriam, si hic velit... Et quis dicat rescindi posse contractum, si ex metu hostis tui tibi insidiantis, emisti gladium ad te defendendum... Excipit 1.° Lugo contractum matrimonii, quem putat esse invalidum, ex tali metu initum. Excipit 2.° probabiliter Palav. contractus *gratuitos*, quia sic melius consulitur innocenti, et alter queri non potest; quia solo lucro privatur, manens in statu, quo ante erat, et sicut ipse nollet in tali statu obligari, sic nec debet velle obligare alterum ». Reuter 127. — S. Th. Quodl. 5. a. 17. Cf. V. 2. n. 1022.

Si agatur de metu gravi ab extrinseco iniuste incusso *ad consensum extorquendum ab alio quam a comparte contrahente*, iterum controvertitur. Prima sententia probabilis docet, quod contractus « rescindi non potest iure naturae, quia cum neutra pars iniuriam fecerit, non est ratio ex natura rei, cur potius possit ad libitum unius rescindi, quam ad libitum alterius servari ». Reuter 126. Favet huic sententiae C. A. 875. Secunda sententia probabilis oppositum tenet, « quia ratione iniuriae, etiam a tertio illatae, res priori domino obligata manet, et consequenter cum illo onere ad quemlibet transit; non autem par est, ut quis per alterius iniuriam ius omne in rem suam amittat, Billuart, etc. », Gur. 782. Posteriori huic sententiae consonat tum Ius Rom., Reuter l. c., tum Ius Ital. 1111. et Ius Gall. 1111. ac Hisp. 1268.

Si metus *ab extrinseco, iniuste* sit incussus *ad consensum extorquendum ab altero contrahentium*, an contractus, sic initus, sit ipso facto invalidus, controvertitur. Adest triplex sententia probabilis. Prima affirmat. Ratio, quia si huiusmodi contractus naturaliter esset validus, ex iniustitia orietur iustitia, cum ex contractu per iniuriam extorto oriretur obligatio, quae est actus iustitiae. Secunda tenet contractus gratuitos esse invalidos, non vero onerosos. Ratio, quia ad contractus *gratuitos*, ad differentiam aliorum contractuum, requiritur voluntas omnino libera; est enim beneficium. Tertia vero probabilior et communissima docet talem contractum esse quidem rescindibilem, non vero invalidum, neque de iure naturali, neque positivo. Non *naturali*, quia metus non tollit simpliciter voluntarium. Non *positivo*, sive Rom., quo praecipitur iudicibus ut tales contractus rescindantur, ergo per se lex habet eos ut validos; sive Gall., uti aperte habetur art. 1117., sive Ital. 1111. 1113., sive Hisp. 1268., sive Austr. 874. 875., L. 715. 716.

945. *Nota:* Ex Iure canonico certo invalidos esse contractus ex metu gravi elicitos, ubi agitur, 1.° de matrimonio, et probabiliter etiam de sponsalibus; 2.° de traditione rerum Ecclesiae et de renuntiatione beneficii; 3.° de professione religiosa, et de aliis quibuscumque votis; 4.° de electione praelati; 5.° de absolutione a censuris, et probabiliter etiam de iurisdictione ecclesiastica. L. 715. 716.

946. *Resolves:* « Si deprehenso in furto vel homicidio mineris, te eum ad iudicem delaturum, nisi tibi det vel promittat certum munus, tenet promissio, nec acceptum teneris reddere... Quod etiam verum est, etsi non habuisses animum illum deferendi, sed tantum terrendi; quia cederes saltem iuri tuo id faciendi, quod est pretio aestimabile... Ideo enim dedit, ut resignares iuri tuo ad accusandum; id quod vere facis, etsi non intenderis accusare ». Reuter 120. Idque *probabilius* dicit S. Alph. 894.

947. *Utrum contractus ex metu levi initus, sit rescindibilis arbitrio metum passi?* — « Prima sententia affirmat in foro interno; nam in externo non datur actio. Ratio, quia quicumque metus iniuriam infert, ex qua incutiens commodum reportare non debet... Ita probabiliter Less., etc. Bene tamen excipiunt matrimonium iuxta nostram sententiam l. 6. n. 1056., et professionem religiosam. An etiam votum V. de Voto, 197. Secunda sententia vero mihi probabilior, quâm tenent Pont., Tamb., Viva, etc. dicit, neque in foro externo, neque interno rescindi posse contractum initum ex metu levi. Ratio, quia non praesumitur consensisse ex metu, sed vere sponte, qui noverit esse levem, et, cum facile potuisset, non reiecit. Excipienda tamen censent Salm. omnino esse sponsalia, quae etiam per metum levem contracta rescindi possunt per iudicis sententiam, ex maxima libertate quam sponsalia requirunt ». L. 718. Excipiendos item censet Gur. Baller. 780. contractus gratuitos. Favent huic sententiae C. I. 1114., C. G. 1112. 1114., C. H. 1267.

948. *Nota:* Quod dictum est de metu gravi et levi intelligas etiam de metu reverentiali, prout iste gravis vel levis sit. L. 717., C. I. 1114., C. G. 1114., C. H. 1267.

949. *Utrum, si interfuerit metus gravis iniustus dans causam contractui, et res pervenerit ad tertium possessorem bonae fidei, possit metum passus ab illo rem revocare, et ille teneatur restituere?* — Negat Laym. Sed recte communius affirmant Salm., Lugo, etc.; quia res semper transit cum vitio suo, etiamsi metus non sit ab illo tertio incussus. L. 719.

950. *Nota:* Datur *laesis*, ex recentioribus legibus, restitutio in integrum, sed *iure civili*, nisi nempe rem quis comprobaverit rite ac recte gestam, C. I. 1309., C. G. 1311. 1338., in casibus tantum in lege expressis, etsi agatur de minoribus, C. I. 1308., C. G. 1313., i. e. in divisionibus, venditionibus et permutationibus ex C. I. 1038. 1529. 1554., in divisionibus et venditionibus, sed non in permutationibus, ex C. G. 887. 1674. 1706., in omnibus praeter contractus aleatorios et transactiones ex C. A. 934. 1060. 1266. 1386., in contractibus tantum celebratis a tutoribus vel a repraesentantibus absentes ex C. H. 1291. 1293. Ea a iudice petenda est; locum habet, etsi iniuria abfuerit, et ex C. I. 1300. quinquennio praescribitur, ex C. G. 1304. decennio, ex C. H. 1299. quadriennio. Beneficium hoc competit

pariter ecclesiis et locis piis intra quadriennium ex C. 1. 2. *de Restit. in integr.* in 6.° Restitutio vero in integrum, quae *naturali iure* competit laesis, propter dolum vel metum, officio iudicis non eget, eaque in omnibus contractibus verificatur, et perpetua est. L. 717., Gousset 739., S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3.

951. *Quinam habeant, iure naturali, contrahendi capacitatem?* — De Iure naturali *valide* contrahere possunt ii omnes et soli, qui liberum rationis usum habent. Ratio, quia isti omnes et soli dominium transferre, et obligationes suscipere possunt. Unde *contrahere valide nequeunt* infantes usu rationis necdum pollentes, amentes, furiosi, perfecte ebrii. *Contrahere nequeunt*, nempe *per se,* nam cum dominium proprietatis habere possint, possunt pro ipsis tutores et curatores contrahere. — De iure item naturali *firmiter* contrahere possunt ii omnes et soli, qui liberam habent bonorum administrationem. Ratio est, quia, hoc ipso quod dominium aut administratio bonorum sit ab alterius dominio aut iurisdictione dependens, contractus habet ex natura rei hanc conditionem implicitam: Nisi alter, cuius iuris est contradicere, contradixerit. Hinc, quamvis religiosi ex praesumpta superioris voluntate licite contrahant; contractus tamen est a superiore revocabilis. Licet praelati religiosi, aut ab his constituti administratores bonorum communium, possint irrevocabiliter contrahere in causis ordinariis, in quibus constitutiones ipsis concedunt administrationem sine concursu aliorum; in illis tamen, in quibus sunt dependentes a consensu capituli, seu communitatis, non possunt sine tali consensu firmiter et irrevocabiliter contrahere. — Struggl. 12., Reuter 141.

952. *Quinam habeant, iure positivo, contrahendi capacitatem?* — De iure positivo, ut quis *valide* vel saltem *firmiter* contrahat, requiritur, ut lege *incapax* contractus faciendi non declaretur.

Ex Iure Romano uxor non potest contrahere aut disponere de dote eiusque fructibus; neque de bonis familiae communibus, marito rationabiliter contradicente. Verum potest pro libito disponere de bonis paraphernalibus, etiam invito marito. L. 489. Filiusfamilias-impubes, etsi cum patris consensu et de bonis castrensibus contrahat, non obligatur. At, si sit puber, obligatur; modo non agatur de alienandis immobilibus et mobilibus pretiosis. Verum de profectitiis et adventitiis minime disponere potest. — Impubes patre orbatus auctoritate tutoris, minor vero cum consensu curatoris valide contrahunt, nisi agatur de immobilibus et mobilibus pretiosis. Potest autem pupillus in suum commodum alium obligare, v. g., acceptando donationem, etiam sine auctoritate tutoris. Inst. § *Pupillus de Inutil. stipul.*

Ex C. I. 324. seqq. 339. seqq. 1105. 1106., *C. G.* 489. seqq. 1123. 1124., *C. H.* 200. 1263. 1264., *C. A.* 21. 865. *alii sunt, quibus fere omnes, alii quibus non nisi certi contractus, vel in quibusdam casibus, prohibentur.* — Omnes fere prohibentur generatim uxoribus, minoribus, interdictis. — *Interdictis* accensendi sunt inhabilitati, surdomuti, caeci a nativitate. — *Interdicitur* quis ob infirmitatem mentis. C. I. 324., C. G. 489. — Renunciatur *inhabilis*, qui suae quidem mentis est, sed excors, vel ineptus, vel prodigus, C. I. 324. 339., C. G. 513., Cf. C. A. 21. 269. — *Surdi et muti,* iure civili, quoad contractus inhabilitatis aequiparantur. *Caeci a nativitate* quoad contractus surdis et mutis aequiparantur. C. I. 340. — *Interdicti*

aequiparantur *minoribus*, ideo sub tutela sunt, C. I. 329., C. G. 509. — *Inhabilitatis* curator solet dari; cum eo omnia legitime agunt, sine eo illa tantum, quae pertinent ad bonorum administrationem, C. I. 339., C. G. 513.

953. *Quid de uxorum, minorum, interdictorum contractibus iure recentiore?* — *Uxor* generatim contrahere *firmiter* non potest *sine speciali consensu mariti*, vel in huius defectu, *sine iudicis auctoritate*, C. I. 135. 136., C. G. 217. 219., C. H. 61. 62. 65. Ex C. I. Comm. 14. § 2. uxori, commercium agenti permittitur etiam alienatio bonorum suorum (non dotalium) immobilium. — *Minores*, non emancipati, contrahere *firmiter* nequeunt absque assistentia tutoris, C. I. 277., C. G. 450., C. H. 262. 1263., C. A. 152. Minores vero emancipati habiles sunt ad faciendos administrationis actus, et contractus, a lege determinatos. Pro reliquis vero assistentia curatoris requiritur. C. I. 317.-319., C. G. 480. 484. 487., C. H. 317. In re autem maioris momenti tutor et curator ab auctoritate pendent *consilii familiae*. C. I. 277.-301. 314. seqq., C. G. 450. 468. 483., C. H. 269. Ex C. I. Comm. 9. seqq. minores emancipati, sive mares sive feminae, commercium legitime exercentes, censentur maiores, ac possunt bona sua etiam immobilia alienare. — *Interdicti*, qui nempe iudicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis, aut dementiae aut furoris, ut etiam prodigi, iuridice denuntiati, nequeunt *firmiter* contrahere absque assistentia tutoris vel curatoris, vel consiliarii iuridice constituti. C. I. 329. 335. 339. 340., C. G. 502. 509. 513., C. H. 200.

Si legis praescripta non observentur, horum contractus, nempe uxorum, minorum, interdictorum: 1.° Sunt validi; nisi iudicis sententia irritentur. C. I. 1300., C. G. 1304., C. H. 1302. — 2.° Sunt *eorum arbitrio rescindibiles*, minime vero arbitrio compartis contrahentis, C. I. 341. 1107., C. G. 1125., C. H. 1302., exceptis interdictis in poenam, contra quos capacitas opponi potest a quolibet interesse habente, C. I. 1107. Ubi vero de uxoribus agatur, contractus nullitatem opponere possunt etiam maritus aut ipsorum haeredes. C. I. 137., C. G. 225., C. H. 65. — 3.° Rescissionem invocare possunt minores, quia *minores* ex C. I. 1300. 1303., C. H. 1300., quia *laesi* ex C. G. 1305. 1306.; uxores vero et interdicti rescissionem invocare possunt, etiamsi laesi non fuerint, C. G. 1305., Rogron in h. a.; casu tamen excepto pro *minore*, si commercium aut artem exercens, pro rebus commercii aut artis contraxerit, C. G. 1308., pro *uxore* vero, quando vacat commercio publico et separato C. G. 220., Rogron in h. a., C. I. 135., vel comparat ea, quae necessaria sunt ad familiae sustentationem, C. H. 62. — 4.° Verum hanc rescissionem in conscientia invocare non possent semper ac dolo agerent et compartem deciperent. Nemo enim ex fraude commodum reportare debet; neque legislator fraudi favere intendit, sed imbecillitati harum personarum. C. I. 1305., C. A. 866. — 5.° Facta contractus rescissione, restituere debent quod acceperunt, si emolumentum ex contractu perceperunt, C. I. 1307., C. G. 1312., C. H. 1303. 1304. Si nulla provenerit ipsis utilitas, possunt uti in conscientia beneficio legis, ne solvant quod acceperint, cum talis lex iusta sit propter bonum commune, ad huiusmodi personas contra fraudes iniquorum defendendas, C. I. 1307., C. G. 1312., C. H. 1163. 1304., Gousset 744.-749., L. 918. Cf. 667. 678. 1085.

954. *Quibusnam certi tantum contractus prohibeantur recentiore iure?* — *Certi tantum contractus, vel in quibusdam dumtaxat casibus, prohibentur:*

1.° *Tutoribus*, qui contrahere vetantur cum suis administratis, C. I. 300. 1457., C. G. 450. 472., C. H. 275. — 2.° *Coniugibus* inter se, C. I. 1054. 1433., C. G. 1525., vel respectu aliorum, C. I. 1405., C. G. 1554. Cf. C. I. 1405. 1407. 1433. seqq. — 3.° *Privatis* et *publicis* quibusdam personis *curam* et *protectionem* habentibus alienorum bonorum, C. I. 1457. 1458., C. G. 1596. 1597., C. A. 879. — Verum licet iure civili huiusmodi contractus prohibeantur, non tamen omnes declarantur ipso facto irriti ante iudicis sententiam. — Ex Trid. S. 25. C. 16. de Reg. nulla est renuntiatio, aut obligatio, facta ante duos menses proximos Professioni. — De *absentibus* Cf. C. I. 21. seqq. 26. seqq. — L. 723. 724.

955. *Quale esse debeat obiectum contractus?* — Obiectum contractus esse debet: 1.° *Possibile*, tum physice, tum moraliter, quia ad impossibile nemo obligari potest. C. H. 1272., C. A. 878. 882. — 2.° *Exsistens* vel in re, vel in spe certa seu probabili extitura, secus nullum ius in illud haberi posset, utpote quod nullo foret pretio aestimabile. Excipitur ex C. I. 1118., C. G. 1130., C. H. 1271., C. A. 879. successio haereditaria nondum aperta. Haec tamen exceptio non valet, si agatur de donatione matrimonii causa, vel de contractu matrimonii, ut nempe futurae successiones includantur vel excludantur a coniugali communitate ex C. G. 1082.-1084. 1091.-1093., Gousset in a. 1130., Cf. C. H. 826., vel si agatur de futurae haereditatis divisione ex C. H. 1056. 1271., C. I. 1044. 1045., C. G. 1075. 1076. Cf. 1069. Neque etiam valet, iuxta plures, probabiliter, si dispositio fiat in favorem Communitatis religiosae; quia finis legis est tantum impedire periculum mortis possessori inferendae. Ubi agitur de Monasterio nullum est tale periculum, Gur. Cas. V. 2. n. 111. 112. — 3.° *Honestum* et *licitum in se*, i. e. nullo iure prohibitum, quia ad rem inhonestam et prohibitam nulla dari potest obligatio. S. Th. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5., C. H. 1271., C. A. 878. Ad contractus autem validitatem satis est, ut obiectum sit *substantialiter honestum*, licet accidentalis aliqua circumstantia illicita sit. — 4.° *Proprium contrahentis;* nemo enim in alium transferre potest ius quod ipse non habet. — 5.° *Certum* et *determinatum* quoad *speciem*, licet incertum sit quoad *quantitatem*, dummodo tamen quantitas ista aliquo modo determinari queat, C. I. 1117., C. G. 1129., C. H. 1273. Nulla enim rei omnino incertae et indeterminatae obligatio esse potest. — 6.° Quod *in commercio* sit. C. I. 1116., C. G. 1128., C. H. 1271., C. A. 878. 880. — Inst. l. 3. t. 20. § 1. 2.

956. *An obiectum contractus onerosi esse possit actio aliunde debita, pro eaque consequenter pretium quis licite possit accipere?* — R. Negative, si *debita* est *ex iustitia* alteri contrahenti. Ratio, quia secus alteri venderes rem *suam*. Quare neque iudex pro iusta sententia ferenda, neque latro, ne te occidat, etc. pretium recipere sive licite, sive valide potest. — Affirmative, si *debita* est *ex iustitia* tertiae personae, illaeso tamen huius iure. Ratio, quia non laedis ius prioris, et posteriori rem utilem facis. Sic, v. g., si quis te conduxit, ut pergas ad certum locum pro negotio pertractando, potes etiam ab alio conduci ad iter istud peragendum pro alio negotio; modo posterius mandatum priori non noceat. — « Qui non tenetur ad aliquid ex iustitia, sed *ex caritate*, aut alia virtute, bene potest pro eo pretium accipere, *quandoquidem quod promittit est pretio aestimabile* ». L. l. 4. n. 216., l. 3. n. 547. 713. Hinc accipere quidem potes pecuniam, uti ieiunium Ecclesiae serves; ad restitutionem vero teneris,

si pecuniam exigas ad viam homini transeunti ostendendam, quod statim et absque ullo tuo labore facere potes.

957. *An res spiritualis obiectum contractus sive gratuiti sive onerosi esse possit?* — R. Affirmative, omni tamen seclusa simonia. Ratio, quia nihil adest inordinati in tali contractu, neque iure positivo prohibetur. Hinc sive ex fidelitate, sive ex iustitia missas promittere potes, etc.

958. *Quid de causa contractus?* — Causa *extrinseca* et *impulsiva* contractus necessaria non est, uti contractus valeat. Neutra enim est, quae contractum proxime determinat. Sic valet emptio boum, quos necessarios existimabam ad agrum excolendum, falso existimans meos interiisse. — Causa vero *intrinseca* et *motiva* contractus omnino necessaria est, uti contractus valeat. Ipsa enim est, quae ad contractum proxime determinat. — Causa haec in contractibus onerosis est utilitas rei saltem pro uno e contrahentibus; in contractibus gratuitis, voluntas benefaciendi alicui personae. — Hinc non valet obligatio, quam suscepi solvendi tibi 1000. francos, tanquam tibi debitos ex legato patris mei, quod postea comperi ab eo esse revocatum. — C. I. 1101. 1119., C. G. 1105. 1106. 1131., C. H. 1274. 1276., C. A. 922. seqq., Gousset in a. 1110. 1131.

959. *An praestita ab altero re turpi, teneatur quis praestare quod promiserat?* — Prima sententia probabilis *negat.* Ratio, quia non potest valorem habere, etiam post operis positionem ex altera parte, id quod ab initio nullum est. Cum enim opus impletur, prior illa voluntas nullius roboris est ob legem irritantem talem contractum. Non solum enim ipsum ius naturale, sed et ius positivum, tum canonicum tum civile, C. I. 1119., C. G. 1113., C. H. 1275., irritat ab initio talem contractum. Cum igitur illa voluntas nullius valoris moralis sit in initio contractus, talis persistit etiam post operis positionem. Ut autem pretio aestimabile non est peccatum, ita etiam neque pretio aestimabilis est labor seu incommodum illi peccato intrinsecum. Secunda sententia probabilis *affirmat.* Ratio, quia contractus innominatus: *do ut des*, etc., tunc perficitur cum fit rei traditio, seu operis praestatio, et tunc, uti patet, cessat ratio et vis legum, quae pacta turpia irritant; neque enim obligatio, quae tunc ponitur in altera parte, turpis est, aut ad rem turpem obligat. Incommodum autem et periculum quod altera pars subiit vere pretio aestimabile est, licet ipsum peccatum pretio aestimari non possit. — S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7., q. 62. a. 5., q. 65. a. 5. ad 2., 4. D. 15. q. 2. a. 4. q. 2. 3., D. 33. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1., Lugo D. 18. n. 45. seqq., L. 642. 712., Struggl art. 6. VI., Reuter 109. 339., Tambur. Explicat. Decal. l. 7. c. 5. n. 19. 20., Ithur. Cas. 5., Gousset 753.

960. *Resolves:* « Cum quis dat meretrici propter fornicationem, mulier potest sibi retinere quod ei datum est. Sed, *si superflue aliquid per fraudem aut dolum extorsisset,* teneretur eidem restituere ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2., q. 87. a. 2. ad 2., S. Poenit. 22. Apr. 1822., C. A. 1174. — Si e contra iudex, ex contractu, pro Petro ferret iniustam sententiam, ut iste illius inimicum occideret, Petrus post prolatam iniustam sententiam non teneretur neque posset occidere iudicis inimicum.

961. *An promittens prodige aliquid foeminae ob copulam, teneatur post copulam dare?* — «Affirmat Lugo, Fill., Sanch., quia, posita pro-

missione, datio tunc est debita, non prodiga. Negant autem probabilius Sotus, Bann., Trull. etc., etsi adfuerit iuramentum, quia promissio non tollit dationem prodigam esse illicitam; ideo res illicita reducenda est ad aequalitatem iuxta communem aestimationem ». L. 735.

962. *An si vir donet foeminae ad extorquendam copulam, possit illa retinere, copula non concessa?* — « Si adfuerit pactum de copula explicitum vel implicitum, tunc certe tenetur restituere; secus vero, si donum datum est ad animum alliciendum, quia datio illa fuit omnino liberalis... Bene tamen advertunt Salm. difficulter excusari mulierem accipientem tale munus a peccato scandali, quia munere accepto vir ardentior et audacior redditur ad eam concupiscendam ». L. 712. 734. 736.

963. *Quaenam sit vis obligationis in contractibus?* — Praesumitur quisque pro se ac suis contractum inire, nisi contrarium statuatur ab ipso contrahente, vel ex natura rei. — Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiae, saltem ex parte unius e contrahentibus; quia in contractu ius aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem iuri sua correspondet obligatio. — Huiusmodi obligatio ipsos spectat contrahentes, *non alios*, quibus *per se* neque prosunt, neque obsunt, exceptis casibus lege determinatis. — Ea autem se extendit non solum ad id, quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria, quae pro conventionis natura postulant aequitas, lex, consuetudo. Ratio est, quia haec omnia implicite, in qualibet conventione, subintelliguntur, nisi cui ex istis explicite fuerit derogatum speciali pacto. — Nisi aliud conventum fuerit *statim* contracta obligatio implenda est. — C. I. 1123. 1124. 1127.-1130. 1131. seqq., C. G. 1134. 1135. 1165. 1156. seqq., C. H. 1097. 1255.-1258. 1278. 1281. seqq., C. A. 904. seqq. 914. seqq., L. 734.

964. *Resolves:* Contractus revocari nequeunt, nisi mutuo consensu, vel causis naturali aequitate, lege vel consuetudine probatis, C. I. 1123., C. G. 1134. 1135., C. H. 1300. — Studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex variis conventionis clausulis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum, etc. L. 219. *de Verbor. signif.*, C. I. 1131.-1139., C. G. 1156.-1164., C. H. 1281.-1289., C. A. 914.-916.

965. *Nota:* In contractibus omnibus ultro citroque obligatoriis, tacite inest conditio, ut, si alter ex contrahentibus obligationem suam non impleverit, alteri liceat a contractu discedere. Verum *tacita* haec conditio contractum non resolvit nisi officio iudicis ex recentioribus legibus; *expresse* vero apposita, ipso iure contractum resolvit. C. I. 1123. 1165., C. G. 1134. 1184.

966. *Quomodo cesset obligatio contractuum?* — Obligatio contractuum cessat: 1.° Per *solutionem*, seu *per praestationem* cuiuslibet rei debitae, aut etiam per *exsecutionem* obiecti promissi aut alias debiti. C. I. 1236. seqq., C. G. 1234. seqq., C. H. 1157. seqq. Cf. Vinnium ad Inst. l. 3. t. 30. n. 2. 4. — Sed non valet solutio, si creditor est incapax ad accipiendum, nisi probetur in eius utilitatem factam solutionem cessisse. C. I. 1243., C. H. 1163., C. G. 1241., C. A. 1424. Si autem creditor iniuste renuat solutionem

accipere, debitor liberatur, si depositum rei debitae faciat modis a iure praescriptis, C. I. 1259. seqq. — Neque interest, « quis solvat, utrum ipse qui debeat, an alius pro eo; liberatur enim et alio solvente, sive sciente sive ignorante debitore, vel invito ea solutio fiat ». Inst. l. 3. t. 30.

2.° Per *novationem*, seu novam obligationem, quae non praesumitur, sed expresse constare debet. Tripliciter locum habet: 1.° Per substitutionem *novi debiti* debito veteri, quod sic exstinguitur; v. g., promisi tibi dare singulis annis decem vini dolia; nunc convenio tecum, ut vinum amplius dare non tenear, sed mille francos: obligatio dandi vinum tunc exstinguitur. Huiusmodi novationis effectus est, ut priore sublata obligatione, eius quoque incommoda auferantur. 2.° Quando *novus debitor* substituitur antiquo, qui ideo a creditore liberatur. 3.° Quando *novus creditor* substituitur antiquo, erga quem nullam amplius debitor obligationem habet. C. I. 1267. seqq., C. G. 1271., C. H. 1203. seqq., L. 1. Dig. *de Novationibus*, Inst. l. 3. t. 30. § 3., Vinn. in h. l.

3.° *Per condonationem*, seu actum, quo creditor debitori suo ex plena libertate debitum remittit. Quisque enim de iure suo cedere potest in iis omnibus, quae ad bonum publicum non spectant, modo ad contrahendum inhabilis non fuerit. *Iuris* praesumptione habetur, si creditor debitori suo cautionem reddiderit, vel reddi iusserit; minime vero, si creditor pignus reddiderit, aut fideiussorem liberaverit. *Acceptilatio* huiusmodi condonatio appellatur, quia per eam creditor habet quasi acceptum id quod ei debetur. Unde dicitur in Iure quod acceptilatio sit *imaginaria solutio*. « Sicut autem quod debetur pro parte recte solvitur; ita in parte debiti acceptilatio fieri potest ». Inst. l. 3. t. 30. § 1. — C. I. 1279. seqq., C. G. 1282. seqq., C. H. 1187. seqq.

4.° Per *compensationem*, seu fictam et reciprocam solutionem, quae ipso iure locum habet, quando personae sunt erga se invicem debitrices, C. I. 1285. seqq., C. G. 1289. seqq., C. H. 1195. seqq., C. A. 1438. seqq. Cf. 1471.

5.° Per *confusionem*, quae locum habet, cum obligatio debitoris et ius creditoris in eadem persona coadunantur, v. g., si creditor fiat haeres sui debitoris, vel debitor sui creditoris, vel eadem persona fiat haeres creditoris simul et debitoris. C. I. 1296. seqq., C. G. 1360. seqq., C. H. 1192. seqq., L. *Sicut acceptatio* Dig. *de Solutionibus* etc.

6.° Per *destructionem*, aut *perditionem* rei debitae certae et determinatae, quae aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis, et aliquando in aliis, ubi non incidit culpa debitoris. Aliquando vero non liberat, v. g., si evenerit culpa debitoris, vel fuerit in mora culpabili, etc. *Certae* et *determinatae*, v. g., talis equi; aliud vero dicendum, si res fuerit incerta et indeterminata; nam genus et species non pereunt. Quare, si promisisti equum in genere, non talem equum, non unum ex tuis equis; manet obligatio, etiamsi omnes tui equi pereant, unde alium emere debes et tradere. C. I. 1298. seqq., C. G. 1302. seqq., C. H. 1182. seqq., L. *Si ex legati* Dig. *de Verbor. obligat.*

7.° Per *rescissionem*, seu *rescindibilitatem*, quae locum habet, quando contractus, essentialibus conditionibus constans, ob aliquos defectus dissolubilis est. Contractus ille valet, donec rescindatur. C. I. 1300. seqq., C. G. 1304. seqq., C. H. 1290. seqq.

8.° Per *praescriptionem*, de qua dictum est supra, C. I. 1236., C. G. 1234., C. H. 1930.

9.° Per *contrariam voluntatem.* Etenim « eae obligationes, quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur. Nam, si Titius et Seius inter se consenserint, ut fundum tusculanum emptum Seius haberet centum aureis; deinde re nondum secuta, i. e. neque pretio soluto neque fundo tradito, placuerit inter eos, ut discederetur ab ea emptione et venditione, invicem liberantur ». Inst. l. 3. t. 30. § 4.

967. *Quid intelligatur per accidentales contractuum modificationes?* — Accidentales contractuum modificationes sunt quaedam extrinsecae vel intrinsecae contractuum qualitates, quae eorum obligationem obfirmant vel infirmant; augent vel imminuunt; determinant, suspendunt, vel perimunt. Porro huiusmodi contractuum modificationes praecipuae, quae ad praxim faciunt confessarii, sunt: *iuramentum* quod extrinsece contractum confirmat, variique contractuum *modi,* quibus intrinsece contractuum obligationes varie constituuntur.

968. *Quaenam sit vis iuramenti contractui adiecti?* — Iuramentum promissorium contractibus adiicitur ad eos propter reverentiam divini Nominis confirmandos. Unde praeter obligationem *ex iustitia* vi contractus, obligatio etiam adest *ex religione* vi iuramenti. — Obligatio iuramenti non nisi iurantis *personam* afficit. Eo enim *Deo* obligamur *ad faciendum,* quod promisimus. Quare licet obligatio contractus ad haeredes transeat, utpote quae ipsemet contrahentis *bona* afficiat; obligatio tamen iuramenti ad eos non transit. — Quoad iuramenti obligationem, generalis regula est: Iuramentum sequitur naturam actus. Accessorium enim sequitur principale. L. l. 6. n. 870. 873. — Iure Romano contractus plures, aliunde irriti, iuramento validi ac firmi evadebant. Iure recentiori neque validi neque firmi evadunt contractus aliunde irriti aut rescindibiles. C. H. 1260. iuramentum in contractibus non admittitur. Hoc tamen non impedit, quominus quis in conscientia stare debeat promissioni et iuramento, quo libere favori renuntiavit per leges concesso, si renuntiatio haec illicita non sit et prohibita, et agatur de favore mere privatae personae.

969. *Resolves:* Iuramentum est irritum, si actus ipse irritus ipso facto sit, sive iure naturali, sive iure positivo. Trid. S. 25. C. 16. de R. R. — Actus obligatione sublata, aufertur etiam iuramenti obligatio. — Quae actui tacite insunt; nempe si potuero, si res notabiliter non immutetur, si alter fidem servet, etc., ea etiam iuramento insunt. Hinc, si iures te servaturum statuta alicuius communitatis, si haec a maiori parte communitatis non amplius observentur, neque tu eas observare teneris. L. l. 3. n. 181.

970. *An iuramentum adiectum de non rescindendo contractu firmet omnino contractum, lege positiva rescindibilem?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat. Alii autem dicunt firmari tum *ex religione,* tum *ex iustitia;* alii vero tantum *ex religione.* Et sane propter reverentiam erga Deum iuramentum servandum est, semper ac licite servari potest. Secunda sententia probabilis distinguit; negat, quando rescindibilitas immediate et directe inducitur *propter bonum commune.* Tunc enim nocivum esset bono communi, adeoque illicitum et invalidum. Idem dicendum, si iuris renuntiatio *prohibeatur.* Illicita enim tunc est. Trid. S. 25. C. 16. de R. R. Affirmat vero, si rescindibilitas inducta sit immediate et directe *propter*

privatam contrahentium utilitatem, neque renuntiatio *prohibeatur*. Unusquisque enim renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto. Hinc videtur stare iuramentum, quo quis promittit libere alteri se non revocaturum testamentum vel legatum in ipsius favorem factum; nisi nempe renuntiatio illa *prohibeatur*. Cf. 1034. An autem valent iuramenta minorum, uxorum et similium ad contractus firmandos? Negat Gury 792., « etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta; quippe perversi homines semper iuramentum ab iis exigerent, quod in detrimentum societatis cederet »: affirmat vero Struggl Tr. 5. q. 3. n. 27. *Secundo*, ob generalem rationem, quod ea lex propter bonum privatorum immediate et directe lata sit. Cf. 249. 565. et C. *Cum contingat* 28. *de Iurei.* — Ceterum, quia iuramentum naturam actus non mutat, si actus est natura sua revocabilis, ut testamentum; aut revocabilis positivo iure, ut donatio, susceptis liberis; aut rescissioni obnoxius, ut contractus minorum et uxorum, *valide* revocatur, *valide* rescinditur. — Lugo D. 22. n. 200.-202., Lessius l. 2. c. 17. d. 7., L. 727. 739. 757. 891. 892., C. A. 937.

971. *Quinam sint varii contractuum modi?* — Varii contractuum *modi*, quibus varie contractuum *obligatio* modificatur, sunt: contractus obligationis sub conditione, ad modum, ad terminum, alternative, solidarie, divisibiliter vel indivisibiliter, cum clausula poenali, sub causa, sub demonstratione. — Modus servandus est ex iustitia, nisi repugnet substantiae contractus. Illius violatio contractum saepe non invalidat, quia nempe quid mere accidentale est. Si modus sit turpis aut impossibilis habetur pro non adiecto, nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturae repugnet, vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit.

972. *Quandonam habeatur contractus conditionalis? — Quid si conditio sit impossibilis vel turpis vel potestativa? — Quo modo implenda sit conditio?* — Contractus conditionalis est, cum ab eventu futuro et incerto pendet. C. I. 1557., C. G. 1168. — Dicitur *futuro* et *incerto*. Si enim pendet ab eventu *praeterito* vel *praesenti*, contractus statim validus est, vel nullus; licet nobis incertus adhuc sit. Quare conditio de futuro suspendit *contractum* eiusque *obligationem*, usque dum verificetur; conditio vero de praesenti vel praeterito suspendit tantum *exsecutionem* contractus. C. I. 1161., C. G. 1181., C. H. 1114., Inst. l. 3. t. 16. § 4. 6. Cf. Lugo Resp. Mor. l. 4. d. 3. n. 9. — Conditio *de re turpi aut impossibili* contractum nullum tum iure naturae, tum civili reddit. C. I. 1160., C. G. 1172., C. H. 1115., Inst. l. 3. t. 20. § 11. 24. Excipiuntur tamen eodem C. G. 900. *donationes inter vivos et per testamenta*, in quibus conditiones impossibiles aut turpes pro non adiectis habentur. Ex C. I. 1065. *donatio* sub conditione impossibili aut turpi nulla est. Et ex eod. C. I. 849. conditiones impossibiles aut turpes *in testamentis* pro non appositis censentur. Ita etiam habetur Inst. l. 2. t. 14. § 10. Excipitur item Iure Canonico *matrimonium*, modo conditio turpis aut impossibilis substantiae contractus contraria non sit. — Contractus nullus est, cum conditio est *potestativa*, quae nempe unice a voluntate sese obligantis pendet, v. g. dabo tibi 1000. libellas, si ita mihi placuerit. Huiusmodi enim contractus nullam, uti patet, producere potest obligationem. C. I. 1162., C. G. 1174. Validus vero erit contractus si conditio *potestativa* non sit voluntas ipsa debitoris, sed voluntas alterius partis, vel tertiae personae, vel factum aliquod adimplendum ab una e

duabus partibus contrahentibus. Gousset in a. c., C. H. 1115. — Conditio implenda est eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se voluisse obligare, C. I. 1166., C. G. 1175. Quare 1.° voluntas potius, quam verba, intuenda est. 2.° Generatim loquendo, conditio in propria forma adimpleri debet; aliquando tamen sufficit, ut aequivalenter impleatur, cum nempe talem censetur prudenter fuisse contrahentis voluntatem, Gousset in a. c., L. 734. Conditio censetur impleta, quoties per eum, qui se obligavit sub illa, stetit, quominus adimpleretur, C. I. 1169., C. G. 1178., C. H. 1119. 1122. Antequam conditio impleatur creditor exercere potest actus omnes conservativos sui iuris, C. I. 1171., C. G. 1180., C. H. 1121. — C. A. 897. seqq., E. M.

973. *Quando habeatur conditio resolutiva contractus?* — Praeter conditionem, de qua diximus, quae, propterea quod contractum suspendit, *suspensiva* dicitur; alia adest conditio, quae dicitur *resolutiva*, propterea quod verificata contractum validum resolvit, et partes restituit in eundem statum, quo erant ante contractum, C. I. 1158. 1164. 1168. 1183, C. H. 1123., C. A. 696. Huiusmodi conditio subintelligitur in omni contractu synallagmatico, si compars suam obligationem non adimpleat, C. I. 1165., C. G. 1184., C. H. 1124. Cf. 965.

974. *Quandonam habeatur contractus sub modo?* — A *conditione* distinguendus est *modus*, h. e. onus *mere superadditum*, v. g., do tibi hoc praedium cum obligatione celebrandi tot missas annuatim. Porro hic contractus statim valet, manente in comparte onere implendi obligationem; quam si compars non impleat, peccat contra iustitiam, at non ideo corruit contractus, ut communius dicunt. Huiusmodi contractus dicitur *ad modum*. — L. 734.

975. *Quandonam habeatur contractus ad terminum?* — Contractus obligationis *ad terminum*, seu *ad diem determinatum*, est, cum licet eius *obligatio* statim oriatur, *exsecutio* tamen ad diem determinatum suspenditur. C. I. 1172., C. G. 1185., C. H. 1125., Inst. l. 3. t. 16. § 2. 3. Terminus semper praesumitur constitutus in favorem debitoris, nisi aliter conventum fuerit, C. I. 1175., C. G. 1187.; in favorem creditoris et debitoris, nisi aliud res eiusque circumstantiae exigant, C. H. 1127.

976. *Quandonam habeatur contractus obligationis alternativae?* — Contractus obligationis *alternativae* est, cum duae res disiunctive obligantur, ita ut debitor liberetur, alterutram solvendo, C. I. 1177., C. G. 1189., C. H. 1131. Electio est debitoris, nisi aliter conventum sit. C. I. 1178., C. G. 1190., C. H. 1132. Altera vero re pereunte, alteram dare tenetur, vel huius pretium, si haec quoque et posteriori loco perierit, C. I. 1180., C. G. 1192. 1193., C. H. 1134.-1136.

977. *Nota:* Cum obligatione *alternativa*, confundenda non est obligatio *facultativa*. Paulus legavit Petro domum suam, nisi haeres eius mallet solvere summam 10000. libellarum. Petrus exigere nequit nisi domum, quamvis haeres possit pro domo solvere illi 10000. libellas. Hinc, casu fortuito domo pereunte, haeres ad nihil tenebitur; et in hoc discrimen proprie est unius obligationis ab alia. Gousset 765.

978. *Quandonam habeatur contractus obligationis in solidum?* — Contractus obligationis *solidariae* est, vel ex parte creditorum, quando nempe

totum creditum exigi potest a singulis creditoribus, ideoque solutio facta uni creditori liberat debitorem ab aliorum creditorum molestia, C. I. 1184., C. G. 1197., C. A. 892., vel ex parte debitorum, quando nempe ad totum debitum solvendum singuli debitores adigi possunt, ita ut solutio facta ab uno debitore ceteros liberet quoad ipsos creditores, C. I. 1186., C. G. 1200., C. A. 891. Solidaria haec debitorum obligatio non praesumitur, sed expresse est stipulanda, C. I. 1188., C. G. 1202., C. H. 1137. Verum, si unus totum accepit, cum ceteris communicat; si unus totum solvit a ceteris repetit, deducta sua parte. C. I. 1198. 1199., C. G. 1213. 1214., C. A. 896., C. H. 1142. 1143. 1145. — C. A. 891. seqq.

979. *Quandonam habeatur contractus obligationis divisibilis, vel indivisibilis?* — Contractus obligationis est *divisibilis*, vel *indivisibilis;* si nempe coalescat ex aliqua re, quae dum traditur, aut ex aliquo facto, quod dum exsecutioni mandatur, dividi potest, vel non, sive ex natura rei, sive ex acceptione partium contrahentium, C. I. 1202., C. G. 1217. V. g., si moriatur debitor, cui sint plures haeredes: si ipse unum tantum obligavit ad solvendum, obligatio indivisibilis est; secus debitum erit divisibile. Itemque, si creditor moriatur, cui sint plures haeredes: si ipse creditum uni tantum relinquat, qui totum creditum exigere potest, indivisibile erit; secus vero erit divisibile. C. I. 1204. 1205., C. G. 1220. 1221. Qui ergo indivisibiliter aliquid debent, singuli *totum* debent, et qui indivisibiliter creditores sunt alicuius rei vel operis, singulis *totum* debetur. C. I. 1206. 1207., C. G. 1222. seqq. — C. H. 1149. seqq., C. A. 888. seqq.

980. *Quandonam habeatur contractus cum clausula poenali? — Quid intelligitur per arrham?* — R. Ad 1.um Contractus *cum clausula poenali* est, cum quis, ad firmandam obligationem, se adstringit ad aliquid, si eam non servet, C. I. 1209., C. G. 1226., C. H. 1152., Inst. l. 3. t. 16. § 7. Hinc debitor non potest ab obligatione se eximere poenam solvendo, nisi id fuerit expresse constitutum. C. H. 1153., C. A. 1336. Invalida obligatione principali, est invalida poena, non vicissim, C. I. 1210., C. G. 1227., C. H. 1155. Poena debetur quidem ex iustitia, si petatur, pro inexsecutione saltem culpabili obligationis principalis, minime vero debetur poena simul et res principalis, nisi constituta fuerit pro simplici retardatione, C. I. 1212. 1229. 1230., C. H. 1153., C. A. 909.-911.

Ad 2.um Quod anticipate tribuitur a contrahentibus, locum tenet *cautionis* pro damnorum compensatione, si conventio non adimpleatur, nisi aliter fuerit conventum, et dicitur *arrha, caparra.* Pars, quae non est in culpa, si non velit urgere conventionis implementum, potest cautionem ab alio acceptam sibi retinere; vel exigere duplum illius quam dedit. C. I. 1217., C. A. 908. 910.

981. *Quandonam habeatur contractus sub causa, vel sub demonstratione? — Quandonam huiusmodi contractus invalidus sit propter errorem?* — R. Ad 1.um Obligatio *sub causa* vel *sub demonstratione* est, quando exprimitur causa, vel res designatur, e. g., lego Titio mille libellas, *quia* patrocinium mei suscepit; lego Titio mille libellas, *quas* a Sempronio accepi.

Ad 2.um In contractu *sub causa (quia)*, vel *sub demonstratione* (vendo *hoc* vel *tantum*) error non invalidat, *nisi ad essentiam rei pertineat.* Si

error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative (hoc);* si vero *taxative (tantum)*, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative*, si res primo loco exprimatur, et postea eius quantitas, v. g., lego Titio praedium meum triginta iugerum; *taxative* vero, si primo loco quantitas exprimatur, deinde res, v. g., lego tres aureos in tali capsula. Sed adiuncta rerum perpendenda, et inde intentio contrahentis investiganda. — Gur. 794., Lugo D. 23. n. 111. 112., Inst. l. 2. t. 20. § 29. seqq., C. A. 572. 675. 676. 677. 901.

V. — DE PROMISSIONE

982. *Qualis ordo rerum tractandarum?* — Explicata *generali* contractuum doctrina, gradum nunc facimus ad varias eorum *species*. De contractibus primo *gratuitis:* deinde de *onerosis* dicemus.

983. *Quid promissio?* — Promissio est *deliberata et spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona et possibili.* — *Deliberata et spontanea;* quia promissio indeliberata, vel metu, aut fraude extorta, nullam parit obligationem. *Obligatio fidei;* nam per promissionem ordinarie nos solum obligamur ex fide, seu virtute fidelitatis. *De re quapiam bona;* nam promissio de re mala non parit obligationem, iuxta R. 60.^{am} I. in 6.°: *In malis promissis fidem non expedit observare.* Quod intelligendum est, etsi promissio esset iuramento firmata; iam iuxta R. 58.^{am} I. in 6.°: *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum. Et possibili;* nam iuxta R. 6.^{am} I. in 6.°: *Nemo potest ad impossibile obligari.* — C. A. 861.

984. *Resolves:* Promissio differt *a simplici proposito* per hoc, quod promittens obliget alteri suam fidem, seu se ipsum ex virtute fidelitatis, aut etiam iustitiae; proponens vero se alteri non obliget, sed solum se ipsum in praesenti determinet ad aliquid in posterum agendum aut omittendum. Unde ille, qui non servat simplex propositum, e. g., ieiunandi, aut certas preces persolvendi, *per se* non peccat, nisi aliunde obligatus sit ad quid simile faciendum, sed inconstantiae tantum sequitur turpitudo praeter et contra eius intentionem. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1., Lugo D. 22. n. 1.

985. *An obliget promissio nondum acceptata?* — *Promissio non obligat ante acceptationem promissarii*, i. e. *illius cui fit promissio, aut sine ea.* Prob. Quia ius activum ex parte promissarii debet resultare ex propria eius acceptatione; adeoque sine hac neque ex parte promittentis potest resultare obligatio passiva in actu secundo. Praeterea omne pactum debet perfici utriusque paciscentis consensu. Ergo etiam promissio. C. A. 861.

986. *Resolves:* 1.° Promissio ergo ante acceptationem est revocabilis a promittente; quia ante acceptationem non parit obligationem, et adhuc manet in potestate promittentis. Ex C. A. 862. si promissio verbalis sit, statim acceptanda est; si scripta, acceptatio facienda et notificanda est tempore a lege constituto; ante ipsum revocari non potest, eo elapso obligatoria amplius non est. — Potest autem quis acceptare per alium quempiam ad id electum, vel per alium, qui eius curam gerit, v. g., pater pro

filio, religiosus pro monasterio, praelatus pro Ecclesia sua, uxor pro marito. Unam enim moraliter personam cum eo constituere censetur. Ex C. A. 881. nemo facere aut acceptare potest per alium promissionem, exceptis casibus per legem determinatis. — 2.° Promissio, sive per nuntium, sive per mandatarium facta, ante acceptationem revocata, non valet. Verum, si per mandatarium fiat, necesse est, ut revocatio mandatario innotescat; ac si non potuit innotescere, revocatio nihil valet, et valet promissio perinde ac ab ipso mandante fuerit facta. — 3.° Mortuo promittente ante acceptationem, non valet promissio per nuntium vel per mandatarium, mandatum enim cessat. Mortuo promissario ante acceptationem, potest adhuc promissio a familia et ab haeredibus acceptari, si has etiam personas per se et principaliter intenderit promittens, secus vero irrita omnino manet promissio. Cf. 991. 1002.

987. *Quomodo obliget promissio? — Promissio simplex et gratuita, per se loquendo, solum obligat sub peccato veniali.* Prob. Quia obligatio simplicis promissionis solum oritur ex virtute fidelitatis, quae per se solum obligat sub peccato veniali. Unde communi hominum iudicio parum aestimari solent violationes simplicium promissionum. — L. 837.

Per se loquendo; nam per accidens etiam promissio gratuita posset obligare sub peccato mortali; ut contingeret: 1.° Quando promissarius propter promissionem non impletam incurreret grave damnum. 2.° Quando promittens promissionem confirmaret iuramento promissorio; nam sic ille simul obligaretur ex virtute religionis. 3.° Quando promittens suam promissionem confirmaret chirographo, ut promissarius posset civiliter agere; nam sic simul obligaretur ex virtute iustitiae. — Potest ergo quis *ex iustitia* se obligare, et tunc graviter obligatur in materia gravi. « Non apparet, inquit Lugo D. 23. n. 91., cur non possis gratuito, et sine ullo debito praecedenti, velle te ex iustitia obligare alteri ad dandum vel faciendum aliquid postea in eius gratiam. Sicut enim potes donare ei gratuito domum, atque ideo transferre in ipsum ius aliquod reale in domum, quod sit obiectum propriae iustitiae; cur non poteris etiam gratuito transferre in eum ius, non in re, sed ad rem, et constituere te debitorem ipsius ex debito iustitiae? Totum quippe illud, quod potest ex pretio dari, poterit etiam dari gratis, et sicut potes domum pretio vendere, ita potes etiam gratis eam donare, et ita in utroque casu aeque das ius proprium iustitiae in domum; ergo sicut potes pretio accepto, obligare te ex iustitia ad aliquid faciendum postea vel dandum, ex qua obligatione das ius ex iustitia propria adversus te; ita poteris hoc ipsum ius gratis dare, et constituere te debitorem ex iustitia, sicut si pretium accepisses pro hac obligatione ». — « Et hic advertunt Sanch., Spor. et alii communiter apud Tourn. quod ad constituendam materiam gravem in promissione requiritur materia quadruplo maior, quam in furto mortali, quia promissor agit de proprio, fur de alieno ». L. 720., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. — L. *Si pollicitus* ff. *de Pollicitat.*

988. *An per promissionem detur ius ad rem? — Si per promissionem quis ex iustitia se obliget, licet non detur ius in re, datur tamen ius ad rem.* Nam iustitia obligat ad non laedendum ius alienum; si ergo non transferatur alteri saltem *ius ad rem,* iam illa promissio ex iustitia amplius non obligat. *Si vero per promissionem quis ex fidelitate tantum se*

obliget, neque ius ad rem ullo pacto alteri datur. « Fidelitas enim non obligat ad id quod alteri debeo, sed ad id quod mihimetipsi debeo ». Lugo l. c. n. 14.

989. *An promissio onerosa, adimpleta conditione, obliget sub peccato mortali?* — R. Affirmative *per se.* Prob. Quia promissio sub conditione onerosa, adimpleta conditione, obligat ex iustitia; obligatio autem iustitiae per se, et ex genere suo, est gravis. Unde, quando conditio est graviter onerosa, et promittens de praemio multum detraheret, peccaret mortaliter; quando vero conditio est solum leviter onerosa, et promissum magnum praemium, promittens peccaret solum venialiter, etsi plus detraheret; quia ad excessum videtur se obligasse solum ex fidelitate.

990. *Quid de promissionibus prout generatim fieri solent?* — Promissiones simplices, *ut communiter fiunt,* nec ex fidelitate urgent, quia in animo promittentis communiter non est fidem suam obligare; merum igitur propositum enuntiant.

991. *An, vel quatenus obliget promissio, si ante exsecutionem moriatur promissarius, vel promittens?* — R. Ad 1.um Nullo modo obligat, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam promissarii; quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus; secus autem, si promissio facta sit praecipue intuitu familiae promissarii, vel ipsius haeredum.

Ad 2.um Mortuo promittente, si promissio fuerit *ex iustitia* adimplenda, debitis vestita conditionibus, ab eius haeredibus adimplenda est; quia omnis obligatio *realis* ad haeredes transire debet eodem modo, eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde, sub gravi vel sub levi, ex iustitia tenebuntur haeredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Si promissio fuerit *ex fidelitate* tantum adimplenda, haeredes tunc ab omni obligatione liberantur; quippe talis promissio *personalem* obligationem involvit, quae ad haeredes non transit. — C. A. 900. 955.

992. *Quomodo cesset obligatio promissionis acceptatae?* — *Cessat ob sequentes causas:* 1.° Propter condonationem promissarii; nam quilibet suo iuri renuntiare potest. — 2.° Propter mutationem obiecti, si nempe res promissa interim fieret impossibilis, per leges illicita, vel damnosa aut inutilis promissario, in cuius utilitatem et commodum fuit facta. C. A. 936. — 3.° Propter supervenientem mutationem status promissoris, vel promissarii, ita ut promissor non promisisset, si hanc mutationem praevidisset; ut, e. g., si quis pauperi promisit centum florenos, et interea ipsemet in paupertatem incidat, illisque ad se ipsum, aut suam familiam honeste sustentandam indigeat; vel, si quis puellae promisit matrimonium, quae postmodum fit pauper, multum deformis, aut ab alio corrumpitur. — 4.° Propter ingratitudinem promissarii; nam haec non solum tollit obligationem promissionis, sed etiam, si gravis est, facit donationem revocabilem; ut habetur C. ult. *de Donat.* — 5.° Per compensationem, quando nempe duo quidpiam sibi invicem promiserunt, et alter non vult stare promissis; nam, ut dicitur R. 75.a I. in 6.°, *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.* — 6.° Propter defectum conditionis, aut causae principalis ipsius promissionis; ut si quis alteri propter paupertatem aliquid promisit, quem postea reperit non esse pauperem. — Semper

enim promissio facta censetur sub talibus tacitis conditionibus. — Struggl 23., L. 720., S. Th. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5.

993. *Quid de promissione ex iure civili?* — Promissio admittitur Iure Rom. Dig. l. 50. t. 12.; itemque C. A. 861. seq. — Ex C. I. et C. G. nihil speciale habetur de promissione. Ex C. G. 893. eruitur non dari actionem civilem ex simplici promissione. Ex C. I. 710. promissio non videtur excludi ex variis modis, quibus aliis propria iura transferri possunt. Idem dicendum de C. H. 1089. 1254. — Speciatim vero agitur in C. G. 1589. 1590. de promissione venditionis, eaque ab ipsa venditione non distinguitur. De ea etiam agitur C. H. 1451. et ius contrahentes habent ad reclamandam exsecutionem contractus. In C. I. 53. 54. agitur speciatim de reciproca matrimonii promissione; quae nullam legalem obligationem producit. Si tamen ea publico actu, vel privata scriptura facta fuit, vel factae fuerint a civili magistratu publicationes, promittens, qui sine iusto motivo promissionem exsequi recusat, ad expensas, ab alia parte, intuitu promissi matrimonii factas, compensandas tenetur. Idem praescribitur C. H. 43. 44. — Agitur item in C. I. 1129., C. G. 1120., C. A. 881. de promissione facti tertiae personae. Huiusmodi promissio ius dat ad indemnitatem obtinendam ab eo, qui se obligavit, vel promisit tertii ratificationem, si iste obligationem implere recusat. Ceterum si promiserit tantum *curaturum se*, ut alter det aut faciat, si frustra id curaverit, ad nihil amplius tenetur. Idem erui potest ex C. H. 1254. Lugo D. 23. n. 114. — C. H. 826., C. G. 1326.

VI. — DE DONATIONE

994. *Quid sit donatio?* — Donatio, stricte dicta, est *liberalis* alicuius doni *collatio*. — *Liberalis collatio;* nam donum, quod alteri per donationem confertur, non debet ei esse ex iustitia debitum, neque dans donum debet alterum obligare ad aliquid aliud praestandum; donatio debet esse actus liberalitatis, et non iustitiae. C. I. 1050. Interim tamen donationi non repugnat debitum gratitudinis consequens, aut etiam antecedens, adeoque donatio potest esse ex gratitudine remunerativa, seu actus gratitudinis; quamvis sic aliqualiter recedat a proprietatibus donationis. C. I. 1051. Ut autem donatio obligationem inducat in donatorem, necessaria est acceptatio donatarii. Nemo enim de iure naturali, absque proprio consensu, ius acquirere potest in rebus alienis. L. 725. 726. Acceptari potest vel per se, vel per procuratorem. — C. A. 938.-942., C. H. 618. 619. 623. 629. 630.

Quamvis vero donatio generatim ante acceptationem donatarii non valeat, valet tamen antequam acceptetur donatio facta ecclesiae, vel alteri causae piae. Ratio, quia res censetur donata aut promissa ipsi Deo, qui ubique praesens est, et statim acceptat. Ferraris v. *Donatio* a. 1. n. 26.

995. *Quotuplex sit donatio?* — Donatio dividitur 1.° in *liberalem* et *remuneratoriam*. Illa est, quae fit ex pura virtute liberalitatis, et absque debito gratitudinis: haec vero est, quae simul fit ex virtute gratitudinis, et motivo compensandi huius debitum. C. I. 1051., C. H. 618., C. A. 940. — 2.° In donationem *mortis causa* et *inter vivos*. Prior est, quae a donante fit intuitu secuturae mortis, et consequenter ex natura sua ante mortem

est revocabilis propter imbibitam hanc implicitam conditionem: Si in hac infirmitate, in hoc periculo, mortuus fuero; vel donationem ante mortem non revocavero. Posterior vero est, quae *actu* et *absolute* fit inter vivos, et consequenter per se est irrevocabilis. C. I. 1050., C. G. 894., C. H. 620. 621., Inst. l. 2. t. 7. § 1. 2., Gousset Cod. comm. in art. 893.

996. *Resolves:* 1.° Non est donatio *mortis causa*, sed *inter vivos*, dispositio, qua quis *nunc* et *irrevocabiliter* alteri donat dominium rei, cuius usum vel usumfructum sibi reservat usque ad mortem. C. I. 1074., C. G. 948.— 2.° Nec ut donationes mortis causa habendae sunt, sed *inter vivos*, dispositiones, quibus aegroti dant *actualiter* et *irrevocabiliter* personis praesentibus, v. g., parentibus, famulis, amicis, res mobiles aut etiam immobiles, absque ulla conditione mortem respiciente. — 3.° Vim donationis mortis causa non habent *promissiones, quae solent fieri in vita* de re aliqua danda in morte parentibus, famulis, amicis, neque vi talis promissionis quispiam poterit vel quid minimum, communiter loquendo, praetendere; quia promissiones illae non aliud *solent* denotare quam *merum propositum*, seu bonum animum donationis alias faciendae. Cavendum igitur, ne parentes, famuli, amici, facilius voluntatem defuncti in sui favorem interpretentur, atque adeo res quasvis, praetextu promissionis vel donationis, occulte surripiant.

997. *An valeat donatio mortis causa? — De iure naturali et communi valet donatio mortis causa, modo debitis vestiatur conditionibus.* Scilicet: 1.° Fieri debet intuitu mortis; secus donatio *inter vivos* censeretur. 2.° Acceptari debet ab ipso donatario; nemo enim potest acquirere ius in res alienas, quin prius consentiat. 3.° Si donatarius praemoriatur, ipso facto revocatur, nec ad eius haeredes transit, saltem in *rigore iuris*, quia ad illos directa non fuit. 4.° Revocatur item donatio mortis causa, si mortis periculo donator supervixerit, et *praecise* proximi mortis periculi intuitu facta fuerit. Tripliciter enim *mortis causa* potest quis donare: 1.° Cum quis nullo praesentis periculi metu conterritus, sed sola mortalitatis cogitatione donat. 2.° Cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis. 3.° Cum quis periculo motus non sic dat, ut statim donum fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit insecuta.—Inst. l. 2. t. 7. § 1.

998. *An donatio mortis causa valeat etiam secundum recentiores leges? — Ad recentiores leges quod spectat*, ex C. A. 956. donatio mortis causa, praescriptis servatis formalitatibus, certo valet ut legatum. Eaque valet etiam, ut donatio, si donatarius eam acceptaverit, et donator renuntiaverit expresse facultati eam revocandi, ac donatario scriptum documentum tradiderit. — Ex C. H. 620. donatio admittitur, quae morte donantis effectum habeat; eaque regitur iisdem legibus ac successio testamentaria. — Ex C. I. 710. et 827. donatio mortis causa verius valet, ut quaelibet alia *dispositio* et *conventio* ad dominium in conscientia transferendum. — Ex C. G. gravis adest difficultas ob art. 893., vi cuius non potest quis titulo gratuito disponere de bonis suis, nisi donatione inter vivos et testamento. Verum probabilius etiam valet; nam art. 967. dicitur quod potest quis per testamentum disponere de bonis suis, sive titulo institutionis haeredis, sive titulo legati, sive *omni alia denominatione, apta ad manifestandam propriam voluntatem.* Donatio autem mortis causa ad *testamentum* vel ad

legatum revocatur, vel alia certe *forma* est *apta* ad *propriam voluntatem manifestandam.* Et sane, si ea donatio in testamento scripta esset, tanquam legatum valeret. Unde locum ad summum hic haberet generalis doctrina contractus formis legalibus destituti. Praetérea ea donatio certo videtur valere, tanquam *donatio inter vivos, conditionalis,* uti donatio intuitu matrimonii, Cf. art. 1088., si non sit revocabilis ad nutum donatoris, sed tantum ex eventu sanitatis; conditio enim tunc est *casualis,* quae nihil contra legem continet. Insuper si donatio mortis causa irritatur ex Iure Gall., « irritatur quidem per iudicis sententiam, sed probabiliter non ipso facto ». Gur. Cas. 816. Ergo ante sententiam iudicis valida in conscientia erit. Denique « gravissimi iuris interpretes, v. g., Merlin et Delvincourt, asserunt donationes manuales *mortis causa* valere, modo sit traditio aut derelictio (dessaisissement); et sic declaravit *Curia Suprema* 12. Decemb. 1815. ». Gur. Cas. 811., Comp. 836. — Gousset in a. 893., L. 741.-743.

999. *Resolves:* 1.° Donatio sub conditione, ut restituatur, si repetatur, probabilius valet; nam « quamvis non valeat ut donatio *inter vivos,* quae postulat, ut donator re sua se spoliet irrevocabiliter; valere tamen potest tanquam donatio *mortis causa* propter traditionem realem, quae non minus roboris habere debet, licet nulla mortis mentio fiat ». Gur. 836. — 2.° Ille, cui mortis causa donata est res mobilis, potest illam occulte accipere, mortuo donatore; modo sit certus de donatione et ultima voluntate defuncti. Etenim res non fuit donata, ut solvenda, sed ut ab ipso donatore accipienda. Deinde habet ius in re donata, nam donatio mortis causa est donatio *conditionata,* quae per mortem testatoris fit absoluta. Ergo, donatore mortuo, res donata statim absolute transit in dominium donatarii. Cf. 997. Ergo hic eam ut suam accipere potest. Quare, si a iudice compellitur ad praestandum iuramentum, quod nihil de bonis defuncti acceperit, iuramento asserere potest, se nihil accepisse ex bonis defuncti, scilicet quod suum non fuerit. — Gousset in a. 931.

1000. *Quaenam sit natura donationis inter vivos?* — *Donatio inter vivos* est actus spontaneae liberalitatis, quo donans *se spoliat actu et irrevocabiliter re donata in favorem donatarii, qui eam acceptat.* C. I. 1050., C. G. 894., C. A. 938. 946. — *Se spoliat actu et irrevocabiliter*, nihil tamen prohibet donationem fieri sub conditione tum suspensiva tum resolutiva, C. I. 1066. 1078., C. G. 944. 953. Conditio suspensiva tacite inest donationibus, quae fiunt causa matrimonii, C. I. 1068., C. G. 1088. Conditio resolutiva tacite inest donationibus reciprocis, quas duo sibi invicem faciunt, Cf. C. I. 1083. Donationem vero irritat conditio, quae in donantis potestate tota reposita est, C. I. 1066., C. G. 944., quae donatario imponit onus satisfaciendi quibuslibet futuris donantis debitis, C. I. 1067., C. G. 945., et quae constituit, ut donatario vel eius filiis praemortuis, res donata ad alium, quam ad ipsum donantem, revertatur, C. I. 1071., C. G. 951. Cf. C. H. 641. Potest vero quis donare sub reservatione ususfructus pro se, et, ipso deficiente, etiam pro aliis, non tamen successive alios post alios vocando. C. I. 1074. Cf. C. G. 949., C. H. 640. Si donator sibi reservat facultatem disponendi de aliquo obiecto vel aliqua summa, quae in ipsa donatione comprehenditur, si moriatur ante illam dispositionem, tale obiectum vel summa transit ad haeredes donantis, non vero ad ipsum donatarium, non obstante quacumque contraria clausula. C. I. 1069., C. G. 946. — *In favorem*

donatarii, cui statim transfertur irrevocabiliter dominium rei donatae, ius nempe *in re;* unde donatio essentialiter differt a promissione, quae non dat nisi *ius ad rem.* Neque vero opus est traditione rei, ut aperte constat ex C. I. 1062. 1125., C. G. 938. 1138. Cf. Rogron in a. 711. 938. 1138., L. 732. Ea vero opus est C. A. 943., si donatio verbalis sit; et C. H. 632. si verbalis donatio sit rei mobilis: secus utroque hoc Iure non sortitur effectum. Cf. 1011. — *Qui acceptat,* sine acceptatione nulla adhuc est donatio, tum iure positivo, tum iure naturali. Quapropter revocari potest, licet sit iuramento firmata, quia iuramentum sequitur naturam actus. C. I. 1057., C. G. 932., C. H. 629., Lugo D. 23. n. 42. — Inst. l. 2. t. 7. § 2., L. 725.-727.

1001. *An absens sufficienter donationem acceptet, recepto nuntio, vel litteris donatoris?* — « Donatio facta absenti, si per nuntium fiat, potest revocari, donec *coram nuntio acceptetur;* non enim sufficit, si acceptetur coram aliis. Si vero donatio offeratur per litteras, Viva dicit sufficere, ut litterae ad donatarium perveniant. At Less. et Salm. dicunt requiri amplius, ut remittantur litterae vel nuntius acceptationis, ut donatio sit valida ». L. 725. 728. Haec quoad ius naturale. Ad ius positivum quod spectat, Cf. 1011.

1002. *Quid si donator, misso nuntio, donationem revocaverit?* — Si donator revocet donationem *antequam acceptetur,* et revocatio *innotescat nuntio* quem misit, iam nuntius nihil amplius potest efficere; siquidem omnis potestas offerendi vel tradendi est ipsi adempta. — Si autem revocatio *non innotescat nuntio ante exsecutionem,* tunc distinguendum est: vel ille se habet solum instar *nuntii referentis* alterius *donationem,* aut rem tradentis, vel habet *mandatum faciendi donationem.* Si prius, per factam revocationem donatio subsequens irritatur, quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent eius acta, et donatio valide acceptari potest. Tenetur enim mandans ratum habere id, quod ex vi mandati bona fide eius nomine gestum est. — Haec de iure naturali. Quoad ius positivum, Cf. 1011.

1003. « *Utrum post mortem donantis possit donatio valide acceptari?* — Distinguit Less. Si donatio iam facta est, et donans ante mortem mittat nuncium aut epistolam, tunc censet posse acceptari. Ratio, quia donatio permanet virtualiter in litteris vel nuncio misso. Et idem probabiliter tenent Sanch., Lugo, Viva. Sed probabilius hoc negant Lopez... et alii..., et probabile censent Salm., quia post mortem donantis nequit voluntas eius uniri cum donatarii consensu, ut ad acceptationem requiritur... Si autem, aiunt Lugo, Less. et Sanch., donatio nondum sit facta, sed mandata fieri a nuncio, per illum etiam munere misso, tunc donatio post mortem donantis amplius acceptari nequit, ex L. *Inter causas ff. Mandati,* etc., ubi expresse declaratur mandatum expirare post mortem mandantis. Hoc tamen non obstante, dicit Sanch., donationem posse acceptari, quia hic mandatum, cum sit quaedam gratia facta, non expirat morte mandantis. Et hoc Less. et Viva, etc., merito probabile putant... Advertendum tamen cum Lugo, Mol. ac Sanch., ex eadem L. *Inter causas,* quod si donatio facta fuerit a nuncio, inscio mortis mandantis, tam nuncio, quam donatario, tunc donatio valebit ». L. 730., Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 6. n. 6., Ithur. Cas. 8. Sed gravis adest difficultas in hoc, quod donatarius post donantis

mortem *donationem* valide acceptet; tunc enim amplius *donatio inter vivos* non est, sed *legatum;* quod bene diversum est. — Haec de iure naturali. Quoad ius positivum, Cf. 1011.

1004. *An, mortuo donatario ante acceptationem, eius haeres possit donationem acceptare?* — Affirmat Sanch., etc., quia haeres repraesentat personam defuncti. Negant tamen probabilius Less., Salm., etc., quia haeres succedit in iuribus realibus, defuncti, non autem personalibus, ut est ius acceptandi donationem. Concedit tamen Less., quod si haeres sit filius donatarii, ex aequitate posset acceptare, cum talis praesumenda tunc sit mens donatoris. L. 731. Haec quoad ius naturale. Quoad ius positivum, Cf. 1011.

1005. *Quid iure naturali et positivo de donatoris capacitate?* — De iure naturali illi omnes donare possunt, qui possunt bona sua alienare; donatio enim alienationis species est. Quare requiritur, ut donans sit sanus mente, et non sit declaratus incapax ex lege, cum donationem perficit. — Ex Trid. S. 25. C. 16. de Reg., donationes irritantur et renuntiationes, etiam iuratae, quae fiunt ab ingredientibus Religionem, nisi fiant cum licentia episcopi sive vicarii intra duos menses proximos ante professionem, et professio postea sequatur. Cf. L. l. 3. n. 935.

Ex Iure Romano inhabiles sunt ad donandum: 1.° Surdi simul et muti a nativitate, nisi scribere sciant. 2.° Damnati crimine capitali. 3.° Pupilli vel impuberes, nisi agatur de rebus parvi momenti. 4.° Coniuges inter se, nisi donatio sit modici momenti. 5.° Pater erga filium sub sua potestate manentem, excepta causa matrimonii, belli, studiorum et similium.

Ex Iure I. et G. donare non possunt qui, eodem iure, non possunt testamentum facere; et regulariter minores, C. I. 763. 1052. 1386., C. G. 902.-904. 1095., uxores, C. I. 134., C. G. 217. 905., inhabiles postulati et renunciati, C. I. 1052. 1387., C. G. 502. 902. Ex C. I. 1054., C. H. 1334., coniuges non possunt, durante matrimonio, alter alteri donare. Ex C. G. 1094. 1098. 1099., coniuges generatim invicem sibi donare possunt *inter vivos*, vel per testamentum: 1.° Si non adsint descendentes, quidquid extraneo donare possent quoad proprietatem, et insuper usumfructum partis haereditatis ascendentibus reservatae. 2.° Si adsint descendentes, vel quartam bonorum partem quoad proprietatem, et simul aliam quartam quoad usumfructum, vel dimidiae tantum partis usumfructum. 3.° Si coniux habeat filios ex praecedenti matrimonio, non potest donare novo coniugi ultra partem, quae filio, minus prae caeteris accipienti, contingit, neque quartam bonorum partem excedere. — Ex C. comm. G. 446. nulli sunt actus, translatitii dominii bonorum sive mobilium sive immobilium, *titulo gratuito*, negotiatorum, qui cessionem bonorum fecerunt, infra decem dies ante sententiam tribunalis declarantis diem eiusdem cessionis. Ex C. Comm. I. 707. iidem actus nulli sunt a die cessionis. — Ex C. H. 624. donare possunt omnes, qui possunt contrahere et de suis bonis disponere. — L. 721. 723. 724.

1006. *An valide et licite donationem quis accipiat ab eo qui sit aere alieno gravatus?* — Affirmant Lessius, Mol., Nav., etc., et probabile putant Lugo et Pal. ap. S. Alph. Ratio, quia ille bene potest dominium transferre cum adhuc sit verus dominus rei, quae donatur; tu vero acceptans

non es causa per se et efficax damni creditoris, sed tantum per accidens et permissiva. Causa per se et efficax est tantum donator, ipse enim est qui donationem facere *determinat*. Ergo, dummodo eum ad donandum non induxeris, *contra iustitiam* non peccas. Neque vero peccas *contra caritatem;* haec enim non te obligat, ut repudies grave tuum commodum, ad servandos debitores indemnes. — Pal. vero Bonac., Lugo aliique ap. eumdem S. Alph. *verius* et *communius* negant. Ratio, quia donatarius est vera causa per se et efficax damni creditoris; donatio enim essentialiter non consistit in sola voluntate donantis, sed etiam in voluntate acceptantis, sine qua nulla exsistit alienatio sive donatio. Ergo sicut donans laedit iustitiam se reddendo impotentem ad solvendum, de quo nemo dubitat, ita etiam donatarius *cooperans actioni iniustae* donantis cum damno creditorum. L. 722., H. A. Tr. 10. n. 128. Utraque sententia sua non carere probabilitate videtur. — Ithur. Cas. 8. n. 12., L. 612. 694. 695.

1007. *Nota:* Ex C. I. 1091, 1092., C. G. 920. 921. non conceditur creditoribus ius postulandi *reductionem donationis*, peractae a debitis gravato. Hoc ius conceditur dumtaxat in haereditate, si legitima sit laesa, haeredi, in cuius favorem lex legitimam reservavit. Ex eodem tamen C. I. 1235., C. G. 1167., C. A. 953., possunt sane creditores impugnare *actus* a debitoribus factos *in fraudem* iurium eorum. — Ex C. H. 643. 1291. 1297. contractus debitoris gratuiti, cum aliunde creditores recipere non possunt quod ipsis debetur, *ex fraude* facti praesumuntur et rescindibiles sunt. — L. 722., C. A. 950.

1008. *Quid iure naturali et positivo de capacitate donatarii?* — *De iure naturali* ex *parte donatarii* requiritur habilitas ad recipiendum. Habiles autem sunt omnes homines, qui recipiendi donationes per legem non constituuntur incapaces. Nec inhabiles habendi sunt infantes, amentes, vel alii usu rationis carentes, cum sint dominii capaces, et res acceptare vel occupare per alios possint, v. g., per parentes, tutores, etc. Cf. 856.

Ex Iure Communi donationem accipere nequeunt: 1.° Omnes accipientes ab iis, qui donationes facere nequeunt, iuxta dicta n. 1005. 2.° Accipientes ab iis, qui sunt aere alieno gravati in fraudem creditorum, iique ad compensationem damni creditoribus inde obvenientis tenentur. 3.° Accipientes in defraudationem *legitimae*, quae haeredibus necessariis debeatur. 4.° Coniuges. Generatim invalidae sunt coniugum reciprocae donationes. Excipe: 1.° Nisi donatio iuramento sit firmata. 2.° Si interveniat mors donantis, qui ante donatarium decedat, modo res in vita tradita sit. 3.° Si donatio sit remuneratoria, vel fiat causa mortis. 4.° Si uxor donet viro, ut aliquam dignitatem consequatur. L. 722. 723. 740.

Ex recentiori Iure omnibus donari potest, etiam ignotis, inhonestis, nascituris, dummodo conceptis, et vivi ac *vitales* postea nascantur, C. I. 1053. 724., C. G. 725. 906., C. H. 627.; et, ex C. I. 1053. 1059., dummodo natus sit ille, ex quo nasciturus speratur, is cui donatur. *Vitalis* censetur, qui editur post diem centesimum octogesimum a conceptione, C. I. 160. 162., C. G. 312. 314. In dubio, qui vivus editus fuit, vitalis natus praesumitur. C. I. 724., C. A. 23. — Excipiuntur vero generatim illi, quibus testamento relinqui non potest, C. I. 1053., C. G. 902. Excipitur praeterea speciatim coniux ex C. I. 1054., C. H. 1334. Excipitur etiam ex C. H. 1335. filius coniugis ex alio matrimonio, et persona cuius quis est praesumptus haeres tempore donationis.

1009. *Nota:* Ex C. I. 1055., C. H. 628. quaelibet donatio in favorem personae incapacis *est* nulla; ex C. G. 911. *erit* nulla. — Cf. C. H. 1334. 1335.

1010. *Quaenam sit quantitas bonorum, quae dari possunt?* — Donari possunt bona, quae in commercio sunt, et regulariter omnia, quae nempe quis in praesenti habet, non item futura, salva semper parte haereditatis legitima. Nihilominus donare quis potest illud, quod in spe determinata habet, v. g., fructus ex agro quodam nascituros hoc anno; pisces quos e piscatione referet, etc., excepta spe futurae haereditatis, circa quam omne pactum prohibetur. Cf. 955. C. I. 1064. 1091., C. G. 913. seqq. 943., C. H. 634.-636. Cf. C. A. 944. 951.

1011. *Quaenam sint circa donationem speciales iuris positivi praescriptiones?* — *De forma donationum.* Donatio *manualis*, de manu ad manum, adeoque *rerum mobilium,* fieri possunt sine scriptis, etiam secundum recentiores leges, quae non nisi donationes *non manuales* et *rerum immobilium* attingunt. Porro, nisi publico hae fiant instrumento, *actus donationis sunt nulli* ex C. I. 1056, obnoxii sunt *poenae nullitatis* ex C. G. 931. Excipiendae tamen sunt: 1.° Donationes, quae sunt veluti conditiones alterius contractus, v. g., dono, vendo tibi fundum, ex quo centum aureos annuatim dabis Titio; illae enim donationes sunt quid accessorium. C. I. 1128., C. G. 1121. 2.° Donationes, quibus quis renuntiat alicui iura sua; donationes enim sunt lato sensu. 3.° Donationes remuneratoriae et onerosae; hae enim donationes proprie non sunt. — Gousset Cod. comm. art. 948. — Ex C. A. 943. *donatio* facta solum verbaliter et sine traditione effectiva nullum donatario confert ius actionis. Hoc ius fundari debet scripto documento. — Ex C. H. 632. 633. donatio rei mobilis, verbaliter facta, traditione indiget, secus *effectu carebit,* nisi scripto fiat donatio, et scripto constet acceptatio. Donatio autem rei immobilis, *ut sit valida,* fieri debet publico scripto, et eodem vel alio scripto fieri debet acceptatio, quae *nullum habebit effectum,* nisi in vita donatoris fiat. Acceptatio, si separato scripto consignetur, notificari, authentica forma, debet donanti.

De donationis acceptatione. Maiores tantum, qui nec sub tutela nec sub cura sunt, *non manuales* et *immobilium rerum* donationes acceptare possunt, C. I. 1059., G. G. 935. Quare pro *minoribus* non emancipatis acceptat is, qui patriam potestatem vel tutelam exercet. Emancipati et inhabiles renunciati curatoris egent interventu. C. I. 231. 1059., C. G. 935. Uxores vero ex C. I. 134. sine consensu mariti acceptare possunt; sed ex C. G. 217. 934., mariti indigent consensu. Attamen hi omnes, si per se acceptent, valet etiam in foro civili donatio, donec compars reclamaverit; siquidem conceditur ipsi restitutio in integrum, et clare eruitur ex C. I. 1061. L. 725. — Acceptatio esse debet expressa eodem vel alio *actu*, et, si absenti sit facta donatio, non antea facta intelligitur, quam donanti fuerit renunciata. C. I. 1057., C. G. 932. Quare ante eam, donatio perinde est, ac si non intercesserit, adeoque donans potest interim donationem suo iure revocare. Ac, si interim donans moriatur, donatio *evanescit.* Ita etiam ex C. H. aa. cc. Enimvero donans desiit esse rei donatae dominus, et si adhuc donatarius posset donationem acceptare, iam actus *donationis* in alium omnino converteretur, nempe in dispositionem *testamentariam.* — Facta autem acceptatione, donatio perfecta est, iusque omne transfert in dona-

tarium, quin opus sit traditione, C. I. 1062., C. G. 938. Ita etiam Iure Rom., Inst. l. 2. t. 7. § 2.

Corpora etiam *moralia* nequeunt donationes acceptare, nisi obtenta a Gubernio facultate. C. I. 1060. Quae quidem Iuris dispositio pro Ecclesia nullo modo valet.

De donatione intuitu matrimonii. Donationes matrimonii intuitu a minore fieri et recipi possunt, interventu eorum, quorum consensu opus est ex Iure civili ad contrahendum matrimonium. Fieri et recipi etiam possunt ab inhabili, curatoris interventu. C. I. 1386. 1387., C. H. 1329. — Donationes hae, factae contemplatione matrimonii, impugnari non possunt ob defectum acceptationis, C. I. 1062., C. G. 1087., C. H. 1330.; neque possunt ob ingratitudinem vel ob natos filios revocari, C. I. 1087., C. H. 1333. Cf. C. G. 960. — Nullae vero sunt, si matrimonium non sequatur, C. I. 1068., C. G. 1088., C. H. 1333., C. A. 1247., vel si irritum pronuncietur, remanent tamen iura acquisita a tertiis, immo et iura filiorum, si saltem unus ex coniugibus illud in bona fide contraxerit, C. I. 1068. — Inst. l. 2. t. 7. § 3.

De nullitate donationum ob omissionem legalium formarum. Donationes, defectu *formae,* nullae in foro exteriori, nullae non sunt in foro etiam interiori. Id constat: 1.° Siquidem generatim admittitur ex C. I. 1237. et ex C. G. 1235. *naturalis obligatio* independenter ab *obligatione civili.* Unde ille, qui *voluntarie naturali satisfecit obligationi, solutum repetere non potest.* Adest ergo naturalis quaedam obligatio donationi satisfaciendi, quae vestita non sit praescriptis legis formalitatibus. Ac ad C. I. quod spectat clarissime confirmatur ex art. 1311. — 2.° Valent sane donationes sub forma contractus onerosi, e. g., venditionis, inter personas capaces disponendi de propriis bonis et recipiendi, si nihil contra leges contineant. Idque ex actuali iurisprudentia comprobatur. Porro haec iurisprudentia aperte ostendit, praescriptas donationum formalitates, non attingere ipsam donationem, sed tantum *actum* seu *instrumentum* donationum, secus enim nullae essent donationes omnes sub alio oneroso contractu dissimulatae. — 3.° Nam ipsa lex revera non loquitur de *donatione,* sed de *actu* donationis, seu de instrumento, quo donatio continetur; scilicet ut donatio valeat *quoad tertios,* et in foro externo. *Actus* tantum nullitati subiicitur, nisi confectus fuerit secundum praescriptam formam. C. I. 1056., C. G. 931. Cf. C. I. 1310. 1311. 1312. 1316. 1320. etc. — 4.° Communiter traditur nullam secundum leges requiri formalitatem pro donationibus manualibus. Id eruitur ex eo quod praescriptae formalitates C. I. 1070., C. G. 948. non exiguntur pro ipsa *donatione,* sed pro *actu* donationis. Idem ergo valet pro donationibus *non manualibus* et *rerum etiam immobilium.* Cf. 936. Gousset in a. 931. — Idem affirmandum videtur ex C. A. 943. Defectus enim formarum non *ius in re,* sed *ius* adimit *actionis.* — Gravior difficultas est ex C. H. 633. Verum, nisi contradictio affirmetur inter hunc art. et plures alios, e. g. 1089. 1091. 1254. 1261. 1278. 1279., dicendum formarum defectum reddere tantum donationem rescindibilem per iudicis sententiam.

1012. *Quaenam sit donationis obligatio?* — Donatione perfecta, donans ad rem, quam donavit, statim tradendam tenetur, et si eam destruxerit,

alienaverit, deteriorem fecerit, graviter in re gravi peccat, et tenetur ad omne damnum donatario compensandum. Lugo D. 22. n. 42.

1013. *Quinam sint casus, in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum?* — Duo hi casus sunt: *reductio* et *collatio*.

1014. *Quid reductio?* — *Reductio* est: *donationis* vel *legati rescissio* pro rata excessus supra quantitatem disponibilem, quae quidem rescissio auctoritate publica fiat oportet. Postulari non potest nisi ab illis, quibus lex legitimam reservat. Neque vero hi possunt, durante vita donantis, huic iuri renuntiare. Si donationum valor excedit vel aequat quotam disponibilem, dispositiones testamentariae sunt sine effectu. Si vero dispositiones testamentariae excedunt quotam disponibilem vel portionem huius quotae, quae remaneret post detractum valorem donationum, reductio proportionate fit sine ulla distinctione inter haeredes et legatarios. Donatarius interim fructus rei donatae suos facit, durante vita donantis. C. I. 821.-824., 1091. seqq., C. G. 920. seqq., C. H. 654. seqq., L. 740.

1015. *Quid collatio?* — *Collatio* est actus, quo unus ex haeredibus ad summam bonorum, quam testator inter haeredes dividendam reliquit, ea bona refert, quae a donatore accepit, ut inter omnes ex aequo dividantur; nisi velit potius haereditati renuntiare, est enim haec obligatio haeredum, et tunc ea retinere potest usque ad concurrentiam partis disponibilis. C. I. filiis et descendentibus tantum collationem imponit erga descendentes alios cohaeredes, non legatarios, aut haereditatis creditores, aliosque haeredes. C. H. 1035., C. A. 787. eam haeredi necessario imponunt. C. G. vero indiscriminatim cuilibet haeredi collationem praecipit. C. I. 1001.-1004. 1014., C. G. 843.-846. 857. — Collatio duplici modo fieri potest: 1.° *In specie*, i. e. referendo rem ipsam donatam. 2.° Minus accipiendo. Prior modus fit ordinarie in immobilibus, posterior autem in mobilibus, C. I. 1015. seqq., C. G. 858. seqq., C. H. 1045. seqq. — L. 954.

1016. *Quaenam sint collationis exceptiones?* — *Eximuntur a collatione variae donationes:* 1.° Si quae testator dedit, haeredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo *praecipui iuris* intra limites partis, de qua disponere poterat. C. I. 1001., C. G. 843., C. H. 1036. 1038. Ex C. I. 1004. 1006. 1012., praesumuntur factae cum dispensatione a collatione donationes ascendentium, factae descendenti haeredis; donationes factae in favorem eius, qui vel quae sit coniux descendentis. Obnoxium item collationi non est immobile, quod fortuito, et absque culpa donatarii perierit. Cf. C. H. 1038.-1040. 1045., C. G. 847.-860. 855. — 2.° Si expensae factae a donatore fuerint in alicuius favorem, v. g., in alimenta, vestes, munera consueta, etc. Item expensae nutritionis, educationis, nuptiarum, artis addiscendae, et similia, C. I. 1009., C. G. 852., C. H. 1041. 1042., 1044. — 3.° Fructus rerum referibilium, quos percepit donatarius ante mortem testatoris, C. I. 1013., C. G. 856., C. H. 1049. — C. A. 789. seqq., Gousset in a. 852., L. 958. 959.

1017. *An filius referre debeat expensas a patre tenuis fortunae factas, pro ipso ad sacerdotium evehendo?* — R. Negative, *generatim loquendo*, quia expensae illae cedunt in bonum commune familiae, nempe in eius honorem, commodum, etc., et gratuito a parentibus haec donata censentur.

Referri autem debet in haereditatis divisionem patrimonium a patre datum filio ad sacros ordines suscipiendos, quia aequiparari potest doti filiae, quae necessario referenda est. Secus enim aequalitas inter liberos laederetur, quod collatio praecavere intendit. Id constat etiam ex C. I. 1007., C. G. 851., C. H. 1035. 1046., C. A. 788. L. 488. 955. 956. — Ex C. H. 1043. videntur conferri debere.

1018. *An conferendae sint expensae factae a patre in gratiam filii, pro doctoratu, beneficio, studiis, libris*, etc.? — R. Negative, haec enim cedunt in bonum commune totius familiae, honorem, commodum, etc. Excipe, nisi pater bona propria filii habuerit, tunc enim censetur de illis filium in studiis sustentasse. Excipe etiam, si expensae omnino extraordinariae fiant. L. 724. 950. 955. — Ex C. H. 1043. conferendae sunt.

1019. *An conferri debeat pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum?* — R. Affirmative, si redimatur in propriam utilitatem, quia id aequalitas postulare videtur; secus, si filius redimatur in utilitatem patris, v. g., infirmi, senis vel pauperis, aut familiae sustentandae; quia familia, quae commodum percipit, onus etiam ferre debet. Rogron in a. 851. Cod. civ., Gousset in a. 852., L. 955. — Ex C. H. 1043. conferri debet.

1020. *An filius teneatur referre ea quae de bonis paternis male expendit, e. g. in ludis, potationibus*, etc.? — R. Negative, modo filius plus non consumpserit male, quam pater contentus fuit, ut in suam sustentationem et honestas recreationes expenderet; secus, si expensae excessissent. — Conferenda autem sunt, quae data sunt pro debitis solvendis. — L. 543. 544. 957., C. H. 1043., C. G. 851., C. I. 1007., C. A. 788.

1021. *An lex collationis obliget in conscientia?* — « Lex collationis respicit forum tum externum, tum internum. Nihilominus cum certum sit, sive verbali declaratione donatoris, sive variis facti circumstantiis, donationem factam fuisse cum exemptione a collatione, quamvis haec exemptio, defectu authentici documenti, non possit in foro exteriori probari, donatarius non obligatur ad collationem. Sed, generatim loquendo, donatarius retinere non potest excessum super legitimam partem, quaevis sit donatarii voluntas ». Gousset in a. 852.

1022. *Quaenam sint exceptiones irrevocabilitatis donationis inter vivos?* — Donatio 1.° resolvitur, sed non pleno iure, si conditiones appositae non praestentur. — 2.° Revocari potest, si donatarius se exhibeat ingratum erga donantem in casibus a lege determinatis, Inst. l. 2. t. 7. § 2., nisi tamen sint donationes matrimonii causa, et ex C. I. nisi sint donationes pure remuneratoriae. — 3.° Revocatur vero *pleno iure* ex C. G. et C. H., sed non ipso iure ex C. I., ob prolem supervenientem, licet ea tempore donationis iam fuerit concepta, licet etiam ea posthuma nata sit, vel si donator legitimaverit filium naturalem post donationem natum; exceptis ex C. G. mutuis coniugum donationibus, vel ascendentium in favorem coniugum, matrimonii causa factis; exceptis ex C. I. donationibus remuneratoriis et matrimonii causa factis. Iusta sane est et pia praesumptio iuris, donatorem prole carentem donationem fecisse cum hac virtuali, aut tacita conditione: *Nisi liberos acquisivero;* nam quilibet suos exteris tacite velle praeferre censetur. Hinc etiam omnis contraria con-

ventio, tanquam nulla habetur. Cum autem donatio hoc in casu ipso iure revocetur, ea per mortem prolis non reviviscit. Cf. C. A. 954. — 4.° Omnes donationes *inter vivos,* ab alterutro coniuge alteri factae, semper revocari possunt. Neque vero indiget uxor consensu mariti aut iudicis auctoritate.— C. I. 1078.-1090., C. G. 953. 955. 956. 959. 960. 961. 964. 965. 1096., C. H. 644.-653. 1333. 1334., C. A. 947. seqq., L. 738. 739.

1023. *An donatio facta Ecclesiae vel causae piae, ob ingratitudinem, vel ob adventum prolis revocetur?* — R. Ad 1.um Donatio facta Ecclesiae ob ingratitudinem praelati aut clericorum revocari non potest; quia donatio illa fit principaliter ob bonum animae donatoris, et principaliter Deo, qui non potest esse ingratus. Lugo D. 23. n. 175., L. 738.

Ad 2.um « Communiter docent omnes posse solum quoad id, in quo inofficiosa est filiis seu quoad eorum legitimas, non quoad totum. Ratio est, quia quoad portionem filiis debitam non praesumitur donans Ecclesiam praetulisse, sed potius voluisse primo loco suo pietatis debito satisfacere. Quoad reliqua vero Ecclesia censetur magis vel aeque diligi cum filiis, quare sicut donatio uni filio facta non revocatur, natis aliis filiis, nisi quoad eorum legitimas; ita dicendum est de donatione facta Ecclesiae, vel causae piae ». Lugo D. 23. n. 194. « Quae revocatio subsisteret, neque donatio revivisceret, etiamsi filii morerentur, quia actio semel extincta, semper extincta manet ». Ithur. Cas. 8. n. 12. L. 739.

VII. — DE TESTAMENTO

1024. *Quid sit testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum?* — *Testamentum,* quod secundum etymologiam nominis idem est ac *testatio mentis,* secundum rem significatam, est: *Voluntatis iusta sententia de eo, quod quis post mortem fieri vult circa res suas, cum directa institutione haeredis.* Ita ex Iure Romano. — *Voluntatis iusta sententia,* i. e. dispositio voluntatis legitima, et iuri congrua. *De eo quod quis post mortem fieri vult;* nam testamentum non solum fit mortis causa, sed etiam suum robur primum acquirit per mortem testatoris, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 9., 16. 17.: *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* — *Cum institutione haeredis;* nam per hoc testamentum differt ab aliis ultimis voluntatibus, nempe *codicillo, legato, fideicommisso,* in quibus nullus haeres per se et directe instituitur. — Inst. l. 2. t. 10., L. 919.

Codicillus enim, seu parvus codex, est suprema defuncti voluntas, minus solemnis, extra testamentum, de eo, quod quis fieri velit post mortem suam, absque directa institutione seu nominatione haeredis, cui immediate haereditas debeatur, ut, praeter haeredis institutionem, alia possit testator de bonis suis disponere, v. g., legata haeredi committendo, aut fideicommissa, etc. C. A. 553. Clausula autem codicillaris est clausula testamento inserta, qua declaratur, quod si testamentum ex aliquo defectu non valeat, vi tamen codicilli valere debeat. Ad codicillum sufficiebant quinque testes, etiam non rogati, etiam feminae.—L. 919. seqq., Inst. l. 2. t. 25.

Legatum est *donatio quaedam a defuncto relicta, et ab haerede praestanda.* — *Donatio quaedam*, nam proprie donatio non est, cum non sit acta immediate inter dantem et acceptantem. *Ab haerede praestanda*, legatum enim est particularis quaedam lex dicta haeredi, et ideo dicitur legatum: quod est a *lego*, unde *lex* derivatur. *Ab haerede praestanda*, nempe post mortem testatoris. *A defuncto relicta* legatario, ad quem proinde immediate a testatore rei dominium transit, licet eius possessio sit prius apud haeredem, et ab haerede testatario sit res tradenda. — Inst. l. 2. t. 20., C. A. 535.

Fideicommissum, ita dictum, quia testator fidei haeredis suam committit supremam voluntatem, ut haereditatem vel totam, vel eius partem alteri reddat. Hinc fideicommissum *mediata* est haeredis *substitutio*. C. I. 899., C. G. 896., C. A. 608. 609. *Immediata* vero *substitutio* habetur, cum quis haeredem ita nominat, ut, si is non possit aut nolit haereditatem adire, alter sit haeres, qui immediate ab ipso testatore instituitur, et non priore mediante, a quo haereditatem accipiat, ut locum habet in mediata substitutione. Substitutio haec mediata, *indirecta*, dicitur substitutio *fideicommissaria*. Substitutio vero immediata et *directa*, substitutio *vulgaris* appellatur. C. I. 895., C. G. 898., C. A. 604. — *Institutio fideicommissaria ab institutione fiduciaria distinguitur*, quatenus in ea palam, seu in ipso testamento, in hac clam seu secreto, fidei haeredis committitur haereditatis restitutio. — Inst. l. 2. t. 15. 16. 23. 24.

Ex C. I. 759. « testamentum est actus revocabilis, quo quis, iuxta regulas statutas a lege, disponit pro tempore, quo vivere desierit de omnibus suis substantiis, aut parte earum in favorem unius aut plurium personarum ». Ita fere etiam ex C. G. 895., C. H. 667. 668. 764. — Hinc institutio haeredis necessaria non est, et discrimen inter testamentum et codicillum sublatum est. Secus vero est ex C. A. 552. 553. Substitutio item mediata, seu fideicommissaria ablata est, C. I. 899. 900., C. G. 896., determinato quodam casu excepto, ex C. G.

1025. *Resolves:* Haereditas devolvitur haeredi ex morte testatoris, nec antea nec postea. Non *antea*, quia *viventis* nulla est adhuc haereditas, non *postea*, quia haeres personam defuncti continuat, et eadem est cum ipso, fictione iuris, persona. Quare, si serius haeres haereditatem adit, aditio retro valet, ex momento obitus defuncti; ac, si moriatur ante aditam haereditatem, ius suum, suis haeredibus transmittit. C. I. 933., C. G. 777., C. A. 531. 532. 533. 536. 537. 545. 797., C. H. 657. 661. Hinc *in haereditate*, habetur ut non apposita *dies*, a qua haereditas incipere, vel in qua desinere debeat. C. I. 851., Inst. l. 2. t. 14. § 9., Cf. C. A. 695.

1026. *Quotuplex sit testamentum?* — *Ratione dispositionis bonorum* triplex est, ex C. G. 1002. 1003. 1010., testamentaria dispositio: universalis, ex titulo universali, ex titulo particulari. *Universalis* est, cum testator uni aut pluribus relinquit universalitatem suorum bonorum. *Titulo universali*, cum testator alicui relinquit quotam omnium bonorum partem, dimidiam partem, tertiam partem; omnia immobilia, omnia mobilia, aut horum quotam partem. Utraque haec dispositio ex C. I. 760. *ex titulo universali* appellatur. *Titulo particulari* est quaelibet alia dispositio, C. I. 760., C. G. 1010. Prima et altera dispositio ex C. I. 760., C. H. 660. 667. 668. 768. qualitatem tribuunt haeredis, tertia legatarii. Ex C. G. 1002. triplex ista

dispositio sub denominatione institutionis haeredis vel legati fieri potest, et sic haeres vel legatarius esse potest *universalis*, *titulo universali*, et *titulo particulari*. C. G. 1003. 1010. 1014.

Ratione formae ex Iure Romano, testamentum distinguitur: 1.° *Solemne*, in quo servantur omnes conditiones legibus praescriptae. Est autem duplex: Primum, *In scriptis* seu clausum, quod sigillo signatum traditur subscribendum septem testibus, idoneis, masculis, puberibus, etc., quibuscum subscribit testator, si possit; si vero nequeat, octavus testis accedere debet. Alterum, *Apertum*, quod fit coram septem testibus, sive scripto aperto, sive viva voce, unde *nuncupativum* etiam appellatur. — 2.° *Privilegiatum*, quod valet absque solemnitatibus. Tale est testamentum a milite conditum, vel ab alio, tempore pestis, aut caeteris eiusmodi circumstantiis. — Inst. l. 2. t. 10. 11., L. 920. 926.

Ratione item formae triplex est ex C. I. et ex C. G. testamentum: 1.° *Holographum*, quod *ad validitatem* manu testatoris integre scribitur; cum indicatione anni, mensis, diei; et nominis appositione. C. I. 775., C. G. 970. Ex C. I. expresse exigitur ut nominis subscriptio in fine dispositionum apponatur. Nota *temporis* integris litteris, vel numeris fieri potest in qualibet testamenti parte. Nota *loci* necessaria non est. Papyrus quaelibet, licet non obsignata sufficit, si tamen res ad iudicem deferatur, mulcta in Gallia erit ab haerede solvenda 30. fr. — Testamentum *holographum*, antequam exsecutioni mandari queat, praesentari debet iudici in tribunali primae instantiae: iudex vero post sufficiens examen iubebit, illud apud aliquem notarium custodiri. Sed haec forma accidentalis omnino est. C. G. 1007. — Testamentum item *holographum* ex C. I. 26. 912. seqq. ad instantiam eius, cuius interest, deponitur apud notarium loci, in quo successio *aperta* est, in praesentia praetoris et duorum testium, et debitum rei instrumentum conficitur. — *Successio* dicitur *aperta*, ex quo incipit ius haeredis in rebus defuncti. Idem non est ac *aperitio testamenti*, quum nempe testamentum publici fit iuris. Gousset in a. 970.

2.° *Publicum*, seu *solemne*, quod scribitur ab uno notario coram quatuor testibus masculis, maioribus, etc., vel a duobus notariis coram duobus testibus, et a testatore, a notario ac testibus subscribitur. Ac si testator subscribere non possit, mentio in actis facienda est, atque etiam causae, qua prohibetur subscribere. Testator declarare debet coram testibus suam voluntatem notario vel notariis, si duo sint, qui eam scribant; et ex C. I. potest ad scribendum opera uti amanuensis. C. I. 766. seqq., C. G. 971. seqq.

3.° *Mysticum* seu *secretum*, quod testator clausum sigilloque signatum tradit notario coram sex testibus, asserens hoc esse testamentum suum a se vel ab alio scriptum, et a se subscriptum. Debet inscribi haec attestatio super codicem testamenti, et a notario, testibus et testatore subscribi. Si testator testamentum subscribere non potuerit, de hoc mentio fieri debet, et additur alius testis praeter sex requisitos. C. G. 976. seqq., C. I. 782. seqq. Verum ex C. I. 783. quatuor tantum exiguntur, et si testator scribere nequeat, idem observatur ac in testamento *publico*. Si ab alio scriptum est, etiam in parte tantum, debet ex C. I. testator testamentum subscribere in singulis paginis, et declarare se testamentum legisse. Si testamentum *secretum* ob aliquem defectum uti tale non valet, potest tamen valere uti testamentum *holographum*, si tamen habeat eius requisitas conditiones. C. H. 715.

Testamentum *holographum* facere possunt, qui scribere possunt, *publicum* qui possunt loqui, *secretum* qui possunt legere. Surdimuti et muti testari possunt testamento holographo vel secreto. C. I. 775. 778. 785. 786., C. G. 971. 972. 978. 979., C. H. 688. 695. 697. 698. 708. 709. — L. 920.

4.° Sunt praeterea *testamenta privilegiata*, quae specialem habent formam. Ea sunt: 1.° *Testamentum militis*, et eorum qui officio sunt exercitibus addicti, Cf. C. I. 799.-803., C. G. 981.-984. — 2.° *Testamentum tempore pestis*, Cf. C. I. 789. 790., C. G. 985.-987. — 3.° *Testamentum in mari factum*, Cf. C. I. 791. seqq., C. G. 988. seqq. — 4.° *Testamentum publicum rusticorum*, Cf. C. G. 974. — L. 926. 929., C. I. Dispos. etc. initio 8. 9.

Ex C. A. 577. 584. testamentum iudicialiter vel extraiudicialiter, scripto aut voce, cum vel sine testimoniis fieri potest. Cf. a. 578.-590. 598.601. — Ex C. H. 676. testamentum esse potest *holographum, apertum* vel *clausum*. *Holographum*, quoad validitatem, in papyro obsignata, quae anno quo fit correspondeat, totum scribendum est, et subscribendum a testatore, indicato anno, mense et die, a. 678. 688. seqq. — *Apertum*, coram notario fit et tribus idoneis testibus, a. 679. 694. seqq. — *Clausum* scribi potest ab ipso testatore vel ab alio, papyro ordinaria, annotato loco, die, mense, anno; a testatore subscribitur in fine, et singulae paginae etiam *rubricantur*, si ipse illud scribit; si vero alius illud scribit tunc in singulis etiam paginis propria subscriptio apponenda est. Tum in hoc testamento *clauso* tum in holographo verba maculata, emendata, vel inter lineas scripta propria subscriptione notanda sunt. Testamentum hoc alia involutum papyro, clausum et sigillo munitum, testator tradit notario coram quinque testibus, declarans esse suum testamentum, cuius rei actus inscribitur a notario in exteriori parte testamenti, et subscribitur ab ipso, a testatore et a testibus, a. 680. 706. seqq. — Specialia autem habentur testamenta, *militare*, a. 716. seqq., *maritimum*, a. 722. seqq., *in extera regione confectum*, a. 732. seqq.

1027. *Quaenam sint conditiones requisitae testamentorum?* — Ut testamentum sit *validum* et *firmum*, requiritur: 1.° Ut habeat conditiones ad contractus gratuitos requisitas, et imprimis consensum liberum et spontaneum. 2.° Ut dispositio bonorum fiat iuxta reservationem seu legitimam haeredibus a lege assignatam. 3.° Ut non fiat ab inhabili ad testandum, nec in gratiam inhabilis ad recipiendum, seu ad succedendum in iura defuncti. 4.° Ut serventur substantiales formalitates iure praescriptae. — L. 921.

1028. *Cuiusmodi testes requirantur in testamentis?* — Ex Iure Romano debent esse masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non caeci, non intestabiles a lege, non haeredes ex testamento, nec domestici testatoris vel haeredis; non tamen excluduntur legatarii. Inst. l. 2. t. 10. § 6. 9. 10. 11., L. 919. — Ex C. G. 971. 975. 980. postulantur masculi, maiores, subditi reipublicae, fruentes iuribus civilibus, non scribae notariorum, qui actum conficiunt, non legatarii seu haeredes, neque horum consanguinei vel affines intra quartum inclusive gradum, id est intra secundum iuxta computationem canonicam pro linea transversali; attamen in mystico testamento legatarii aut eorum cognati non excluduntur. Hi enim, qui excluduntur a munere testandi, reiiciuntur tantum pro testamento publico. Ex C. I. 788. admittuntur inter testes etiam extranei, in regno residentes, et excluduntur solum praxim exercentes et amanuenses notariorum, iique, quibus civilium

iurium exercitium fuerit interdictum. Ex Lege 9. Dec. 1877. feminae etiam admittuntur. — C. A. 591.-597., C. H. 681. seqq.

1029. *An valeant in foro conscientiae testamenta ad causas prophanas, formis legalibus destituta?* — Affirmandum videtur ex C. I. Etenim art. 804. horum testamentorum nullitas ipso iure minime statuitur, sed tantum asseritur, constitutas formalitates servandas esse *sub poena nullitatis.* Quare, nulla intercedente iudicis sententia, ea testamenta in conscientia valent. Confirmatur autem ex art. 1311., ubi aperte admittitur validitas talis testamenti. Affirmandum etiam videtur ex C. G. 970., ubi de testamento holographo dicitur, quod non *erit valiturum,* nisi servatis statutis formis; et art. 1001. item dicitur, statutas testamentorum formalitates servandas esse *sub poena nullitatis.* Affirmandum item videtur ex C. A. 601. siquidem, vel una omissa praescripta formalitate, dispositio, dicitur, *erit invalida.* Similiter ex C. H. 687. testamentum, dicitur, *erit nullum,* non servatis praescriptis formalitatibus. Sententia vero iudicis intercedente, quam legitime quis invocare potest, huic standum est. Cf. 936. L. 927. — Praestat hic notare dispositionem C. I. 1311. « Exsecutio voluntaria unius dispositionis testamentariae post mortem testatoris includit renuntiationem ad opponenda vitia et quamlibet aliam exceptionem ». Ubi supponitur vitia non ignorari.

1030. *An testamenta ad pias causas sint valida, si formis legalibus careant?* — R. Affirmative, et haec sententia communissima et certa est. Ratio est 1.° quia constat ex Iure Canonico, C. *Relatum* 11. *de Testam.*, etc. 2.° Quia piae causae ad Ecclesiam pertinent, eiusque subiacent iurisdictioni. Porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quae iurisdictioni suae directe subsunt. Quare a Trid. sic statutum est: « Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint exsecutores ». S. 22. C. 8. de R. 3.° S. Poenitentiaria, pluries interrogata, huic sententiae adhaerendum esse respondit. — L. 922., E. M.

1031. *Nota:* Testamenta ad pias causas nulla ergo egent solemnitate civilibus legibus constituta; sed opus est tantum, ut *certo* innotescat testatoris voluntas. Quare, si oretenus tesamentum factum sit, duo aut tres testes sufficiunt. C. *Relatum* cit. Testes autem esse possunt quicumque legitime testari valent. Si autem testatoris scriptura extet, ea quidem sufficit ad validitatem testamenti vel legati pii. Quin immo sufficit, in foro conscientiae, nutus vel aliud testatoris signum, absque ullo teste, dummodo tamen *certa sit testatoris voluntas.* Hinc testamentum inchoatum et non perfectum, propter mortem intervenientem testatoris, valet quoad legata pia, in eo iam expressa. — L. 922. 923. 924. 925. 937. 940.

1032. *An valeat dispositio testamentaria sub conditione, et ad diem?* — R. Dispositio testamentaria fieri potest sub conditione, C. I. 848., C. G. 1040., C. H. 790., C. A. 695., Inst. l. 2. t. 14. § 9. — Conditiones *impossibiles,* aut *contra bonos mores,* aut *contra leges,* habentur ut non adiectae, C. I. 849., C. G. 900., C. H. 792., Inst. l. 2. t. 14. § 10. Cf. C. A. 696.-699. 712., L. 930. — Si conditio est non faciendi aliquid, cautio ab haerede praestanda exigitur, C. I. 855. Idque pro haereditate et pro legato valet. — Si conditio sit *suspensiva,* i. e. quando *testamenti validitas* pendet ab adimpletione appositae conditionis, dispositio nulla est, si haeres ante illius verificationem moriatur. Si vero

conditio sit *resolutiva,* i. e. quando *testamenti exsecutio* suspenditur quoadusque conditio sortiatur suum effectum, minime vero *testamenti valor,* tunc haeres vel legatarius ius acquirit ante ipsam conditionis impletionem, ius ad suos haeredes transmittendum ante impletam quoque conditionem, dummodo impleatur, C. I. 853. 854., C. G. 1041., C. H. 759. 799. Cf. C. A. 701. seqq. — Nulla habetur ratio *diei* appositi institutioni haeredis, *titulo universali,* a quo die debeat ipse incipere aut cessare, C. I. 851., Inst. l. 2. t. 14. § 9. Cf. 1025. *Nulla est* dispositio titulo universali vel particulari sub conditione, quod quis vocet alium haeredem vel legatarium, si et ipse ab illo vocetur, C. I. 852., C. H. 794. Cf. C. A. 543.

Contraria legi est, ex C. I. 850., C. H. 793., conditio, quae impedit nuptias, sive primas, sive ulteriores; nisi agatur de aliqua pensione, de habitatione, de usu, vel usufructu praestando, durante caelibatu, aut viduitate; itemque nisi conditio servandae viduitatis ad haereditatem consequendam a coniuge sit posita coniugi superstiti. — Ex C. A. 700., conditio item caelibatus pro non adiecta habetur. Permittitur autem viduitatis conditio coniugi superstiti filios habenti. — Iure Romano si illa conditio viduae imponatur valet, a quolibet imponatur, Auth. *Cui relictum* C. *de Ind. vid. toll.* Legatum autem relictum puellae, ut non nubat, debetur ei etiamsi nubat. Ea enim conditio irritatur a lege, quia multum interest reipublicae, ut proles augeantur. L. *Quoties* 22. ff. *de Cond. et demonstr.,* L. *Ambiguitates* 2. C. *de Ind. vid. toll.* — Verum Iure Canonico sustinenda videtur utraque conditio viduitatis et caelibatus, sive illa a coniuge sive ab alia persona imponatur, sive de praestatione sive de alia agatur dispositione, propter status viduitatis honestatem et maiorem virginitatis perfectionem. — L. 930. dub. 7., Laymann de Testam. c. 10. n. 13.

1033. *An in conscientia obligent substitutiones et fideicommissa?* — Immediatae substitutiones, *substitutiones vulgares* etiam dictae, quibus haeredi seu legatario, alter haeres seu legatarius substituitur, si prior haereditatem aut legatum non adeat ex C. G. 898., C. H. 774. seqq. validae sunt. Idem habetur ex C. I. 895., si prior haeres seu legatarius nolit vel non possit haereditatem seu legatum acceptare. Ex C. I. 896. substitutus ei, qui noluerit haeres esse, substitutus intelligitur ei, qui non potuerit, et contra; nisi constet de contraria testatoris voluntate. Secus vero est ex C. A. 605. Quare nulla quoad huiusmodi substitutiones ex positivis legibus esse potest difficultas pro foro conscientiae. — Hinc substituti tenentur onera implere, quae imposita fuerint eis, in quorum locum substituuntur, nisi tantum primitus vocatis praesumantur imposita, C. I. 897.

Ex C. A. 608. seqq. 618. seqq. fideicommissa integra manent, adeoque admittitur tum substitutio *vulgaris,* tum substitutio *fideicommissaria.*

Ex C. H. 781. seqq. substitutiones fideicommissariae, quibus haeres oneratur, ut totam vel partem haereditatis servet, et alteri transmittat progredi non possunt ultra secundum gradum, nunquam legitimam gravare possunt, expressae esse debent, et nullo modo fiduciariae. Earum vero nullitas primae haeredis institutioni non nocet.

Ex C. G. 896. 897. 1048.-1050., fideicommissa, seu mediatae haeredis substitutiones, *substitutiones fideicommissariae* etiam nuncupatae, quibus nempe haeres aut legatarius iubetur *servare* et *alteri reddere, erunt nullae* respectu etiam *donatarii, legatarii, haeredis.* Unde non tantum onus red-

dendi, sed ipsa etiam donatio, legatum, haereditas nullitati subiicitur. Excipiuntur eae dispositiones, quibus parentes bona sua, vel eorum partem, uni aut pluribus ex suis filiis relinquunt, cum onere, ut ipsi ea bona descendentibus súis, in primo tamen gradu ex art. 1048., etiam in secundo gradu ex leg. 17. Maii 1826., natis vel nascituris reddant. Sed lex haec anni 1826., quae amplius permittit, abrogata est 7. Maii 1849. Eadem facultas fit fratri relinquendi bona, de quibus disponere potest, uni aut pluribus fratribus, cum onere reddendi eadem filiis suis natis aut nascituris, in primo item dumtaxat gradu.

Ex C. I. 899. 900. quaelibet dispositio, qua haeredi vel legatario onus imponitur *servandi* et *alteri restituendi*, est *substitutio fideicommissaria* lege prohibita. Eius autem nullitas nullum infert praeiudicium validitati institutionis haeredis aut legati: sed substitutio tantum, etiam in primo gradu caret effectu. Verum permittitur ex C. I. 832. 902. 932., haereditatem vel annuas praestationes relinquere, propter piam causam, vel causam publicae utilitatis, pauperibus alendis, pueris instituendis, puellis dotandis, etc., quovis instituto haerede, v. g., futuris suis primogenitis, vel alterius. Item ex C. I. 901. potest uni proprietas, aliis ususfructus relinqui; minime vero successive pluribus; sed tantum primis vocatis post mortem testatoris.

Porro *notandum* primo est, quod non habetur substitutio lege prohibita, si non habetur *imperium et onus* reddendi. Simplex *deprecatio,* et sine *onere* imposito, substitutionem prohibitam non constituit. Necesse praeterea est onus *servandi.* Quare onus tantum *reddendi* non constituit iterum substitutionem prohibitam. Tunc enim haeres institutus, reapse *haeres* non est, sed mere *exsecutor* testamenti. Requiritur insuper onus *reddendi* tertio, reddendi nempe post mortem haeredis instituti. Hinc neque onus reddendi ex die, e. g., Caio postquam pervenerit ad pubertatem, ad ordines sacros ascenderit, etc., post decem annos, etc., substitutio prohibita est, sed legatum quoddam *sub conditione,* vel *ad terminum,* quod lege ipsa comprobatur, C. G. 1040. 1041. 1186., C. I. 854. 856. 857. 1173. 1174. Non enim est, quod lex prohibere intendit, videlicet quod quis suo testamento bis aut pluries, aut etiam indefinite velit successiones futuras determinare. Cf. C. I. 901. Atque hinc patet, substitutionem proprie non esse dispositionem *conditionatam,* sed dispositionem sub *modo.* Quare haeres nominatus, vere et absolute haeres instituitur, eique dominium transfertur, cum obligatione impositum onus implendi, quod si non impleatur, dominium non amittitur; sed cogi semper potest ad illud implendum. Gousset in a. 896., Rogron in eund. a. Ex C. I. 829. permittitur haeredi *fiduciario* veri haeredis, aut legatarii nomen confidere, *modo is incapax non sit.* Grave autem erit fiduciario fidem fallere. — Inst. l. 2. t. 23. 24.

Notandum praeterea est, generatim constitui, ut haereditas vel legatum ei adiudicetur, qui in testamento nominatur. Neque vero probatio admittitur, quod persona in testamento vocata sit tantum *apparens,* sub cuius nomine alia persona designetur, non obstante qualibet testamenti expressione. Hoc vero non applicatur casui, quo institutio, vel legatum impugnetur, tanquam facta per interpositam personam *incapaci.* C. I. 829.

Ex dictis apparet, praecedentem legem *iniustam* saltem non esse, adeoque ratio non adest, cur illi omnis obligandi vis adimatur, per se et communiter loquendo; quamvis, ut ipso legis tenore constat, testamen-

taria dispositio, contra talem legem facta, tanquam ipso iure irrita haberi non possit. Quare, si quis directe haeres institutus *fideicommissaria substitutione* haereditatem possideat, eam in conscientia retinere poterit, et rescissionem substitutionis invocare poterit. Si item haeres *substitutus* praedicta dispositione fideicommissaria haereditatem iam adeptus sit, eam poterit in conscientia retinere donec a iudice restituere cogatur. Si quis vero haeres instituatur *fiduciaria substitutione*, ex praevia promissione facta testatori, seu pacto haereditatem statim vel post certum tempus transmittendi tertiae personae vel causae piae, eam quidem in conscientia retinere non poterit. Tenetur enim omnino exsequi datam fidem, si legitima sit. Secus haereditati renuntiare debet, ut illa ad haeredes *ab intestato* perveniat. — L. 351. 952.

1034. *Quid de revocatione testamentorum?* — Testamentum, sub quacumque forma sit factum, *semper revocari potest ad nutum testatoris*, quia testamentum ex natura sua est actus essentialiter revocabilis; proinde testator dominium bonorum suorum usque ad mortem retinet. Idque valet, quamvis testator se testamentum non mutaturum promiserit, aut scripserit. C. I. 916., C. A. 552. 695., C. H. 737., C. A. 716.

Hinc positivo Iure renuntiatio et alienatio futurae haereditatis et omnia pacta *prohibentur* de futura successione; et, privata conventione, testamenta in pacta commutari non possunt. C. I. 954. 1118. 1460., C. G. 1130. 1600., C. A. 879. 1383., Cf. ib. 602. 1249., L. 932. 933. 934. Insuper nequit quis quolibet modo renuntiare libertati revocandi aut mutandi dispositiones testamentarias: quaelibet clausula aut conditio contraria caret effectu. C. I. 916. « Tales pactiones odiosae sunt, et plenae periculis ob insidias, quae parantur eius vitae, super cuius bonis fit pactio ». L. 934.

Excipe: 1.° Nisi renuntiatio fiat in favorem communitatis vel collegii; tunc enim cessat omnis praesumptio et periculum insidiarum, Cf. 955. 1010.; nisi quis ob *constitutiones ordinis* de omnibus bonis et iuribus acquisitis et acquirendis disponere debeat, idque in favorem communitatis piae vel certae personae; nisi fiat pactum circa haereditatem personae incertae, v. g., si quae mihi haereditas obvenerit, dum vixero, tua esto; cessat item periculum. L. 934., Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 4. 5. — 2.° *Ex Iure Romano* testamentum iuramento firmatum revocari non potest. Gur. Cas. 847. — 3.° *Ex Iure Canonico* professus, qui ante emissionem votorum simplicium de dominio suorum bonorum per testamentum disposuerit, dispositionem revocare vel immutare absque Apostolicae Sedis indulto minime poterit. S. C. EE. et RR. 20. Dec. 1861., Bizzarri Coll. Ed. 1885. p. 151.

Testamentaria autem dispositio semel revocata, sine effectu permanet; licet nova dispositio exsecutionem sortiri non possit. C. G. 1037.

Revocatione testamentum evadit *caducum*. Testamenti *caducitas* habetur, quando dispositiones testamentariae, etsi validae a principio, infirmae tamen evadunt ob quasdam circumstantias, v. g., *ex parte testatoris*, si testamentum revocet; *ex parte testamenti*, si res de qua disposuit ex toto perierit; *ex parte haeredis*, si renuntiaverit, si praemortuus fuerit. Verum *legata* manent, quamvis *testamentum* fiat *caducum*. C. I. 853. 854. 890. 891., C. G. 1039. 1040. 1041. 1043., C. A. 703.-705., C. H. 764. — Ex Inst. l. 2. t. 17. testamenta « quaedam non iure facta dicuntur, quaedam iure

facta rumpi vel irrita fieri... *Rumpitur* autem testamentum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius vitiatur». § 5. 1.

Revocatio testamenti duplici modo fieri potest: expresse, et tacite. *Expresse,* seu 1.° per destructionem testamenti; 2.° per actum coram notario confectum, quo mutatio voluntatis exprimitur; 3.° per testamentum novum priori contrarium: sed tunc revocatio non censetur integra, nisi dispositiones testamenti novi omnibus dispositionibus prioris sint contrariae, et omnes tunc validae sunt: si vero contrariae sint, novissimae valent. C. I. 916. seqq., C. G. 1035. seqq. — *Tacite,* per donationem, venditionem, permutationem, destructionem, aut quamlibet dispositionem rei legatae, qua mutatio testatoris manifestatur. C. I. 892. 893., C. G. 1042. Quaelibet alienatio a testatore facta, sive ex toto sive ex parte, rei legatae, etiam per venditionem cum pacto retrovenditionis, revocat testamentum quoad illud quod alienatum fuit, quamvis alienatio sit nulla, aut res redeat in possessionem testatoris. C. I. 892., C. G. 1038. Idemque valet, si testator rem legatam ita transformaverit, ut praecedentem formam et denominationem amiserit. C. I. 892. — L. 700., C. A. 713. seqq., C. H. 738. seqq., Inst. l. 2. t. 17.

1035. *An ipso iure testamentum aliquando revocetur?* — *Revocatur ipso iure testamentaria dispositio,* sive sub titulo universalis institutionis haeredis, sive sub titulo particularis legati, ab eo facta, qui cum testamentum conderet, aut carebat filiis seu descendentibus, aut se eos habere ignorabat, si exsistat vel superveniat filius vel descendens legitimus testatoris, etsi posthumus, aut legitimatus, aut adoptivus. Atque praedicta revocatio locum adhuc habet, etiamsi filius conceptus fuerit tempore testamenti, et, si agatur de filio naturali legitimato, etiamsi a patre ante testamentum fuerit recognitus et post testamentum legitimatus. At vero, si filius aut nepos, vivo testatore, decesserit, testamentum convalescit. Locum vero revocatio non habet, si testator casui providerit quod exsisterent aut supervenirent filii aut eorum descendentes. C. I. 888. 889. — L. 950., C. A. 777. 778.

1036. *An utrumque testamentum validum sit, cum duplex reperiatur testamentum, eodem die confectum.* — P. Gury in Cas. Consc. n. 833., ubi citat Pontas «utrumque, ait, testamentum est validum, cum utrumque omnibus conditionibus testamenti holographi gaudeat et utrumque eodem die confectum fuerit. Proinde duo haeredes ius aequale habent. Et ambo inter se hanc haereditatem dividere debent. Idem enim est ac si uterque in eodem testamento haeres institutus fuisset». Cf. C. A. 715. Card. de Lugo D. 24. n. 47. «Quando, inquit, duo testamenta proferuntur facta eodem die, nec possit sciri quod fuerit posterius, et idem, meo iudicio, erit, quando duo proferrentur sine die quo condita essent, aliqui dicunt utrumque valere et dividenda esse bona; quod etiam sequitur P. Molina disp. 153. par. *quando eadem die;* et certe si aliqua sint legata, vel aliqua alia, quae in utroque testamento praescribantur, videntur illa implenda esse, cum quoad illa certo constet de voluntate testatoris; quod saltem verum erit, si sufficiat codicillus ad illorum valorem, et illud testamentum possit saltem valere ut codicillus propter clausulam codicillarem formaliter vel virtualiter positam. Quoad alia vero, in quibus illa testamenta sunt opposita, communis sententia, loquendo de iure communi, docet merito neu-

trum testamentum valere propter incertitudinem, et haereditatem venire ad haeredes ab intestato... Ita doctores communiter, quos affert et sequitur Sanchez dicto cap. 1. dub. 22. n. 3. Quam tamen sententiam limitat cum aliis primo, si neuter haeres possideret, alioquin possessor in dubio non est spoliandus. Secundo, nisi in altero instituti sint ii, qui ab intestato deberent succedere; tunc enim illud esset praeferendum. Tertio, nisi unum esset in favorem causae piae, ob cuius favorem illud sustinebitur ». — Sententia haec, quae stat pro invaliditate utriusque testamenti, probabilior nobis videtur, siquidem duplex hoc testamentum voluntatem testatoris ostendit suspensam et adhuc non determinatam. Duo enim testator conficiens testamenta, quae invicem opponuntur, neutrum actu eligit, sed alterutrum est electurus. Sententia tamen, quae stat pro validitate utriusque testamenti, sua non caret probabilitate. Cf. 1034.

1037. *Quid iure naturali et positivo de testatorum capacitate?* — Ex Iure naturali omnes testari possunt, iis tantum exceptis, qui suae mentis compotes non sunt, vel incapaces ex lege fuerint declarati, licet sub cura vel sub tutela sint, et testari possunt etiam sine curatore vel sine tutore. Surdi etiam et muti a nativitate possunt testari. — L. 942., C. A. 565.-567., C. H. 662.

Ex Iure Canonico testari non possunt religiosi professi, etiamsi sint episcopi, itemque clerici quoad reditus beneficiorum, excepto privilegio vel legitima consuetudine. Novitii, cum adhuc sui iuris sint, testari possunt. Neque vero rumpitur eorum testamentum, facta professione, etsi monasterium in eo praeteritum fuerit. Neque obstat Trid. S. 25. C. 16. de Reg.; siquidem ibi agitur de dispositionibus *inter vivos*, de se statim validis; minime vero de testamentis, quae de se revocabilia sunt. C. 1. 2. 7.-9. 12. *de Testam.*, Trid. S. 25. C. 1. de R., C. 16. de Reg., L. 935. 942., Schmalz. *de Testam.* n. 83. seqq., Ferraris v. *Beneficiatus* a. 3. n. 8., C. A. 573., E. M.

Ex Iure Romano testari possunt omnes usum rationis habentes, exceptis surdis-mutis a nativitate, impuberibus, prodigis, damnatis ad mortem civilem vel naturalem, nec non religiosis professis. Inst. l. 2. t. 12.

Ex C. I. 762. 763. testari possunt omnes, qui incapaces per legem non declarantur. Porro tanquam incapaces testari non possunt minores ante annum 18.um; interdicti propter infirmitatem mentis; qui sanae mentis non sunt tunc cum testamentum condunt; damnati ad ergastulum, Cod. poen. 32.

Ex C. G. 509. 903. 904. testari possunt: 1.° Omnes qui donationes facere possunt *inter vivos*. 2.° Uxores, quae plenam habent facultatem testandi, licet donationes erogare nequeant absque speciali mariti consensu, aut iudicis auctoritate; neutro enim horum indigent, quo libere possint per testamentum disponere. 3.° Minores ab anno 16.° testari tantum possunt de dimidia parte bonorum, de quibus maiores disponere valent. — Testari vero non possunt, qui sanae mentis non sunt, et interdicti.

Ex C. A. 568. 569. 574. incapaces sunt testandi impuberes. Damnati ad mortem et ad durum carcerem nullam validam dispositionem testamentariam facere possunt. Minores ante 18.um aetatis annum testari solum possunt nuncupative et coram iudice. Post hanc aetatem libere testari possunt. Prodigi disponunt tantum de dimidia parte sui patrimonii.

Ex C. H. 663. incapaces testandi sunt minores ante annum 14.um aetatis, et qui habitualiter vel accidentaliter sui compotes non sunt.

1038. *Quid iure naturali et positivo de haeredum capacitate?* — Ex Iure naturali, omnes homines, etiam amentes, surdi, muti, servi, immo et communitas, haeredes institui possunt, nisi specialiter Iure positivo prohibeantur, L. 943.

Ex Iure Canonico haeredes institui possunt religiosi professi Ordinum, quibus permissum est bona immobilia in communi possidere, eorumque nomine monasterium succedit, nisi contraria adsit specialis Ordinis Constitutio. Religiosi vero ad episcopatum promoti ita sunt haereditariae successionis capaces, ut administratio bonorum et commodum ad eos spectet, dominium vero ad Ecclesiam, cui praesunt. Ipsa etiam monasteria, quibus concessum est dominium habere in communi bonorum immobilium, haeredes institui possunt. — L. 944.

Ex Iure Romano haeredes institui prohibentur damnati ad mortem tum naturalem tum civilem, perduelles, filii naturales et spurii, iuxta restrictiones infra ponendas. L. 943. 950. 951. 952.

Ex C. A. 538. seqq. capaces succedendi sunt, qui capaces sunt acquirendi. Excluduntur a iure succedendi *indignus*, qui testatorem offendit; qui testatorem vi vel dolo induxit ad ultimam suam voluntatem declarandam. Adulteri et incestuosi reciproce inter se succedere non possunt.

Ex C. H. 744. seqq. 756. seqq. capaces succedendi sunt, qui lege incapaces non declarantur. Incapaces declarantur abortivi, qui per integrum diem vitam non protraxerint; corpora moralia non permissa a lege; indigni ex crimine lege stabilito. Effectum non producent dispositiones testamentariae in ultima infirmitate in favorem confessarii.

Ex C. I. 2. 721. 724.-728. 764.-766., Cod. poen. 33., *incapaces* sunt *haereditatis ex testamento,* qui ex *legis dispositione succedere* tanquam *incapaces* nequeunt, videlicet: 1.° Qui cum adiretur haereditas nondum essent concepti. 2.° Qui nati sunt non vitales. Possunt tamen *ex testamento* accipere filii immediati personae viventis cum moreretur testator, etiamsi hi nondum concepti fuerint. 3.° Damnati ad ergastulum. 4.° Qui *incapaces* sunt *legitimae successionis* tanquam *indigni*, nempe: 1.° Qui voluntarie occidit aut tentavit occidere eum de cuius successione agitur. 2.° Qui eidem infert crimen, si illatum crimen declaretur in iudicio calumniosum. 3.° Qui eundem coegit testamentum facere aut mutare. 4.° Qui eundem impedivit testamentum facere aut factum revocare, aut qui suppressit, celavit testamentum posterius, vel in eo mutationes aliquas induxit. Cf. L. 948. 949., C. H. 673. 674. — Qui exclusus fuit tanquam *indignus* obligatur ad restituendos fructus et proventus perceptos post apertam successionem. — Nihilominus *indignus* admitti potest ad successionem, si is de cuius successione agitur, ipsum ad hoc habilem reddiderit expresse per actum authenticum aut testamentum. — Itemque descendentes *indigni* retinent ius ad legitimam, quae ad reiectum spectaret. — *Indignus* officio iudicis est a successione repellendus.

Ex C. G. 25. 338. 725. 727. 762. 906. seqq. *incapaces haereditatis* sunt: 1.° Qui non erant concepti tempore mortis testatoris. 2.° Qui nati sunt non vitales. 3.° Mortui civiliter. 4.° Medici, chirurgi, officiales sanitatis, pharmacopolae, qui defunctum curaverunt in ultimo morbo, nec non

confessarii, si dispositio, durante tali morbo, quo nempe infirmus moritur, facta fuerit, quibusdam exceptis casibus. Cf. C. H. 752. 5.° Communitates quaelibet sine Principis approbatione vel Praefecti, si dispositio excedat summam 300 fr. Recentius vero Praefectis in gratiam communitatum civilium, hospitalium, fabricarum, etc., ampliores concessae fuerunt facultates, quae tamen non extenduntur ad communitates religiosas. Per se autem patet, hasce praescriptiones nullius esse roboris, quatenus Ecclesiae iura laedant. — *A successione* vero tanquam *indigni repelluntur:* 1.° Qui damnatus fuerit eo quod defunctum occiderit, aut occidere tentaverit. 2.° Qui capitale crimen defuncto intulerit, quod iudicatum sit calumnia. 3.° Maior qui noscens homicidam defuncti, ipsum ad iudicium non detulerit. Cf. a. 727. 730. 955. 1046. 1047.

Insuper nihil *ex testamento* capere possunt tanquam *incapaces:* 1.° Tutores, *ante* redditas et comprobatas ultimas rationes administratae tutelae, etiamsi tutela finita fuerit, C. I. 769., C. G. 907., C. H. 753., exceptis ascendentibus, descendentibus, fratribus, sororibus, coniuge. C. I. 769. Cf. C. G. 907., C. H. 753. — 2.° Notarius, et qui testamento testis interfuit, C. I. 771., C. H. 754., vel qui testamentum scripsit secretum, nisi testator manu sua, vel oretenus coram notario et testibus, cum traditur, comprobaverit quod huic reliquit, C. I. 771. 772. — 3.° Filii *naturales,* quorum filiatio non est legaliter recognita vel declarata, nullum habent ius ad *successionem* vel *testamentum.* Filii *naturales* illegitimi, quos testator legaliter agnovit, vel quos iudicis sententia tales esse constat, legitimis exsistentibus, nequeunt quidpiam a patre vel matre capere, praeter legitimam, vel id quod eis debetur iure successionis, C. I. 181. 192. 193. 723. 743. 764. 768. 773., C. G. 334. 338. 723. 756. 908. 911. Filii incestuosi, adulterini, seu *spurii,* nihil recipere possunt praeter alimenta; ad ea vero ius habent, si eos testator agnovit, vel ex iudicis sententia tales esse constat. C. I. 180. 193. 752. 767., C. G. 762. Cf. 1042. — 4.° Coniugi binubo non licet plus novo coniugi relinquere quam filio ex priori matrimonio procreato, cui minus reliquit quam ceteris, C. I. 770., Cf. C. G. 1098. — E. M.

1039. *Nota:* 1.° Si in nomine haeredis aut legatarii testator erraverit, si tamen de persona constat, valet institutio et legatum. Idemque dicendum, si res legata erronee fuit indicata. C. I. 830. 832. 834. 836. 907. 972. — 2.° Dispositio testamentaria in favorem *incapacis,* quamvis simulata sub forma contractus onerosi, vel facta per interpositas personas, nempe patrem, matrem, descendentes, et coniugem eius cui relinquitur, ex C. I. 773. *est nulla;* ex C. G. 911., C. H. 755. *erit nulla.* Hinc alii affirmant haeredem fiduciarium, cui commissum fuerit haereditatem incapaci, v. g., filio spurio restituere, haereditatem vel legatum sibi adscribere posse; nam conditio restituendi contra legem, nulla est. Alii dicunt restituere debere illi cui relictum fuerat, ne fidem fallat. Alii tenent, et verius, restituere debere haeredibus ab intestato, quibus assistit ius ex legum iusta dispositione. Cf. Lugo D. 24. n. 95., Salm. Tr. 14. c. 5. n. 73., L. 351. 952. et hic 1045. — 3.° *Nulla est* dispositio testamentaria facta in favorem personae, quae *incerta* ita sit, ut nequeat determinari, C. H. 750., vel personae *omnino incertae* ab alio nominandae. Sed valet dispositio titulo particulari pro persona a tertio eligenda ex variis sive familiis sive corporibus moralibus, ab ipso testatore determinatis. «Legata ad causas pias ob incerti-

tudinem loci vel Ecclesiae non fiunt caduca, sed plerumque pauperiori Ecclesiae vel xenodochio danda erunt ». L. 938. Cf. C. H. 650. 671. Valida item est dispositio generatim facta in favorem pauperum, aegrotorum, etc. — 4.° Communitates seu Collegia, quae legitime non sunt probata, cum civilibus iuribus non gaudeant, *ex testamento accipere nequeunt*, nisi Gubernii approbatione. *Nullae vero sunt* dispositiones *pro anima* vel *favore animae* generice expressae. C. I. 831. 832. 833. 932. 1075. Verum huiusmodi dispositiones, quatenus Ecclesias et causas pias respiciunt, nullae prorsus sunt in foro conscientiae.

1040. *Quotuplicis generis haeres distinguatur, et quomodo eius fiat successio?* — R. Ad 1.um 1.° *Legitimus*, qui de iure *succedit ab intestato.* 2.° *Necessarius*, qui a testatore excludi non potest. 3.° *Voluntarius*, qui haeres vocatur ex libera testatoris voluntate. — Hinc patet, distinguendum esse etiam haeredem *ex testamento*, si *per testamentum* fuerit designatus, et haeredem *ab intestato*, si *de iure* succedat defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit. In primo casu habetur *haereditas*, sive *successio testamentaria.* In altero habetur *haereditas legitima*, sive *successio ab intestato.* C. I. 720., C. H. 658. 763. 807., C. A. 531. 532. 538. 764. Cf. 534. — G. 822., L. 945., Inst. l. 2. t. 19.

Ad 2.um Successio *ab intestato* devolvitur consanguineis, C. I. 721. 722. Successio haec fit *in capita*, et *in stirpes*. Fit *in capita*, quando haereditas dividitur in tot partes *viriles* seu aequales, quot sunt capita, seu personae proprio iure concurrentes ad haereditatem. Fit *in stirpes*, quando successio habetur *iure repraesentationis.* C. I. 733. Repraesentatio hunc habet effectum, ut repraesentantes teneant locum, gradum, iura repraesentati, C. I. 729., qui nequit esse haeres, C. I. 734. 735. Quare repraesentantes non aliud habent ius ad haereditatem, quam illud quod spectaret ad personam, quam repraesentant. Idque locum habet etiam in successionibus *testamentariis,* nisi testator aliter disposuerit, vel agatur tantum de iure personali, C. I. 890. Si autem ex eodem *stipite* plures *rami* prodierint, subdivisio fit *in stirpes* in unoquoque *ramo*, fit vero *in capita* inter eiusdem *rami* cohaeredes. C. I. 733.

Repraesentatio obtinet tantum in linea *recta descendenti* in infinitum et in quovis casu. In *linea* vero *transversa* filii et descendentes fratrum et sororum defuncti possunt suos parentes repraesentare, C. I. 730.-732. — C. G. 718. seqq., 731. seqq., 739. seqq., C. A. 726. seqq., C. H. 912. seqq., 915. seqq., 924. seqq.

1041. *Quotuplicis generis testatoris bona distinguantur?* — Ei, qui nullos successores *necessarios* habet, integrum est omnia prorsus sua bona donare cui velit actu inter vivos, sive mortis causa, C. I. 809., C. G. 916.: secus vero si *necessarios* successores habeat. Hisce enim portio debetur bonorum seu *haereditatis*, a lege constituta, quae *legitima* dicitur. C. I. 805. 808. 1091., C. G. 913. 915., C. A. 762. 774. Ea vero bonorum pars, quam cuivis sive inter vivos donare, sive testamento relinquere quis libere potest, *disponibilis* appellatur. Pars *legitima* plena proprietate debetur, adeoque sine ullo prorsus onere, modo, conditione, vel die; secus vero *disponibilis*, cui onera addi possunt. C. I. 808. 810., C. G. 913. 917., C. H. 813., C. A. 774. — L. 950.

1042. *Quinam sint haeredes necessarii?* — Haeredes *necessarii* sunt: 1.° *Descendentes*. 2.° In eorum defectu, *ascendentes*. C. A. 762. — Si utrique desunt, integrum est testatori de omni re sua pro arbitrio disponere, C. I. 809., C. G. 916., salvo iure coniugis superstitis ad certam partem ususfructus relictorum bonorum, C. I. 812.-814. — Descendentes autem sunt filii naturales *et* legitimi, aut legitimi tantum, i. e. legitimati et adoptivi, eorumque descendentes, C. I. 806., C. A. 763. — Descendentes filiorum iure repraesentationis succedunt, si cum filiis concurrant, et tunc, quotquot sint, portionem eam inter se divisibilem accipiunt, quae eorum parenti competebat, h. e. succedunt in stirpes: si autem nullus supersit filius, singulis ex aequo testator bona sua distribuere potest, iuxta ius sibi concessum, et ipsi succedunt in capita, C. G. 739.-745. — Filiis *naturalibus, legaliter non recognitis*, nullum ius conceditur in bona parentum; recognitis nullum ius in bona eorum, qui parentum cognati sunt. C. I. 743. 749., C. G. 756. — E. M.

« Haereditas plerumque dividitur in duodecim *uncias*, quae *assis* appellatione continentur. Habent autem et hae partes propria nomina ab *uncia* usque ad *assem*, utputa haec: *sescunx, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx* ». Inst. l. 2. t. 14. § 5.

1043. *Quaenam sit ex positivo iure reservatio seu legitima, haeredibus necessariis debita?* — Ex Iure Romano: 1.° Quoad *ascendentes, triens*, seu tertia pars *assis* seu haereditatis, deficientibus descendentibus, reservatur. — 2.° Quoad *filios legitimos, triens*, si non sint plures quam quatuor filii; et *semissis*, seu dimidia pars, si plures sint. — 3.° Quoad *filios naturales*, succedunt matri pari iure cum legitimis. Non succedunt vero patri, filios legitimos habenti, licet ab eo duodecimam haereditatis partem accipere possint. Quod si pater filiis legitimis careat, potest instituere haeredes filios naturales, modo parentes superstites legitima portione non priventur, quibus deficientibus, filii naturales in omnibus bonis patris succedere possunt. L. 947.-951.

Ex C. G. 913.-915., sive pro testamento, sive pro donatione *inter vivos:* 1.° Quoad reservationem *filiis legitimis* debitam, si unus sit, *semis*, seu dimidia pars bonorum reservatur: si duo, *bistriens* seu duae tertiae partes; si tres vel plures, *dodrans*, seu tria quadrantia. Nomine autem *filii*, eius descendentes, qui eum repraesentant, comprehenduntur. — 2.° Quoad reservationem *ascendentibus* debitam, si adsint *filii legitimi*, ius nullum habent: filiis deficientibus, ascendentes ius habent ad legitimam, ita ut haec portio sit *semis* vel dimidia pars, si ex utraque linea supersint; *quadrans* vero, vel quarta pars, si supersint tantum ex una. — 3.° Uxor non venit inter haeredes necessarios, nec legitimos ab intestato, nisi deficientibus caeteris legitimis intra gradus lege stabilitos. Ita ex utroque Iure, Romano scilicet et Gallico. Attamen lege naturali testator aliquam partem adsignare debet coniugi superstiti, si bona sua sufficientia non habeat, ob arctissimam inter maritum et uxorem necessitudinem.

Ex C. I. 744. 805. 807. 808.-810. 812.-816. 818. 819.: 1.° Portio legitima *filiorum legitimorum*, est dimidium bonorum, quicumque sit filiorum numerus, et sexus. Nomine autem filiorum comprehenduntur, legitimi, legitimati, adoptivi, eorumque descendentes. — 2.° *Filiis illegitimis*, rite

agnitis, si extant liberi vel ascendentes, dimidium debetur quotae partis, quae ipsis contigisset, si fuissent legitimi, legitimis simul computatis. Si vero deficiunt descendentes et ascendentes, debentur ipsis duae tertiae partes praedictae quotae. Verum portio haec, quae illegitimis debetur, praestari potest bonis haereditariis, vel pecunia numerata; eaque *legitimam* descendentium legitimorum vel ascendentium non minuit, siquidem ex *disponibili* detrahenda est. — 3.° Portio legitima *ascendentium*, deficientibus descendentibus, est tertia pars divisibilis inter patrem et matrem, et alterutro ex eis deficiente superstiti conferenda, ambobus deficientibus, dividenda inter ascendentes lineae paternae et lineae maternae, dummodo eodem constent gradu, secus conferenda proximis alterutrius lineae. — 4.° *Coniux* ius habet in haereditate coniugis defuncti ad usumfructum certae portionis, maioris vel minoris, prout defunctus aut descendentes, aut ascendentes solos, aut neutros reliquerit. Sed portio haec ex *disponibili* detrahitur, et certa redituum parte, vel annuis praestationibus dari potest.

Nota: 1.° Si testator assignet alicui usumfructum vel censum vitalitium, qui annuum reditum superat portionis, de qua disponere potuit, tunc legitimariis optio datur vel praescriptum a testatore exsequendi, vel abdicandi a se portionem, de qua disponere poterat. C. I. 810. — 2.° Coniux superstes, neque per sententiam, quae in iudicatum transierit, antea personaliter separatus, ius habet ususfructus in parte haereditatis, quae exaequet partem spectantem ad quemlibet filium legitimum, titulo legitimae, enumerando ipsum coniugem una cum filiis, C. I. 812. — Si testator non relinquit descendentes sed tantum ascendentes, portio ususfructus erit quarta pars haereditatis, C. I. 813. — Quod si testator non relinquat neque descendentes neque ascendentes, qui ius habeant ad legitimam, portio ususfructus erit tertia bonorum pars, C. I. 814. — Potest quidem testator cum superstite coniuge magis abundare quoad partem disponibilem. Verum, si ipsi testatori filii supersint ex alio matrimonio, nequit tunc secundo coniugi plus relinquere eo, quod filio minus considerato prioris coniugii reliquit. — 3.° Tam coniux quam filius naturalis imputare debent respectivae quotae, ille omnia, quae ipsi obvenerunt ex conventionibus matrimonialibus; et hic omne quod a testatore vivente recepit, si sit *collationi* obnoxium, C. I. 820.

Ex C. H. 808. 809. 834. seqq. 840. seqq. *filiorum et legitimorum descendentium* legitima reservata duabus tertiis partibus haereditarii patrimonii patris et matris continetur. Possunt tamen ipsi disponere de una duarum harum partium, titulo *meliorationis*, ut eam applicent filiis et legitimis descendentibus. De reliqua tertia bonorum parte libere disponere possunt. — Legitima *parentum et ascendentium*, praecedentium defectu, dimidia parte bonorum haereditariorum constituitur. De alia dimidia parte libera manet dispositio. — Coniugi viduo, per divortium non separato, vel sine eius culpa, certa quaedam pars quoad usumfructum reservatur, quae varia est pro variis circumstantiis. — Filiis etiam naturalibus legaliter recognitis certa quaedam pars reservatur; illegitimis vero non naturalibus tantum alimenta.

Ex C. A. 161. 162. 765. 766. 796. portio legitima reservata filiis est dimidia pars bonorum, quae ipsis contingerent in successione *ab intestato.* Portio vero legitima cuiusque haeredis necessarii in linea ascendenti est

tertia pars bonorum, quae ipsi obvenirent in successione *ab intestato.* Filii naturales legitimati inter legitimos computantur. Coniugi legitima non debetur, sed tantum conveniens sustentatio. Cf. quoad coniugem a. 1242. seqq.

1044. *An testator teneatur sub gravi obligatione relinquere bona cognatis, qui non sunt haeredes necessarii, si ipsi graviter indigeant?* — Loquendo de fratribus aut sororibus, affirmandum omnino est, saltem quantum sufficiat ad sublevandam ipsorum indigentiam non tantum ex generali praecepto caritatis, quae graviter obligat, cum materia est gravis, sed etiam ex obligatione speciali pietatis, quae sub gravi etiam obligat ad subveniendum fratribus aut sororibus in gravi necessitate, prae omnibus aliis pauperibus sive operibus piis. Quod si fratres aut sorores sint pauperes, etiamsi gravem indigentiam non habeant, adhuc est saltem veniale eos praeterire. Erga vero alios consanguineos remotiores non videtur adesse gravis obligatio ipsos praeferendi aliis pauperibus. Eorum tamen praeteritio, si graviter indigeant, levi culpa non careret, siquidem erga ipsos etiam adest aliqua, licet non ita stricta, pietatis obligatio. L. 946.

1045. *An possint parentes partem haereditatis, etiam filiis spuriis relinquere?* — « Filii spurii, praeter alimenta, nihil penitus ex quocumque titulo possunt recipere a patre, neque inter vivos, neque ex testamento, aut ab intestato; et si quid acceperint, tenentur in conscientia restituere haeredibus patris... Ratio, quia isti spurii effecti sunt per legem omnino incapaces in odium genitorum, ut ex Nov. 74. etc. » L. 951. Et Struggl. Tr. 7. q. 2. n. 13.: « Unde in casu, quo pater filiam spuriam excessive dotavit, haec cum suo marito tenetur, etiam ante sententiam iudicis, legitimis haeredibus restituere excessum dotis, nisi illi hunc forte libere remittant; ut cum Molina et Sanchez docet Sporer hic cap. 5. n. 50. ». C. I. 180. 752., C. G. 762., C. H. 134. 139., C. A. 165. 166. Cf. a. 752. 753. 754. — L. 951. 952., Cf. 1038. 1039.

1046. *An haeredes necessarii exhaeredari possint?* — 1.° *Ex Iure Romano* exhaeredari possunt filii sola patris auctoritate praecipue in casibus sequentibus: 1.° Si filius iniiciat manus in parentem, aut contumeliose eum tractet. 2.° Si eius accusator aut testis sit in causis criminalibus. 3.° Si rem habeat cum eiusdem uxore. 4.° Si nolit fideiubere ad patrem e carcere liberandum. 5.° Si patrem a condendo testamento prohibuerit. 6.° Si filia, recusato honesto matrimonio, luxuriose vivat. Inst. l. 2. t. 13., L. 948. seqq. — 2.° Ex C. A. 768. seqq. exhaeredari possunt haeredes necessarii causis in Iure constitutis. Idem habetur C. H. 848. seqq. *Ex Iure Gallico et Italico* nunquam haeredes privata auctoritate exhaeredari possunt. Iure tamen ceu *indigni* excluduntur ab haereditate in casibus iam supra notatis. Cf. 672. 1038.

1047. *Quinam sint haeredes legitimi?* — Haeredes *legitimi* ii generatim sunt, qui ad *successionem* vocantur secundum *dispositionem legis,* deficiente defuncti dispositione, vel quia nullum condidit testamentum, vel quia condidit invalidum testamentum, vel quia haeres institutus nequeat aut nolit haereditatem adire. Porro lex ad succedendum vocat *descendentes, ascendentes, collaterales, coniugem,* iisque deficientibus, *Statum.* C. I. 720.-724., C. G. 723. 725. seqq. 731. seqq., C. H. 912.-914., C. A. 727. seqq.

Successio descendentium. Haeredes *legitimi* in particulari sunt primo loco ex C. I. 736., C. G. 745., *filii legitimi*, vel eorum *descendentes* sine distinctione primogeniturae, vel sexus, licet nati ex diversis matrimoniis. Succedunt autem aequis portionibus et *in capita*, si sint in primo gradu et ratione sui vocentur. Succedunt *in stirpes*, si iure repraesentationis appellentur. *Descendentes* autem defuncti excludunt caeteros a successione. — Ex C. I. 737. nomine *filiorum legitimorum* comprehenduntur etiam legitimati et adoptivi eorumque descendentes. Adoptati vero eorumque descendentes succedunt quidem adoptanti, sed excluduntur a successione omnium coniunctorum adoptantis. — Eaedem fere sunt dispositiones C. A. 730.-734., et C. H. 930.-934.

Successio ascendentium. Deficientibus *descendentibus*, itemque deficientibus fratribus aut sororibus eorumque descendentibus, *ascendentes* succedunt, nempe ex C. I. 738. 739., pater et mater aequis portionibus, vel pater superstes. Ac deficientibus *descendentibus*, fratribus aut sororibus, nec non genitoribus, eorumque descendentibus, succedunt *ascendentes* lineae paternae in dimidia bonorum parte, et in altera dimidia parte *ascendentes* lineae maternae. Si tamen *ascendentes* in pari gradu non sint, haereditas ad proximiorem spectat. — Ex C. G. 746. 747. deficientibus *descendentibus*, itemque fratribus aut sororibus, eorumque descendentibus, proximior ascendens ex linea paterna et proximior ascendens ex linea materna, dimidiam et dimidiam bonorum partem singuli recipiunt, caeteris exclusis. Ascendentes, ceteris legitimis haeredibus exclusis, succedunt eorum descendentibus, sine posteritate defunctis, in iis bonis, quae iisdem descendentibus donarunt, vel in eorum pretio, si ea fuerint alienata.

Si defunctus sine prole reliquit tum *genitores*, tum *fratres aut sorores*, vel eorum *descendentes*, ex C. G. 748. 751. 752., dimidia haereditatis pars inter patrem et matrem est dividenda, altera dimidia pars inter fratres et sorores dividenda est ex aequo, si ex eodem toro nati sint, secus vero si nati sint ex diverso toro. Si vero unus tantum e parentibus superstes sit, portio fratrum, sororum, vel horum descendentium est dodrans, seu tres quartae partes, quarta tantum pars ad parentem superstitem relinquitur. — Ex C. I. 740. in nullo casu portio genitorum esse potest minor triente, seu tertia parte. Fratres vero vel sorores consanguinei aut uterini, sive concurrant cum *germanis*, sive soli sint, dimidium portionis obtinent, quae *ad germanos* spectat.

Dispositiones C. A. habes a. 735. seqq. Deficientibus *descendentibus*, cum ambo parentes adhuc vivunt, tota haereditas ipsis competit aequalibus portionibus. Ex C. H. 935.-938. descendentium defectu, ascendentes collaterales excludunt. Parentes partibus aequalibus haereditatem inter se dividunt.

Successio collateralium. Si defunctus quis sit sine prole, et sine parentibus, vocantur tunc ad successionem, ceteris exclusis, eius *fratres et sorores*, vel eorum descendentes, C. G. 750., C. I. 741. Ex C. I. ib. fratres et sorores consanguinei ac uterini, concurrenter cum *germanis*, dimidium portionis obtinent, quae *ad germanos* spectat.

Si defunctus quis sit sine prole, et sine fratribus et sororibus, eorumque descendentibus, ac sine ascendentibus alterutrius lineae, dimidium haereditatis defertur *ascendentibus superstitibus*, alterum dimidium proximioribus coniunctis alterius lineae; si tamen inter superstites ascendentes sit pater aut mater, hi ius habent ad usumfructum trientis bonorum,

in quibus non succedunt, C. G. 753. 754. Ex C. I. 742. si quis neque prolem, neque genitores, neque ascendentes alios, neque fratres vel sorores relinquit, successio defertur ad coniunctum seu coniunctos viciniores absque discrimine lineae paternae aut maternae.

Coniuncti ultra 12.um gradum, nempe 6.um iuxta canonicam computationem, ex C. G. 755. non succedunt. Deficientibus in aliqua linea coniunctis intra praedictum gradum, tota haereditas spectat ad coniunctos alterius lineae. Ex C. I. 742. successio non extenditur ultra 10.um gradum, nempe 5.um ex canonica computatione. Ita etiam ex Iure Romano.

Dispositiones C. A. habes a. 735. seqq. Deficientibus genitoribus, tota haereditas inter fratres et sorores aequalibus portionibus dividitur. Quoad alios autem consanguineos successio non extenditur ultra *sextam lineam* consanguinitatis, quintum nempe gradum ex Iure Canonico.

Ex C. H. 946.-955. deficientibus descendentibus, ascendentibus, et filiis naturalibus legaliter recognitis, fratres, partibus aequalibus, haereditate succedunt. Fratribus deficientibus, coniux toti haereditati succedit. Si sint simul fratres et coniux, hic usumfructum percipit partis lege determinatae. Si vero desint fratres et coniux, alii succedunt collaterales usque ad sextum gradum civili computatione, Cf. a. 918. 919. Consanguineus proximior remotiorem excludit, salvo iure repraesentationis, a. 921.

Successio filiorum naturalium. Filii naturales, legaliter recogniti, exsistentibus filiis naturalibus *et* legitimis, ex C. G. 723. 757. 758. ius habent ad tertiam partem portionis, quam obtinuissent, si fuissent naturales *et* legitimi; ad dimidiam partem eius portionis, si nulli sint legitimi descendentes, et sint ascendentes, aut fratres vel sorores; ad dodrantem, si et hi omnes desint; et, si praeterea nullus sit coniunctus qui successionis iure gaudeat, tota ad eos pertinet haereditas. — Ex C. I. 744. 745. 746. 747. 749. filii naturales, legaliter recogniti, exsistentibus *descendentibus legitimis*, ius habent ad dimidium portionis, quam reciperent, si essent legitimi. Filii naturales debent praeterea imputare in eam portionem quidquid forte a parente seu parentibus acceperint, collationi obnoxium, licet a collatione dispensati fuerint. — Si parens sine prole legitima eiusque *descendentibus* decedat, relinquat autem suos genitores, aut unum ex eis, aut alium *ascendentem*, aut coniugem, filii naturales succedunt in duplici triente haereditatis, reliquum defertur ad *ascendentes*, aut coniugem. — Si autem adsint simul *ascendentes* et coniux, tertia haereditatis pars spectat ad ascendentes, quarta ad coniugem, reliquum ad filios naturales. — Si nulli sint legitimi *descendentes* et *ascendentes* nec coniux, tota haereditas ad naturales filios devolvitur; qui vero nullum ius habent in bona propinquorum patris aut matris, sicut neque ipsi propinqui in bona filiorum naturalium. — Ex C. I. 180. 752., C. G. 762., a successione omnino excluduntur filii ex adulterio aut incestu nati, qui solum ius habent ad alimenta. Filiis sane alimenta de iure naturae debentur. Unde illis a patre nunquam privari possunt. Struggl. Tr. 7. q. 2. n. 15., L. 949. 951.

Si filius naturalis non habeat neque *descendentes*, neque coniugem, eius haereditas devolvitur ad patrem et matrem, qui illum agnoverunt, aut ad unum tantum ipsorum, si unus tantum eum agnovit. Quod si relinquat coniugem superstitem, dimidia haereditatis pars pertinet ad ipsum coniugem, et alia dimidia ad patrem et matrem vel ad unum tantum ipsorum, ut modo dictum est. C. I. 750. 751.

Ex C. A. 752. 753. 756. filii naturales legitimati eadem habent iura ac legitimi. Filii vero illegitimi eadem etiam habent iura ac legitimi in successione ab intestato matris. Non competit eis ius in successione ab intestato patris. In successione vero filiorum legitimatorum ac illegitimorum, eorum parentes idem habent reciproce ius ac ipsi quoad haereditatem propriorum genitorum. — Ex C. H. 939.-945., deficientibus descendibus et ascendibus, haereditas inter filios naturales legaliter recognitos dividitur. Si vero adsint descendentes vel ascendentes, portionem tantum recipiunt legibus determinatam. Si vero ipsi sine legitima posteritate moriantur, parentes eis succedunt.

Successio coniugis. Ex C. G. 767., coniunctis omnibus deficientibus intra 12.um gradum, coniux ad successionem vocatur, dummodo inter eos divortium non extiterit.

Ex C. I. 156.-158. 753.-757. coniux superstes, si non fuerit a coniuge defuncto *legaliter* separatus, ius habet ad usumfructum certae portionis, si adsit proles; quae portio maior esse nequit quarta parte. Si defuncto coniugi supersint filii legitimi, coniux superstes succedit illi in parte aequali, coniugem in filiorum numero computando, quoad usumfructum. Si cum legitimis etiam filii naturales recogniti concurrant, ususfructus coniugis aequalis esse debet quotae haereditatis, quae spectat ad filios legitimos. Deficiente legitima prole, si sint ascendentes, aut filii naturales, aut fratres sororesque eorumque *descendentes*, coniugi superstiti defertur triens haereditatis in proprietatem; si vero sint simul *ascendentes* legitimi et filii naturales, solum quadrans. Si defunctus alios reliquerit propinquos, quibus ius sit succedendi, coniux superstes duos obtinet trientes. Si desint coniuncti, qui ius habent successionis intra 6.um gradum, integra haereditas ad coniugem superstitem spectat. Ceterum quoties coniux ad successionem vocatur cum aliis haeredibus, computare debet in sua portione haereditaria quidquid iam obtinuit ob conventiones matrimoniales et lucra dotalia. — Si coniux fuerit legaliter a coniuge defuncto separatus, tunc nullum ius illi competit. Quando separatio fit mutuo consensu, etsi coram tribunali et homologata, non habetur uti facta legaliter, et ideo non praeiudicat mutuis coniugum iuribus. Sententia lata esse debet ante successionis aperitionem. Eius autem effectus obtinent tantum contra coniugem, qui est in culpa, qui amittit etiam lucra dotalia, et omnia utilia ab alio *coniuge* sibi tributa in matrimoniali contractu; itemque usumfructum legalem. Possunt tamen coniuges mutuo consensu irritare effectus iudicialis separationis vel expresse vel tacite, pacifice adhuc cohabitando, quin interveniat auctoritas.

Ex C. A. 757. seqq. coniugi superstiti, si sint filii, determinatus competit ususfructus certae portionis pro filiorum numero; si filii desint, sed alius sit legitimus haeres quarta haereditatis pars ei competit. Si vero nullus alius sit legitimus haeres, tota ad eum spectat haereditas. — Quoad C. H. Cf. dicta in *Successione collateralium.*

Successio Status. Omnibus deficientibus, qui succedendi ius habent, haereditas Statui devolvitur. C. I. 758., C. G. 768., C. A. 760., C. H. 956.

Iure canonico clericis, quoad bona ecclesiastica superflua relicta, succedit in praesenti *Congregatio spoliorum;* quoad alia succedunt cognati, iuxta ius civile; his deficientibus, succedit vel *Congr. de spoliis,* vel, ubi hoc receptum non est, fiscus episcopalis cum onere ea erogandi in causas pias. Reiff. h. t. n. 63. — Religiosis, qui ante professionem solemnem testa-

mentum non fecerunt, succedit monasterium, si est possidendi capax. Giraldi. in h. t. — L. 951. 953., E. M.

1048. *Quid haereditas iacens?* — Quando haeres non agnoscitur; vel ii qui cogniti sunt haereditati renuntiarunt, haereditas dicitur *iacens.* Ad eam administrandam *curator* deputatur, qui ad ea omnia obligatur, ad quae tenetur haeres cum beneficio inventarii. Si post triginta annos nullus compareat, ea tanquam vacans, praescribitur fisco. C. I. 980. 983. 2135., Cod. proc. civ. 896., C. G. 811. 814.

1049. *Quid ius accrescendi?* — Ius accrescendi ius illud est, quo partes deficientium haeredum vel deficientium legatariorum in eadem haereditate vel in eadem re legata, aliis cohaeredibus, vel aliis collegatariis adiiciuntur. C. I. 879. 884., C. A. 560., C. H. 981. — Ius accrescendi locum habet in haereditate quando in eodem testamento, una eademque dispositione, testator haeredes *coniunctim* ad haereditatem vocavit, quin partium *distributionem* inter ipsos fecerit, *quotam* singulorum expresse indicando. Cum vero ius accrescendi locum habere non potest inter cohaeredes, portio deficientis haeredis devolvitur haeredibus legitimis ab intestato. C. I. 880. 881. 883., C. A. 560. seqq., C. H. 982. seqq. — Ius accrescendi locum quoque habet in successione *ab intestato*, pars enim illius, qui renuntiat, cohaeredibus accrescit. C. I. 946. — Ius accrescendi locum pariter habet in legato, cum aliquis e legatariis praemoriatur testatori, aut legato renuntiet, aut incapax sit aut deficiat conditio, sub qua res ei legata est; immo etiam quando una eademque res in eodem testamento pluribus legata est, licet distincta dispositione, C. I. 884., C. A. 689. — Haeredes et legatarii recipientes aliorum portiones, onera et obligationes subeunt iis adnexa, C. I. 882. 887., C. A. 563. — Ex C. G. 1044. 1045. ius accrescendi inter haeredes seu legatarios habetur, cum haereditas seu legatum pluribus *coniunctim* sit relictum.

1050. *Quandonam, ubinam et quomodo habeatur aperitio haereditatis?* — *Aperitur successio,* sive *ab intestato,* sive *testamentaria,* ipso momento mortis testatoris, in loco ultimi sui domicilii, et *immediata possessio* transit *pleno iure* ad haeredem, si sit capax. C. I. 923. 925. — Si inter duos vel plures ad successionem vocatos dubium est, quinam primus mortuus sit, puta in communi naufragio, si id non possit verificari, supponuntur omnes uno temporis puncto mortuos esse, et ideo non fit locus haereditatis transmissioni de uno in alium, sed aeque succedunt. C. I. 924., C. A. 25. Cf. C. G. 720. seqq.

1051. *Quid de acceptanda vel repudianda haereditate?* — *Ad acceptandam vel repudiandam haereditatem* requiritur primo *ut delata fuerit.* Viventis enim nulla est haereditas, adeoque nulla eius acceptatio aut repudiatio esse potest. C. I. 954., C. G. 791., C. H. 991. — Insuper requiritur, ut qui eam *acceptat vel repudiat* sit *capax obligationis contrahendae et alienandi.* Etenim, eam acceptando, quasi contrahit cum creditoribus haereditariis et legatariis. Repudiando vero illam, eandem alienat. Hinc opus est familiae consilio, tutore, curatore, pro iis qui sub tutela et cura sunt, C. I. 226. 296. 930. 931. 932., C. G. 776., et ex C. G. et C. H. pro uxoribus consensu etiam mariti. opus est. C. H. 992.-996.

Unicuique integrum est acceptare vel repudiare haereditatem, sive testamentariam sive legitimam. C. H. 988. Ratio est, quia nemo tenetur

acceptare beneficium, quod saepe magnis oneribus gravatur. *Renuntiatio* tamen non praesumitur, sed probanda est, et iuridica forma facienda est. *Repudiare* quis poterit, si nihil ex ea antea subtraxerit vel occultaverit, C. I. 953., C. G. 792., C. H. 1002. Et, testamento repudiato, recipere quis poterit legata, sibi forte relicta, C. I. 845., C. G. 845. Haereditate *repudiata*, potest quis adhuc eam adire, quamdiu adita ab aliis non fuerit, C. I. 950., C. G. 790. Ius adeundae haereditatis 30. annis finitur, C. I. 943., C. G. 789.

Acceptatur haereditas expresse vel tacite. — *Expresse,* cum quis quovis iuridico actu, vel etiam privata scriptura, ius et nomen haeredis assumit, C. I. 934., C. G. 778., C. H. 999. *Tacite,* cum aliquid quis facit, quod necessario demonstrat voluntatem adeundae haereditatis, et se pro haerede gerendi, C. I. 934. 938. 965., C. G. 778. 780. 796., C. H. 999. 1000. — Haereditas semel adita nequit deinde repudiari, licet aes alienum appareat, quod antea latebat. C. I. 942., C. G. 783., C. H. 997. Nihilominus adversus aditionem, uti etiam adversus repudiationem, datur restitutio in integrum dolum aut metum passis. C. I. 942., C. G. 783., C. H. 997. — Is, cui delata est haereditas, si, antequam acceptat expresse vel tacite, moriatur, transmittit ad suos haeredes ius acceptandi. C. I. 939., C. G. 781. — Si quis creditorum damno haereditatem renuntiat, potest his iudex permittere haereditatem illius nomine adire, C. H. 1001., C. G. 789.

Acceptari autem potest pure, vel sub beneficio inventarii. C. I. 929. 944., C. G. 774. 775. 784., C. A. 800. seqq., C. H. 998. — Identidem confectio inventarii necessaria est ex lege, ut in haereditate minori delata, C. I. 930., C. G. 461. 776., in haereditate alicui communitati devoluta, C. I. 932. — Potest haeres beneficio uti inventarii, non obstante qualibet testatoris prohibitione, C. I. 956., C. H. 1010.

Beneficia inventarii, quod certo tempore et certa solemnitate conficiendum est, C. I. 955. seqq., C. G. 793. seqq., C. H. 1011. seqq., *tria sunt.* — Primum est, quod haeres non tenetur solvere debita haereditaria et legata ultra haereditatis vires, eamque potest creditoribus et legatariis cedere ad se eximendum ab onere solvendi. — Secundum est, quod bona propria haeredis non confunduntur cum bonis haereditatis, et servat haeres adversus haereditatem ius exigendi suorum creditorum solutionem. C. I. 968., C. G. 802. — Tertium est, quod in administratione sibi concredita, non tenetur nisi de culpa gravi. C. I. 970., C. G. 804., C. H. 1023. — L. 961.

1052. *Quaenam sint iura et obligationes haeredum?* — Generatim haeredes succedunt in omnia iura et onera defuncti, quia illius personam repraesentant; excipiuntur ea tantum, quae personae defuncti natura sua vel pacto erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno iure acquirunt, eius obligationes et debita in se suscipiunt, et ipsius voluntatem in legatis implere debent. C. G. 724. 1009. 1012. 1013. 1017., C. A. 547. 548. Quoad modum solvendi debita a defuncto relicta, singuli *pro rata* suae portionis haereditariae solvunt, et si propter hypothecam plus solvere cogantur, recursum habent contra ceteros, C. I. 1029., C. G. 873. Cf. C. A. 550. 820. 821., L. 961.

1053. *Quid de exsecutore testamenti?* — Exsecutor testamenti est is, *quem testator nominavit ad dispositiones testamentarias exsequendas.* — Nullo autem nominato, exsecutio testamenti *ad haeredes* pertinet, et quoad causas pias, si nullus sit designatus exsecutor, vel designatus fungi nolit officio.

episcopus loci est exsecutor. C. A. 817., C. H. 892. 911., C. *Nos quidem* 3. *de Testam.*, L. 936. 937. 938. 941., Trid. S. 22. C. 8. de R. — Exsecutor testamentarius non cogitur mandatum suscipere. « Detrectans tamen hoc ipso perdit legatum, *saltem quod in praemium muneris* ei relictum fuit, ceditque aliis exsecutoribus ». L. 936. Et sane testamenti exsecutio mandatum continet natura sua gratuitum, amici enim officium est. Gousset in a. 1025. — Verum, si illud acceptaverit, munere suo defungi debet, idque sub gravi, C. *Joannes* 19. *de Testam.*, C. A. 816., C. H. 898.-900. 908. Lugo D. 24. n. 29., L. 941.

Ut quis sit exsecutor testamenti, necesse est, *ut capacitatem sese obligandi habeat.* Hinc exsecutores esse nequeunt interdicti, minores etiam consentiente tutore, uxores sine mariti consensu, C. I. 904. 905. 1743., C. G. 1028. 1030., C. H. 893. Exsecutores esse possunt religiosi ex licentia praelati sui, nisi Ordinis Regula obstet. C. *Religiosus* 2. *de Testam.* in 6.°, Clem. un. e. t. L. 936.

Plures exsecutores testamenti institui possunt, et uno absente alter ad testamenti exsecutionem procedere potest. Omnes vero obligantur in solidum, nisi aliud testator statuerit. C. *Religiosus* cit., C. I. 903. 910., C. G. 1025. 1033., C. H. 894.-897. Testamenti exsecutor hoc munus ad suos haeredes non transmittit, C. I. 909., C. G. 1032, C. H. 909. 910.

Exsecutor invigilare debet: 1.° Ut apponantur sigilla, si inter haeredes sint minores, interdicti, absentes, aut corpus morale, C. I. 908. 2.° Ut fiat inventarium, praesente vel rite advocato proximo haerede. C. I. 908., C. G. 1031. 3.° Ut vendantur mobilia, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat, C. I. 908., C. G. 1031. 4.° Ut exsecutionem testamenti urgeat, tempore a testatore praescripto, litem etiam sustinendo, si opus sit, C. I. 908. 5.° Rationem reddere debet suae exsecutionis intra tempus a lege definitum; ex C. I. 908., C. G. 1031. intra annum a morte testatoris. — C. H. 901.-907.

Licet testator possit exsecutori testamentario immediatam *omnium bonorum mobilium, aut partis eorum possessionem* concedere, modo annum non excedat; haeres tamen a tali possessione illum deturbare poterit, si tantam pecuniam illi suppeditet necessariam ad solvenda legata mobilium, vel probet se iam illa solvisse, vel cautionem praebeat de solvendo modis a testatore praescriptis, C. I. 906. 907.

Impensae autem, quae fiunt ab exsecutore, muneris sui adimplendi causa, ex rebus haereditariis solvi debent, C. G. 1034., C. I. 911.

1054. *Resolves:* « In foro conscientiae haeredes et exsecutores tenentur sub gravi statim implere legata, maxime pia, cum possunt ». L. 941. Cf. S. Th. Quodl. 6. a. 13., C. A. 685. — Neque vero possunt aut legata *reducere* seu imminuere, aut ea quoquomodo *commutare* seu aliud substituere onus, nisi ad id data sit a testatore facultas; nam eorum munus est *exsequi*, non *invertere*, voluntatem defuncti. — Si legata sint *profana*, et non possunt impleri eo modo quo relicta fuerunt, caduca sunt, et cedunt haeredibus. Secus est de *piis;* nam testator ea voluit cedere in bonum animae suae. Cf. 1068.

1055. *An testamenti haeres, vel exsecutor, qui inventarium non fecit, aut non recte fecit, teneatur in conscientia erga creditores et legatarios, etiam ultra vires haereditatis?* — R. Affirmative, si inventarium dolo malo omisit; siquidem causa fuit damni saltem in confuso praevisi. — Si citra peccatum inventarium conficere omisit, sententia communior negat; quia

lex fundatur in praesumptione fraudis, quae abest. — Lugo D. 24. n. 232., Gousset in a. 802., L. 932. 961.

1056. *Quid de legati possessione, eiusque fructibus, incrementis?* — Legatum in eo differt proprie ab haereditate, quod in re particulari et determinata situm sit, quod ab haerede debeatur, et ab eo illius possessio sit obtinenda. Excipitur tamen legatum ad causam piam. Tunc enim sufficit manifesta defuncti voluntas, adeoque haeres etiam ab intestato, succedens loco designati haeredis, legatum debebit. Quamvis vero legatarius possessionem legati ab haerede consequi debeat; dominium tamen legati acquiritur legatario a morte testatoris. C. I. 862. 863. 876., C. H. 881. 885., C. G. 1014. 1018. Cf. C. A. 684. — Hinc expensae necessariae pro legati praestatione sustinendae sunt ab haereditate, C. I. 877., C. G. 1016., C. H. 886., C. A. 690.; fructus vero rei et incrementum iam inde a testatoris morte legatario debentur, si legatum sit alicuius fundi vel capitalis, vel alterius rei fructiferae; vel testator ita expresse praescripserit. Secus enim interesse seu fructus legatarius praetendere non potest nisi a die iudicialis petitionis, vel promissae praestationis legati. C. I. 864. 865. Cf. C. G. 1015., C. A. 686., C. H. 882.-884. — Si legatarius moriatur ante aditam haereditatem ab haerede, dominium ipsum rei, si res erat determinata, vel saltem ius ad rem, si res erat minus determinata, transmittere legatarius potest ad suos haeredes. Ac, si res legata absque culpa haeredis perierit, legatario ea periit. Inst. l. 2. t. 20. § 16. — Legatarius rem particularem a testatore accipiens, veluti quandam donationem, eius personam non repraesentat, neque consequenter in eius iura et obligationes succedit. C. I. 862., C. G. 1014. 1024., C. H. 881. 882. — L. 932.

1057. *Nota:* 1.° Si legatum sit *sub conditione*, cum conditio suspendat dispositionem, et legatarius, et idem de haerede est, moriatur antequam conditio impleatur, cessat legatum, nec eius ius ad haeredes transmittitur. C. I. 853. — 2.° Si legatum sit *sub modo*, legatum statim acquiritur legatario. Quare, si legatarius post mortem testatoris, ante acceptum legatum, vel ante impletum modum, moriatur, eiusdem ius ad haeredes transit, dummodo per eos aeque modus implere possit. — 3.° Legatum *in diem*, seu in futurum tempus solvendum, non debetur ante statutum tempus. Legatarius interim ius habet ad illud; quod ius, si ante constitutam diem moriatur, ad suos transmittit haeredes. — 4.° *Nulla est* dispositio testamentaria, quae quantitatem legati arbitrio haeredis vel tertii *omnino* relinquit, exceptis legatis remuneratoriis, ob officia testatori exhibita in ultima infirmitate. C. I. 835. — 5.° Legatum secundum propriam formam implendum est. C. H. 886., L. 930. — Inst. l. 2. t. 20. § 29. seqq., E. M.

1058. *Quis et cui possit legare?* — Legare potest quisquis potest testari. Legare autem licet iis, qui haeredes institui possunt; iis qui donationem recipere possunt. Et sic Iure Canonico modicum quid legari potest Conventibus Fratrum Minorum, et Professis ac Coadiutoribus formatis Societatis Jesu, licet neutri, ex propriis Constitutionibus, haeredes institui possint. Clem. 1. § *Cupientes de Verb. sign.* — Inst. l. 1. t. 20. § 25. seqq.

1059. *Quaenam legari possint?* — Legatis peculiare est, quod non solum res sua, sed etiam *aliena* legari possit, quam nempe testator sciebat esse alienam; secus enim legatum non valet. Quare tenetur haeres rem ab eius

domino emere et legatario tradere, vel eiusdem illi iustum tradere pretium. Ita ex C. I. 837. 838., C. H. 861. 862., C. A. 662., Inst. l. 2. t. 20. § 4. Legatum vero rei alienae ex C. G. 1021. *nullum erit*, sive testator ignoraverit sive cognoverit rem esse alienam. — C. I. 870., C. G. 1022., C. H. 875. statuunt, quod cum legata est res *indeterminata*, sub certo tamen genere aut specie contenta, haeres, ad quem electio spectat, non tenetur dare optimam, nec potest dare pessimam. C. H. 1167. Cf. C. A. 656. 658. 659. L. 938. — Si testator aliquid *annuum* aut *menstruum* alicui eiusque haeredibus reliquerit, vel determinatum numerum missarum quotannis celebrandarum iusserit, illud debetur haeredibus etiam haeredum, et hae in perpetuum erunt celebrandae, S. C. C. 4. Aug. 1864. — Inst. l. 2. t. 22., E. M.

1060. *An legatum, a debitore relictum creditori, censendum sit datum in compensationem debiti?* — Ex C. I. 845., C. G. 1023. huiusmodi legatum, sine mentione debiti, non praesumitur factum in solutionem debiti. Generalis tamen est praesumptio, quod quis velit prius suae obligationi satisfacere, et deinde dare gratis.

1061. *An legatum relictum orphanis, possit dari pauperibus habentibus parentes inutiles?* — *Si veri orphani desint*, dari potest; quia sufficienter testatoris voluntas impletur; vult enim opitulari filiis non habentibus unde alantur. — *Si veri adsint orphani*, probabilius omnino, dari non potest: quia expressa voluntas testatoris in propria forma implenda est, semper ac impleri potest. Clem. *Quia contingit de Rel. dom.*, Trid. S. 22. C. 8. Attamen S. Alph. existimat non improbabiliter dari posse, quia id magis accedit ad finem testatoris, dum non solum debent tunc tales filii propriae indigentiae providere, sed etiam parentum inopiae. — L. 930.

1062. *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari eis, quae fiunt religiosae?* — Si legatum sit relictum *personae determinatae*, certum est posse dari, nisi aliter constet de mente testatoris. Testator enim ipsam personam primario suo beneficio spectare intendit. — Si legatum relictum sit *personis indeterminatis, certe probabilius* non nisi nubentibus dari debet. Etenim testatoris *expressa* voluntas servanda est in propria forma, semper ac servari potest. Admodum autem pia est haec testatorum voluntas, qui providere intendunt huiusmodi puellis, ut a peccandi periculo removeantur. — L. 930.

1063. *An debeatur legatum relictum puellae sub conditione nubendi cum aliquo viro, si illa cum alio nubat?* — « Certum est non deberi », quia illa conditio non laedit libertatem ad matrimonium requisitam, cum libere possit puella tales nuptias acceptare vel respuere; adeoque haberi non potest tanquam conditio turpis, et quasi non adiecta. Excipe vero, si « ipsa inducatur ad nubendum cum indigno, quia tunc conditio illa reiicitur tanquam turpis, et debetur ei legatum, si ipsa nubat cum alio ». L. 853. — Schmalz. l. 4. t. 1. n. 149. 150., C. A. 700.

1064. *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari puellis, quae sine dote iam nupserunt?* — R. Affirmative, si agatur de puellis determinatis; quia praesumitur testator voluisse ipsis omnino providere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nuptae decenter vivant. Secus, si de indeterminatis, quia tunc testator censetur potius nubentibus subvenire voluisse, ut periculum prostitutionis vitarent. L. 930.

1065. *Quid veniat in legatis nomine mobilium seu bonorum mobilium?* — *Bona mobilia* ea sunt generatim, quae e loco moveri possunt, ut vestes, animalia, pecunia, etc. Idem sonant bona mobilia, res mobiles, mobile, vel etiam mobilia cum oppositione ad immobilia. — *Mobilia*, sine addito et sine determinatione, dicuntur *omnia bona*, quae non sunt immobilia, *exceptis* pecunia, libris, gemmis, numismatibus, debitis activis, instrumentis artium, linteaminibus ad usum corporis, equis, armis, granis, vino, foeno, et aliis similibus. *Excipe* etiam ea, circa quae commercium particulare exercetur. — Suppellex, seu *mobilia domum* praecise *instruentia* omnino restringuntur ad ea, quae ordinantur ad usum, vel habitationis ornamentum, ut sedilia, tabulae, armaria, etc. — C. G. 527. seqq., C. I. 416. seqq., C. H. 335. seqq. 346., C. A. 647. seqq., Gousset in a. 533. 535.

1066. *Resolves:* Hinc 1.° sunt *mobilia simpliciter*, supellex argentea, animalia, exceptis equis, linteamina, exceptis iis, quae ad usum corporis adhibentur. — 2.° Si dicat testator: *Lego mobilia Caio et immobilia Sempronio, Caius* ius habet *ad omnia bona mobilia,* quia mens testatoris evidenter patet ex oppositione *mobilium ad immobilia.* Gousset in a 533., Rogron ib. — 3.° Si legatum sic ferat: *Lego Titio omnia mobilia mea,* vel *bona mobilia,* vel *totalitatem mobilium: Titius* ius habet ad omnia bona non immobilia, quia vox *mobilia* hic non sumitur *sine addito*, significationem extendente. Gousset n. 807. in a. 533., Rogron ib.

1067. *An Summus Pontifex possit ultimas testatorum voluntates commutare?* — Nulli dubium, quod Papa potest *cum causa* ultimas voluntates commutare, ut patet ex Clem. *Quia contingit de Relig. domib.* — *Cum causa*, « quia licet dispositiones testatorum censentur commissae Papae vel Principi, non tamen ut domino, sed ut boni communis, aut piarum causarum dispensatori committuntur. Unde, cum Pontifex non sit dominus talium bonorum, non potest neque ex potestate ordinaria, neque extraordinaria convertere sine causa has dispositiones ad alium usum, quam a testatoribus sunt destinatae. Si igitur legatum est profanum poterit Princeps, ob necessitatem publicam vel aliam iustam causam, in aliud legatum profanum vel pium commutare. Si vero legatum est pium, poterit Papa tantum, iuxta causa interveniente, in aliud pium convertere ». L. 931., Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. ult., L. *Legatam* 4. ff. *de Administrat. rer. ad civ. pert.* — A. S. S. V. 1. p. 609., V. 2. p. 353.

1068. *An episcopi cum iusta causa possint commutare pias dispositiones?* — Prima sententia affirmat. Ratio, quia ex Trid. S. 22. C. 6. de R. episcopi, saltem tanquam delegati Sedis Apostolicae, et ex iusta ac necessaria causa, iudicio ipsorum, possunt *ultimas voluntates commutare.* Secunda vero sententia probabilior negat. Ratio, quia ex C. *Tua de Testam.* et ex Trid. S. 22. C. 8. de R. imponitur episcopis *exsequi omnes pias dispositiones* tam in ultima voluntate, quam inter vivos. « Valde tamen probabiliter censet Laym., et consentiunt Salm. etc., quod, si aliqua causa superveniat, vel si fuerit testatori ignota, quam si ille cognovisset, aliter disposuisset; tunc episcopus cum haerede potest ex epicheia interpretari voluntatem testatoris, et legatum in alium usum convertere, puta si legatum sit relictum pro vasis sacris conficiendis, quibus non egeat, sed potius casulis. Quando autem legata pia *nullo modo* possunt applicari ad

usum a testatore intentum, illa non sunt *caduca,* sed applicanda sunt in alium pium usum arbitrio episcopi et exsecutoris ». L. 931. 939. 940., Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 32. n. 1. 8. 9. 10. 11. — Ex cit. cap. 6. Trid. commutationem episcopi facere non possunt *nisi ex iusta et necessaria causa,* copulative. Barbosa Collect. in C. Trid. in l. c., De Luca Annot. in S. Conc. Trid. Disc. XII. — Trid. S. 25. C. 8. de R.

1069. *Quid de divisione inter liberos a parentibus facienda?* — Parentibus conceditur res suas inter liberos dividere, sive actu donationis, sive actu ultimae voluntatis seu testamento, iisdem donationum vel testamentorum formalitatibus servatis. C. I. 1044. 1045., C. G. 1075. 1076. — Ut divisio valida et firma sit, necesse est: 1.° Ut sit facta inter omnes liberos, C. I. 1047., C. G. 1078. 2.° Ut legitima non laedatur. 3.° Ut, si fiat actu *donationis,* divisio res praesentes tantum comprehendat; si vero fiat per *testamentum* futuras quoque comprehendere potest. C. I. 1045., C. G. 1076. 4.° Divisione per donationem facta, dominium rerum divisarum in liberos transit, a donationis acceptatione, qua divisio perficitur. Si vero per testamentum fiat, divisio non nisi morte testatoris perficitur, et dominium ab ea morte in liberos transit. 5.° Si quae in divisione comprehensa non fuerint, haec, perinde ac omissa, ab intestato deferuntur, C. I. 1046., C. G. 1077.

VIII. — DE COMMODATO

1070. *Quid sit commodatum?* — Commodatum est: *alicuius rei ad solum et determinatum usum, certumque tempus, gratuita concessio.* C. I. 1805., C. G. 1875., C. H. 1740., C. A. 971. *Alicuius rei,* i. e. tam immobilis quam mobilis, quae tamen usu consumptibilis non sit. C. I. 1805., C. G. 1878. *Ad solum usum;* et per hoc differt a pignore vel deposito, quorum usus minime conceditur: *ad solum usum* eumque *determinatum,* quare in commodatarium *praecise* transfertur ius ad *certum* tantum *usum,* et consequenter commodator dominus permanet rei commodatae. C. I. 1805., C. G. 1877., C. H. 1741. *Certumque tempus;* in hoc differt *commodatum* a *precario,* quod in precario tempus non determinetur, sicut in commodato: quare precarium definitur, quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is qui concessit patitur. C. H. 1750., C. A. 974. *Gratuita concessio;* nam per hoc differt commodatum a locatione, quod in hac usus concedatur pro certo pretio, in commodato vero gratis. C. I. 1806., C. G. 1876., C. H. 1740., Inst. l. 3. t. 15. § 2., L. 744. 745., Lugo D. 33. n. 8.

1071. *Quaenam sint commodatarii obligationes?* — Illicitum est commodatario rebus commodatis *diutius aut aliter uti,* quam utendas acceperit, si se intelligat, id invito domino facere, eumque, si intellixisset, non permissurum. Secus agens re non *uteretur,* sed *abuteretur,* adeoque de damnis teneretur. C. I. 1808. 1809., C. G. 1880. 1881., C. H. 1744., C. A. 972. 973., Lib. 3. tit. 15. § 7. Instit. *de Commodato.* Cf. Ithur. Cas. 46. n. 6.

Tenetur commodatarius *ad ordinarias expensas* pro conservatione rei, minime vero ad extraordinarias. Ratio est, quia expensae *ordinariae* sunt quasi naturalis quaedam sequela quotidiani *usus,* qui commodatario con-

cessus est, minime vero *extraordinariae*, quae praecise sunt ad *ipsam rem conservandam;* rei autem dominium commodantis permanet. C. I. 1813. 1817., C. G. 1886. 1890., C. H. 1743., C. A. 981., L. *In rebus* § 2. Dig. h. t., Lugo D. 33. n. 14., L. 747.

Commodatarius regulariter non tenetur *de casu fortuito rei*, C. I. 1810., C. G. 1882., C. H. 1744., C. A. 978. 979., L. *Si ut certo* § 4. Dig. h. t., Inst. l. 3. t. 15. § 2., seclusa nempe eius culpa, speciali de ea re conventione, et iudicis sententia. Ratio, quia res perit domino suo. — Item non tenetur *de damno*, quando hoc non quidem fortuito, sed veluti *necessario* ex concesso rei usu sequatur. In illud enim dominus consensisse censetur. C. I. 1812., C. G. 1884., C. H. 1746., L. *Si commodavero* Dig. h. t., L. *Eum qui* Dig. e. t. — Si damnum factum sit alterius iniuria, commodatarius non tenetur de eo. L. *Ad eos* Dig. h. t. — Neque tenetur de damno commodatarius, si res pereat culpa illius, cui tradendam iusserat commodator. L. *Si mei* § 1. Dig. h. t. — Neque etiam tenetur, si commodatarius mediis idoneis ad restituendum usus sit. L. *Argentum* Dig. h. t., L. 752.

Tenetur vero commodatarius *de damno fortuito:* si id in pactum deductum fuerit, L. *Ea quidem* C. *de Commodato*, quod intelligitur, si rem aestimatam accepit, C. I. 1811., C. G. 1883., C. H. 1745.; si culpa commodatarii intervenerit, R. 25.ª de R. I. in 6.°, L. *Si ut certo* § 7. Dig. h. t.; si diligenter rem non custodierit, et a periculis non praeservaverit, C. I. 1808., C. G. 1880., C. H. 1744., C. A. 978. 979., L. cit. § 5., C. *Cum gratia* un. h. t.

Ex Iure Romano, Inst. l. 2. t. 15. § 2. 4. tenetur commodatarius *maiorem pro re commodata*, quam pro rebus suis *custodiam* habere. Hinc damnatur, qui in periculo suas potius quam commodatas res custodit. Ex C. I.1808. 1810., C. G. 1880. 1882., commodatarius tenetur ad rem commodatam custodiendam *ut bonus paterfamilias*, unde etiam, si in periculo potius commodatam rem quam suam exponit, de illius interitu et casu tenetur. Scilicet, quoniam contractus est in eius favorem tantum, naturalis aequitas postulat, ut commodatarius, in pari causa, alteri potius quam sibi consulat.

Ex Iure Romano, L. *In rebus* Dig. h. t., L. *Obligationes* § 4. de *Obligationibus et Actionibus*, etc., et ex Iure Canonico, C. un. *de Commod.*, commodatarius tenetur *de culpa* non tantum *lata* et *levi*, sed etiam *levissima*, tenetur nempe de culpa *lata*, si quis sua dumtaxat causa commodaverit; de culpa *levi*, si commodaverit in gratiam sui et commodatarii, de culpa levissima si commodaverit in gratiam tantum commodatarii. Cf. 1072. — Ex C. I. 1809. 1811., C. G. 1881. 1883., C. H. 1743. 1744., C. A. 978. 979., si res pereat, quia ad alium usum fuit adhibita, vel non tempore debito restituta, vel si aestimata fuit, commodatarius *de fortuito etiam rei interitu* tenetur.

Precarium imponit obligationem tantum ex dolo et culpa lata, quia ad nutum revocare alius rem potest, L. *Quaesitum* est § 3. Dig. *de Precario.*

Si pluribus simul commodata res fuerit, singuli in solidum tenentur, L. 4. § ult. h. t., C. I. 1814., C. G. 1887., C. H. 1748.

Iura et obligationes, quae vi commodati contrahuntur ad haeredes commodantis et commodatarii transeunt. Verum, si commodatum intuitu tantum commodatarii factum sit, ad eius haeredes minime pertransit. C. I. 1807., C. G. 1879., C. H. 1742. Ratio est, quia si commodatum factum est exclusive ratione *personae*, adaequate cessat eius causa finalis, e. g., si

equum commodasti amico tuo, qui aequitare multum delectabatur. Si vero commodatum factum est ratione alicuius peculiaris *rei*, eius causa finalis non cessat, nisi res cesset, e. g., si equum amico tuo commodasti propter labores messis. Precarium vero cessat per mortem accipientis, non autem per mortem dantis, si ab haeredibus non revocetur. L. *Cum precario ff. de Prec.*, C. fin. *de Prec.*, L. 745.

1072. *An, seclusa theologica culpa, huiusmodi leges in conscientia obligent, ante iudicis sententiam? — Theologica culpa;* culpa alia est *theologica*, alia solum *iuridica*. Culpa *theologica* est omissio vel actio, alteri damnosa, libera, et quae coram Deo est peccatum. Culpa *iuridica* seu civilis vero est quaecumque negligentia, aut etiam actio alteri damnosa, etsi sit involuntaria, et coram Deo minime peccatum.

Talis autem culpa *iuridica* ex Rom. Iure est triplex, nempe *lata*, *levis* et *levissima*. *Culpa lata*, quae dolo aequiparatur, est omissio diligentiae et circumspectionis, quam homines eiusdem conditionis passim in iisdem rei circumstantiis adhibere solent: qualis esset, e. g., si quis librum commodatum foris ante ostium relinqueret, sicque fur auferret. *Culpa levis* est omissio diligentiae et circumspectionis, quam homines eiusmodi conditionis diligentiores et cautiores, solent adhibere: qualis esset, si quis librum commodatum relinqueret intra cubiculum, ostio tamen aperto; nam diligentiores solent claudere ianuam. *Culpa levissima* tandem est omissio diligentiae et circumspectionis, quam homines eiusmodi conditionis diligentissimi et cautissimi adhibent: qualis esset, si quis librum sibi commodatum relinqueret intra cubiculum, cuius ostium quidem clausit, sed non tentavit, an hoc sit bene obseratum. L. 549. 749.

Recentiori iure diligentia, quae generatim exigitur est ea, quam exigit natura obligationis, respondens circumstantiis personarum, temporis, loci. Nisi aliud exprimatur, ea exigitur, quae a bono patrefamilias praestanda est. C. I. 1224., C. G. 1137., C. H. 1104. Cf. 1357.

Iamvero communior et probabilior sententia obligationem affirmat in foro conscientiae praedictarum legum. Etenim 1.°, ut ait Lugo D. 8. n. 106.: « negari non potest, quod iuxta *naturae lumen et communem hominum sensum*, magis videntur homines obligari ad culpam cavendam in aliquibus contractibus, quam in aliis: nam qui rem commodatam accepit in solam suam commoditatem, magis se obligatum iudicat ad illam custodiendam, quam qui ob deponentis solum utilitatem eam apud se depositam habet. Ergo non potest dici, quod in foro conscientiae omnes teneantur solum pro culpa lata et gravi theologica; alioquin non magis in uno, quam in alio casu tenerentur. Ergo illa distinctio contractuum vel in unius vel in utriusque gratiam, etiam secluso iure positivo et humano, parit diversos gradus obligationum, et per consequens in aliquo casu et pro aliqua culpa tenebitur aliquis ex uno contractu in foro etiam conscientiae, pro qua in alio casu non tenebatur, atque ideo non solum tenebitur pro culpa mortali, sed etiam pro levi, nam pro mortali et gravi omnes in omni casu tenentur ». 2.° « Ratio est, ut inquit Lessius l. 2. c. 7. n. 45., quia istae leges sanciunt id, quod *naturali aequitati* est consentaneum circa rem alienam (quam mediante contractu apud nos habemus) praestare; qua sanctione posita, *qui facit talem contractum*, accipiendo commodatum, conductum, depositum, pignus, etc., *implicite se obligat ad*

praestandam eam diligentiam, quam leges requirunt. Quare, si hanc diligentiam non praestet (quamvis id naturali oblivione sine omni culpa factum sit) tenebitur ad restitutionem ». — Atque haec quidem valere omnino videntur in casu, de quo agitur in C. I., C. G., C. H., C. A.

« Sed valde probabiliter negant Sotus, etc. Ratio, quia ex una parte non est aequum aliquem obligare ad poenam gravem sine sua gravi culpa; ex alia non praesumitur, saltem non constat, quod aliquis voluerit se obligare in conscientia ad satisfaciendum damnum factum cum sola culpa iuridica. Leges autem, quae adducuntur in contrarium, obligantes cum sola culpa iuridica, vel praesumunt culpam theologicam, vel obligant solum pro foro externo, vel non sunt receptae in alio sensu... Illae vero leges, quae in aliquibus casibus praecipiunt restitutionem, istae quidem obligant, etiamsi absit peccatum, sed non ante sententiam iudicis, ut communiter dicunt Salm. etc. quidquid alii dicunt... Pariter in officiis est probabile ex eadem ratione, quod nemo tenetur ad restitutionem, nisi ex culpa lata, coniuncta cum gravi theologica... Tenetur tamen etiam ex culpa levi iuridica, qui recipit stipendium... vel qui promittit diligentiam maiorem communi debita, vel si officium de se exigat magnam diligentiam... Sed semper intelligitur, quod culpa iuridica sit coniuncta cum gravi peccato, ut graviter obliget ». L. 554.

1073. *An quis teneatur a periculo salvare prius res sibi commodatas, quam proprias?* — R. Affirmative, *si res alienae multo pretiosiores sint quam propriae,* praesertim si gratuito ei commodatae fuerint. Ratio est, quia rei alienae debetur custodia, quam quisque prudens pro suis adhiberet; quisque autem servaret suas pretiosiores prae vilioribus. Ergo similiter agere debet erga res alienas commodatas; secus iniustitiae reus evadit et ad restitutionem adstringitur. Alter vero iacturam rei commodatarii compensare tenetur. Neque enim commodatarius, neque etiam depositarius, tenentur ad sumptus extraordinarios pro re commodata, vel gratis deposita. — Hinc e contrario ob rationis paritatem potest quis per se res proprias praeferre, *si pretiosiores sint quam alienae.* Nemo enim tenetur subire damnum maius, ut avertat damnum minus alterius. — In casu, in quo *tum res alienae tum propriae eiusdem sint valoris,* controvertitur. Alii censent commodatarium in hac hypothesi debere attendere aeque ad res commodatas quam ad suas salvandas, quia, eas accipiendo, suscepit obligationem adhibendi seriam diligentiam res illas, velut suas, curandi et custodiendi. Reuter. Alii tamen communius dicunt, probabiliter posse commodatarium res suas proprias potius a periculo salvare, quia caritas recte ordinata a semetipso incipit, saltem *per se* loquendo, secluso speciali contractu. Quod si quis rem alterius potius conservet, tenetur alter iacturam rei illius compensare; siquidem esset in casu extraordinarium sumptum facere. Atque haec, inspecto naturali iure. Ad ius positivum quod spectat, Cf. 1071. — Lugo D. 8. S. 10., L. 752., Ithur. Cas. 27. n. 14.

1074. *Quenam sint commodantis obligationes?* — Tenetur commodator *rei vitia* aperire; secus de damnis tenetur. Causa enim eorum est commodatario. C. I. 1818., C. G. 1891., C. H. 1752., L. *In Commodato* § 3. Dig. h. t., L. *In rebus* § 3. Dig. e. t.

Commodator repetere non potest rem suam *ante tempus statutum, vel ante constitutum usum.* Adiuvari quippe nos, non decipi beneficio

oportet. C. I. 1815., C. G. 1888., C. A. 973., L. *In Commodato* § 3. Dig. h. t., C. un. *de Commod.*, R. 33.ª de R. I. in 6.° Excipe, nisi aequale damnum commodanti impendeat; siquidem haec semper conditio subintelligitur: *nisi necessitas urgeat.* Aequum enim non est proprio damno alteri benefacere. L. 747., C. I. 1816., C. G. 1889., C. H. 1749. Secus vero est ex C. A. 976.

Restituere tenetur *expensas extraordinarias et urgentes*, quas debuit commodatarius sustinere, ad rem commodatam necessario conservandam, nisi sit in culpa. C. I. 1817., G. H. 1751., C. G. 1890., C. A. 981.

IX. — DE DEPOSITO

1075. *Quid sit Depositum, et quomodo contrahatur?* — Ad 1.um Depositum est contractus, quo res alicui gratis custodienda traditur ea lege, ut eadem quandocumque restituatur. L. 1. *Depositi*, C. I. 1835., C. G. 1915., C. A. 957., C. H. 1758. 1760. *Res*, nempe mobilis. Depositum in solis rebus mobilibus constitui potest. C. I. 1831., C. G. 1918., C. H. 1761. Etiam in immobilibus, C. A. 960. L. 746. *Gratis;* si enim *merces*, vel *interesse* fuerit constitutum, depositum transit in locationem et conductionem, vel in foenus. L. 1. § *Si vestimenta* C. h. t., C. I. 1837., C. G. 1917. *Custodienda:* si depositario ea uti permittatur, in commodatum vel in mutuum *fere* transit. L. 24. 26. § 1. h. t., C. A. 959., C. H. 1768. *Fere*, siquidem res deposita quandocumque petenti restitui debet.

Ad 2.um Contrahitur depositum expresse vel tacite. *Expresse*, cum explicite talis fit contractus; *tacite*, cum res apud eos defertur, qui ratione officii ad eius custodiam tenentur, uti sunt caupones, stabularii, nautae. Necesse autem non est res tradere cauponi, stabulario, nautae; sufficit rem inferre in cauponam, stabulum, navim, L. 1. in fi. *Naut. Cauponae*, etc., C. I. 1866., C. G. 1952., C. A. 970. 1316.

Ex eodem Iure It., Gall., Austr., qui vecturam terra exercent, pro rebus depositis, iisdem tenentur obligationibus ac caupones. Spondent pro rebus transvehendis, quam primum ipsis in portu aut mercium statione commissae fuerint. Iactura et depravatio mercium commissarum ipsis imputatur, nisi casum fortuitum aut vim maiorem in causa fuisse probent. Quoad alios vero artifices, si in rem alienam conficiendam nihil nisi operam conferant, rei iactura facta, ad compensationem non tenentur, nisi culpa intercesserit. C. I. 1630. 1631. 1636., C. G. 1782. 1784. 1789., C. A. 970. 1160. 1316.

1076. *Quaenam sint depositarii obligationes?* — Depositarius *uti nequit, per se*, re deposita. Ratio, quia res datur ei in custodiam, non eius usus conceditur. Usus rei permissus tantum censeri potest, si rationabiliter censeri potest dominus rei in illum consentire, e. g., si res usu nulli exponatur periculo, nec deterior fiat; si pecuniam non clausam, nec obsignatam quis deposuerit. Quare, si dominus sit invitus, dominus pro usu facto rei compensandus est, si exinde depositarius factus sit ditior. C. I. 1846., C. G. 1930., C. H. 1767., C. A. 965., Lugo D. 33. n. 4. Verum, qui re aliena suo vere utitur periculo, etsi sciat invitum esse dominum, quod inde sua industria lucratur sibi acquirit. *Sua industria*,

siquidem res usu consumptibilis per ipsum usum non fructificat, sed destruitur. *Sua industria, fructus* enim ab ipsa re producti cum ipsa re reddendi sunt. C. I. 1852., C. G. 1936., C. A. 958. 961., C. H. 1767. 1770. — L. 748.

Depositarius debet eam *curam gerere* rei depositae, quam gerit pro rebus suis. L. 32. h. t., L. 1. § 5. *de Oblig. et action.*, C. I. 1843., C. G. 1927., C. H. 1766., C. A. 961. 964. — Rigidior haec obligatio est, si depositarius semetipsum obtulit ad recipiendum depositum; si mercedem pro deposito stipulatus est; si depositum in commodum solius depositarii factum est; si conventio intercessit, quod is de quavis culpa teneatur. C. I. 1844., C. G. 1928., C. H. 1182. 1766.

Si depositum fit in solius deponentis gratiam, depositarius tenetur solum praestare *dolum et culpam latam,* quae dolo aequiparatur, L. *Quod Nerva* Dig. *Depositi.* Si depositum et in gratiam depositarii fit, ut cum stipendium accipit seu mercedem, tenetur depositarius etiam *de culpa levi,* licet non levissima, L. *Depositum* Dig. *Depositi* § 8. coll. § ult. Inst. *de Locat. et cond.* — Excipe nautas, caupones, stabularios, qui tenentur etiam de culpa levissima, non tamen de casu fortuito, aut de vi maiore, L. *Et ita* Dig. *Nautae* etc. Idque vero, quod nempe *de levissima culpa* teneantur, censet Laymann, de Deposito n. 1., cum aliis non improbabiliter, ante sententiam iudicis in foro conscientiae non valere. — Inst. l. 3. t. 15. § 3.

Caupones et stabularii *depositarii* censentur earum rerum, quas itinerantes afferunt in eorum diversorium, in quo manent, iique tenentur *de furto aut damno illato,* si furtum perpetratum sit, aut damnum sit illatum a domesticis aut personis praepositis directioni diversorii, aut ab extraneis, qui illud frequentant. C. I. 1866. 1867., C. G. 1952. 1953., C. H. 1783. 1784., C. A. 1316., L. 750.

Nulla depositarius obligatione tenetur, si quid, *vi maiore praevalente,* contingat, nisi iam antea rem a deponente postulatam reddere distulerit. C. I. 1845. 1868., C. G. 1929. 1954., C. H. 1182. 1766., C. A. 964. 965. Excipe pro foro interno, si res fuisset aeque peritura et eodem tempore ac periculo apud dominum, quia tunc mora illa causa non fuit damni. Ex C. A. l. c. depositarius non tenetur de casu fortuito, etiamsi res deposita pretiosior salvari potuisset rei propriae damno.

Depositum *reddere debet statim ac petitur,* si fieri potest. L. *Depositum* § 22. Dig. *Depositi.* Ratio est, quia in solius deponentis commoditatem deposita res est; adeoque nulla *per se* esse potest causa depositum retinendi. *Per se,* per accidens enim aliquando reddi non debet, ut si in proprium aut alienum damnum repetatur. L. *Depositum* § 39. Dig. *Depositi.* Restituenda autem res est quandocumque res reposcitur, etiamsi forte in contractu dies constituta sit pro restitutione. Ante autem constitutam diem, depositarius rem regulariter restituere non potest, nisi ex iusta causa. C. I. 1860., C. G. 1994., C. A. 462. 963., C. H. 1766. 1775. 1776.

Depositarius rem depositam restituere debet *ei, qui deposuit.* Si tamen intelligat rem esse furtivam et dominum eius noscat, debet hunc monere, statuto congruo spatio temporis, quo eam ipse reposcat: si autem hic negligens fuerit, depositarius ab omni obligatione liberatur restituens depositum illi, a quo accepit. C. I. 1853. 1854., C. H. 1771.

Restituenda regulariter res est *ei qui eam deposuit,* furi etiam, si dominus interpellatus defuerit, L. 31. h. t., C. I. 1853. 1854., C. G. 1937. 1938.

Deponente mortuo, haeredi res est restituenda. Si plures sint haeredes et res sit divisibilis, unicuique sua pars reddenda est; si vero res sit indivisibilis, omnes convenire debent quoad modum rem recipiendi. L. 1. § *Si pecunia* 36. h. t., C. I. 1855., C. G. 1939.

Restitutio *ab eo facienda est*, penes quem res deposita fuit, et *eo in loco*, in quo res sine dolo malo depositarii reperitur. L. 12. § 1. h. t., C. I. 1859., C. H. 1774. Ex C. G. 1943. eo in loco quo fuit deposita.

Depositarius, uti etiam commodatarius, *compensare sibi non possunt* debita ex deposito, ex commodato et precario. Ita ex iure positivo, L. ult. C. *de Commodato*, L. *Si quis* C. *Depositis*, C. *Bona fides de Deposito*, C. I. 1289., C. G. 1293. 1885., C. H. 1200. 1747. Attamen, si quis hoc titulo rem retineret, peccaret quidem contra iustitiam legalem, minime vero contra iustitiam commutativam. L. 753. De iure naturali « probabile est, ait Lessius l. 2. c. 27. n. 16., in foro conscientiae locum habere compensationem, quando nulla alia ratio suppetit rei sibi debitae obtinendae ». Verum, si depositarius reperiat rem depositam esse suam, nulla amplius obligatione tenetur. C. I. 1861., C. G. 1946., L. 753.

1077. *An, seclusa culpa theologica, teneatur depositarius ad compensationem, si res pereat ex eius negligentia?* — Haec Busemb. ap. S. Alph. 749.: « Si is, cui res commodata, locata, deposita, aut pignorata est, negligenter custodiat, ita ut pereat, negligentia autem non sit theologica culpa mortalis, probabile est, quod dixi ex Soto, Sa, non teneri ad restitutionem in conscientia. Alii tamen sentiunt, nimirum teneri restituere, qui iuridicam culpam in custodiendo contraxerit, si ea fuerit lata; et subinde si levis tantum, immo et aliquando si sit levissima, nimirum quando depositio facta est in commodum utriusque, et si pretium pro custodia accipiat. Vide Lessium cap. 7. d. 8., Laym. tr. 4. cap. 25., ubi docet depositarium tantum teneri de dolo, vel culpa crassa, quae dolo aequiparetur ». Haec quoad Ius naturale. Quoad Ius positivum, Cf. 1076. — L. 751., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6.

1078. *Quaenam sint deponentis obligationes?* — Refundendae sunt a deponente *expensae necessariae* factae, et *damnum* compensandum, quod forte passus est depositarius, causa depositi. Depositarius potest hoc titulo depositum retinere usque ad perfectam debiti solutionem. Officium suum nemini debet esse damnosum. L. 5. 23. *Depositi.*, L. 60. 62. § *Quod vero* 5. *de Furt.*, C. I. 1862. 1863., C. G. 1947. 1948., C. H. 1779. 1780., C. A. 967.

1079. *Quid sit sequestrum, quaenam eius natura?* — A deposito differt *sequestrum*, quatenus res aliqua controversa ab his, qui controvertunt, deponitur apud tertium ea conditione, ut restituatur ei, cuius erit. L. 110. *de Verbor. signif.*, C. I. 1870., C. G. 1956., C. H. 1763., C. A. 968. — Sequester non potest susceptum deponere officium, invitis iis, quorum interest, nisi ex gravi et iusta causa, L. 5. § 2. h. t., C. I. 1874., C. G. 1960., nec uni ex deponentibus partem reddere, L. 17. h. t., C. H. 1763. — Sequestrum hoc, *conventionale* appellatur, et distinguitur prorsus a sequestro *iudiciali*, quod non nisi officio iudicis constituitur. C. I. 1875 seqq., C. G. 1961. seqq., C. H. 1785. seqq.

X. — DE MUTUO

1080. *Quid sit mutuum?* — Mutuum aliquando sumitur pro ipsa re mutuo data, aliquando vero et saepius pro ipso contractu, quo ea res mutuo alteri datur; et definitur, *contractus, quo per traditionem transfertur dominium rei usu consumptibilis in alterum, cum obligatione tantumdem reddendi in eadem specie et bonitate post aliquod temporis spatium.* — *Per traditionem*, ut indicetur, contractum esse *realem*, qui rei traditione perficitur. *Transfertur dominium*, qui enim rem mutuo accipit ea uti potest, alioquin merum esset depositum. At uti ea non potest, nisi dominium habeat, cum ea res usu sit consumptibilis, et nemo pro libito possit rem alienam consumere. *Consumptibilis* sive physice uti panis, sive moraliter uti pecunia, quae licet usu in se non pereat, ei tamen perit, qui illam alteri tradit. *Cum obligatione tantumdem reddendi*, secus esset donatio. *In eadem specie*, secus esset venditio vel permutatio, si in diversa specie; commodatum vel locatum, si identice et in individuo reddenda. *Et bonitate*, ne ex beneficio mutuator detrimentum patiatur. *Post aliquod temporis spatium*, quo a cambio distinguitur, quo statim aurum, v. g., pro argento datur. — L. 754., Inst. l. 3. t. 15., C. I. 1819., C. G. 1892., C. A. 983., C. H. 1740., E. M.

1081. *An detur mutui praeceptum?* — *Ut datur praeceptum eleemosynae faciendae pauperibus, ita datur praeceptum concedendi mutuum divitibus, qui ob peculiarem circumstantiam eo summe indigeant.* Ratio est, quia praeceptum caritatis nos obstringit erga omnes homines, etiam divites, et exigit, ut hoc libenter praestemus, quod in pari casu nobis praestari vellemus, si tamen absque gravi incommodo ipsis per mutuum succurrere possimus. « Neminem, ait Bened. XIV. Enc. *Vix pervenit*, id latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo monente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris* », Matth. 5., 42.

1082. *Quaenam sint mutuatarii obligationes?* — Vi mutui mutuatarius *dominus evadit rei mutuatae*, quae, quocumque modo pereat, *ipsi perit.* C. I. 1820., C. G. 1893., C. H. 1740. 1753., L. 755.

Mutuatarius debet *rem mutuatam restituere eadem quantitate, qualitate, et tempore constituto*; et, in rei defectu, debet eius solvere valorem, secundum tempus et locum constitutum. C. I. 1823. 1828. Si nullum tempus, nullus locus fuerit constitutus, restitutio facienda est secundum valorem respondentem tempori, quo in mora constituitur, ex C. I., vel quo mutuum factum est ex C. G., et secundum locum, quo mutuum fuerit factum, C. I. 1828., C. G. 1903.

Pecunia, mutuo data, restituenda semper erit *in eadem numerica summa*, in contractu expressa. Ac sive augeatur sive imminuatur nummorum valor, restituenda est eadem numerica summa in specie currenti tempore solutionis. C. I. 1821., C. G. 1895. Licet autem, etiam in foro conscientiae, pro argenteis vel aureis nummis syngraphas mensarias dare, quavis lege vel pacto in contrarium sublato. Leg. 1. Maii 1866., S. Poenit. 21. Jan. 1873. Quando vero mutuo datae sint pecuniae, aureae vel argenteae, cum pacto restitutionis in eadem specie et quantitate, earumque *intrinsecus*

valor modificetur, aequivalens reddi debet valori temporis mutui dati, C. I. 1822., C. A. 988. 989. Cf. C. H. 1170. 1754., L. 782. 791.

Si mutuatarius rem non restituit, vel eius valorem secundum constitutum pactum, *interesse* debet a die iudicialis petitionis. C. G. 1904. Immo, si sit *in mora* culpabili, tenetur etiam *de damnis*, quorum est causa. C. H. 1108.

1083. *Quaenam sint mutuantis obligationes?* — Tenetur mutuatarium monere *de vitio rei traditae*, si quod sit; item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis, *nisi gratis mutuari velit:* alias hic non consentit, et sustinet iniuriam, quam reparare tenebitur mutuans. C. I. 1824., C. G. 1898., L. 754.

Repetere non potest rem *ante tempus constitutum*, C. I. 1824., C. G. 1899., L. 754. Si tempus restitutionis constitutum non fuit, potest iudex dilationem mutuatario concedere secundum circumstantias. C. I. 1826., C. G. 1900. Si vero constitutum fuit, ut mutuatarius solvat quando possit, vel quando media ad id habeat, iudex terminum constituet secundum circumstantias. C. I. 1827., C. G. 1901.

Tenetur, *per se, non plus recipere*, quam res mutuata valuerit, quando mutuo data est; quia mutuum per se est contractus gratuitus hoc sensu, quod aliud onus, mutuatario non imponat, quam ut reddat in specie, debito tempore, id quod accepit. L. 754. 755.

1084. *An possis rem mutuatam in eadem mensura et quantitate recipere, si mutui tempore crescat eius pretium? An plus repetere, si decrescat?* — Si quando res mutuo traditur, *aequale sit utrinque dubium*, an tempore restitutionis res valitura sit pluris vel minoris, licet pacisci, ut servata eadem bonitate et mensura reddi suo tempore debeat, etsi pretium eius valde sit auctum. Ratio est, quia cum utrinque aequale fuerit periculum, eo ipso iam aequalitas servatur. — Licitum non est per se pactum praedictum, *si certo constet*, vel longe probabilius sit, *tempore solutionis valorem auctum iri*. Ratio est, quia sic non servatur aequalitas, sed plus exigitur, quam detur tempore mutui. Hinc, si modius tritici nunc valeat tribus francis, et valiturus sit quatuor tempore restitutionis, non licet pacisci, ut tantundem solvatur. Excipe tamen, nisi statueris rem servare in tempus pretii aucti; quia tunc plus exigitur, ratione lucri cessantis. — Si praevideas valoris seu pretii imminutionem, *tantum potes repetere*, et mutuatarius solvere debet, quanti res valebat, cum mutuo tradita est; quia revera non plus exigis, quam dedisti. — L. 782. 791., La-Croix 910. seqq.

1085. *Nota:* 1.° « quod mutuum praestitum Ecclesiae, Causae piae, aut Universitati non potest repeti, nisi probetur in utilitatem illius conversum fuisse. L. *Civitas ff. Si certum petatur.* Et idem dicitur de mutuo dato minori, qui alias non tenetur, etiam maior factus, restituere. L. 3. C. *Quando facto tut.* Si tamen praelatus cum consensu capituli, et idem dicitur de gubernatore cum consensu officialium, recipiat mutuum nomine Ecclesiae, ipsa semper tenetur solvere; dum praelati cum capitulo recte alienare possunt res mobiles Ecclesiae,.... — 2.° quod mutuum datum filiisfamilias, ut sic putatis et carentibus bonis castrensibus, sine saltem tacito consensu parentum, neque ab illis postea restituendum est saltem in foro externo, *L. 14. C. de S. C. Maced.* Quo privilegio filii uti possunt,

etsi ei renuntient.... Excipitur: 1.° Si mutuum sit in aliis rebus, quam in pecunia, de qua lex loquitur. 2.° Si filius iuravit solvere; quamvis post solutionem habeat actionem ad repetendum, immo potest relaxationem iuramenti sibi procurare. 3.° Si mutuum datum sit, sciente et non contradicente patre, aut conversum sit in utilitatem patris aut filiorum in rebus, quas pater ei praebere tenebatur. Item si res mutuata adhuc extet, vel si pater solitus fuerit solvere debita filiorum. — 3.° Dubium est, an filiifamilias in primo casu posito liberi sint a restitutione mutui, non solum in foro externo, sed etiam interno? Negant Bonac. etc., quia Ius Civile non tollit obligationem naturalem. At satis probabilius affirmat Less. etc., quia lex bene potest cum iusta causa naturalem obligationem auferre, et sic fecisse iudicatur in hoc casu ad providendum damno parentum et nequitiam foeneratorum avertendam. Non videtur autem posse negari, quod potestas suprema humana, ob altum dominium quod habet, bene potest propter bonum commune transferre dominium rerum ab uno in alterum, ut patet in lege praescriptionis ». L. 756. 757. 918., Inst. l. 3. t. 15. § 1., C. I. 1307., C. G. 1312., C. H. 1263. 1304., C. A. 152. Cf. 953.

1086. *Quid usura et contractus usurarius?* — *Usura* est: *lucrum immediate ex mutuo proveniens tanquam debitum. Lucrum immediate ex mutuo proveniens;* nam usura proprie committitur, quando mutuans immediate propter mutuationem, et praecise titulo mutui quaerit lucrum, seu aliquid supra sortem ac substantiam mutuatam. Licet igitur etiam ille, qui rem ultra summum iustum pretium vendit, aut alteri ad usum locat, peccet contra iustitiam; non tamen dicitur committere usuram stricte talem. Nomine autem *lucri* intelligitur, quidquid pretio sit aestimabile; unde, si dans mutuum exigit, e. g., ut alter tibi reddat quod aliunde tibi debet *ex iustitia*, usura non est. *Tanquam debitum*, nempe ex *iustitia*, vel *pacto* grati animi aut benevolentiae. Unde, si mutuatarius mutuanti praecise ex naturali grato animo, et absque interveniente pacto, aliquid ultra sortem liberaliter tribuit vel etiam ex timore, ne alias mutuatio ei denegetur in futurum, aut ne aestimetur ingratus, mutuans potest hoc absque vitio usurae acceptare. Hinc *contractus usurarius* est, pactum, quo mutuans obligat mutuatarium ad dandum aliquid pretio aestimabile supra sortem ex solo titulo mutui. — L. 758. 761.-765. 774. 777.-781. 791., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2., E. M.

1087. *Quotuplex sit usura?* — Usura alia est *mentalis* et alia *realis*. Illa est, qua mutuans, absque pacto externe manifestato, vel formaliter *intendit* lucrum non gratuito offerendum, sed quasi titulo mutui *debitum;* vel virtualiter, puta si interne *sperat* lucrum, ita ut talis spes sit *principale* motivum mutuandi. Haec vero est, qua mutuans lucrum in pactum externum, sive expresse sive tacite, deducit. Usura *realis* alia est *aperta*, et alia *palliata*. Usura aperta, seu expressa et formalis est, quando in ipso contractu mutui ex hoc titulo aliquid exigitur ultra sortem. Usura palliata seu virtualis est, quae alio distincto contractu palliatur, in quo involvitur lucrum propter mutuum; uti contingeret, si mercator merces cariori pretio, quam sit iustum, venderet praecise ex eo, quod solutionem debeat expectare, nam sic virtualiter exigeretur lucrum maius propter mutuum. — L. 761. 762., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2., de Malo q. 13. a. 4.

1088. *An licita sit usura? — Usura naturali, divino et ecclesiastico iure prohibita est. — Naturali iure.* « Ad cuius evidentiam sciendum est, quod quaedam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio; sicut vinum consumimus, eo utendo ad potum, et triticum consumimus, eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei a re ipsa; sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res; et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, et vellet seorsum vendere usum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id quod non est; unde manifeste per iniustitiam peccaret. Et simili ratione iniustitiam committit qui mutuat vinum aut triticum, petens sibi dari duas recompensationes, unam quidem restitutionem aequalis rei, aliam vero pretium usus, quod *usura* dicitur. Quaedam vero sunt, quorum usus non est ipsa rei consumptio; sicut usus domus est inhabitatio, non autem dissipatio. Et ideo in talibus seorsum potest utrumque concedi, puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reservato sibi usu ad aliquod tempus; vel e converso cum quis concedit alicui usum domus, reservato sibi eius dominio. Et propter hoc licite potest homo accipere pretium pro usu domus, et praeter hoc repetere domum accommodatam, sicut patet in conductione et locatione domus. Pecunia autem, secundum Philosophum in 5. Ethic. cap. 5. a med., et in 1. Polit. cap. 5. et 6., principaliter est inventa ad commutationes faciendas; et ita proprius et principalis pecuniae usus est ipsius consumptio sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundun se est illicitum pro usu pecuniae mutuatae accipere pretium, quod dicitur *usura*, et sicut alia iniuste acquisita tenetur homo restituere, ita restituere tenetur pecuniam, quam per usuram accepit ». S. Th. 2. 2. q. 78. a. 1.

« Certum est, ait S. Alph. 759., quod usura etiam de iure naturali est illicita ». « Quidam autem neotericus in libro recenter edito laboriose conatus est probare, *pecuniam de se non esse sterilem et infructiferam*, sicut aliae res usu consumptibiles; *cum ex communi commercio hominum*, ut asserit, *quam plura lucra ex pecunia observemus oriri.* Hinc infert, praecisis iustis titulis periculi, damni etc.... licite possē aliquid exigi a mutuo pecuniae ultra sortem, modo lucrum sit moderatum, et modo mutuatarius sit dives, et pecuniam illam in augendis bonis suis impendat. Sed merito haec nova opinio interdicta est a Bened. XIV. in Ep. Enc. *Vix pervenit.* Ratio certa est, quia lucrum, quod recipitur ex pecunia, *totum* oritur non ex ipsa pecunia, *quae, cum omnino sterilis sit, fructum parere haud potest,* sed oritur ex mera industria hominum. Nec pro eo quod mea pecunia alteri proderit ob suam industriam, possum ego ultra sortem aliquid ab eo exigere ». L. 758., Collectan. S. C. de P. F. n. 2130.

Iure divino et ecclesiastico. Sic Ezechiel 18., 10. 13. inquiebat: « *Si genuerit filium latronem effundentem sanguinem... ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet... cum haec detestanda fecerit, morte morietur: sanguis eius in ipso erit* ». Et « Conc. Lateran. Sess. 10. sub Leone X. pro usura damnatur quodlibet lucrum, *ex re infrugifera* perceptum, secluso tamen titulo laboris, aut sumptus, aut periculi. *Quando videlicet,* verba Concilii, *ex usura rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo, lucrum foetusque conquiri studetur* ». L. 765. Unde evidenter patet non damnari usuram, quia *exorbitans* est, sed quia *usura*. Sic etiam illicitum aperte pronuntiat lucrum

quodlibet, a mutuo proveniens *ratione et vi eiusdem mutui*, Benedict. XIV. in sua celebri Enc. *Vix pervenit ad aures.* Adde integrum tit. de *Usuris* in Corpore canonici iuris, ex quo etiam usurarius, si publicus sit ac notorius, a communione arcetur, absolutione pro foro poenitentiae privatur, infamis habetur, ac si impoenitens moriatur quin satisfecerit, sepultura ecclesiastica privatur. Adde prop. 41.^{am} et 42.^{am} dd. ab Innoc. XI. et 42.^{am} d. ab Alex. VII. — Bened. XIV. de Syn. l. 10. C. 4., E. M.

Neque vero ad intrinsecam usurae liceitatem dicere valet, quod ille qui mutuam dat pecuniam *beneficium* praestat, quod mercede dignum est; et onus ipse subit, dum se re *privat sua*, quod iterum pretio est aestimabile. Insuper mutuum nihil aliud reapse est quam *pecuniae locatio*, cum in pecunia non *corpus* sed *valor* spectetur, et istius dominium semper remanet penes mutuantem: unde est quod mutuatarius dicatur vere et sit *aere alieno* gravatus. Tandem, attento praesenti rerum aucto commercio, constanti et semper progrediente in moderna Societate, vi praecise pecuniae, et incredibilis facilitatis eam transmittendi, permutandi, pecunia revera hodie sterilis et infrugifera dici amplius non potest, sed foecunda et maxime fructifera.

Verum tantum haec omnia valent quantum nihil. Etenim 1.° *beneficio formaliter* considerato non debetur merces, sed animi gratitudo, Cf. S. Th. 2. 2. q. q. 106. *Beneficium* vero hic materialiter consideratum non plus valet quam ipsa res mutuata, hac ergo restituta in eadem quantitate et qualitate, omnia ad aequalitatem redeunt, quam iustitia commutativa intendit et facit. — 2.° Privatio item rei suae non pluris, sed tanti aestimatur, quanti aestimatur ipsa res, qua quis privatur. Ea igitur restituta, ad aequalitatem prorsus onus illud compensatur. Secus dicendum esset, quod in venditione rei praeter pretium ipsius rei, deberet venditor accipere aliud pretium aequivalens privationi suae rei, quae privatio cum sit in venditione pro semper, deberet pretium accipere non tantum duplicatum, triplicatum, sed pluries multiplicatum, ut perpetua rei privatio compensetur. — 3.° Si mutuatarius non esset vere dominus pecuniae, non tantum *materialiter*, sed etiam *formaliter* consideratae, non posset sane eam expendere secundum eius *pecuniarium valorem.* Formalis pecuniae valor inseparabilis *re* est ab ipsa pecunia materialiter considerata. Et si hic formalis valor ad ipsum mutuatarium non pertineret, sed ad mutuantem, nullum mutuatarius posset ex pecunia nomine suo inire onerosum contractum. Quod autem *aere alieno* dicatur gravatus, hoc sane non significat quod pecunia mutuata non sit *sua*, sed quod non sit sua *absolute*, sine nempe etiam obligatione tantumdem restituendi. *Aes alienum* nunquam quidem significavit *aes furtivum*, *aes depositum*, *aes locatum*, etc., sed significavit et significat *debita solvenda*, undecumque ista debita proveniant sive *ex mutuo*, sive *ex alio contractu*, sive *ex alio titulo.* — 4.° Tam verum est quod praesens rerum commercium non reddidit pecuniam fructiferam, quantum verum est quod praesens commercium potius *credito*, ut dicitur, quam materiali *pecunia* regitur; et creditum ex propria est industria, ingenio, labore, fiducia apud publicos mercatores acquisita, maxime honestate vitae. Praeterea maxime in praesenti videtur, quod pauperes operarii, laboriosi et industriosi, ingentes brevi tempore congerunt divitias; nobiles viri e contra ditissimi, ob defectum laboris et debitae industriae, ad extremam paupertatem reducuntur. Non est igitur pecunia,

quae est fructifera, sed proprius labor et propria industria.— L. 758. 759. 764., Gousset 815. seqq., Collectan. S. C. de P. F. n. 2119. 2121. 2122. 2124. 2133.

1089. *Resolves:* Tum usurarius, tum eius cooperatores ad restitutionem usurae acceptae obligantur. Contractus enim usurarius est omnino nullus; nudaque rei traditio dominium non transfert. L. 761. 783. 791. seqq., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 3.

1090. *An in dubio, utrum mutuatarius dederit aliquid supra sortem gratis vel non, possis id retinere?* — R. Affirmative cum sententia communi et probabiliori, si bona fide acceperis, et dubium superveniat. Negative, si dubio negativo acceperis. Si vero dubio positivo, sive cum probabilitate acceperis, restituere teneris, communiter loquendo; cum in dubio mutuatarius praesumi debeat, *per se loquendo,* dedisse coacte, non gratis; homines enim difficulter sua gratis elargiuntur. Minime vero teneris ad restitutionem, si vere *ex circumstantiis* praesumi donatio possit. — Ex C. H. 1756. mutuatarius, qui solverit interesse, minime stipulatum, nec illud potest reclamare, nec capitali imputare. — L. 761.

1091. *An mutuans retinere possit, quod mutuatarius dedit ex timore, ne alias mutuum sibi denegetur?* — R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia requiritur ad usuram, ut detur ex *vi pacti,* sive ut debitum ex iustitia. Ita communius. L. 763.

1092. *An possit in pactum deduci donatio antidoralis, seu quae ex animo grato fiat?* — R. Negative. Ratio est, quia ex *pactis* necessario oritur iustitiae titulus, non vero donatio mere ex animo grato erogata. L. 764.

1093. *An pro obligatione, cui se submitteret mutuans non repetendi mutuum, nisi post multum tempus, possit aliquid ultra sortem exigere, etiamsi nullum incommodum ex dilatione ei eveniat?* — Adsunt tres sententiae. Prima sententia communis negat, et hanc tenent Less., Viva, Laym., Lugo, qui vocant contrariam, falsissimam et communiter ab aliis reprobatam. Ratio, quia talis obligatio est intrinsece annexa mutuo, quod non repetatur statim; sicut igitur non potest aliquid exigi ex eo, quod solutio expectetur pro aliquo tempore, ita nec pro tanto tempore; alias, dicunt, facile tali modo multoties usura palliari posset, illam exigendo non pro mutuo, sed pro obligatione expectandi solutionem. Et huic videtur favere damnatio prop. 42.ae proscriptae ab Alex. VII.

Secunda sententia dicit, quod, licet in mutuo sit obligatio expectandi solutionem per aliquod tempus; quando tamen obligatio est de non repetendo, *nisi post multum tempus,* puta per triennium, tunc, cum illa non sit *intrinseca* mutuo, potest aliquid licite exigi. Ita Med., Serra, Led. apud Salm. n. 25., ibique probabilem putant Trull., Henr. ac Bassaeus, atque non improbabilem putat Sporer. Et haec sententia vere non videtur sua probabilitate carere. Si enim licite aliquid exigere potest, qui obligatur ad mutuandum infra longum tempus, ut docent dd. communius cum Mol. apud Viva in d. prop. 42.am n. 5., cur non potest, qui obligatur non repetere suum, nisi post diuturnum tempus? Vide mox infra dicenda.

Tertia sententia parum huic secundae sententiae dissimilis, quam tenent Salm. cum Bann. etc. dicit, quod, licet, adhaerendo primae sententiae, exigere aliquid praecise pro tempore sit usura; attamen cum sit

moraliter impossibile, quod per multum tempus expectando mutuans non patiatur aliquod periculum, damnum vel incommodum, aut saltem non impediatur ab exercendo aliquem actum liberalitatis; aut alterius decentis operationis; idcirco potest aliquid ultra sortem recipere et pacisci. Cuilibet mutuo est quidem *intrinseca* obligatio expectandi per aliquod tempus ordinarium; verumtamen mutuo in particulari, cum pacto expectandi per tempus extraordinarium, non est intrinseca, sed omnino *extrinseca* talis obligatio; et ideo illa non procedit ex liberalitate, sed ex iustitia obligat ad expectandum pro tanto tempore. Hinc, si mutuans aliquid accipiat pro tali obligatione, rite accipit, *non ratione commoditatis, qua privatur, sed ratione oneris ex pacto sibi impositi*, quod onus utique est pretio aestimabile. L. 760.

Obligatio haec *intrinseca* et *extrinseca* sortem non repetendi per certum aliquod tempus declarari potest ex alio titulo, nempe ex periculo sortis, quod pariter esse potest mutuo, *intrinsecum* et *extrinsecum;* unde ex eo illicitum vel licitum est auctuarium aliquod ultra sortem percipere. Cf. Instruct. S. C. de P. F. par. II. *Quaeri nunc potest*, E. M.

1094. *Quid sint Montes pietatis, et an sint usurarii?* — Ad 1.um Montes pietatis dicuntur aeraria quaedam sive publica sive privata, quae sunt instituta, ut ad ea indigentes quasi ad montem refugium habeant ad mutuo accipiendas pro pignore pecunias, ne eas ab usurariis cum maiori suo damno accipere cogantur; ita tamen, ut Monti pietatis certum lucrum relinquere debeant, et nisi, e. g., intra annum pignus redimant, illud cadat in dominium ipsius Montis.

Ad 2.um Montes pietatis, *debite instituti*, non sunt usurarii. Id patet auctoritate Leonis X., qui in Concilio Lateranensi Sess. 10. per B. *Cum inter nonnullos*, eiusmodi Montes pietatis ut licitos, et labe usurae carentes, approbavit. Ratio responsionis vero est, quia illud moderatum lucrum, quod mutuatarius similibus Montibus, sive publicis aerariis, relinquere debet, non exigitur titulo mutui, sed ad exsolvenda salaria officialium, et conservandum simile aerarium; adeoque tale lucrum non est usurarium. — *Debite instituti*. Nam 1.° lucrum illud, quod percipitur, debet esse moderatum et proportionatum expensis faciendis pro ministris istius Montis, quorum labor est vere pretio aestimabilis. 2.° Sufficiens tempus concedi debet mutuatariis, ut pignora possint redimere, neque ea derelinquere cogantur. 3°. Pignus exigatur aequivalens, vel non multum excedens rem mutuatam, cum enim pignora illa nisi, e. g., intra annum redimantur cadunt sub dominium Montis, intercederet usura palliata, si ea pignora nimis vili pretio taxarentur, et dein longe maiori venderentur, absque ulla refusione oppignoranti facta. — L. 765., A. S. S. V. 4. p. 27. seqq., E. M.

1095. *Quid sit iustum interesse mutuantis?* — Aliud in mutuo est *usura*, aliud *iustum interesse* mutuantis: *Usura* enim est, quando mutuans immediate propter dationem mutui exigit aliquid ultra sortem. — Iustum *interesse* mutuantis vero est, quando iste ex alio titulo iusto *extrinseco*, qui in mutuo per accidens intercurrit, aliquid exigit ultra sortem in compensationem talis tituli, seu causae pretio aestimabilis. Quapropter illud auctuarium, quod exigitur, non exigitur vi contractus mutui, sed vi alterius contractus mutuo adnexi. Contractus autem intercedere debet, secus

enim, licet iustus adsit titulus aliquid exigendi, nihil iuste exigi potest. Ita expresse C. H. 1755., et deducitur clare ex C. I. 1829. 1830., C. G. 1902. 1903., C. A. 984. — L. 765. 773., E. M.

1096. *An liceat mutuanti exigere quod sua interest ob titulum damni emergentis vel lucri cessantis?* — R. Affirmative. Duplici enim modo, inquit A. D. 2. 2. q. 62. a. 4., potest quis damnificari: uno modo, auferendo ei quod actu habet, et dicitur *damnum emergens;* alio modo, impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi, et dicitur *lucrum cessans.* Porro tam ob *damnum emergens*, quam ob *lucrum cessans* licet mutuanti quod sua interest causa mutui exigere a mutuatario, *si conditiones debitae intersint.* Rationem affert idem. A. D. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1., docens, hoc *non esse vendere usum pecuniae, sed damnum evitare.* Et sane non patitur aequitas, ut quis lucrum amittat vel damnum sentiat ex beneficii collatione: *nemo,* legitur in Iure, *debet pati dispendium, unde praemium videtur meruisse.* Adde id expresse probari a Bened. XIV. Epist. Enc. *de usuris.*

Si conditiones debitae intersint. Conditiones sunt: 1.° Ut *interesse* ab initio in pactum deducatur, *non tamen illico exigatur*, praemonito etiam mutuatario de titulo *damni emergentis* et *lucri cessantis*, vel alio, si quis extet, pro quo aliquid ultra sortem exigere velit; nam post contractum mutuans non amplius potest quidpiam exigere, etiamsi damni emergentis et lucri cessantis fuerit immemor; ad contractum enim non sufficit voluntas interpretativa sive conditionalis, sed requiritur actualis vel virtualis, aut saltem aliquando habita et non retractata: *debebat sibi cavisse*, ait A. D. q. 3. de Malo a. 4. de mutuante in tali casu, *ne detrimentum incurreret; nec ille qui mutuum accipit, debet damnum incurrere* de stultitia mutuantis. Attamen, etsi damnum emergens non fuit deductum in contractum, si mutuatarius solutionem ultra terminum statutum culpabiliter differt, tenetur mutuanti resarcire quodcumque damnum ex tali dilatione emergens; nam iuxta R. 25.^{am} in 6.°: *Mora sui cuilibet est nociva.* — 2.° Ut non plus exigat mutuans, quam sit damnum quod patitur, aut lucrum quod sperat ex alio contractu licito, iuxta aestimationem spei et periculi, ac deductis expensis; id enim tota est ratio exactionis. Hinc interesse non potest exigi pro tota quantitate lucri, quod mutuans sperare posset; nam hoc lucrum, cum saepius possit impediri, minoris debet aestimari: immo ad illud mutuans debuisset concurrere per proprium laborem, cuius carentia pariter est aliquo praetio aestimabilis. Unde valor lucri cessantis debet aestimari secundum iudicium prudentum virorum: quod bene est observandum. — 3.° Ut mutuum sit reapse causa *damni emergentis*, vel *lucri cessantis.* Unde, si quis non haberet ullam occasionem negotiando aliquid lucrifaciendi, vel etiam data occasione non vellet negotiari, non posset praecise ex titulo *lucri cessantis* exigere interesse, licet ex aliis titulis posset. — L. 768. 769., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 4., Gousset 819., Collectan. S. C. de P. F. n. 2133., E. M.

1097. *An mutuans compensationem damni emergentis exigere possit, si ipse ultro ad mutuandum se offerat?* — R. Affirmative probabilius. « Ratio, quia mutuator tunc non offert mutuum absolute, sed sub conditione, ut ei compensetur lucrum cessans; et sic mutuatarius acceptando mutuum est vera causa cessationis lucri, vereque impedit, quin mutuator ex sua pecunia iuste lucretur ». L. 769. 807., E. M.

1098. *An liceat mutuanti de certo lucro percipiendo ab initio pacisci, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?* — Commune est adhuc aliquid exigi posse supra sortem, habita tamen et caute servata proportione inter timorem damni vel spem lucri, et *auctarium*, quod in hypothesi acciperetur. Ratio est, quia debita aequalitas iam inde servatur; nam, sicut, damno non eveniente, lucraretur mutuator, ita contra, eo eveniente, lucraretur mutuatarius. Nec refert quod damnum praevisum non accidat; etenim pactum de auctuario non fit pro damno, sed pro periculo eiusdem, quod actu supponitur et est pretio aestimabile. Piscator, qui vendit iactum retis, non vendit quidem pisces, qui forte nulli capientur, sed vendit spem eorum probabilem, quae actu exsistit, et est pretio aestimabilis. L. 770., E. M.

1099. *An aliquid exigere possis ratione lucri cessantis ob pecuniae mutuum, si aliam pecuniam otiosam serves?* — R. Affirmative, « si illam aliam pecuniam reservasses ad usum familiae... quia non teneris ratione mutui tuam providentiam negligere ». Affirmative etiam probabiliter, si sine tali incommodo possis aliam pecuniam substituere pecuniae destinatae negotiationi. Hoc enim posito, quod statueris hanc solam pecuniam negotiationi destinare, licite potes petere lucrum cessans; « quia vere mutuatio est causa, ut tibi cesset lucrum speratum ex illa pecunia ». L. 771. 772.

1100. *An licitum sit aliquid supra sortem exigere ratione periculi illam amittendi?* — R. Affirmative. Ratio, quia mutuans non tenetur mutuare cum periculo perdendi sortem, et tale probabile periculum est pretio aestimabile; adeoque, si propter hoc periculum exigatur proportionatum interesse, talis contractus nec repugnat virtuti liberalitatis nec iustitiae. S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2., L. 765. Excipe: 1.° Si mutuatarius sit pauper, quia tunc praeceptum mutui ex caritate urget. 2.° Si mutuatarius sortem per pignus assecuret, quia sic periculum cessat. — E. M., Collectan. S. C. de P. F. n. 2135.

1101. *Quaenam sint servandae conditiones in praedicto titulo?* — Ut interesse sit ex hoc titulo iustum duo debent attendi: 1.° Periculum amittendi sortem non debet esse praecise possibile, sed etiam probabiliter futurum; aut ratione mutuatarii, qui non est satis notus, vel dubiae est fidei, vel periculosum gerit negotium; aut ratione sortis, quae cum periculo mutuantis alio est deportanda. 2.° Quantitas ipsius interesse debet esse proportionata quantitati periculi. — Utrumque patet ex responsione S. C. de P. F., quae anno 1645. a Missionariis e Regno Chinensi in simili dubio interrogata, et de mandato Innoc. X. convocata, respondit: « Censuerunt *ratione mutui immediate et praecise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem;* si vero aliquid accipiant *ratione periculi* probabiliter emergentis (prout in casu) non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis eiusdem, ac servata proportione inter periculum et id, quod accipitur ». La-Croix n. 856., L. 765.

1102. *An licitum sit in mutuo pacisci de poena solvenda a mutuatario, si sortem non reddat tempore definito?* — R. Affirmative. Ratio est, quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii praecavetur. L. 766. Observandum tamen est hoc pactum non esse licitum, nisi

1.° mora debitoris sit notabilis et culpabilis; *notabilis,* nam aliqua mora est mutuo intrinseca; *culpabilis,* nam qui non peccavit non est puniendus. 2.° Absit animus lucrandi per poenam illam appositam, qui adesse praesumitur, si debitor oneretur obligatione restituendi sortem eo tempore, quo certo scitur eum solvere minime posse. 3.° Poena sit moderata et culpae proportionata, alioquin iniusta esset: *probabilius* autem ea ante sententiam debita est; nam magis habet rationem pacti quam poenae, licet et poena sit, ut ait Tourn., Less. etc. L. 766. 767. 775.

1103. *An lex civilis iustum titulum suppeditet aliquid supra sortem exigendi, secluso etiam quovis alio titulo?* — R. Affirmative. Ac, deficiente *lege* scripta, ea legitima exsistente consuetudine, quae vim legis habet, suppletur. — Prob. 1.° Nam, cum ordinarie in mutuo non desit extrinsecus titulus iusti interesse, ratione periculi sortis, lucri cessantis, damni emergentis, bene potest civilis auctoritas lege determinare auctarium, quod exigi iuste possit ad impediendas pravorum hominum iniustas extorsiones, et faciliorem omnibus reddendum contractum mutui, nec non ad lites et controversias, non sine partium gravi damno, impediendas. — 2.° Potest publica auctoritas, ratione boni communis, privatorum dominium transferre, ut videre est in praescriptionis lege. Potest igitur eadem auctoritas dominium auctuarii supra sortem transferre, quod hoc in casu libere et libenter datur ab omnibus, ratione publici et privati boni, cui, ut ipso experimento compertum est, maxime favet mutui facilitas. — 3.° Idem evincitur ex Responsis SS. CC., *non esse* nempe *inquietandos,* qui lucrum a lege concessum accipiunt, absque ullo etiam alio titulo. Collect. cit. n. 2141., E. M.

1104. *Quale sit interesse positivis legibus constitutum?* — Ex C. I. 1831., C. G. 1907. et Leg. 3. Sept. 1807., interesse aliud est *legale,* aliud *conventionale.* Interesse *legale* est quinque pro centum in materia civili, sex pro centum in materia commerciali. Interesse *conventionale* excedere non potest ex Leg. Gall. cit. praedictam quantitatem; ex C. I. a contrahentium arbitrio pendet; sed si excedat interesse legale *actu scripto* constare debet, secus nullum debetur interesse. Potest tamen debitor post quinque annos a contractu restituere semper summas acceptas cum interesse solvendo, legale excedente, non obstante quovis contrario pacto, monitione tamen scripto facta ante sex menses. C. I. 1832. Cf. 1833. — Ex C. H. 1108. 1109. in materia civili, interesse item aliud est *legale,* aliud *conventionale.* Interesse *legale* est sex pro centum. In materia commerciali standum Codici Commercii. In eo autem agitur de contractibus commercialibus art. 50.-63 — Ex C. A. 994. 995. interesse aliud est *legale* aliud *conventionale.* Primum est quatuor pro centum, et inter mercatores sex pro centum. Alterum excedere non potest quinque pro centum in mutuo cum pignore, et sex pro centum in mutuo sine pignore. Lege vero 14. Jun. 1868. limites praefiniti in mutuo pro huiusmodi conventionali interesse abrogati sunt.

1105. *An ex positivis legibus interesse etiam ex interesse constituatur?* — Ex C. I. 1232. 1233., C. G. 1154. 1155. interesse ex interesse post annum debetur, si creditor illud iuridice petat, vel peculiari conventione, postquam tamen prius interesse debitum iam fuerit. Potest autem ab initio etiam exigi ex reditibus praediorum, perpetuis, vitalitiis. Gousset Cod. comm. in art. 1154. Ex C. H. 1109. interesse legale ex interesse pariter

debetur, postquam hoc debeatur et illud iuridice petatur. Ex C. A. 998. interesse tantum quod a duobus vel pluribus annis debetur, mediante conventione, potest novum capitale constituere.

1106. *An legale interesse sit aliquando, etiam sine conventione, solvendum?* — Lex ipsa civilis citra omnem conventionem statuit legale interesse solvendum, aliquando ratione *morae*, C. I. 1231., C. G. 1146., aliquando ratione *naturalis aequitatis*. — Ratione *morae*, v. g., debitoris, qui suo tempore non restituit pecuniam sibi creditam; tutoris, qui pupilli pecuniam non collocavit, C. I. 291., mandatarii seu depositarii, qui aliena summa usus est, C. H. 1724. 1770. etc. Hoc interesse instar poenae est, adeoque ante iudicis sententiam non debetur, post eam in foro etiam conscientiae debetur, etsi *mora* culpam solam *civilem* prae se ferat. — Ratione *naturalis aequitatis*, e. g., si dos constituta sit in pecunia numerata, si emptor domus, praedii, statuta die, pretium non solvit, etc. C. I. 1397., C. G. 1548. Hoc interesse sententia iudicis non indiget, ut debeatur. — Cf. C. A. 1336., C. I. 1094.

Casus, in quibus ex C. I. ipso iure legale interesse debetur, sunt: 1.° Summa residua debita a tutore, rationibus redditis, C. I. 308. — 2.° Dos a die matrimonii, a promittentibus debita, C. I. 1397. — 3.° Dos restituenda a die soluti matrimonii, C. I. 1415. — 4.° Summa debita a socio societatis, C. I. 1710. — 5.° Summa, quam solvit fideiussor, C. I. 1915., C. H. 1838. — 6.° Anticipationes a mandatario factae, C. I. 1755. — 7.° Legatum a morte testatoris, si sit legatum fundi, capitalis, vel rei fructiferae, C. I. 865. — 8.° Quoties vendita res fructus producit, nondum soluto pretio, C. I. 1509. — 9.° Quoties negotiorum gestor expensas fecit in alterius utilitatem, C. I. 1144. — 10.° Quoties mala fide indebitum quis recepit, C. I. 1147.

1107. *An mutuatarius interesse solvens indebitum, illud ex positivis legibus repetere possit?* — Quamvis in Iure detur generatim indebiti repetitio, C. I. 1237., C. G. 1235., C. H. 1895., hic tamen non datur, C. I. 1830., C. G. 1906., C. H. 1756. Quare mutuatarius, qui interesse solvit, quod non erat conventum, vel ultra conventum, illud repetere non potest, neque capitali imputare.

1108. *Quibusnam liceat percipere 6. pro 100. ratione commercii iuxta leges civiles?* — Licet certo *mercatoribus* pecuniam *aliis mercatoribus mutuantibus*, quia omnino de commercio agitur. — Licet etiam *mercatoribus* respectu *aliorum non mercatorum*, quia lex favere commercio intendit; favet autem permittendo mercatoribus, ut maiorem censum ex mutuata pecunia percipiant. — Si agatur *de aliis non mercatoribus* respectu *mercatorum*, controvertitur. Negant communius licere, et afferunt talem esse tribunalium decisionem. Ratio est, quia lex, quae mercatoribus favere intendit, ipsis potius nociva foret, si interesse maius solvere deberent. Plures tamen etiam inter iurisperitos affirmant. Ratio autem horum est: 1.° Quia verba legis sunt generalia: *in materia commercii;* nec constat, qualis sit sensus genuinus illorum verborum. 2.° Quia expedit commercio, ut ita lex intelligatur: sic enim multo facilius mercatores pecuniam reperiunt cum maiori sua et commercii utilitate.

1109. *An liceat excedere taxam legalem in mutuo, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?* — R. Negative, respectu pauperum vel aliorum,

qui *in necessitate* mutuum petunt, et qui auctuario maiori opprimerentur. Non tamen teneri videris cum magno tuo incommodo ad mutuum eis concedendum. Caritas non obligat cum gravi incommodo. — Si pecunia *in utilitatem*, non vero in necessitatem alterius tradatur, controvertitur, et duplex fertur sententia. Prima sententia affirmat ratione indemnitatis seu iustae compensationis. Secunda sententia negat. Ratio est, quia compensationes damnorum ex obligatione pecuniaria provenientium exigi possunt iuxta taxam legalem. Quae quidem sententia locum habere potest, si mutuator cogat aut obliget alium ad mutuum a se accipiendum; secus non apparet ratio, cur mutuator emergentis damni detrimentum in gratiam alterius subire debeat.

1110. *An liceat percipere auctarium legale, ubi excedit 5. vel 6. pro 100.?* — R. Affirmative, si lex, perpensis omnibus circumstantiis, et praesertim timoratorum praxi et consuetudine, videatur iusta, id est, appareat aequalitas inter lucrum lege permissum, et valorem usus pecuniae aut pericula sortis, etc. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias, nec non ad pecuniae raritatem, ex qua eius pretium et proinde usus crescit, ut in Africa, in India, etc.

1111. *Quid dicendum de institutionibus, quae vulgo dicuntur Arcae Parcimoniae?* — Non tantum tolerandae, sed et laudandae sunt eiusmodi institutiones, quippe quae subveniunt viduis, famulis, ancillis et pauperibus, dum modica eorum pecunia accipitur mutuo, et proportionatum interesse ipsis rependitur.

XI. — DE MANDATO ET DE QUASI CONTRACTU

1112. *Quid sit mandatum, et quaenam sit eius natura?* — Mandatum, prout est contractus, definiri potest: contractus, quo alter e contrahentibus alteri committit gestionem alicuius negotii suo nomine peragendi. Inst. l. 3. t. 27. *de Mandato* § 1. seqq., C. I. 1737., C. G. 1984., C. H. 1709., C. A. 1004. — Ex Iure Romano mandatum est contractus *per se gratuitus*. L. 1. § 4. Dig. *Mandati*, Inst. l. c. § 13. Ex C. I. 1739., C. G. 1986., C. H. 1711. mandatum *gratuitum* est, nisi aliter fuerit conventum. — Mandatum esse potest *expressum et tacitum;* acceptatio item esse potest *expressa et tacita.* Tacitum est mandatum, si quis videat aliquid in sui gratiam fieri, neque prohibeat. Tacita est acceptatio, si mandatarius rem exsequatur. L. 6. § 2. Dig. *Mandati*, C. I. 1738., C. G. 1985., C. H. 1710. — Si mandatum contra bonos mores sit, *nullum est.* Hinc nulla est civilis actio mandatarii contra mandantem. Inst. l. c. § 7. Attamen, si mandatarius damnum revera passus sit culpa mandantis, naturalis ei actio contra mandantem non denegatur. — L. 825. par. *Quid.*

1113. *Quinam mandans et mandatarius esse possit?* — Ut mandatum possit contrahi requiritur, ut *mandans* sit *per se* capax ea faciendi, quae alteri fieri mandat; et ut *mandatarius* sit naturali iure capax obligationis contrahendae, licet incapax sit positivo iure. Ratio est, quia mandatarius

non suo nomine, sed nomine mandantis agit. In negotio autem gerendo, ex C. I. 1743., C. G. 1990., C. H. 1716., *minor* emancipatus mandatarii munus suscipere potest, sed mandans contra eum actionem non habet, nisi secundum generales praescriptiones obligationum et contractuum *minorum*. *Uxor* mandatum suscipere nequit sine viri auctoritate.

1114. *Quaenam sint mandatarii obligationes?* — Mandatum non suscipere cuilibet *liberum est;* susceptum autem *consummandum est*, aut quam primum *renunciandum*. Inst. l. c. § 11. In negotio autem gerendo non debet mandatarius *mandati fines excedere:* secus iam non nomine mandantis, sed suo agit. Inst. l. c. § 8., C. I. 1742. 1751., C. G. 1989. 1997., C. H. 1714. 1715. 1718.

Tenetur mandatarius *debitam* in re gerenda adhibere *diligentiam*, et *rationem reddere suae exsecutionis*, nec non mandanti reddere totum illud quod *vi mandati* recepit, quamvis illud mandanti debitum non fuerit. C. I. 1747., C. G. 1993., C. H. 1719. 1720. Et sic, si mandatum receperit mutuam dandi pecuniam sine interesse legali, et cum hoc interesse dedit, hoc etiam mandanti restituet.

Interesse praeterea *debet pecuniae*, quam in proprium usum adhibuit ex die huiusmodi usus. *Interesse* item *debet pecuniae*, cuius debitor est, ex die, qua in mora constituitur. C. I. 1750., C. G. 1996., C. H. 1724.

Mandatarius non nisi *de culpa lata tenetur,* si mandatum sit gratuitum, Laymann l. 3. tr. 4. c. 26. n. 1.; si autem non sit gratuitum, perinde res erit ac in locatione operae. Instit. l. c. § 13. Ex C. I. 1745. 1746., C. G. 1991. 1992., C. H. 1726., mandatarius tenetur *de damnis obvenientibus ex non impleto mandato.* Tenetur praeterea non solum *de dolo*, verum etiam *de culpa commissa in exsecutione mandati.* Ad culpam quod spectat cum minore rigore tenetur cum mandatum est gratuitum, quam quum stipendium pro eo recepit.

1115. *Quaenam sint mandantis obligationes?* — Tenetur mandans *ratum habere* id quod suo nomine, intra mandati limites, gestum est, *et obligationes exsequi*, a mandatario contractas. C. I. 1752., C. G. 1998., C. H. 1727.

Mandatarium indemnem servare debet, adeoque factas expensas debet compensare, licet res male successerit, et ipse minus fuisset impensurus. *Debet* item *interesse praestare summarum*, quas mandatarius impendit, a die quo impendit. Debet etiam damna compensare, quae mandatario contigerint mandati causa et occasione, quae alias passurus non fuisset. An etiam tenetur mandans de fortuito mandatarii damno? Si mandatum fuerit pretio convento, non tenetur; si gratuitum, controvertitur. — C. I. 1753. seqq., C. G. 1999. seqq., C. H. 1728.-1730.

1116. *Quandonam mandatum cesset?* — *Cum res integra* adhuc est, mandatum cessat mandantis revocatione, mandatarii renuntiatione, alterutrius morte, interdictione, bonorum cessione. Inst. l. c. § 9. 10. 11., C. I. 1757., C. G. 2003., C. H. 1732., et secundum C. I. l. c. ex inhabilitate renunciata sive mandatarii sive mandantis quoad ea tantum, quae ipsi suo nomine, sine curatore obire nequeunt. Excipe, si mandatum fuerit tradi dotem puellae, et mandans moriatur, etiam post eius mortem tradenda est, idque in gratiam dotis; si mandatum sit ad pias causas, quae a civili potestate non pendent, Laymann l. 3. tr. 4. c. 26. n. 6.; si mandatum de re aliqua sit, quae non nisi post mandantis mortem sit efficienda.

Si res iam coepta sit, et mandatarii vel mandantis intersit ut perficiatur, non potest mandans mandatum revocare, vel mandatarius mandato renuntiare, nisi facta compensatione eius, quod mandantis vel mandatarii interest. Hinc ius et obligatio alterius ad haeredes transit. C. I. 1758. 1761. 1763., C. G. 2004. 2007. 2010., C. H. 1718. 1736. 1737.

Si mandatarius, *ignorata morte mandantis, vel alia causa cessationis mandati,* bona fide mandatum exsecutus est, factum probatur, et datur ei actio contra mandantis haeredes. Inst. l. c. § 10., C. I. 1762., C. G. 2008. 2009., C. A. 1026., C. H. 1738. Si vero mandatarius moriatur, *eius haeredes* mandantem monere debent, et interim, prout circumstantiae exigunt providere debent mandantis utilitati, C. I. 1763., C. G. 2010., C. H. 1739.

1117. *Quid sit ratihabitio?* — Mandato in iure comparatur ratihabitio, qua actus alterius, nomine proprio factus, ratus habetur. *Nomine proprio,* secus enim approbatio operis, non ratihabitio, esse potest. R. 9.ª 10.ª de R. I. in 6.°, Lugo D. 3. n. 146., D. 19. n. 34.

1118. *Quid sit negotiorum gestio?* — Negotiorum gestio est *quasi-contractus,* quo quis *absentis et ignorantis* negotia gerenda ei utiliter suscipit. Inst. l. 3. t. 28. *de Obligat. quae quasi ex contr. nascuntur* § 1.

Quasi-contractus. Etenim licet quasi-contractus saepe confundatur cum implicito seu virtuali contractu, Cf. 932.; ab hoc tamen distinguitur. Nam per quasi-contractum intelligitur mere factum honestum, ex quo *citra conventionem,* etiam implicitam seu virtualem, nascitur obligatio. Multiplex in Iure Romano quasi-contractus recensetur: *negotiorum gestio, rei communis vel communis haereditatis administratio, aditio haereditatis, tutela, indebiti solutio.* Inst. l. c. Recentiora Iura duos tantum quasi-contractus recensent, *negotiorum gestionem et solutionem indebiti.* Administratio enim rei communis, vel communis haereditatis, et tutelae susceptio ad negotiorum gestionem facile reduci potest. Haereditatis autem aditio unam haeredis cum testatore eamdemque efficit personam. — C. H. 1887., C. I. 1140., C. G. 1371.

Absentis et ignorantis. Secus enim si dominus praesens sit, et rem sciat, licet taceat, non negotiorum gestio, sed mandatum habetur. — *Negotia gerenda ei utiliter suscipit.* Nam non sui lucri causa, sed utilitate domini, eius nomine, ipsius negotium gerendum suscipit. Hinc si quis alienam rem a fure domino redemit, eiusdem rei pretium a domino repetit, si ipsi quidem domino redemit, non si sibi emit.

1119. *Quaenam sint gestoris et domini rei gestae obligationes et iura?* — *Ex Iure Romano:* 1.° Si bona alterius deserta erant, et quis sponte ea suscipit administranda, *dolum* is praestat *et culpam latam,* quae dolo aequiparatur, L. *Ait Praetor* § 9. Dig. h. t. Tenetur praeterea gestor non solum de dolo, sed et de culpa etiam levi, immo levissima, in hypothesi quod alius esset, qui negotium fuisset diligentius administraturus. Inst. l. c.

2.° Negotiorum gestori *actio contra dominum* competit, ut nempe ei praestetur quidquid de suo erogaverit, et de damnis compensetur, si prudenter negotium gesserit, etsi sine felici exitu. L. *Sed an* § Dig. *de Neg. gest.,* Inst. l. c. *Actio* pariter concessa est domino *contra gestorem,* ut rationem reddat gesti et neglectae utilitatis. Inst. l. c.

Ex C. I. 1143., C. G. 1374., C. H. 1889-1891. negotiorum alterius sponte gestor tenetur: 1.° In sua administratione *curam gerere* tanquam bonus

paterfamilias. Iudex tamen moderari potest *damna*, quae provenerint *ex culpa vel negligentia* administratoris, omnibus rei attentis circumstantiis.

2.° Qui sponte alienum negotium gerendum suscipit *debet gestionem prosequi* et ad exitum perducere, usque dum is cuius interest, possit per se negotio consulere, et, si is cuius interest moritur, debet gestionem prosequi, donec haeres possit eius administrationem sumere. C. I. 1141., C. G. 1372. 1373., C. H. 1888.

3.° Debet gestor pati quae *ex ipso negotio consequuntur*, et iis obligationibus subesse, quae extarent si *ex mandato* rem gerendam suscepisset. Dominus vero, si recte negotium gestum est, *debet satisfacere obligationibus*, quas nomine suo gestor contraxit, *immunem servare gestorem ab iis*, quas personaliter is contraxerit, atque *compensare omnes expensas factas*, tum necessarias tum utiles, una cum earum fructibus, a die quo factae fuerunt computandis. C. I. 1141. 1144., C. G. 1372. 1375., C. H. 1893. seqq.

1120. *Quaenam sint obligationes et iura ex tutela?* — « *Tutores* quoque, qui tutelae iudicio tenentur, non proprie ex contractu obligati esse intelliguntur. Nullum enim negotium inter tutorem et pupillum contrahitur. Sed, quia sane non ex maleficio tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Hoc autem casu mutuae sunt actiones. Non tantum enim pupillus cum tutore habet *tutelae actionem;* sed et contra tutor cum pupillo habet contrariam tutelae, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligaverit ». Inst. l. c. § 2. *Tutelae actionem*, ut nempe rationem reddat suae administrationis, et *tam gesti quam non gesti*. — L. 917.

1121. *Quaenam sint obligationes et iura ex rei communione?* — « Item si inter aliquos communis res sit sine societate, veluti quod pariter eis legata donatave esset, et alter eorum alteri ideo teneatur communi dividendo iudicio, quod solus fructus ex ea re perceperit, aut quod socius eius solus in eam rem necessarias impensas fecerit: non intelligitur ex contractu proprie obligatus esse: quippe nihil inter se contraxerunt: sed quia ex maleficio non tenetur, quasi ex contractu teneri videtur ». Inst. l. c. § 3.

1122. *Quaenam sint obligationes et iura ex haereditatis communione?* — « Idem iuris est de eo, qui cohaeredi familiae erciscundae iudicio ex his causis obligatus est ». Inst. l. c. § 4.

1123. *Quaenam sint obligationes et iura ex haereditatis aditione?* — « Haeres quoque legatorum nomine, non proprie ex contractu, obligatus intelligitur. Neque enim cum haerede neque cum defuncto ullum negotium legatarius gessisse proprie dici potest; et tamen quia ex maleficio non est obligatus, quasi ex contractu debere intelligitur ». Inst. l. c. § 5. Ipso facto adeundi haereditatem, quae legata contineat, haeres erga legatarios tenetur, et legatarii vicissim erga haeredem obligantur, ut non ab alio quam ab haerede legatum accipiant.

1124. *Quaenam sint obligationes et iura ex solutione indebiti?* — « Item is, cui quis per errorem non debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur. Adeo enim non intelligitur proprie ex contractu obligatus esse, ut si certiorem rationem sequamur, magis ex distractu, quam ex contractu possit dici obligatus esse. Nam, qui solvendi animo pecuniam

dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potius negotium, quam contrahat. Sed tamen perinde is qui accepit obligatur, ac si mutuum ei daretur, et ideo condictione tenetur ». Inst. l. c. § 6.

Ex C. I. 1145.-1150., C. G. 1376.-1381., C. H. 1895. seqq., ille, qui aut ex errore, aut scienter recipit id, quod ei non debetur, *tenetur restituere illi*, a quo indebite accepit. — Ille, qui, cum ex errore putaret se debitorem, solvit, *ius non habet* nisi adversus eum tantum, *cui solvit, repetendi.* Desinit tamen hoc ius, si creditor propter hanc solutionem se privavit bona fide titulo crediti et cautionibus ad ipsum spectantibus; quo in casu liber est ei qui solvit *regressus adversus verum debitorem.* — Qui mala fide recepit solutum debet restituere *tum capitale, tum fructus* decurrentes a die solutionis. — Qui indebite aliquam rem accepit, *debet eam in individuo restituere*, si adhuc subsistit. Si vero non subsistit aut detrimentum passa est, ille qui mala fide accepit debet eius valorem reddere, etsi res fortuito perierit aut deterior facta fuerit; qui vero bona fide accepit, non tenetur restituere, nisi quod in rem suam versum est. — Qui rem bona fide acceptam *vendidit*, non tenetur nisi ad restitutionem *pretii*, aut ad cedendam *actionem* pro eius recuperatione. — Ille cui res restituitur debet *compensare possessorem* etiam malae fidei pro expensis factis in rei conservationem necessariis, et etiam utilibus. — Gousset 921.

1125. *Nota:* Obligatio restituendi ex indebiti solutione, tam ex quasi contractu, quam *ex re aliena accepta* exoritur. — Cf. Iuris exceptionem in mutuo n. 1107.

XII. — DE VENDITIONE ET EMPTIONE

1126. *Quaenam sit natura venditionis et emptionis?* — Emptio est pactio pretii pro merce; venditio vero est pactio mercis pro pretio. Emptio et venditio igitur sunt duo correlativa, et re ipsa unicus contractus, utriusque paciscentis consensu constitutus, dandi nempe mercem pro determinato pretio, et pretium pro determinata merce. Porro nomine *mercis* intelliguntur omnes res, tam immobiles, quam mobiles, quae inter homines solent vendi: nomine *pretii* vero intelligitur moneta, seu pecunia; nam quando pro una re vendibili datur alia vendibilis, non est emptio et venditio, sed potius permutatio. Pecunia igitur est quasi instrumentum, mensura, et pretium, publica auctoritate institutum, omnium, quae veniunt in commutationem. Inst. l. 9. t. 24. § 1., L. *Pacta conventa* Dig. *de Contrahenda emptione*, etc., C. H. 1445. 1446., L. 793., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 1.

1127. *Rei dominium, periculum, commodum ad quemnam spectent ex Iure Romano?* — Contractus iste *perficitur ante rei vel pretii traditionem.* Inst. l. 9. t. 24. init., L. *Sicut* Dig. *de Rer. permutat.* § 2. Ad eum tamen requiritur determinatio pretii, quae si remittatur ipsi emptori nullus est contractus, L. *Quod saepe ff. de contrahenda emptione.* Secus, si remittatur tertio, L. ult. C. e. t. Et sicut pretium, ita etiam res, saltem in spe, determinata esse debet. L. 794. Etsi contractus hic solo consensu perficiatur, ita ut nulla per se requiratur scriptura, conveniri tamen potest, quod non valeat nisi scriptura confecta. Inst. l. 3. t. 23. 24., L. 795.

Venditori et emptori paritur *ius ad rem*, non vero *ius in re*, nisi *facta traditione*, qua *dominium transfertur*. Inst. l. c. § 3. Quin immo etsi emptori res fuerit iam tradita, manet adhuc *sub dominio venditoris*, donec vel pretium fuerit solutum, vel venditori alio modo satisfactum sit, v. g., pignore, vel fidem venditor emptori habuerit de pretio. Inst. l. 2. tit. 1. § 41., L. 795. 796.

Speciale est in hoc contractu, quod quamvis contractus sit perfectus, *ante tamen traditionem rei venditor sit dominus rei, et periculum rei* nihilominus, *ut eius commodum et fructus, ad emptorem spectent*, nisi, quoad periculum, venditoris culpa pereat, et nisi res vendita res sit determinata tantum quoad genus, ut tot modios tritici, vel etsi in specie sit determinata, sit tamen res, quae est adhuc mensuranda, aut numeranda, aut praegustanda, siquidem tunc nondum perfecta censetur venditio. — Inst. l. 3. t. 24. § 3., L. *Quod si neque* Dig. *de Periculo et commodo rei venditae*, L. *Quod saepe* Dig. *de Contrahenda emptione*, L. *Illud* Dig. *de Peric. et comm. rei vend.*, Laymann de Empt. et Vendit. n. 18., L. 797. 798. 828.

Emptor pretium seu pecuniae dominium *in venditorem transfert*, venditor vero vacuam transfert possessionem rei in emptorem. Si venditor vere rei dominus erat *rei dominium* in emptorem transfertur. Si e contra venditor rei dominus non erat, tunc *evictionem* emptori praestare tenetur. L. *Ex empto* § 2. Dig. *de Actionibus empti et venditi*, L. *Servus* § 1. ib. Scilicet, si dominus rei evincit rem esse suam, tunc huius rei venditor pretium emptori reddere tenetur, et quantum ipsius intererat rem non esse evictam, L. *Si quaestio* C. *de Evictionibus*, L. *Evicta re* Dig. *de Evictionibus*, etc.

Quapropter etsi emptori ignoranti res aliena vel furtiva vendatur, contractus *valet, pretii dominium in venditorem* transfertur, et emptor ius acquirit *ad evictionem*, qua venditor emptori obligatur. L. *Rem alienam* Dig. *de Contrahenda emptione*, etc., L. *Ex empto* Dig. *de Action. empti et venditi*, L. *Si in emptione* Dig. *de Contrahenda empt.*, etc., L. *Qui vas* Dig. *de Fur.* § ult. Res vero empta *pecunia aliena* emptoris est, si nomine suo emat, L. *Si eo* C. *de Rei vindicatione.* Excipe, si pecunia sit Ecclesiae, minoris et militis; quia tunc illis res acquiritur. L. 799. 800.

1128. *Rei dominium, periculum, commodum ad quemnam spectent ex Recentiori Jure?* — Ex C. I. 1125. 1448. 1450. 1452., C. G. 1138. 1583. 1585. 1587., conventione facta rei et pretii, *contractus est perfectus*, etiamsi *res adhuc tradita non sit, nec pretium solutum, et dominium rei*, ante traditionem, *penes emptorem est.* — Si vero de rebus agatur, quae pondere, numero, mensura venduntur, aut quae pregustari solent, contractus non censetur perfectus, ante quam res secundum pondus, numerum, mensuram definita aut praegustata fuerit. — Hinc ex eod. C. I. 1470., C. G. 1614. a die venditionis, *omnes fructus rei spectant ad emptorem;* et C. I. 1480. 1125., C. G. 1624. 1138. *periculum rei* nondum traditae *spectat ad emptorem.* — « Sicut periculum rei spectat ad emptorem, ita ei debentur fructus illius, et leges civiles oppositae in hoc puncto reprobatae sunt a Iure Canonico, prout favorabiles lucro usurario, prout dicunt Salm. ». L. H. A. Tr. 10. n. 169. — L. 798.

Ex C. I. 1454., C. G. 1591. 1592., C. H. 1447. 1449. pretium determinandum est *a partibus contrahentibus.* Potest tertii arbitrio committi. Si autem hic nequit aut non vult pretium definire, nullus est contractus.

Venditio *rei alienae* nulla est, C. I. 1459., C. G. 1599. Haec nullitas opponi non potest a venditore, C. I. ib. Verum venditio *commercialis* rei alienae *valida est.* Ea obligat venditorem ad eius acquisitionem et ad eam tradendam emptori sub poena reparationis damni, C. I. Comm. 95.

Ex C. I. 1314. *sub poena nullitatis,* publico instrumento vel privata scriptura fieri debent conventiones, quae transferant proprietatem immobilium, aut aliorum bonorum, aut iurium capacium hypothecae. Ex C. G. 1341. 1583. quaelibet venditio solo partium consensu perficitur absque ulla legali formalitate. Cum venditio summam excedit 150. fr., ut in foro externo probari possit, scriptum authenticum vel privatum requiritur.

Ex C. H. 1450. 1452. 1453. 1468.: 1.° venditio, *ipsa conventione, ante rei traditionem perficitur.*

2.° *Damnum rei venditori imputatur,* si in mora constituatur eam tradendi, et si venditio rei fungibilis fiat *in corpore,* vulgo *in massa,* quod evenit quando pro uno ac certo pretio merx venditur, quin ponderis, numeri ac mensurae ratio habeatur; vel si ratio quidem habeatur ponderis, numeri ac mensurae, sed ad effectum tantummodo pretium determinandi. — Si vero vendantur res fungibiles pretio fixo relate ad pondus, numerum et mensuram, damnum emptori non imputatur, si prius res non fuerit ponderata, numerata et mensurata, et nisi in mora constituatur. — Si vendantur res quae antequam emantur soleant praelibari, ut vinum, oleum, etc. vel hac conditione emptae fuerint, venditio praesumitur facta sub conditione suspensiva.

3.° *Fructus* rei venditae *ad emptorem pertinent* ex die perfecti contractus.

Ex C. A. 1053. 1054. 1056. 1063. 1064. 1066. 1080. 1081. 1083. 1084.: 1.° *Venditor conservat proprietatem rei* ante eius traditionem. — Pretium numerata pecunia consistere debet, neque esse potest indeterminatum aut legibus contrarium. Remitti tamen potest decisioni tertiae personae.

2.° Re tradita, etiam pretio nondum soluto, *eius dominium in emptorem transit. Rei periculum et commodum ad eius possessorem spectat,* ut etiam in permutatione, cum qua venditio communes habet leges, ubi speciales desiderantur.

3.° In emptione et venditione rei *ad probationem* res empta non transit *in proprietatem emptoris,* nisi soluto pretio; et, durante probatione rei, emptor perinde est ac commodatarius, et ante elapsum probationis tempus ab emptione recedere potest. — In emptione et venditione rei *sub reservatione,* nisi alius emptor intra determinatum tempus offerat maius pretium, si res non fuit tradita, efficacia contractus differtur *usque ad verificationem conditionis.* Si vero tradita fuit, contractus perfectus est, sed verificata conditione resolvitur.

1129. *Quamnam vim arrhae venditioni addant? Quamnam vim habeat venditionis promissio?* — Ex Iure Romano: Si *arrhae* apponantur *promissioni venditionis* tantum, non confirmant contractum, sed unusquisque e contrahentibus resilire potest. Verum in hoc casu, si resiliat is, qui arrhas alteri tradidit, eas simpliciter amittit; contra, si resiliat is, qui eas accepit, duplum restituere debet, id est arrhas acceptas, et insuper valorem illis aequalem. — Si apponantur *ipsimet venditioni,* non faciunt eam conditionalem, sed argumentum sunt venditionis contractae; pro parte enim

pretii computantur, vel in securitatem solutionis dantur: unde nullus ex contrahentibus, altero invito, resilire potest. — *In dubio*, an promissioni contractus, vel ipsimet contractui adiectae fuerint, pro minimo standum est, seu soli promissioni venditionis adiectae censentur. — Inst. l. 3. t. 24., L. 35. Dig. *de Contrahenda emptione*, L. *Contractus* C. *de Fide instrumentorum*.

Ex C. G. 1589. 1590. *promissio vendendi* venditioni aequivalet, quoties adest consensus reciprocus utriusque partis in rem et pretium. Si autem promissioni coniunctae sint arrhae, quilibet contrahentium potest resilire a contractu, ita ut eae amittantur ab illo qui eas dedit; qui autem accepit reddat duplicatas. Hinc patet, promissionem venditionis non esse omnino confundendam, etiam ex C. G., cum ipsa venditione: siquidem ex eodem Cod. per venditionem transfertur rei dominium, minime vero per promissionem venditionis. Quare promissio venditionis, venditioni aequivalet, non quatenus dominium transferat, sed quatenus venditor cogi possit, accepto pretio; vel contra emptor, re accepta, eam implere. Gousset 833. — Ex C. H. 1451. 1454. *promissio venditionis et emptionis* ius contrahentibus dat reclamandi contractus impletionem. Si in contractu venditionis et emptionis arrhae datae et acceptae fuerint, potest contractus rescindi, si emptor contentus sit eas amittere, vel venditor duplicatas restituere. — Quoad C. I. Cf. 993. — Lugo D. 26. n. 10., L. 794.

1130. *An valeat emptio rei, antea alteri venditae?* — Ex Iure Romano: Res uni vendita, *et nondum ei tradita* in dominio venditoris est, qui proinde potest eam alteri *valide* vendere et tradere. Traditione enim secuta fit secundi emptoris. — Idem dicendum, si licet res tradita emptori, *pretium* tamen ab eo *nondum sit solutum*, vel nondum pro soluto habeatur. Tunc enim rei dominium nondum emptori est comparatum. — Etsi vero secunda emptio *valida sit*, traditione secuta, *licita* tamen *non est*. Hinc si res duobus sit vendita, *et nondum tradita*, priori emptori est tradenda. Si vero secundo emptori iam sit tradita, qui pretium iam solverit, *hic rei acquirit dominium*, sed prior emptor habet ius et actionem personalem *adversus venditorem quoad interesse et damna*. L. *Qui tibi* C. *de Heredit. vel actione vendita*, L. *Si ancillam* C. *de Action. empti et vend.* Quod si res secundo emptori tradita iam sit, sed pretium nondum sit solutum, aut pro soluto habitum, res priori emptori tradenda est, cum adhuc sit in dominio venditoris. — Licet res posteriori emptori tradita sit, et is pretium solverit, si secundus emptor conscius fuit prioris venditionis, damnari potest, naturali saltem iure, ut rem priori emptori tradat. Verum, cum contractus validus sit, ad eam restituendam non tenetur *ante sententiam iudicis*, sed tenetur tantum ad damni reparationem; si tamen priori emptori res fuerit hypothecata in securitatem contractus, cum iam aliquod ius in re habeat, ei res est restituenda. L. *Si creditor* § ult. Dig. *de Distract. pignorum*. Item, si posterior rem acceperit titulo lucrativo, e. g., per donationem, poterit prior emptor rem ab eo evincere. L. *Ignoti* C. *de Revocandis his, quae in fraudem creditorum alienata sunt*. Idque locum habet, etsi secundus inscius fuerit fraudis. — Si prior emptor sit Ecclesia, aut locus pius, aut Civitas, quamvis res sit deinde alteri tradita, et ab eo pretium sit solutum, priori emptori res restituenda est; quia Ecclesia, aut locus pius, aut Civitas, etiam sine traditione, dominium iam acquisivit. — L. 827., Lugo D. 20. n. 112. 116., Molina D. 369. n. 9., Less. l. 2. c. 21. n. 142.

Ex C. G. 1138. 1583. 1599. post perfectum consensum utriusque partis res vendita in proprietatem transit emptoris ante ipsam traditionem. Venditio autem alienae rei *nulla est.* Hinc consequitur ius semper esse priori emptori rem a secundo evincere. Attamen ex eodem C. G. 1141. si res, quam quis se obligavit dare aut tradere duabus successive personis, est *mobilis,* ea persona, quae possidet, praefertur et dominium obtinet, etsi titulus eius tempore sit posterior, dummodo tamen possideat bona fide. — Idem habetur ex C. I. 1448. 1459. 1126., sive sit res *mobilis* sive sit *titulus ad portatorem.* — Ex C. H. 1473. sive res sit *mobilis* sive *immobilis* praefertur primus bona fide possessor.

1131. *Quaenam sint obligationes venditoris et emptoris?* — *Venditor rem* eiusque accessoria, vacuam ab alterius possessione, et ab aliis oneribus inconsuetis, *statim tradere,* nisi aliud convenerit, et traditae rei *evictionem praestare* tenetur. *Emptor* etiam, nisi aliud fuerit pacto constitutum, *pretium statim tradere* debet. — Nisi item aliud fuerit conventione statutum, *eo in loco,* ubi contrahitur, et res et pretium tradenda sunt, *eoque modo,* de quo in contractu conventum est. *Traditionis expensae* a venditore debentur. C. I. 1467. 1468. 1482. 1507. 1508., C. G. 1608. 1609. 1626. 1650. 1651., C. H. 1461. 1465. 1474. 1500. — Venditionis et emptionis contractus in aequalitate est. Non servata aequalitate *inter pretium et mercem,* iniustitia committitur, et in foro conscientiae obligatio adest restitutionis, seu reparationis damni, gravis vel levis pro ipsa damni ratione. S. Th. 2. 2. q. 77. a. 1., C. H. 1466.-1468. — Rogron in a. 1604.

Tenetur praeterea *emptor foenus solvere pro pretio non soluto* a die quo rem possidet, si res sit frugifera, licet per accidens nullos fructus dederit a tempore venditionis, nisi venditor dilationem ad solvendum dederit; quia non est aequum, ut emptor simul rem et pretium habeat. Si vero res non sit fructifera non tenetur ad foenus solvendum, nisi *in mora culpabili fuerit,* nec aliter conventum sit. C. I. 1509., C. G. 1652., G. 885., C. H. 1501.

Insuper tenetur *emptor solvere expensas factas pro asportatione rei venditae, pro scripturis aut actibus authenticis, item pro sumptibus necessariis ad rei conservationem* a die venditionis, nisi alio modo pactum fuerit. C. I. 1455. 1467., C. G. 1593. Cf. C. H. 1455. 1465.

1132. *Quandonam resolvatur venditio ratione pretii?* — De Iure Romano: In foro externo, ad lites nimium non multiplicandas, actio contra damni auctorem, non conceditur, nisi emens carius, aut vendens vilius deceptus fuerit *ultra dimidium pretii.* L. 2. *de Rescindenda venditione.* Idque valet etiam de Iure Canonico. L. 805.

Ex Recentioribus Legibus: Si conventio expresse facta fuerit, *ut pretio suo tempore non soluto,* vel *re non tradita,* aut *accepta,* vel *quavis alia* apposita et non impleta *conditione,* res fieret inempta, venditio ipso iure resolvitur. Si vero expressum tale pactum non fuerit, sed tantum tacitum adfuerit, *non nisi officio iudicis* resolvitur. C. I. 1511. 1165., C. G. 1654. 1656. Cf. C. H. 1504. Nihilominus venditio rerum mobilium ipso iure resolvitur, si emptor *die traditionis definita* non venerit; vel si emptor *solvendi moram* faciat: tunc enim in potestate venditoris est, si res nondum tradita fuerit, illico ab emptione discedere, nisi concessa fuerit dilatio, C. H. 1505.; si vero tradita iam res fuerit, poterit venditor rem *condicere*

seu vindicare; nisi iterum dilatio ad solvendum emptori concessa fuerit, C. I. 1512. 1513., C. G. 1657. Rivendicare autem poterit *intra 15. dies a traditione* computandos, modo res apud emptorem sit, et nec mutata sit, nec locatori ignoranti fuerit obligata. C. I. 1512. 1513. Cf. C. A. 1062.

Venditor laesus *ultra dimidium iusti pretii*, C. I., C. A., ultra septem duodecimas partes, C. G., in venditione rei immobilis, ius habet postulandi rescissionem contractus, etiamsi huic iuri expresse renuntiaverit in contractu, et declaraverit se donare excessum, C. I. 1529., C. G. 1674. Secus vero est ex C. A. Venditionis rescissio, *ratione laesionis,* soli competit *venditori* et in sola venditione rei immobilis, in foro externo, sed in potestate emptoris est vel recedere a venditione vel supplere quanti res maioris valet. Rescissio haec biennio finitur. C. I. 1529. 1531. 1534. 1536., C. G. 1674. 1676. 1681. 1683., C. A. 934. 935. 1060. In foro tamen conscientiae, rescissionis actio, *ratione laesionis,* tum venditori tum emptori per se competit, sive de re immobili, sive de mobili agatur, sive ultra supremum pretium sive citra infimum res empta fuerit. Ex C. A. 1060. utrique item competit actio ratione laesionis, tum nempe venditori tum emptori. — L. 805. 819., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1.

1133. *Quandonam resolvatur emptio ratione rei?* — Si *vitiosa res* tradita fuerit, emptor agere potest *redhibitoria* vel *aestimatoria* actione. *Redhibere* est facere, ut *rursus habeat* venditor id, quod habuerat. *Aestimare* est facere, ut excessus pretii pro rei aestimatione restituatur. C. I. 1501., C. G. 1644., C. H. 1486. 1491. 1492., L. 819., Rogron in a. 1625.

Si *res non tota* tradita fuerit, quia eius pars periit, emptor potest vel a contractu recedere, vel pretium pro rata imminuere, C. I. 1461., C. G. 1601., C. H. 1460. Si vero post traditionem emptor evictionem partis passus sit, fas ei est ab emptione discedere, si talis vel tanta ea sit, ut sciens empturus non fuisset. C. I. 1492., C. G. 1636., C. H. 1479.

Si *error in mensura rei immobilis*, quantitate in contractum deducta, intercesserit, venditori quidem non licet a venditione discedere, licet vero emptori, si excessus ultra vicesimam partem amplior, non item si minor, inveniatur. Si a venditione non discedatur, et excessus vel defectus sit quoad quantitatem, pretium augendum vel minuendum erit *pro quantitatis modo*. Huiusmodi autem actio anno finitur. C. I. 1473.-1479., C. G. 1617.-1623. Cf. C. H. 1469.-1472.

Ex C. A. 1059. 1060. quando agitur de mercibus, pro quibus taxa stabilita est, emptor iuridice petere potest compensationem pro qualibet minima laesione. Extra hunc casum, emptio et venditio impugnari potest tum ab emptore tum a venditore titulo tantum laesionis *ultra dimidium.*

1134. *An venditor teneatur rei defectus manifestare?* — Defectus sunt *substantiales*, vel *accidentales* tantum; *occulti*, vel *manifesti;* insuper vel de iis venditor *interrogatur*, vel *non*. Hinc: Venditor *in omni casu* tenetur manifestare omnia vitia rei *substantialia* tam in se, quam relative ad finem notum emptoris, seu ea omnia, quae rem aliam faciunt, vel eam noxiam, aut notabiliter inutilem reddunt; secus de pretio et de damno tenetur. Ita ex omni Iure. — Venditor *interrogatus*, tenetur omnia vitia *occulta* manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non reddant: secus enim dolum committeret. Proinde si dolus fuit *vera* causa emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuerit *incidens* tantum, ita ut emptor,

vitio cognito, etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum quanti minus emisset emptor; quia secus nulla fere venditio fieri posset. — Si autem venditor *non sit interrogatus*, et vitium *occultum* non reddat rem inutilem, pro ratione vitii pretium minuere debet. Ratio, quia aliter res pluris venderetur, quam valeat. — Venditor non tenetur *per se* ostendere vitia rei *accidentalia de se manifesta*, modo imminuat pretium pro rata defectus. Ratio, quia tunc non fit iniuria emptori, nec ratione pretii, quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet. Excipe tamen, nisi emptor sit valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum. Excipe etiam, si venditor specialiter interrogetur de tali defectu. — Si venditor protestetur, se nolle rationem dare de quocumque defectu etiam *occultissimo*, ad nihil tenetur, dummodo non vendatur res ultra iustum pretium, saltem supremum, habita ratione illius vitii occulti. — L. 818. 819. 823. 824., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 2. 3., C. I. 1498. seqq., C. H. 1484. seqq.

1135. *An venditor teneatur de omnibus damnis ex vitio rei venditae sequentibus?* — Non tenetur, nisi de damnis praevisis: quia non potuit suscipere obligationem quoad ea, quae ne in confuso quidem praevidit.

1136. *Ad quid teneatur venditor, si res pereat ante vel post traditionem?* — Ad nihil tenetur, si res pereat *ante traditionem ex casu fortuito.* Ratio est, ex C. I. 1480. 1226. 1298. 1299. 1504., C. G. 1624. 1138. 1182. 1302. 1647., quia res perit domino, id est emptori. Ita etiam (nisi aliter conventum fuerit) tenendum est ex Iure Romano, licet venditor servet rei dominium, donec tradita fuerit. L. 828. — Si res pereat *ante traditionem ex culpa venditoris*, tenetur de pretio, et sumptibus contractus, nec non ad quod emptoris intererat, quia rem ut suam custodire debebat, et de illato damno tenetur. C. I. 1140. 1219. 1224. 1504., C. G. 1137. 1138. 1182. 1302. 1647. — Si res pereat *post traditionem ex vitio intrinseco*, quod tempore traditionis exsistebat, tenetur pariter restituere emptori pretium acceptum, et solvere expensas contractus, si quae sint, itemque id, quod emptoris intererat compensare. Ratio est, quia vendidit rem inutilem, seu nullius valoris: ergo adfuit in emptore error circa substantiam contractus; ergo contractus nullus est defectu consensus et ipsius materiae, quae nullo pretio erat aestimabilis. Insuper causa ipse fuit damni emptoris. C. I. 1504., C. G. 1647. Cf. C. H. 1460. 1094. seqq. 1487. 1488. 1497., C. A. 1061.

1137. *Quandonam venditor teneatur de evictione rei?* — Tenetur de evictione, quoties emptor *iuridice* deturbatur a possessione rei emptae. *Evincere est aliquid vincendo auferre.* Excipe, nisi aliter in contractu conventum fuerit. Ratio est, quia venditor dominium rei tunc transferre nequit, C. I. 1481. seqq., C. G. 1626. seqq., C. H. 1474. seqq. — Tenetur etiam ad pretium emptori refundendum, quando *deprehenditur*, rem venditam pertinere *certo* ad tertium, hic et nunc reclamantem. Eadem est ratio; venditor enim non potuit transferre rei dominium, quod ipse non habebat. Verum ad hoc non tenetur in conscientia *ante sententiam iudicis*, nisi *omnino certo ipsi constet*, rem revera esse illius tertii; nec tenetur fidem facile praebere aliis ita esse asserentibus, cum praesumptio ipsi faveat, nec aliunde sententia iudicis intervenerit.

1138. *Quinam vendere, emere possint?* — Omnes vendere et emere possunt, qui *generatim contrahere possunt, nec speciatim in Iure prohibentur.* C. I. 1456., C. G. 1596., C. H. 1457. — Porro ex Iure Romano speciatim prohibentur emere iudices eorumque officiales in loco, ubi iurisdictionem exercent, praeter necessaria ad victum, vestitum, et quotidianum usum. Itemque tutores, curatores et personae ipsis subiectae nequeunt emere bona eorum, qui sunt sub eorum cura aut tutela, sub poena nullitatis. — L. unic. C. *de Contract. iud.*, L. *Praesides* Dig. *Si certum petatur,* L. *Non licet*, L. *Si in emptione* § ult. *de Contrah. empt.*

Ex Recentioribus Legibus prohibentur: *Debitores* ea bona sua immobilia distrahere, quae a creditoribus coepta sunt proscribi, post transcriptum mandatum de solvendo, scilicet quantum creditorum intersit. C. I. 2085., C. G. 686. — *Qui foro cesserunt;* quin immo alienationes factae a die cessationis solutionum, ex C. Comm. I. 709., decem superioribus diebus ante cessationem solutionum, ex C. Comm. G. 446., *nullae* sunt. — *Qui bona administrant* Communitatis vel cuiusvis publici Instituti; *quique in officio, ministerio, munere publico* bonis distrahendis auctoritatem praestant, vel intersunt; *tutores, protutores, curatores; parentes* quoad bona emenda filiorum qui eorum potestati sunt subiecti; *procuratores*, quibus quis aliquid distrahere suo nomine commisit. Hi omnes sub poena nullitatis, vel sub hasta, praedicta bona emere prohibentur. C. I. 1457., C. G. 1596., C. H. 1459. — *Qui officii causa in foro agunt,* ceu magistratus, scribae, advocati, procuratores, immo et notarii redimere prohibentur *sub poena item nullitatis,* lites et iura litigiosa, quae cognoscenda spectent ad curiam, tribunal, vel praeturam, cuius pars sunt, vel in cuius iurisdictione officium exercent, C. I. 1458., C. G. 1597., C. H. 1459. — Emptio et venditio vetita est *inter coniuges,* paucis exceptis casibus, ex C. G. 1595.; et ex C. H. 1458., nisi essent separati quoad bona.

1139. *Quaenam res vendi possint?* — Vendi non possunt *res sacrae,* Cf. 508. seqq. Res etiam *publici iuris,* ut publicae viae, publicum forum, vendi non possunt. Inst. l. 3. t. 24. § 4. Ipso autem *Iure naturali* venditio prohibetur earum rerum, quae *ex natura sua non nisi ad malum inservire possunt,* e. g., libelli diffamatorii, picturae lascivae, etc. Harum tamen rerum venditio, licet prohibita, non ideo tamen *nulla est;* unde venditor ad restitutionem non tenetur. Gousset 836. — Ex Iure Romano vendere quisque potest omnia sua bona tum praesentia tum futura etiam simul, etiam quae in spe habentur, ut futuri fructus agri. Vendi etiam possunt res alterius, e. g., ratione pignoris, hypothecae, etc. Rem autem suam nemo valide emit, nisi venditor aliquod ius in ea habeat. L. *Suae rei*, L. *Si in emptione* § *rei suae* Dig. *de Contrah. empt.* — Ex Recentioribus Legibus vendi potest *quidquid est in commercio,* dummodo particularis lex non prohibuerit alicuius rei alienationem, C. G. 1598. Vendi nequit *successio personae* adhuc *viventis,* vel ipsa consentiente, C. I. 1460., C. G. 1600. — Venditio et emptio etiam prohibetur bonorum *minorum, uxorum, absentium, interdictorum,* non servatis praescriptis a lege formalitatibus. Gousset in a. 1598. — Vendi vero possunt ex ipso Iure Positivo, vel etiam quocumque alio titulo transmitti *Iura incorporea,* ut chirographa, credita, servitus, ususfructus, ius ad haereditatem apertam; quorum traditio fit remittendo

chirographa, aut alia scripta authentica. C. G. 1689. seqq., C. I. 1538. seqq. — E. M.

1140. *Quotuplex sit pretium?* — Pretium aliud est *legale*, et aliud *vulgare.* — Pretium *legale* est, quod auctoritate publica principis vel magistratus est statutum, ne excedatur: unde hoc pretium dicitur consistere in indivisibili, utpote quod tam incrementum, quam decrementum excludat, quoad lex durat. — Pretium *vulgare*, seu *naturale* est, quod communi hominum intelligentium iudicio, ponderatis diversis rerum circumstantiis rebus imponitur. Hinc pretium vulgare non consistit in indivisibili, sed admittit quandam latitudinem. — Pretium *vulgare* subdividitur in *summum, medium*, et *infimum.* Ubi notandum est, « quod pretium *rerum vilium* minorem latitudinem habet, quam *pretiosarum;* vinum enim, aut simile quod valet quinque, potest vendi sex, vel quatuor; aut si valet decem, potest vendi duodecim, vel octo; aut si valet centum, potest vendi centum et quinque, et nonaginta quinque ». L. 804. Verum, cum pretium praesertim vulgare a pluribus dependeat circumstantiis, secundum quas diiudicari solet, hinc praedicta regula ad definiendum pretium summum, medium et infimum nonnihil severa et scrupolosa videtur. — C. A. 1058. 1059., Lugo D. 26. n. 38. 39., S. Th. 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3., 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1., a. 2. ad 2.

1141. *Ex quibus causis pretium rerum crescere vel decrescere soleat?* — R. Ad 1.um Pretium rerum *generatim* desumitur *ex earum utilitate* in ordine ad humanos usus, et prout haec utilitas in societate seu communitate *existimatur.* — *Speciatim* vero pretium, etiam iustum, solet crescere ex sequentibus causis: *Ex penuria mercium*, seu alicuius rei, e. g., vini, frumenti, etc.; nam *quo aliquid est rarius, eo est carius*, iuxta commune axioma. — *Ex communi superfluitate pecuniae;* nam, quo magis aliquid est superfluum, eo minus aestimatur. — *Ex multitudine emptorum;* nam quo plures sunt emptores, eo magis necessariae, et utiles aestimantur merces. — *Ex maiori labore et periculo*, in comparandis mercibus, aut *maioribus expensis;* nam ista omnia sunt pretio aestimabilia. — *Ex maiori labore in vendendis mercibus*, ut, e. g., si quis minutim, et per modicas partes debet aliquid divendere; nam maior labor in ponderando, mensurando, etc., est pretio aestimabilis. — Potest pretium crescere etiam *ex affectione propria venditoris ad aliquam rem;* et hoc dicitur *pretium affectionis. A fortiori* vero crescere potest *ob commoditatem*, quam ex ea percipit *venditor;* quia ut *affectio* ita et *commoditas* vere est pretio aestimabilis; cum privatio rei sit tunc pro ipso maior. Verum minime crescere potest, saltem iuxta communem sententiam, ob *affectum* vel *utilitatem* specialem *emptoris;* secus enim venderetur *quod suum non est.* S. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. — Crescere potest pretium *ob dilationem solutionis*, modo tamen non excedatur taxa legalis pro mutuo, aut ratio alicuius tituli damni emergentis, lucri cessantis, periculi sortis, frequentiae emptorum, qui inde augentur, consuetudinis loci, etc. Ratio patet ex supra dictis de *iusto interesse.* — Potest vendi item carius, si pretium ab emptore sit tradendus *tempore*, quo res *sit pluris valitura.* — Tandem res ultra iustum pretium non ideo vendi potest, quod venditor eam *ex sua ignorantia vel imprudentia* aut etiam *ex casu fortuito* maiori pretio emerit, vel subierit maiores sumptus, quam vulgo alii solvant aut subeant. Ratio est, quia pretia

rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc quod uni vel alteri accidit, sed ex eo quod communiter contingit. Neque ex eo quod aliquis privatus mercator fuerit furtum passus vel naufragium, in aestimatione vulgi adaugeri solet pretium rerum: sicut neque crescere solet pretium frumenti, eo quod unus vel alter rusticus fatali grandine fructus agrorum suorum perdiderit. Secus autem dicendum foret, si multi mercatores in naufragio suas merces perdidissent, quia merces rariores factae eo ipso pretio crescerent. — Ithur. Cas. 4. n. 11., Elbel 587., L. 768. 801.-811. 829.

Ad 2.um Pretium rerum solet consequenter decrescere ex oppositis causis: *Ex abundantia mercium;* nam, quo magis, ut dictum est, aliquid est superfluum, eo minus aestimatur. — *Ex penuria pecuniae,* nam haec, quo est rarior, eo carior. — *Ex paucitate emptorum,* adeoque licet vilius emere in gratiam venditoris, emptorem quaerentis; quia res ultroneae iuxta communem existimationem vilescunt. Hinc saltem *probabiliter* licet etiam vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem; inopia enim venditoris non efficit, ut communis aestimatio mutetur. — *Ex intrinseca vilitate rerum,* aut *maiori facilitate eas comparandi* aut *conservandi.* — *Ex minori labore res divendendi,* ut, e. g., quando magna quantitas simul pro numerata pecunia emitur. — Tandem potest etiam vilius emi si res tradenda sit *tempore,* quo *minus valebit.* — Unde pretium eiusdem rei propter diversas circumstantias extrinsecas intra breve tempus solet ascendere et descendere, ut patet ex quotidiana praxi etiam venditorum et emptorum. — Ithur. Cas. 4., L. 801.-811., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. 2.

1142. *Quale pretium sit servandum in venditione et emptione?* — In venditione et emptione, *per se loquendo,* servandum est pretium *legitimum;* et in huius defectu pretium iustum *vulgare.* Ratio 1.i est: quia illud, quod publica auctoritate statuitur ex officio, et propter aequitatem, debet etiam in conscientia observari. Atqui pretium legitimum, seu taxatum, est quid tale. Unde, si quis emptori ignaro vendit aliquid *supra* pretium taxatum, peccat non solum contra iustitiam legalem, seu obedientiam principi debitam, verum etiam contra iustitiam commutativam, et excessum in conscientia ante sententiam iudicis tenetur restituere. Illi vero qui vendunt *infra* tale pretium, si pretium a lege est taxatum in favorem vendentium, peccant contra iustitiam legalem et caritatem, quatenus nempe inde damnum aliis mercatoribus sequatur. — Ratio 2.i est: quia deficiente taxatione auctoritativa principis, et magistratus, nulla habetur melior mensura pretii rerum quam communis hominum aestimatio. Porro, cum pretium vulgare sit triplex intra limites iustitiae, nempe *summum, medium, et infimum,* quolibet ex his licet vendere et emere. — *Per se loquendo;* nam aliquando licet *legale pretium* excedere, scilicet: 1.° Si a maiore hominum parte non servetur, principe sciente et tacente, tunc enim tacite approbat: 2.° Si res notabiliter mutentur, tunc enim taxa evadit iniusta. 3.° Si merces sint notabiliter solito pretiosiores vel deteriores; lex enim attingit res ordinariae bonitatis. — Ithur. Cas. 4. n. 9., Elbel n. 500., L. 803., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. a. 2. ad 2.

Si deficiat non solum *pretium legale,* verum etiam *pretium vulgare,* propterea quod agatur de rebus *non necessariis* ad communem convictum, ut sunt gemmae, tabellae pretiosae, res antiquae, antiqui codices, etc., *probabilius* aestimandae sunt *iuxta iudicium peritorum* in ea materia, at-

tentis circumstantiis, spectata rei novitate, antiquitate, raritate, etc. Ratio est, quia ipsi in eiusmodi reputantur iudices idonei, prout vulgus in vulgaribus. « Excipio tamen ex his, ait S. Alph. 808., *mulieris honestae* usum, qui cum sit pretio inaestimabilis, sine iniustitia poterit illa pro eo quamplurimi accipere ». Opposita tamen sententia ut *probabilis* aliis apparet, quia in eo casu iustum videtur pretium, de quo contrahentes conveniunt. Huius postremae sententiae probabilitas admitti potest, eam limitando ad casum, in quo non agitur ex una parte de re, quae apud peritos habeat reapse *magnum valorem*, ex alia vero *de pretio omnino vili*, tunc enim error adest *in ipsa substantia* contractus. Unde S. Alph. asserit emptorem teneri pretium supplere, si, e. g., paucis assibus emat pretiosam gemmam, quae vitrum reputetur. L. 819. Attamen, ut notat idem S. Alph. ib., iustum reputandum est illud pretium, de quo pars utraque convenit, si ob ignorantiam valoris sortis periculo se committant. — L. 735. 801.-811., Ithur. Cas. 4. n. 10., Sporer de Matr. 583.

1143. *Resolves:* Quapropter exigere *iure* potest *honesta mulier* etiam matrimonium cum viro nobilissimo et ditissimo, etiam principe, quod, nisi alia obsit potior ratio, *iure* consequenter debetur. *Mulier honesta*, et a fortiori, *virgo;* meretrix enim cum sit parata ad se prostituendum cum omnibus, non aestimat ipsa multum, neque multum alii communiter aestimant carentiam suae honestatis; unde nequit exigere maius pretium, quam quod communiter dari solet. — Lugo D. 18. n. 47., D. 26. n. 49.

1144. *An liceat emere infra infimum pretium praecise ratione anticipatae solutionis, antequam merces tradatur?* — R. Affirmative, ratione variorum titulorum, qui mutuo extrinsece solent advenire, si reapse adsint, et servata debita aequalitate pretii respectu huiusmodi titulorum. Est enim reapse quoddam mutuum. — Affirmative, ratione propria huius modi vendendi; siquidem haec vendendi ratio inducit emptorum raritatem, venditorum multitudinem, et magnum venditoribus commodum affert ex parte ipsorum emptorum. Lessius l. 2. c. 21. n. 62., L. 811.

1145. *Resolves:* Hinc licet etiam carius vendere ob dilatam pretii solutionem, propter eandem mutui rationem, et quia haec vendendi ratio cum multitudinem e contra inducat emptorum, et raritatem venditorum, rei pretium secundum communem existimationem auget. L. 811., Less. l. c. n. 57.

1146. *An chirographa et credita possint vilius emi ob certam et anticipatam solutionem?* — R. Negative quoad « chirographa, quae vulgo nuncupantur *fides crediti*, pro quibus nullum morale periculum adest, modo, ob distantiam, incommoda aut periculosa sibi non esset exactio, propter eum qui ad exigendum mittendus est ». L. H. A. Tr. 10. n. 179. — Affirmative, si creditum *sit incertum vel difficilis exactionis*, « etsi ementi sit facile illud integre exigere: quia pretium sumitur a communi aestimatione, non ex circumstantia particularis ementis ». — Si creditum *liquidum sit*, controvertitur. Prima sententia negat. Ratio, « quia actio ad creditum liquidum revera, cum nullum adsit periculum, aut sumptus pro eo recuperando, tanti valet, quanti ipsa pecunia debita ». Secunda sententia affirmat. Ratio, quia cum in praxi communiter haec credita sint obnoxia huiusmodi periculis, et incommodis pretio ipsa decrescunt iuxta communem aestimationem. « In emptione autem sola aestimatio hominum

constituit iustum pretium rerum, hicque praebet titulum minoris emendi ». L. 829.-830. Insuper, « quia aequivalent pecuniae mutuatae, proinde ex eadem ratione ac in mutuo, licet percipere lucrum moderatum, iuxta taxam legalem ». Gur. 894. — Ut haec emptio valeat quoad *tertios*, denuntianda est debitori, vel ab ipso actu authentico acceptanda est, C. I. 1539. Ex C. H. 1527. debitor, qui creditori suo satisfaciat, antequam crediti cessionem cognoscat, liber est ab omni obligatione.

1147. *An possis pretio currente vendere rem, quam scis mox minoris valituram?* — R. Affirmative *probabilius et verius*. Ratio est, quia pretium praesens est iustum et nondum immutatum, modo tamen scientia haec sit privata; si enim communis esset, iam mutaretur. S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3. Aliquando tamen peccare potes contra caritatem, si, e. g., tali venditione emptor reduceretur ad extremam vel gravem necessitatem; sicut enim caritas praecipit, ut subveniamus proximo graviter indigenti, sic vetat, ne in paupertatem ipse redigatur, ut nobis divitias comparemus. Attamen, ubi de gravi tantum proximi necessitate agatur, satis non constat, an peccatum contra caritatem sit semper grave, quia caritas non vetat, ne quis consulat sibi, utendo iure suo, etsi alteri damnum inde per accidens obveniat. — Casum vero excipit Molina, quo quis sciens conditam legem, quae pretium imminuat, sed nondum promulgatam, res suas propter eam scientiam plus venderet vel venderet pretio currente cum aliorum iactura, quas, seclusa ea scientia, vel venderet pretio currente vel minime venderet. Ratio, quia « lex publica aequalis ac communis esse debet subditis omnibus, peccaretque contra iustitiam princeps, si, antequam omnibus promulgaretur, quibusdam illam manifestaret, qui promulgationem praevenientes, cum aliorum iactura illius occasione lucrarentur: eademque ratione, qui in aliorum praeiudicium, scientia illius uteretur, quocumque modo ad ipsum ea scientia pervenisset, peccaret contra iustitiam, cum onere restituendi damna, quae ea via proximis evenirent ». Tradens vero discrimen huius casus et alterius casus, quo quis sciret alias eiusdem generis merces brevi superventuras, emptoribus id ignorantibus, addit: « qui utitur scientia legis, antequam promulgetur ad seipsum ditandum cum aliorum iactura, utitur scientia rei, quae omnibus debet esse communis, in aliorum detrimentum, ac proinde iniuriam illis facit: qui vero ad eundem effectum utitur scientia, quod superveniant merces, non utitur scientia rei, quae omnibus debeat esse communis, quin potius id spectat ad industriam, artem, atque eventum fortunae mercatorum ». De Iust. et Iur. T. 2. D. 354. n. 5. Verum alii id negant. Aliud enim est *abusus potestatis*, si, e. g., ideo princeps vel magistratus legis promulgationem differrent, donec ipsi possent suas merces vel pecunias distrahere, non enim princeps et publici magistratus potestatem habent, nisi in commune subditorum bonum; aliud vero est merus *usus scientiae*, quam legitime habent princeps aliique magistratus, et qua legitime uti possunt, si ex rationabili aliqua causa legis promulgatio sit differenda. — L. 824., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3., Lessius 45.-48., Lugo 140.-143., Gur. Cas. 90., Struggl Tr. 3. q. 1. n. 16.

1148. *An possis pretio currente vendere rem mixtam cum alia viliori?* — Haec Molina de Iust. et Iur. T. 2. D. 353. n. 33.: « Quando pretium non est lege taxatum, aliquidque admiscetur rebus, quae venduntur, ut vino aqua, medicamentis aliqua inconsueta, distinguendum est. Quoniam si

mixturae nocumentum afferre possunt, tunc vendentes res mixtas eo modo, tenentur ad damna omnia subsecuta, itemque ad restitutionem eius, quod res illae minus ementi valent quam sit id, quod pro eis dedit. Si vero nocumentum non afferant, res tamen minus utiles ad id sint, ad quod emuntur, tunc vendentes restituere tenentur, quod minus emptoribus ad id valent, ad quod emuntur: quare, si nihil ad id conducant, restituere tenentur integrum pretium; ut si medicamentum propter mixturam inutile reddatur, ad quod emitur. Quod si res eo modo mixtae utile ad id sint, ad quod emuntur; tantumque de pretio detrahatur quantum par sit propter mixturam, tunc vendentes ad restitutionem non tenentur; eo quod pretium iustum non excesserint; peccant tamen, nisi necessitate compulsi id efficiant; ut quia aliter extrahere non possunt iustum pretium rei, ut verbi gratia, vini, nisi parum aquae illi admisceant: vel nisi res cum ea mixtura re vera valeat, quod pro ea datur, nec emptor pro eo pretio empturus esset meliorem. Arcendi tamen sunt venditores ab eiusmodi fallaciis ac deceptionibus ». — L. 820. 821., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 2.

1149. *An teneantur ad restitutionem mercatores, qui fraude vel mendacio inducunt emptores ad merces suas emendas maiori pretio, quam emissent, licet summum pretium non excedant?* — R. *Quoad fraudem,* affirmative. Ratio, quia fraus est causa efficax et iniusta damni, quod emptor patitur: unusquisque autem ius habet strictum, ut fraude vel dolo non inducatur ad damnum quodpiam patiendum. — *Quoad mendacium, per se* idem dicendum foret, cum etiam illud sit de se causa iniusta damni. Attamen notandum est, « quod communiter non praestatur fides mendaciis vendentium, dum satis noscuntur haec esse communia stratagemata; unde ipsi regulariter non tenentur ob id ad restitutionem... Dixi *regulariter,* quia si aliquando venditor certe animadverteret, emptorem mendaciis credere, et ideo maioris emere, tunc quidem ab iniustitia is non est excusandus ». L. 805. Quare ad restitutionem tenetur, si huiusmodi mendaciis et fraudibus venditor vere induceret emptorem ad merces emendas maiori pretio, licet summum pretium non excedat. 1. Thessal. 4., 6. — S. Th. Quodl. 2. a. 10.

1150. *An vel quomodo peccent mercatores, qui interrogati de pretio mercium, illud notabiliter exaggerant? — Si revera intendant hoc pretio vendere,* peccant contra iustitiam, inique alienum appetendo; et ad restitutionem tenentur, si de facto pretium illud ipsis solvatur. — Si vero intendant tantum dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad iustum pretium deveniant, excusantur, quia notum est et consuetum, mercatores ita loqui, ut emptores ad iustum pretium perducant.

1151. *An peccent contra iustitiam, qui rem venditam infimo pretio, ante traditionem imminuunt vel adulterant?* — R. Affirmative, quia agunt contra pactum cum emptore initum. Quamvis enim liceat summo pretio vendere, non licet tamen mercatori, qui infimo vel mediocri pretio vendat, occulte sibi comparare pretium mediocre vel summum, imminuendo qualitatem mercis, aut de mensura vel de pondere detrahendo; secus inutiles prorsus forent conventiones. Excipe, si pretium vel lege taxatum, vel malitia conspirantium emptorum iniquum sit. Essentialis enim huius contractus proprietas aequalitas est. Quare tunc iniustitia non est, se compensare mercis quantitatem imminuendo. Lugo 137., L. 822.

1152. *An peccent contra iustitiam mercatores europaei, qui maximo pretio vendunt apud Indos cultellos, specula, et alia eiusmodi, quae apud nos vilioris pretii habentur?* — R. Negative, quia haec licet viliora sint in nostris regionibus, communiter tamen magni aestimantur ab Indis vel Sinensibus, etc.; pretium autem vulgare ex communi aestimatione hominum regionis determinatur.

1153. *An peccent contra iustitiam, qui vili pretio emunt res pretiosas, quando venales exponuntur apud veteramentarios?* — R. Negative, quia res illae censentur amisisse pretium antiquum et aliud accipere consuetudine, seu contrahentium conventione. Unde res eiusmodi ratione pretii maximam recipiunt latitudinem. — Sic aliquando emuntur paucis assibus libri, qui quinque vel decem francis vendi potuissent. Idem dicendum de emptione mobilium veterum, quia haec minoris valoris communiter habentur. — L. 807.

1154. *An licitum sit pactum retrovenditionis in gratiam venditoris, ut nempe certo tempore aut quando is voluerit teneatur emptor rem revendere venditori?* — R. Affirmative. Idque constat ex lege Levit. 25., Less. l. 2. c. 21. n. 113., Lugo D. 26. n. 184. Ratio est, quia dominus rei potest de re sua disponere prout ipse velit, dummodo iustitia servetur. Facta igitur *debita pretii imminutione*, pro onere emptori imposito, huiusmodi pactum licitum est.

Quanta esse debeat *talis imminutio?* Alii volunt tertiam pretii partem, alii quartam partem pretii detrahendam tenent, alii verius existimant rem definiendam ex prudentum iudicio, adiunctis omnibus rite perpensis. L. 812.

Emptor autem *in redemptione rei* ex parte prioris venditoris, exigere potest, ut maius pretium sibi solvatur, quam illud quod ipse solvit. « Quia eo ipso, quod res venditur cum pacto retrovenditionis in favorem venditoris, debet vendi pretio minori infra iustum, *propter illud onus superadditum.* Quando autem venditur postea eidem venditori, datur *sine ullo onere.* Ergo debet tunc emi pretio iusto integro. Non ergo potest cogi emptor ad revendendum postea pretio minori sine iniustitia ». — Hinc emptor, qui rem emit pretio infimo, exigere potest a priore venditore pretium summum. Nam vendens rem suam exigere potest iustum pretium quod tunc res valet. Lugo ib. n. 192. 196. — Verum, cum emptor interim fruatur illa portione pretii imminuti, et rei commoditate et fructibus, potest quidem in pacto retrovenditionis *pacto* etiam exigere, quod res a domino redimi nequeat pretio minori, quo ipse eandem emerat ab ipso, sed *pacto exigere absolute nequit,* ut non nisi maiori pretio a domino redimatur. Absolute enim ad servandam iustitiam sufficit, quod dominus suam redimens rem, iustum solvat pretium; et pretium iustum necessario in casu non est maius pretium.

Licitum vero est pactum, ut possit venditor, eodem quod accepit pretio restituto, rem suam redimere. Est enim tunc simplex quaedam venditionis dissolutio ex mutua contrahentium voluntate. Insuper nulla est iniustitia quod emptor tantum a priore venditore recipiat quantum ipsi ille dedit. Nam si pretium hoc iustum est, res clara est; si minus iusto est, compensari sufficienter potest emptori commodo et fructibus rei, interim ab ipso perceptis. C. I. 1515., C. G. 1659., C. H. 1507., C. A. 1068.

Ut retrovenditionis pactum licitum sit, necessarium praeterea est, ut rei venditae *periculum* non sit penes venditorem; nisi iuxta periculi aestimationem pretium augeatur. Res autem ab emptore restituenda intelligitur talis, qualis accepta fuit ab ipso, absque deterioratione vel novo onere. — L. 812., C. H. 1519. 1520., C. I. 1528., C. G. 1673., C. A. 1069., E. M.

1155. *An licitum sit pactum reemendi ad arbitrium emptoris?* — « Prima sententia negat... quia revera res non videtur vendi, sed tantum in pignus dari, ita ut emptor percipiat *fructus ex sua pecunia*, quam potest recuperare, ad suum libitum... Secunda sententia communissima affirmat... Hanc certe probabiliorem puto, cum his tamen conditionibus: 1.° Ut adsit verus animus emendi et vendendi. 2.° Ut emptor *maius pretium* solvat, iuxta aestimationem huius oneris, quod imponit venditori. 3.° Ut non obligetur venditor reemere *eodem pretio maiori*, quod recipit... Hinc censeo non posse emptorem in tali contractu obligare venditorem, nisi ad solvendum solum pretium, iuxta valorem rei tempore venditionis, et si res sit deteriorata iuxta valorem rei tempore reemptionis (Et contra si res crescit, crescit vendenti, H. A. Tr. 10. n. 181.); excessus enim iusti pretii datus venditori, totus ad illum spectat, ratione oneris ipsi impositi reemendi ad arbitrium emptoris. His conditionibus servatis... gravamina utrinque compensantur ». L. 813., E. M.

1156. *Resolves:* Licitum consequenter est pactum retrovenditionis in gratiam simul venditoris et emptoris, dummodo *debita pretii aequalitas* servetur, ita ut minus sit quam pretium, quod exigeretur, si pactum esset in gratiam solius emptoris, maius autem sit quam pretium, quod solveretur, si pactum foret in solius venditoris gratiam.

1157. *Quid recentioribus legibus constituatur de retrovenditione?* — Ex C. I. 1515. 1516. 1520. 1528., C. G. 1659. 1660. 1664. 1673., C. H. 1507. 1508. 1510. 1518. 1520. licet pactum redemptionis seu recuperationis in gratiam *solius venditoris*, ita tamen, ut facultas rem suam recuperandi non producatur ultra quinquennium, ex C. H. ultra quadriennium vel ultra decennium, quo tempore elapso, *res irrevocabiliter fit emptoris.* Intra hoc tempus venditor potest rem suam persequi etiam apud alium, qui eam ab emptore acquisiverit. — Venditor rem suam repetens, debet non solum restituere principale pretium, sed et solvere expensas pro contractu venditionis, easque quas subiit emptor pro reparationibus necessariis rei, itemque eas quae fundi valorem auxerunt. Nisi his omnibus satisfecerit, possessionem rei obtinere nequit. — Cum vero in possessionem redit fundi, hunc accipit a quovis onere et hypotheca immunem, quibus ab emptore fuerit gravatus; tenetur tamen locationis contractus servare, quos emptor absque fraude inierit; et ex C. I. si non ultra triennium fuerint constituti. — Ex C. A. 1068.-1071. pactum permittitur reemendi ad arbitrium *venditoris*, et revendendi ad arbitrium *emptoris*. Res et pretium restituenda sunt in utroque casu, nisi res fuerit melior vel deterior reddita; tunc enim compensatio debetur. — Cf. C. H. 1521. seqq., C. A. 1068. seqq. 1072. seqq.

1158. *Quid sit mohatra, et an licita?* — Contractus mohatra ille est, quo quis mercem emit *maiori pretio ad creditum*, cum pacto explicito, vel implicito, ut venditori eadem res *statim* retrovendatur *pretio minori et numerata pecunia.* — Talis contractus est prorsus illicitus. Constat

1.° ex pr. 40.ª d. ab Innoc. XI. 2.° Quia usura palliata est; onus enim imponitur emptori vili pretio *statim* retrovendendi, absque ulla compensatione, et ullo iusto titulo, qui in mutuo aliunde reperitur. — Si tamen res sine praevio pacto retrovendatur etiam minoris, et eidem venditori, modo absit omnis usurarius animus, contractus de se licitus erit; quia tunc nullum imponitur onus contra naturalem aequitatem. Ac, si excessus qui exigitur conveniens lucrum sit ratione mutui, tunc nulla in eo habetur illicita usura. — L. 813., E. M.

1159. *Quid sit venditio sub hasta, et an sit licita?* — *Venditio sub hasta,* seu per licitationem est, ea quae fit per praeconem, et in qua ultimae licitationi res adscribitur. — *Venditio sub hasta licita est,* sive fiat consentiente sive invito domino, seu per auctoritatem publicam; sive infra infimum pretium ematur, sive supra summum vendatur. « Ratio, quia tunc potestas pubblica approbat pro iusto pretium illud, quod publice emptorum concursu probatur ». L. 808., C. I. 987., C. G. 1686. Hinc, si emptores concurrant, res fit aestimabilior; si non concurrant, vilior habetur.

1160. *An venditor possit rem suam retrahere, incepta licitatione, si minus pretium offeratur?* — R. Negative per se. Ratio est, quia emptores publice convocati ad auctionem, acquirunt quoddam ius ad rem venalem, quatenus fit stipulatio tacita, ut cedat plus offerenti. Attamen temperandus est huius doctrinae rigor, ubi vigeat contraria consuetudo, vi cuius contrahentes *in hoc consentiant.*

1161. *An possit venditor mittere fictos licitatores, ut pretium rei crescat?* — R. Negative. Ratio est, quia hoc nimis fraudulentum est, ut excusari possit, cum tendat ad decipiendos emptores sinceros, atque adeo iis iniuriam inferat, dum causa sunt, ut pretium crescat ex fraude, non vero ex concursu naturali rerum, ex emptorum scilicet libero concursu. L. 808., H. A. n. 175.

1162. *An ille, cuius bona venduntur in gratiam creditorum mittere possit amicos ad ea suo nomine emenda?* — R. Affirmative, saltem attento usu communi, si licitatio sit voluntaria, quia hoc sequi videtur ex eo quod venditor possit rem suam retrahere. — Affirmative a fortiori, si licitatio sit coacta, seu si fiat auctoritate publica; nam ille, cuius bona venduntur, deterioris conditionis esse non debet. Aliunde ipse non est proprie vendens, cum venditio ipso invito fiat. Ergo.

1163. *An emptor rogare possit alios ne licitent?* — R. Affirmative, iuxta communissimam sententiam. Ratio, quia in hoc casu ius venditoris non violatur; libertas enim licitandi non tollitur. Quare emptor tunc sua utitur diligentia, ut sibi consulat. L. 808.

1164. *An emptor possit pactum facere cum aliis ne licitent, aut ne plus offerant?* — Negat S. Alph. « saltem casu, quo per sententiam iudicis res ad subhastationem exponitur. Ratio, quia tunc dominus rei tenetur omnino rem tradere plus offerenti; ideoque iniuriam ei emptor irrogat, si, solum pretium infimum aut medium offerendo, impedit venditorem a consecutione pretii supremi, ad quod ius habet, scilicet ne impediatur ab illo consequendo ». L. 808. — Excipiunt tamen plures, si emptores sint societate coniuncti, vel quasi coniuncti, ut fratres, amici, etc., quia faciunt

quasi unam personam moralem, nec potest exigi, ut adversum se licitent. Excipiunt etiam probabiliter alii, si vigeat usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur: quia si ipse potest impedire, ne pretium sit nimis exiguum, aequitas etiam postulat, ne conqueratur, quod emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur. — Alii tamen absolute affirmant. Ratio 1.° quia in qualibet venditione sub hasta *per se* dominus tenetur rem tradere plus offerenti. 2.° Emptor paciscendo cum aliquo non impedit, quominus dominus summum rei pretium consequatur, nam alii possunt concurrere et offerre. 3.° Venditor non habet ius, ne aliquis quomodocumque impediatur a concurrendo, sed ne vi et fraude impediatur; secus nec precibus posset impediri. 4.° Ut quilibet potest libere non concurrere ad hastam, ita potest libere sese obligare ad non concurrendum. — Id tamen civiles leges nullo probant modo.

1165. *Quid sit monopolium, et an licitum sit?* — Monopolium idem, quoad nomen, est ac unius venditio. Quoad rem est potestas vendendi penes unum aut paucos exsistens. — Monopolium quatuor modis contingere potest: 1.° Si princeps alicui concedat privilegium, ut solus vendat aliquod genus mercium, et hoc certe *licitum* est; cum scilicet id conferat communi bono, legitimo taxato pretio. 2.° Si mercator impediat, ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas vendat, cum damno reipublicae, et hoc certe est *illicitum*, et tenetur ad damni restitutionem. Et idem dicendum de eo, qui falsam notitiam spargit, naves esse submersas, aut similia mendacia. 3.° Si venditores conspirent inter se de pretio, ut non minoris vendant. 4.° Si unus vel pauci omnes merces emant, ut deinde vendant quanti plurimi. De duobus modis ultimis agitantur quaestiones sequentes. L. 814. 815.

1166. *An peccent contra iustitiam et contra caritatem mercatores, qui conspirant, ne merces suas vendant, nisi summo, licet iusto pretio?* — *Ad iustitiam* quod attinet non peccatur; siquidem pretium *summum*, adhuc pretium iustum est. *Summum*, quod nempe esset, secluso monopolio. Iustum enim pretium censeri non potest, quod ex hac conspiratione exoritur. Iustitia enim pretii a mero venditoris et emptoris arbitrio pendere non potest. Sic pariter peccant operarii, qui inter se conveniunt de non locando operas suas, nisi pretio summum excedente, summum nempe hac etiam conventione seclusa. *Ad caritatem* vero quod spectat affirmative, quia licet caritas non obliget ad vendendum infra summum pretium, videtur tamen obligare ad non dissuadendum aliis, ne minori vendant pretio. Id certe grave esset pauperibus; immo etiam non pauperibus. Sicut licet caritas non te obliget, ut eleemosynam des, te tamen obligat, ne alios volentes eleemosynam facere dissuadeas. — Lugo 173. 175., L. 817.

1167. *An peccent contra iustitiam, vel contra caritatem mercatores, qui, tempore messis aut vindemiae, omne triticum vel vinum regionis pretio emunt infimo, ut postea carius vendant?* — « Certum est id licitum esse, si emantur merces *non necessariae ad vitae sustentationem*, vel ad communem reipublicae statum, ut sunt gemmae pretiosae, equi generosi, ornatus mulierum et similia ». L. 816. — Si vero sermo sit *de rebus necesariis ad vitae sustentationem*, negative probabilius, ut videtur, *quoad iustitiam*, modo non vendant supra *summum pretium*, quod, secluso monopolio, cur-

reret. Ratio, quia nullius ius violant. Negative etiam probabilius, quoad caritatem, modo alios ad carius vendendum non inducant, nec ipsi vendant supra pretium summum, quod, secluso monopolio, locum haberet: quia iure suo utuntur. Nemo enim proprium commodum negligere tenetur ad vitandum alterius damnum, quod non obligatur avertere. — L. 816. 833., Lugo 176., Less. 150.-152., Molina D. 345. n. 7.-10.

1168. *An, facto semel monopolio de pretio iniusto a mercatoribus, liceat aliis merces eodem pretio vendere?* — Prima sententia affirmat, quia iustum pretium est quod communiter currit, undecumque hoc proveniat. Secunda sententia, quae *melior* videtur. S. Alph. 817., negat. « Ratio, quia pretium per iniustitiam adauctum, semper et per se iniustum est, et ad iustitiam reducendum ».

1169. *Quid sit venditio per proxenetas?* — Venditio per proxenetas ea est, quae non fit immediate ab eo, ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione, et hi proxenetae dicuntur. Proxenetae autem possunt esse vel tantum amici, vel speciali mercede ad hoc conducti, vel ad diversa opera pretio annuo locati.

1170. *An proxeneta, qui vendit supra, aut emit infra pretium sibi designatum, possit excessum pretii sibi retinere?* — R. Negative, generatim loquendo. Ratio est, quia nullum habet titulum aliquid retinendi. Etenim 1.° *non ratione rei*, quia illius non est, sed domini. 2.° *Nec ratione laboris* et industriae, saltem stricto iustitiae titulo debitae, quia si stipendio sit conductus, ad nihil aliud ius habet; si vero industriam gratuito praestet, iam mercedi renuntiavit. 3.° *Neque ratione designati pretii;* adsignatio enim pretii facta a domino communiter intelligitur, *ne infra* pretium illud vendat, minime vero *ne supra*. — Excipe: 1.° Si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali, rem meliorem fecerit. 2.° Si dominus expresse aut aequivalenter declaraverit, se nihil ultra pretium determinatum exigere: tunc enim excessus retineri potest. 3.° Si dominus agendi rationem proxenetae noverit et ratam habeat. — L. 825., C. A. 1086.

1171. *An possit proxeneta rem pretio sibi determinato vendendam pro seipso emere, et postea eamdem rem tamquam suam maiori pretio vendere?* — R. Affirmative, positis duabus conditionibus, scilicet: 1.° Ut, adhibita morali diligentia, emptorem non inveniat, qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret. 2.° Ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut eius periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim aequitas non servatur. — L. 825., C. A. 1087. 1088.

1172. *An proxeneta possit sibi retinere ea, quae vendens, solo eius intuitu gratis donat?* — R. Affirmative, si constet de vera donatione: quia mercator absolute loquendo aliquid cedere potest de lucro suo alicui proxenetae, ut eum ad officinam suam adducat; sed ad hoc requiritur, ut sit revera dispositus ad vendendum alteri cuilibet pretio superiori, et reapse sic ordinarie vendat. Confessarius autem non facile fidem adhibere debet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus. L. 825., H. A. 189.

Sic de eiusmodi casibus S. Lig. 826: « Caute permittendum est sartoribus ementibus pannos pro aliis, retinere aliquid de pretio: nam aliquando mercatores potius simulant ipsis donare quam donent, ita ut, si dominus ipse adiret, pro eodem pretio rem obtineret. Ceterum, si sartor fideliter negotium domini gerat, et mercator aliquid ei donet vere gratis, quia suam officinam ille frequentat, vel ut eum alliciat ad suam officinam frequentandam, licite sartor posset retinere donatum modo moralem diligentiam adhibuerit ad emendum ab aliis mercatoribus pretio minori ».

1173. *Quid sit permutatio, et quaenam sint eius proprietates?* — Ex Iure Romano permutatio contractus realis est, adeoque non nisi a traditione rei initium sumit. Quare non omnes venditionis et emptionis leges sequitur. Inst. l. 3. t. 24. § 2.

Ex C. I. 1549. 1550. 1552. 1554., C. G. 1702. 1703. 1705. 1706., permutatio est contractus, quo quaelibet pars se obligat ad rem dandam, ut alteram habeat. Solo consensu, ut venditio, perficitur. Quare continuo rei dominium et periculum ultro citroque in alterum transit. Uni re evicta, in potestatem eius est, aut damni compensationem, aut rei suae restitutionem petere. Actu privato, et verbaliter etiam perfici potest. Locum tamen in hoc contractu non habet, in foro exteriori, rescissio propter laesionem. In foro vero conscientiae, eadem est compensationis ratio ac in venditione et emptione. Gousset Cod. comm. art. 1706.

Ex C. H. 1538.-1541. qui rem *alienam* permutatione recepit, obligari non potest ad tradendam rem, quam vicissim promisit. Satisfacit rem acceptam restituendo. Qui re, permutatione, accepta evictionem passus est, potest vel rei propriae restitutionem exigere, vel damnorum compensationem. In ceteris permutatio iisdem ac venditio legibus regitur.

Ex C. A. 1045. seqq. traditio effectiva rei necessaria non est ad essentiam huius contractus, ea tamen requiritur ad eius implementum et ad proprietatem acquirendam. Qui contractam non implet obligationem de damno emergente et de lucro cessante tenetur. Si interim res totaliter vel ultra dimidium fortuito casu pereat, permutatio pro infecta habetur. Deteriorationes aliae in possessoris damnum sunt. Verum, si res *in corpore* permutata est, et singulae res casu pereant, sed non ultra dimidium, acceptantis damno pereunt. Utilia vero rei ad possessorem spectant usque ad ipsius traditionem.

1174. *Quid sit cambium?* — Cambium est: permutatio pecuniae cum pecunia cum aliquo campsoris lucro. Ille, a quo petitur cambium, vocatur *campsor*, ille qui petit *campsarius*. Cambium differt a venditione quia in hac merx pro pecunia, in illo pecunia pro pecunia commutatur. C. A. 1046. Dominium pecuniae statim ab acceptante acquiritur, antequam is quod debet reddiderit, ex Iure etiam Romano, siquidem hoc Iure in permutatione statim acquiritur dominium, antequam ex alia parte contractus compleatur. L. *Cum precibus* C. *de Rerum permut.* — L. 850.

1175. *Quotuplex sit cambium?* — Cambium, aliud est *reale*, aliud *siccum*. Cambium *siccum* est cambium fictum, e. g., quum fingitur pecunia, tradenda alteri, de loco in locum transvehenda, ut sic possit aliquid pro translatione exigi, cum revera non transferatur. *Reale* est cambium verum, quo vere et realiter pecunia pro pecunia commutatur; puta si aurum pro

argento detur. Cambium reale, aliud est *minutum* seu *manuale*, cum commutatur pecunia praesens unius formae vel materiae, cum pecunia alterius formae aut materiae, aliud est *locale*, cum pecunia praesens commutatur cum absente, quod fit vel cum campsor pecunias hoc in loco dat, a campsario in alio loco restituendas, vel cum campsor pecunias hoc in loco accipit, alio in loco a se restituendas. Cambium hoc per *litteras cambii* ordinarie fit. — L. 851.-854.

1176. *An cambium siccum seu fictum licitum sit?* — R. Negative, per se. Ratio, quia nullus in eo est titulus lucrum accipiendi cum verum cambium non sit, sed fictio cambii. Hinc S. Pius V. B. *In eam* 1571. illud expresse declaravit *usurarium;* est enim usura palliata. Dicitur *per se*, nam ratione mutui licet lucrum, quod in mutuo licitum est. E. M.

1177. *An cambium reale, tum manuale tum locale, licitum sit?* R. Affirmative, *dummodo lucrum non excedat pretium lege vel locorum consuetudine determinatum.* — Ratio, quia plures adsunt iusti tituli talis lucri: 1.° Locatio operae et officii ad conquirendam, numerandam et transmittendam pecuniam. 2.° Expensae in detinendo telonio. 3.° Pecuniae assecuratio, usque ad locum, ubi pecunia solvenda est. 4.° Lucrum cessans, damnum emergens et sortis periculum, ex debitorum infortuniis. 5.° Varius variis in locis pecuniae valor, unde fiat, quod pecunia plus valeat eo in loco, quo a campsore reddenda est, quam in illo quo a campsore accipitur. Si contra vero esset, si nempe plus valeret pecunia in loco quo accipitur, quam in loco quo redditur; tunc hoc titulo nihil liceret recipere, immo compensatio usque ad aequalitatem esset facienda. L. 851.-854.

1178. *An licitum sit cambium Francofurtense, in quo nempe campsor pecuniam dat in proximis nundinis reddendam, ita ut lucrum maius pro maiori dilatione exigatur?* — R. Affirmative, si titulus adsit damni emergentis, vel alius similis titulus. — Affirmative iterum, ratione mutui, si taxa legalis non excedatur. — Negative, si praecise ratione dilationis exigatur; usura enim est. L. 855.

1179. *An licitum sit cambium illis, qui officium publicum cambiendi non habent?* —R. Affirmative. Ratio, quia rem utilem alteri praestant. L. 851.

1180. *An famulus recipiens pecuniam auream a domino, ut satisfaciat creditoribus domini, possit lucrari, eam cum alia commutando?* — « Affirmatur, quia est fructus industriae, nisi sit contra expressam vel tacitam domini voluntatem ». L. 856.

1181. *An accipiens pecuniam adulterinam possit eam expendere?* — R. Negative. Ratio, « quia res vitiosa nequit alteri tradi, vitio non detecto. Neque ex eo quod ipse deceptus est, potest decipere alios, cum actio, qua deceptus fuit, nullum ad hoc ius tribuat ». Si autem eam iam expenderis, bona fide, teneris ad restitutionem « ex vi ipsius contractus, quo obligaris solvere iustum pretium pro re empta ». L. 855. — C. I. Poen. 440.

1182. *Quid campsores recipere possunt ratione mutui?* — Recipere possunt 6. pro 100. iuxta taxam legalem pro mercatoribus, quia mercaturam pecuniae exercent. Immo permittitur ipsis accipere 7. pro 100. ob pericula, expensas et labores, quos subire debent. Ordinarie enim campsores multa

pecunia, ut tali officio fungi possint, multisque ministris indigent, ac variis periculis exponuntur.

1183. *Quid de Bulla S. Pii V. de cambiis?* — Varias S. Pius V. restrictiones apposuit ad usuras amovendas; eas tamen in plerisque locis non amplius vigere testantur. Lessius 93., Lugo 107., L. 852.

1184. *Quid sit negotiatio?* — Ea *proprie* est, cum quis rem sibi comparat eo animo, ut integram et non mutatam carius vendendo, vel permutando, lucretur. L. 831., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 4. ad 2., Lugo D. 28. n. 20.

1185. *Quotuplex sit negotiatio?* — Triplex est: negotiatio *oeconomica*, negotiatio *artificiosa* seu opificium, et negotiatio *proprie* et *stricte* talis. Haec Molina D. 339. n. 2.: « Triplex emptionis et venditionis genus distingui consuevit. Quaedam enim est, qua ab unoquoque ea emuntur, quae ad suam familiaeque sustentationem necessaria sunt, superflua vero vendantur... Alia est, qua emitur aliquid, ut per industriam commutatum vendatur... Ad hoc genus pertinet non solum, si quis lanam emat, ut inde pannum, quem vendat, conficiat, vel ferrum, ut gladios, quos ex illo efficiat, vendat; sed etiam si aves aut equos emat, ut postquam eos educaverit et ad aliquid assuefecerit, illos vendat. Ad huius generis negotiationem ea quoque spectat, qua res non empta, sed ex tuis bonis aut fundis, in meliorem formam mutata venditur. Alia denique emptio et venditio est, qua emitur aliquid, ut immutatum carius ad lucrum comparandum vendatur; atque haec est propriissima negotiatio ».

1186. *An negotatio licita sit?* — Prima negotiationis species licita est. « Haec, ait Molina l. c., quasi naturalis est, et de se est bona et licita. Ordinatur quippe non ad lucrum, sed ad congruam sustentationem, atque ad oeconomos et politicos spectat, non ad negotiatores presse sumptos ». — Altera species negotiationis licita etiam est. « Haec autem, ait Molina l. c., non est mera negotiatio; eo quod res sic empta per industriam ac artem melior reddatur ». Quare non venditur tantum res empta, sed simul propria industria propriumque opus. Huiusmodi homines potius *opifices, artifices,* quam negotiatores seu mercatores appellantur. Nulla ergo in ea iniustitia est, nulla illiceitas, cum valde ea utilis sit privato et publico bono. — Tertia etiam negotiatio licita de se est, siquidem et ipsa valde utilis est privato et publico bono, neque aliunde ullam necessario, seu per se, continet iniustitiam, aut inhonestatem. Etenim ad iustitiam quod attinet sufficit quod quis emendo et vendendo sistat intra limites pretii infimi et summi; et rerum pretia aliunde pro variis temporum et locorum adiunctis imminui et augeri solent. Accedit praeterea horum negotiatorum labor, itemque ingentes expensae ab ipsis faciendae, ut pro omnibus necessarias merces semper paratas habeant. Lucrum autem quod intenditur, ordinate et moderate intendi potest ad bonum et pium etiam finem, adeoque neque ex hoc capite necessario et per se ulla habetur turpitudo. — S. Th. 2. 2. q. 77. a. 4.

XIII. — DE CENSU

1187. *Quid sit census?* — Census est contractus, quo quis sibi reservat, vel emit ius annuam pensionem percipiendi. — Emens dicitur, *censualista*, *censitor*, *emptor*, *creditor*. Vendens vero, *censuarius*, *venditor*, *debitor*. Ipsa autem pensio dicitur *canon*, vel *reditus*, quia ipsa quotannis redit et redditur. — *Census*, ut patet, essentialiter differt *a mutuo;* in hoc enim mutuatarius est principaliter debitor ipsius *capitalis*, in illo vero *censuarius* debitor non est *capitalis*, sed *reditus*, cuius ius vendidit ipsius capitalis pretio. — C. I. 1778., C. H. 1604., C. G. 1909., Gousset in h. a., L. 839.

1188. *Quotuplex sit census?* — Census multiplex est: 1.° *Reservativus*, quo censualista rem suam in alterum transfert titulo gratuito vel oneroso, e. g., alteri donat vel vendit, reservata sibi ex ea re annua pensione. C. I. 1778. 1780., C. G. 530., C. H. 1607. — 2.° *Consignativus*, quo censualista ius emit pensionis percipiendae ex re aliena, sive mobili, sive immobili; vel ex ipsa persona obligante se ad annuam pensionem ex arte sua, vel negotiatione, vel officio praestandam. C. I. 1782., C. G. 1909., C. H. 1606. — Hinc 3.° census distinguitur in *realem*, *personalem*, *mixtum*, prout immediate constituitur in re aliqua frugifera, vel in labore et industria personae, vel in utroque, quatenus immediate et directe sola persona obligatur, ad securitatem tamen obligantur res aliquae debitoris, quibus nihilominus pereuntibus, persona obligata manet. In censu ergo *reali*, res obligata est ad quoscumque deveniat, et, re pereunte, perit census, C. H. 1624. 1625.; in censu *personali* persona obligata est, et personae industria pereunte, perit census, nisi census constitutus sit independenter a quacumque industria et non nisi in mera personae obligatione ad solvendum. In censu mixto, pereunte industria personae, obligatur res quasi hypothecata, et, re pereunte, obligatur adhuc persona. Cf. L. 841. 846. 847. — 4.° *Temporarius*, vel *perpetuus*, aut *vitalitius*, prout constituitur ad tempus, e. g., ad 10. annos, vel in perpetuum, vel ad vitam hominis. C. I. 1779., C. G. 1910., C. A. 1284., C. H. 1802. — 5.° *Redimibilis* vel *irredimibilis*, prout potest vel non potest redimi per capitalis seu pretii restitutionem. — Lugo D. 27. n. 4., E. M.

1189. *Resolves:* Censuarius non liberatur a pensione solvenda propter accidentalem sterilitatem fundi et fructuum amissionem. C. H. 1624.

1190. *Nota:* 1.° Ex recentioribus legibus, cum reditus pretium est alienationis, aut conditio cessionis immobilium, sive titulo oneroso, sive gratuito, reditus vocatur *reditus fundiarius*. Huiusmodi autem cessio immobilium transfert in cessionarium plenum dominium, non obstante quavis contraria clausula. Reditus vero, constitutus ope capitalis, vocatur *reditus simplex* seu *census*. C. I. 1778.-1782., C. G. 530. 1909. — 2.° Ex C. I. 1782. census proprie dictus non permittitur, nisi mediante hypotheca speciali in fundo determinato. Scilicet permittitur non quilibet census, sed census mixtus vel realis. — 3.° Census perpetuus vel ad longum tempus Iure Canonico inter bona *immobilia* recensetur. Clem. *Exivi de Verbor. signif.*,

Lugo n. 8. Ex C. I. 418., C. G. 529. reditus vitalitii aut perpetui, qui a Statu debeantur vel a privatis, inter *mobilia* computantur.

1191. *An licitus sit census reservativus?* — R. Affirmative. Ratio, quia quilibet rem suam alteri donans vel vendens potest sibi reservare ius ad partem fructuum ipsius rei, modo tamen pro rata reservationis, in venditione, pretium imminuatur. L. 839.

1192. *An licitus sit census consignativus, realis?* — R. Affirmative. Nam quilibet, cunctis fatentibus, alteri donare potest ius percipiendi annuam pensionem ex re sua frugifera; ergo et hoc ius vendere. Nec refert, quod tractu temporis pensiones percipiendae excedant pretium solutum: id etiam in venditione rei frugiferae contingit; neque tamen ea illicita est. Hinc licitus est census realis, sive perpetuus, sive temporalis. Si enim debita servetur aequalitas inter pretium et ius, perpetuum vel temporaneum pensionis, nulla quidem apparet iniustitia. L. 839., E. M.

1193. *An licitus sit census consignativus, personalis?* — De *Iure Naturali:* « Prima sententia negat... quia persona non potest vendi... Secunda sententia communior et probabilior docet esse licitum... quia si quisque potest operas suas locare, potest etiam et vendere. In tali autem contractu proprie non emitur persona, sed improprie, nam proprie emitur ius super industriam personae ». L. 840. — De *Iure Canonico*, ubi hoc viget, census iste prohibetur per B. S. Pii V. *Cum onus* 1568., L. 840. 846. 848. « Bulla autem S. Pii V., ait S. Alph. 849., non est recepta in duobus regnis Siciliae, nec est recepta in Hispania, nec in Belgio, nec in Germania, neque in Gallia, nec etiam Romae observatur ». Cf. Collectan. S. C. de P. F. 2132. — Ex C. I. 1628., C. G. 1780. nemo operas obligare potest, nisi ad tempus, vel pro negotio determinato.

1194. *An licitus sit census vitalitius?* — R. Affirmative. Est enim contractus aleatorius, in quo tum censualista tum censuarius aequali periculo se exponunt, ille accipiendi plus vel minus, iste solvendi minus vel plus. Hunc praeterea approbat Ius Civile tam titulo oneroso, ob pecuniam, vel rem mobilem, vel rem immobilem, quam titulo gratuito donationis inter vivos, vel testamenti. C. I. 1789. seqq., C. G. 1910. 1968. 1969. Licere etiam eruitur ex Iure Canonico Clem. *Monasteriorum de Reb. Eccl. non alien.* Ad constituendum autem iustum census vitalitii pretium, si de vitalitio ex titulo oneroso agatur, ratio habenda est aetatis. Ordinarie, dicunt, pretium se extendere non debet ultra 15. pro 100. — L. 844., C. A. 1285., C. H. 1802. 1803.

1195. *An licitus sit census realis redimibilis?* — R. Affirmative *de iure naturali*, sive ex parte censuarii, sive etiam ex parte censualistae. In censu enim vera venditio habetur, in qua redemptio ex utraque etiam parte licita est. — *De iure canonico* ex B. cit. S. Pii V. semper quidem permittitur censuario, ut possit redimere censum, facta denuntiatione per bimestre; non autem censualistae. — Ex C. I. 1783., C. H. 1608. census est essentia sua redimibilis, ex C. G. 1911. census perpetuus est essentialiter redimibilis. Verum census redimi nequit a censualista quoad censuarius pacta servaverit. C. I. 1783. 1785. seqq., C. G. 530. 1911. seqq. E contra a censuario redimi quandocumque potest, C. I. 1783., C. G. 530. 1911., et

pactum, ne censum is redimere possit, nullum est. C. I. 1783., C. G. 530. Nihilominus conveniri potest, ne redimatur quamdiu censualista vivat, vel ante certum tempus, quod in reservativis seu fundiariis tricennium, in consignativis decennium excedere nequit, vel non nisi censualista, legitimo tempore, antea praemonito. C. I. 1783., C. G. 530. 1911. Cf. C. H. 1608. 1609. 1658. 1662. — Census autem vitalitius irredimibilis est, tum ex parte creditoris, si debitor fuerit in mora solvendi, tum ex parte debitoris, si forte is plus aequo eo onerari coeperit. Attamen creditor contractum rescindere poterit, si debitor promissas cautiones pro executione non praestiterit. C. I. 1785. 1796.-1798., C. G. 1912. 1971. 1977. 1978. 1979. Cf. C. H. 1805., L. 843. 847.

1196. *An licitus sit census realis irredimibilis seu perpetuus?* — R. Affirmative de iure naturae. Nam ut huiusmodi ius pensionis seu reditus comparatur certa re vel pecuniae summa, qua venditor poterit negotiari, emere agrum, domum etc., et ita indefinite lucrari; ita etiam illa pensio seu reditus indefinite sunt percipiendi; et, si servetur debita in contractu proportio pretii, aequivalere bene possunt, quoad utilitatem et emolumentum inde percipiendum, rei seu summae pecuniae pro pretio traditae. Atqui in venditione et emptione, in hoc praecise est aequalitas servanda inter pretium et mercem, quoad nempe utilitatem et emolumentum hinc inde percipiendum, attenta lege, consuetudine, communi existimatione. — Tambur. de Contr. Tr. 2. c. 2. § 3. n. 3., Lugo D. 27. n. 20. 158., Collectan. S. C. de P. F. n. 2129.

1197. *An licitus sit census personalis redimibilis.* — R. Affirmative, sive ex parte venditoris, sive ex parte emptoris. Etenim, ut census realis innititur in re, ita census personalis innititur in industria personae. Atqui industria personae vendi potest uti res. Uti ergo licet census redimibilis *realis,* ita licet etiam census redimibilis *personalis,* si debita servetur proportio pro onere imposito. — Bened. XIV. de Syn. l. 10. c. 5. n. 4. 5., L. 840. 843.

1198. *An liceat emere ius pensionis annuae mera pecuniae translatione dominii, quin illud constituatur in aliqua re mobili vel immobili frugifera, vel in industria aliqua determinata personae?* — R. Affirmative. Constat 1.° ex praxi fere universali ipsorum virorum timoratorum. Ubique enim annuae pensiones emuntur pecunia, uti aliae merces, sive ad tempus sive ad totam vitam, quin ullus scrupulus de hac re moveatur. 2.° Nam huiusmodi census mere pecuniarius est verissima venditio, quae certe licita est; ex una enim parte ius illud annuae pensionis est pretio aestimabile, ex altera parte pecunia, cuius dominium absolute transfertur, et non cum onere tantumdem restituendi ut in mutuo, vere pretium est illius iuris. C. I. 1778., C. G. 1909.

1199. *Nota:* 1.° Census iste mere *pecuniarius* hoc sibi habet proprium quod in nulla re frugifera sit constitutus, sed sit verissima venditio, et consequenter licet censuarius amittat acceptum pecuniae capitale, semper tamen constitutum censum solvere tenetur. Idemque locum haberet, si licet quis loco pecuniae pro pretio iuris ad illam pensionem, rem mobilem vel immobilem traderet, quin in ea ius illius pensionis consignaret, eique alligaret. Talis contractus proprio nomine in Iure novo *constitutio reditus*

appellatur. Et sane non proprie *censum*, sed hanc *constitutionem reditus* agnoscere videntur C. I. 1778. seqq. et C. G. 530. 1909. seqq. 1968. seqq.

2.° Ad census revocari possunt reditus annui in bonis Guberniorum constituti, itemque *actiones* bancariae, commerciales, industriales, quorum venditio et emptio, uti aliarum rerum licita est; itemque pretium, uti aliarum mercium, incrementum et decrementum in dies habet. Hinc licet emere pretio currente census annuos in Gubernio constitutos, vel actiones a publico nummulario. Venduntur enim et emuntur, ut merces ordinariae, et pretium eorum crescit vel decrescit iuxta communem hominum aestimationem, iudicantium maius vel minus in iis adesse periculum.

1200. *Quaenam requirantur conditiones ad licitam census constitutionem?* — « De iure naturali duae tantum conditiones desiderantur: 1.° Ut sit aequalitas inter censum et pretium. 2.° Ut pacta, praeter naturam census adiecta, iuste compensentur ». L. 845. De Iure Canonico plures exiguntur conditiones, quibus tamen consuetudine fere universali derogatum est. L. 845.-849. Iuris autem Civilis dispositiones praecipuas iam enumeravimus. — Cum census vera venditio et emptio sit, contractui census addi possunt illae conditiones et modificationes, quae venditioni et emptioni non repugnant. Pretium item ut in emptione et venditione pro variis rerum circumstantiis varium esse potest. — Tambur. de Contr. Tr. 2. c. 4. n. 1. 2.

1201. *An census vitalitius decurrat, divisibiliter cum tempore; vel non nisi post tempus constitutum, puta post annum elapsum, debetur ita ut, si censualista praemoriatur, censuarius non teneatur pro rata temporis elapsi pensionem haeredibus solvere?* — Negant aliqui divisibiliter decurrere. Sed verius affirmandum est. Etenim: 1.° Census *vitalitius* est ad alimenta et pensionem vitae; nam pecuniam suam collocans, vult vivere de pensione: ergo equum est, ut pensio currat cum proportione ad vitam, quae sustentari debet, et sustentatur a die constituti census. Ergo censualista moriens acquisivit ius ad pensionem pro tempore praecedenti; porro ius ab eo tunc acquisitum, eo moriente, transit ad haeredes. — 2.° Pensio *vitalitia* se habet prorsus ut pensio assignata clerico, pro alimentis et sustentatione vitae: nam utraque est *personalis* ad sustentationem, et finitur morte pensionarii, nec habetur ius ad eam, nisi elapso anno. Atqui pensio clerici, mortuo pensionario, debetur haeredi pro rata temporis elapsi. Ergo. — 3.° Si censualista *ordinarius* moriatur intra annum, debetur haeredi census pro rata temporis praeteriti. Ergo a pari, etiamsi moriatur censualista *vitalitius;* nam haec est tantum differentia inter hos census, quod in priore ius remaneat haeredi ad sortem, in posteriori nullum ius ad sortem supersit, mortuo censualista. Ergo censualista *vitalitius* non debet esse deterioris conditionis, quam censualista *ordinarius*. Ergo in utroque casu pensio habet eamdem temporis divisionem; et in utroque casu pensio currit, et obvenit censualistae temporis lapsu. Ergo pro rata temporis praeteriti pensio haeredibus solvi debet. La-Croix 1023., Gur. Cas. 1005. — 4.° Ex C. I. 1799., C. G. 1980, pensiones in dies cedunt, verum si convenerit, ut anticipate praestentur initio cuiusque anni vel mensis, eo veniente, statim integrae totius anni vel mensis debentur. Itemque ex C. I. 867. legatum titulo alimentorum ab initio exigi potest. — Ex C. A. 1285. 1418. vitalitium, in dubio, solvitur anticipate unoquoque trimestri; alimenta vero anticipate praestantur saltem per mensem. — Ex C. H. re-

ditus respondens anno, in quo moritur is qui vitalitio fruitur, solvendus est cum proportione ad dies quos ipse vixerit, et, si anticipate solvendus erat, totus debetur. Cf. art. 880. — Ex C. S. Pii V. *Cum onus* § 3. 16. Febr. 1569. prohibentur « solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deductae ».

1202. *Quomodo census extinguatur et rescindatur?* — Census *extinguitur:* 1.° Redemptione ex parte censuarii, C. I. 1783., C. G. 1911; et, si vitalitius sit, morte eius ad cuius vitam fuit constitutus, C. I. 1801., C. G. 1982., C. A. 1285. — 2.° Officio iudicis, in casibus iure determinatis, C. I. 1785. 1786., C. G. 1912. 1913. — Census *rescindi* potest, ut quaelibet alia venditio emptio, v. g., si censualista quasi venditor laesus fuerit ultra dimidium iusti pretii; vel si quasi donator liberos postea susceperit. — Si debitor antequam bonis cedat, vel solvendo esse desinat, fundum alienaverit, creditor exigere non potest census redemptionem, si fundi possessor paratus sit canonem solvere et cautiones pro eo dare. C. I. 1786. — Censu resoluto ob non impletas conditiones, vel rescisso ex susceptis liberis, integra manent iura tertio quaesita super bonis immobilibus perinde ac in emptione et permutatione. C. I. 1787. — Census non extinguitur morte civili censualistae, sed transit ad eius haeredes usque ad eius naturalem mortem, C. I. 1801., C. G. 1982. 1983.

XIV. — DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE

1203. *Quid sit locatio conductio?* — Est contractus, quo quis *se obligat rem ad usum vel usumfructum alicui ad certum tempus pro pretio concedere, et alter accipere.* C. A. 1090. 1091. — *Se obligat,* est enim contractus consensualis, L. 1. Dig. *Locati conducti,* C. I. 1569. 1570., C. G. 1709. 1710., C. A. 1094. — *Rem,* h. e. non usu fungibilem, sive rem proprie dictam, sive personam; quare locari potest res immobilis, ut praedium; res mobilis, ut grex; persona, ut operarius aut famulus quoad operas praestandas, e. g. famulatus, res et personas transvehendi, etc. C. H. 1542. — *Ad usum,* ut domus; *ad usumfructum,* ut vinea. C. H. 1545. — *Ad certum tempus,* attento nempe Iure positivo: quo nulla locatio perpetua admittitur. Quin immo, si *ultra decennium* sit, alius est contractus, nempe emphyteusis, quae ex Iure Romano a locatione distinguitur. C. H. 1543. 1544., C. A. 1090. — *Pro pretio,* si gratis, non locatio sed commodatum habetur, L. 46. Dig. *Locati et conducti.* Cf. Vinnium de Inst. *de Locatione* § 1. — *Pro pretio,* h. e. pro pecunia. Inst. l. 3. t. 24. init. et § 2., L. *Depositum* § 9. Dig. *Depositi vel contra,* L. *Naturalis* § 2. Dig. *de Praescriptis verbis,* etc. Si non pro pecunia, sed pro alia re res detur ad usum vel usumfructum, alius est contractus ex Iure Positivo, sed non locatio conductio. Ex Iure Positivo, nam de Iure Naturali essentiale non est discrimen. Iuri Romano autem consonat Ius It. 1569. et Gall. 1709. Quapropter, quoad praedia rustica, L. *Si merces* § 4. Dig. *Locati* etc., C. A. 1103., C. H. 1579., si colonus sit *partiarius,* qui nempe non pecuniam sed *partem fructuum* domino praestet, contractus dicitur intercedere *societatis.* Si vero colonus ad numeratam pecuniam conduxit, vera est locatio. Idemque dicendum

de societate seu locatione animalium. Ex C. I. 1665., C. G. 1711. sub locatione recensetur contractus, quo alter animalia alteri tradit, ut fructus dividatur inter proprietarium et eum cui traduntur. Itemque C. I. 1647. seqq., C. G. 1711. 1763. cum colonus partiarius est, locatio adhuc habetur. — *Pro pretio,* ut vera sit locatio, necesse est pretium determinari cum conventio fit. Si conventio fiat pretii postea determinandi, contractus erit innominatus: facio ut des, Vinnius l. c. — Quod a conductore rependitur nomen sortitur *mercedis,* quemadmodum et *pensionis* cum immobilia locantur. Inst. l. c., L. *Ex conducto* § 4. Dig. *Locati conducti,* C. A. 1092. — Ille vero qui *concedit* dicitur *locator,* et ille qui *accipit* vocatur *conductor.* C. H. 1546. — L. 857.

1204. *Resolves:* Cum huius contractus obiectum sit *usus* rei, non res ipsa, sed haec praesupponatur; si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur et conductor liberatur. Idem dicendum est, si, durante locatione, citra conductoris culpam res tota pereat. Si res ex parte tantum perit, pensio saltem imminuenda erit, et, si ea pars notabilis sit, poterit conductor vel pensionis imminutionem petere, vel etiam contractum dissolvere. C. I. 1580. Si res ipsa non pereat, impeditur tamen conductor ab usu vel cultura rei, citra eius culpam, e. g., si campus diuturna inundatione obruatur, ab hostili exercitu occupetur, etc., liberatur conductor a solvenda pensione. L. *Si fundus,* L. *Perinde.* L. *Et haec,* L. *Habitatores* § 1. Dig. *Locati* etc. — Contractus locationis *per se* non solvitur neque locatoris neque conductoris morte, C. I. 1596., C. G. 1742., sed elapso tempore in contractu definito. C. A. 1109. seqq., C. H. 1565. seqq. — L. 857.

1205. *Quinam locare conducere possint, et an locatio conductio ad haeredes pertranseat?* — Quicumque vendere emere possunt, iidem locare conducere possunt. Ex C. I. 1572., locatio ultra novennium non permittitur iis, qui simplicem administrationem habent. Cf. C. H. 1548. — Conductor potest alteri rem conductam sublocare, L. *Cum in plures* Dig. *Locati et conducti,* et L. *Nemo* C. *de locato,* C. I. 1373., C. G. 1717., C. H. 1550. — Porro contractus locationis conductionis ad utriusque haeredes transit, quamdiu praefinitum locationis tempus durat, nisi aliter fuerit conventum. Inst. l. 3. t. 24. § 6. Ita etiam ex C. I. 1596., C. G. 1742. Itemque transit, si locata sit *opera* ad aliquid, quod per alium possit impleri, L. *Veteris* C. *de contrahenda et committenda stipulatione;* secus si talis sit opera, quae nequeat per alium impleri. C. I. 1642. 1643., C. G. 1795. 1796. contractus locationis *operis* solvitur morte operarii, qui operam suam locaverat. Verum qui opus commisit tenetur haeredibus illius solvere pretium tum peracti laboris, tum praeparatae materiae, si haec possunt ipsi committenti utilia esse. — Si res sint Ecclesiae, ut locentur ultra triennium requiritur Beneplacitum S. Sedis. — E. M.

1206. *Quid locari conduci possit?* — Locari possunt quaecumque in commercium veniunt, dummodo non sint usu consumptibilia, et mercede possunt ac solent aestimari. Quare locari possunt tam immobilia, quam mobilia; itemque *opera* et *opus,* ut aliquem alio vehere, tabulam pingere, etc., et iura incorporalia, ut ususfructus, habitatio, vectigalia, etc. C. A. 1092. 1093. Porro opera agrimensoris beneficium reputatur; et ideo ex veteribus non datur cum tali persona locatio conductio, adeoque neque

merces, sed remuneratio et *honorarium*. Idem dicendum de opera advocati, medici, aliorum, qui operam nobis praestant ingenio, eloquio, fide, etc. Remuneratio vero famulis ac operariis debita *salarium* et *stipendium* solet dici. *Remuneratio, opera* enim a libertate humana procedens, nobilius quid *merce* est, et rationem induit *meriti*, et iuris ad *praemium*. Cf. Enc. Leonis XIII. *Rerum novarum*, S. O. Cas. Consc. N., — Ex C. I. 1571.-1696. quoad res, quae possunt locari, specialis mentio fit tantum praedii rustici, domus habitandae, animalium. Quoad opera, tres dicuntur esse principales species locationis operum et industriae. Prima, qua quis obligat *operas* suas in alterius famulatum; altera, qua vectores tum terra tum aqua se obligant ad personas vel res transferendas; tertia qua *operum* redemptores se obligant ad *opera* facienda. Cf. C. H. 1575. seqq., C. A. 1151. seqq.

1207. *Quaenam sint obligationes locatoris?* — Conventione perfecta, debet rem tradere *in eo statu*, ut conductor *ipsa uti valeat*, adeoque necessarias ad id expensas facere tenetur. Itemque curare debet, *ut re pacifice fruatur*. L. *Sed addes* § 5., L. *Ex conducto* § 1. Dig. *Locati*, etc., C. I. 1575. 1576., C. G. 1719. 1720., C. H. 1554., C. A. 1096. — L. 857.

Debet locator *manifestare vitia rei*, quae eius usum inutilem aut perniciosum reddunt. L. cit. *Sed addes* § 1. Ex C. I. 1577., C. G. 1721. locator debet *immunem praestare conductorem ab omnibus vitiis et defectibus rei, quae huius usum impedirent;* etiamsi ea ignoraverit locator, cum contractus iniretur. Si vero ex huiusmodi vitiis aut defectibus damnum conductori obveniat, tenetur locator *damnum compensare*, nisi demonstret se ea ignorasse. Cf. C. A. 1117. — L. 857.

Locator non potest *ante tempus praefinitum* conductorem invitum privare re conducta, nisi casus improvisus accidat, ob quem domus ipsi domino sit necessaria. C. I. 1612., C. G. 1761. locator nequit solvere contractum, etsi declaret velle se domum habitare, nisi contraria conventio fuerit inita.

C. I. 1579. 1580., C. G. 1724., C. H. 1557. 1558., C. A. 1118. 1119. locator non potest, durante locatione, rei locatae *formam immutare*. Si necessariae restaurationes rei locatae huiusmodi sint, ut prohibeant habitationem illius partis, quae necessaria est conductori eiusque familiae, locus est iuxta circumstantias rescissioni contractus et damnorum compensationi.

C. I. 1584., C. G. 1729., C. H. 1569. si conductor utitur re locata in usum alium ab eo, ad quem est destinata, ut possit damnum inde locator subire, hic iuxta circumstantias *potest petere rescissionem contractus*.

C. I. 1165. 1595., C. G. 1741., C. H. 1556., C. A. 1096. 1117. 1118. contractus locationis *resolvi potest ab altera parte*, si altera principalibus suis obligationibus non satisfaciat. Principalis locatoris obligatio est, ut locatam rem praestet *usui aptam*, eamque *in eo statu* conservet. Principalis conductoris obligatio est, ut rem conductam *non pessundet*, ac statuto tempore *pensionem solvat*. Iure Canonico, in materia locationis rei ecclesiasticae, si locatio ultra biennium sit, locator expectare biennium debet, neque potest ante hoc tempus conductorem invitum privare re conducta, si pensionem non solvat. C. *Propter de Locato*. Verum haec conditio neque de iure naturali est, neque in re non ecclesiastica a Iure Romano exigitur.

Ex Iure Romano successor universalis, sive haeres, non potest ante completum tempus conductorem expellere. Partialis autem successor, ut

emptor, donatarius, legatarius, etc. non tenetur stare contractui locationis, uti neque conductor; nisi tamen aliter pactum sit, v. g., ne res locata, durante locationis tempore, alienetur. L. 9. C. *de Locato*, etc. Quamvis autem emptor non teneatur stare contractui locationis, conductor tamen, si expellatur, agere potest ad eius interesse obtinendum contra locatorem et eius haeredes. L. *Si merces* § 1. Dig. *Locati* etc., L. *Qui fundum* ib., L. 858. 859. — Ex C. I. 1597. seqq., C. G. 1743. seqq., C. A. 1120. 1121. emptor rei locatae nequit generatim expellere conductorem, nisi in locationis contractu statutum fuerit, ut si res locata vendatur possit emptor locationem solvere et conductorem expellere. Quo in casu tenetur emptor conductorem praemonere tempore opportuno. Ac, si nulla intercesserit stipulatio, ex C. I. et C. A. locator conductoris damna compensare tenetur, ex C. G. quoad damna et interesse, locator et, eo deficiente, emptor tenetur servare indemnem conductorem. Cf. C. H. 1571.

1208. *Quaenam sint obligationes conductoris?* — *Pretium solvere* debet tempore statuto. C. I. 1583., C. G. 1728., C. H. 1555. — Debet re uti *in eum finem,* pro quo est data et non in alium. C. I. 1583., C. G. 1728., C. H. 1555. — Tenetur *expensas locativas facere,* expensas nempe minoris momenti, spectantes ad restaurationem rei usu attritae, consuetudine vel lege definitas. C. I. 1604. 1625., C. G. 1754. 1777., C. A. 1096. — *Eam diligentiam* debet adhibere in rei usu, quam adhibet *in re sua,* ne rei dominus detrimentum patiatur. C. I. 1583., C. G. 1728., C. H. 1555. — Non prohibetur *sublocare,* nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat, L. 11. C. h. t., C. I. 1573., C. G. 1717., C. H. 1550., C. A. 1093. — Locatione finita, rem restituere debet, *in eo statu, in quo eam recepit,* C. A. 1109., C. H. 1561., C. I. 1585.

1209. *Quid quoad culpam praestandam?* — Cum locationis conductionis contractus in commodum sit tum locatoris tum conductoris uterque *culpam* praestant tantum *latam et levem,* non levissimam. Lugo D. 29. n. 64., Molina D. 494. n. 1. Neuter etiam ad casus fortuitos tenetur, in quibus nulla est culpa. — C. H. 1555. 1559.

1210. *Quid si res locata pereat?* — Ex regula generali, si res locata pereat, et ignoretur utrum culpa vel dolo conductoris seu custodis, ac casu res perierit, conductor vel custos obligatur ad utrumque probandum, et quod res perierit, et quod res perierit absque sua culpa aut dolo. Cf. Molina D. 494. n. 13. — Attamen, si domus locata incendio pereat, conductor absolvendus est, nisi locator culpam demonstret conductoris. Saepe enim incendium culpa contingit famulorum, quam paterfamilias praestare non cogitur. L. *Si vendita* Dig. *de Periculo et commodo rei venditae*. Cf. Laymann n. 6., L. 855.

Ex C. I. 1588. 1589. 1590., C. G. 1733. 1734. 1735. conductor domus aut fundi rustici de incendio tenetur, nisi demonstret incendium contigisse casu fortuito, aut vi maiore, aut ex vitio constructionis, aut ex C. I. non obstante diligentia solita adhiberi a quolibet diligenti patrefamilias, aut ignem ex vicina domo fuisse communicatum. Si plures sunt inquilini, omnes pariter tenentur, una cum locatore ex C. I., si ipse quoque inhabitat, et quilibet pro rata valoris partis a se occupatae: nisi demonstret in habitatione alicuius ex ipsis incepisse incendium, in qua hypothesi hic solus

obligatur; vel nisi demonstret non potuisse incendium a suo loco incipere. Et generatim conductor praestare debet detrimenta et damna, quae accidunt tempore suae conductionis, nisi probet accidisse absque sua culpa; eademque praestare debet, quorum causa fuerit aliquis ex sua familia, aut ex suis subconductoribus. C. H. 1563. 1564. 1568., C. A. 1111. 1112.

1211. *An locator agrorum teneatur saltem partem pensionis remittere in casu sterilitatis ob grandinem, e. g., vel aliud infortunium?* — « *Per se* de iure naturali, ad rigorem loquendo, nunquam locator pensionem debitam colono remittere tenetur, quia infortunia naturaliter ipsi obveniunt. Etenim res, quae casu fortuito seu extraordinario destruitur, perit domino: atqui locatarius est fructuum colligendorum dominus: ergo... Dixi... *per se*, quia conventione generali, iure confirmata, introductum est, ut, si ingens sit iactura, aliquid remittatur; si vero sit totalis, ut damnum inter utrumque, locatorem scilicet et locatarium, dividatur. Si taliter autem non constitutum fuisset, locatarius minus tributum persolveret. L. 860. » Gur. Cas. 973.

1212. *Quid, si colonus habuit quidem messem faustam, sed tamen omnes fructus iam in horreum collectos amisit, sive hostium direptione, sive incendio?* — « In hoc casu colonus imminutionem pensionis exigere non potest, ut videtur, saltem probabilius. Ratio est, quia, quando fructus iam sunt in horreum collecti, pleno iure sunt in dominium locatarii; nec conventiones aut leges, ex quibus tributum, ingruente extraordinaria calamitate, minus solvendum est, hunc casum respicere videntur. Elbel n. 673., La-Croix l. 3. p. 2. n. 1049. contra Lessium et alios. In praxi, sane locator ante sententiam iudicis ad nihil teneretur ». Gur. Cas. 976.

1213. *Quaenam sint dispositiones Iuris quoad praecedentes casus?* — L. *Ex conducto* § 2. Dig. *Locati* etc.: « Si labes facta sit, *omnemque fructum tulerit*, damnum coloni non esse, ne supra damnum seminis (amissi), mercedes agri praestare cogatur ». Quare si damnum immodicum sit, conductor a solvenda pensione liberatur. L. *Si merces* § 6. e. t.: « Vis maior... non debet conductori damnosa esse, si plusquam tolerabile est, laesi fuerint fructus ». Unde, si magna sit sterilitas, sed non plena, pensio pro rata remittitur. Consentit Iuri Romano Ius Canonic. C. 3. *de Locato.* — L. 860.

C. I. 1620. 1621., C. G. 1772. 1773., C. A. 1104. 1106. colonus potest explicita conventione se subiicere fortuitis casibus. Talis autem conventio non intelligitur; nisi pro casibus fortuitis *ordinariis*, cuiusmodi sunt, grando, fulmen, pruina; non pro casibus *extraordinariis*, quales sunt bellica vastatio, inundatio, cui regio obnoxia esse non soleat; nisi colonus se subiecerit omnibus casibus fortuitis praevisis et non praevisis.

C. I. 1617., C. G. 1769. si locatio sit ad plures annos, et ea durante totalitas aut dimidium fructuum alicuius anni perit fortuito, colonus potest postulare quandam remissionem pretii, nisi compensetur eo, quod praecedentibus annis collegit. Si compensatio haec absit, remissio pretii in exitu locationis determinatur, computatis fructibus omnium annorum locationis.

C. I. 1618., C. G. 1770. si locatio sit ad annum unum, et periit totalitas, aut saltem dimidium fructuum, fit pro rata remissio pretii conductori, qui nequit aliquam remissionem exigere, si iactura minor est dimidio. Cf. C. A. 1105.

C. I. 1619., C. G. 1771. colonus consequi nequit remissionem, si fructuum iactura contigit postquam hi a solo separati fuerant, nisi con-

tractus concedat locatori partem quandam fructuum, qua in hypothesi locator subibit iacturam suae partis: dummodo conductoris culpa aut mora non intercesserit, in tradenda locatori eius portione. Cf. C. A. 1107. 1108. C. I. 1619., C. G. 1771. si causa damni exsistebat et nota erat, cum contractus initus est, colonus nullam postulare potest remissionem.

1214. *Quid sit emphyteusis?* — Emphyteusis graeca vox est, quae idem sonat ac *insertio*, quia nempe hoc speciale in ea habetur, quod fundus sit meliorandus, idque fit aliquid inserendo in fundo. Ad rem quod attinet, emphyteusis est: concessio dominii utilis in rem immobilem, cum obligatione eandem colendi, meliorandi, et persolvendi canonem, h. e. statutam pensionem *in recognitionem dominii directi*, facta vel in perpetuum, vel ad vitam emphyteutae, vel plurium, vel ad tempus non minus decennio. Spectato Iure Communi tenetur emphyteuta consuetas contributiones solvere; quia cum omnia percipiat rei emolumenta, aequum est, ut eius etiam onera sustineat. Inst. l. 3. t. 25. § 3., Struggl 13. 17. seqq., L. 865.

1215. *An emphyteusis recentioribus legibus admittatur?* — Ex C. G. emphyteusis non videtur agnosci. Agnoscitur vero ex C. H. 1605. 1628. seqq., ex C. A. 1123. 1127. seqq., et ex C. I. 1556. seqq. Ex C. I. 1556. emphyteusis est contractus, quo conceditur in perpetuum aut ad tempus fundus quidam, cum obligatione meliorationis, et solutionis annuae determinatae praestationis sive in pecunia, sive in fructibus.

1216. *Quibus legibus emphyteusis regatur?* — Emphyteusis ratione bonorum, quae in emphyteusim dantur, alia est ecclesiastica, alia laica. Emphyteusis ecclesiastica Iure Canonico et Iure Romano regitur. Hinc non licet sine Apostolico Beneplacito emphyteusim ecclesiasticam redimere. — Emphyteusis laica alia antiqua est, alia nova. Prior ex antiquo Iure et ex conventis pactis regitur. Posterior, i. e. inita post ann. 1865. recentiori regitur Iure. Leg. Ital. 20. Nov. 1865. art. 29. — L. 865.

1217. *Quaenam ex C. I. speciales sint emphyteusis leges?* — Emphyteusis ipso iure sequentibus subiicitur praescriptionibus: Emphyteuta potestatem habet disponendi de fundo emphyteutico eiusque accessionibus, tum actu inter vivos, tum ultima voluntate, et quocumque modo transmittatur fundus, nulla praestatio ei debetur qui illum concessit. Subemphyteusis non admittitur. — Concessor fundi vigesimonono quoque anno postulare potest recognitionem sui iuris a possessore fundi, quin tamen ulla praestatio ei debeatur. — Emphyteuta potest semper redimere fundum ab onere emphyteusis, solvendo praescriptam pecuniae summam. Art. 1562.-1564. — Dummodo praedictae leges serventur constitui possunt particulares aliae conventiones; quae si desint, legibus standum est eodem Cod. statutis. Secundum has leges, art. 1558.-1561., emphyteuta facit suos omnes fructus fundi et eius accessionum, eademque habet iura, quae haberet proprietarius, in thesauros et fodinas, quae in fundo detegantur. — Quaecumque sit sterilitas aut amissio fructuum, vel si pars fundi pereat, nequit emphyteuta postulare remissionem aut diminutionem canonis. Verum, si notabilis pars pereat, potest emphyteuta suo iuri renuntiare, fundum concedenti cedendo. — Tributa praedio imposita et quaelibet onera eidem inhaerentia ad emphyteutam spectant. — L. 865.

1218. *Quomodo finiat emphyteusis?* — Emphyteusis *amittitur* praescriptione 30. annorum, si nempe emphyteuta tanto tempore cessaverit a canonis solutione. C. I. 1563. — *Rescinditur,* si emphyteuta fundum notabiliter deteriorem reddiderit, vel legitime interpellatus, toto biennio canonem non solverit, C. I. 1565. — *Extinguitur* rei interitu; vel impleto concessionis tempore; vel si emphyteuta fundum legitimo pretio redemerit. C. I. 1560. 1564. 1566.

1219. *Quid sit feudum?* — Feudum, *a fide*, est concessio dominii utilis in rem immobilem cum obligatione praestandi fidelitatem et obsequium personale domino directo. Qui feudum accipit dicitur *feudatarius* seu *vassallus,* et qui illud tradit *infeudator* seu *dominus*. Differt autem vassallus ab emphyteuta per hoc, quod iste in recognitionem dominii directi debeat solvere pensionem realem, ille vero solum debeat praestare fidelitatem et obsequium personale, v. g., bellare. Actus solemnis, per quem vassallus in possessionem rei feudalis mittebatur, simulque domino ad fidem obligabatur, *investitura* dicitur. Struggl 14., L. 867.

1220. *Quid sit libellus?* — Libellus nihil aliud est, quam emphyteusis, aut feudum alteri emphyteusi aut feudo subalternatum; quatenus nempe emphyteuta vel vassallus subemphyteuticat aut subinfeudat alium. Is qui a domino directo accipit emphyteusim aut fundum, dicitur *emphyteuta* aut *feudatarius*. Is vero qui ab iis accipit eandem rem pro pensione dicitur peculiari nomine *libellarius*. — L. 868.

XV. — DE SOCIETATIS CONTRACTU

1221. *Quid sit societatis contractus?* — Societas est contractus, quo duo vel plures aliquid in commune conferunt, lucri in commune percipiendi gratia, C. I. 1697., C. G. 1832., C. A. 1175., C. H. 1665. — Dicitur, *duo* vel *plures,* qui nempe valeant de rebus disponere, quique reciprocam utilitatem sibi acquirere non prohibentur ob violationem iurium aliarum personarum; qua ratione non potest, v. g., haec societas iniri inter matrem et filium eius naturalem, C. I. 1704., C. G. 1840. — *Aliquid,* h. e. pecunia, vel alia bona, vel etiam propria industria. Excipe bona, quae vel donatione, vel legato, vel successione erunt socii acquisituri, nisi ex C. G. de sponsis agatur, quae ita conferri possunt, ut eorum fruitio tantum, non proprietas communis evadat, C. I. 1433. 1698. 1701., C. G. 1526. 1833. 1837. — *In commune,* dupliciter aliquid in commune conferri potest: 1.° Ut rei collatae non solum usus et fructus, sed dominium commune sit, ita ut singuli efficiantur domini totius sortis partiali dominio. 2.° Ut rei dominio permanente penes conferentem, usus et fructus communes sint. L. 1. § 1., L. 2., L. 7., etc. Dig. *Pro socio.* — Porro in dominium societatis ipso iure transeunt, ea quae usu consumuntur, vel deteriora fiunt; ea quae conferuntur ut vendantur; ea quae dantur aestimatione eorum facta et inventario consignata. C. I. 1715., C. G. 1851., C. H. 1687. Cf. C. A. 1181. 1182. — Lugo D. 30. n. 1. 4., Molina D. 411. n. 7., Less. l. 2. c. 25. n. 1., L. 904.

1222. *An contractus societatis licitus sit?* — R. Affirmative. Nihil enim continet quod iustitiae adversetur. Sequentes tamen exigit conditiones:

1.° Ut societas fiat in negotiatione honesta, C. I. 1698., C. G. 1833., C. H. 1666. Nemo sane obligari licite potest in re turpi. — 2.° Ut damnum sortis spectet tantum ad dominum ipsius, si tantum ususfructus rei conferatur in societatem; spectet vero ad ipsam societatem, si ipsamet sors in societatem conferatur. Res enim domino perit, C. I. 1715., C. G. 1851., C. H. 1687. Cf. C. A. 1183. — 3.° Ut debita servetur aequalitas inter lucra et damna ac expensas, dividenda inter socios. *Damna* hic intelliguntur, quae solo societatis intuitu sociis obveniunt. *Expensae* vero sunt sumptus itinerum, solutiones vectigalium, etc. C. I. 1716. 1717., C. G. 1852. 1853., C. H. 1689., C. A. 1192.-1197. — 4.° Societas rerum immobilium, vel *usus* earum ultra novennium scriptura, et, quoad tertios, transcriptione eget. C. I. 1314. 1932. 1942. Cf. C. A. 1178., C. H. 1667. 1668. — L. 904.-907., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2.

1223. *Resolves:* Quare necesse est, ut unicuique constituatur pars lucri pro rata rei, quam contulit, et pars damni pro rata lucri. Verum, si aliud sponte conventum fuerit, pactum valet, dummodo lucrum saltem constituatur par iustae mercedi rei vel operae quam quis confert, quasi locatae; neque constituatur, ut unus nullam lucri partem, vel nullam damni partem sentiat, C. I. 1719., C. G. 1855., C. H. 1689. 1691., C. A. 1193. 1196. Eius, qui solam operam contulit, rata, pars eius erit, qui minus contulit. C. I. 1717., C. G. 1853., C. H. 1689. Attamen, attento iure naturali, si industria mercatoris notabiliter plus valeret, quam capitale compartis, posset certe conventio fieri de maiori lucro proportionate percipiendo, quod vero ipso Iure positivo approbatur. Inst. l. 3. t. 26. § 1. 2. Cf. C. A. 1183. 1187. 1193.

« Omnino mihi dicendum videtur, ait S. Alph. 907., quod salvo capitali domino, lucrum dividendum est pro rata, habita ratione valoris industriae ex una parte, et ex altera commoditatis praestitae ex pecunia, iuxta communem aestimationem lucri, quod communiter haberi solet ex pecunia, applicata ad negotiationem. Hinc bene advertendum, quod aliquando industria mercatoris plus valebit, quam usus pecuniae, et tunc proportionaliter debet lucrum distribui: ita ut aliquando licitum poterit esse pactum, ut *in fine* etiam capitale dividatur, aeque interim distributo lucro, prout fit ex consuetudine in pluribus locis in societate animalium. Insuper advertendum, quod aliquando valor industriae decrescit ob multitudinem operariorum, societatem petentium; qua ratione poterunt forte excusari plures contractus, qui primo aspectu videntur iniusti, eo quod operariorum industria in societatem collata iuxta consuetudinem loci communiter non pluris ibi aestimantur ».

1224. *Resolves:* Iniustum omnino est pactum, vi cuius, empta merce, *ante omnia, ipsa durante societate,* restituatur domino capitale; deinde vero quod superest aequaliter dividatur, quia ponenti capitale illud, minuitur periculum sui capitalis, mercator vero, si postea pereat merx, subiacet sine compensatione periculo capitalis ac lucri. L. 907.

1225. *An sit licitum pactum, quod, si ex grege aliquae oves pereant, suppleri debeant ex foetibus, quae nascuntur, et interim ceteri foetus, lana et caseus aeque dividantur?* — Prima sententia affirmat, « quia talis substitutio ovium resultat tam in gratiam pastoris, quam ementis oves ». Secunda sententia negat, et haec omnino vera videtur S. Alph. 909., « quia licet lucrum utrique prius diminuatur, et utrique postea compensetur;

tamen foetus, qui substituuntur, aeque dividendi essent inter pastorem et dominum: at quando substituuntur, id certe magis cedit in utilitatem domini, quam pastoris, cum dominus iam sibi compenset deinde iacturam lucri, sicut et pastor, sed interim dominus semper salvam sibi servat sortem, quae ipsi diminui deberet, et ideo in contractu non servatur aequalitas ».

1226. *An liceat contractus societatis vocatus* ad caput salvum, *scilicet quando traduntur pastori animalia cum pacto reddendi ea salva in eodem numero in fine societatis, et lucrum dividendi?* — « Per se loquendo hic contractus illicitus est, quia sors debet stare periculo apponentis, res enim suo domino perit. Probabiliter tamen licitus fieri potest, si adiiciatur alius contractus assecurationis, compensando pastori per maiorem partem fructuum onus talis periculi sortis in se suscepti... Certe iniustus est contractus, quo dominus dat boves aestimatos iuxta praesentem valorem cum pacto, ut si decrescant, finita societate, idem valor restitui debeat, quia deterioratio rei ad dominum pertinet, nisi aliunde hoc damnum compensetur. Quod si tamen pactum adesset, ut in fine societatis non solum lucrum, sed etiam sors animalium dividenda sint cum socio; tunc non quidem iniustum erit pactum, ut si interim pereat capitale, pastor restituere teneatur domino medietatem sortis ». L. 909. 907. q. 4.

1227. *An socius, qui pecuniae summam conferre in societatem debebat neque contulit, interesse etiam debeat?* — R. Affirmative, C. I. 1710., C. G. 1846., C. H. 1682. Idemque ibid. statuitur, si socius ab arca sociali aliquam pecuniae summam sumpsit pro sua particulari utilitate.

1228. *Ad quosnam societatis administratio pertineat?* — Administratio societatis ad eum pertinet, cui ea fuit mandata. C. A. 1190. 1198. Illi autem, cui administratio data fuit, in ipso societatis contractu, auferri postea non potest, nisi ex legitima causa. Si vero postea data fuit, tanquam simplex mandatum revocari potest. C. I. 1720., C. G. 1856., C. H. 1692. Si nulli fuit mandata, omnibus tacite permissa censetur. C. I. 1723., C. G. 1859., C. H. 1695. — Unusquisque vero talem diligentiam rebus communibus adhibere debet, qualem suis rebus. Cf. C. A. 1185. 1186. Quapropter, si quaedam negligenter egerit, et societatem laeserit; alia vero diligenter egerit, et societatem auxerit, negligentia cum diligentia non compensatur, nisi haec fuerit prorsus extraordinaria. C. I. 1714., C. G. 1850., C. H. 1686., C. A. 1191. Si quis e sociis aliquid exegerit a debitore societatis, qui simul suus debitor est, solutum utrique debito pro rata imputare debet; sed, si totum societati adscripserit, valet. C. I. 1712. 1713., C. G. 1848. 1849., C. H. 1684. Cf. C. A. 1202. 1203. — Inst. l. 3. t. 26. § 9.

1229. *Quibusnam modis societas finiatur?* — Societas, si nihil speciatim conventum sit, finitur: 1.° *Completo tempore*, pro quo inita fuerat. 2.° *Re communi* totaliter *extincta, finitove negotio.* 3.° *Morte naturali vel civili, interdictione vel bonorum publicatione unius ex sociis.* 4.° *Voluntate expressa unius vel plurium sociorum*, cum societatis duratio illimitata sit; si vero societas ad tempus determinatum sit, dissolutio illius exigi nequit, nisi gravis quaedam ratio adsit, v. g., infidelitas compartis, continua socii infirmitas, qua negotia societatis amplius gerere non possit. Cf. C. I. 1729. 1731.-1735., C. G. 1865. 1867. 1869.-1871., C. A. 1189. 1205. 1207. 1210.-1212, C. H. 1680. 1700. seqq., Inst. l. 3. t. 24. § 4.-8., L. 907.

1230. *Nota:* Societate soluta *lucrorum*, capitale primo loco domino est restituendum, etiamsi nullum reapse lucrum supersit. Sixtus V. B. *Detestabilis* § 2., L. 907., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. Similiter, si capitale initio perit, domino perit; siquidem in societate lucrorum non confertur capitale, seu summa pecuniae, sed tantum pecuniae commoditas. L. 907.

1231. *An conventio fieri possit, quod societas, mortuo socio, cum huius haerede continuetur?* — Affirmative. Hoc sane prohibebatur Iure Romano, L. 35. 59. C. h. t. Verum Iure Ital., Gall., Austr., Hisp. admittitur. Neque vero Iure Naturali illicitum videtur. C. I. 1729., C. G. 1868., C. A. 1206.-1209., C. H. 1704. permanet societas, si convenerit, ut cum superstite, vel cum haerede permaneret. Quamvis vero societas non permaneat cum haerede, tenetur tamen hic perficere ea, quae a defuncto inchoata fuerunt. L. 40. C. h. t., C. I. 1732., C. G. 1868., C. A. 1206. 1209.

1232. *An quaelibet rei amissio societatem dissolvat?* — R. Affirmative, si unus ex sociis promiserit proprietatem rei vel eius usum et fructum tantum in commune conferre, et res pereat, antequam conferatur. — Negative, si rei proprietas iam fuerit in commune collata. — C. I. 1731., C. G. 1867.

1233. *An, societate illimitate quoad durationem contracta, possit quis ab ea pro libito discedere?* — R. Affirmative, dummodo tamen eius renuntiatio sit *bona fide* et *non intempestive* facta. C. I. 1733. 1734., C. G. 1869. 1870., C. A. 1212., C. H. 1705., Inst. l. 3. t. 24. § 4.

1234. *Quotuplex sit societatis contractus?* — Contractus societatis diversus esse potest, tum *ratione finis*, quatenus proximus finis sit vel solus communis rerum usus, vel solum fructus seu lucrum, vel utrumque; tum *ratione materiae*, quatenus vel omnia bona conferantur, vel solus usus et lucra, vel certorum bonorum aut certae negotiationis lucra; tum *ratione temporis*, quatenus societas ineatur vel ad vitam, vel ad determinatum tempus, vel ad exitum alicuius negotii. C. I. 1699. seqq., C. G. 1835. seqq., C. A. 1176., L. 907.

1235. *Quid de societate universali et particulari?* — Duplex distinguitur societas, *universalis*, *particularis*. C. H. 1671. *Universalis* esse potest vel omnium *praesentium* bonorum, vel omnium lucrorum. C. I. 1700. seqq., C. G. 1836. seqq., C. A. 1177., C. H. 1672. 1673. Si omnium praesentium *rerum* societas coita sit, omnia bona, quae *tunc* coeuntium sunt, statim communia fiunt. Quae postea partes acquirunt successione vel donatione, societatem ingrediuntur tantum quoad usum et fructum. C. I. 1701., C. G. 1837., C. H. 1674. Cf. C. A. 1177. Si vero societas fiat omnium *lucrorum*, ea tantum complectitur lucra, quae partes acquirent propria industria, quocumque tilulo; bona sive mobilia sive immobilia sociorum communia fiunt tantum quoad usum et fructum, C. I. 1702., C. G. 1838., C. H. 1675. Societas universalis inita sine alia declaratione, societas non rerum sed quaestuum est, C. I. 1703., C. G. 1839., C. H. 1674. — Societas vero *particularis* ea est, quae aliquarum tantum rerum vel operarum contrahitur, C. I. 1705. 1706., C. G. 1841. 1842., C. H. 1678. Multipliciter fieri potest: 1.° Si omnes socii capitale conferant et operam. 2.° Si omnes solum capitale, tertius vero stipendio conductus industriam adhibeat. 3.° Si alter capitale, alter operam conferat. — L. 907.

1236. *Nota:* Socii non tenentur in solidum ob debita societatis non commercialis; neque unus alium potest obligare sine facultate expressa. C. I. 1726., C. H. 1698.

1237. *An et qualis sit societas inter coniuges?* — Societas seu potius *communio*, inter virum et uxorem coiri ante nuptias potest, et non nisi ab initio matrimonii initium ipsa capere potest. C. I. 1433., C. G. 1399., C. A. 1180. 1233. Quin immo ex C. G. 1400. ipso iure coita censetur, nisi aliud fuerit conventum. Ex C. I. 1433. bonorum societatem universalem inire prohibentur; sed tantum permittitur quoad utilia. — Huius autem societatis administratio penes maritum est, cui praeterea permissum est res communes alienare ex causa onerosa, C. I. 1438., C. G. 1421. — Effectus huius societatis ex Iure Romano est, proprietatem utrique coniugi communem efficere. Sed maritus usumfructum habet. L. 539. 542. Eius effectus ex C. I. 1436. est, reddere communes et divisibiles acquisitiones factas a coniugibus unitim vel separatim, durante societate seu communione. Ex C. G. 1470. 1474. dissoluta communitate, propria bona et debitae indemnitates primum praelevantur, deinde quod superest aequalibus portionibus dividitur inter maritum et uxorem, vel eorum repraesentantes. Ex C. A. 1233. 1234. 1236. communio bonorum, si speciali contractu inita fuerit, intelligitur tantum pro casu mortis, et dat coniugi ius ad dimidiam partem bonorum, quae in communione reciproce posita sunt, quae forte remaneant post mortem alterius coniugis. Nullum vero ius acquiritur ad fructus, durante matrimonio. — Cf. 677. 868.

1238. *An adsit societas inter fratres.* — Inter fratres « non censetur facta societas, nisi expresse vel tacite ex coniecturis id habeatur. Unde non quia fratres *habent patrimonium indivisum, et de communi mensa vivunt*, inter ipsos contrahitur societas, nisi vero omnes in aliquo negotio se exerceant; vel nisi uno negotiante, alii conferant bona sua... Idque clarius praesumitur, si omnes conferant in commune cuncta bona ad unumquemque spectantia. Hoc tamen intelligitur, quando unusquisque confert etiam bona propria, praeter communia; secus, si tantum unus sua propria bona confert, puta lucra alicuius officii, vel artis, et alii sola bona communia; tunc enim is potest ea sibi compensare... Et ita pariter, si unus maiorem laborem conferat, potest ille plus accipere, iuxta aestimationem sui laboris. Si autem aliquis frater absens negotietur communi nomine ex communibus bonis, intelligitur habere societatem, usquedum admoneatur ab aliis fratribus, velle ipsos divisionem facere; et tunc neque etiam desinit societas pro negotiis inceptis ». L. 907.

1239. *Quid sit trinus contractus?* — Contractus trinus est, quo quis pecuniam conferens paciscitur cum alio socio, ut quidquid eveniat, summa integra sibi restituatur cum lucro certo, minore tamen eo lucro, quod sperare probabiliter poterat; vel est contractus societatis, cui adiunguntur duo alii contractus, nempe *assecurationis sortis* et *assecurationis lucri*, seu venditionis spei lucri maioris percipiendi pro minore lucro certo et assecurato. Sic autem instituitur. Contraho, v. g., cum Petro, pecuniae summam ei tribuendo ad negotiandum. Sed cum spes lucrandi 15. pro 100. mihi affulgeat, et timeam ex alia parte, ne sortem amittam, ineo secundum contractum cum Petro, ei 5. pro 100. erogando, si assecurationem sortis

in se suscipere velit. Inito hoc secundo contractu, iam 10. tantum pro 100. mihi lucrandi supersunt. Verum lucrum adhuc minus at certum mallem, quam maius et incertum. Igitur propono socio meo, ut mihi 5. tantum pro 100. tribuat; sed *certo refundat*, quidquid superventurum sit, tum *sortem* tum constitutum *lucrum*. Hinc triplex datur contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri. — L. 908.

1240. *An trinus contractus sit licitus?* — Duplex est sententia probabilis inter theologos. Prima sententia negat. Ratio est 1.° Quia sic destruitur societas, cuius natura est, ut pericula sint communia; ergo est verum mutuum; ergo deficit titulus seu fundamentum lucri percipiendi, saltem supra taxam legis pro mutuo. 2.° Quia, aiunt, opposita doctrina a Sixto V. reprobata est per B. *Detestabilis* a. 1586. § 1. et per B. S. Pii V. *Onus* § 4. — Secunda sententia communiter affirmat, modo pecunia in negotiatione impendatur. Ratio est: 1.° Quia hi singuli contractus separatim et cum diversis personis sunt de se liciti et iusti; ergo etiam, si fiant simul et cum eodem. 2.° Quia nihil est contra aequalitatem: nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam aequivalenter sustinetur. 3.° Quia Benedictus XIV. declarat, de Syn. l. 7. c. 1., contractum trinum a Sixto V. non esse damnatum, nec illum damnare intendere. Et in Enc. *Vix pervenit*... dicit, se nolle damnare contractus, de quibus inter theologos disputatur. — Ad Ius civile quod attinet, alii dicunt trinum contractum reprobari C. I. 1719., C. G. 1855.: alii, et verius, nihil de eo haberi in C. I., C. G. Illi enim articuli *societatis* simplicem *contractum* respiciunt. — L. 842. 847. 849. 908., Lugo n. 37.

1241. *Quid sit communio bonorum?* — *A societatis contractu* distinguitur quidem *communio bonorum*, quae tamen contractum aliquem societatis implicite in se continet, quaecumque huius communionis initio origo fuerit. — Porro communio bonorum est duorum vel plurium comproprietas, quoad unam eandemque rem, ut, e. g., si unam eandemque domum plures possideant. C. A. 825., C. H. 392. Cf. 1121. seq.

1242. *Quibusnam legibus regatur bonorum communio?* — Si speciales deficiant conventiones, aut speciales Iuris dispositiones standum est tunc generalibus ipsius Iuris praescriptionibus. C. I. 673., C. H. 392., C. A. 826. Hae sunt *generales Iuris normae:* Ad eandem rei proprietatem participantium concursus in iuribus et oneribus proportionari debet singulorum quotae. C. I. 674., C. H. 393., C. A. 830. 839. seqq. — Quilibet potest uti re in communione posita, suamque portionem alienare, cedere, hypothecae subiicere, vel etiam in suo iure fruendi alium substituere, nisi de iure agatur mere personali, ut est ius habitationis. C. I. 675. 679., C. H. 394. 399., C. A. 829. — Si potior pars non consentiat, fieri nequeunt innovationes, etsi utiles. Quilibet tamen obligare potest alios ad expensas necessarias pro conservatione rei. C. I. 676. 677., C. H. 395. 397., C. A. 828. 835. — Quilibet etiam potest semper a communione recedere, nisi tempus pacto determinatum sit, quod non erit ultra decennium. C. I. 681., C. H. 400. — Solutio communionis exigi non potest a comproprietariis rerum, quae divisae non possent amplius deservire usui, cui sunt destinatae. C. I. 684., C. H. 401., Cf. C. A. 830. seqq.

Varii autem sunt casus communionis, pro quibus *speciales adsunt Iuris dispositiones:* 1.° Quando plures res diversorum dominorum simul

commixtae sunt, neque sine damno separari possunt, proprietas tunc communis est secundum tamen proportionem valoris rei ad unumquemque spectantis, C. I. 471., C. H. 381., C. G. 572. seqq. — 2.° Quando communis est murus inter aedes, vel hortos, vel communis arbor, communis fovea in confinio agrorum, vel communis aqua profluens, communia pascua. C. I. 546. seqq. 542. seqq. 682., C. A. 421. 854. seqq., C. H. 572. seqq. 593., C. G. 646. 653. seqq. — 3.° Quando plures sint earundem aedium, alii superiorum, alii inferiorum domini. C. I. 562. seqq., C. H. 396. — 4.° Quando communis est haereditas. C. I. 984. seqq. 1034. seqq., C. G. 815. seqq.

XVI. — DE SPONSIONE, DE LUDO, DE ASSECURATIONE

1243. *Quid sit sponsio?* — Sponsio est contractus, in quo duo vel plures de veritate aut eventu alicuius rei certantes sibi invicem aliquid spondent, ut id eius sit qui veritatem assecutus fuerit. C. A. 1270., L. 869., Lugo D. 31. n. 73.

1244. *An sponsio licita sit?* — Sponsio debitis praedita conditionibus per se licita est. Nihil enim inhonesti continet, neque ulla positiva lege prohibetur. — Requisitae conditiones sunt: 1.° Ut non sit circa illicita; contra mores non datur obligatio. 2.° Ut sit de re dubia quoad utrumque spondentem, secus non datur aequalitas, C. A. 1270. 3.° Ut sit aequalitas inter rem, quae spondetur et incertitudinem eventus, ut nempe ille pro quo stat maior probabilitas magis promittat, ille vero pro quo stat minor probabilitas promittat minus. 4.° Ut uterque rem accipiat in eodem sensu, secus in unum minime convenirent. — L. 869. 870. 878. 879., Lugo D. 31. n. 82. 83.

1245. *An sponsio obliget?* — Sponsio obligat in conscientia de iure naturali, ut quilibet alius contractus licitus. — C. I. 1892., C. G. 1965., C. H. 1799. idem statuitur pro sponsione ac pro ludo. Cf. 1247. C. A. 1271. sponsio bona fide facta, et aliunde licita, obligat, quatenus non tantum promissum sit pretium; sed etiam traditum aut depositum. Sed iudicialiter peti non potest. — Per B. Pii IV. *In eligendis*, prohibentur sponsiones circa dubiam electionem Pontificis, aut super eius vitam et mortem. Gregor. XIV. id per B. *Cogit nos* extendit ad electionem Cardinalium, addita excommunicatione latae sententiae quoad electionem Pontificis, et reservata, etiam extra tempus Sedis vacantis. Et quia huiusmodi sponsiones irritae declarantur, nulla ex eis oritur obligatio. — L. 869.

1246. *Quid et quotuplex ludus sit?* — Ludus est contractus, quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori cessuro. — Triplex est: 1.° *Industrialis*, qui potissimum regitur industria ludentium. 2.° *Aleatorius*, qui praecipue pendet a sorte. 3.° *Mixtus*, qui partim ab industria partim a sorte dependet. L. 871., S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2.

1247. *An ludus licitus et validus sit?* — Huiusmodi contractus, *iure naturae spectato*, et si *debitae adsint conditiones*, validus et licitus est. Ratio, quia quilibet, dominus rei suae, uti de ea disponere potest eam absolute donando, ita eandem alteri tradere potest sub aliqua conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industria pendeat. L. 871. Aliunde vero ludum,

quatenus est simplex animi relaxatio, licitum esse, extra omnem controversiam est. Nam sicut corpus quiete indiget, ne nimis labore debilitetur, ita anima quiete etiam indiget, ne continua meditatione nimium defatigetur. S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2.

Spectato iure naturae. Nam ludi merae sortis *Iure Canonico* prohibentur. Dist. 35. can. 1. Attamen ad laicos quod attinet, Ius Canonicum aiunt consuetudine iam esse derogatum. Ad clericos vero quod spectat, Cf. V. 2. n. 176. — *Iure Romano* ludi quidam, nempe alearum et fortunae prohibebantur. L. 1. 3. C. *de Aleatoribus et alearum usu.* Eodem Iure qui victi in ludis vetitis erant conveniri non poterant ut solverent, et, si solverint, actionem repetendi habebant. Quare solutio a victo facta irrita non erat, sed a iudice irritanda. Verum quia hae leges vel poenales erant, vel ut poenales habitae sunt usu et consuetudine; hinc, attento Iure Romano, probabilissimum est, quod laici ludentes ne venialiter quidem peccarent. L. 883.-885., Lugo D. 31. n. 8.

Ex C. A. 1272. ludis applicatur quod pro sponsione statutum est, Cf. 1244. Omnes vero ludi aleatorii ut illiciti habentur, et declaratur nullam eos parere obligationem. Negatur tamen actio repetendi solutum. — C. I. 1802.-1804. et C. G. 1965.-1967. nullius ludi prohibitio habetur. Nihilominus statuitur, quod lex nullam dat actionem pro exigenda solutione eius, quod propter ludum vel sponsionem debeatur. Excipiuntur ludi, qui conferunt ad exercitium corporis, cuiusmodi sunt tractatio armorum, cursus sive pedibus sive equo, pilae lusus, etc.: pro his actio conceditur. Integrum est tamen in his quoque iudici negare actionem, si summa, pro ludo aut sponsione deposita, exhorbitans fuerit. Verum si victus libere solverit, nequit solutum repetere; dummodo abfuerit fraus aut dolus victoris, et victus non sit minor, aut interdictus, aut inhabilis declaratus. — C. H. 1798.-1801. prohibentur ludi merae sortis, et nulla pro ipsis actio conceditur victori, nulla tamen actio victo conceditur reclamandi solutum, nisi dolus intercesserit, vel is sit minor vel inhabilitatus. Idemque statuitur pro sponsione, quae analogiam habeat ad hos ludos. Permittuntur ludi, qui conferunt ad exercitium corporis, ut in C. I. et C. G., et pro his ludis et analoga sponsione actio conceditur; potest tamen iudex petitionem reiicere, vel reducere summam debitam, si excessiva sit.

Si debitae adsint conditiones, quae quoad *validitatem* sunt: 1.° Ut quae ludo exponuntur sint propria ludentis, et in eius dominio, atque in eius libera disponendi facultate, secus contractus erit vel nullus, vel rescindibilis, vel saltem irritabilis erit solutio a victo facta. 2.° Ut absit omnis vis et fraus; unde oportet, ut ludentes libere concurrant, et quidem ut inter illos aequalitas moralis sit in spe lucrandi, et in periculo perdendi. — Ad *liceitatem* vero requiritur: 1.° Ne quid inhonestum verbis aut factis admisceatur. 2.° Ne proximum inde adsit peccandi periculum, puta in blasphemias prorumpendi, vel proximi nocumentum, puta rei domesticae curam negligendi, impotentem se constituendi ad debita solvenda vel ad familiam alendam, etc. 3.° « Ut congruat personae, tempori et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur ». S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2. 3. 4. — L. 882., Lugo n. 28.

1248. *Resolves:* Si quis lucratur exponendo ad ludum pecuniam furtivam, extra quam nil aliud habeat, quod tradat, tunc tenetur restituere

lucratum, quia contractus fuit nullus, cum exposuerit pecuniam, quam collusor acquirere non poterat. Si autem aliam habeat pecuniam, nihil prorsus refert quod pecunia a colludente vel ab alio furatus fuerit. Cum par esset solvendo, retinere quidem lucrum poterit, fructus enim est industriae suae; sed obligatio semper manet alteri reddendi, quod ei furto sublatum est. — L. 875.

1249. *An teneatur quis restituere quod lucratus est ex filiofamilias in ludo?* — R. Negative, si summa victa filiofamilias sit de eius bonis propriis, quorum dominium perfectum habet. Affirmative, si summa victa sit de bonis patris, vel de eius bonis quorum ipse non habet nisi dominium directum. Excipe, nisi summa sit parvi momenti, in qua praesumatur patris consensus, qui honestam recreationem nolit filio denegare, aut sit aliqua pars moderata deducta ex alimentis, quae ei pater subministrat. « Probabile tamen est, quod eo casu, si filiusfamilias nolit solvere amissum in ludo, licite potest exceptionem opponere, nec tenetur solvere, reservando aliquid ex alimentis » L. 876. 871.-873.

1250. *An teneatur restituere victor, qui multo peritior est in ludo, ita ut certo praesciat se victorem fore?* — R. Affirmative multo probabilius; quia deest aequalitas inter ludentes requisita, et proinde iustitia laeditur. Hinc notabiliter peritior a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario remittere. Ita communius contra nonnullos. Attamen in praxi restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur; vel etiam quando adversarius sufficienter praemonitus nihilominus pertinaciter ludere voluisset; quia tunc nulla deceptio intercessisset. — L. 881.

1251. *An secundum legem Romani Iuris teneatur ad restitutionem victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus?* — R. ad 1.um Negative ante sententiam iudicis, quia lege positiva non declaratur *irritus* contractus, sed tantum *illicitus*, et datur victo actio ad repetendum.

Ad 2.um Prima sententia valde probabilis affirmat. Ratio, quia iure naturali contractus fuit validus, et ideo victus illi tenetur stare donec iudicialiter exceptionem opponat, vel petat restitutionem. Secunda sententia probabilior negat. Ratio, quia lex dando ius victo ad se defendendum exceptione vel repetitione soluti, dat etiam ius absolutum ad non solvendum. Ad quid enim tenetur quis solvere, si potest solutum statim repetere? — Ex Recentioribus etiam legibus victor ad restitutionem non tenetur, et victus *per se* ad solvendum tenetur, cum ludus invalidus non declaretur; nisi vis aut dolus intercesserit. — L. 887.-894. Cf. 1247.

1252. *An ludus sit validus, si magna pecuniae summa una vice exponatur?* — R. Affirmative, per se, probabilius, si conditiones requisitae serventur, id est praesertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant, sine detrimento familiae, creditorum, etc., quia ludentes aeque periculum subeunt scientes et volentes; ac proinde nulla est iniustitia. Sed facile deficiunt praefatae conditiones; et aliunde etiamsi talis ludus non esset contra iustitiam, saltem honestati adversatur: unde prudens confessarius per modum satisfactionis iniungere, si opportunum videatur, posset poenitenti victori, ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. Attamen, cum haec sententia non sit certa, non videntur inquietandi in tribunali poenitentiae illi, qui nollent solvere magnam summam, quam

amisissent. Ita recte Gousset 889. Favet huic sententiae C. I. 1803., C. G. 1966.; C. H. 1801. et Cod. Germ. 762. — L. 735.

1253. *An ad restitutionem teneatur qui ludens fraude utatur?* — « Non tenetur restituere, qui utitur astutiis illis, quas regulae lusus, et consuetudo recepta patitur, cum uterque sciat tales astutias esse solitas, et sic tacite in illas libere consentiat; v. g., 1.° Si potiores chartas habens et securus de victoria, augeat sponsionem, vel simulet metum, ut adversarius augeat. 2.° Si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, augeatque sponsionem, ut sic relinquatur sibi quod erat appositum. 3.° Si inspiciat chartas alterius, ex sola ipsius negligentia, et absque fraude: secus, si ita se collocet, ut possit videre, vel si alium constituat a quo admoneatur. 4.° Si chartas a tergo discat nosse inter ludendum, quas ante non signarat, nec noverat. — Qui vero utitur fraudibus non adhiberi solitis, vel colludenti ignotis, v. g., suffuratur chartas, vel signis a tergo notat, vel utitur notatis, aut iis quas ante novit, ignorante socio, vel arte quadam eas componit, etc., tenetur restituere non tantum lucrum, sed etiam quantum alteri valebat spes lucrandi, immo etiam colludendi ». L. 882. 877.

1254. *An, si quis cogat iniuriose alterum ad ludendum, possit postea retinere quod lucratur?* — « Prima sententia negat; quia damnum ex iniuria secutum omnino est restituendum... Secunda vero sententia affirmat posse retinere; quia tunc non coactio, aut ludus, sed potius casus, aut peritia cogentis fuit causa damni... Haec sententia, per se loquendo, mihi probabilior est; nisi collusor qui coegit superaret coactum in peritia ludendi; eo enim casu sentio teneri ad restitutionem saltem partis lucrati, iuxta mensuram peritiae, qua praecelleret alteri. Ratio, quia contractus ille, non obstante iniuria metus incussi, fuit satis utrinque voluntarius, et validus, iuxta communiorem sententiam relatam... Dixi, *per se loquendo,* nam, si metum passus petat restitutionem pecuniae amissae, recte docet Less. teneri incutientem metum lucratum restituere ». L. 880., S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2., etc.

1255. *Quid vero, si quis cogat tantum per preces importunas?* — « Sanch. etc., adhuc tenent non posse retinere. Sed longe probabilius contradicunt Less. etc., quia preces non tollunt voluntarium, sicut nec minae; ut ex communi asserit Bus. cum Bann. et Molina ». L. 880.

1256. *Quid sit loteria?* — Est contractus, quo ad certam rem vel ad certam pecuniae summam, in medio positam, pluribus pecuniam solventibus sortiendi ius acquiritur; unde, sortitione facta, quidam totum aliquod praemium propositum, quidam partem, quidam nihil habeant.

1257. *An loteria sit licita?* — R. Affirmative *per se.* Nam loteria spectari potest ut venditio emptio spei et iuris ad certum praemium sortitione acquirendum. Atqui, ut licet pro rei alicuius periculo pacisci, ita etiam licet spem et ius ad aliquam rem emere. Dicitur *per se;* nam *per accidens* ex extrinsecis circumstantiis illicita evadere potest, e. g., si inde familia in miseriam esset coniicienda. C. A. 1267. 1269.

1258. *Quaenam sint servandae conditiones in loteria, ne illicita evadat?* — Prima conditio est, ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in praemio solvendo quod obtigerit. — Secunda conditio est, ut proportio

servetur inter parvitatem pretii cum magnitudine incertitudinis et simul cum magnitudine praemii, et, in loteria publica quae constanter repetatur, cum magnitudine periculi, cui dominus loteriae obiicitur, ut possit semper facere satis futuris victoribus. — Sunt qui tertiam addunt conditionem, quod nempe lucrum in loteria non excedat illud, quod in honesto negotio haberetur, si in eo pecunia impenderetur. Verum haec conditio nulla constat ratione, siquidem tunc illicitum esset lucrum, quolibet aleatorio contractu perceptum, et generatim ludo perceptum. Horum enim contractuum hoc proprium est, ut incerta sors interveniat, cui sponte contrahentes se subiiciunt, et, sorte favente, saepe fit, ut lucrum quis brevi tempore percipiat, quod etiam longo tempore propria industria non pareret. — C. A. 1273. 1274.

1259. *Quid sint ludi bursae?* — *Ludi bursae* vulgo appellantur negotiatoriae et mercatoriae quaedam operationes, quae in foro argentario, ordinarie fiunt per mediatores, qui *agentes cambii* vocantur. *Ludi* appellantur, quia venduntur et emuntur tituli publicorum redituum, qui pro variis societatis et guberniorum circumstantiis varium habent valorem, unde praedictae operationes aleatoriae sunt; et sponsio quaedam intercedit de huiusmodi *valorum* varietate, de aucto nempe vel imminuto eorum pretio. Ludi autem *bursae* dicuntur a publico loco, seu foro argentario, qui *bursa* appellatur.

1260. *An ludi bursae liciti sint?* — Varii ludi bursae, magis vel minus complexi, ad sequentes simplices mercatorios et negotiatorios contractus reducuntur.

1.° Emit quis titulum, e. g., 1000. libellarum, pretio currenti, et numerata pecunia 900. libellarum. Annuus tituli reditus est 50. libellarum, ratione nempe 5. pro 100. Per dies, per menses, per annum, per plures annos percipit emptor praedictum reditum. Nihil sane illiciti hac in re adest, est enim simplex quaedam emptio, vel simplex census consignativus, vel simplex constitutio reditus. Si vero emptor, bona oblata et capta occasione, quod auctum sit pretium publicorum redituum, titulum illius reditus annui 50. libellarum pretio currenti et numerata pecunia vendat 1100. libellarum, ingens quidem percipit lucrum, sed iterum nihil est hac in re illiciti; est enim simplex quaedam venditio, et lucrum debetur ex immutato titulorum pretio in foro. Ac, si quis lucrum hoc intendens, plures emat redituum annuorum titulos pretio currenti et numerata pecunia, cum pretium infimum est, ut eos revendat numerata pecunia, cum pretium summum est; negotiatio proprie habetur, quae per se nihil habet illiciti.

2.° Si quis emat iterum titulum annui reditus 50. libellarum pretio currenti 900. libellarum, non numerata pecunia sed credito ad terminum, e. g. ad quindecim dies, ad mensem, tunc aut titulus statim datur, aut non nisi adveniente termino, seu die fixa. Si primum, non habetur nisi emptio quaedam *credito* facta, qua lucrari potest emptor, si constituta die crescat valor tituli, vel e contra lucrari potest venditor si constituta die tituli valor decrescat. Nihil quidem illiciti hac in re est; verum si venditor interim exigat legale pecuniae interesse donec pretium solvatur, id iure facere potest siquidem aequum non est, ut emptor rem et pretium sibi retineat, et utriusque fruatur utilitate. Intercedit tunc simul venditio emptio

et mutuum, vel simplex mutuum. Si alterum verificatur, tunc aequale est pro emptore et venditore periculum detrimenti, aequalis item pro utroque spes lucri, nam interim tituli valor potest crescere, et potest decrescere: adveniente igitur die, qua venditor titulum, emptor pretium tradere debet, si valor tituli crevit lucrum erit emptoris, si valor tituli decrevit lucrum e contra erit venditoris. Cum ergo utrinque aequalitas servetur, nihil hic illiciti per se habetur.

3.° Venditor et emptor contractum item ad terminum seu ad diem efficiunt, verum venditor titulum in praesenti non tradit emptori, neque se obligat ad titulum emptori tradendum, adveniente die. Similiter emptor neque tradit venditori pretium in praesenti; neque se obligat ad pretium tituli tradendum venditori adveniente die, seu termino constituto contractus. Venditor igitur et emptor se obligant ad tradendam adveniente die dumtaxat *differentiam* valoris seu pretii tituli in praesenti, seu hodie, et valoris seu pretii eiusdem tituli constituta die. Est igitur quaedam sponsio, in qua iterum aequale periculum, aequalis spes est pro venditore et emptore. Etenim, si adveniente die, crevit valor seu pretium tituli, emptor lucratur hanc valoris differentiam, sibi tantum a venditore sine titulo tradendam. Si vero decrevit valor tituli, lucratur tunc venditor illam valoris differentiam, quam sibi tantum emptor tradere debet, sine reliquo tituli pretio, excessum nempe prioris pretii constituti, die contractus, prae illo alio pretio inferiori quod titulus obtinet, die statuta. Quare neque aliquid illiciti per se hic habetur, quemadmodum nihil illiciti haberetur in simplici contractu sponsionis incrementi valoris tituli ex parte emptoris, qui illum augendum sperat, et ideo emit; et imminutionis valoris tituli ex parte venditoris, qui illam timet, et ideo vendit.

4.° Emptor emens titulum, eius pretio partim tantum et statim soluto, ad terminum seu ad diem, ius sibi reservat, adveniente die aut exigendi executionem contractus, aut a contractu resiliendi, relicto venditori pretio illo iam dato. Cum ius quod venditor concedit emptori sit pretio aestimabile, iustus hic contractus est, si pretium sit proportionatum. Proportio huius pretii ex variis pendet circumstantiis, et ex vario vendentium et ementium concursu.

5.° Relatio mercatoria, seu reportus, species quaedam est retrovenditionis. Ea consistit imprimis in vendendis pretio currenti inferiori, statim soluto, titulis quibuscumque, qui in foro argentario veneunt, iisdemque statim redimendis pretio solvendo ad terminum, seu ad diem, sed altiori. C. I. Comm. 73. Nulla hic etiam apparet per se illiceitas; nam habetur duplex venditio eiusdem rei, vel venditio rei cum eius immediata retrovenditione, et si debita servetur pretii aequalitas, nulla sane est iniustitia. In secunda venditione seu in immediata illa retrovenditione, res venditur quidem ad terminum pluris quam empta fuerit. Sed id ex eo provenit, quod intra breve tempus pretium horum titulorum secundum communem existimationem mutatur. Ex eo autem quod res est probabiliter valitura die constituta venditor normam pretii sumere potest. Quare secunda haec venditio, seu retrovenditio, contractus est aleatorius, quo tum vendens tum emens lucrari potest, si nempe pretium tituli adhuc magis, die constituta, creverit, quam pretium a venditore praevisum et ab emptore solvendum. Gur. Cas. 946.-950.

1261. *Quid sit assecuratio?* — « Contractus assecurationis est, quo quis alienae rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel pro certo pretio ad eam compensandam, si perierit. Quod si gratis fiat, est gratuita promissio, si pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem praestandi alteri rem eius indemnem. Ad eius iustitiam requiritur, ut eventus rei sit incertus utrique saltem quoad notitiam, quam de eo habent, quia alioquin non servatur aequalitas ». L. 911. Propter eandem rationem requiritur item, ut pretium sit periculo proportionatum. Neque vero C. I., C. H., C. G. potest quis eandem rem pro integro eius valore apud plures assecurare. — Lugo D. 31. n. 97., C. I. Comm. 417. 426. 429. 430., C. A. 1288. 1289. 1291., C. H. 1791. 1792. 1795. 1797., C. G. Comm. 348. 357. 359.

De assecuratione agitur in Cod. Ital. Commercii; ea enim prout obiectum commercii consideratur; unde nihil de ea in Cod. Civ. Ex C. I. Comm. 417. assecuratio est contractus, quo assecurator se obligat, mediante praemio, ad resarcienda detrimenta et damna, quae assecurato provenire possunt ex certis casibus fortuitis, aut ex vi maiore, cui nempe resisti non potest, aut solvere summam pecuniae secundum durationem vel eventus vitae unius sive plurium personarum. Hinc bona omnia immobilia et mobilia et ipsa vita assecurari potest. — Assecurationis contractus in scriptis fieri debet, C. G. Comm. 332., C. H. 1793. 1794., C. I. 420.

1262. *Resolves:* 1.° Si assecurans certus sit rem iam esse in tuto inique pretium petit, et tenetur restituere. Si assecuratus certo sciat, rem iam periisse non potest pacisci de eius assecuratione. Itemque, si ipse in causa fuit ut res periret ad obtinendum assecurationis praemium, ad restitutionem tenetur. L. 911., C. I. Comm. l. c., C. G. Comm. 348., C. A. 1290. 1291., C. H. 1797.

1263. *Quaenam sint obligationes assecurantis?* — Assecurator *persolvendo esse debet*, C. I. Comm. 433., C. G. Comm. 346. Assecurator autem efficere potest, *ut alter eius sponsionem assecuret*. C. I. Comm. 422., C. G. Comm. 342.

Assecurator praestare debet *detrimenta et damna*, quae ex casibus fortuitis aut ex vi maiore assecuratis rebus contingant: minime vero praestare debet detrimenta et damna, quae oriuntur ex vitio inhaerente rei, quod non fuit declaratum, neque ea quae debentur actioni aut culpae assecurati, vel eius nomine agentium, vel agnatorum, aut cognatorum, qui in instrumento nominantur, neque praestare damna ex bello producta, aut ex populari tumultu, nisi contraria extiterit conventio. C. I. Comm. 434. Cf. C. G. Comm. 350. seqq., C. A. 1290.

Assecuratio *ab incendio* omnia complectitur damna ab incendio illata, a quacumque causa ipsum fuerit productum, excepto quod provenerit ex culpa gravi imputabili personaliter ipsi assecurato, et excepto casu belli, aut tumultus popularis. C. I. Comm. 441.

Assecurator *liberatur ab obligatione solvendi*, quando per actum assecurati pericula mutantur, aut aggravantur, mutatione alicuius circumstantiae essentialis, ita ut assecurator non dedisset consensum, si ea ab initio extitisset. C. I. Comm. 432.

Si tertius damnum intulit, assecurator qui damnum resarcivit *actionem habet in illum.*

XVII. — DE FIDEIUSSIONE DE PIGNORE DE TRANSACTIONE

1264. *Quid sit fideiussio?* — « Fideiussio est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit ». L. 912., C. I. 1898. seqq., C. G. 2011. seqq., C. A. 1344. seqq., C. H. 1822. seqq., Inst. l. 3. t. 21.

1265. *An liceat pro fideiussione pretium accipere?* — « *Pro fideiussione licet accipere pretium,* etsi nullum periculum timeatur; quia ex se pretio est aestimabilis. Est commune et omnino videtur tenendum ». L. 912., C. H. 1823.

1266. *Qualis sit fideiussoris obligatio?* — *Fideiussor nequit plus et in plus obligari, quam debitor principalis.* « Nam eius obligatio accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione potest esse quam in principali re. At ex diverso ut minus debeat obligari potest ». Inst. t. 21. § 5., C. I. 1900., C. G. 2013., C. H. 1826. — Fideiussio pro obligatione invalida debitoris principalis *invalida est.* R. 42. in 6.°, C. A. 1351. *Valida* vero est pro obligatione, quae sit rescindibilis, sed valida, e. g., in casu minoris aetatis, C. I. 1899., C. G. 2012., C. H. 1824., L. 912. « Ac ne illud quidem interest, utrum *civilis,* an naturalis sit obligatio, cui adiicitur fideiussor ». Inst. t. 21. § 1. — Fideiussionis obligatio, quatenus *realis* est, ad ipsos haeredes transmittitur; minime vero quatenus est *personalis.* Inst. t. 21. § 2., C. G. 2017.

1267. *Quinam possint fideiubere?* — *Nemo fideiussor esse potest, nisi liberam bonorum administrationem habeat, et principaliter obligari non possit.* — Tales sunt pupillus, minor, religiosus, uxor, interdictus, sine consensu tutoris, superioris, mariti, iudicis. Requiritur praeterea ex C. G. ut fideiussor habitet in territorio curiae regiae, ex C. I. curiae appellationis, ubi fideiussio praebenda est. C. I. 134. 1904., C. G. 2018., C. H. 1828., C. A. 1349., L. 912. — Indulgere fideiussionibus clericis interdicitur, ne saecularibus negotiis implicentur. C. 1. *de Fideiuss.* Fideiussiones autem si fecerint, satisfacere tenentur.

1268. *Quid fideiussor creditoribus debeat; quid, si plures sint fideiussores?* — *Fideiussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris,* sed solummodo in illius defectu, seu impotentia et quidem iuridice probata, C. I. 1907., C. G. 2021., C. H. 1830., C. A. 1355., L. 912.

Ex C. I. 1911.-1913., C. G. 2025.-2027., si plures sint fideiussores unius debitoris pro eodem debito, quilibet pro integro debito obligatur. — Nihilominus quilibet ex ipsis, nisi beneficio divisionis renuntiaverit, potest exigere, ut creditor dividat antecedenter actionem suam, postulando a singulis partem suam. — Si cum aliquis fideiussor divisionem petiit, quidam tunc solvendo non erant, ille ad partem tenetur, ratione quoque habita huius deficientis solutionis: sed exinde, etsi aliae solutiones deficiant post divisionem, nequit is amplius inquietari. — Si tamen creditor ipse libere diviserit suam actionem, nequit amplius ab ea recedere: quantumvis ante hanc ipsam divisionem, essent quidam fideiussores non solvendo. — Ex C. H. 1837., si plures sint fideiussores unius debitoris pro

eodem debito, quilibet pro parte tantum obligatur. — Ex C. A. 1359., in eodem casu, quilibet pro integro debito obligatur. Si vero quis totum debitum solvat, regressum habet in alios. — Inst. l. 3. t. 21. § 4.

1269. *Quaenam sint fideiussoris iura?* — *Fideiussor qui pro debitore solvit, omnibus creditoris iuribus subrogatur,* et proinde recursum in eundem debitorem habet, ut ab eo repetat quidquid eius loco solvere coactus est. Inst. l. 3. t. 21. § 6., C. I. 1915. 1916., C. G. 2028. 2029., C. H. 1838. 1839., C. A. 1358., L. 912.

Ex C. I. 1919. 1920., C. G. 2032. 2033., C. H. 1844., pluribus fideiussoribus eiusdem debitoris pro eodem debito extantibus, qui debitum solverit actionem habet adversus alios fideiussores, singulos pro sua parte. Haec tamen actio in quibusdam tantum casibus competit. — Cf. Inst. t. 21. § 4., L. *Fideiussoribus* Dig. *de Fideiussoribus*, etc., L. 11. C. *de Fideiussoribus*, C. 2. 3. 5. *de Fideiuss.*

1270. *An dari possit fideiussio in causa criminali?* — *Fideiussores dari possunt quoque in causis criminalibus,* aut civiliter actis, aut etiam criminaliter, dummodo poena non sit alia quam mulcta pecuniaria, quam potest solvere aut debitor principalis, aut fideiussor. De Angelis Praelect. Iur. Canon. l. 3. t. 22. n. 1.

1271. *Quid sit pignus?* — Pignus est contractus quo debitor *rem mobilem* creditori *dat* in assecurationem crediti. *Rem mobilem*, si enim *rem immobilem* obligat, hypotheca ex recentiori Iure est. C. I. 1878., C. G. 2072., C. H. 1864., C. A. 447. 448. — Ex Iure Romano, licet pignus et hypotheca in sensu latiori pro eodem sumantur, ut L. 5. § 1. *ff. de Pignor. et Hypoth.;* in sensu strictiori tamen differunt, nam *pignus* significat rem ita consignatam creditori ut physice penes creditorem exsistat; *hypotheca* autem significat rem non extraditam, sed solum transcriptam creditori, ut expresse habetur L. 9. § 1. *ff. de Pignorat. act.*, ubi dicitur: « Proprie *pignus* dicimus quod ad creditorem transit; *hypothecam* cum non transit nec possessio ad creditorem ». Cf. C. A. 451. 1358. — L. 913.

1272. *Quaenam sint creditoris iura?* — Ius creditor habet *retinendi pignus* usque ad totius debiti extinctionem. C. I. 1878., C. H. 1860. 1866. Unde potest illud sibi ablatum a quovis possessore vindicare. C. H. 1869.

Postulare potest a iudice, *ut sub hasta pignus vendatur*, si debitum non solvatur, vel *ut apud ipsum maneat* in solutionem debiti, usque ad debiti concurrentiam, secundum existimationem peritorum. — Quodlibet pactum, quod tribuat creditori auctoritatem sibi appropriandi pignus, aut de eo disponendi, sine praescriptis formalitatibus, nullum est. C. I. 1884. 1894., C. G. 2078. 2088., C. H. 1858. 1859. 1872., C. A. 461. 1371., C. 7. *de Pignor.* — Haec tamen lex innititur facti praesumptione, quod pignus pluris valeat. Quare cessat in foro conscientiae, si pignus revera non pluris valeat. — L. 775., C. 7. *de Pignor.*

Si res in pignus tradita sit penes creditorem vel penes tertium, a contrahentibus electum, creditor *privilegium habet*, ut ex ea debitum sibi solvatur ante alios creditores. Si tamen res valeat ultra 500. libellas ex C. I., ultra 150. fr. ex C. G., vel si in pignus tradita sint iura incorporalia crediti, qualiacumque ipsa sint, publica vel privata scriptura opus est.

Ex C. H. 1865. ut pignus contra tertios effectum sortiatur, publico opus est instrumento. — C. I. 1879. seqq., C. G. 2073. seqq., C. A. 1368. 1369.

Creditor tenetur *pignus aut hypothecam restituere debitori, solventi* integram sortem seu debitum, non tamen solventi solam partem. Unde, si pignus, aut hypotheca, per testamentum, actionem, aut contractum ad plures creditores deveniat, et unus ex his illud apud se retineat, non potest illud restituere debitori, licet ab eo partem sibi debitam acceperit, sed tenetur illud consignare reliquis creditoribus, quibus nondum est satisfactum. Itemque si debitum per testamentum ad plures deveniat, haeres qui partem suam solvit, non potest pignoris restitutionem repetere, nisi alii etiam debito plene satisfecerint. Quin immo nec toto debito soluto tenetur creditor pignus restituere, si quid aliud sine pignore deberi coepit post pignus illud acceptum, quod exigi possit ante prius debitum solutum. — C. I. 1888. 1889., C. G. 2082. 2083. 2087. 2090., C. H. 1860. 1866., C. A. 469.

1273. *Quaenam sint creditoris obligationes?* — Debet creditor *non uti re sibi credita*, nisi de consensu debitoris, saltem rationabiliter praesumpto. « Praesumitur autem dominus consentire, si nullum damnum ei sequatur ». L. 914. 776., C. A. 459. — Si vero creditor pignore *abutatur*, huius sequestrum debitor petere potest, C. I. 1887., C. H. 1870., vel eius restitutionem, C. G. 2082.

Diligenter *pignus custodire debet* tanquam bonus paterfamilias, secus de damno tenetur. L. 14. *de Pign. actio.* Cum pignus datur pro securitate creditoris, et pro utilitate simul debitoris, creditor circa illud tenetur de culpa levi. Quare praestare debet creditor amissionem aut detrimentum pignoris, quod sua negligentia acciderit. C. I. 1885., C. H. 1867., C. A. 459. 1369., Inst. l. 3. t. 15. § 4.

Fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem debet computare ad aequalitatem servandam. C. I. 1886., C. G. 2081., C. H. 1868., C. A. 1372., L. 914.

Non potest *pignus sibi appropriare*, neque potest vendere propria auctoritate in solutionem debiti. Excessum pretii debitori reddere tenetur. C. I. 1884., C. G. 2078. 2088. 2115., C. H. 1859. 1872., C. A. 461. 464., L. 775. 913. — E. M.

1274. *Quaenam sint debitoris iura?* — Vi contractus *pignoratitii*, aut *hypothecarii* debitor manet plenus dominus seu proprietarius et usufructuarius rei oppignoratae aut hypothecatae. C. H. 1868. 1869.

1275. *Quaenam sint debitoris obligationes?* — Tenetur debitor tradere creditori *pignus idoneum*. C. H. 1857. Cf. C. A. 456.

Refundere debet creditori *expensas necessario factas* ad illius conservationem. C. I. 1885., C. H. 1867.

Pignus non potest repetere, priusquam integrum debitum solverit; nisi eo creditor abutatur. Tunc enim petere potest, ut sub sequestro ponatur. C. H. 1870. 1871.

1276. *Quid sit hypotheca; quaenam eius natura?* — Est contractus, quo res immobilis creditori *obligatur*, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit. C. H. 1858. — Hypotheca est *indivisibilis*, et integre subsistit super omnia bona obligata, et quodlibet eorum, et quamlibet eorum partem. — Ipsa praeterea *inhaeret bonis*, eademque apud quem-

libet possessorem consequitur. C. I. 1964., C. G. 2114., C. H. 1860. — Ex C. G. 2115. hypotheca locum non habet, nisi in casibus et secundum formas a lege praescriptas. Ex C. I. 1965. effectum hypotheca non parit, nisi publicetur, et subsistere non potest nisi super bonis specialiter indicatis et pro certa pecuniae summa. Ex C. H. 1875. documentum, quo hypotheca constituitur, inscribendum est in Registro proprietatis.

1277. *Quotuplex sit hypotheca?* — Triplex distinguitur hypotheca C. I. 1968., C. G. 2116., C. A. 449. Prima est *legalis*, quae ex C. G. 2121. ab ipsa lege inducitur in favorem uxorum, minorum, interdictorum, communitatum super bona mariti, tutorum et administratorum. Ex C. I. 1969. ea competit uxoribus, minoribus, interdictis. Ea praeterea competit cohaeredibus, sociis et aliis condividentibus, super bona haereditatis, societatis, communionis. Itemque competit Statui super bona damnatorum pro expensis iustitiae in materia criminali aut politiae, et venditoribus aut aliis alienantibus, super immobilia alienata pro adimpletione obligationum derivantium ex actu alienationis. — Secunda est *iudiciaria*, quae ex iudicis sententia resultat, in gratiam illius qui sententiam obtinuit contra eum, qui causa cessit; vi enim illius sententiae bona damnati pro damno compartis victricis reparando hypotheca gravantur. C. I. 1970., C. G. 2123. — Tertia est *conventionalis*, quae pendet a mutua contrahentium voluntate. Ex iure positivo personas haec requirit habiles ad contrahendum, seu quae liberam habeant bonorum suorum administrationem. Hinc minores, uxores, interdicti non possunt aliquid in hypothecam tradere. Formalitatibus, sub poena nullitatis, a lege praescriptis fieri debet, ac non nisi in bonis praesentibus fieri potest. Ex C. G. 2127. coram notario fieri debet. Ex C. I. 1978. actum publicum aut scripturam exigit privatam. — C. I. 1974. 1975. 1977. seqq., C. G. 2124. 2127. 2129. 2130.

1278. *Quaenam bona hypothecae subiici possint?* — 1.° Bona immobilia, quae sunt in commercio cum omnibus accessoriis, quae habentur, ut immobilia. 2.° Ususfructus eorundem bonorum cum eorum accessoriis, excepto usufructu legali ascendentium. 3.° Iura concedentis et emphyteutae super bona emphyteutica. 4.° Reditus super obligationes Status. C. I. 1967. Cf. C. G. 2118., C. A. 448., C. H. 1874. 1877.

1279. *Quaenam sint iura et obligationes hypothecarii?* — Creditor hypothecarius hoc habet proprium ius, ut ex bonis hypothecatis *prae ceteris communibus creditoribus* ipsi satisfiat. C. I. 1964., C. G. 2114. Quare, si debitor res hypothecae suppositas inter plures alienavit, quisque cogi potest ut vel accepta re cedat, vel integrum debitum solvat. C. I. 2013. 2014., C. G. 2167. 2168. 2169., C. H. 1876. 1879. — Non potest vero hypothecarius creditor sibi *appropriare* rem hypothecatam, vel de ea disponere. Ab hypotheca autem immobile liberare tenetur, semel ac *debitum* ipsi *totum fuerit solutum*. C. H. 1859. 1860.

1280. *Quid sit antichresis?* — Contractus est, quo res immobilis, ita obligatur creditori, ut illi tradatur, et facultas ipsi fiat percipiendi illius immobilis rei fructus; perceptos vero fructus debeat ipse imputare in suum creditum sibi solvendum, nempe in solutionem sortis et interesse. Quare debitor manet *proprietarius* dumtaxat rei, non autem etiam usufructua-

rius. C. I. 1891., C. G. 2071. 2072. 2085. 2114., C. H. 1881. 1885., C. 1. 2. *de Usu.*, C. 6. *de Pignor.* L. 776. 916.

1281. *Quaenam sint creditoris obligationes?* — Creditor tenetur rem sibi traditam *custodire* diligenter uti suam; solvere *annua tributa* eidem inhaerentia, nisi contraria conventio inita sit, aliasque *necessarias expensas*, sed cum iure compensationis ex eiusdem rei fructibus. C. I. 1892., C. G. 2086., C. H. 1882. — *Nullum* antichresis *reale ius* creditori tribuit, propter non solutum debitum. Omne contrarium pactum nullum est. C. I. 1894., C. G. 2088., C. H. 1884.

1282. *Quaenam sint debitoris obligationes?* — Non potest debitor redire in fruitionem rei immobilis in antichresim datae antequam integre debitum solverit. In potestate tamen est creditoris ab antichresi quandocumque discedere et rem suo domino restituere, nisi huic iuri renuntiaverit. C. I. 1893., C. G. 2087., C. H. 1883.

1283. *Quid sit transactio; quinam transigere possint; quaenam sit transactionis vis?* — Transactio contractus est, quo partes contrahentes, aliquid promittendo, dando, vel retinendo, finem imponunt, mutuo consensu, *liti* alicui, quae vel iam intra ipsas nata sit, vel quae praevideatur nascitura. — Nemo transigere potest nisi habeat facultatem disponendi de rebus, quae sub transactione cadunt; unde tutores transigere nequeunt super bonis minorum, nisi in casibus a lege permissis. Idem dicatur de uxoribus, aliisque similibus personis. — Transactio vim habet rem ultimo diiudicandi, unde nequit amplius impugnari, neque causa laesionis, neque ignorantiae iuris. — Transactio nulla erit, si facta fuerit super re nulli controversiae obnoxiae, sive quia controversia finita fuerat iam ultima tribunalium sententia, quod ignorabatur; sive quia facta fuerit super documenta, quae deinceps falsa agnita fuerint. — Transactio rescindibilis est, si novum documentum manifestet alteram partem nullum habere ius, vel si error adfuerit in persona, vel in obiecto controverso, vel si error adfuerit alicuius *facti*, ex quo titulus nullus erat, minime vero cum hic nullus erat ex aliqua *lege* quae ignorabatur; vel tandem si intervenerit dolus aut vis. — C. I. 1764. 1765. 1772. 1773. 1774. 1775. 1776. 1777., C. G. 2044. 2045. 2052.-2057., C. H. 1809. seqq., C. A. 1382. seqq. Cf. a. 1387., Gousset in h. a., L. *Non minorem C. de Transact.*

1284. *Nota:* Licet res dubia non sit, potest tamen dominus rei ad finiendam litem transigere; transactio tamen tunc non valet in foro conscientiae, nisi quatenus donatio valeret. — Quantum autem in transactione cuique sit concedendum, ex maiori vel minori probabilitate cuiusque iuris diiudicandum est.

1285. *Quinam hactenus fuerit rerum ordo?* — Diximus hactenus de contractibus in specie, et primum de contractibus *gratuitis,* de promissione, de donatione, de testamento, de commodato, de deposito, de mandato. Deinde diximus de contractibus *onerosis,* de venditione et emptione, de censu, de locatione et conductione, de contractu societatis. Tertio loco diximus de contractibus *aleatoriis,* de sponsione, de ludo, de assecuratione. Postremo vero diximus de contractibus *subsidiariis,* de fideiussione, de pignore et hypotheca, de transactione.

XVIII. — DE INIUSTITIA

1286. *Quale sit peccatum iustitiae oppositum?* — Egimus hucusque de iustitia, agimus nunc de *iniustitia,* quae est vitium oppositum virtuti *iustitiae.* Iustitiae *legalis* violatio *legum transgressione* continetur: eaque grave vel leve peccatum est, prout graviter vel leviter laedit commune bonum. Iustitiae *distributivae* et *vindicativae* transgressio *personarum acceptione* habetur, per quam in distributione bonorum communium et onerum, praemiorum et poenarum, non attenditur ratio causae, seu motivum iustitiae, sed ratio personae, huius nempe qualitatum ad rem non pertinentium, e. g., consanguinitatis, amicitiae, adulationis, etc. Ea grave vel leve peccatum est secundum rem de qua agatur, et sic electio indigni ad officia etiam saecularia, e. g., gubernatoris aut iudicis grave est peccatum. Iustitiae tandem *commutativae* transgressio *iniuria* proprie continetur.

1287. *Quid sit iniuria?* — Illud in antecessum notandum est, quod aliud est *offensa simplex* seu pura, et aliud est *iniuria. Offensa simplex* est laesio, vel irritatio voluntatis alienae, qua quis alteri contra eius voluntatem molestiam infert, et quasi ius aliquod tribuit ad iram, indignationem, vel aversionem adversus offendentem; quin tamen aliquod ius proprietatis laedat. Sic, si tuo amico petenti commodato librum, quo ille valde indiget, et tu facile carere potes, denegas, amicum procul dubio offendis, et das ipsi sufficiens motivum aversionis; non tamen infers ei iniuriam; quia nullum eius ius laedis. Unde ex iustitia non obligaris ad satisfactionem, sed solum ex virtute caritatis, et pacis humanae ad renovationem amicitiae. *Iniuria* vero est voluntaria laesio iuris alterius, eo rationabiliter invito, qua nempe aliquid quis faciat sciens volens non solum contra voluntatem, sed etiam contra verum et strictum ius alterius. Porro talis iniuria potest quandoque fieri absque damno alterius, et tunc dicitur *iniuria mera:* qualis contingit, si committis adulterium occultum, nulla suscepta prole; nam in tali casu laedis ius alterius, non tamen causas damnum: unde ad *satisfactionem,* sed non ad *restitutionem* teneris. Cf. 1319. Quandoque autem iniuria fit cum damno alterius et dicitur *iniuria damnosa:* talis contingit, si adulterium committis, suscepta prole: unde teneris ad *restitutionem* seu ad reparationem damni. — L. 584., C. A. 1293.-1295., Inst. l. 4. t. 4.

1288. *Quodnam sit iniuriae obiectum?* — Iniuria locum habere potest 1.° in bonis famae et honoris, de qua sermo est in VIII. Dec. Praec.; 2.° in bonis corporis et vitae, de qua agitur in V. Praec. Dec.; 3.° in bonis fortunae, de qua hic potissimum est quaestio. C. A. 1293.

1289. *Quotuplex sit iniuria in bonis fortunae?* — Est potissimum triplex, nempe *furtum, rapina, et simplex damnificatio.* Furtum proprie est *occulta ablatio rei alienae, domino rationabiliter invito.* S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3. Furti malitiam participant, adeoque ad furtum reducuntur, acceptio etiam rei alienae ab alio ablatae, vel simplex rei alienae *detentio,* nam « detinere id quod alteri debetur eandem rationem nocumenti habet cum acceptione iniusta ». S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. *Rationabiliter invito,*

secus alterius ius minime violatur. Rapina autem est *ablatio rei alienae per vim, seu violentiam personae illatam facta.* L. 1. Cod. *de Vi bonorum raptorum.* Unde rapina furto superaddit speciem peccati iniustitiae distinctam, eo quod domino videnti, et rem suam servare volenti, vis et iniuria personalis inferatur. *Damnificatio simplex* tandem est, quando domino rationabiliter invito aliquod damnum infertur absque eo, quod a damnum inferente aliquid accipiatur. — Inst. l. 4. t. 1. 2. 3., L. 518., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. 4. 9.

1290. *An legitimus consensus auferat rationem iniuriae? — Scienti et plene simulque iuridice consentienti non fit iniuria.* Prob. 1.° ex R. 27.ª Iuris in 6.°, ubi expresse dicitur: *Scienti et consentienti non fit iniuria, neque dolus.* Et R. 145.ª *ff. de Regulis Iuris: Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt et consentiunt.* 2.° Quia ille, qui iuridice consentit, habet iuxta leges humanas et divinas, legitimam potestatem consentiendi; ergo hoc ipso, quod in aliquam actionem plene et perfecte consentiat, talis actio ei non est iniuriosa. — S. Th. 2. 2. q. 59. a. 3.

1291. *An simplex consensus auferat etiam rationem iniuriae? — Scienti et libere consentienti sine iure valide consentiendi fit iniuria per actionem, quae caeteroquin est ipsi iniuriosa.* Prob., quia hoc ipso, quod consensus iure sit invalidus, in aestimatione morali est nullus; adeoque taliter consentienti aeque fit iniuria, ac si consensus abesset. *Sine iure valide consentiendi;* nam, si aliquis consensus iure esset solum prohibitus, non vero irritus et invalidus, adhuc esset efficax in aestimatione morali, et consequenter tolleret ius activum, et iniuriam; sic licet defloratio virginis extra matrimonium, et consensus in eam sit prohibitus, si tamen virgo in eam consentiat, nulla ei fit iniuria, et solum peccatur contra castitatem. — S. Th. 2. 2. q. 59. a. 3. ad 3.

1292. *Resolves:* Iniuria fit clerico, licet iste consentiat in pertractionem ad tribunal saeculare, aut in sui percussionem; quia non potest valide et efficaciter cedere iuri collato in favorem totius status clericalis. Iniuria item fit marito, licet iste consentiat in adulterium suae uxoris; nam talis consensus propter reverentiam sacramenti, et indissolubilitatem matrimonii, iure divino est invalidus. Cf. pr. 50.ªᵐ d. ab Innoc. XI. « Id summum ex consensu (coniugis) efficietur, ut coniux in alterius adulterium consentiens querelam super iniuria ab adultero sibi illata instituere non possit, cum actione adversus eum ultro ipse se spoliasse videatur ». Ithur. Cas. 6. n. 16.

1293. *An consensus ex errore et metu iniuriam auferat? — Iniuria fit consentienti ex errore, metu, aut necessitate.* Prob. quia hoc ipso, quod consensus fiat ex errore, metu, aut necessitate, est involuntarius, saltem secundum quid, et consentiens non vult omnino libere cedere suo iuri. Ergo, stante tali consensu, ei fit iniuria.

1294. *An solo interiori actu iniuria inferri possit? — Licet iniuria alteri inferri effective possit per actum mere internum; actus tamen internus efficere per se nequit, ut actus externus evadat iniustus.* Prob. 1.ª p., quia aliquando solo actu interno ius strictum alterius laedi potest. Patet exemplo iudicii temerarii, quo, iuxta communem sententiam, iustitia erga proximum violatur, quandoquidem quisque ius strictum ad bonam sui

existimationem apud singulos habet. Prob. 2.ª p., quia actus internus immutare nequit naturam actus externi. Hinc non peccat contra iustitiam recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio teneatur; iudex homicidam ex odio ad mortem promeritam damnando; mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet. — *Per se*, nam actio externa *inchoative* indifferens non nisi per interiorem intentionem determinatur, ut sit *inchoatio* actionis externae *completae* iniustae potius quam iustae; et sic non peccat contra iustitiam accipiens rem e manibus furis, ut eam domino restituat, secus vero ut retineat. — Lugo D. 22. n. 156., La-Croix l. 3. P. 2. n. 635. 636., C. A. 1395.

1295. *Quale peccatum sit iniuria? — Iniuria peccatum grave est ex genere suo. Gravis autem censetur ea materia, quae ex natura sua, vel ex hominum aestimatione, apta est ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam, seu ad caritatem mutuam dissolvendam.* Prob. 1.ª p., quia iniuria *ex se* bono communi grave adfert nocumentum, tendit enim ad caritatem dissolvendam. Prob. 2.ª p., quia cum finis iustitiae sit pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuumque amorem per conservationem iurium promovere, gravis merito censetur illa materia, quae ex natura sua, vel hominum aestimatione, mutuum amorem dissolvere cum pacis communis iactura, seu tristitiam difficile sedandam causare potest. — *Ex natura sua;* quia, generatim loquendo, in regula generali statuenda attendi illud debet, quod communiter in hominibus temperato iudicio atque affectu utentibus usuvenit, non vero quid affectuum tumultus et intemperantia in iis adiunctis suggerit; iustitia enim rationis ductum et prudentiae dictamen sequitur. Speciatim vero de iustitia loquendo, cum eius sit aequalitatem *rei* ad *rem* servare, ipsam *obiectivam* rei alienae laesionem in ea attendere est, minime etiam subiectivas individui dispositiones, ad quas ulterius attendendas se extendit caritas. — L. 700.

XIX. — DE FURTO

1296. *Quaenam sit furti malitia? — Furtum est peccatum ex genere suo mortale.* Prob., quia furtum ex suo conceptu generico, et praecisa alia malitia, graviter opponitur iustitiae, immo communi paci, et tranquillitati; ergo est peccatum ex genere suo mortale. Interim tamen apud omnes certum est, quod furtum suscipiat parvitatem materiae, et propter hanc saepius sit peccatum in individuo solum veniale; ut, e. g., si pauper furetur aliquid modicum. — S. Th. Quodl. 66. a. 6., 2. 2. q. 66. a. 3. 5. 6., L. 700., E. M.

1297. *Quaenam sit materia gravis in furto? — Materia furti alia est absolute, alia respective gravis.* Materia furti *absolute* gravis est, quae secundum se, et praescindendo a statu, seu opulentia, vel paupertate illius, cui aufertur, graviter repugnat iustitiae. Materia furti *respective* gravis vero est, quae non secundum se praecise, sed per respectum ad personam, cui aufertur, est gravis, et ei respective grave infert detrimentum. — L. 526.

1298. *Quaenam sit materia furti absolute gravis? — Ad materiam furti absolute gravem sufficere non videntur duo vel tres aurei; decem*

nempe vel quindecim circiter libellae; sed viginti vel triginta libellae. Etenim veteres theologi duos vel tres aureos tanquam materiam absolute gravem constituebant. Atqui hoc nostro tempore pecuniae valor fere in immensum decrevit, et abundantia pecuniae certe est duplicata et plus quam duplicata. Ergo, si superiori tempore materia absolute gravis constituebatur decem vel quindecim libellis, in praesenti constituenda videtur viginti vel triginta libellis, et triginta potius quam viginti. — Enimvero regula ad dignoscendam materiam absolute gravem alia est extrinseca, alia intrinseca. Regula *extrinseca* communi theologorum et prudentum virorum iudicio continetur; siquidem res haec cum a multis dependeat circumstantiis a communi sensu et aestimatione maxime dependet. Porro communiter in praesenti hanc doctores et timorati ac cordati viri habent ut materiam absolute gravem. — Regula vero *intrinseca* inde est repetenda, quod illa materia furti sit absolute et universaliter gravis, propter cuius ablationem, quivis etiam ditissimus dominus rationabiliter sit graviter invitus; propterea quod talis sit quantitas, quae pluribus vitae usibus et necessitatibus inservire possit, et si saepe et a pluribus, per levia furta, quae frequentia sunt, surriperetur ingentis societati damni esset periculum. Atqui quantitas designata ut absolute gravis, attentis etiam immutatis temporum circumstantiis, talis profecto apparet. — L. 527. 528., Génnari Consultazioni Mor. Can. Liturg. P. 1. Cons. 64.

1299. *Quaenam sit materia furti respective gravis? — Materia furti respective gravis, per se loquendo, est pretium, quod requiritur ad sustentationem competentem unius diei illius personae, cui aufertur.* — Prob., quia contra ablationem pretii, quod necessarium est ad comparandam sustentationem unius diei sibi competentem, quilibet rationabiliter potest esse graviter invitus; ergo tale pretium apte statuitur pro materia furti respective gravi. *Per se loquendo;* nam, si princeps, vel alius valde laute victitaret, ad materiam furti respective gravem sufficeret minus pretium, quam requireretur ad victum illius diurnum. *Ad sustentationem competentem,* etc. nam, si valde dives ex parcimonia parce victitaret, ad materiam furti respective gravem non sufficeret pretium, quod ille ad victum diurnum ex parcimonia impendere solet. *Ad sustentationem,* in qua non solum computatur victus, sed etiam vestitus et habitatio, nec non honestae recreationes. *Ad sustentationem,* h. e. sive ad totam sustentationem, sive etiam ad notabilem eius partem: siquidem adhuc tunc esset quis rationabiliter graviter invitus. — L. 527.

1300. *Resolves:* Ad gravem materiam relative spectatam, attentis praecipuis Europae locis, et temporum nostrorum adiunctis, requiri videntur: 1.° Circiter valor unius libellae relative ad *pauperes,* et aliquando minus vel plus pro maiori vel minori gradu necessitatis. — 2.° Circiter duae vel tres libellae relative ad *operarios,* qui labore diurno victum sibi comparant. — 3.° Circiter quinque vel sex libellae relative ad homines, *liberalem exercentes professionem,* et honeste ex ea viventes. — 4.° Circiter novem vel undecim libellae relative ad *divites ordinarios;* decem vero vel quindecim relate ad *divites opulentiores,* non autem ditissimos. — L. 527. 528.

1301. *Quid, si gravis sit in furto subripientis necessitas? — Materia furti gravior potest fieri respective levis propter gravem necessitatem aufe-*

rentis, in qua sine surreptione rei alienae miserrimam deberet ducere vitam, ut cum Laymann et Sporer docet La-Croix l. 3. P. 1. n. 955. et Struggl de 7.° Praec. Dec. 13. Ratio est, quia dominus nequit rationabiliter esse graviter invitus, si miser in tali casu auferat quantum est necessarium ad tam gravem necessitatem aliqualiter sublevandam.

1302. *Quid, si persona subripiens sit domestica? — Materia item fieri potest respective levis propter conditionem personae*, e. g., si auferens est filius, uxor aut famulus domino valde utilis; nam contra similium furta dominus non est tam graviter invitus. — L. 539.

1303. *Quantum determinate requiratur in gravi furto filiorumfamilias? — Plures theologi ad furtum grave filiorum requirunt summam duplo maiorem,* quam pro extraneis, aliique etiam multo magis hanc materiae quantitatem extendunt. Cum vero regula universalis et absoluta circa gravitatem et levitatem similium furtorum dari non possit, ea desumenda erit 1.° a statu, opulentia, liberalitate, et affectu maiori vel minori parentis erga filium; 2.° a pluralitate, aetate, aliisque circumstantiis filiorum; 3.° ex fine, et usu rei ablatae. Ratio est, quia ex his capitibus ordinarie solet contingere, ut pater contra furtum filii sit magis vel minus invitus. — L. 543. 544.

1304. *Quantum determinate requiratur in gravi uxorum furto? — Ad furtum grave uxorum requirunt etiam plures theologi quantitatem maiorem, et quidem duplo quam ad furtum filiorum.* Ratio est, quia inter maritum et uxorem maior datur coniunctio, et identitas moralis, praesertim in ordine ad bona communia, quam inter patrem et filium; ergo contra furtum uxoris maritus ordinarie censetur esse minus invitus. Neque desunt et plures et graves theologi, qui hanc etiam materiae quantitatem latius extendunt, et asserunt uxorem non peccare mortaliter etsi ad usus honestos annuatim surripiat vigesimam partem redituum; quam summam, saltem universaliter loquendo, excessivam censet S. Alph. 540., H. A. Tr. 10. n. 33. Cum igitur hic etiam regula universalis et absoluta statui non possit circa gravitatem vel levitatem similium furtorum, haec desumenda erit 1.° a statu, opulentia, liberalitate, et affectu maiori vel minori mariti erga uxorem; 2.° a maiori vel minori dote, ab uxore in ordine ad bonum commune allata; 3.° a maiori vel minori cooperatione uxoris ad oeconomiam, et aliis circumstantiis. Ratio est, quia ex his capitibus ordinarie solet contingere, ut maritus contra furtum uxoris magis vel minus sit, aut saltem possit esse invitus. — L. 539.-542.

1305. *Quantum determinate requiratur in gravi famulorum furto?* — « *Circa furta servorum communiter dicunt dd.*, quod furta minuta, quae fiunt a servis de cibis, qui non solent caute servari, nunquam deveniunt ad culpam gravem, modo illos non vendant, aut foras extrahant, et modo non accipiant in extraordinaria quantitate, aut, addendum, si non essent res pretii extraordinarii ». L. H. A. Tr. 10. n. 34., l. 3. n. 545. Si autem famuli furentur pecuniam aut res *sedulo custoditas*, non requiritur quantitas maior ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios. Immo huiusmodi furta severius lege civili puniuntur, ob fidelitatis defectum, qui in illis intervenit. Si vero hae res minime custodiantur, quin immo, ipsi famuli rerum administrationem habent,

plures etiam et graves theologi maiorem adhuc quantitatem requirunt quam pro extraneis, quae diiudicanda erit 1.° ex statu, opulentia, liberalitate et affectione domini erga famulum; 2.° ex labore, utilitate et necessitate ipsius famuli, ac maiori vel minori libertate, quae illi datur in rebus sibi commissis administrandis. — Tambur. Expl. Dec. l. 8. Tr. 2. c. 3. par. 4. n. 1., L. 539. 545. 546.

1306. *Quid si plura fiant minuta furta?* — *Materia gravior fieri quoque potest respective levis, quando fit per plura furta minuta et successive peracta.* Ratio est, quia contra haec furta domini non solent esse tam graviter inviti. Hinc, si furta minuta eidem fiant diversis vicibus, materia erit gravis, quando haec ex dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam. Si furta minuta fiant diversis personis, materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo maior, quam summa ad furtum grave communiter requisita. Quare maior adhuc requiritur quantitas, si furta haec *pluribus* et *pluries* fiant. Haec autem valent, cum furta ista minuta inter se coalescunt. — L. 530.

1307. *An furta minuta pluries facta possint simul coalescere?* — *Furta minuta coalescere possunt in materiam gravem.* Prob. 1.° ex simili in comessationibus die ieiunii, in operibus servilibus die festo. 2.° Ex pr. 38.ª d. ab Innoc. XI. 3.° Quia ex levibus furtis multiplicatis haberi potest grave damnum, vel periculum gravis damni. Idque valet etiamsi furtula pluribus fiant. Licet enim grave damnum singulis, ut singulis, non fiat, fit tamen grave damnum ipsi communitati et societati, seu uni corpori morali in suis membris. Agitur praeterea de re, quae nisi graviter ex iustitia prohiberetur, gravissimum nasceretur malum contra bonum commune; facile enim esset venditoribus, e. g., mensuras defraudare, etc. — Ithur. Cas. 1., L. 533. 534., E. M.

1308. *Quandonam minuta furta simul coalescant?* — *Minuta furta in quatuor casibus in gravem materiam coalescunt:* 1.° Per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem, nisi ista prior voluntas retractetur. Moralis huius intentionis effectus est moralem unitatem tribuere variis furtulis, et sic ad gravem materiam perveniunt. — 2.° Si *magnum* non adsit temporis *intervallum* inter furtum et furtum. Secus enim, moraliter loquendo, furtum cum furto non unitur; neque proinde unum obiectum in genere moris constituunt. Probabilius autem, et communiter loquendo, furta non amplius coalescunt ultra spatium duorum mensium, etiamsi ad materiam quasi gravem accederent. Alii tamen longius, alii brevius intervallum adsignant; quarum sententiarum varietas ostendit iudicium hac in re desumendum esse non ex solo temporis spatio, sed ex aliis etiam rerum adiunctis. Ceterum furta minuta etiam posito quocumque intervallo ex omnium sententia coalescunt, quoties patrata sunt cum intentione ad summam notabilem perveniendi; quia per hanc intentionem vere inter se uniuntur. — 3.° Per *conspirationem*, ubi plures conspirant inter se, et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt. Siquidem tunc quilibet causa est totius damni, cui una simul cum aliis cooperatur. — 4.° Per accessionem rei furtivae ad rem furtivam, si utraque conservetur; et tunc unio non tantum moralis, sed etiam materialis habetur. — Ithur. Cas. 27. n. 16., L. 530. 533. 535. 536. 537.

1309. *Nota:* 1.° Qui eidem saepius modicum furatur, etiamsi non habuerit voluntatem ditescendi, aut notabilem quantitatem auferendi, si tamen in ultimo modico furto advertit, se iam pervenisse ad magnam quantitatem, per ultimum furtum modicum, regulariter loquendo, mortaliter peccat. Ratio est, quia talis fur per ultimum furtum vult *continuare*, et *complere* grave alterius damnum; ergo vi huius volitionis mortaliter peccat; licet furtum externum secundum se praecise sit leve. L. 533. Idemque dicendum est, si post completam materiam gravem, furetur aliquid leve, grave enim peccatum *continuatur.* L. 538. — 2.° « Non est mortale, per se loquendo, surripere quamcumque summam cum animo restituendi statim, v. g., intra quadrantem. Idem est, si intra illud breve tempus quis vult restituere tantum illam ultimam partem complentem materiam gravem, aut si ad breve tempus restitutionem differt ». L. 531. 533. 653. — 3.° « Si furtula, quae simul ad magnam quantitatem perveniant sint facta diversis dominis certis.., probabilius dicendum videtur, quod huiusmodi fur non peccet graviter, si non restituat dominis certis, cum commode possit, et satisfaciat suae gravi obligationi, si debita pauperibus distribuat... et excusabitur etiam a veniali, si aliqua rationabilis causa adsit ». L. 534.

1310. *An in extrema necessitate surripere liceat aliena?* — In extrema necessitate licitum est surripere aliena, quae sunt simpliciter necessaria ad conservandam vitam. Ratio est, 1.° quia contra similem ablationem dominus rei nequit esse rationabiliter invitus. 2.° Quia divisio bonorum, quomodocumque, evenerit, non potest derogare iuri naturali, quod cuique competit, ut sibi provideat, dum extrema necessitate laborat. In tali itaque casu omnia fiunt communia; adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum, accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contingebat. Ergo furtum non committit. S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 3., q. 66. a. 5. ad 4., a. 7., L. 520. 623. 624.

1311. *Resolves:* Pauper extreme indigens accipere potest rem etiam magni valoris, si illa sit ipsi absolute necessaria ad vitam servandam; quamvis alter non teneatur dare. Lugo D. 16. n. 159., L. 520.

1312. *Nota:* 1.° Cum ratio aliena subripiendi sit necessitas; hinc si extreme indigens alibi habeat in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restitutionis; quia necessitas non exigit, ut accedat rei proprietas, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest. — 2.° Dives res suas occultans; vel alia utens industria, ne pauperi succurrat, cessante pauperis necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia necessitas etiam extrema tamdiu confert pauperi ius ad usum rei alienae, quamdiu ipsa necessitas urget. — 3.° Si dives pauperem impedit vi, ne bona sua accipiat, contra iustitiam peccat, et de damnis inde obvenientibus tenetur; nam cum eo in casu ius habeat pauper rebus illis utendi, habet etiam ius ne impediatur ab illis. — L. 520. 701., H. A. 19. 20., S. Th. Quodl. 5. a. 17.

1313. *An etiam in gravi solum necessitate licitum sit surripere aliena, iure privato?* — R. Negative. Prob. 1.° ex pr. 36.ª d. ab Innoc. XI. 2.° Quia in his adiunctis domini sunt rationabiliter inviti; siquidem res communes non evadunt; et secus facilius direptionibus aditus pateret. *In gravi solum*

necessitate. Nam, si quis patitur necessitatem, non quidem actu extremam, sed *valde urgentem,* quae probabilius, aut certo, verget *proxime* in extremam, posset surripere de alieno pro evitanda *necessitate extrema,* et periculo vitae. *Iure privato,* quia cum bonum commune bono particulari praevaleat, propter necessitatem et bonum publicum potest princeps iure alto saltem disponere, ut divites, e. g., aperiant sua granaria, et taxato iusto pretio vendant, etc. — L. 520., Lugo D. 16. n. 154. 160., E. M.

1314. *An, si fur minetur rem tuam auferre, nisi accipias et tradas ei alienam, poteris hanc surripere, ne tuam amittas?* — « Hoc facere non licet, quia non habeo ius inferendi alteri damnum, ut bona mea servem, et ideo si id faciam, illicitam ac iniustam actionem facio ». L. 569.

1315. « *An caedentes ligna in sylva vetita peccent et teneantur ad restitutionem?* — Communiter dd. docent, quod si nemus est totius communitatis, incolae illius, qui contra prohibitionem ligna caedunt, non peccant saltem graviter, immo nec venialiter iuxta Sanch. etc., et nihil tenentur restituere, nisi magnam faciant stragem, sed tantum tenentur ad poenam post sententiam: talis enim prohibitio censetur pure poenalis ». L. 529. 614., l. 1. n. 145. Idemque valet de agris totius communitatis quoad pascenda animalia. L. ib.

1316. « *An liceat in vinea aliena comedere uvas?* — Affirmat Covarr., Valer., Ripa etc. apud Lugo D. 16. n. 33., modo quis uvas non asportet, adducuntque illud Deuter. 23., 23. 24. Et idem quod dicitur de uvis, et spicis, ait Abulensis ap. Cornel. a Lap., intellige de pomis ac aliis fructibus ». L. 529. Hanc sententiam S. D. ib. dicit satis probabilem, et addit: « Ceterum probabiliter, ait Lugo, de iure naturae licere comedere unum vel alterum uvarum racemum, i. e. unam vel alteram uvam: parique modo concedit comedere ex pomario alieno unum vel alterum pomum. Id enim prohibere videtur durissimum et contra humanitatem ».

1317. *Quid sit censendum de fragmentis sartorum?* — Si fragmentum *sit pars notabilis,* tenentur illam domino restituere, si iste debitum laboris pretium solvat. Ratio est, quia dominus esset rationabiliter invitus. — Si fragmentum *sit minoris momenti, et expresse repetatur a domino,* tenentur etiam restituere, si iste debitum laboris pretium solvat ob eandem rationem. — Si fragmentum *sit minoris momenti, et expresse a domino non repetatur,* potest tunc retineri; quia domini communiter sciunt sartores retinere similia moderata fragmenta, et ideo etiam saepe solvunt minus pretium pro labore. — L. 568.

1318. *Quomodo peccet, qui alteri aufert rem exiguam valde caram; vel rem maioris momenti, quam ille non curat?* — R. Ad 1.um Peccat mortaliter contra caritatem, non tamen in genere furti contra iustitiam. Ratio est, quia talis alterum iniuste graviter contristat, in bonis tamen fortunae non infert grave damnum. Unde, pereunte tali re, fur non tenetur domino restituere tantum, quanti rem aestimavit, sed solum valorem, et aestimationem communem rei in se.

Ad 2.um Peccat solum venialiter, si dominus illam parum curat ac si esset parvi momenti; si autem dominus illam omnino non curat, et pro neglecta, ac derelicta habet, nec venialiter peccat. Ratio est, quia domino

in bonis fortunae infertur iniuria, quatenus ipse est invitus; ergo, cum in priori casu sit leviter, et in posteriori nullo modo invitus contra ablationem, in priori illi infertur iniuria levis, et in posteriori nulla.

XX. — DE INIUSTITIAE REPARATIONE

1319. *Quomodo iniustitia reparetur? — Iniustitia seu iniuria alteri illata per restitutionem reparatur. Restitutio* est rei alienae redditio, vel damni iniuste illati compensatio. Haec definitio, ut patet, non solum comprehendit restitutionem mutui, commodati, depositi et pignoris, ubi nulla praecessit iuris alieni violatio; sed etiam restitutionem ex actionibus, in quibus praecessit violatio iuris alieni. — Restitutio ergo a *satisfactione* differt per hoc, quod satisfactio sit compensatio offensae, seu *iniuriae personalis* per aliquod obsequium, petitionem veniae, aut aliquam mulctam seu poenam; restitutio vero sit redditio iuris realis vel compensatio *iniuriae realis.* — S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. 5., L. 547.

1320. *An restitutionis obligatio ex qualibet iustitiae violatione oriatur? — Obligatio restituendi per se non oritur ex violatione iustitiae distributivae aut legalis, sed ex sola violatione damnifica iustitiae commutativae.* Prob. 1.ª p., quia per violationem iustitiae distributivae, aut legalis, praecise qua talis, non laeditur ius proprietatis *in re*, vel *ad rem*, seu nullum infertur alteri damnum; ergo ex violatione iustitiae distributivae, aut legalis, praecise qua talis, non oritur obligatio restituendi realis. Prob. 2.ª p., quia restitutio stricte talis est compensatio damni iniuste illati, sed damnum reale solum infertur, quando laeditur ius proprietatis, et iustitia commutativa; ergo. Unde S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. ait: « Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suae ». Cum autem « conservare iustitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id quod iniuste ablatum est alicui, sit de necessitate salutis ». S. Th. ib. a. 2. — L. 547.

1321. *Resolves:* 1.° Superior ad restitutionem non tenetur, si minus dignis officia societatis distribuit; quia non violat ius strictum dignioris, nec communitatis, quae aliud exigere nequit, nisi ut indigni ab officiis arceantur. Secus vero, si in concursu superior minus dignum digniori praeferret; quia in concursu, per se loquendo, intervenit pactum, ex quo *ius strictum* digniori competit. — 2.° Non tenetur ad restitutionem superior, qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis; quia neminem iure suo privavit, quamvis peccaverit ob personarum acceptionem. — L. 547., l. 4. n. 107., S. Th. 2. 2. q. 63.

1322. *An restitutionis obligatio exoriatur aliquando ex violatione iustitiae distributivae et legalis? — Ex violatione iustitiae distributivae et legalis per accidens, et propter connexam iustitiam commutativam, oriri potest obligatio restituendi.* Prob., nam ex violatione utriusque illius iustitiae damnum reale tertii exoriri potest, quod ratione officii poterat et debebat vitari; adeoque obligatio exoritur simul illud damnum reparandi. Haec autem obligatio exoritur propter connexam iustitiam commutativam; si-

quidem eo in casu non solum quis reus est boni communis, ad quod iustitia distributiva et legalis inclinat, praetermissi, sed etiam violati contractus, quo assumendo officium implicite se obligavit ad damna subditorum vel aliorum praecavenda. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7., q. 66. a. 8.

1323. *Resolves:* Iniquus distributor officiorum ad nihil tenetur erga dignum praetermissum, quia nullius ius strictum violavit. Tenetur tamen certo erga societatem et erga privatos de omnibus damnis, tum societati tum privatis, exinde provenientibus. S. Th. l. c.

1324. *An impotens restituere ex bonis eiusdem ordinis teneatur restituere ex bonis ordinis diversi?* — R. Negative probabilius. Ratio est, quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis; ergo nec dari potest compensatio. Et sane decerni nunquam posset, quantum arithmetice restitui deberet, siquidem inter bona diversi ordinis non datur mensura communis. Affirmant tamen alii, quia, inquiunt, qui non potest totum damnum resarcire, tenetur saltem compensare partem, quam potest. Ita S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1., qui tamen bene intelligi potest potius de *aequitate* iuris, quam de iuris *iustitia.* Hanc sententiam dicit probabilem S. Lig., sed primam ut probabiliorem habet. — Attamen per iustitiam vindicativam potest a iudice vel a superiore imponi, ut quis pro iniuria circa unum bonorum genus, aliquid praestet in bonis alterius ordinis; probabilius tamen ratione poenae tantum, non vero ratione iustitiae. Laesus insuper ius habet apud iudicem denuntiandi illum, a quo iniuriam accepit, adeoque ab isto pecuniam accipiendi, ut denuntiationem omittat; sic, v. g., mulier ab aliquo violenter oppressa violatorem ad iudicem compellere potest, vel pecuniam a nebulone exigere, ut iuri suo renuntiet. — C. A. 1326. 1329. 1330. 1413., L. 627.

1325. *An valeat restitutio facta ab incapaci?* — De iure positivo, rei debitae solutio non valet, si facta sit ab eo, qui rei proprietarius non erat, vel alienandi erat incapax. Ita ex C. I. 1240., C. G. 1238., C. H. 1160.; et ex C. A. 1421., si debitum nondum liquidum erat. Verum huiusmodi solutio, ab incapaci alienandi facta, licet rescissioni obnōxia, invalida pleno iure non declaratur. Neque videtur, quod rescissioni etiam in foro externo locus sit, si de *re debita constet*, et *dies advenerit.* De iure vero naturali nullum esse potest dubium de validitate debitae solutionis, factae, e. g., a minore, ab uxore, ab interdicto.

1326. *Undenam proxime exoriatur restitutionis obligatio? — Restitutionis late acceptae obligatio ex sequentibus capitibus proxime oriri potest:* 1.° Ex *iniusta acceptione* rei alienae; talis enim acceptio laedit ius alterius, adeoque ius laesum est reparandum. 2.° Ex *re aliena possessa*, formaliter vel aequivalenter exsistenti, et nondum legitime praescripta: licet enim res aliena non fuerit iniuste accepta, res tamen aliena possessa et nondum praescripta semper est domini sui, eique reddenda. 3.° Ex eo quod quis *ditior iniuste* factus sit ex re aliena; si enim *iniuste* ditior factus est, laesum est ius alienum, ius autem laesum reparationem exigit. 4.° Ex *iniusta damnificatione;* qui enim damnum alteri affert ius laedit illius. 5.° Ex *contractu* vel *quasi-contractu;* contractus enim vim habent legis privatae; adeoque obligant ad reddendum comparti contrahenti ius suum. 6.° Ex *lege* vel ex *sententia* iuridica; lex enim vel iudicis

sententia vim habent obligandi in conscientia. 7.° Ex *iniusta cooperatione*, qui enim iniustae actioni iniuste cooperatur sua cooperatione vere laedit ius alienum. — L. 534. 547. 548. 711. 927., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. 2. 4. 6. 7., q. 66. a. 6.

XXI. — DE RESTITUTIONE EX INIUSTA ACCEPTIONE

1327. *An habeatur restitutionis obligatio ex iniusta acceptione; quid in casu dubii?* — *Indubium est ex iniusta rei alienae acceptione obligationem oriri restitutionis.* Inst. l. 4. t. 1. 2., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6., L. 548. — Unum autem quaeri hic potest: *An quis iniuste accipiat rem alienam, possessionem incipiens cum dubio de eius iure.* Iam vero dupliciter hanc possessionem incipere hic posset: 1.° *Spoliando alium, absque ullo titulo,* per se valente dominium transferre; et hoc in casu, cum pacifica alterius possessio ius moraliter certum tribuat, spoliator ad restitutionem tenetur. — 2.° *Rem accipiendo alio titulo,* v. g., emptionis, donationis, etc., ab alio, de quo dubitatur, an eius dominus sit; et tunc tenetur quis inquirere rei veritatem, et, dubio perseverante, « restituere debet, ait P. Gury 652., pro rata dubii, probabili domino, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur teneri ad totum restituendum, cum dubitet utrum res sit aliena, et non sua ». Verum, etsi illud dubium non sit mere negativum, sed positivum, ad nihil aliis videtur teneri; potest enim tunc efformari conscientia ex principiis reflexis: nemo malus nisi probetur, etc., neque aliunde certa imponi potest obligatio, quae certo non constat. Uti praeterea potest iure illius, cui succedit titulo emptionis, donationis, etc. Quare, si ille rem bona fide possidebat, et ideo poterat retinere, et ille qui ei succedit eandem rem poterit sibi retinere. Lugo D. 17. n. 83. — Ad quid vero teneatur *possessionem retinens et continuans cum dubio de eius iure,* Cf. 1352.-1354. — S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6., L. 547. 625.

1328. *Ex quali culpa oriatur obligatio gravis restitutionis in delictis?* — Oritur tantum ex culpa iuridica *lata,* coniuncta cum culpa gravi theologica; itemque ex culpa iuridica *levi* et *levissima,* quando nempe quis, gravi culpa theologica, eam omittit diligentiam, quam sub gravi tenebatur adhibere. « Ratio, quia restitutio communiter accipitur ut poena; et ideo dicimus, quod ut debita aequalitas servetur, ad obligationem gravem restituendi rem gravis valoris, requiritur culpa theologica gravis. *Theologica,* quia cum conscientia oneretur de obligatione, oportet, ut in conscientia adfuerit delictum. *Gravis,* quia ut conscientia teneatur ad gravem obligationem, oportet, ut gravis fuerit culpa ». L. 550. 551., C. A. 1295., Inst. l. 4. t. 3. § 6. 7.

1329. « *Utrum peccatum veniale contra iustitiam inducat obligationem restituendi?* — Si est veniale ratione parvitatis materiae, certe obligat ad restitutionem sub levi. Si vero est veniale ratione inadvertentiae sive indeliberationis... Prima sententia affirmat... Secunda tamen sententia probabilior et communior... docet in eo casu *nullam* esse obligationem restituendi... nec sub gravi, nec sub levi. Non sub gravi, quia obligatio

gravis non habet proportionem cum illa culpa levi. Non sub levi, quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi ». L. 552.

1330. *Utrum ex peccato levi ob parvitatem materiae contra iustitiam possit aliquando per accidens oriri gravis obligatio restituendi?* — R. « Affirmative et casus est, quando in ultimo furtulo complente materiam gravem non advertit fur ad furtula praeterita; tunc enim tenetur sub gravi ad restitutionem saltem ultimi furtuli... Obligatio gravior, tunc non oritur ex illa ultima *acceptione iniusta*... sed oritur *ex iniusta retentione* gravis materiae culpabiliter iam acceptae ». L. 553., E. M.

XXII. — DE RESTITUTIONE EX RE ALIENA

1331. *An habeatur restitutionis obligatio ex re aliena? — Indubium est ratione rei alienae obligationem haberi restitutionis.* Hoc enim est restituere, iterato dominum statuere in possessionem *rei suae.* Porro *triplex rei alienae possessor distingui debet; bonae fidei, malae fidei, dubiae fidei,* prout rem invincibiliter ignorat esse alienam et prudenter iudicat esse suam; vel aperte cognoscit esse alienam; vel dubitat, an sua, an aliena sit. De singulis gradatim dicemus. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. 6., C. A. 326., Inst. l. 4. t. 1. 2., E. M.

1332. *Quid de possessore bonae fidei? — Possessor bonae fidei statim ac novit rem possessam esse alienam tenetur eam adhuc extantem domino restituere.* Ratio est, quia secus bonum alienum, invito rationabiliter domino, retinet; et proinde illius ius strictum violat. L. 607.

1333. *Nota:* Possessor bonae fidei deducere potest omnes expensas *necessarias,* immo et *utiles,* quae nempe rem conservant et meliorem efficiunt; secus enim dominus plus quam suum est reciperet. Repetere etiam potest expensas *voluptuarias* in illis ipsis casibus, in quibus id potest possessor malae fidei. Non potest enim denegari possessori bonae fidei quod possessori malae fidei conceditur. Cf. 1348. Inter expensas autem non sunt computandi casus fortuiti, nec damna *per accidens* causata. Sic, v. g., si in colendo agro alieno perierint equi tui, valor equorum deduci nequit, sed tantum aestimatio laboris facti ab equis pro agri cultura. — C. A. 331. 332.

1334. *An possessor bonae fidei possit rem retinere, si ante tempus ad praescriptionem requisitum certo detegat rem esse alienam, impossibile tamen sit verum rei dominum agnoscere, sive res sit mobilis sive immobilis?* — Si agatur *de re mobili,* videtur possessor ille rem sibi retinere posse, neque obligatione adstringi eam vel pretium aequivalens pauperibus, vel operi pio donare. Ista enim res tunc aequiparari potest rei amissae. Porro inventor rei amissae eam sibi retinere potest, si, diligentia sufficienti adhibita, dominus non compareat, nec sit spes ulla ut inveniri possit. — Si agatur *de re immobili* idem dicendum videtur, nam quod res possessa sit mobilis vel immobilis id materialiter se habet in ratione iustitiae. Quare, si in eo casu res mobilis retineri potest, et immobilis potest retineri. Praeterea eadem hic ratio fieri potest ac fit pro re amissa. In ea enim hypothesi quod dominus amplius reperiri non possit, res fit nullius et

acquiritur a primo occupante. Postremo possessor huius rei potest quidem rem adhuc retinere expectans, donec dominus compareat. Sic enim melius prospicit bono ipsius domini, quam si vel pauperibus vel operi pio donet. Hinc, si dominus aliquando compareat ante tempus ad praescriptionem longissimi temporis requisitum, eam ipsi restituere tenetur. Si vero dominus compareat post tempus ad hanc praescriptionem requisitum, tunc nihil videtur ei restituendum. Id enim admittitur pro casu rei amissae, ergo et pro casu praesenti, qui illi aequiparatur. — L. 589.

1335. *Ad quid teneatur possessor bonae fidei, qui rem alienavit?* — *Possessor bonae fidei, qui rem alienavit aut consumpsit cum lucro, suae parcendo, tenetur, per se, hoc lucrum in quantum est ditior factus restituere.* Ratio est, quia lucrum, quod *immediate* est *ex* re aliena, est aequivalenter ipsa res aliena. Ergo sicut possessor bonae fidei tenetur restituere rem alienam formaliter exsistentem, ita eandem aequivalenter exsistentem restituere debet. — *Possessor bonae fidei, qui rem alienavit, amisit, destruxit vel consumpsit absque ullo lucro, ad nihil tenetur.* Ratio est, quia res perit domino suo, eaque vero neque in se neque in aequivalenti amplius exsistit; « quia qui quasi rem suam neglexit nulli querelae subiectus est ». L. 31. § 3. ff. *de Petit. haered.* — L. 607.-609., C. A. 329., C. G. 1238., C. I. 1240.

1336. *An possessor bonae fidei fructus etiam restituere debeat?* — *Possessor bonae fidei nulla ratione restituere tenetur fructus industriales et mixtos, quatenus isti industriae respondent. Quoad fructus vero naturales et mixtos, quatenus isti rei respondent, eos ex iure naturali restituere tenetur.* Ratio est, quia res fructificat domino suo. Ergo, ut res fructificat naturaliter domino suo, ita propria industria et labor laboranti fructificat. — L. 609. 610.

1337. *Quid de fructibus ex iure positivo quoad possessorem bonae fidei?* — Ex *Iure Romano*, iuxta communem interpretationem, restituendi sunt fructus naturales percepti et adhuc exsistentes, licet ius non semper adeo clarum sit. Controvertitur autem quoad fructus non amplius exstantes seu consumptos. Quidam censent nihil esse restituendum, licet possessor ex iis ditior evaserit; quia restitutionis obligatio probari non potest. Excipiunt tamen, si quis possederit alienam haereditatem quae fuerit evicta; tunc enim ex iure evidenter tenetur reddere id omne, ex quo ditior factus est. — C. I. 701. 703., C. G. 549. 550., C. H. 451., C. A. 330., omnes fructus, quicumque sint, assignantur possessori bonae fidei modo rem ipsam possideat ut proprietarius, et ex titulo, qui ex natura sua dominium transferre valeat. An vero haec Iuris dispositio etiam in foro conscientiae valere possit? Probabilius affirmandum est, quia rationabiliter praesumi potest, talem esse vim legis, cum sic intellecta multo magis bonum publicum promoveat et de medio tollat inextricabiles querelas, et difficultates, quae iugiter moverentur circa quantitatem fructuum restituendorum, etc. Quod autem vis legis non sit actionem tantum denegare in foro externo, sed dominium vere transferre, ut in casu praescriptionis, aperte patet ex eius verbis; ait enim: possessor facit fructus *suos.* — Carrière 1052. 1054., Vernier 564., Gousset 931., in a. 550., L. 610.

1338. *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam alteri donaverit?* — Si rem possessor bonae fidei alteri donaverit, alioquin nihil

de proprio donaturus, ad nullam tenetur restitutionem, ut constat ex n. 1335. Si vero alioquin aliud aequale aut minus fuisset donaturus, *et rem ipse dono accepit,* illud aequale aut minus teneretur domino comparenti, et rem suam recuperare non potenti, restituere, ut constat ex n. 1335. *Et rem ipse dono accepit;* nam, *si emerit,* ad nihil etiam teneretur iuxta n. 1335.

1339. *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem a fure emptam alteri vendiderit? — In casu evictionis,* idest si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium reddere tenetur. Ratio est, quia, interveniente evictione, contractus resolvendus est, et emptor recursum ipso facto in venditorem acquirit: quippe rem emptori tradendo se implicite obligavit ad damnum reparandum, si forte futura esset evictio. — Idem ob eandem rationem dicendum in casu *spontaneae restitutionis* ab emptore factae. *Spontaneae restitutionis;* excepto casu, in quo *spontanea restitutio* ab emptore facta *causa* esset, ne venditor postea pretium recuperare possit ab eo, qui ei rem vendiderat; tunc enim non tenetur ad pretium reddendum; quia damnum quod intulit emptori vendendo rem alienam, ipse ei vicissim intulit accelerata restitutione. — Hoc idem tenendum est, si res aliena in manus variorum possessorum titulo oneroso transiverit. Si enim ultimus possessor rem domino reddere cogatur, et ipse et singuli emptores ius habent venditorem suum persequendi, ut pretium solutum recuperent. — L. 601.

Extra casum evictionis, vel, iuxta quosdam, etiam spontaneae restitutionis ex parte emptoris, res difficultate non caret, et acriter controvertitur.

Ex Iure Romano venditor ad nihil tenetur saltem probabilius, nisi ex venditione ditior factus fuerit. Ratio est, quia venditio rei alienae cum bona fide non habetur in iure omnino irrita. Licet enim per eam non transferatur dominium rei in emptorem, transfertur tamen dominium pretii in venditorem. Et hic quidem etiamsi deinde detegat, rem venditam alienam esse, non tamen tenetur aut monere dominum, ut rem suam recuperare possit, aut indicare emptori rem esse alienam. Ita communius. Lugo D. 17. n. 106., Salm. c. 1. n. 88., etc., contra Billuart a. 10., et alios, qui venditorem obligant ad pretium domino vel emptori reddendum; quia, aiunt, venditio rei alienae est prorsus invalida.

Ex Iure Ital. et Gall. crescit difficultas, quia *irrita* declaratur venditio rei alienae. Si igitur, aiunt, contractus plane irritus fuerit, emptor pretii dominium in venditorem non transtulit, nec proinde venditor ius ullum habet ad pretium illud servandum. Ergo pretium videtur refundendum in dominum, si ille rem suam ab emptore repetere nequeat. Ita Carrière 1047. cum aliis.

Attamen merito contradicunt alii, quorum sententia sat probabilis videtur. Neque enim plane constat, etiam ex Iure Ital. et Gall. venditionem rei alienae nullos omnino effectus habere. Ex C. I. 1459., C. G. 1599. haec mere deduci possunt: 1.° Dominum rei ius suum in eam servare. 2.° Emptorem subiici evictioni. 3.° Venditorem in casu evictionis aut restitutionis ex parte emptoris obligari ad pretium emptori restituendum. Nihil praeter haec aliud ex praxi tribunalium deduci potest. Ceterum quid causae habetur inter venditorem et dominum rei? Quale recursum hic in illum sibi tribuere potest? Nimirum dominus in venditorem neque actionem *personalem*

habet, quia nulla fraus intercessit, neque actionem *realem*, quia rem iste non habet. Insuper durissimum foret, eum, qui nec rem alienam amplius habet, nec ex ea ditior factus est, ad tantum incommodum sponte subeundum obligari. Domino itaque ad ius suum aut violati iuris reparationem consequendum in actualem quidem rei possessorem, aut in furem recursus superest, in alios autem nullo modo. Gousset 929., Gur. 638., L. 608.

Ex C. A. 333. hoc solum habetur, quod *possessor*, etiam bonae fidei, exigere a rei domino non possit pretium ab ipso solutum pro illius rei acquisitione. Sed haec nihil ad venditorem spectant. Et a. 1306. dicitur, quod ex generali regula nemo tenetur reparare damnum causatum sine sua culpa, vel involuntaria actione. Art. vero 931. venditor obligatione tantum tenetur praestandi indemnem *emptorem* in casu *evictionis*. — Ex C. H. 1474. seqq. venditor item ad nihil aliud tenetur, nisi ad praestandum indemnem *emptorem* in casu *evictionis*.

Si aliena res in manibus emptoris *perierit*, possessor bonae fidei qui eam prius emit et deinde vendidit ad nihil tenetur. Etenim non tenetur *ratione rei*, cum illam iam non habeat; neque *ratione damni*, cum non sit causa eius interitus, nec aliunde ullo modo formaliter cooperatus ablationi rei fuerit. Gur. 641., C. A. 329.

1340. *Si quis bona fide rem alienam mediocri pretio emerit et maiori eam vendiderit, an lucrum perceptum domino reddere teneatur?* — R. Negative, si lucrum istud *industriae extraordinariae* tribuendum sit, v. g., si alium locum notabili labore adierit, ut opportunam occasionem rem carius vendendi inveniret, etc. Idem dicendum, si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentoris. — Affirmative e contrario, si res ex natura sua, aut ex communi hominum aestimatione, non vero ex detentoris industria creverit, quia in eo casu domino crescit. Ita Gur. 640. Sed Cf. 1337. 1339. 1341. — In aliis vero casibus controvertitur. Alii affirmant, quia ex eo lucro possessor ditior factus est. Negant vero alii communius et probabilius; quia totum illud lucrum fructus industriae possessoris esse videtur. Lugo D. 17. n. 20., Gousset 930., Gur. 640. Cf. 1337. 1339. 1341.

1341. *Ad quid tenetur possessor bonae fidei, si rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit?* — *In casu evictionis* tenetur emptori damnum rependere, ut in casu praecedenti. Cf. 1339.

Extra casum evictionis, quando scilicet *res a domino recuperari nequit*, sive quia ultimus possessor eam consumpsit, sive quia iste amplius non comparet, venditor iuxta communem sententiam totum pretium ab emptore receptum in dominum refundere debet. Ratio est, quia ex toto illo pretio vere ditior factus est, nec proinde ullam iacturam illius occasione patitur; dum e contrario dominus re sua iniuste spoliatus totum rei damnum subire cogitur. Unde hic indemnis servandus est ex lucro, quod venditor absque ullo titulo percepit. L. 608., Vogler 66.

Non desunt tamen qui venditorem ab omni obligatione liberant, quia in eum nullum recursum habere potest dominus, haud secus ac in casu praecedenti; siquidem eaedem omnino valent rationes, quas iuverit expendere.

Enimvero licet venditio rei alienae sit *ipso facto* nulla quoad dominium *rei* transferendum, non est tamen *ipso facto* nulla quoad dominium *pretii* acquirendum. Ergo, secluso casu *evictionis* vel *spontaneae restitutionis*,

venditor ad nihil tenetur tum erga emptorem tum erga dominum. Et sane, si haec ratio valet in casu quod possessor bonae fidei rem emerit a fure, Cf. 1339., eadem valere debet etiam in casu, quod rem gratuito acceperit; nam gratuita haec acceptio extrinseca omnino est illi venditionis contractui, neque ideo facit quod pretii dominium non acquirat.

Praeterea venditor pretium aut emptori aut domino restituere deberet. Atqui illud restituere non debet emptori; nam venditor erga emptorem non alia adstringitur obligatione, nisi *evictionem* vel etiam *spontaneam restitutionem* praestandi, qui vero extra hunc casum nullum omnino damnum patitur. Atqui iterum neque pretium restituere debet domino, nam dominus in venditorem neque actionem *personalem* habet, quia nulla fraus intercessit, neque actionem *realem*, quia rem iste non habet. — Neque valet dicere, quod licet non habeat *rem* formaliter, habet tamen aequivalenter in *pretio*, pro ea accepto; nam in omni contractu venditionis, cum ex una parte *transferatur dominium rei*, ex altera vero *transfertur dominium pretii*, pretium non est amplius aequivalenter merces vendita, neque eam repraesentat: sed affert tantum obligationem pro venditore servandi indemnem emptorem in casu evictionis; idque magis clarum apparet in venditione rei alienae; nam non transfertur in ea dominium *mercis*, transfertur tamen dominium *pretii*, ergo pretium utpote venditoris non est aequivalenter merces, quae neque venditoris neque emptoris est. «Nec dici potest, ait P. Gury Cas. 608., pretium rei rem ipsam repraesentare». Et D'Annib. Ed. 3.ª P. 2. n. 125.: «Illud non quaeritur, si forte rem ab alio comparaverim, utrum eam comparaverim pecunia aliena, puta furtiva: quia *res non succedit in locum* pretii; nec si rem alienam vendiderim, *pretium succedit in locum rei*». Venditor ergo non solum, si rem emerit, sed etiam si gratuito acceperit, postquam eam vendiderit eam aequivalenter non habet.

Insuper ratio, propter quam venditor qui rem gratuito accepit deberet restituere pretium domino, si ultimus rei possessor non compareat vel rem consumpserit, haec sola esset, quia venditor ex toto illo pretio vere ditior factus est, nec proinde ullam iacturam illius occasione patitur; dum e contrario dominus rei iniuste spoliatus totum rei damnum subire cogitur. Atqui 1.° aliud est quod quis ditior fiat *ex* re aliena, aliud *occasione* rei alienae; aliud quod quis ditior fiat *iniuste ex re* aliena, aliud quod quis absque ulla alterius iniuria ditescat. Porro venditor ditescit utique occasione rei alienae, neque iniuste ditescit; et hoc illicitum non est. 2.° Quod dominus solum in casu damnum pateretur *per accidens* est. Etenim eius ius legitimum aliud non est quam in furem et in actualem *rei suae* possessorem. Si istud ius prosequi non potest prorsus *per accidens* est.

Postremo, in casu, in quo venditor, qui rem gratuito accepit, alteri vendiderit, et res perierit in manibus emptoris, qui obligant venditorem ad restitutionem inter se non conveniunt: alii enim *probabiliter* dicunt debere restituere emptori, quia res *domino* periit, et *emptor* ius habet ad suam pecuniam recuperandam, cum venditio fuerit invalida: alii *probabiliter* dicunt debere restituere domino, quia, cum *dominus* iniuste re sua spoliatus sit, et *emptor* nullum revera damnum passus sit, aequitas exigit, ut dominus indemnis fiat. Atqui si ius tum domini, tum emptoris non est nisi *probabile*, probabiliter etiam venditor ad nihil tenetur, *et*

praevalet de facto possessio, secundum communem regulam. — Gousset 930., Gur. 639. 641.

Haeres tamen *depositarii, qui bona fide rem vendidit,* quam ignorabat esse depositam, obligatur vel ad restituendum pretium receptum, vel ad cedendam suam actionem contra emptorem, qui nondum ei solvit pretium. C. H. 1778., C. I. 1851., C. G. 1935. — *Ille* item, *qui bona fide rem sibi indebitam recepit, eamque vendidit,* non nisi venditionis pretium restituere debet, C. G. 1380., vel actionem ad illud consequendum cedere, C. I. 1149., C. H. 1897. — Cf. 1124.

1342. *An possessor bonae fidei, venditione aut donatione facta rei alienae, et errore detecto, teneatur monere donatarium aut emptorem, ut rem domino reddat, vel ipsum dominum, ut rem suam recuperare valeat?* — R. Affirmative, si id possit sine gravi suo incommodo. Nam nemo praecise *vi caritatis* tenetur cum suo gravi incommodo succurrere proximo suo constituto in gravi aliqua necessitate sive temporali sive etiam spirituali. Nemo etiam *praecise vi iustitiae* tenetur cum suo gravi incommodo ad grave proximi damnum reparandum vel impediendum, sive illud sit temporale sive spirituale, nisi ex pietate, ex contractu vel quasi contractu, ex formali gravi et efficaci iniustitia, vel ex iuridica sententia, aut legis auctoritate. — L. 601., Gur. 637.

1343. *An qui rem furtivam bona fide emit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum?* — R. Negative, *si compareat dominus, rem suam ab illo repetens;* tunc enim debet eam ipsi reddere, etiam cum pretii sui iactura, quia de iure naturali dominus rem suam occupare potest ubicumque eam reperiat. Actio tamen emptori datur in furem. C. A. 333.

Excipe ex C. I. et ex C. G., si res empta fuerit in foro publico, vel ab eo qui res huiusmodi vendere solet; tunc enim emptor domino rem non tenetur reddere, nisi pretio soluto. Haec autem iuris dispositio iuxta plures, valet etiam in foro conscientiae; quia est utilissima bono publico, tranquillitati possessionum, et valde commercio favet. Bouvier de Possessore bonae fid., Carrière 1041., Gousset 1027.

Si dominus sit quidem notus, sed rei inscius, prima sententia « multum probabilis » negat, « quia res erepta e manu furis iam adepta est meliorem statum; et ideo si furi eam redderet illam in deteriorem statum deiiceret, et sic iniuriam domino irrogaret ». Secunda sententia « forte probabilior » affirmat, « quia non teneris rem domino servare cum tuo damno ». Cum autem quisque ius habet ad proprium damnum praecavendum, ei sane non « interdicitur actio illa, quae per se est necessaria et directa ad suum damnum reparandum, licet indirecte et per accidens damnum alteri eveniat... Advertendum tamen, hanc sententiam tunc tantum posse habere locum, quando emptori nulla alia suppetit via recuperandi suum pretium, quam restituendo rem latroni ». L. 569.

Si fur, aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii iactura. Recursum autem in venditorem servat. Quod si eum invenire nequeat, damnum ipsi est subeundum. — C. A. 333.

1344. *An qui rem emit a fure, ut eam domino restituat pretium ab isto repetere possit?* — R. Affirmative, *si modico omnino pretio eam emit.* Utiliter enim domini negotium gerit. At qui utiliter negotium domini gerit, non est fraudandus pretio, quod in utilitatem domini solvit. C. A. 333. — Negative, *per se loquendo, si eam iusto omnino pretio emat.* Dominus enim non tenetur ex una parte emere rem suam, emptor vero ex altera *utiliter* domini negotium in casu non gereret, si eum cogere posset ad totum illud pretium solvendum. Quare in casu non nisi partem repetere potest, quam ex negotiorum gestione domino utili posset repetere. *Per se loquendo,* nam si dominus paratus esset ad rem suam recuperandam quocumque pretio, posset tunc emptor totum hoc pretium exigere, quia reapse utiliter tunc domini negotium gerit. C. A. 333. — Quid vero, si emptor iudicasset quidem tanti a domino rem aestimari, sed falso? Alii pro emptore, alii pro domino stant. « Litem dirimit Tamburinus sic statuens, ut pretium iustum utut ingens debeat emptori solvi, si quidem is non levibus, sed, prudentum iudicio, gravibus fundamentis innixus decipi passus sit, secus si animi levitate, nec re bene perpensa ». Ithur. Cas. 4. n. 5. — L. 600.

1345. *Quid de possessore malae fidei? — Possessor malae fidei restituere debet rem* ipsam *formaliter* vel *aequivalenter* exsistentem ; nam res clamat domino suo. — Tenetur praeterea compensare omnia *damna,* quae ex iniusta rei possessione domino obvenere; nam causa est per se efficax istorum damnorum. — Tenetur item restituere omnia illa, in quibus *iniuste* ditior factus est, *ex iniusta detentione rei alienae;* nemo enim ditescere iuste potest ex alterius iniuria. — C. A. 335.

Ex C. I. 1147. qui solutionem *mala fide* recepit, tenetur ad restitutionem tum capitalis tum interesse vel fructuum a die solutionis.

1346. *Resolves :* Si res varium habuit valorem tenetur possessor malae fidei rem restituere domino, si eam habeat, quemcumque nunc habeat valorem, nam res crescit et decrescit domino suo; et praeterea compensare damna, si quae secuta fuerint, puta si facta sit deterior sua culpa, si dominus eam vendidisset tempore maioris valoris, etc. — Si vero rem amplius non habeat, eam restituere debet secundum valorem quod habebat tunc, quum periit, vel alienavit; quia cum res pereat domino suo, et periit tunc secundum valorem, quem tunc habebat, non alia remanet nunc obligatio nisi illius valoris, qui rei tunc aequivalebat et eam repraesentabat; cum pariter res alienata est ad dominum pertinebat, et ad eum pertinebat secundum valorem, quem tunc habebat, qui consequenter domino debetur. Itemque compensare damna debet, si quae secuta sint, puta si dominus rem conservasset usque ad tempus maximum lucrum ex ea percipiendi. Et sane, si tunc fur rem domino restituisset cum periit, vel alienavit, nihil aliud ei dare debuisset, nisi rem ipsam, quemcumque tunc habuerit valorem, et compensare damna emergentia vel lucra cessantia, « iuxta tantum aestimationem spei ». L. 768. 619. 620. 621., C. H. 1896., C. I. 1147. 1148., C. G. 1378. 1379.

1347. *An possessor malae fidei fructus etiam restituere debeat?* — *Absolute quidem loquendo, stando in rigore principiorum, omnes fructus,* deductis expensis, ut dicetur in num. seq., *restituere deberet;* quia *res fructificat domino.* Attamen, *moraliter loquendo,* quando agitur de furto

rei parvae et valde communis, e. g., gallinae, sufficit, si valor rei illius restituatur, quia ex aestimatione communi dominus rei propriae aliud damnum passus non est. Etenim, si velit rem aliam similem habere, facillime hanc sibi procurare potest. Hinc neque ova neque pullos alios ex ea obtentos restituere quis debet. L. 621.

1348. *Quid de fructibus industrialibus, et de expensis factis?* — *Potest possessor malae fidei retinere fructus omnes industriales et deducere expensas, tum necessarias, tum utiles.* Ratio est, quia labor laboranti fructificat; expensas autem necessarias ipse dominus fecisset ad rem sibi conservandum; expensae vero utiles rem ipsi augent et meliorem reddunt. Quin immo in foro conscientiae et ante sententiam iudicis, in poenam delicti eum condemnantis, potest deducere expensas etiam *mere voluptuarias*, ubi intacta rei substantia separari possunt; nam nullum inde domini ius laeditur; vel si absque rei detrimento separari non possunt, et illas etiam dominus fecisset, aut rem vult vendere, non tamen in casu opposito; quia iterum in uno casu dominus non patitur damnum, bene vero in altero. — L. 618., C. A. 336., C. I. 705. 1150.

1349. *An teneatur ad restitutionem fur, qui surripuit rem secus certo perituram?* — R. Affirmative, deductis tamen expensis factis, cum pretio operae adhibitae ad rem a periculo liberandam. Ratio est, quia res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit. — Excipiunt plures probabiliter, si fur statim consumat rem *in certo* periculo remanentem, v. g., esculenta vel poculenta incendio iam peritura: quia res non liberata a periculo nullius est valoris pro domino, siquidem nullo pretio aestimatur. Praeterea dominus nequit tunc esse rationabiliter invitus, quod res sibi certo peritura ab alio consumetur. — Plures hoc extendunt ad casum, in quo res aliena *proximo* periculo subducitur et statim consumitur: v. g., si sumas vinum alienum iamiam incursu hostili certo invadendum, illudque cum familia aut amicis bibas. — Lugo D. 18. n. 77. 144. seq., L. 620., Elbel 80.

1350. *An fur teneatur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit?* — R. Affirmative, *absolute*, si perierit *culpa furis vel alterius cuiuslibet*, quia fur fuit causa damni efficax, sive ipse, sive alius rem ex negligentia culpabili perdiderit aut consumpserit, donaverit, destruxerit. — Affirmative *generatim*, si pariter res periit apud furem, etiam *absque ulla eius culpa*. Ratio est, quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit. — Negative tamen, si res fuisset peritura apud dominum *eodem tempore et casu*, seu *ex vitio eius intrinseco*, quia tunc nullum prorsus damnum domino infertur. Probabilius hoc valet, etiam si res certo peritura fuisset *eodem tempore et in eodem periculo communi*, quo apud furem periit, v. g., in eodem incendio, vel in eadem publica calamitate. Ratio est, quia tunc furtum non fuit causa damni, sed res aeque et eodem modo et tempore periisset. L. 620., H. A. 79., Lugo D. 18. n. 141., Vogler n. 501., C. A. 338., C. H. 1896., C. I. 1148. 1298., C. G. 1302. 1379.

Si res peritura fuisset eodem tempore apud dominum; quia si peritura fuisset antea, et furto adscribendum est, quod non perierit, iam ad dominum, dum penes furem manebat, semper clamabat, nec periisset, si iam fuisset restituta; ergo fur ad restitutionem tenetur: si vero postea

peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis pro fure, qui eo instanti, quo res penes se periit, obligationem restituendi contraxit. — *Eodem periculo;* quia ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari furi quod pereat, quia sine eius furto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen subiisset. Aliqui tamen contradicunt, quia, aiunt, perinde est, sive res in isto, sive in alio periculo intereat, quando utrumque discrimen simul coexsistat. — L. 620.

Ex Iure Rom., Ital. 1298., Gall. 1302., Austr. 338., Hisp. 1185., quocumque modo res perierit in manibus possessoris malae fidei, ad restitutionem hic tenetur. Attamen non videtur ad restitutionem obligandus ante iudicis sententiam, nisi illum iure naturali obligari constet. Carrière 1072., Gousset 933., in a. 1302.

1351. *An possit rem furi restituere emptor malae fidei?* — R. « Negant hoc communius dd.... Sed adhuc affirmat Holzm., Elbel, etc. Et hanc sententiam vocant non improbabilem Less. Et quidem non immerito Bus. putat absolute probabilem, immo Lugo dicit forte probabiliorem. Ratio, quia licet iste peccaverit, rem mala fide emendo, tamen post emptionem habet ius aeque ac emptor bonae fidei ad contractum rescindendum, rem furi reddendo, ut supra probatum est ». L. 570. 600., Cf. 1343.

1352. *Quid de possessore dubiae fidei?* — Possessor dubiae fidei talis esse potest vel in principio, vel in decursu tantum possessionis. De 1.° casu dictum est supra n. 1327. De 2.° agitur hic. — *Possessor dubiae fidei debet inquirere* verum rei dominum, secus enim se exponit periculo rem alienam ex culpabili negligentia sua retinendi. — *Inquisitione facta, et dubio perseverante,* rem totam retinere potest, si ante obortum dubium bona fide possidebat: ratio est, quia pacifica rei possessio in bona fide moralem exhibet certitudinem. L. 547. 608., C. A. 323., C. I. 687., C. G. 550., C. H. 433.

1353. *Quid si possessor dubiae fidei verum rei dominum negligat inquirere?* — *Inquisitione neglecta,* si dominus amplius inveniri non possit « videtur, inquit P. Gury 653., aliquid restituendum esse pauperibus pro rata spei, quam habere potuisset dominus rem suam recuperandi. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris ». — Verum ista resolutio non videtur posse demonstrative probari ex principiis iuris; sed potius oppositum videtur inde erui. Nam, si hactenus quis neglexit inquirere, potest adhuc inquisitionem in praesenti instituere. Insuper *cum probabile sit,* dominum reapse nullum esse, eo quod *probabiliter* res non sit alterius, non constat, quod hic possessor privaverit culpabiliter dominum spe rem suam recuperandi. Itemque, licet quis neglexerit illam facere inquisitionem, semper in suum favorem habet praeviam rei possessionem *omnino pacificam* antequam dubium suboriretur, adeoque etiam nunc potest in suum favorem invocare notum illud principium: Melior est conditio possidentis. — Quod confirmari potest ex alia resolutione, quam habet idem P. Gury 655. Nam, iuxta laud. theol., possessor dubiae fidei, qui bona fide incepit possidere, si, facta inquisitione, inveniat rem probabilius alienam esse, *probabilius* non tenetur ad restitutionem, « quia ex possessione certa ius moraliter certum oritur. Insuper donec alter ius suum certum probaverit valet axioma: Melior est con-

ditio possidentis. S. Lig. l. 1. n. 35. et *alii communissime* iuxta S. Lig. contra *aliquos*, qui docent tunc esse pro rata restituendum ». Atqui 1.° utraque haec ratio non amittit suum valorem, etiamsi quis *inquirere neglexerit*. 2.° Ut constat ex secunda ratione, reapse non tenetur quis *stricta iustitiae obligatione* inquirendi, sed potest semper prudenter dicere: Melior est conditio possidentis; donec alter ius *suum certum* probet. 3.° Spes illa inveniendi dominum per inquisitionem, etsi dubium non sit mere negativum, tunc enim utpote imprudens despici potest, sed positivum, veram constituens probabilitatem, iure aequiparari potest *probabilitati* vel etiam *maiori probabilitati* pro domino. Atqui, etiam stante *maiori* hac *probabilitate* pro domino, post inquisitionem possessor non tenetur restituere. Ergo neque ante, donec alter *ius suum certum probaverit*. — L. 547. 562. 657. 658. 706., l. 6. n. 906.

1354. *Nota:* Conclusio ultimo loco posita valet etiam pro possessore dubiae fidei ab initio possessionis, cum iste rem accepit titulo emptionis, donationis, etc., dubitans, an ille a quo accepit eius sit dominus, et inquirere neglexerit, et amplius non potest rei dominus inveniri. Etenim similis fere ratiocinatio fieri hic potest. Quod confirmari iterum potest ex doctrina eiusdem P. Gury: haec enim aperte habet 656.: 1.° « Si dubites, an antecessor tuus bona legitimo titulo possederit, potes, re perpensa, et perseverante dubio, haereditatem nihilominus *accipere* et *retinere*, dummodo constet, eum bona fide possedisse. Etenim, si axioma *in dubio melior est conditio possidentis*, favet antecessori tuo, etiam tibi successori favet: nam in hoc casu applicandum est principium possessoris dubiae fidei, qui possessionem bona fide incepit, quandoquidem antecessor et successor unicam personam moralem ex iure efficiunt ». 2.° « In dubio an aliquis bona vel mala fide inceperit, praesumendum est in favorem possessoris; quia delicta non praesumuntur, sed probari debent ». — Ceterum, si quis eo animo sit, ut rem quasi interim precario possidens velit eam domino, quandocumque apparuerit, reddere, *licite possessionem capit et retinet*. — Lugo D. 16. n. 96., D'Annib. Ed.^{e} 3.^{a} P. 2. n. 121.

1355. *Quid, in casu dubii, si possessio rei non habeatur? — Quando nemo eorum, de quibus dubitatur, utrum rei sint domini, rem ipsam de facto possidet*, si dubium aequale sit, res aequaliter inter illos est dividenda; si vero dubium sit inaequale, dividenda videtur iuxta dubii proportionem. Quod si res dividi nequeat, vendenda est, ut dividatur pretium; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligetur ad ius unicuique caeterorum reddendum; aut etiam in sortes coniicienda, ut ei tribuatur, cui sors favebit. — La-Croix 566., Sanchez Decal. l. 2. c. 23. n. 173., Carrière 1101., L. 706.

XXIII. — DE RESTITUTIONE QUIA INIUSTE QUIS FACTUS DITIOR

1356. *Qualis habeatur restitutionis obligatio ex eo quod iniuste quis ditior factus sit ex re aliena?* — Caput hoc restitutionis *ex eo quod quis iniuste factus sit ditior ex re aliena*, non respicit ipsam *rem alienam*, sed *fructus* rei alienae perceptos, neque fructus quoscumque, sed *fructus*

immediate perceptos ex re aliena, quibus aliquis *iniuste ditior factus est,* ut iam declaravimus. Cf. 1341. De horum autem fructuum restitutione iam satis diximus. Cf. XXII. Quare nihil hic addendum superest.

XXIV. — DE RESTITUTIONE EX INIUSTA DAMNIFICATIONE

1357. *An et quando ex damnificatione restitutionis obligatio exsurgat?* — Damnificator dicitur, qui ius alienum laedit, proximo in bonis suis nocens, quin tamen inde ditior evadat. Quare damnificatio fons est *restitutionis,* a praecedentibus diversus. « Quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id in quo ipsum damnificat; *damnum* enim dicitur ex eo quod aliquis minus habet quam debet habere... Et ideo homo tenetur ad *restitutionem* eius, in quo aliquem damnificavit ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 4., Inst. l. 4. t. 3. — Verum, ut ea restitutionis obligationem inducat, opus est, ut sit culpabilis. Porro culpa alia est *theologica,* alia *iuridica,* de qua iam diximus, Cf. 1072. Culpa autem iuridica ex Iure Romano alia est *lata,* alia *levis,* alia *levissima,* de qua iam etiam diximus, Cf. 1072. Licet autem haec culparum distinctio expresse non commemoretur in C. I., C. G., C. A., C. H.; supponitur tamen, quando pro diversis rei adiunctis ordinariam vel extraordinariam, *minorem* vel *maiorem* diligentiam iidem Codices exigunt. Cf. C. I. 1151. seqq. 1224. 1843. 1844., C. G. 1137. 1382. seqq. 1927. 1928., Rogron in a. 1137., C. A. 1293. seqq. 1306. 1323. 1324. 1331. 1332., C. H. 1902. seqq. — S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. ad 2. a. 4. 7., E. M.

1358. *Quaenam sint conditiones requisitae ad restitutionem ex damnificatione? — Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, iure naturae requiritur triplex conditio,* nempe ut sit *in se iniusta* et non tantum in intentione; *causa damni efficax,* i. e. ut realiter influat in damnum alterius; et *theologice culpabilis:* scilicet, ut sit iniusta, *vere, efficaciter* et *formaliter.* Prob. Debet esse actio *in se iniusta:* secus non datur locus *reali reparationi* iustitiae. C. A. 1305. Debet esse *efficaciter iniusta;* secus, cum quis non sit auctor damni, damnum reparare non tenetur. Debet esse *theologice culpabilis;* secus obligatio in conscientia illatum *iniuria* damnum reparandi minime exoritur; siquidem iniuria in foro conscientiae defuit. — Hinc valde probabiliter ad damnorum compensationem non sufficit sola *culpa iuridica,* seclusa *culpa theologica.* Verum, si *iuridica culpa theologicam* etiam *culpam* inducat, tunc utique ad damnorum obligat compensationem. — Cf. 1072. 1073. 1077., Ithur. Cas. 27. n. 2. 3. 5. 12. 13., L. 550. 551. 556. 570. 572. 613., C. A. 1299. 1300. 1306. seqq. 1331.

1359. *Quid restituere debeat damnificator? — Iniustus damnificator restituere tenetur:* 1.° Totum aequivalens rei damnificatae; ita, v. g., si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum eius pretium domino rependere debet. 2.° Totum aequivalens damnis praevisis praeter rei damnificationem, si quae ex ea provenerint. Hinc, v. g., si opifex solitam operam aliquo tempore omittere cogatur, propterea quod instrumentum ei necessarium destruxeris, illum non modo de valore instrumenti, sed etiam *de lucro cessante* teneris compensare. *De lucro cessante:* « tale

damnum non oportet recompensare ex aequo, quia minus est habere aliquid virtute quam habere actu ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 4.

1360. *An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire potuisset?* — R. Affirmative. Ratio est, quia quisque tenetur ex iustitia impedire, si potest sine magno incommodo, ne actio sua proximo noceat; ergo tenetur etiam impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret. — Hinc 1.° qui inculpabiliter subiecit ignem domui alienae, quando advertit ad incendii periculum, ex iustitia illud impedire tenetur, si possit. 2.° Pariter pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex iustitia emptorem monere debet. 3.° Item, qui errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea, cognito errore, illum corrigere; et, ni faciat, peccat graviter, et obligatur ad reparationem omnium damnorum, quae ex hoc proveniunt. — L. 564.

1361. *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed iam retractata, quando damnum infertur?* — R. Affirmative, saltem si damnum illud fuerit determinatum, et in specie praecognitum. Sic, v. g., si quis voluntarie alteri venenum propinaverit, et postea eius effectum impedire non possit, utut facti poenitens maxime velit, damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ratio est, quia ille, qui posuit causam damni, semper pergit efficaciter in illud influere.

1362. *An reparari debeat damnum per accidens quidem, sed vacando operi illicito, illatum?* — R. Negative, quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem praevisum fuerit. Nec refert, quod actio fuerit illicita; hoc enim ad iustitiae rationem nihil pertinet. Sic clericus, qui, venationi contra Ecclesiae prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit, non magis iniustitiae reus est, quam laicus qui hoc fecisset. Immo damnum *per accidens* illatum, ne reparari quidem debet, etiamsi occasione actionis *iniustae* evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat, nec praesentem sciebat, dum sclopetum in Caium dirigeret. — Lugo D. 8. n. 72. 82., L. H. A. 39.

1363. *An ille teneatur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si praeviderit pravi exempli efficaciam?* — Prima sententia probabilior negat, quia qui dat pravum exemplum, non est causa damni, sed mera occasio. Neque enim actio mala *per se* ad id tendit, ut alios ad eam imitandam excitet. Ergo alii damnificatores ex se omnino determinantur ad damnum inferendum. — Secunda sententia affirmat, quia praebens pravum exemplum cum praevisione contagionis haberi potest, ut causa efficax damni; quippe aliquo modo influit in determinationem eorum, qui damnum inferunt; et experientia docet, homines magis moveri exemplis quam consiliis, iuxta axioma: *Verba movent, exempla trahunt.* — L. 537., l. 2. n. 45., Antoine p. 2. c. 3. qu. 15., Billuart diss. 8.

1364. *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione iniustae actionis tuae, v. g., si furatus fueris, et furtum illi imputetur?* — R. Negative certo, si damnum illud non praevideris. Non enim es causa theologice culpabilis talis damni. — Negative etiam probabilius, licet damnum hoc

praevideris. Ratio est, quia actio tua, posita etiam damni praevisione, non illius causa *per se,* sed tantum *per accidens* est. — Immo probabiliter etiam negandum est, licet de industria egeris, ut actio tua ipsi imputetur; quia semper haec actio est tantum causa damni *per accidens,* et non *per se;* non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit. Prava enim intentio non efficit, ut iniustum sit illud opus, quod ex se respectu tertii iniustum non est. — Affirmative, si quando tales fuerint circumstantiae, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio. Itemque affirmative omnino, si quis iis uteretur mediis, quae gravissimam suspicionem alterius accusandi praebeant, v. g., si vestibus eius indueretur ad homicidium patrandum, et has sanguine foedatas proiiceret, etc. — L. 635. 636., La-Croix 157.

1365. *Quid si opus externum ex mala quidem intentione ponatur, sed licet damnum accidere possit, non sit tamen vere probabile quod secuturum sit?* — Controvertitur inter gravissimos theologos. Clarior autem patebit status quaestionis ex sequentibus exemplis, scilicet: 1.° Aliquis ponit venenum aut laqueum in loco, in quo rarissime transit inimicus, sed ea intentione ut occidatur, si forte transeat. 2.° Medicus adhibet omnem diligentiam, ad quam tenetur, sed non vult maiorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Quaeritur an illi causa sint iniustae mortis, quae forte subsecutura est, si de facto sequatur? Duplex est sententia. — Prima sententia, quae communior videtur, negat. Ratio est, quia ex una parte actus externus non est iniustus, siquidem mera damni alieni possibilitas in rebus humanis attendi non debet; ex altera parte actus externus non efficitur iniurius ratione intentionis, cum intentio non influat in efficaciam causae, seu in periculum damni. Etenim tunc dicenda est causa mere *per accidens,* et prava intentio eius naturam non mutat. — Secunda vero sententia affirmat. Ratio est, quia in praefatis casibus homicidium est sane contra iustitiam, et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Etenim ideo, seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa; sed intentio illam connexionem supplet, et facit, ut operans vera illius causa sit. Ad rationem enim causae multum conducit intentio operantis. Ergo. Non sufficeret autem mera praevisio possibilitatis damni in praefatis casibus ad rationem iniuriae, sed etiam requiritur intentio illud procurandi. — Lessius l. 2. c. 9. n. 133., Lugo D. 8. n. 75.

1366. *An existimans ex errore invincibili, damnum a se illatum multo minus esse ac revera sit, teneatur ad totum illud restituendum, si postea verum pretium agnoscat, v. g., si quis proiiciat in mare gemmam alterius valentem 100., dum credit eam 10. tantum valere?* — Probabiliter tenetur ad restituendum solummodo pro rata damni cogniti; quia non censetur volitum damnum, quod invincibiliter est ignoratum. — Dabitur tamen obligatio reparandi totum damnum, si quando ob maioris pretii suspicionem saltem in confuso obortam totum damnum evadat voluntarium. — L. 613.

1367. *An teneatur ad restitutionem, qui alium impedivit a consecutione alicuius boni vel beneficii?* — R. Affirmative, si proximus habeat ius

strictum ad rem obtinendam, v. g., in casu concursus. — Si proximus non habeat ius strictum ad rem consequendam, distinguendum est. Affirmandum, si *mediis iniustis* id impediatur, v. g., *vi, fraude, calumnia, metu,* etc. Negandum vero, si impediatur *mediis in se iustis,* v. g., *suasione, precibus,* etc. Ratio est, quia nullum ius alterius tunc violatur, nec in se, nec in mediis. — L. 582. 585. 587. 588. 614. 632. 633., H. A. 61., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4.

1368. *An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. g., ex odio, seclusis tamen mediis de se iniustis, avertas alium a consecutione boni, ad quod ius strictum non habet?* — R. Negative probabilius. Ratio est, quia nulla iniuria proximo infertur. Etenim ad iniuriam non sufficit mala intentio, sed requiritur actio externa, quae vera et efficax causa damni iniusti sit. — L. 584. 585., Elbel 108.

1369. *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat, an damni causa ipse fuerit?* — Commune est inter dd., quod in dubio, an causa posita fuerit, vel an damnum illatum sit, ad nullam restitutionem teneatur. Ratio, quia factum non praesumitur, sed probari debet. — Si dubium versetur circa influxum actionis in damnum, quod certo evenit, controvertitur. Prima sententia ex S. Alph. valde probabilis affirmat, quia, posito facto actionis, praesumitur ipsam fuisse causam mali, si apta ipsa revera erat ad damnum inferendum. Secunda sententia ex eodem S. D. « satîs etiam probabilis negat... et hanc videtur tenere D. Th. 2. 2. q. 62. a. 7.... Ratio est illa regula generalis, quod nemo obligatur ad restitutionem, *nisi omnino* de tali obligatione constet, nempe quod ipse fuerit vera causa damni ». L. 562. 547. 575. 579. 706.

1370. *An tenearis reparare damnum, quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. g., si incendas domum Caii, quam putas esse domum Titii inimici tui?* — Duplex adest probabilis sententia. Prima, quam plures et graves thth. tenent, affirmat, quia adsunt in eo casu omnes conditiones requisitae ad restitutionem urgendam, scilicet actio iniusta, causa damni efficax, et culpa theologica. Secunda « cum Leandro, Molin., Tamb., Sporer, Lugo, La-Croix... negat eum teneri ad restitutionem, modo is non intenderit, ne confuse quidem, incendere domum alterius quam Titii... Ratio, quia ad obligationem restitutionis, quae oritur ex damnificatione principaliter facta propter iniuriam, requiritur iniuria formalis; nec sufficit iniuria materialis, et solum effectiva sine animo, sicut nec sufficit iniuria tantum affectiva, opere externo non completa, ut esset haec. Cardinalis de Lugo enim sic loquitur: cum ego intendo damnum inferre Titio, animo illi tantum iniuriam irrogandi, quocumque alio excluso; si postea per errorem invincibilem laedam Caium, iniuria respectu Titii non est formalis et affectiva, sed dumtaxat materialis et effectiva, ac mere accidentalis, cum mihi non fuerit animus eum laedendi, nec in particulari, nec in generali; et ideo non teneor illi restituere damnum, quod oritur ex iniuria. Nec obstat dicere, quod ad obligationem restitutionis satis sit intendere aliquam actionem iniustam et eam exsequi; nam respondent dd. citati, quod ad onus restitutionis, ratione damnificationis, non sufficiat sola actio materialiter iniusta, sed insuper requiratur actio formaliter, seu voluntarie iniuriosa in alterum qui laeditur. Haec autem

actio iniuriosa voluntaria deest in casu nostro, cum accidat actio praeter intentionem, quae non est alicui formaliter iniuriosa: si enim intendam tantum laedere Titium, et quemcumque alium excludam, tunc neminem voluntarie offendo; non Titium, quia de facto is non laeditur; non alterum, quia respectu istius mea actio est prorsus involuntaria, et ideo error est circa substantiam ». Ita S. Alph. 629. Mox vero discrimen ostendens S. D. damnificationis et furti, subdit: « In furto enim non attenditur, cui voluerit facere iniuriam, sed an vere voluerit rem accipere invito domino, cum in hoc videatur differre obligatio restitutionis ob damnificationem, a restitutione ob furtum: nam in damnificatione principaliter intenditur iniuria in personam domini, et accessorie illius damnum; in furto autem principaliter intenditur lucrum iniustum, et accessorie iniuria domini; et ideo error domini, in casu furti, videtur esse circa qualitatem, in casu vero damnificationis circa substantiam ». Cf. L. 628.

1371. *Ad quid teneatur damnificator in bonis animi?* — Quicumque *fraude*, mendacio, vi, metu, vel alio *medio iniusto*, vel *ex officio obligatus*, nititur sua actione alicui *inferre damnum* spirituale sive ordinis naturalis, eum, e. g., privando memoria, ratione, etc. per venenum, philtrum, etc., sive ordinis supernaturalis, eum, e. g., inducendo in peccatum, in errorem contra fidem, etc.; vel nititur eum *privare aliquo bono* sive naturalis sive supernaturalis ordinis, e. g., ne scientiam vel artem addiscat, ne ingrediatur in religionem, etc., tenetur *ex iustitia* amovere *medium* illud *iniustum*. Reparare praeterea debet *damna*, quae ex medio illo iniusto eveniant, dummodo damna ista in eodem ordine reparari possint. Utriusque ratio est, quia quilibet ius habet, ne *iniuste* damnum ipsi inferatur, aut a consecutione boni impediatur. L. 660.-662., S. Th. Quodl. 5. a. 25., C. A. 1299. 1300.

Si quis autem *ex officio non obligatus*, et *absque fraude*, mendacio, vi, metu, vel alio *medio iniusto*, causa sit alteri sua actione alicuius *damni* spiritualis, sive supernaturalis sive naturalis, vel *privationis* alicuius *boni*, tenetur *ex caritate* impedire, si possit, cum maiori vel minori suo incommodo pro maiori vel minori damni alieni periculo, maiori vel minori bono quo alter privatur, ne actio sua proximo noceat. Si id enim non praestat, iam eius actio, causa damni alieni, quae ab initio erat forsan prorsus inculpabilis, dum advertit nunc ad damnum subsequens, culpabilis omnino evadit. Et si ab initio culpabilis fuit, in culpa perseverare non debet. Ad nullam tamen *ex iustitia* tenetur damnorum reparationem; e. g., si quis malo exemplo tantum vel prava suasione, sine vi et fraude, alium induceret ad peccatum; vel si quis gratuito, sine ulla pacti vel officii obligatione, ac seclusis fraude et dolo, male alium doceret ex mera negligentia vel ignorantia. — L. 660.

1372. *Ad quid teneatur damnificator ob iniustum homicidium?* — Homicidae vel mutilatores nihil probabilius restituere debent praecise *pro vita, membro*, etc., quia haec non sunt pretio aestimabilia. Tenentur vero ad compensanda omnia alia damna temporalia, quorum homicidium *causa efficax* fuit. L. 626., C. A. 1325. seqq. 1329.

1373. *Resolves:* Homicida vel mutilator tenetur compensare damna, quae *ipsi personae laesae* inferuntur ante ipsius obitum, cuiusmodi sunt

expensae in morbo curando factae, et si quid per id temporis et eam ob causam perdidit ex operae intermissione, ex omissa negotiatione, ex impedito lucro, etc. quae, nisi ab ipso laeso condonentur, solvenda erunt in eius defectu haeredibus, quicumque illi sint, ad quos *iura realia* occisi transeunt. L. 630. 631., G. 725., C. A. 1325. 1326. 1337.

Compensare debet damna *necessario* obvenientia uxori, filiis, aut parentibus occisi. Etenim iniustus homicida illis etiam tenetur restituere, quibus *ex sua iniusta actione* damnum *per se* intulit. Atqui illis, quos occisus alere *debuisset* et *potuisset*, attenta aetate, valetudine, etc., *ex sua iniusta actione per se* damnum intulit. Ergo. *Horum* autem *ius laesum*, cum ius non sit ipsius occisi, hic illud occisori remittere non potest. Ex ipsa vero ratione adducta patet quantitas compensationis faciendae ab occisore erga tales personas. Tantum nempe, per se loquendo, restituere tenetur quantum occisus tenebatur et poterat praestare pro eorum necessaria sustentatione, et suo statui debita, iuxta tamen *spem* istius sustentationis. Lugo D. 11. n. 81. 82. 88., L. 630. 631. 632., C. A. 1327. 1329.

Compensare debet damna quaevis et quorumcumque, quae ex morte occisi *necessario* et *per se* secuntur; talia sunt damna creditorum. L. 633. 634. Neque etiam potest occisus ea condonare, quia disponendi de aliorum iuribus nullam potestatem habet. Verum Sanchez aliique eum obligant in casu tantum, quo laedens creditorum damna *praeviderit.* Quod certum videtur. Cf. L. 613. Alii vero plures et graves thth. asserunt non teneri homicidam ad restituendum creditoribus occisi, etiamsi homicida *praeviderit*, dummodo non *intenderit* illorum damnum. Verum ista *directa intentio*, sive adsit, sive desit, non immutat naturam illius actionis externe iniustae erga creditores et causae efficacissimae eorum damni. Enimvero, si occisio non est obiective inspecta causa *per se* eorum damnorum, talis certo non fit per extrinsecam hanc *intentionem.* L. 584. 636.

1374. *Nota:* Licet homicida poena capitali plectatur restitutionis obligatio transit ad haeredes. C. A. 1337. Hi enim succedunt et in iura et in debita realia defuncti. Censent tamen plures excusari haeredem a restitutione, si compensatio damnorum non petatur, quia tunc partes praesumuntur condonare. L. 631. 705.

1375. *An ad aliquid teneatur, qui alterum occidit in duello?* — R. Negative probabilius, sive fuerit provocans, sive provocatus. Nam ille ipse, qui occisus est, in duellum consentiens posuit *suo consensu totam causam necessariam* et *sufficientem* eorum damnorum. Excipe, nisi alium induxerit vi aut gravibus minis, sicque quasi coegerit. — L. 638.

1376. *Ad quid teneatur damnificator ob stuprum et fornicationem?* — Duo distinguenda sunt, *simplex iniuria* et *damnum.* — *Iniuria* compensatur *satisfactione;* eaque debetur tum mulieri, quae invita stuprum passa fuerit, tum, regulariter loquendo, eius parentibus; si nempe id patri innotuerit, et filia adhuc in patris familia permaneat, licet amplius non sit sub patria potestate. *Satisfactione*, nempe veniam petendo, honorem exhibendo, humili sui submissione. L. 641.

Pro *damno* mere *naturali*, seu pro laesione integritatis corporalis et amissione virginitatis, nihil, *saltem probabilius*, restituendum est; quia damnum illud pecunia compensari nequit. L. 640.

Etiam pro *damno temporali*, quod ex turpi consortio subsecutum sit, nihil, excepta prolis educatione, restitui debet, quando mulier sollicitationi consentit; neque ipsi mulieri consentienti, quia scienti et volenti non fit iniuria, neque eius parentibus; quia nullum eorum strictum ius violatur. L. 641., C. A. 1328.

Si stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omne damnum ei vel eius parentibus inde obveniens; quia huius damni est causa efficax et iniusta. L. 641., C. A. 1328.

Damnum reparandum est, si nempe mulier ex amissa virginitate, vel amplius nubere non possit, vel non nisi deteriores nuptias inire possit. Damnum autem inde adest, si stuprum reveletur, minime vero si occultum maneat, adeoque tunc restitutio cessat. Si autem mulieris culpa reveletur, licet vim ipsa passa sit, sibi debet imputare damnum. Si vero viri culpa reveletur, is damnum tenetur compensare, licet mulier consenserit, et iam antea fuerit corrupta. Quod si neque viri neque mulieris culpa reveletur, et mulier invita fuerit oppressa, vir periculum in se suscepit damni, et ad restitutionem tenetur. L. 640. 641. 642. 646.

Restitutio in hoc consistit, quod vir mulierem aut dotet, aut in uxorem ducat. *Dotet*, nempe si nullam habeat dotem: aut, si insufficientem habeat, eam augeat, ut mulier aeque bene possit nubere. *Ducat*, si nempe mulier velit, ne iniuriae iniuria addatur, si cogatur. Mulieris autem est eligere vel dotem accipere vel matrimonium inire: nam neque ad dotem accipiendam cogi potest, siquidem illatum damnum aliter non potest ad aequalitatem reparari, nisi inito matrimonio. Attamen, quia coacta matrimonia malum saepe habent exitum, hinc communiter docent dd. sufficere, si vir mulierem dotet, qua aeque bene nubere possit; et ad matrimonium tantum, aiunt, virum teneri, si mulierem dotare non possit, dummodo id facere possit sine suo longe maiori damno, uti, e. g., si mulier longe inferioris sit conditionis, si ex matrimonio magnum timeatur scandalum. Dos autem soli mulieri, cuius interest nubere, debetur, et deberi incipit ex quo petatur. — L. 641. 642. 644. 648. 649., l. 6. n. 104. 851., Lugo D. 12., n. 8. 9. 11. 12. 14. 16. 17. 18.

Uterque natum filium agnoscere et alere tenetur. Cf. C. H. 135. 136. Si citra infamiam filius agnosci non possit, et mulier vim passa fuerit, vir solus eum alere tenetur, C. A. 1328.: sed, si mulier quaestum suo corpore faciat, ipsa sola filium tenetur alere. In stupratoris autem defectu, mater curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, *quia mater est*. Sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis illa fecit, ipsi compensare tenetur. Si vero mulier in peccatum consenserit, ex Iure Romano mater tenetur alere infantem per tres annos, et postea ei pater providere debet. Ex C. I. et C. G. nihil expresse statuitur. Iurisperiti tamen agnoscunt, parentes aeque et in solidum obligari saltem ad alendos et educandos filios *legaliter* recognitos. Hoc ex C. I. 138., C. G. 203. eruitur. Ex C. A. 139. 141. 143. 166. seqq., C. H. 155., pater principaliter obligatur, et in eius defectu mater. Etsi autem filii non fuerint recogniti, iure tamen naturali eadem obligatio ipsis incumbit. — Carrière 1371., Gousset 1016.

1377. *Ad quid teneatur damnificator ob adulterium?* — Restituendum est quidquid *ex falsa causa* illegitimo filio, quasi *legitimo*, obvenit. Hinc

« restituendum est pro expensis, quas maritus facit in alimentis prolis alienae. Item quod ea de causa ei donat, vel post mortem relinquit, quod quidem aliis filiis vel cohaeredibus reddendum est. Item si mariti consanguinei, putantes filium esse legitimum aliquid eo intuitu ei donant vel relinquunt. Haec enim omnia *ex falsa causa, et dolo iniusto* adulteri faciunt et expendunt ». Lugo D. 13. n. 2. 34. seqq.

Restituere autem debent tum ipse filius adulterinus, tum eius adulteri parentes. Adulterinus filius restituere debet *ex re iniuste accepta*, adeoque restituere debet ea, quae adhuc habet, vel eorum aequivalens in quo ditior factus est. — Parentes restituere debent *ex iniusta damnificatione*, adeoque damnum compensare debent, quod ex adulterino filio pro legitimo habito, per se et quasi necessario sequitur, videlicet impensas a marito, vel ab eius ascendentibus factas in adulterinum filium alendum, sustentandum, educandum; eaque quae adulterinus *ab eis*, non ab aliis consanguineis, accepit, dono, testamento, successione. Lugo D. 13. n. 37. 40., L. 659.

Parentes autem restituere debent, nempe 1.° adultera, nisi haec invita fuerit oppressa, filiis legitimis plus relinquendo, parcius vivendo, rem familiarem diligentius administrando; 2.° adulter, nisi mater facile potuisset, filium subducere. Lugo D. 13., nn. 9. 13., L. 659. Uterque autem in solidum tenetur; si ex utraque parte crimen fuerit voluntarium, quia *totum* utrique imputandum est. Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris extorserit, solus ad totum damnum reparandum tenetur. Lugo D. 13. n. 9., Less. 10. 41.

Restituere vero debet filius, si certum et evidens ipsi sit esse adulterinum. Restituere item eius parentes debent, si certum et evidens sit eum fuisse ex adulterio conceptum. Lugo D. 13. n. 17.

Restitutio facienda est iis, qui impenderint, dederint, eisque defunctis, eorum haeredibus; restitutio item facienda est legitimis filiis, adulterini filii *causa* laesis, si filius illegitimus simul cum legitimis haereditatem acceperit. L. 659.

Praedictae restitutionis iuste excusans causa est, si fieri nequit sine gravi periculo et damno vitae, libertatis, famae. Lugo D. 13. n. 58., L. 653.

Si crimen marito innotuerit, debebunt personalem *iniuriam* compensare per veniae petitionem, per signa doloris, per alia huiusmodi. — Ithur. Cas. 6.

1378. *Quid in dubio, an proles sit mariti aut adulteri, vel ex tali adultero potius, quam ex tali alio?* — R. ad 1.um probabilius, ad nihil tenentur adulteri, quia de damno non constat. L. 657., Lugo D. 13. n. 17. et alii multi contra alios, qui dicunt pro rata restituendum esse.

Ad 2.um Prima sententia tenet, utrumque adulterum teneri ad restitutionem pro rata. Ratio est, quia certum est damnum, et constat illud ab alterutro peractum esse; singuli autem sunt causa efficax et iniusta incertitudinis, quae impedit, ne compensatio ab uno determinate exigi possit. La-Croix, n. 337., Lugo n. 19., Roncaglia c. 2. q. 3. Secunda sententia negat, quia onus certum imponi non potest, ubi dubia est obligatio. Excipe nihilominus, si adulter secundus advertisset, saltem implicite, quod suo peccato foret causa incertitudinis. Item si adulteri ex communi consilio adulterium patraverint. L. 658. — Elbel de Actib. human. 161. seqq., Cf. 1369.

1379. *An mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damnum reparare nequeat?* — R. Negative, generatim loquendo. Ratio est 1.°, quia communiter haec revelatio fieri nequit sine magna mulieris infamia, et saepe sine periculo mortis, vel odii perpetui aut aliorum gravium malorum. 2.° Quia, etiam tali medio adhibito, difficile damnum reparare posset, praesertim cum filius matri fidem adhibere non teneatur. Cf. 1380. Excipiunt communiter, si mater sit perditae famae, etc. L. 653.

1380. *An filius teneatur credere matri etiam iuranti, illum illegitimum esse?* — R. Negative, quia ex iure et sensu communi nemo tenetur credere uni testi, etiam probatissimae fidei. Secus tamen, si praeter testimonium matris accederent indicia evidentia, v. g., absentia patris a longo tempore. L. 654.

1381. *An, si adulteri vel fornicatores essent opulenti, et mitterent prolem ad nosocomium, tenerentur ad impensas resarciendas?* — Controvertitur. Prima sententia affirmat. Ratio est, quia nosocomia sunt instituta in gratiam infantium, non vero parentum; nec praesumendi sunt eorum fundatores voluisse divites a solvendis expensis eximere. Lugo D. 13. n. 3., Bouvier de Restit. p. 2. art. 2., Carrière n. 1373., Rousselot opusc. de Sexto Praec. — Secunda sententia negat, quia ista nosocomia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus, qui a parentibus abiiciuntur, sive ad genitores divites, sive ad pauperes pertineant. Neque obstat, quod subsidia a Gubernio vel a Municipio pro istis parvulis praebeantur, quia haec pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Insuper huiusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a periculo mortis tum aeternae, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis susciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiae metus adegit sive ad abortum prolis suae procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrerent. S. Lig. 656., qui hanc sententiam putat probabiliorem.

1382. *Ad quid teneantur milites ob damnum occasione militiae illatum?* — Ad nihil tenentur milites *ratione damni in actione communi*, nisi ipsis de iniustitia belli constet, quia non sunt damnificatores *formaliter* iniusti. — Milites autem in bello *evidenter iniusto* tenentur de damnis omnibus, quae *per actionem privatam* intulerunt; et tenentur singuli pro rata *de damnis a toto exercitu illatis*, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint. — Duces autem seu principes tenentur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato, quia sunt vere mandantes; vel, si damnum non imperarunt, illud ex officio impedire tenebantur.

1383. *An singuli milites teneantur in solidum de toto damno ab exercitu illato, aliorum defectu?* — R. Negative probabilius; quia totius damni singuli causa non sunt, sed partis tantum. Ceterum in praxi ex impotentia absoluta forent excusandi.

1384. *Ad quid teneantur milites conscripti desertores?* — Tenentur ad castra redire ex obedientia seu ex iustitia legali. Excipe: 1.° Si nimium salutis periculum offenderent, v. g., si media confitendi non suppeterent, etc. 2.° Si redeuntes morte, triremibus, aliisve gravissimis poenis plectendi

forent. 3.° Si bellum sit evidenter iniustum. — Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, quandocumque lex alios ipsorum loco non requirit; quia nullo modo iustitiam commutativam laedunt, cum nulli alteri damnum inferant.

1385. *Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis et deinde militiam deseruerunt?* — Per se tenentur restituere pretium acceptum illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio ad accipiendam pecuniam, quae non nisi propter militiae onus erogatur. Attamen hoc videtur valere tantum, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponatur.

1386. *Ad quid teneantur nondum inscripti militiae, qui ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?* — Qui magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, certo ad restitutionem tenentur. Sunt enim cooperatores tanquam mandantes, vel consulentes, vel alio quocumque modo, *iniustitiae:* magistratus enim et medici ex quasi contractu obligantur. — Item, qui mendaciis, fraudibus, aut praevia mutilatione magistratus decipiunt, iuxta sententiam communiorem, obligantur ad restitutionem. Ratio est, quia alii iuvenes exempti *ius strictum* habent, ne talia media cum ipsorum detrimento adhibeantur; et requisiti sorte citra *strictam iniuriam* declinare nequeunt onus militiae, legitime ipsis impositum; cum lex seu sortes lege stabilitae *ius strictum* constituant, alios requirendo, alios vero a militia eximendo. Bouvier de Restitutione quaest. 2. art. 2., Gousset n. 1002., Collat. Andeg., etc. — Qui ad militiam effugiendam in aliam patriam se conferret, ut ibi vitam degeret, nullo modo peccaret, quia lege patriae suae absens non adstringeretur, cum lex extra territorium suum extendi nequeat. At qui iam ad militiam designati ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent, si nemo eorum loco ex lege requirendus sit, peccant contra iustitiam legalem, ad nullam tamen restitutionem tenentur. — Cf. 234.

XXV. — DE RESTITUTIONE EX CONTRACTU

1387. *An habeatur restitutionis obligatio ex contractu?* — *Restitutio*, damni dati redintegratio est. Damnum autem *ab ademptione* dictum est. Quare restitutio proprie supponit aliquid ademptum et quasi diminutum ex rebus nostris. Hinc quae quis praecise vi contractus vel quasi-contractus alteri debet, e. g., vi venditionis, emptionis, mutui, commodati, etc. non *restituit*, sed *reddit*, quasi *retro dat*. — Nihilominus ut vera *ex natura*, et *ex lege* competit restitutio, ita etiam ea *ex pacto* competere potest. Et sic, si commodatarius dolo malo fregit vasa sibi commodata, naturali iure ad restitutionem tenetur. Si culpa civili ea non custodivit et amisit, civili iure ad restitutionem tenetur. Si fortuitum casum in se suscepit, ad restitutionem etiam tenetur non ex iure naturali seu civili, sed ex pacto. Itemque ad restitutionem et damnorum compensationem ex pacto quis tenetur, *eo non impleto;* vel si *in mora* constituatur; eademque exsurgit obligatio restitutionis ex quasi-contractu. « Sicut principes, qui tenentur custodire iustitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur; quia redditus, quos habent, sunt

quasi stipendia ad hoc instituta, ut iustitiam conservent in terra ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. — C. I. 1218. seqq., C. A. 919. 1295., Inst. l. 3. t. 14.

1388. *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienae, quae detinebatur ex contractu aliquo,* v. g., commodati, depositi, locationis, etc., vel sufficiat culpa *iuridica?* — Duplex adest hac in re *probabilis* sententia; altera affirmans, altera negans, de qua iam diximus n. 1072.

1389. *An etiam requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo, seu in quasi-contractu servando,* v. g., si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum aegroto praebuerit? — R. Affirmative probabilius. Ratio est 1.°, quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere iuridicam in officio, seu in quasi-contractu, sive ex iure naturali, sive ex lege positiva, sive ex partium conventione. 2.° Quia talis obligatio esset nociva bono publico: inde enim fieret, uti viri probi et timorati a suscipiendis aliorum negotiis, nec non ab officiis publicis arcerentur. — Excipe tamen: 1.° Si quis suscipiens aliquod officium expresse promittit, se adhibiturum talem diligentiam: nam sic obligatur ex speciali pacto, praesertim, si propterea maius stipendium accipiat. 2.° Quando talem diligentiam promisit tacite, e. g., iactando se meliorem et doctiorem aliis, sicque impediendo, ne alter quaereret doctiorem, vel diligentiorem: nam sic alterum decepit, et consequenter tenetur ad damnum ex sua ignorantia, aut negligentia secutum, etsi haec in se non fuerit theologice graviter culpabilis. — Cf. 1072., Ithur. Cas. 27. n. 20., C. A. 1299. 1300. 1306., Inst. l. 4. t. 3. § 6. 7.

1390. *Quid ratione morae debeatur?* — Si obligatio sit in certa *pecuniae* summa tradenda, quae tradita non fuit tempore suo, solvi debet a die qua debitor est *in mora* legale interesse, quin teneatur creditor probare damna, quae passus est, C. I. 1231., C. A. 1333. Immo a die iudicialis petitionis vel specialis conventionis initae, post elapsum restitutionis tempus, debentur usurae usurarum, C. I. 1232. Cf. 1105. 1106., C. A. 1335.

Si materia contractus non sit pecunia, sed *alia res,* et debitor *in mora* sit rem tradendi, res eius manet periculo, licet ante moram periculo esset creditoris, C. I. 1219. Si damnorum compensatio sit a conventione determinata ipsi standum est, C. I. 1230. Secus compensanda sunt, dolo non interveniente, tantum damna quae praevisa sunt, aut potuerunt praevideri tempore contractus, C. I. 1228. Dolo vero interveniente, compensanda sunt omnia damna, quae directe et immediate proveniunt ex non peracto obligationis implemento, C. I. 1229. — C. A. 912. 913. 1324. 1333., L. 704.

XXVI. — DE RESTITUTIONE EX LEGE VEL EX IUDICIS SENTENTIA

1391. *An habeatur restitutionis obligatio ex iudicis sententia?* — *Nullum dubium est obligationem adesse restituendi ex iuridica iudicis sententia.* Id constat 1.° ex comm. thth. sententia; 2.° quia civilis etiam potestas, dum legitime praecipit, vim habet obligandi in conscientia. Atqui legitime praecipit civilis magistratus, sive iuxta legem mulctam solvendam

imponat, sive etiam iuxta eamdem legem lites proprietatem respicientes dirimat. Ergo. Quod autem hae leges iustae sint patet iterum 1.° ex comm. thth. auctoritate; 2.° ex eo quod apud omnes civiles nationes istae leges viguerint et vigent; 3.° quia hae leges maxime necessariae sunt ad rectum regimen civilis societatis eiusque commune bonum, unde civilis auctoritas nullo pacto carere potest morali facultate tales leges ferendi. — L. 631. 641. 711. 927., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 3., q. 66. a. 5. ad 1.

1392. *An habeatur restitutionis obligatio ex lege?* — *Nullum etiam dubium est, ut ex modo dictis constat, obligationem adesse restituendi immediate ex ipsa lege, nulla etiam iuridica iudicis sententia intercedente.* Talem restitutionis faciendae effectum *consequenter* producit lex civilis in duplici tantum casu: 1.° Cum *ipso facto* transfert dominium, ut sunt leges praescriptionis. 2.° Cum iterum *ipso facto* impedit dominii translationem, ut sunt leges contractus *ipso facto* irritantes; et *pretium legale* mercium decernentes. Quare ad mulctam vel ad restitutionem nullo pacto quis tenetur ante iudicis sententiam condemnatoriam vel saltem declaratoriam, si lex sit *poenalis*, vel mere *prohibitiva*, sed non irritans, vel etiam *irritans*, sed *iure* dumtaxat, non *ipso facto.*

1393. *An in reliquis legibus, stante iuridica culpa, ad restitutionem quis teneatur ante sententiam iudicis, et post eam possit se compensare?* — Loquitur S. Alph. 554. de culpa iuridica, an ea sola, sine culpa theologica sufficiat ad restitutionem imponendam, et ait: « Illae leges, quae in aliquibus casibus omnino praecipiunt restitutionem, istae quidem obligant, etiamsi absit peccatum, sed non ante sententiam iudicis ». — Damnatus autem a iudice « ad reparandum damnum ob iuridicam culpam, minime pro tali sibi reparatione compensare potest, quia iudicis sententia pro foro etiam interno patienti damnum adsistit ». Ithur. Cas. 27. n. 4. — Licet ergo dominus non teneatur reparare damna per sua animalia illata proximo sine sua theologica culpa, ante sententiam iudicis, tenetur tamen post sententiam, neque se deinde occulte compensare potest. — Hinc etiam « etsi praecise pro vita, membro, occisione non sit obligatio restituendi; per sententiam tamen iudicis cogitur iniurians satisfacere pro iniuria ». L. 631. — C. A. 1320. seqq., C. I. 1154. 1155., C. H. 1905. seqq., Inst. l. 4. t. 3. 5.

1394. « *An qui fraudibus seu mendaciis, aut falsis testibus impedit, ne fisco applicentur bona, quae ob crimen, v. g., non soluti vectigalis, vel aliud essent fisco addicta, teneatur ad restitutionem?* — R. Cum Less.... ac aliis communissime, quod post sententiam certo tenetur; secus vero ante sententiam, quia ante sententiam nullum ius acquisivit fiscus ad poenam, quae non nisi post sententiam debetur; vel quia sic saltem accipitur communiter hoc fisci ius ad poenas ». L. 583. Cf. 1367.

XXVII. — DE RESTITUTIONE EX INIUSTA COOPERATIONE

1395. *An ex iniusta cooperatione restitutio debeatur; et quotuplex ea sit?* — *Restitutio facienda est ex iniusta cooperatione.* Cooperator enim ad iniustum proximi damnum, vere huius causa est. Hinc tenentur ad restitutionem omnes illi, qui quoquo modo sunt causa influens et efficax

damni secuti; ac qui ex officio et obligatione iustitiae obligati cavere damnum, non caverunt. — Cooperatio autem ad damnum proximi novem modis fieri potest, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores negativi. Omnes sequentibus versibus continentur: *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans.* S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7.

1396. *Quid de iubente?* — *Iubens* seu *mandans* hic dicitur, qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo nomine alteri inferat. — Iubens tenetur ad reparandum omne damnum imperatum, et ex vi mandati illatum; secus autem, si damnum nomine suo factum solum approbet. Ratio est, quia in priori casu, efficaciter in damnum influit. Quoad autem posteriorem casum, mera facti approbatio nihil pertinet ad rationem mandati, atque adeo qui mere iam factum approbat, mandans dici neque debet, neque potest. L. 558., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7., E. M.

1397. *An teneatur ad restitutionem mandans, si mandatum revocaverit, antequam damnum fuerit illatum?* — R. Negative, si revocatio innotescat mandatario ante exsecutionem mandati; secus autem, si nullatenus aut tardius innotescat: quia in priori casu non influit in damnum, bene vero in posteriori. L. 558.

1398. *An mandans teneatur de damnis, quae mandatario in mandati exsecutione obveniunt?* — Affirmat La-Croix cum aliis, quia mandans, damnum iubendo, censetur suscipere in se obligationem mandatarium idemnem servandi. At videtur id coarctandum ad casum, in quo mandans per fraudem, dolum, vim, aut metum, alium coegit. Secus enim mandatarius videtur sponte in se suscepisse totum onus et illius consectaria; et nisi pactum de indemnitate praecesserit, mandans tantum ex quadam aequitate tenebitur.

1399. *An mandans teneatur reparare damnum, quod exsecutor ex errore invincibili alteri intulit?* — R. Negative, quia vera damni causa est error mandatarii. Excipiendum tamen, si forte nimis difficile fuerit errorem cavere. Licet enim omnes consentiant, mandantem non teneri de damnis, quae mandatarius intulerit ultra mandatum; at id limitant, si in potestate fuit mandatarii fines mandati servare. Ergo, et in casu si moraliter non erat possibile errorem cavere, error mandanti imputari debet.

1400. *An superior, ratum habens damnum, mandanti comparandus sit?* — R. Negative, si ratihabitio exsecutionem damni subsequatur, quia tunc in damnum influere nequit. Secus vero, si damnum praecedat, seu propositum damni inferendi respiciat, et in illud vere influat. L. 558.

1401. *Quid de consulente?* — Consulens peccat contra iustitiam, quoties sciens et volens praebet iniquum consilium, quo alter efficaciter inducatur ad damnum iniuste inferendum; quia damnum est et ipsi imputabile. Constat etiam ex pr. 39.ª d. ab. Innoc. XI. Hinc consulens, qui bona fide dedit damnosum consilium, cognita veritate tenetur illud retractare, et quidem ex iustitia. Consulens vero non tenetur ad restitutionem, si exsecutor de se erat iam determinatus ad damnificationem, ita ut etiam absque illo consilio damnum fuisset illaturus; quia tunc consilium non efficaciter in damnum influxit. Secus autem, si exsecutor etiam a consilio illo fuerit

efficaciter motus, quia tunc vere est efficax *concausa* damni. — L. 561. 562., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4., a. 7., C. A. 1300. 1315., E. M.

1402. *An teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante exsecutionem damni?* — R. Negative, si consilium fuerit *nudum* id est simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii. — Si consilium fuerit *vestitum*, seu motivis innixum, controvertitur. Probabiliter etiam negative, modo adhibita fuerint in retractatione alia motiva, saltem aeque efficacia. Ita Azor, etc. contra alios, quorum sententiam probabiliorem dicit S. Lig. Excipe, si furi ad damnum inferendum determinato ostenderis modum ingrediendi domum, quem secus non invenisset, aut quid simile; quia cooperatio tua tunc fuit vere efficax, praesertim si praevideris, furem pravum suum propositum non esse mutaturum; nisi tamen monueris eum, cui damnum imminet, ad quod in casu teneris, ut censent doctores apud S. Alph. 559., si absque aequali vel maiori damno possis damnificandum monere de damno imminente. — L. 564.

1403. *An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad maius avertendum?* — R. Negative, si agatur de eadem persona, quia consilium ipsi favet, nedum noceat; secus autem iuxta multos, si agatur de alia, de qua damnificator non cogitabat, quia haec rationabiliter invita merito censetur. L. 565. 577. Contrarium tamen tenent alii, ratione ducti, quod hoc non sit ad minus malum inducere, sed a maiori removere. Vasquez Op. de Scand. art. 1. dub. 2. n. 14., Turrianus de Fide, Spe etc. Disp. 95. dub. 6.

1404. *Quid si alter iam sit determinatus ad damnum, v. g., ad occidendum, et tu suadeas tantum modum, nempe, ut occidat veneno non gladio; in illo non in alio loco, vel tempore?* — « Adest duplex sententia probabilis. Prima dicit te teneri ad restitutionem, quia suadendo modum concurris ad substantiam damni; suadendo vero, ut damnum citius inferatur, totius es causa damni, cum alter per illud tempus potuisset animum mutare... Secunda sententia absolute excusat a restitutione, modo certum sit, alterum suum pravum animum non mutaturum... Ratio, quia consulens tunc non est causa efficax mali quoad substantiam damni; et haec est mihi probabilior... Et sic pariter probabilissime excusant a restitutione eum, qui materialiter cooperatur ad damnum domini, quando scilicet alter sine sua cooperatione adhuc certe damnum intulisset, v. g., si quis teneat scalam ei, qui etiam ascenderet sine suo auxilio ». L. 563. 576.

1405. *An teneatur ad restitutionem suadens damnum ex ignorantia, sed cum culpa gravi?* — Si consilium dat ex suo statu seu officio, v. g., advocati aut confessarii, tenetur; quia tunc vere causa iniusta et efficax damni est. — Si talis persona non sit, non tenetur erga *petentem* consilium, nisi adsit *dolus*, seu magnam affectet peritiam, quam non habet; iste enim sibi imputare debet si decipiatur, cum consilium petat ab homine rudi; tenetur vero erga *tertiam personam*, si damnum ei secuturum praevideat; alium enim inducens in errorem nocivum ipsi causa iniusta et efficax damni est. — Dans vero inculpabiliter consilium alteri nocivum, tenetur ex iustitia facere quantum potest, sine magno tamen incommodo, ne damnum accidat. L. 564.

1406. *An consulens scienter malum alteri teneatur etiam de damnis, quae hic passus est exsequendo pravum consilium?* — R. Negative, per se.

Ratio est, quia ipsi nullam intulit iniuriam, cum nulla iniuria scienti et volenti fiat. Secus tamen, si consulens adeo exsecutorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

1407. *An consulens primario vel secundario tantum ad restitutionem teneatur?* — *Per se, secundario* tantum tenetur, quia exsecutor est *principaliter agens,* utpote qui nomine proprio et in propriam utilitatem, per se loquendo, agere censetur. L. 560.

1408. *Quid de consentiente?* — Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter ac libere emittit suffragium vel sententiam, ex quibus directe pendet violatio iuris alterius, id est, quoties dat *consensum efficacem* in damnum seu iniuriam proximi. *Consensum efficacem;* quia si consensus efficaciter in iniuriam non influeret, non teneretur ad restitutionem, cum affective quidem, sed non effective in nocumentum consentiret: itemque si, seclusa fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum ius haberet, suffragio suo impediret. — Non tenetur de damno, qui sententiam aut suffragium prius datum authentice revocat, antequam consummetur nequitia; neque suffragans bona fide, quamvis detecto errore teneatur ex caritate, immo ex iustitia, votum suum revocare, si per tempus id ipsi liceat. — L. 566., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7.

1409. *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat iniustum suffragium, si non desint alia suffragia, iam ad damnum sufficientia?* — Certum est, consentientes omnes aeque ad restitutionem teneri, *si de condicto suffragia dederint;* cum, inita conspiratione, omnium sit unica actio moralis. — Certum est etiam, omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, *quando eodem tempore suffragium tulerunt;* quia cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur. — Certum quoque est, non excusandos esse a restitutione eos, qui *primi* dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi praevideant non defuturos alios, qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen partialiter de facto infertur. — Utrum vero, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, possint excusari a restituendi obligatione *ultimi* suffragantes, quando iam votorum numerus ad negotii definitionem requisitus expletus est, controvertitur. Plures graves theologi affirmant, quia eiusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum iam illud sufficienter ab aliis praeparatum ac determinatum fuerit. Negant alii, quia cum nunquam perfecta censeatur sententia, nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam iniustam influunt. — Lugo D. 19. n. 17. 22., L. 566. 574.

1410. *An obligationem restituendi contrahat ille, qui suffragium non fert, cum ferre possit?* — R. Negative quando ius ferendi suffragii cuipiam concessum est in meram ipsius gratiam seu favorem; quia nullam hic alteri iniuriam infert. — Affirmative, si dandum foret ex officio, et ipsius omissio esset causa efficax damni gravis et iniusti.

1411. *Quid de palpone?* — Palpo dicitur qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnificandum. — Qui induxit alium ad damnum inferendum, proponendo laudem, aut secus ignominiam secu-

turam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, cum nempe agendi motiva de se communiter efficacia proponuntur. Quocirca palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est, ac consulens. — Qui homini iniuria affecto ita repraesentant huius iniuriae magnitudinem, ut ille commotus vindictam sumat, ad restituendum tenentur, modo saltem probabiliter damnum secuturum esse adverterint. — Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus iam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur. — L. 567., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7., E. M.

1412. *Quid de recursu, seu de receptante, vel recursum praebente?* — Receptans, nimirum qui scienter ac libere latroni praebet assecurationem, tenetur de damnis exinde provenientibus. Sic enim furis voluntatem in proposito vel furandi, vel non restituendi, vel iterum furandi, efficaciter ac iniuste determinat, aut firmiorem efficit. — Pariter ad restitutionem tenentur mercatores, et praesertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, servorum, etc., vel ea occultant, aut etiam sibi vindicare in pretium mercium, compotationum etc. solent. — Inter receptantes computandi non sunt illi, qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi, qui eos sub spe emendationis occultant, vel iis ostendunt viam, qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quaeruntur. — L. 568., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7., C. A. 1314.

1413. *Quid de participante?* — Participans duplex est: alius in praeda, alius in actione damnosa. — Participans in praeda tenetur ad restitutionem partis, quam accepit et apud se detinet; patet ex superius dictis de possessore malae fidei. — Participans in actione damnosa, seu concurrens cum alio, sive immediate, sive mediate, ad damnum physice inferendum, tenetur generatim loquendo ad restitutionem, quotiescumque cooperatio illius realiter influxit in substantiam damni. — Quandoque tamen a restitutione excusabitur participans in actione damnosa, praesertim si mediate tantum concurrit, dummodo adsint requisitae conditiones, nempe: 1.° Ut actus non sit intrinsece malus. 2.° Ut eliciatur ex causa relative gravi. 3.° Ut bonus effectus a cooperante intentus immediate oriatur a causa bona vel saltem indifferenti. — Billuart diss. 8. art. 13., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7., L. 571., C. A. 1313.

1414. *An vel quando licita sit immediata cooperatio ad damnum proximi in materia iustitiae?* — Quoad *damnum vitae* nunquam licet immediate cooperari, ne cum vitae quidem periculo; quia nunquam licet occidere directe innocentem. — Quoad *damnum membrorum* nunquam pariter licet, ad mortem quoque vitandam, immediate concurrere ad alterius mutilationem, nisi forsan pro avertenda ipsius morte. — Quoad *damnum in bonis fortunae* tres communiter admittuntur casus, in quibus ex metu gravi licita est cooperatio, propterea quod dominus non censetur rationabiliter invitus, scilicet 1.° si cooperans possit ac velit damnum, quando forte ad id teneatur, reparare; 2.° si damnum grave absque cooperante aequaliter et certo ab agente principali illatum fuisset; 3.° si damnum sit leve respectu domini: tunc enim ex caritate illud aequo animo ferre debet.

Controvertitur autem, an tibi liceat cooperari immediate ad damnum grave proximi ex gravissimo metu, v. g., mortis, si damnum reparare non

possis aut non velis. Negant quidam, quia actus videtur intrinsece malus, cum laedat ius proximi, qui rationabiliter invitus merito supponitur. Et sane persona laesa in hanc cooperationem neque ex iustitia, quae non obligat ad vitam alterius cum tanto gravamine proprio servandam, neque ex caritate, quae etiam cum tanto incommodo non urget, consentire tenetur. — Alii tamen probabiliter affirmant. Etenim constitutus in extrema necessitate subripere id potest, quo mortem declinet, quia tunc omnia bona sunt communia. Cur igitur ille, cui mors intentetur, non poterit cooperari subreptioni bonorum proximi ad propriam vitam e proximo periculo eripiendam? — L. 563. 571., H. A. Tr. 10. n. 56., S. Th. 2. 2. q. 78. a. 4.

1415. *Quid de muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis?* — Cooperatores negativi ii sunt, qui non impediunt damnum proximi, cum ex accepto stipendio, ex pacto, ex officio illud impedire teneantur. Dicuntur vulgo *mutus, non obstans, non manifestans. Mutus* ille est, qui non loquitur, non clamat, non praemonet damnificandum, dum ad id ex officio vel contractu tenetur. *Non obstans* dicitur, qui dum infertur damnum, non obstat, rem non custodit, licet id ex iustitia praestare debeat. *Non manifestans* vocatur, qui post damnum illatum, damnificatorem domino laeso, vel superiori non denuntiat, licet ex officio atque adeo ex iustitia denuntiare debeat. Ceterum eadem principia, eademque applicationes morales omnibus hisce conveniunt. — Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi ex iustitia illud impedire teneatur; qui enim non adigitur ad damnum ex iustitia impediendum, ex sola caritate obligatur, cuius violatio ad restitutionem non obligat. — Omnes, qui obligantur ex contractu, vel ex officio impedire damnum alterius, si id culpabiliter negligant, ad restituendum tenentur; ex iustitia enim damnum impedire debent. Ergo, si omittant, contra iustitiam peccant, et proinde ad damna resarcienda obligantur. — Ut negative cooperans ad restitutionem teneatur, necesse est, ut damnum sine gravi incommodo impedire potuerit; quia nec contractus, nec lex positiva cum gravi onere, saltem ut plurimum, obligare solent. — L. 573., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7.

1416. *An confessarius teneatur ad restitutionem, si poenitentem de restitutione facienda ex gravi negligentia vel ignorantia monere omiserit?* — R. Negative probabilius. Etenim licet ex officio confessarius teneatur bene instruere poenitentem, ideoque peccet graviter, si id omittat, quando necessarium est: non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium. Excipe, si confessarii silentium positivae approbationi aequivaleat, v. g., si interrogatus responsum ita declinet, ut absentia obligationis poenitenti suadeatur. L. 578.

1417. *An consiliarius teneatur ad restitutionem, si per omissionem suffragii iniustae sententiae non obstiterit?* — R. Affirmative, si suffragium ferre debeat ex officio, quia officium ex iustitia adimplendum est, saltem communiter loquendo, et seclusa iusta causa, ac nisi quis suo suffragio nihil se impetraturum videat. Negative autem, si ius suffragii habeat ex privilegio, seu ex mero favore; tunc enim potest absque iniustitia suffragium omittere. Lugo D. 19. n. 61. seq., L. 574.

1418. *An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure, ut taceat, si ex officio clamare non debeat?* — R. Negative probabilius, sal-

tem, *per se*. Ratio est, quia tacere posset ob preces furis absque iniustitia, siquidem clamare ex iustitia non tenetur. Ergo a pari ob munera promissa vel tradita tacere potest absque iniustitia. Secus autem dicendum esset, si pecuniam acciperet, ut observet, num quis adveniat; quia tunc furto positive cooperaretur. L. 571.

1419. *An custodes non denuntiantes damnificatores teneantur compensare omnia damna et etiam solvere mulctam?* — R. ad 1.um Affirmative, *per se*, quia ad damna impedienda constituuntur; excipe, si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus, ex consuetudine et praesumpta domini voluntate, sufficit secreta admonitio.

Ad 2.um Negative probabilius ob praxim contrariam, cui communis sensus concordat. Idem dicendum de iudice non procurante damni compensationem, vel mulctam punitoriam non exigente. Attamen, si apud iudicem facta fuerit damnificatoris denuntiatio, ille ad puniendum, et ad damni reparationem tenetur. L. H. A. Tr. 13. n. 73.

XXVIII. — CUI SIT RESTITUENDUM

1420. *Cuinam fieri debeat restitutio?* — *Restituendum est domino certo et noto*, quoties absque gravi difficultate et alterius iniuria fieri potest, nec alia adest causa a restitutione excusans. L. 599., H. A. 64. Per restitutionem enim omnia redeunt in pristinum statum. — Hinc qui subduxit rem apud alium depositam, vel locatam aut commodatam, non domino, sed ipsi possessori restituere debet. Possessor enim sine iniuria privari nequit iure custodiae, usus, vel possessionis, nisi ipse consentiat. L. 596. 599., H. A. ib., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5., C. I. 1241., C. G. 1239., C. A. 1424.

Ex C. I. 1243., C. G. 1241., C. H. 1163., C. A. 1424. *valida non est* solutio facta creditori, si hic *incapax* erat, nisi probetur solutum in eius utilitatem cessisse. — E contra ex C. I. 1242., C. G. 1240., C. H. 1164. solutio bona fide facta illi, qui crediti titulum possidet, valida est, etsi postea possessor crediti evictionem patiatur, nam possessor pro legitimo domino habetur.

1421. *Cuinam sit restituendum cum incertum est, cuinam res debita sit?* — « Quando bona restituenda, sive debita quaecumque sunt incerta, h. e. eum cui debeantur ignoras, aut adire non potes, aut illi restituere; tunc si ea habes *sine delicto*, ut si invenisti, vel a mercatore, v. g., per errorem accepisti duas ulnas panni pro una, et iam is discessit, nec scis quo abierit, teneris adhibere aliquam diligentiam inquirendi, post quam si spes non sit sciendi dominum, probabile est, quod non tenearis ea dare pauperibus... sed possis tibi retinere ». L. 589.

Si *mala fide* res fuerit accepta, et dominus rei sit ignotus tantum inter paucos, e. g., tres vel quatuor, « tunc nequit restitutio fieri pauperibus, sed res dividenda est inter eos, quos inter defraudatus exsistit ». Si vero dominus ignotus sit inter multos, e. g., inter loci habitatores, « tunc restitutio fieri debet pauperibus, ut habetur C. *Cum tu de Usuris*... Sufficit autem quod fiat pauperibus cuiuscumque loci. Sufficit etiam, quod fiat locis piis, ut communiter docent... Si autem plures et varii domini incerti ali-

cuius communitatis damno affecti fuerint, tunc omnino restitutio facienda est pauperibus eiusdem communitatis laesae ». L. 590. 595. 596., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3.

« Notandum, quod super his debitis incertis bene potest fieri *compositio* per B. Cruciatae... Potest etiam haec compositio fieri per S. Poenitentiariam... Compositio haec solet etiam concedi pro fructibus ecclesiasticis male perceptis ». L. 591. 593., Lugo D. 21. n. 111.

« Si casu, quo teneris rem restituere pauperibus, tibi ipsi revera indigenti eam des, et tunc quidem postea factus ditior, adhuc non teneris restituere ». L. 696., Lugo D. 20. n. 8.

1422. *Resolves:* Si quis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram aut pretium minuendo erga ementes ordinarios, qui damnificati praesumuntur, si facile fieri possit; secus restitutio pauperibus facienda est.

1423. *An quando creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel eius creditoribus restituere debeas?* — Generatim loquendo, creditori tuo restituere non debes, sed creditoribus eius debitum tuum est a te manifestandum. Ratio est, quia licet creditores cedentis bona dominium directum in illius bona non habeant, iure tamen stricto gaudent, ut ex illis bonis indemnes serventur. Attamen quandoque posses tuo creditori restituere, v. g., si debitum sit exiguum, si probus sit, et credas illum esse creditoribus restituturum; item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia, ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea, quae ad vivendum omnino necessaria sunt. — L. 699., Gousset 772.

XXIX. — QUANTUM SIT RESTITUENDUM

1424. *Quaenam sit quantitas restituenda? — Tantum est restituendum quantum alter laesus fuerit.* Ratio est, quia vi iustitiae commutativae aequalitas servanda est, eaque laesa reparanda est. Neque vero reparatur, nisi adaequatio fiat inter ablatum et redditum. Hinc, si quis damnificatur, quia aufertur ei id quod actu habebat, tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem aequalis. Si vero damnificatur aliquis impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi, tale damnum non oportet recompensare ex aequo, quia minus est habere aliquid virtute, quam habere actu; sed recompensatio facienda est secundum conditionem personarum et negotiorum. L. 614., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. 3. 4. 5., C. A. 1323. 1411. 1412.

1425. *Quid sit solidaritas? — Solidaritas seu obligatio restituendi in solidum* est onus incumbens singulis cooperatoribus *totum* damnum illatum reparandi. Ratio enim restituendi, seu reparandi damnum, est, quia quis fuit causa damni. Ille ergo qui tantum *partialiter* fuit causa damni non nisi ad restitutionem seu reparationem damni *partialem* tenetur, qua nempe parte causa ipse fuit damni. Ille vero, qui *totius damni causa* fuit, totum damnum reparare debet. Ut quis ergo obligetur *in solidum*

ad restitutionem seu reparationem damni debuit esse causa efficax *totius* damni. Verum, si solum ipse sit causa efficax totius damni, tenetur utique ad *totum* damnum reparandum *ipse solus,* sed minime *in solidum.* Si vero *simul cum aliis cooperantibus* causa *totius damni* fuit, tunc utique *in solidum* ad totum damnum reparandum tenetur. — C. A. 1301. 1302.

1426. *Quandonam quis sit causa totalis damni? — Causa totalis damni* potest quis esse sive *moraliter,* alios movendo ad damnum inferendum, sive *physice* damnum inferendo et exsequendo. C. A. 1301.

Causa quis *physica totalis* damni est, quando ponit actionem ad totum effectum *necessariam* et *sufficientem,* ut si quis ad alium occidendum in eum explodat; quando ponit actionem *sufficientem, licet non necessariam, actu in totum* effectum *influentem,* ut cum duo *una simul* in alium explodunt eumque occidunt; quando ponit actionem quidem *insufficientem, sed necessariam,* ut si quatuor trabem asportare non possint, quintus accedit, et transportant. Ratio est, quia in his omnibus casibus quis influit sua actione in *totum* damnum.

Causa quis *moralis totius* damni pariter est, quando mandato, consilio, etc. *ad totum* damnum inferendum *necessario et sufficienti influxu* movet; quando simul cum alio, vel cum aliis, moraliter agentibus, concurrit morali influxu *per se sufficienti ad totum effectum,* licet non *necessario, actu* tamen in *totum* effectum *influente,* ut si plures sint *una simul* mandantes, consulentes etc., et quilibet eorum suo mandato, consilio etc. sufficit ad totius effectus exsecutionem, et actu *efficaciter* ad illam exsecutionem movet; quando ad *totum* effectum concurrit influxu *necessario,* licet *non sufficienti,* ut si quis unicum ostendat modum rem exsequendi. Ratio item est, quia in hisce casibus *in totum* effectum moraliter quis influit.

Causa totius damni sive physica sive moralis quis est, in casu *communis conspirationis,* licet *partiali* tantum influxu ad damnum concurrat. Stante enim morali conspiratione et unitate plurium inter se, quisque participat aliorum influxui, et sic *totius* causa evadit.

Causa *totius* damni sive *physica* sive *moralis* quis non est, si non sit *sufficiens* ad *totum* effectum, et *sine ea* effectus *totus* adhuc sequeretur; ut si quinque trabem asportent, et quintus accedat, eos adiuvans, secluso casu conspirationis, siquidem alius accedens influit influxu mere partiali, et cum nulla adsit conspiratio, moraliter aliis non coniungitur. Quaestio vero est, an causa sit *totius* damni, qui influxu *sufficienti* ad totum damnum sed *non necessario* influat in illud, secluso tamen casu quod *una simul* cum aliis influat, v. g., si quis sine ulla cum aliis conspiratione domui alienae ignem apponat, quem iam alii apposuerint, det consilium iam ab aliis datum, etc. Alii probabiliter affirmant, quia cum influxus sit *sufficiens ad totum* damnum, causa tunc est totius damni, siquidem in *totum* influit. Alii probabiliter negant, quia cum influxus ille non sit ad *totum* damnum *necessarius,* et *accedat* alteri influxui, influxus reapse non est, nisi *partialis* in totum damnum, saltem moraliter loquendo, cum sine huiusmodi concursu damnum nihilominus evenisset. — L. 579.

1427. *An tenearis in solidum in dubio an influxeris in totum damnum?* — R. Negative, quia onus certum imponi nequit pro incerta obligatione. L. 579. Cf. C. A. 1302.

1428. *An tenearis in solidum in dubio, an alii suam partem pro rata restituerint?* — R. Negative probabilius, si facta diligenti inquisitione, dubium perseverat, quia cooperator non tenetur ad aliud praeter partem suam, nisi in defectu alterius, et si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione.

XXX. — QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM

1429. *Quotuplex sit restitutionis ordo?* — *Restitutionis ordo duplex est:* Primus ex parte eorum, qui restituere debent, quando plures in idem damnum cooperati sunt; secundus ex parte eorum, quibus restitutio fieri debet. L. 579.

1430. *Quinam servandus sit ordo restitutionis quoad cooperatores?* — Cooperatores in damnum alterius aut tenentur ad restitutionem pro *rata parte*, aut tenentur ad restitutionem *in solidum*, ad *totum* nempe singuli restituendum. Si primum, nullus inter ipsos ordo necessario est servandus. Si secundum, ordo inter eos est necessario servandus. Etenim obligatio restituendi *in solidum* est obligatio, qua quis tenetur restituendi vel reparandi *totum damnum, a pluribus illatum, cum plures simul ad totum damnum inferendum concurrerunt.* Omnino ergo necessarius est ordo servandus. Ille enim, qui passus est damnum ius habet tantum ad unam integram restitutionem seu reparationem damni. Non possunt ergo plures damnificatores *in solidum* absolute obligari, sed *conditionate* tantum, si nempe alii, qui *prius* tenentur, non solvant; vel si alii, qui *una simul* tenentur, non solvant. L. 579., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 3., a. 7. ad 2.

1431. *Quinam servandus sit ordo quoad cooperatores in solidum obligatos?* — *Si cooperatores diversa cooperationis specie seu gradu concurrunt, tunc primo loco tenentur causae principales damni;* ita ut teneatur: 1.° *Possessor* rei, in individuo vel in aequivalenti, quin immo etiamsi rem iniuste destruxerit, quin inde ditior evaserit. 2.° *Mandans;* si tamen mandans causa fuerit principalis tum ablationis rei, tum eiusdem destructionis, vel eius tantum destructionis, primo loco tunc tenetur, tanquam principalis damnificator. 3.° *Exsecutor*, mere nempe damni illati exsecutor, tanquam causa instrumentalis. — *Secundo loco vero tenentur causae secundariae;* ita ut teneantur 1.° reliqui cooperatores *positivi;* 2.° *negativi.* Ratio, quia quisque ad restitutionem tenetur, prout in alterius damnum influit. *Causae positivae, secundariae*, uti consulens, consentiens, laudans, participans, cum non sint aliae aliis subordinatae, *aeque tenentur*, eodemque loco, plus tamen vel minus pro maiori vel minori influxu, si de rata parte restitutionis agatur. *Causae negativae prius tenentur illae*, quae magis immediate et plus in damnum influxerunt. Et sic prius tenetur de sylvae incendio custos, deinde oeconomus. — L. 560. 580., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7., C. A. 1301. 1302. 1304. 1312.

1432. *Resolves:* 1.° Ad nihil tenentur causae *secundariae*, si causa principalis restituerit vel debiti remissionem obtinuerit. Causae enim secundariae tenentur tantum in defectu causae principalis. Cessante autem principali, cessat accessorium. Hinc 2.° si una ex causis secundariis re-

stituat, causa principalis tenetur eam indemnem facere; si item causa secundaria a creditore liberetur, non ideo liberatur causa principalis. Huius enim obligatio ab illius obligatione independens est. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 2., a. 7. ad 2.

1433. *Quinam servandus sit ordo quoad plures cooperatores aequales? — Si cooperatores eadem cooperationis specie, seu eodem cooperationis gradu ad alterius damnum concurrant, tunc singuli aequaliter in solidum, conditionate tamen restituere debent, absque ullo ordine determinato;* nemo enim eorum, magis influens in alterius damnum, maius in se reparationis onus suscepit. Dicitur autem *conditionate,* si nempe ceteri cooperatores non restituant, vel nullus *in solidum* solvat. Omnes autem *absolute* tenentur pro rata parte satisfacere, cum omnes aeque in alienum damnum concurrant.

1434. *Resolves:* 1.° Si una ex causis aequaliter obligatis totum debitum restituerit, aliae tenentur ei partem rependere, quam pro ipsis quoque dedit, et singuli pro sua parte tenentur. Non enim erga eum urget ratio restitutionis in solidum: siquidem unusquisque causa non est, cur ipse primus totum restituerit, et alii non restituant. Quod si plures ex huiusmodi causis aequaliter obligatis restituerent, et unus non posset aut nollet suam partem restituere, ceteri eam inter se dividere deberent. — 2.° Si creditor remittat alicui ex debitoribus aeque obligatis suum debitum, censetur remittere aliis partem illius; si enim totum ab aliis exigeret isti illum cogerent ad restitutionem, et sic frustranea esset remissio. L. 581. Sed alii ad suam partem restituendam adhuc tenentur, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito praesumatur. Excipe ex C. I. 1281., C. G. 1285., si debitum sit ex contractu, remissio enim uni condebitori solidario facta omnes alios prorsus liberat; nisi expresse creditor contra istos sibi iura reservet.

1435. *An prius teneatur exsecutor quam consulens ad restitutionem faciendam?* — R. « Si consilium sit utile illud praebenti, ipsum primo teneri: secus si soli exsecutori. Si autem sit utile utrique, utrumque teneri pro rata; et idem puto, si ex damno illato neutri utile evenerit. In defectu autem alterius, tenetur ille in solidum ». L. 560.

1436. « *Advertendum* tamen quod rudes, etsi teneantur in solidum raro expedit eos obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quin immo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam, cum aliter valde sit timendum, quod nihil restituant, si obligentur ad totum ». L. 579. 580.

1437. *Quinam servandus sit ordo restitutionis quoad creditores? — Ordo quoad creditores* restitutionis locum non habet, nisi quando sint plures creditores. In tali casu, si debitor omnibus satisfacere potest, potest quocumque ordine restituere, quia praecedentia unius nullum alteri damnum infert. L. 684. Si vero debitor omnibus restituere non possit, debitus in restitutione ordo servandus est, ob oppositam rationem, quia nempe praecedentia unius alteri damnum infert. Porro hic ordo ex ipsa iustitia determinatur. Restitutio enim est reparatio iuris laesi. Praelatio ergo iuris praecedentiam determinat restitutionis. Porro hoc ius laesum est ius pro-

prietatis. Perfectius ergo proprietatis ius in creditoribus eos aliis praeferendos exigit.

Quare *primo* creditores, adhuc rei vere *proprietarii*, siquidem in rem propriam servant non tantum *ius ad rem*, verum etiam *ius in re*, ceteris omnibus praeferendi sunt, qui non habent nisi *ius ad rem*. Et sic ante omnia alia debita restituendae sunt res furtivae, res depositae, res locatae seu commodatae.

Secundo reliquis praeferendi sunt creditores *privilegiati*. Restitutio enim facienda est *de iure naturae*, et propter *privatum* personarum *bonum*, quod directe respicit iustitia commutativa. Si ergo iuri naturali accedit ius positivum propter *commune bonum* praescribens praelationem aliquorum creditorum in particulari, hi profecto propter legis privilegium reliquis sunt praeferendi, utpote *privilegiati*. Atque haec lex in conscientia obligat ex communi thth. sententia, cum sit legitima superioris lex, lata in bonum commune. Debita autem privilegiata sunt, v. g., impensae, quae dicuntur *iustitiae*, expensae funebres, stipendia medicorum et famulorum, debita pro cibis, etc. Si plures sint creditores privilegiati eorum praelatio determinatur ab ipsa lege secundum privilegii qualitatem. Ac, si plures eodem gaudent privilegio pro rata crediti solutionem obtinent. C. I. 1950. seqq., C. G. 2095. seqq.

Tertio reliquis praeferendi sunt creditores *hypothecarii*, hi enim habent sibi obligatam non tantum *personam*, verum etiam *ipsa bona* debitoris. Ubi plures sint creditores hypothecarii, ordinem habent ab ipsa lege constitutum, vel a die inscriptionis in registris conservatoriis hypothecarum, vel ab ipsa die constitutionis hypothecae, iuxta Reg. 54.^{am} Can. Iur. in 6.°: *Qui prior est tempore potior est iure*. L. 690., Laymann de Restit. c. 11. n. 3. seqq., C. I. 1964. seqq., C. G. 2114 seqq.

Quarto tandem indemnes faciendi sunt reliqui creditores, qui *communes* dicuntur. An autem inter istos aliquis etiam constituendus sit ordo ex circumstantiis *temporis, personarum, contractuum*, ipsarumque rerum, quaestio est; et alii generatim negant, quia iustitia commutativa non respicit nisi aequalitatem rei ad rem, quae independens omnino est a conditionibus temporis, personarum, contractuum, ipsarumque rerum, alii e contra generatim affirmant, quia restitutio est ad reparandum ius laesum, et ad resarciendum damnum illatum; atqui ex variis circumstantiis temporis, personarum, contractuum, rerum, varium est ius, et maius ac minus est damnum; ergo secundum illas circumstantias ordo est constituendus in restitutione etiam *communium* creditorum. Praecipuae autem circumstantiae illae sunt, de quibus sequentes in particulari quaestiones moventur. — L. 689. 694. 695.

Ex C. I. 1948.-1950., C. G. 2092.-2094., C. H. 1911. quicumque se personaliter obligavit, tenetur suae obligationi satisfacere ex omnibus suis bonis sive mobilibus, sive immobilibus, praesentibus seu futuris. Bona proinde debitoris sunt commune veluti pignus suorum creditorum, iique pares sunt in iure exigendi quod suum est, nisi causae legitimae exsistant inter ipsos praelationis. Causae autem legitimae sunt *privilegia et hypothecae*. — C. H. 1921. seqq.

1438. *An res aliena apud debitorem exsistens ante omnia debita quantumvis privilegiata restitui domino suo debeat?* — R. Affirmative, si res

detineatur *titulo depositi, locationis,* etc. Res enim illa in individuo exsistens suo domino clamat. L. 684. — Si res detineatur *titulo emptionis,* pretio non soluto, aut saltem pignore, fideiussione aut data fide non assecurato, venditori est certo restituenda ex Iure Romano; adhuc enim retinet venditor rei dominium. Quando vero venditor rem tradidit, et de pretio tantum fidem accepit, controvertitur. « Prima sententia dicit, tunc praeferendum esse venditorem... Ratio, tum quia hoc postulat aequitas naturalis; tum quia dominium rei, licet eo casu translatum fuerit, est tamen translatum sub conditione pretii solvendi; unde talis res manet hypothecata solutioni pretii. Secunda sententia vero probabilior... tenet nullam venditori praelationem deberi. Ratio, quia cum dominium iam translatum sit, venditori remanet tantum creditum personale erga emptorem; nulloque iure habetur, quod res venditori hypothecata maneat, donec ei pretium solvatur ». L. 685. — Ex C. I. 1512. 1513., C. G. 2102, 2103. res vendita, non soluto pretio, manet obligata venditori quoad pretii solutionem adversus ceteros omnes creditores, post proprietarium tamen domus vel praedii pro locationis pretio, si res mobilis sit. Immo hanc venditor repetere potest, si nulla solvendi dies statuta fuerit, intra 15. dies ex C. I., intra 8. dies ex C. G. ab ipsius traditione. — Si res *furto detineatur* et rebus propriis fuerit permixta, domino rei prae ceteris omnibus creditoribus est satisfaciendum, quia totus cumulus est *specialiter* obligatus domino rei ablatae. L. 686. Cf. 907.

1439. *An prius restituenda sint debita, quorum creditores noti sunt, quam alia pauperibus vel causis piis, quia eorum domini ignorantur?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis et communis affirmat; quia dominus non censetur rationabiliter invitus, tum ratione *debitoris,* qui a creditore alio saepe persequendus esset, tum ratione alterius *creditoris,* qui indemnis fiat, cum ipse non possit. Secunda sententia probabilis etiam ait, posse restitutionem tunc fieri pro rata pauperibus. Praelatio enim domini noti neque iure positivo neque iure naturae demonstratur. De iure enim naturae pauperes vel causae piae succedunt domino ignoto, ut ipsi prosit, quod suum est; eius nempe animae prosit, quod ipsi restitui non potest. — L. 687.

1440. *An debita ex delicto solvenda sint prius quam debita ex contractu oneroso?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat, quia retinere rem iniuriose ablatam est gravior iniuria, quam non solvere rem debitam ex contractu. Secunda sententia communior et probabilior negat, sed pro rata, ait, esse solvenda; quia ex Iure positivo non habetur talis praelatio; ex Iure vero naturali obligatio, quae exoritur ex iustitia commutativa, eadem est in contractu ac delicto; delictum autem poenitentia deletur, non restitutione. — L. 688.

1441. *Nota:* Certum est debita ex titulo gratuito, etiam pia, ultimo loco esse solvenda, quia haec semper includunt tacitam conditionem: nisi quid obstet. — L. 688. 689.

1442. *An creditores communes, tempore priores, posterioribus sint praeferendi?* — Controvertitur. « Prima sententia tenet omnibus his satisfaciendum esse pro rata... Ratio, quia his non bona debitoris, sed obligata est persona, quae aeque omnibus est obnoxia ». Ius vero positivum

nullam statuit inter eos praelationem. Immo Ius Rom. statuit: « licet alicui adiicendo sibi creditorem, creditoris sui deteriorem conditionem facere ». Secunda sententia « docet, praeferendos esse anteriores ex R. 54.ª I. in 6.°, *Qui prior est tempore, potior est iure.* Licet enim ius civile sic loquatur tantum de creditoribus hypothecariis, ius tamen canonicum loquitur de omnibus, et fundatur in iure naturali; creditor enim anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen habet obligata etiam eius bona, in quibus non debet praeiudicari a creditore superveniente. Utraque est probabilis, sed secunda probabilior » L. 690.

1443. *An creditores pauperes divitibus, seu non egentibus, praeferri debeant?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis negat, quia talis praelatio neque habetur iure positivo neque iure naturali; nam iustitia commutativa ad personas non attendit. Secunda sententia probabilis affirmat, « quia obligatio restitutionis datur ad reparandum damnum proximi; plus autem damnum patitur pauper, si ei non fiat restitutio, quam non indigens ». L. 691.

1444. *An liceat prius petenti prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?* — R. Negative, si prior tempore creditor sit *privilegiatus*, vel *hypothecarius;* adeoque secus faciens tenetur de damno. — Si prior tempore creditor, sit *communis*, et petat solutionem in iudicio, affirmative. Ita communiter, « quia leges dant praelationem etiam in conscientia ei, qui prius obtinuit sententiam, et post eam etiam debitor debet ei solvere in conscientia ». L. 692., C. I. 1970., C. G. 2123. Quod si petat extra iudicium controvertitur. Prima sententia negat, quia praeiudicatur creditoribus anterioribus, quibus competit praelatio. Secunda sententia probabilius affirmat, quia actionem creditor personalem habet in debitorem, et totum debitum petendo, ius suum prosequitur. L. 692.

1445. *An debitor sciens suum statum labilem, etiam non petenti integre satisfacere possit?* — R. Negative. Omnes enim cum iure aequales sint, et nemo potior fiat per diligentiam petendo, ex *naturali aequitate* nequit restitutio fieri uni cum aliorum detrimento. Quare, *per se loquendo,* peccat graviter debitor contra caritatem et iustitiam secreto unum e creditoribus de statu suo labili monendo, vel in eo casu integram solutionem uni soli offerendo. — L. 692.

1446. *An creditor, qui in hoc ultimo casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores teneatur?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat; quia nullum habet ius, ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento. Secunda sententia probabilis negat, quia suum recepit; ac cum ius exigendi habeat etiam extra iudicium, nullius ius violat acceptando solutionem. Excipe tamen casus, in quibus talis solutio invalida per legem declaratur. L. 692. 693. — Ex C. I. 1237., C. G. 1235., repetitio soluti non admittitur quoad naturales obligationes, quibus voluntarie quis satisfecerit. Attamen ex eodem C. I. 1235., C. G. 1167., creditores ius habent impugnandi omnes actus, quos debitor egit in ipsorum fraudem. Ex C. H. 1291. 1292. 1297. 1298. huiusmodi solutio, uti etiam generatim contractus talis debitoris, sive gratuiti sive onerosi, rescindibiles sunt. Mala fide quidquam recipiens in fraudem creditorum ad restitutionem et damnorum reparationem tenetur.

XXXI. — QUOMODO SIT RESTITUENDUM

1447. *Quomodo facienda sit restitutio? — Ad restitutionem legitime faciendam requiritur et sufficit, ut restitutio eo modo fiat, quo violata iustitia ad aequalitatem reparetur; et sic dominus laesus indemnis fiat.* Constat ex ipsa natura iustitiae commutativae, ex qua restitutio debetur. Et sic, *per se* loquendo, ipsa *res debita*, non alia licet aequivalens, vel forte etiam maior, danda est. L. 676., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. 2., C. H. 1166.

1448. *Resolves:* Necesse *per se* non est, ut restitutio *palam* fiat, ut fiat per *ipsum debitorem*, ut fiat *advertente* domino. Hinc debitor restituere potest augendo pondus in vendendo, vel debitum opus in laborando, donationem simulando, etc. L. 676.

1449. *An, facta restitutione per simulatam donationem, ad restitutionem teneatur debitor, si creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat, quia creditoris donatio nulla est, adeoque donum restituendum; ex falsa enim causa motiva procedit, et consequenter plene spontanea non est. Secunda sententia negat; ea tamen hunc restituendi modum non admittit, nisi restitutio nequeat aliter fieri, quam per simulatam donationem, puta quia debitor secus famae detrimentum pateretur, secus enim illicita erit. Ratio, quia « cum haec redonatio sit ex mera liberalitate, ad quam ego amicum nec induxi, nec obligavi, non dicor nisi indirecta causa illius, seu non sum absolute illius causa, sed solum occasio; quare cum periculum meae famae sit causa proportionata me excusans a cooperatione huius novi detrimenti, quod ex occasione mei ficti muneris patiatur amicus, non peccabo, nec ad restitutionem consequenter obligabor ». Tamb. Expl. Dec. l. 8. Tr. 4. c. I. § 5. n. 2.

1450. *Quonam loco, et cuiusnam expensis facienda sit restitutio?* — Si res *ex contractu* debeatur standum est conventioni factae de modo et loco translationis. Si nulla facta fuerit specialis conventio, standum est specialibus legibus pro contractuum diversitate; tunc enim secundum eas contraxisse censentur. Cf. Lugo D. 20. n. 196. seqq. Ex C. I. 1249. 1250. 1508., C. G. 1247. 1248. 1651., C. H. 1168. 1171. 1500., solutio facienda est in loco designato per contractum; ac si nullus fuerit praestabilitus locus, et agatur de re certa et determinata, solutio fieri debet in loco ubi tempore contractus res ipsa exsistebat. Extra hos duos casus solutio facienda est in domicilio debitoris, et expensae ab eodem sustinendae sunt. Quoad emptionem vero in particulari, si nihil statutum est in contractu quoad diem et locum solutionis, haec ab emptore fieri debet in loco ac tempore, in quo rei traditio facienda est. Cf. C. A. 905. 1420. — Si res quae debetur, *bona fide*, fuerit accepta et retineatur, « omnes conveniunt in hoc, quod debeat fieri in eo loco ubi res est, vel si ad alium locum mittenda res sit, id fiat expensis creditoris: quia cum debitor neque ex ulla culpa, neque ex contractu obligatus fuerit ad aliquid aliud; solum debet permittere domino, ut accipiat rem suam ». Lugo l. c. n. 193. — Si obligatio restitutionis *ex delicto* oriatur, res restituenda est eo in loco, in quo dominus eam esset possessurus, si ablata non fuisset; vel illuc rei pretium

transmittendum, si eam dominus vendidisset; idque debitoris sumptibus. Ratio, quia dominus servandus est omnino indemnis; non enim tenetur ex alterius delicto damnum pati. Lugo l. c. n. 180. seqq. — L. 597. 677. 678., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3., C. A. 1420.

1451. *An debitor ex delicto expensas adhuc solvere debeat pro re domino remittenda, si expensae valorem ipsius rei exsuperent?* — R. Affirmative, *si aequale sit debitoris damnum*, vel excessus non sit notabilis. Ratio, « nam magis aequum est, ut delinquens patiatur iacturam illam et amittat centum ex bonis suis, quam quod creditor innocens cogatur eandem iacturam in bonis suis sustinere: nam fur ex delicto suo malum illud patitur, creditor vero sine ulla culpa illud pateretur ». Lugo D. 20. n. 186. — Negative, si excessus *maxime notabilis esset.* Ratio, « certe iustitia, cum sit virtus, et prudenter praecipiat, non potest ad hoc obligare: quia nemo prudens dicet, creditorem tunc esse rationabiliter invitum, nisi ei debitum cum tantis sumptibus restituatur ». Lugo l. c. n. 185. — Affirmative, si excessus *sit simpliciter notabilis.* Ut autem regula aliqua moralis statuatur, dicendum videtur, quod quando *omnibus pensatis* excessus non erit duplo maior, non videtur sufficiens ut dominus re sua privetur, sufficiens vero videtur si hanc proportionem excedat. Ratio congruentiae est, « quia supposito delicto debitoris et innocentia creditoris, duplo maior causa videtur esse, ut debitor patiatur ad minus, quam ut patiatur creditor ». Lugo l. c. n. 190. — *Omnibus pensatis;* attendenda enim est non solum quantitas materialis damni debitoris et creditoris, sed etiam quantitas damni respective ad talem personam. Contingere enim potest, ut damnum 100. libell. creditoris divitis, respectu debitoris pauperis aestimetur 200. libellar. et amplius. Lugo l. c. n. 188. — L. 598. 677. 702.

1452. *Nota:* Minus damnum debitoris sufficere potest, ut restitutionem differat; vel restituat in alia specie, e. g., quando rei pretium facilius transmittere potest. Lugo l. c. n. 188. 191. Hodie vero multo maior adest facilitas rem vel pretium transmittendi.

1453. *An debitor iterum restituere debeat, si debitum per personam fidelem miserit, et illud casu vel culpa tertii pereat?* — R. Negative, si possessor fuerit *bonae fidei.* Res enim perit domino. — Negative, si *rem* debeat ex *contractu.* Nam iterum res perit domino; nisi aliter conventum sit. Affirmative vero, si non *rem* sed *pretium* debeat ex contractu, debitor enim dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit. — Controvertitur, si rem debeat *ex delicto.* Prima sententia, quam S. Alph. appellat *communem* et *tenendam*, affirmat. Ratio, « quia debitor ex delicto tenetur ad omne damnum, etiam fortuitum (ut certum est apud doctores) quod domino evenit ex sua iniusta ablatione ». L. 705., C. A. 335., C. I. 1148. Excipe tamen si persona haec a iudice fuerit designata, vel ab ipso creditore, vel saltem debitori fecerit facultatem prudentem et fidelem personam eligendi: « tunc enim virtute eius mandati haberet pro accepto debitum datum tali personae ex eius mandato, atque ideo remisisset ius, quod habebat ad damna secuta, quamdiu res ad ipsum non perveniret ». Lugo D. 21. n. 60. Secunda sententia negat. Ratio, quia cum debitor non possit alio modo restituere sine famae suae detrimento, creditor nequit

esse rationabiliter invitus, si debitor hunc modum eligat, adeoque in eum consentire iure praesumitur. Iam vero hic praesumptus consensus domini, extenditur usque ad liberationem ipsius restitutionis, si res a persona illa, e. g., a confessario non restituatur. Dominus enim rei si interrogaretur potius vellet, ut restitutionem isto medio fieret, quamvis deberet suscipere in se periculum talis medii, quam ut restitutio omnino non fieret; cum enim fieri non posset aliter ob famae detrimentum, quod debitor pateretur, ab ea hic excusaretur. Ergo. Hanc sententiam cui olim adaesit S. Alph., et quam reprobare non audet, plures et graves theologi probabilem existimant. — Cf. C. A. 1425., C. I. 1241., C. G. 1239.

1454. *Quomodo restituendum pro damnis reipublicae illatis?* — Restituendum est per media ab ipso gubernio constituta, si huiusmodi media exsistant. Attende igitur ad varias locorum leges. Si vero talia media constituta non fuerint, alii dicunt restituendum esse per tributorum praepositos, alii vero tenent obligationi iustitiae satisfieri, si pauperibus vel locis piis restituatur, ex praesumpta gubernii voluntate, aliis et melius ipsis damnificatis. Verum, ut videtur, restitutio bene semper fieri potest ipsi reipublicae, restituendo nempe rei aerariae officio, vulgo *ministero delle finanze.* Cf. 1420. — Carrière 1240., Ithur. Cas. 1. n. 12.

XXXII. — QUANDO SIT RESTITUENDUM

1455. *Quandonam restitutio sit facienda?* — *Quoad debita quaelibet, generatim restituendum est quamprimum fieri potest sine gravi incommodo.* Ius enim naturale exigit, ut rem alienam, invito rationabiliter domino, non retineas, nec per modicum tempus. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 8. — Hinc 1.° qui culpabiliter et *notabiliter* differt restitutionem, manet in peccato continuo, et absolvi nequit. Insuper, si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur. — 2.° Si quis habens propositum restituendi, aliquo brevi tempore differat citra grave domini incommodum, non facile damnandus est de peccato mortali, immo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. g., spes occasionis commodioris, etc. L. 678. 679., H. A. 104. 105. — 3.° Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus, quando nempe gravis sit materia; quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo, qui cum per vitae decursum possit restituere, differt tamen usque ad mortem; vel qui in periculo mortis constitutus reiiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi in haeredes suos; nisi forte de restitutione bonorum incertorum agatur. L. 679. 681. seqq. — C. A. 1415., C. I. 1246.

1456. *An quoad debita ex iniuria compensanda sint damna ex dilatione restitutionis provenientia?* — *Quoad debita ex iniuria, compensanda sunt damna omnia, quae ex dilatione secuta sunt.* Debitum iniuria contrahens suscipit in se onus compensandi huiusmodi damna, etiamsi ex mora deinde inculpabili proveniant. Cf. 1458. Utrum autem debeant compensari etiam damna *extraordinaria,* seu quae non necessario secuntur ex dilatione restitutionis, controvertitur. Probabiliter negandum videtur,

quia haec damna praevideri non potuerunt, nec proinde imputari possunt. Vogler 426.

1457. *Quid de tempore quoàd debita ex contractu?* — *Quoad debita ex contractu, generatim standum est conditionibus contractui appositis circa tempus,* vel circa alias circumstantias; nisi prudenter praesumatur, aliam esse alterius contrahentis voluntatem. L. 678. — Hinc 1.° restitutio, seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est. — 2.° Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in eius favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut, v. g., in praestatione pecuniae cum lucro percipiendo. — 3.° Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi exspectare potest generatim, donec moneatur a creditore, nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat. — 4.° Si debitor habeat iustam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens. L. 680. — C. A. 1417. 1418.

1458. *An debitor restitutionem differens ex iusta causa teneatur reddere creditori interesse legale, lucrum cessans, damnum emergens?* — Controvertitur. Prima sententia negat, si debitum sit ex contractu; quia tunc debitor non est causa iniusta et culpabilis illius damni, non est enim in mora culpabili: affirmat vero, si ex delicto, « quia tunc prima iniusta acceptio revera fuit culpabilis causa damni ». Secunda sententia negat etiam in hoc secundo casu, quia « damnum creditori tunc non obvenit ex illa prima iniusta acceptione, sed ex retentione posteriori, quae iuste fit ». L. 680. 704. Cf. C. G. 1151. 1153., Gousset in h. a.

XXXIII. — DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS

1459. *Quaenam generatim a restitutione excusent?* — *A restitutione excusant ad tempus, vel etiam totaliter eximunt ea omnia quae faciunt, ut creditor rationabiliter debeat esse contentus,* etsi de facto non sit contentus. L. 696. 700.

1460. *An a restitutione excuset remissio sive expresse sive tacita, a creditore libere facta, imo etiam rationabiliter praesumpta?* — R. Affirmative. Ratio, quia, si dominus non sit invitus, restitutionis omissio iniusta tunc non erit. Hinc facilius excusabis in rebus levioris momenti filiosfamilias, in exculentis et poculentis communibus famulos, etc. L. 700. Cf. Lugo D. 21. n. 51., Ferraris v. *Restitutio* a. 5. n. 34.

1461. *An a restitutione excuset damnum impediendum?* — « *Probabilissimum est te non teneri restituere rem, qua dominus est abusurus ad peccandum:* immo si ille praevidetur abusurus in damnum tertii, peccares restituendo, quando posses negare sine tuo graviori vel saltem aequali gravi damno... Et tunc peccares restituendo non solum contra caritatem, sed etiam contra iustitiam. Ratio, quia proximus habet ius, ne tradas aliquid alteri in eius perniciem ». L. 697. Alii tamen verius tenent peccari tunc tantum contra caritatem et non etiam contra iustitiam, quia

cooperatio materialis est, nec proxima, quam caritas non iustitia vetat: cum non sit actio illa restituendi suum *de se illicita*, et *iniusta*, sed indifferens, qua alter abutitur sua malitia. — S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5.

1462. *An a restitutione excuset impotentia? — A restitutione excusat non solum impotentia physica*, quae habetur in necessitate extrema, vel quasi extrema; *verum etiam impotentia moralis*, seu gravis difficultas restituendi, v. g., si vivere non possis secundum decentiam tui status *iuste* a te acquisiti; secus, si *iniuste* acquisiti; si restituere nequeas absque periculo vitae vel notabili bonorum aut famae detrimento; si fieri nequeat restitutio absque periculo salutis tuae vel tuorum. Ratio 1.° quia alias plus damni sustineres quam intulisti in pluribus hisce casibus, si non in omnibus; 2.° magis generatim, quia quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest, a domino rationabiliter urgeri non potest; cum iustitia caritatem et prudentiam non excludat. Idque sane valet, ut patet, quamvis debitor culpabiliter in tales angustias se coniecerit. — L. 697. 698. 702., Ithur Cas. 16. n. 10. 11.

1463. *Resolves:* « Si nobilis, v. g., non potest statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis, etc.... vel mechanicus nisi vendat instrumenta sua, quibus vivit, aut magnum damnum subeat, potest differre et paulatim restituere sine iactura sui status », L. 698. « Item excusaris a restitutione... si sit periculum, ne uxor aut filiae se prostituant, ne filii se dent latrociniis, ne ipse per impatientiam incidas in desperationem », L. 648. « Teneris autem restituere etiam cum tuo damno, si, omissa restitutione, dominus aequale damnum sit passurus ». L. 697.

1464. *An debitor ratione necessitatis a restitutione excusetur, si creditor etiam in necessitate versetur?* — « Si debitor aliter sibi non potest subvenire, nisi per bona quae restituere deberet, tunc non tenetur ea restituere, et in *extremam necessitatem* se coniicere, etiamsi creditor in *eadem necessitate* constituatur, nisi debitum ei restituatur... Ratio, quia tunc omnia fiunt communia... Excipe, nisi praecise ob substractionem illam dominus in extremam necessitatem sit coniectus, quia... melior debet esse conditio domini prius possidentis », L. 701. — « Si creditor iam *necessitatem gravem* patitur, et debitor tunc ea non laborat, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere, in quamvis *necessitatem gravem sit constituendus* », quia in aequali necessitate melior est conditio innocentis, si debitum debeatur ex delicto: melior item est conditio creditoris et domini, si debeatur ex contractu. L. 697. 698. — Si debitor *iam constitutus sit in necessitate gravi*, an teneatur restituere quando creditor item *eadem necessitate laborat* controvertitur. Prima sententia affirmat, quia iterum melior est conditio innocentis, creditoris et domini, adeoque hic praeferendus. Secunda sententia negat, quia cum debitor « gravi necessitate iam laboret, certe non posset restituere, nisi cum gravissimo incommodo, ita ut quasi in extremam necessitatem se coniicere videretur ». L. 703. Excipe iterum, nisi praecise per illam ablationem creditor in gravem necessitatem sit coniectus. L. 703. — S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 4.

1465. *An cessio bonorum creditoribus facta a restitutione excuset, si debitor deinde ditior evadat et possit restituere?* — R. Negative. Nam, si cessio *iudiciaria* sit, haec est mere legis beneficium, uti bona cedens

immunis a coactione sit, in foro externo, uti constat ex Iure Rom. Ital., Gall. Si vero sit *voluntaria,* propterea quod creditores rem cum debitore componant, quia plus habere nequeunt, non ideo renuntiant iuri quoad integram solutionem, si eam debitor aliquando facere possit. Excipe, si creditores expresse vel saltem implicite debitorem *vere liberent* ab huiusmodi solutione. L. 699., C. G. 1265.-1270., C. I. Comm. 815. 830., C. H. 1175.

1466. *An bona cedens aliquid occulte sibi reservare possit?* — R. Negative, per se loquendo, si res magni valoris sit, quia notabile damnum creditoribus infert. — Affirmative, si res sibi reservet dumtaxat necessarias sustentationi suae et familiae. Quoad has enim creditores nequeunt esse rationabiliter inviti. Idque admittitur C. I. Comm. 735. 752. — Gousset 772., L. 699., S. Antonin. 2. P. tit. 2. c. 8. § 3. *Si tertio modo.*, Lugo D. 21. n. 41., Ferraris v. *Restitutio* a. 5. n. 54. 55.

1467. *An excusetur a restitutione, qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit?* — Prima sententia probabilis negat. « Ratio, quia cum is sit debitor tum ex titulo *iustitiae*, tum ex titulo *donationis* acceptatae, non potest una solutione his duabus obligationibus ex diversis titulis ortis satisfacere ». Secunda sententia probabilis affirmat. Ratio, quia in omni liberali praestatione quisque habet priorem quandam voluntatem generalem satisfaciendi obligationibus iustitiae, et posteriorem voluntatem actualem donandi. Atqui « praevalet prima voluntas tanquam potior et praecedens ». L. 700.

1468. *An ingressus in religionem excuset a debitis solvendis? — Si religiosus aliquid lucretur in religione, an debeat hoc debitis solvendis applicare? — Si legatum ipsi obveniat, an debeat ex illo debitis satisfacere?* — R. Ad 1.um Ingressus in Religionem *non liberat per se directe a debitis solvendis, sed indirecte:* scilicet quatenus licite impedit media quibus debita solvi possunt. Etenim, exceptis casibus iure can. prohibitis, debitor licite ingreditur religionem, saltem quando nequit facile et brevi tempore debitis satisfacere ante ingressum. Ergo eo ipso ab onere restituendi liberatur. Etenim lex naturalis non amplius urget, qūando debitor nequit satisfacere, nisi cum suo tanto detrimento libertatis, et cum periculo aeternae salutis in saeculo amittendae. Debitor enim non tenetur cum tanto incommodo perfectiori statu religionis privari.

Ad 2.um Affirmative, si facile possit laborare, et superior permittat; status enim religionis non liberat per se ab obligatione restitutionis, sed hanc tantum licite impedit. Attamen superior hanc licentiam concedere minime tenetur ex iustitia, sed tantum ex caritate, si nullum obsit inconveniens.

Ad 3.um Negative, si solemnem professionem emiserit; quia tunc est incapax dominii, et ex iure can. legatum illud monasterio acquiritur. Affirmative, si vota tantum simplicia emiserit; quia eo in casu legatum ipsi acquiritur. — L. l. 4. n. 71., S. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. ad 3.

1469. *An debitor excusetur a restitutione in dubio solutionis?* — R. Negative in dubio mere *negativo,* quia nulla tunc adest prudens ratio solutionis factae. — In dubio *positivo* seu probabilitate controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat; quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. Insuper, quia, ut ait S. Alph. l. 4. n. 107., « nullus legi-

timus possessor sui ad restitutionem tenetur, qui pro se probabilem habet opinionem ». Secunda sententia communior et probabilis negat, quia non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam. Tertia sententia probabilis dicit restituendum pro rata dubii; quia aequum non est ut tantum ex iure dubio solvatur, quantum solveretur si ius esset certum.

1470. *An liberetur a restitutione, qui debitum solvit creditori creditoris sui, v. g., tibi debeo 100. francos, tu vero debes 100. Titio, an satisfaciam solvendo 100. Titio?* — R. Affirmative, *per se, ad iuris apicem.* Ratio est, quia ego solvens creditori tuo id, quod ipsi debes, acquiro ius, quod ille habebat suum a te debitum requirendi: unde ius quod in te habeo, iuri quod in me habes, aequivalet, et fit compensatio. Etenim potest creditor tuus in me ius suum transferre, seu possum ego illud emere, sicut quilibet alius, qui nihil tibi debeat. — *Per se;* quia non liberor, si forte tu adhuc cogeris solvere, vel creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas. *Ad apicem iuris;* quia talis solutio, si absque causa fiat, illicita erit ob varia incommoda, quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. — L. 700., Billuart diss. 8. a. 14. § 1.

XXXIV. — DE OCCULTA COMPENSATIONE

1471. *Quid sit occulta compensatio?* — Occulta compensatio nihil aliud est, quam aequivalens rei propriae recuperatio occulta, damni in rebus propriis iniuste passi reparatio. Compensatio haec *extra*-legalis dici solet, ad differentiam compensationis *legalis,* quae casus quosdam particulares attingit, quando duo sibi invicem debitores singuli in solutum accipiunt rem alteri debitam; quae compensatio ex legis ipsius vi *pleno iure* locum habet. C. I. 1285. seqq., C. G., 1289. seqq., C. H. 1195. seqq., C. A. 1438. seqq.

Legalis compensatio obtinet, insciis quoque debitoribus usque ad concurrentem quantitatem utriusque debiti, si tamen ambo sint eiusdem naturae ac bonitatis et statim exigi possint. — Dilatio autem, quae conceditur debitori ad solvendum, non obstat compensationi. — Verum legalis compensatio non admittitur 1.° quando petitur restitutio rei, de qua dominus *iniuste* fuit spoliatus; 2.° quando petitur restitutio depositi vel commodati; 3.° quando agitur de debito, cuius titulus originem habet ab alimentis, quae non cadunt sub sequestro, ut stipendia, pensiones, etc.; 4.° quando creditor iuri compensationis renuntiavit. — C. I. 1286.-1289., C. G. 1290.-1293., C. A. 1438.-1440., C. H. 1196. seqq.

1472. *An occulta compensatio licita sit? — Compensatio occulta, quibusdam concurrentibus conditionibus, ex communi dd. sententia licita est.* Ratio, quia nihil aliud est quam defensio iusta ab iniuria, qua te continuo vexat debitor iniuste retinendo rem tuam, vel id ad quod ius habes ex iustitia.

1473. *Quaenam sint conditiones requisitae ad liceitatem occultae compensationis? — Conditiones communiter requisitae, ut occulta compensatio iuste et licite fiat sunt:* 1.° Ut praecaveatur damnum spirituale et temporale debitoris; ne maneat nempe in conscientia erronea et peccato, ne

iterum, quod iam non debet, restituat; eum monendo de cessatione obligationis, fingendo, e. g., condonationem, etc. Ad id tamen quis non tenetur ex *iustitia*, sed dumtaxat ex *caritate*, quae non obligat cum gravi incommodo. — 2.° Ut alterius grave damnum praecaveatur, puta si alteri suspicio furti immineat. Ad id etiam quis non tenetur ex *iustitia*, sed tantum ex *caritate*, cum causa sit illius damni non *per se*, sed tantum *per accidens*. — 3.° Ut res, quae in compensationem accipitur a debitore, non sit aliena; quia secus non exigeres debitum a debitore, sed ab alio, qui nihil debet. — 4.° Ut debitum non possis aliter recuperare, petendo illud a debitore, vel coram iudice, vel certe non nisi magna cum difficultate, expensis, litibus, molestiis, etc. Ratio, quia non potest quis regulariter propria auctoritate possessorem expoliare, cum id pertineat ad iudicem, seu magistratum, publicam auctoritatem habentem. Praeterea bonum publicum exigit, ut nemo ius sibi dicat, ubi facilis sit ad iudicem recursus. — 5.° Ut compensatio fiat, quantum fieri potest in re eiusdem speciei, ac ea quae debebatur. Secus enim debitor sine suo consensu iniuste omnino cogitur rem suam permutare. Si vero fieri non potest in re eiusdem speciei, in alia quidem fieri potest, sed cum minori debitoris detrimento, quantum fieri potest. Hoc enim detrimentum non nisi ex necessitate cohonestatur. — 6.° Ut debitum sit certum; in dubio enim melior est conditio possidentis, adeoque re sua hic iniuste spoliaretur. — Lugo D. 16. S. 5., Ithur Cas. 3. n. 14. 15., L. 521., S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 3., E. M.

1474. *An compensatio fieri possit, rem retinendo, creditori in depositum vel commodatum traditam?* — Plures negant innixi positivis Iuris dispositionibus. C. I. 1289., C. G. 1293., C. H. 1200. 1747., C. A. 1440., L. ult. § 1. C. *de Compensationibus*, C. *Bona fides de Deposito*. « Alii tamen probabilius docent, illa iura procedere solum in foro externo, in quo praesumitur potuisse alia via recuperari debitum, et servare depositi fidem... Ratio est, quia quod res sit apud te deposita, non facit quod sit magis sui domini, quam antea, nec te obligat ad tuendam illam contra verum dominum, qui eam vult vindicare, vel contra eum, qui habet verum ius ad eam accipiendam, si de eo iure tibi constet: immo debes eam dare, si aliunde tibi damnum immineat. Ergo similiter poteris tibi accipere, si habes eius verum dominium, vel verum ius contra eius dominum ad recuperandum tuum debitum ». Lugo D. 16. n. 89., Gousset in a. 1293.

1475. *An, seclusa impossibilitate vel gravi incommodo ad iudicem recurrendi, graviter quis peccet contra iustitiam legalem et commutativam, occulte sibi compensando?* — R. Ad 1.um Negative, generatim loquendo, quia ordinarie, ex hac ordinis inversione, non sequitur grave scandalum, vel gravis reipublicae perturbatio.

Ad 2.um Negative, si accipis rem tuam, quae adhuc ad tuum dominium pertinet, vel si eam accipis in aequivalenti in rebus fungibilibus, uti pecuniam pro pecunia, triticum pro tritico etc., quia in his non cogitur debitor ad aliquod onus subeundum praeter id, ad quod tenebatur. Affirmative vero *per se* loquendo, si rem accipis alterius generis, e. g., equum pro pecunia, sine causa et necessitate; quia in hoc casu cogis debitorem tuum ad equum vendendum, adeoque ad onus grave subeundum praeter id ad quod tenebatur. Nullum autem ius habes ad hoc novum onus illi imponendum; sed *per accidens* illud sequi permittere potes, ubi causa

sufficiens et necessitas adsit rem tuam recuperandi modo quo potes. Tunc enim sibi debitor imputare debet aliud hoc onus, cum non solvat id quod solvere tenebatur. Lugo D. 16. n. 91., C. A. 1413. 1414.

1476. *An possit creditor compensare sibi ante tempus, pro debito futuro?* — R. Affirmative, si verum sit periculum morale, quod debitor suo tempore non sit debito suo satisfacturus. « Ratio, quia defensio iure naturae non solum est licita, quando iam actu me offendis, sed etiam quando paratus es ad me offendendum, et aliter non possum evadere nisi praeveniendo ». Attamen, « si aliquod damnum debitori advenit ob anticipationem compensationis... debet totum id vel diminui ex principali debito, vel debitori restitui. Cuius ratio est, quod nemo possit puniri pro delicto futuro, antequam fiat ». Lugo D. 16. n. 93.

1477. *An possit quis sibi compensare cum solo iure ad rem?* — R. Affirmative. Nam iure ad rem, *ex stricta iustitiae obligatione in altero*, licet immediate et directe obligata sit *persona*, mediate tamen et indirecte ipsa *res* est tibi obligata. Quare, uti licite cogere potes personam, ut tibi solvat ad iudicem recurrendo; ita et licite eam cogere potes, ut tibi solvat, rem, quae tibi debetur, sumendo; cum impossibilis sit ad iudicem recursus. Et sane evidens res est, quod nulla sit iustitiae commutativae laesio, si tibi *sumas* quod alter ex eadem iustitia *debet*, nec vult dare. — L. 614., Lugo D. 16. n. 97.

1478. *An stante sola probabilitate iuris in re licite fieri possit occulta compensatio?* — Haec Ithur. Cas. 3. n. 11.: « Quoties opinio utrique parti fuerit aeque probabilis, vel ut frequenter accidit, sua cuique probabilior, iuste fit non in toto, sed certe in medietate debiti compensatio ». Ratio 1.ª est, quia in tali casu « neutri iudex potest *totum* adiudicare, sed debet rem inter litigantes dividere... Nemini autem licet per occultam compensationem plus acquirere, quam quod sibi possit a iudice post adlegata et probata adiudicari ». Ratio 2.ª est, quia « quandocumque ius ad eandem rem est aequale, aequale sit oportet partis utriusque emolumentum, sic iustitia exigente, cuius est aequalitati consulere ».

Card. vero Lugo, relata communi sententia, quae ad compensationem ius exigit *certum*, haec deinde subdit: « Haec doctrina si, ut sonat, intelligatur difficilis est, nec a suis auctoribus videtur constanter retineri... Exempla aliqua subiiciam: in primis de illo, qui a Petro infamatus est quaeritur, an pro fama, quam Petrus ei non vult vel non potest resarcire, liceat infamato compensationem facere, negando pecunias, quas eidem Petro debebat. Respondet Lessius posse, quia probabilis est sententia, quae docet, infamiam compensandam esse pecunia, quando non potest in proprio genere restitui... cum verior sententia id neget... Secundo quando duo se mutuo infamarunt possunt, quando damnum est aequale, compensare sibi, ita ut quilibet non teneatur restituere, quamdiu alter restituere non vult... Quae compensatio in eo casu fundatur solum in opinione probabili, cum contraria sit etiam probabilissima. Tertio, qui ex testamento minus solemni legatum debet habere, cum sit opinio probabilis deberi in foro conscientiae ea legata; licet contraria opinio sit satis communis et probabilis, potest tamen legatum detinere, vel de novo accipere, aut occulte sibi compensare ». Hinc concludit Lugo generatim: « videtur

probabile, quod possit creditor, antequam res ad iudicium deducatur... compensare sibi occulte suum debitum... Ratio etiam id videtur probare, quia non obstante possessione debitoris, iudex proferret sententiam, vel certe proferre posset pro creditore, amplectendo sententiam, probabilem vel probabiliorem, quae ipsi favet... Cur ergo ipsemet creditor, quando sine incommodo gravi non potest ad iudicem recurrere non poterit amplecti eandem sententiam, quam iudex amplecti debuisset vel potuisset, et compensare sibi debitum? ». Advertit autem idem Lugo, quod licet iudex teneatur in iudicando sequi probabiliorem opinionem, creditor tamen in occulta compensatione ad id non videtur obligari, quia ratio, ob quam potissime iudex id non potest ea est « quia ex officio et pacto implicito erga Rempublicam videtur teneri ad inquirendam veritatem quantum possit, quae ratio in creditore non militat, qui nullo tali pacto erga Rempublicam tenetur. De hoc tamen nihil volo asserere, immo libenter abstineo ab ultimo iudicio circa hoc totum punctum de compensatione licite facienda cum opinione solum probabili ». D. 16. n. 94. seqq., L. 521. 544. 700. 817. 928., l. 1. n. 30.

Communis autem sententiae ratio est: 1.° Periculum hac in re facilis hallucinationis; unde grave, practice loquendo, periculum adest, aliena iura laedendi. 2.° Quia, si alter revera bona fide rem possideat, et titulo rationabiliter saltem praesumpto, iam ius *certum* habet saltem *detentionis rei*, et re consequenter spoliari non potest, donec *certo* constet de alieno iure et dominio rei.

DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO

I. — DE IUDICIO TEMERARIO

1479. *Quid octavum Decalogi praeceptum?* — Octavum Decalogi praeceptum est: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Ex. 20., 16.; Matth. 18., 19. Per hoc praeceptum, quatenus negativum est, primario prohibetur falsum testimonium, in iudicio praesertim; secundario vero prohibetur omnis iniusta laesio proximi in bonis famae et honoris, quae ad falsum testimonium, tamquam iniuriam principalem reducitur; uti sunt iudicium temerarium, detractio, contumelia, mendacium. Quatenus vero affirmativum est iubet, ut qualibet sublata simulatione et fallacia, simplex et nuda veritas dicatur. Catech. Rom. De 8.° Praec. n. 2., L. 961.

1480. *Quid fama? Quid temerarium iudicium?* — *Fama* est: opinio communis de vita, moribus, aliisque qualitatibus alicuius, quae eius moralem existimationem augere vel imminuere possunt. *Bona fama* igitur est opinio communis de virtute, sapientia, aut de rebus praeclare gestis alterius; quae si exit in testimonium externum verbale, dicitur *laus;* si vero in testimonium reale, dicitur *honor*. Unde bona fama alicuius non solum potest iniuste laedi per dectractionem, contumeliam, sed etiam per iudicium internum temerarium de aliquo crimine, aut defectu morali alterius. — Distinguendum est dubium temerarium, suspicio, opinio et firmum

iudicium. *Dubium temerarium* habetur, cum quis sine sufficienti ratione haeret suspensus, quin tamen potius inclinet in iudicium de vitio quam de virtute. *Suspicio temeraria* datur, quando quis sine sufficiente motivo potius inclinat in iudicium de vitio, quam de virtute alterius; actuale tamen iudicium suspendit. *Opinio temeraria* datur, quando quis sine sufficiente motivo elicit assensum de vitio alterius, cum formidine tamen de opposito. *Iudicium temerarium* tandem datur, quando quis sine sufficienti motivo elicit determinatum iudicium de vitio alterius absque formidine de opposito. — L. 962. 965., S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3.

1481. *Quale peccatum sit iudicium temerarium? — Iudicium temerarium est peccatum oppositum iustitiae, et ex genere suo mortale.* Prob. 1.ª p., quia quilibet habet ius, ne ab altero iudicetur esse malus, quamdiu huic non dat sufficiens motivum iudicandi, se esse malum; adeoque iudicium temerarium ex suo conceptu generico, et praecisa alia malitia, repugnat iustitiae. Prob. 2.ª p., quia bona fama notabile hominis bonum est. — *Ex genere suo,* quia saepius non nisi veniale est ob materiae parvitatem, sive *secundum se,* sive *respective* ad personas, de quibus agatur, aut ob actus imperfectionem. — L. 962., Lugo. D. 14. n. 11., S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3.

1482. *Quandonam iudicium temerarium grave peccatum sit? — Ut iudicium temerarium sit peccatum in individuo mortale, tres requiruntur conditiones:* 1.° *Ut sit firmum, et deliberatum.* 2.° *In materia gravi.* 3.° *Temere conceptum.* Prob., quia iudicium temerarium, nisi sit firmum, in materia gravi, et temere conceptum, non est gravis iniuria proximi: si autem non est satis deliberatum, non est perfectum ex parte actus, et consensus voluntatis. Ergo, nisi habeat praedictas tres conditiones simul, non est peccatum mortale. — L. 962., Lugo D. 14. n. 11. 23.

1483. *Quale peccatum sit dubium, suspicio, opinio temeraria? — Dubium positivum, suspicio aut opinio temeraria de alterius crimine per se est peccatum solum veniale.* Prob., quia etiam opinio, si sit formidolosa, de alterius crimine, per se loquendo, non infert ei gravem iniuriam, cum non sit iudicium firmum; ergo. — *Dubium positivum* temerarium datur, quando quis deberet ex motivis gravioribus iudicare, aliquem esse bonum, et innocentem; ex aliis tamen levioribus motivis positive dubitat, seu reflexe iudicat, esse dubium, an sit bonus vel malus, seu innocens vel nocens. — *Per se,* nam *per accidens* potest subinde fieri grave; si, e. g., hi actus versentur circa peccata valde extraordinaria, et gravia ratione conditionis personarum, quas respiciunt, ac ex levibus omnino indiciis, quia talis opinio, suspicio aut dubitatio maior iniuria est, quam iudicium etiam firmum circa peccata minus gravia ordinaria. Sic etiam tales actus grave peccatum sunt, si procedant ex malevolentia absque causa; procedunt enim tunc ex contemptu alterius, proindeque gravis iniuria reputantur — L. 963. 964., S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3., Caiet. ib., Quodl. 12. a. 34., Lugo D. 64. n. 17.

1484. *Quid de dubio negativo? — Dubium pure negativum de innocentia vel crimine alterius nullum est peccatum.* Prob., quia in tali dubio nullus tenetur positive iudicare, alterum esse innocentem, et sic se exponere periculo erroris; adeoque suspendendo omne iudicium de innocentia,

aut crimine alterius, non peccat. — S. Th. 2. 2. q. 60. a. 4., Less. l. 2. c. 11. n. 32-36., Lugo D. 14. n. 21.

1485. *Nota: In dubio sufficienti de crimine vel innocentia alterius observandum est illud axioma prudentum:* In ordine cautelae praesumenda sunt peiora, in ordine vero caritatis et iustitiae meliora. Ratio prioris partis est: quia ad praecavendum malum, praesertim proprium, aut suorum, quilibet habet ius; adeoque in ordine cautelae potest praesumere peiora, saltem practice, et praecise in ordine ad cavendum malum. Ratio posterioris partis vero est: quia minus malum est error praecise speculativus, contra veritatem, quam practicus contra caritatem, et iustitiam; adeoque in ordine caritatis, et iustitiae ad alterum, praesumenda sunt meliora. S. Th. 2. 2. q. 60. a. 4. ad 3.

II. — DE DETRACTIONE

1486. *Quid sit detractio; quid calumnia?* — Detractio est: *alienae famae occulta et iniusta violatio. Occulta,* i. e. in alterius cui detrahitur absentia. *Alienae,* qui enim propriam laedit, ordinarie iniustus non est, cum sit illius dominus. *Fama* vero est publica opinio de alterius excellentia. *Violatio famae* variis modis fieri potest: 1.° *Positive,* si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur. 2.° *Negative,* negando nempe bona opera proximi, vel illa minuendo, vel etiam quandoque tacendo, aliis laudantibus, vel frigide laudando. — Si alicui detrahatur, crimen verum aperiendo, dicitur simplex *detractio*; si imputando falsum, dicitur *calumnia,* quae est gravior et specie differt a simplici detractione, quia detractioni mendacium addit proximo damnosum. Haec tamen diversa species, « prout praecise est contra veracitatem, non est malitia mortalis, atque ideo non affert speciem diversam mortalem, necessario in confessione explicandam ». Lugo D. 14. n. 36. — *Detractio* differt a *susurratione*; quae est verbum seminans inter amicos discordias. Convenit tamen susurratio cum detractione ex parte *materiae,* quia utraque malum de proximo dicit; sed *specie* differt ex parte finis, quia susurratio insuper dissolutionem amicitiae intendit. Et ideo est ex genere suo mortalis, specie diversa ac gravior detractione; unde in confessione est exprimenda, ut notat S. Th. 2. 2. q. 74. a. 2. — L. 966., S. Th. 2. 2. q. 73. a. 1., E. M.

1487. *Quale peccatum sit detractio? — Detractio est peccatum oppositum iustitiae et ex genere suo grave.* Prob., quia opponitur iuri, quod alter habet ad suam famam, seu bonum nomen; ergo est peccatum oppositum iustitiae, et ex suo conceptu generico mortale. Praeterea detractio per se est peior furto, sicut fama est melior pecunia; iuxta illud Prov. 22., 1.: *Melius est bonum nomen, quam divitiae multae.* Et Eccli. 41., 15.: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.* — L. 966. 967., S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2., E. M.

1488. *An grave sit revelare naturales defectus alterius? — Revelare alterius defectus naturales, per se loquendo, non est peccatum mortale.*

Prob., quia tales defectus sunt inculpabiles, et ordinarie pluribus noti: adeoque eos revelare non solet esse famae graviter noxium. Sic non solet esse famae graviter noxium, si quis dicat alterum esse ignarum, imprudentem, etc. Neque si dicat alterum esse luscum, claudum, gibbosum, etc. *Per se loquendo;* nam, si ex revelatione alicuius defectus naturalis alter pateretur damnum, aut graviter contristaretur, revelator graviter peccaret contra iustitiam aut caritatem, nisi haberet iustam causam alicui manifestandi similem defectum naturalem. — L. 967.

1489. *Nota:* Idem dicendum, generatim loquendo, de omnibus illis defectibus moralibus, qui licet sine peccato et sine crimine sint, personam efficere possunt minus honore dignam, idemque dicendum de defectibus mere civilibus in eodem casu, e. g., si quis dicat de honesta puella vim esse passam, de honesto et gravi viro lanionis artem exercuisse.

1490. *An grave sit revelare leve alterius peccatum? — Revelare peccatum veniale alterius, aut loqui de peccatis per verba generalia, per se loquendo, non est peccatum mortale.* Prob., quia *in multis offendimus omnes;* adeoque revelare alterius peccatum veniale, vel peccata per verba generalia, ex quibus non potest colligi, alterum peccasse mortaliter, non solet esse famae graviter noxium. — *Per se loquendo;* nam conditio alicuius personae potest esse talis, ut in ea etiam peccata venialia censeantur esse magni momenti, e. g., si de viro gravi, et religioso, dicatur esse mendacem, seu crebro mentiri; aut, si de aliqua religiosa communitate referantur certa peccata per verba etiam solum generalia, e. g., multa scio de illa, quae patefacere prohibet caritas etc., aut tam multa dicantur, etsi non singula gravia, ut notabiliter laedatur fama alicuius personae, in conspicua dignitate constitutae, licet intra longum tempus id peragatur. — L. 997.

1491. *An semper grave sit revelare grave alterius peccatum? — Revelare peccatum mortale alterius est peccatum mortale, quando propterea patitur grave detrimentum famae, non vero quando patitur solum leve detrimentum.* Ratio quoad 1. p. per se est clara. Ratio quoad 2. p. est, quia quaedam peccata mortalia a personis certae conditionis tam frequenter committuntur, ut de illis iam quasi praesupponantur; adeoque de persona similis conditionis referre certum peccatum mortale parum minuit illius famam; ut, e. g., si dicatur de milite, quod commiserit duellum, aut seduxerit puellam. Idem esset, si quis revelaret delictum, de quo alter se iactare solet, vel eiusdem rationis, seu speciei, cuius iam prius fuit publice diffamatus. L. 967., S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2. 3.

1492. *Resolves:* Infertur 1.° non peccare mortaliter eum, qui refert alterius grave crimen, si adeo vilis est conditionis et auctoritatis, ut sibi prudenter persuadere possit, audientes sibi non esse credituros. Ratio huius est, quia talis non causat in audientibus iudicium firmum de alterius crimine, sed ad summum levem aliquam suspicionem.

2.° Non peccat mortaliter, qui iniuriam ab aliquo sibi illatam narrat amico, ut consolationem aliquam ab illo accipere, et exposita querela acerbitatem doloris lenire possit. Ratio specialis huius est, quia nimis difficile foret, si quis gravem iniuriam in silentio deberet decoquere, et eam sub gravi obligatione neque amico consolationis causa posset referre.

Hinc excusantur saltem a mortali famuli detegentes iniurias illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, religiosi a praelato, doloris tantum mitigandi causa. L. 973., S. Th. 2. 2. q. 73. a. 3., 1. 2. q. 38. a. 2.

3.° Mortale non est de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, si talis non sit, ut in alios notos et determinatos infamia redundet. Sic, v. g., peccat qui detrahit ordini religioso, vel nominat monasterium, in quo quis grave peccatum occultum commiserit. Id enim tali ordini vel monasterio graviter nocet. Excipiunt, si agatur de aliquo ordine amplo, neque sit strictioris observantiae, cum in quolibet amplo loco ferme semper sint aliqui discoli. — L. 979.

4.° Non est peccatum contra iustitiam saltem mortale, quaerere causam captivitatis alicuius vel de ea loqui; sicut enim captivitas est publica, sic etiam causa videtur esse facta publica. L. 974.

5.° Mortuum infamare minus grave est, quam vivum, cum non amplius fama indigeat ad recte vivendum; mortale tamen adhuc esse potest, et ad restitutionem obligans; quia nemo totus moritur, et mortui existimatio ad viventes saepe pertinet. L. 978.

6.° Crimina, oblivioni iam data, in memoriam revocare grave *per se* contra iustitiam est, siquidem recuperatam aufert existimationem. Criminum vero quae nondum oblivioni data sunt, memoriam constanter renovare, grave *per se* contra caritatem est; siquidem hoc sine iusta causa, ut supponitur, gravi proximum afficit moerore.

1493. *An aliquando liceat calumnia vel detractio?* — *Nunquam licet falsum crimen alteri apponere,* ut constat ex pr. 44.ª d. ab Innoc. XI. *Licet tamen iusta de causa crimen alterius occultum etiam cum iactura famae ipsius manifestare;* quia aliquando bonum publicum vel privatum hoc requirit, et tunc ius proximi ad famam conservandam a potiori iure eliditur. — L. 972., S. Th. 2. 2. q. 69. a. 2.

1494. *Quibusnam causis liceat alterius crimen revelare?* — *Causae, propter quas licite crimen alterius revelari potest, immo aliquando etiam debet, sunt sequentes:* 1.° Utilitas notabilis revelantis ipsius, v. g., ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractionem. 2.° Utilitas delinquentis, nempe ad ipsius instructionem, vel correctionem, etc. 3.° Utilitas publica, uti ad impedienda mala reipublicae vel religioni aut alicui communitati imminentia. 4.° Utilitas gravis etiam privata sive audientium, sive aliorum, v. g., ut a malis, damnis aut incommodis certe aut probabiliter eventuris liberentur. Ratio horum est, quia tunc peccata alterius manifestans non laedit iustitiam nec caritatem. *Non laedit iustitiam*, quia proximus non habet ius ita strictum ad suam famam, ut alii obligentur ad tegendam veritatem, quando eius manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum. *Nec laedit caritatem,* quia caritas non obligat cum gravi incommodo; et sicut non teneris impedire damnum proximi tui quamvis magnum, cum gravi tuo damno, ita nec teneris in casu occultum crimen proximi celare. — L. 968., S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2., Lugo D. 14. n. 97. 112. 113., Gousset 1070.

1495. *Resolves:* 1.° Si quis iniuste laedit famam tuam, vel *calumnia* vel simplici *detractione*, delictum tuum omnino occultum denuntiando,

nec potes eam tueri, nec recuperare alia via quam imminuendo quoque famam illius, id licet, dummodo falsa non dicas, et solum in tantum, in quantum ad tuam famam conservandam necesse est, nec magis laedas quam laedaris collata tua et alterius persona. L. 972.

2.° Licet alium infamare ad tormenta gravia vitanda, si crimen sit verum; quia nullam alteri facis iniuriam, cum habeas ius, illud in necessitate revelandi; sed non licet, si crimen sit falsum, quia esset mendacium perniciosum. L. 982.

3.° Licite etiam imminuis alicuius famam, si aestimatio, falso concepta de eius doctrina et probitate, est aliis perniciosa; dummodo nulla alia sit ratio commodior malum impediendi, et damnum, quod proximo timetur, sit maius aut saltem aequale damno, quod ex manifestatione defectus, aut criminis alterius ei obveniret. Less. 968. Quin immo ex Lugo D. 14. n. 112. neque excessus neque aequalitas damni tui aut aliorum requiritur, « dum damnum, quod tibi vel aliis times, non sit leve, sed grave ac notabile ». Ita etiam S. Alph. 968.

1496. *An sit mortale grave alterius peccatum, quod graviter eum dedecoret, unico viro prudenti et discreto revelare, seclusa speciali malitia?* — Prima sententia communior et probabilior dicit, graviter peccari, nisi inadvertentia aut magna levitas excuset. Ratio est 1.° quia laesio famae etiam apud unam personam gravem gravis censetur, ut patet ex iudicio temerario, quod per se grave est. 2.° Quia saepe homines aegrius ferunt, se laedi apud unam personam gravem, quam apud tres vel quatuor alias. Secunda sententia probabilis negat. Ratio est, quia cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit. Non stat autem paritas iudicii temerarii, quia falsi criminis in eo habetur impositio; et in casu, de quo agitur, nuda veri criminis manifestatio. Excipe, nisi quis ei revelet, quem reus maxime et prae omnibus aliis latere velit, eiusque interest graviter ne illi reveletur. — L. 973., S. Th. Quodl. 11. a. 13 ad 3.

1497. *An revelari possit alterius crimen occultum, simul narrando poenitentiam peractam?* — R. Negative. Non enim manifestatio illa delicti per subsequentem poenitentiam aeque compensatur. Semper enim sinistra quaedam opinio in aliis ingeritur. — L. 974.

1498. *An grave sit grave peccatum occultum de quadam persona manifestare, quae alio gravi peccato iam noto sit infamata?* — R. Affirmative *per se*, si peccata sint inter se disparata. Infamis enim in uno genere vitii, non amisit ius famae quoad alias virtutes. Negative vero, si sint inter se connexa et unum alterum inferat, quia tunc notabiliter infamia non augetur. — L. 976., H. A. 14.

1499. *An ad vitandum grave tuum damnum, possis crimen occultum alterius revelare, si notitiam acceperis iniuste per vim, aut fraudem, puta aperiendo litteras, etc.?* — Haec S. Alph. 969.: « In hac quaestione plures sunt sententiae. Sed inter has tam varias, magis mihi arridet sententia Lugonis. Docet hic magnus theologus te non posse, generaliter loquendo, uti notitia illa iniuste accepta cum alterius damno ob quodcumque damnum tuum effugiendum. Ratio, quia actio iniusta, qua tu secretum accepisti, obligat te ad restituenda omnia damna propter illam proximo obventura.

Tunc tantum recte admittunt Lugo etc., te posse crimen manifestare: 1.° Si revelatio esset necessaria ad bonum commune reipub. 2.° Si alter teneretur ex iustistia secretum revelare, ad damnum tuum reparandum. 3.° Si ille iniuste te vexaret ».

1500. *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus?* — R. Affirmative, quia hoc nec contra iustitiam videtur esse, nec contra caritatem, sive sit publicum publicitate iuris sive publicitate facti. L. 974.

1501. *An crimen publicum in uno loco possit revelari in alio loco, ubi ignoratur?* — R. Affirmative probabilius *per se*, saltem absque peccato gravi, si agatur *de loco vicino*, seu de loco ubi facile et brevi publicandum est. Ratio est, quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certe non magnae aestimationis est, et, moraliter loquendo, iam abiecta est. Excipe tamen, nisi grave damnum sit inde quis passurus. — Si agatur *de locis, ad quae divulgatio non est perventura*, aut non nisi post diuturnum tempus, distinguendum est. *Quoad notorietatem iuris*, non est *contra iustitiam*, quia iudex, quando publice aliquem condemnat, intendit reum spoliare fama, ut ceteris ubique sit in exemplum. Nec probabilius est *contra caritatem*, saltem graviter, quia ad bonum commune magnopere confert, sententiam ubique vulgari, ut efficacior sit poena, ac reus cognoscatur etiam ab incolis regionis remotae, qui cum illo negotia tractanda habere possent. L. 974. *Quoad notorietatem facti*, controvertitur. Prima sententia valde probabilis dicit, non esse *per se* illicitum, quia neque *contra iustitiam* peccatur, neque *contra caritatem*, saltem graviter, modo agatur de criminibus, quae reddunt hominem perniciosum. Ratio est, quia bono publico conducit, facinorosos homines dignosci, ut ab eis cavere omnes possint. L. 974., H. A. 12., In Retr. n. 12. Secunda sententia e contrario dicit, esse peccatum tum *contra iustitiam*, tum *contra caritatem*. *Contra iustitiam* quidem, quia infamatus in uno loco, non amisit ius ad famam in alio remoto, ubi fama criminis non est brevi perventura; ergo ipsi facit iniuriam, qui eum ibi diffamat. *Contra caritatem*, quia diffamans nocet proximo in re gravi seu in fama, quam alibi sine ullius iniuria possidere pergit.

1502. *Nota* 1.° ex S. Alph. H. A. 12., « quod delictum publicatum in uno monasterio, non potest dici absolute publicum; unde, non potest alibi manifestari, et ne in alio quidem monasterio ipsius ordinis, quod cum illo haberet frequentem communicationem ». — 2.° Ex eod. S. D. l. c. 13., « delictum alicuius publicum uno tempore, non potest in alio, in quo factum est occultum, publicari sine gravi culpa, saltem contra caritatem, nisi delictum esset publicum non solum notorietate facti, sed etiam notorietate iuris, i. e. per sententiam iudicis, vel rei confessionem in iudicio ». Hoc tamen non impedit, quominus delicta publica ad publicum bonum publicis historiis narrentur ad veritatem factorum conservandam, horrorem vitii iniiciendum, divinam misericordiam commendandam, etc., Cf. Lugo D. 14. n. 87.

1503. *Quandonam crimen seu factum dici possit publicum seu notorium?* — Dicitur omnino *publicum* seu *famosum*, quando innotuit maiori parti communitatis seu civitatis, oppidi, pagi, etc. Dicitur *simpliciter publicum* seu *notorium*, quando innotuit tot personis, ut nulla tergiver-

satione celari possit, et moraliter sit impossibile, quod in notitiam communitatis non deveniat. — Valde autem difficile est determinare, quot personarum requiratur cognitio, ut crimen publicum censeri debeat. Varias regulas assignaverunt theologi pro vario numero personarum, quae communitatem componunt. Iuxta communiorem sententiam dici potest publicum crimen, si quindecim sciant ex communitate centum personarum; aut viginti diversarum familiarum in communitate mille personarum; aut quadraginta dispersi in oppido quinque millium personarum. Ita S. Lig. 975. Sed, ut melius inquit Billuart de Iust. diss. 15. art. 2. § 5., hoc remittitur iudicio prudentis, qui, attento communitatis numero, hominum garrulitate et aliis circumstantiis, iudicet, an possibile sit, ut res secreta maneat.

1504. *An peccet graviter referens tantum gravia peccata alterius, ut ab aliis audita, v. g., si dicat: Fertur, narrant, audivi de tali hoc vel illud?* — Peccat graviter *contra caritatem et iustitiam,* si ita referat, ut alii sint verisimilius et merito id credituri, v. g., si asserat se, quae narrat, audivisse a persona fide digna, quia tunc causam sufficientem credendi malum praebet; secus, si probabiliter fides dictis non adhibeatur, quia nulla infamia inde orietur. Multo autem facilius peccabit graviter referens, etiam ut mere dubium, peccatum enorme alterius, v. g., haeresis, sodomiae, etc.; quia sola horum enormium criminum suspicio valde infamat. — Peccat graviter *contra caritatem,* si audita referat coram iis, qui probabiliter ea credent ex levitate aut malitia propria; quia sub gravi quisque tenetur ex caritate tollere occasionem damni alterius, cum facile potest. Non tamen videtur peccare *contra iustitiam,* quia non est causa efficax damni. L. 977. 978., Billuart ib. art. 2. § 4.

1505. *Quomodo peccet audiens detractionem?* — *Qui efficaciter inducit alium ad detrahendum* peccat certe graviter non solum *contra iustitiam,* sed etiam *contra caritatem.* Ratio est, quia non solum est iniusta causa ulterioris detrimenti famae illius cui detrahitur, sed etiam ulterioris peccati detractoris. Ergo respectu primi peccat contra iustitiam, respectu posterioris contra caritatem propter scandalum et cooperationem. — Peccat graviter *contra caritatem,* quoad eum cui detrahitur, *qui gaudet de detractione* gravi ab alio facta, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe, si gauderet tantum de auditione rei novae vel curiosae, non vero de ipsa detractione. Peccat etiam *contra caritatem* quoad detrahentem, huic enim occasionem praebet peccatum exterius consummandi. S. Th. 2. 2. q. 73. a. 4. — *Superior* peccat *contra caritatem,* si detractionem non impediat in quantum commode potest, etiamsi de ea non gaudeat; quia illi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno subditi infamati obviandi. Probabilius autem non peccat contra iustitiam: 1.° Superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi. 2.° Superior infamati, quia ipsi non incumbit ex iustitia bono temporali subditi attendere. L. 979. Attamen, superior detrahentis « non excusatur a culpa gravi contra caritatem, et etiam contra iustitiam, si sit episcopus vel parochus, et non corrigat, quia hi tenentur ex iustitia ad corrigendos subditos ». L. 980., Struggl 40. — *Persona particularis* plerumque aut omnino aut saltem a gravi peccato excusatur, si detractionem non impediat, sive ex verecundia aut timore vel etiam negligentia, etiamsi com-

mode possit, modo de illa non gaudeat, nec praeter infamiam aliud damnum accedat. Ratio est, quia in hac materia saepe constare nequit correctionem esse profuturam; immo saepe periculosum est, et merito timeri potest, ne detractio potius augeatur vel producatur. Culpa tamen aliqua non carebit, si facile correctionem efficacem adhibere possit. Excusatur item quis saltem a gravi peccato, si tacet, quia nescit, an occulta sint, quae detractor referat. Excusantur autem etiam a veniali, qui ubi advertunt detractionem, discedunt, sermonem expungunt, aut faciem avertunt, atque tristes se ostendunt, iuxta illud Prov. 25., 23.: *Dissipat facies tristis linguam detrahentem.* — L. 980. 981., S. Th. 2. 2. q. 73. a. 4.

1506. *Quaenam adsit obligatio restitutionis in detractore?* — *Detractor tenetur ex iustitia, quantum fieri potest: 1.° ad reparandam famam, iniuste ablatam: 2.° ad compensanda omnia damna temporalia ex diffamatione provenientia et aliquo modo praevisa.* Ratio primi est, quia per ablationem famae irrogata est iniuria damnosa; ius enim, quod quisque habet ad famam, auferri privata auctoritate nequit: cum itaque necessaria sit boni iniuste ablati restitutio, propterea iniuria illa resarciri debet. Ratio secundi est, quia omnia damna provenientia ex detractione tribuenda sunt detractori, ut causae eorum efficaci, sive crimen revelatum sit falsum, sive verum, cum in utroque casu famam iniuste detractor laeserit. — Obligatio restituendi famam est personalis. Obligatio vero reparandi damna, quae ex diffamatione orta sunt, est realis, et proinde ad haeredes transit. — L. 613. 991. 994. 995. 996., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2., q. 73. a. 2.

1507. *Quomodo fama sit restituenda?* — *Restitutio famae alio modo facienda est a calumniatore, ac a detractore simplici.* Hinc 1.° *calumniator* tenetur dicta retractare, et quidem *per se* etiam cum iactura propriae famae, si aliter reparatio fieri nequeat; ratio, quia melior est conditio innocentis quam nocentis, et malitiae suae imputare debet, quidquid propterea est passurus. — 2.° *Detractor simplex* dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed alio modo, quantum in ipso est, famam restituere debet, dicendo, v. g., se male locutum fuisse, se erravisse, aut quid simile; non enim hi solum errant qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt, iuxta illud Prov. 14., 22.: *Errant, qui operantur malum.* Sed saepe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis coniiciunt, verum esse crimen, quod non asseritur aperte esse falsum. Tunc igitur detractor tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum, cui detraxit. — L. 992., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2., q. 73. a. 2.

1508. *An famam quis restituere debeat etiam cum suo incommodo?* — *Qui laedendo alterius famam solum venialiter peccavit, non tenetur eandem restituere cum gravi suo incommodo. Qui vero peccavit mortaliter, tenetur eandem restituere etiam cum gravi incommodo, at proportionato alterius damno.* Ratio 1.[i] est, quia ex culpa solum levi, et veniali in simplici damnificatione proximi non potest oriri obligatio gravis, et sub mortali restitutionis in foro conscientiae, saltem ex iustitia. Si tamen ille, qui venialiter peccavit in detrahendo ex semiplena advertentia, potest commode restituere famam in re gravi, hanc ex caritate et ex iustitia tenetur sub peccato mortali restituere; nam caritas graviter obligat ad averten-

dum grave malum proximi, etiamsi quis nullo modo sit causa illius; et iustitia graviter obligat, ne nostra actio pergat graviter influere in damnum proximi. Ratio 2.[i] est, quia talis tenetur famam restituere ex iustitia, et propter culpam mortalem praecedentem: atqui obligatio ex iustitia et ex culpa mortali et in re gravi obligat cum gravi incommodo. Ratio 3.[ii] est, quia si malum quod deberet pati detractor est altioris ordinis, aut in eodem ordine notabiliter maius malo, quod pati debet innocenter infamatus, infamator posset ordine caritatis praeferre bonum proprium maius bono minori innocentis, ut communiter advertunt theologi. Attamen, si restitutio *directa* famae, dictorum retractatione, fieri non possit, aut non expediat, *indirecta* saltem restitutio facienda est, laesum laudando, honorando, etc. — L. 994.

1509. *An infamans teneatur famam restituere etiam coram iis, qui crimen a se revelatum mediate acceperint?* — R. Affirmative, si famam violavit apud audientes, quos praevidebat facile infamiam evulgaturos. Ratio, quia tunc ipse fuit prima et efficax causa damni. Secundis vero causis deficientibus, obligata semper manet causa prima. Secus vero non tenetur. — L. 991.

1510. *Quaenam sint causae a restitutione famae excusantes?* — Sequentes communiter admittuntur: 1.° Si delictum quod uni vel pluribus revelasti, ex alia via publicum evaserit, aut si fama alio modo reparata sit, v. g., per sententiam iudicis, etc. — 2.° Si prudenter iudicetur, criminis memoriam temporis decursu oblivione deletam esse. — 3.° Si restitutio famae fieri nequeat sine vitae periculo; quia vita est bonum ordinis superioris, ac fama; item si restitutio famae sit multo minoris valoris, ac iactura, quam pati deberet diffamator, v. g., si esset homo honoratus et praesertim bono publico vel religioni valde utilis. — 4.° Si reparatio sit moraliter impossibilis ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quae praesertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur; v. g., si qui audierunt detrahentem, a praeoccupata opinione revocari non possint. — 5.° Si iudicetur, detractioni fidem adhibitam non fuisse ab audientibus, ut fit saepius, quando in irae calore detrahitur. — 6.° Si infamatus obligationem expresse vel tacite remiserit, modo remittere possit; immo quandoque sufficit condonatio praesumpta. L. 1003. Eam autem remittere non potest, quando ex eius infamia sequitur scandalum, aut damnum vel commune vel suorum, etc., v. g., si agatur de infamia sacerdotis, etc. L. 997. seq.

1511. *An excuseris a restitutione famae, si etiam laesus tuam famam violaverit, nec restituere velit?* — Negat Navarrus, Sporer, et quidam alii; sed probabilius affirmandum cum S. Alph. 999.; quia non teneris alteri ius suum reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.

1512. *An tenearis famam pecunia compensare, si eam restituere non possis?* — R. Negative saltem *probabilius*, quia iustitia obligat tantum ad reddendum ablatum, aut aequivalens; sed pecunia non fuit ablata per detractionem, neque ipsa est famae aequivalens, cum sit alterius ordinis. — L. 1000., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2.

1513. *Quid agendum, si dubium sit, an infamatio fuerit oblivioni data?* — Haec S. Alph. 998.: « Retractatio per se affert infamiam retractandi;

unde, quando dubitatur de oblivione infamationis, non videtur quis teneri damnum certum pati, ad reparandum incertum damnum proximi. Et licet iniuria irrogata sit certa; et ideo possideat, attamen, quia restitutio non debetur ob solam iniuriam, sed ob damnum vere illatum, ut dicimus cum S. Th., non videtur esse obligatio resarciendi damnum dubium cum damno certo restituentis, nisi quando solum periculum infamiae alterius in aliquo casu magis aestimaretur, quam infamia certa, sive damnum detractoris ».

III. — DE CONTUMELIA

1514. *Quid contumelia et quotuplex; ac quale peccatum sit?* — Contumelia est: iniusta violatio *honoris* personae praesentis. Contumelia igitur differt a detractione primo per hoc, quod detractio directe laedat *famam*, seu internam existimationem, quam alii habent de proximo; contumelia vero directe laedat *honorem*, seu externam contestationem talis existimationis, sive verbis sive factis fiat. Secundo contumelia differt a detractione per hoc, quod detractio fiat occulte, et in alterius absentia; contumelia vero fiat palam, et in alterius praesentia, per eius contemptum, sive in seipso quis praesens sit, sive in alio, v. g., in suo legato, vel statua: nam contumelia dicitur a contemnendo. L. 966. — Contumelia fit tribus modis, nempe verbo, scripto et facto. Porro sub contumelia, quae fit verbo, comprehenditur *convicium*, *improperium*, *opprobrium* et *maledictum*. Sub contumelia, quae fit scripto ex animo alterum infamandi, comprehenditur *libellus famosus*. Et tandem sub contumelia, quae fit facto, comprehenditur *irrisio*, *illusio* et *subsannatio*. « Interim tamen istae species contumeliae in foro theologico sunt solum materiales; nam formaliter omnes pertinent ad iniustam laesionem honoris alieni ». Struggl 23. Attamen ex S. Th. 2. 2. q. 75. a. 1. « *derisio* est peccatum speciale ». Etenim « sicut aliquis conviciando *intendit* conviciati *honorem deprimere*... ita etiam irridendo aliquis *intendit*, quod ille qui irridetur *erubescat*... Qui conscientiam alicuius inquietat, *confundendo* ipsum, aliquod speciale nocumentum ei infert ». — Laesio honoris debiti non solum contra caritatem, sed etiam contra iustitiam est: nam ius singuli habent ad certum honorem, et ne despectui habeantur. Quaelibet autem honoris laesio, si id tantum spectetur, non effectus alii extrinseci, eiusdem infimae speciei est. Lugo de Poenit. D. 16. n. 265. — S. Th. 2. 2. q. 72. a. 1., q. 73. a. 1., q. 75., q. 103. a. 1. 2., Struggl 23.-27., Ithur. Cas. 30. n. 5.

1515. *Quid convicium, improperium, opprobrium, irrisio, subsannatio, illusio, imprecatio?* — « *Convicium*, quasi *Convocium* dictum, proprie voces plurium inter se collisas inordinatumve clamorem significat, et quia probra saepe, contentione adhibita, ingeri solent, ideo pro *contumelia a pluribus facta* in rigore usurpari deberet, usus tamen fert, ut *convicium* cum contumelia confundatur, ut sit iniuria, qua praesenti cuipiam ad os obiicitur crimen aliquod, sive etiam malum vel poenae vel naturae... *Improperium* est *iniuria*, qua quis alteri obiicit beneficium in eum antea collatum, ingratum eius animum erga benefactorem exprobrando... *Opprobrium* in

Iure idem ac *probrum*, L. *Probrum ff. de Verbor. signific.*, est quasi *obiectum probrum*, unde cum probrum dedecus, sive infamiam ex delicto significet, opprobrium est iniuria, qua quis alteri obiicit dedecus, quo afficitur propter crimen... *Irrisio* et *derisio* valent idem et derivantur a *deridere* et *irridere*, quae significant ridere cum alterius contemptu. Et iuxta D. Th. 2. 2. q. 65. tunc fit, cum quis alterius malum vel defectum in ludum et risum vertit eo, ut alter erubescat. Si verbis additur risus vel cachinnus proprie *derisio* dicitur, *subsannatio* dicenda, si addatur nasi, capitis, aliusve membri corporis motus, alterius vitium indicans, ut rubore ille suffundatur; quod si ad hunc eundem finem facta alia verbis adiiciantur, derisio *illusio* dicetur. Dicetur autem *ironia*, si tum maxime alterum vituperes, cum per derisionem eum laudes... His adde *imprecationem*, vitium illud... quo quis alteri malum aliquod culpae, poenae, vel naturae imprecatur ». Ithur. Cas. 30. n. 5. *Maledictio* facta absenti repugnat solum caritati; facta vero praesenti saepe repugnat etiam iustitiae; cum nempe laedat honorem alteri debitum, et rationem induat contumeliae. Struggl Tr. 4. q. 5. n. 13., Lugo D. 14. n. 193., S. Th. 2. 2. q. 72. a. 1., q. 75. 76.

1516. *An contumelia grave peccatum sit? — Contumelia est peccatum mortale ex genere suo.* Est enim quid gravius detractione, quae *per se* est gravis. Constat praeterea ex verbis Scripturae, Matth. 5., 22.: *Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis. — Ex genere suo;* venialis enim erit tum ex imperfectione actus, tum « si sit leve convicium, non multum hominem dehonestans, et proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira, absque firmo proposito aliquem dehonestandi ». S. Th. 2. 2. q. 72. a. 2., L. 966., E. M.

1517. *An ex contumelia restitutionis obligatio nascatur? — Contumelia per se strictam inducit obligationem restituendi honorem et reparandi damna*, si qua subsecuta fuerint, saltem si in confuso fuerint praevisa, ut patet ex dictis de restitutione famae. Cf. 1506. seqq. — L. 966., S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 3., C. A. 1330.

1518. *Resolves:* 1.° Honor publice per contumeliam ablatus, publice est restituendus coram illis, qui dehonorationis testes fuerunt, vel saltem ita, ut satisfactio ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine dehonorantis veniam petat. L. 984.

2.° Ea honoris restitutio requiritur, quae censeatur sufficiens ad manifestandam aestimationem iuxta personae offensae conditionem. Si enim qui dehonoravit fuerit superior, sufficiet regulariter, si dehonoratum salutet, domi invisat, aut ei benevolentiam ostendat. Si autem fuerit aequalis, vel a fortiori inferior, maior requiritur satisfactio, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat, etc., si alio modo sufficienter satisfacere nequeat. L. 986., Lugo D. 15. n. 57.

3.° Si inhonoratus vindictam sumpsit, v. g., alterum percutiendo, vulnerando, plerumque pro honore non requiritur ulterior satisfactio; quia ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et aestimationem de altero. L. 989. Item a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos impacta mutuo fuerint aequalia convicia aut improperia, quia eo ipso fit compensatio.

4.° In praxi multoties expedit, ut confessarius omittat monere poenitentem in bona fide exsistentem circa satisfactionis obligationem, maxime si praevideat, monitionem non profuturam esse; vel si putet eum, qui dehonoratus fuit, facile id condonare, aut recusaturum esse reparationem praesertim publicam, ne memoria iniuriae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc. L. 988.

1519. *Utrum, si offensor a iudice publice puniatur, adhuc teneatur in conscientia pro iniuria illata satisfactionem exhibere?* — Probabilissime negat Lugo cum communi. Ratio, quia ipsa poena inflicta pro honore tibi ablato videtur satis honorem tuum resarcire. Ita etiam, si offensor a iudice coactus debitam satisfactionem tibi praestiterit; tunc enim licet coacte, iam vere testificationem exhibuit aestimationis tuae dignitatis. L. 990.

1520. *Quando contumelia fuit occulta, debeturne satisfactio?* — Negant Mol., Laym. Sed affirmandum est omnino cum communi et vera sententia, quam tenent Less. Salm., etc.; quia in omni contumelia adhuc occulta, praeter iniuriam adest damnum honoris iniuste laesi, cum quisque habeat ius ut debitus honor ei servetur. L. 985.

1521. *An et quandonam licita sit contumelia?* — Contumelia est licita in sequentibus casibus: 1.° Si ioci causa per convenientem recreationem leves defectus obiiciantur, urbanitas est, secundum S. Th., dummodo alter non contristetur, nec ad iram moveatur. 2.° Si fiat animo corrigendi, humiliandi, aliave ratione; sic Christus vocavit apostolos stultos; et Apostolus Galatas insensatos. Ita S. Th. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 2., qui dicit, « quod sicut licitum est, aliquem verberare causa disciplinae, ita etiam potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conviciosum dicere ». L. 966.

1522. *Quomodo se gerere debeat contumelia affectus?* — « Omnes tenemur contumelias tolerare animum vindictae abiiciendo. Quandoque tamen expediens erit contumelias repellere, nempe cum tolerantia praevidetur adscribi obsistendi impotentiae, aut stultitiae; vel si obesse possit bono communi, prout si praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic petulantia subditorum augeretur ». L. 966., S. Th. 2. 2. q. 72. a. 3.

IV. — DE MENDACIO

1523. *Quid et quotuplex sit mendacium?* — Mendacium est verbum falsum cum intentione falsum dicendi. Quare a mendacio excluduntur ioci qui ita proferuntur, vel aguntur, ut ex ipso modo proferendi, vel agendi, satis intelligatur, falsum esse, quod exterius enuntiatur; licet audiens ex sua nimia simplicitate et stupiditate, serio iocum accipiat, et a seipso potius fallatur, quam a iocante. A mendacio pariter excluduntur locutiones tropicae et figuratae, ironiae, fabulae, et parabolae; quia verum sensum continent, quem loquens exprimere intendit, licet interdum animadvertat, eum ab audiente non statim apprehendi, sed alium sensum falsum concipi, quem loquens non intendit, sed solum permittit. S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1.

Mendacium est triplex, nempe *iocosum, officiosum, perniciosum.* Mendacium iocosum est, quod nec prodest, nec obest, sed profertur, ut delectet.

Interim tamen, ut iocus sit mendacium, requiritur, ut proferatur falsum animo audientem ioci causa fallendi, et ei ingerendi falsam opinionem. Mendacium officiosum est, quod fit sine alterius iniuria, ut tertio prosit. Perniciosum tandem est, quod fit cum alterius iniuria, et nocumento, etiamsi tertio alicui prosit. — S. Th. 2. 2. q. 110. a. 2.

Nemo silentio et dissimulatione, non loquendo, non agendo, regulariter mentitur, S. Th. 2. 2. q. 111. a. 1. ad 4.; quia is qui tacet, non agit, neque affirmat neque negat. *Regulariter*, interdum enim non loqui, non agere dolo et fraude non caret. Lugo D. 23. n. 82.

1524. *Quid et quotuplex sit mentalis restrictio?* — *Restrictio mentalis* est actus mentis verba alicuius propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis. — Restrictio mentalis est: 1.° *Pure* seu *stricte mentalis*, si sensus loquentis percipi nullo modo possit, et haec *proprie mentalis* dicitur. 2.° *Late* seu *improprie mentalis*, si sensus propositionis ex adiunctis possit colligi. — Ad restrictionem mentalem revocantur aequivocationes seu amphibologiae, quae sunt locutiones habentes ex se duplicem sensum principalem, sed unum magis et alterum minus obvium.

1525. *Quid sit simulatio?* — Mendacium non *verbis*, sed *factis simulatio* appellatur. Ad simulationem autem seu ad mendacium pertinent *hypocrisis, iactantia, ironia.* Omnia virtuti opponuntur *veritatis,* quae specialis virtus est, per quam homo exteriora sua vel verba, vel facta debite ordinat ad aliquid sicut signum ad signatum. — S. Th. 2. 2. q. 109. a. 2., q. 110. a. 2., q. 111. a. 1., q. 113. a. 1., Quodl. 6. a. 17., Quodl. 8. a. 14.

1526. *An mendacium illicitum sit?* — *Mendacium est intrinsece malum.* Prob. quia mendacium formaliter importat intentionem falsum enuntiandi, contra verborum institutionem; adeoque est intrinsece malum. Praeterea mendacium immediate opponitur virtuti veracitatis creatae, et mediate virtuti veracitatis divinae; adeoque est intrinsece malum, et in nullo casu licitum. Unde Innocentius III. C. *Super eos de Usuris* ait: « Ne pro vita quidem tuenda nobis licitum est mentiri ». Cf. ad Eph. 4., 24.; ad Col. 3., 9. — S. Th. 2. 2. q. 110. a. 1. 3., Quodlib. 8. a. 14.

1527. *Quale peccatum sit mendacium?* — *Mendacium iocosum et officiosum est peccatum ex genere suo veniale, perniciosum vero est ex genere suo mortale.* Prob., quia mendacium iocosum et officiosum non opponitur caritati, aut iustitiae, bene vero perniciosum; adeoque duo priora non sunt peccatum ex genere suo mortale, bene vero tertium. Porro mendacium perniciosum in individuo saepius fit peccatum veniale non solum ex imperfectione actus, sed etiam ex parvitate materiae, seu nocumenti proximo per mendacium illati.

1528. *An restrictio pure mentalis licita sit?* — *Nunquam licet uti restrictione pure seu proprie mentali, nec amphibologia humano modo non perceptibili;* a fortiori non licet cum iisdem iurare, quia est simpliciter mendacium. Constat etiam ex pr. 26.ª 27.ª 28.ª d. ab Innoc. XI. — L. 152., E. M.

1529. *An amphibologiae sint mendacia?* — *Amphibologiae, seu aequivocationes et restrictiones non pure mentales, non sunt mendacia.* Prob.,

quia amphibologiae, et restrictiones non pure mentales, nisi fiant ex positiva intentione alterum fallendi, non sunt contra mentem loquentis, et virtutem veracitatis; ergo. Praeterea hoc ipso, quod restrictio non sit pure mentalis, et possit ex aliqua circumstantia rei, loci, temporis, aut personae loquentis prudenter colligi, deceptio alterius sequitur per accidens; ergo.

1530. *An licita sit restrictio late mentalis? — Licet aliquando ex iusta causa uti restrictione late i. e. improprie mentali, et verbis aequivocis, quando sensus a loquente intentus intelligi possit.* Ratio, quia hoc non est malum in se, cum proximus non proprie decipiatur, sed ex iusta causa tantum permittatur eius deceptio; aliunde ad bonum societatis requiritur, ut medium adsit licite celandi secretum; aliquando autem aliud medium non suppetit praeter aequivocationem, aut restrictionem late seu improprie mentalem. — Struggl Tr. 5. q. 3. n. 17., Ithur. Cas. 37. n. 11. seqq.

1531. *Nota:* Licet uti eiusmodi lata restrictione etiam cum iuramento; quamquam maior causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit sine iudicio usurpandum. L. 151.

1532. *Quandonam amphibologiae illicitae sint? — Amphibologiae, seu aequivocationes et restrictiones etiam non pure mentales, non sunt licitae:* 1.° si fiant sine causa honesta et proportionata; 2.° si exinde damnum proximi emergeret contra ordinem praeceptum caritatis; 3.° quando contractus mutui celebrantur; 4.° si interrogans habet ius inquirendi aut imperandi veritatis confessionem. Prob. Ratio 1.[i] est, quia, si sine omni honesta causa, et semper, esset licitum loqui amphibologice, aequivoce, et cum restrictione etiam non pure mentali, periret omnis sinceritas, et fides humana: sed fidem humanam homines ex lege naturali tenentur conservare. Ratio 2.[i] et 3.[ii] est, quia id exigitur a caritate et iustitia. Ratio 4.[i] est, quia iuri illi respondet obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate.

1533. *Resolves:* 1.° Possunt uti huiusmodi restrictione omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate. — 2.° Potest famulus iussu domini negare, ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem. L. 165.

1534. *An licita sit simulatio? — « Simulatio formalis*, nempe cum quis intendit per factum externum aliud significare, quam in animo habet, haec nunquam est licita, quia est verum mendacium facti; *simulatio* vero *materialis*, scilicet, cum quis aliquid agit, non intendens deceptionem alterius, sed aliquem suum finem, haec est licita cum iusta causa, semper ac ex circumstantiis alii possunt coniicere ad alium finem id agi; prout dictum est de restrictione non pure mentali. Ita Christus Dominus, Luc. 24., apud Emmaus finxit se longius ire, non intendens ut Discipuli hoc crederent, sed volens significare se revera iturum fuisse longius, nisi ab eis invitaretur ». L. 171. — S. Th. 2. 2. q. 111. a. 1.

1535. *An superior habeat in omni casu ius cognoscendi veritatem, ita ut interrogatus nequeat licite uti restrictione late mentali?* — R. Negative, ut constat ex sequentibus exceptionibus. Etenim: 1.° Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: Nescio; quia confessarius id nescit scientia communicabili. Immo etiamsi instaret tyrannus, et diceret: An hoc nescis scientia communicabili? Respondere adhuc posset: Nescio. Ratio, quia tyrannus bene cognoscit, se ius non habere de hoc interrogandi, nec confessarius ut homo intelligit se scire, sed uti vicarius Dei ac proinde scientia incommunicabili.

2.° Poenitens interrogatus a confessario de peccato confesso, potest iurare se non commisisse, subintelligens illud quod confessus non sit. Ita Card., Salm., Sanch., etc. Hoc tamen intelligendum, nisi confessarius iuste interroget ad noscendum statum poenitentis. Ex prop. 58.ª d. ab Inn. XI. L. 157. — « Sed si poenitens non peccaverit mortaliter ab ultima confessione, confessarius sufficienter novit statum eius, neque tunc ius ullum habet de vita praeterita interrogandi ». Gur. Cas. V. 2. n. 442.

3.° « Satis probabilis est sententia Card. de Lugo de Iust. D. 40. n. 15., Tambur., Cardenae, Sporer, Mezger, Babenstuber, Elbel, et plurium aliorum, qui admittunt reum, stante probatione solum semiplena, et quando est spes evadendi mortem, posse uti amphibologia, et negare crimen etiam cum iuramento, subintelligendo: ita, ut tenear fateri, quamdiu apparet spes evadendi mortem. Ratio huius est: quia praeceptum obediendi legitimo iudici non potest obligare reum, ita ut ipse contra se agat, et per confessionem propriam compleat probationem semiplenam sui criminis capitalis, quando illud aliunde non potest satis probari. Neque praedicta restrictio in tali circumstantia causae est pure mentalis; quia a sagaci iudice et assessoribus prudenter potest colligi. Unde hanc sententiam tuto poterit sequi confessarius, saltem ut reo eam sequi volenti absolutionem non deneget; ut advertunt citati doctores ». Struggl de 8.° Praec. 46. et de Virt. Relig. q. 3. n. 22., L. 154., l. 4. n. 57.

4.° Testis potest iurare se nescire crimen quod revera scit, subintelligendo nescire crimen, de quo legitime possit inquiri, nempe si ipsi constet crimen caruisse culpa, ut Salm., Elbel.; vel si sciat crimen, sed sub secreto, cum nulla praecesserit infamia, ut Card., vel si crimen sit omnino occultum. Struggl de Virt. Relig. l. c. 21. 22.

V. — DE VIOLATIONE SECRETI

1536. *Quid et quotuplex sit secretum?* — Secretum in genere dicitur quidquid occultum est. S. Thom. Quodl. 12. a. 21. Ad quaestionem praesentem quod attinet secretum est: res quaedam occulta alicui revelata, seu utcumque cognita, cum onere silentii. — Triplex distinguitur secretum, *naturale, promissum, commissum.* Secretum *naturale* est, si aliquid casu cognoscas, quod absque alterius iusto moerore vel damno revelare non possis. L. 970. Est *promissum*, si promissione *gratuita* rem, quam iam noveras vel cuius accipis notitiam, alteri promittas nemini revelaturum; vel promissione *onerosa* nemini rem revelandi, eam tibi alter manifestet

hac conditione. Tandem est *commissum* quando rem alteri reveles consilii vel auxilii gratia, hac expressa vel tacita conditione, nemini eam revelandi. L. ib.

1537. *Quomodo secretum naturale obliget? — Secretum naturale in re gravi obligat per se sub gravi, et quidem ex iustitia, nisi iusta causa excuset.* Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur per se damnum proximi, qui ius habet, ne sine causa rationabili laedatur. L. 970.

1538. *Quomodo obliget secretum promissum? — Secretum promissum obligat per se graviter aut leviter prout quis per promissionem voluit se obligare graviter et ex iustitia in materia gravi; vel leviter et ex mera fidelitate, quae ex genere suo levis est.* Ratio repetenda est ex dictis de promissione n. 987. Ithur. Cas. 37. n. 2. 5. 6., L. 970.

1539. *Quomodo obliget secretum commissum? — Secretum commissum obligat per se sub gravi ex iustitia, et quidem strictius ac secretum mere naturale, atque etiam promissum.* Ratio est, quia praeter obligationem naturalem, urget etiam obligatio ex contractu haud quidem *gratuito,* ut in secreto simpliciter promisso, sed *oneroso;* neque enim tibi notitiam rei alter committeret, nisi promissionem secreti a te reciperet. Ithur. l. c. Iure quoque civili vetitum est magistratibus de his interrogare, quae ratione officii, quo quis defungitur, e. g., parochi, advocati, etc. alicui credita sunt. C. I. Proc. poen. 288.

1540. *Nota:* Plures sunt et graves theologi, qui probabiliter tuentur mortale non esse, rem gravem sub secreto commissam revelare sub eodem secreto uni vel alteri probo, modo non detegatur cui specialiter celari voluerit ille, qui secretum commisit; cum adhuc res secreta dici possit in istis rerum adiunctis. Hoc tamen non est ita facile in praxi permittendum. Tanta enim est hominum loquacitas, ut vix secretum in uno sistere possit.

1541. *An ex violatione secreti restitutionis obligatio oriatur? — Qui revelando alienum secretum mortaliter peccavit, tenetur ex iustitia et sub gravi reparare grave alterius damnum.* Ratio, quia est *iniusta damnificatio.* Cf. 1358.

1542. *An liceat aliquando secretum explorare et revelare? — Secretum naturale, promissum et commissum explorare et revelare licet:* 1.° Ex consensu recte praesumpto illius, cuius interest secretum occultari; tunc enim nulla alicuius iuris laesio habetur. 2.° Si res aliunde iam fuerit divulgata; nam desinit tunc esse secreta. 3.° Si damnum ex secreto secuturum sit reipublicae. Ratio, quia bonum privatum debet cedere bono communi, adeoque nulla esse potest obligatio privatum bonum procurandi contra damnum commune. Atque ob eandem rationem, si ex revelatione secreti damnum commune sequeretur, tenetur quis potius mortem, et quaevis tormenta subire, quam secretum revelare. 4.° Si ex observatione secreti grave damnum obveniret *tibi* vel *ei* ad quem secretum spectat, vel *alteri* innocenti. Ratio, quia neque *naturaliter* dari potest obligatio contra *ordinem* caritatis; neque quis sua *promissione* et *contractu* praesumitur ad tale onus se obligasse, ut secretum servet etiam cum proprio gravi damno, nisi ex circumstantiis id certe appareat. Verum. si de secreto

commisso, et de *damno alterius* agatur, secretum *commissum* non cessat in damno alicuius privato etsi gravissimo, nisi damnum ab eo *immineat* cui secretum promissum est, ut si puella abortum procurare et fetum occidere conetur. Ratio asserti est, quia adhuc magis *publici boni* interest, secretum hoc servare, quam privatum damnum alterius etiam gravissimum impedire. Ratio vero exceptionis est, quia secus vix invenies, qui consilium vel auxilium in huiusmodi angustiis dare vellet, quod item publico bono foret perniciosum. « Excipe, ait La-Croix l. 3. P. 2. n. 1231., nisi ille, qui secretum commisit iniuste vexaret rempublicam, vel alium innocentem, neque aliter desistere vellet ab iniuria: tum enim posses revelare, etiamsi te obligasses ad potius sustinendam mortem; quia hoc vinculum obligationis esset iniustum ». — L. 570. 971., l. 4. n. 49., l. 6. n. 698., S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 1. 2., Laym. l. 3. Tr. 3. p. 2. c. 5. n. 2., Lugo de Iust. et Iur. D. 14. n. 142., D. 38. n. 37. seqq., Ithur. l. c. n. 8.-10. 11. 28. 29. 30.-34. 37. 38. Appendix n. 4. 19. 22. 23.

1543. *An iudici legitime interroganti teneatur quis secretum manifestare?* — R. Affirmative, si agatur *de secreto mere naturali;* quia potior est obligatio obedientiae praestandae iudici legitime interroganti ob bonum commune, quam impediendi per secreti observationem damnum personae privatae; quod ceteroquin cum a iudice legitime inferatur, nulla erit alieni iuris laesio. — Affirmative, si agatur *de secreto promisso:* « quia per promissionem ad hoc tantum te obligasti, quod licite praestare poteras. Atqui non poteras promittere contra obedientiam iudici seu superiori debitam; quia, quando crimen novisti, iam contraxisti obligationem naturalem illud manifestandi, si iudex vel superior id requireret. Ergo promissio subsequens secreti non potuit priorem obligationem destruere ». Gur. Cas. 437. — Negative *per se*, si agatur *de secreto commisso* sive ex necessitate, sive ex pacto. Distinguendum enim est duplex secretum commissum: simpliciter commissum ex *mero pacto* intercedente, et commissum ex *necessitate* consilii, auxilii, etc. Ratio 1.ⁱ est, quia ipsum bonum commune postulat, ne metu talis revelationis homines priventur commodo consilii, aut auxilii necessarii quaerendi, quod profecto nunquam requirerent, nisi certi de secreto servando forent. Postulat ergo ipsum bonum commune, ut quousque committens licite potest suum secretum servare ius retineat ne alter illud prodat. Hinc iudici interroganti potest quis respondere: Nescio, subintelligendo, ita ut manifestare debeam, licet, interposito iuramento, testimonium proferre cogatur. S. Poenit. 21. Aug. 1830. Ratio 2.ⁱ est, quia, ut ait S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2., « servare fidem est de iure naturali: nihil autem potest praecipi homini contra id quod est de iure naturali ». Contractu quidem *oneroso* interveniente, de iure naturali omnino est datam fidem servare. — L. 970., Ithur. l. c. n. 13. 25. Append. n. 10. 11. 12., Lugo D. 14. n. 135. 141.

1544. *An possis revelare secretum, si promiseris illud servare etiam cum vitae iactura?* — R. Affirmative, si illud exigat bonum commune, quia promissio facta contra bonum commune nulla est. — Negative, si agatur de tuo proprio damno simpliciter gravi, quia praestat servare secretum hoc speciali contractu promissum. — Negative, etiam probabilius, si agatur de damno tuo extremo, quia iuri tuo expresse renuntiasti, nec illicitum est omittere vitae conservationem, ut promissum serves. Verum

necessarium omnino est, ut negotium secreto servandum gravissimi momenti sit. Secus enim promissio foret prodiga, quam servare non tenemur. L. 971. Attamen S. Lig. oppositum satis probabile merito dicit. — Ithur. l. c. n. 30.

1545. *An graviter peccet aperiens aut legens alterius litteras?* — R. Affirmative, per se, seu ex genere suo. Ratio est, quia iure naturali, et iure gentium obligatio inest secreta litterarum illaesa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. — Excipe casus sequentes: 1.° Si adsit consensus tacitus aut praesumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litterae mittuntur. 2.° Si cognoscatur vel praesumatur, litteras continere res levis momenti. 3.° Si iusta de causa fiat, v. g., ad damnum publicum aut privatum avertendum, modo ad malum istud propulsandum quis ius habeat litteras aperiendi, nec plus legat, quam ad hunc finem necessarium sit. 4.° Si litterae ex levitate aut ex aliqua inadvertentia aperiantur. — L. l. 5. n. 70., H. A. 5.

1546. *Nota:* Donec epistola ei tradatur cui missa est, ad mittentem adhuc pertinet, qui eam poterit ad se revocare.

1547. *Resolves:* 1.° Epistolas minutatim discerptas colligere, varias inter se partes iungere et legere, salva iustitia, non licet. Ideo enim ita quis epistolam dilaceravit ne legi possit. L. l. 5. n. 70.

2.° « Sic princeps potest aperire litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum, quae tempore belli ex locis finitimis hostium veniunt. Item ministri publici, quoties bono publico necessarium esse iudicant... Et hoc procedit non solum pro principe et ministris, sed etiam pro privatis... Superior religiosus litteras suorum subditorum (dummodo non mittantur ad superiorem maiorem, vel talem quem statuta eximant, nec ab eo veniant) licite aperit et legit; sive ex *religionis statuto*, aut consuetudine, sive ex *suspicione probabili*, quod mali aliquid contineant ». L. l. 5. n. 70. Cf. Struggl 56. III., Ithur. l. c. n. 26. seqq., Ferraris v. *Litterae* n. 9. 10.

DE PRIMO ET SECUNDO ECCLESIAE PRAECEPTO

1548. *Quaenam sint Ecclesiae praecepta; quid de decimis?* — Plurima quidem sunt Ecclesiae praecepta, quae *particulares* hominum status concernunt. Ecclesiae vero praecepta, quae ad *omnes* hominum status spectant, sex communiter recensentur. De prioribus in Tr. de Statibus Particularibus dicemus, de posterioribus hic dicendum erit. Struggl init.

Omittimus autem hic praeceptum de *decimis* solvendis; siquidem quam pluribus in locis, conventione inita cum Ecclesia, vel legitima praescriptione extinctae sunt. Ubi vero neque praedicta adfuit conventio, neque legitima praescriptio, adhuc debentur, et parocho solvendae sunt. — Decimae *praediales*, quae ex fundis percipiuntur, debentur parocho, in cuius territorio praedia sita sunt. Decimae *personales*, quae percipiuntur ex rebus, quas quis sua industria acquirit, parocho debentur, a quo sacramenta percipiuntur. — Decimae debitae sunt tum ex religione

in signum universalis Dei dominii, unde eas non solvere gravius irreligiositatis peccatum est; tum ex iustitia, qui enim altari inserviunt de altari vivere debent; hinc sub obligatione restitutionis « decimae ex debito requiruntur, et qui eas dare noluerint, res alienas invadunt ». S. Th. 2. 2. q. 87., L. l. 3. n. 42., H. A. Tr. 20. n. 85., Tit. *de Decim.*, Trid. S. 25. C. 12. de R., E. M.

1549. *Quodnam sit primum et secundum Ecclesiae praeceptum?* — Primum est, ut festa auctoritate Ecclesiae instituta fideles colant, C. 1. seqq. *de Consecr.* D. 3., tit. *de Feriis.* — Alterum est, ut saltem diebus dominicis et festis sacro fideles intersint, C. *Missas de Consecr.* D. 1. Hinc duo haec praecepta intime connexa sunt inter se. Struggl l. c.

1550. *Quaenam sit potestas Ecclesiae dies festos instituendi?* — Gaudet Ecclesia potestate festa instituendi, eorumque sanctificationem sub gravi omnibus fidelibus praecipiendi, utpote quae accepit a Christo omnem potestatem in ordine ab bonum spirituale fidelium. — Solus Papa universae Ecclesiae festa indicere potest, quia solus in Ecclesiam universam iurisdictione gaudet. — Episcopi quoque festos dies in sua dioecesi instituere possunt; habent enim facultatem leges in propria dioecesi ferendi. Attamen ex C. *Conquestus* ult. *de Fer.* vetantur episcopi, ne clero fidelibusque inconsultis nova statuant festa. An autem in praesenti liceat adhuc episcopis nova festa instituere, prima sententia affirmat, dummodo instituantur in honorem *Sanctorum*, non *Beatorum*, adhibito aliquorum clericorum consilio; monentur tamen, ut studeant abstinere. Urb. VIII. C. *Universa* 13. Sept. 1642., Bonac. Tom. 2. D. 6. q. un. P. 1. n. 3. seqq. Secunda sententia negat ex Responso S. R. C. 23. Jun. 1703. Bouix de Iur. Liturg. P. 4. c. 4., E. M.

1551. *Quinam sint dies festi observandi?* — Multa olim instituta sunt festa, quae decursu temporum in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ipsa Ecclesiastica abolita sunt. Urbanus VIII. C. *Universa* multa festa suppressit, novumque dierum festorum elenchum pro universa Ecclesia statuit. Huic catalogo addendum est festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. Clem. XI. C. *Commissi nobis* 6. Dec. 1708. — Ex his autem quaedam minus solemnia, velut festa Apostolorum, serius fuerunt imminuta, sublata nempe operum servilium prohibitione; eaque alicubi deinde prorsus *abrogata* fuerunt. Quaedam vero etiam ex solemnioribus alicubi in dominicam *translata* sunt. Verum tum quoad *abrogata* tum quoad translata nihil omnino innovatum est quoad officium et missam, quoad ecclesiasticas functiones et chorum, quae proinde omnia observari debent, uti ante abrogationem vel translationem. S. R. C. 18. Oct. 1818., 23. Maii 1835. *Translationem* intellige perpetuam; nam si translatio fiat aliquando propter aliquod impedimentum, v. g., festi S. Josephi aut Annuntiationis B. V. M., officium dumtaxat non festi observantia transfertur. Nihil item immutatum est quoad obligationem pastoribus impositam missam *pro populo* celebrandi, adeoque standum adhuc est catalogo Urbani VIII. Pius IX. C. *Amantissimi* 3. Maii 1858. — L. 267.

Pius VI., propter temporum calamitatem, *fidelibus romanis* condonavit obligationem quaedam festa celebrandi. Haec autem sequentia sunt: scilicet festa SS. Apostolorum praeter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duae

feriae quae Pascha et Pentecosten secuntur; Inventio S. Crucis; festa S. Annae, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri, Nativitas S. Joannis Baptistae, S. Michaelis, et S. Josephi; quae tamen tria postrema postea restituta sunt.

In Gallia post Indultum Card. Caprarae 9. Apr. 1802. ex concessione Summi Pontificis Pii VII. quatuor tantum festa praeter dies dominicos de praecepto supersunt pro fidelibus, nempe 1.° Festum Nativitatis Domini; 2.° Ascensionis eiusdem; 3.° Assumptionis B. M. Virginis; 4.° Festum Omnium Sanctorum. Ex eodem Indulto ad dominicam proxime occurrentem transferenda sunt festa Epiphaniae Domini, Sacratissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et SS. Patronorum cuiuslibet dioecesis et paroeciae. Reliqua festa, olim praecepta, celebrantur nunc iisdem ac antea diebus, sed absque ulla pro fidelibus obligatione.

In Statibus Foederatis Americae ex concessione Leonis XIII. 25. Nov. 1885. sex solum festi dies observandi sunt: 1.° Immaculatae Conceptionis B. V. M.; 2.° Nativitatis D. N. J. C.; 3.° Circumcisionis D. N. J. C.; 4.° Ascensionis D. N. J. C.; 5.° Assumptionis B. M. V.; 6.° Omnium Sanctorum. Solemnitas festi SS. Corporis Christi et SS. Apostolorum Petri et Pauli in diem dominicam proxime sequentem transfertur.

Pro Hispania Pius IX. concessit, Decreto 2. Maii 1867., 1.° ut derogetur praecepto audiendi missam, diebus festis secundi ordinis, vulgo dictis *diebus missae;* 2.° ut derogetur eidem praecepto et praeterea praecepto abstinendi ab operibus servilibus die lunae post Pascha et post Pentecosten, die immediate sequente festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi et die Nativitatis B. Mariae V. et S. Joannis Baptistae; 3.° quod in singulis dioecesibus veneretur unus tantum Patronus principalis, qui a S. Sede designari debet. Quare praeter dominicos dies festa adhuc vigent Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae; Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis B. V. Mariae; Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Corporis Christi; SS. Petri et Pauli, S. Jacobi Maioris; festum Omnium Sanctorum, et Patroni Principalis unicuiusque dioeceseos. Decreto vero 12. Dec. 1867. restituta fuit festa dies Nativitatis B. V. Mariae.

Tandem *in Hispania et in regionibus ei subiectis*, uti etiam *in pluribus Italiae regionibus* festum S. Josephi de praecepto iterum servandum est. A. S. S. V. 24. p. 192.

Festis quae Ecclesia celebrat licet praeterea adiungere festum *Patroni,* non Titularis, vel unius ex praecipuis Patronis: 1.° Regni vel dioecesis; et 2.° loci; ubi eos haberi vel venerari contigerit. Urban. VIII. C. *Universa,* Pius VI. B. *ex quo divina* 7. Jun. 1780. Ac ubi utrumque festum est introductum, utrumque servari debet. S. R. C. 25. Mart. 1817. *Patronos* vero eligere non licet, nisi de consensu populi et cleri et episcopi, eosque *Sanctos,* non *Beatos*, electionis causa cognita et approbata a S. R. C. Ita eadem S. R. C. 23. Mart. 1630. — Ferrar. v. *Festa* n. 2. seqq., L. 266., E. M.

DE TERTIO ET QUARTO ECCLESIAE PRAECEPTO

1552. *Quodnam sit tertium et quartum Ecclesiae praeceptum?* — Tertium Ecclesiae praeceptum est, ut fideles saltem *semel singulis annis* peccata confiteantur *proprio sacerdoti*, scilicet Papae, episcopo, parocho, cuilibet sacerdoti approbato ab episcopo. Innoc. III. in Conc. Later. IV. a. 1218. can. 21. *Omnis utriusque sexus.*, Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 14. n. 2.-6. — Quartum praeceptum est, ut fideles, singulis annis, saltem tempore paschali ad SS. Eucharistiae sacramentum accedant. Innoc. III. l. c., Trid. S. 13. c. 9., E. M.

1553. *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut praecepto annuae confessionis adstringantur?* — Quando sunt capaces peccati mortalis; quod non ex aetate solum, sed praecipue ex gradu ingenii vel boni malique discretione iudicandum est. Spiritus autem discretionis inesse censetur in iis, qui iam apprehendunt, malum esse mendacium, vel inobedientiam, aut de impuris quibusdam actionibus erubescunt, etc. Hinc pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes ad confessionem sensim praeparare, et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum, etiam dubium, absolvere, saltem intra annum, vi Concilii Lateran. In dubio de discretione, absolvantur sub conditione. Graviter igitur errant, neque excusari possunt confessarii, qui pueros sibi commissos nunquam ante primae communionis aetatem absolvere volunt. — L. l. 3. n. 270., l. 6. n. 432.-666.

1554. *An ille, qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri ratione praecepti annuae confessionis?* — R. Negative. Ratio, quia Ecclesia annuam confessionem praecipiens determinat praeceptum confessionis a Christo impositum. Atqui Christus nullum aliud praeceptum confessionis imposuit, quam peccatorum mortalium, ut constat ex Trid. S. 14. C. 1. 5., c. 1. 2. 6. 7. Ergo. Hanc sententiam communem et veriorem dicit C. De Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 15. n. 2. L. l. 6. n. 663. 667., Schmalz. *de Poenit. et Rem.* n. 16.

1555. *Nota:* « His non obstantibus dari quaedam statuta regularia, aut etiam synodalia, quibus religiosi, et in quibusdam dioecesibus clerici obligantur, ut intra annum saepius suscipiant sacramentum poenitentiae, etsi venialium tantum sibi sint conscii... Interim tamen similia statuta ordinarie, et per se loquendo, non obligant sub gravi peccato ». Struggl 18.

1556. *Resolves:* « Si quis intra annum et in principio temporis paschalis confiteretur sola venialia, et dein intra tempus paschale incideret in mortale, teneretur illud confiteri; quia praecepto Ecclesiae, quod solum obligat ad confitenda mortalia, nondum satisfecisset. Interim tamen etiam probabile est, quod non teneatur confiteri ante elapsum annum a peccato commisso ». Struggl 12. Cf. S. Th. 4. D. 17. q. 3. a. 1., D. 16. q. 2. a. 2., S. q. 6. a. 3., q. 8. a. 5. ad 4., Bened. XIV. Inst. 18. n. 2. 3.

1557. *An hoc praeceptum sit annexum tempori paschali?* — Hoc praeceptum non est per se, sed solum per accidens annexum tempori paschali.

Ratio est, quia Ecclesia nullibi praecepit confessionem annuam determinate pro tempore paschali, sicut communionem paschalem. *Non est per se, sed solum per accidens annexum,* etc., nam habens peccatum mortale obligatur ad confessionem tempore paschali *per accidens,* et ratione communionis tempore paschali percipiendae: quia ad hanc digne suscipiendam in peccatore non sufficit contritio, sed requiritur confessio sacramentalis. Trid. S. 13. C. 17. c. 11., Struggl 10.

1558. *A quo tempore annus confessionis sit computandus?* — Computari probabiliter potest a prima die Januarii usque ad ultimam Decembris, vel ab ultima confessione, vel ab uno tempore paschali ad aliud tempus paschale. Struggl 11., L. 662. — «Dicit autem Lugo cum communi non esse obligationem confitendi propter solum periculum oblivionis peccatorum». L. 665. 671.

1559. *An praecepto Ecclesiae satisfiat per confessionem invalidam?* — R. Negative, sive confessio sit *voluntarie* sive *involuntarie* invalida. Prima pars aperte constat ex pr. 14.ª d. ab Alex. VII. Secunda pars constat ex eo quod Ecclesia praecipit confessionem, per quam peccator reconciliatur cum Deo. Unde, si sacerdos poenitentem invalide absolvisset ex defectu debitae intentionis, aut iurisdictionis, et iste hoc resciret, deberet denuo confiteri, si sciret, se esse peccati mortalis reum. Struggl 13. — Itemque communionis praecepto minime satisfacit, qui sacrilege communicat. E. M.

1560. *An confessio annua, quae parocho, aut alteri ex parochi venia non fiat, sufficiens sit ad satisfaciendum Ecclesiae praecepto de annua confessione, proprio sacerdoti facienda?* — R. Affirmative. Ratio est, quia, qui confitetur sacerdoti iurisdictionem habenti et approbato, iam ei confitetur de licentia proprii pastoris, nempe vel summi Pontificis vel episcopi, qui eum deputarunt, ut audirent confessiones omnium ad eum confluentium. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 15. n. 2.

1561. *An teneatur confiteri quamprimum, qui integro anno non est confessus?* — R. Affirmative. Quia urget praeceptum determinatione Ecclesiae impositum: terminus enim anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam urgendam. L. l. 6. n. 668. Sed Cf. 1568.

1562. *Quaenam sit natura praecepti communionis paschalis?* — Praeceptum communionis paschalis non secus ac praeceptum annuae confessionis divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. — Praecipitur autem communio in propria paroecia, ut ex generali Ecclesiae praxi et variis SS. Pontificum Constitutionibus constat. Bened. XIV. C. *Cum magno* a. 1751. — Utrumque *grave est,* non communicare in propria parochia, neque tempore paschali, licet una vel altera die post elapsum tempus paschale. — Nullum adest Ecclesiae praeceptum communionem recipiendi determinate *die Paschatis,* vel in *Coena Domini,* etiam pro clericis. Sacerdotes autem ubivis celebrando satisfaciunt huic praecepto, alias tenentur communicare in parochia, ut alii laici. L. 300., Lugo D. 17. n. 31., E. M.

1563. *Quale sit paschale tempus; et quinam dilationem concedere possint?* — *Tempus paschale* ex iure communi incipit a dominica palmarum

et terminatur dominica in albis. Potest autem protrahi ex episcopi aut parochi dispensatione. Ita censuit S. C. C. 19. Nov. 1616. Ferraris v. *Eucharistia* 1., 10. Sed *parochi*, singularibus in casibus tantum. L. l. 6. n. 294. 296. — Cum confessarius iudex sit non solum dispositionis ad communionem requisitae, sed opportunitatis maioris ad SS. Sacramentum suscipiendum, potest aliquam permittere vel imponere dilationem, si iudicet maius bonum poenitentis id requirere, saltem si hic non sit invitus. L. l. 6. n. 297. par. *tertia autem* in fine. Hoc enim expresse cautum est in C. *Omnis de Poenit. et remiss.* Attamen peccaret quidem poenitens, si confessarius deberet illi paschalem communionem differre ob defectum debitae dispositionis ad sacram absolutionem recipiendam. Qui enim ad finem tenetur, ad media etiam tenetur. Atqui debita dispositio ad absolutionem medium omnino necessarium est ad sacram Eucharistiam tempore praescripto recipiendam. Ergo.

1564. *Quinam dispensare possint a communione in paroecia?* — A praecepto in paroecia propria communicandi dispensare potest episcopus, vicarius generalis, et ipse parochus. Sufficit autem consensus interpretativus sive praesumptus, modo adsit moralis certitudo de eorum voluntate. Ita S. Alph. l. c. n. 300., Gousset 224. 226.

1565. *An in cathedrali possint omnes, qui sunt de dioecesi, implere praeceptum, ibi communicando?* — Respondet Tamb. « posse, quia ibi residet episcopus, qui est totius dioecesis commune caput et pastor. Ita Diana... Ita etiam Bonacina ». De 3.° Eccles. pr. c. 4. n. 4. Et de hac ead. re, « sunt multi ex antiquis, inquit C. De Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 15., qui agnoscunt in archipresbytero Ecclesiae Cathedralis potestatem administrandi sacramenta omnibus subditis illius dioecesis, atque ideo videntur supponere Ecclesiam Cathedralem esse communem totius dioecesis, quos refert et congerit Thomas Sanchez l. 3. de Matrim. D. 27. n. 1. Quare qui recipit communionem in Ecclesia Cathedrali, videtur eam accipere in parochia communi totius dioecesis. Unde sicut, *si eam acciperet de manu episcopi, satisfaceret procul dubio praecepto Ecclesiae*, cum episcopus sit parochus totius dioecesis, sic si eam accipit in Ecclesia episcopali, videtur eidem praecepto satisfacere », n. 3. « Ego tamen, pergit C. De Lugo, magis credebam in rigore non satisfieri nisi in propria singulorum parochia, vel nisi episcopus expresse vel tacite consentiat », n. 4. Huic Lugonis sententiae adhaeret S. Alph. l. 6. n. 300., qui de opposita opinione ait: « nescio, an sit probabilis, nisi adsit in aliquo loco communis usus, qui consensum episcopi praesumere faciat, oves enim a proprio pastore agnosci debent ». Eademque sententia constat ex S. C. EE. et RR. 21 Jan. 1848. Attamen contrariae sententiae favet S. R. C. 6. Sept. 1636., 1. Apr. 1662.

1566. *Ubinam peregrini, vagi, milites et famuli praecepto communionis paschalis satisfacere possint?* — *Peregrini et vagi* possunt communicare in qualibet Ecclesia, nec tenentur adire paroeciam loci, ubi versantur; quia non habent proprium parochum, qui eos agnoscere debeat. — *Milites* in statione, vel domicilium in civitate habentes, communicare debent in paroecia, in qua commorantur; secus in quacumque Ecclesia praeceptum adimplere possunt. — *Famuli* et alii omnes quasi domicilium habentes eadem lege ac incolae loci ligantur. — L. l. 6. n. 300.

1567. *An teneatur iterum communicare in paroecia, qui ibidem sacrilege communicavit?* — R. Negative, quia adimplevit finem praecepti, quoad circumstantiam loci; sufficit igitur ut communicet in quocumque loco ad satisfaciendum praecepto communionis paschalis, quod non adimplevit per communionem sacrilegam. Nec tenetur ad communionem paschalem in paroecia faciendam is, qui tempore paschali sacrum Viaticum suscepit; nam finis legis fuit sufficienter adimpletus. — La-Croix 630.

1568. *An qui in paschate communionem omiserit teneatur deinde, transacto tempore paschali, ad communionem quam primum recipiendam?* — Prima opinio communior, et quam tenet S. Alph. l. 6. n. 297. affirmat, et iuxta hanc opinionem, ut quis transacto tempore paschali tenetur ad communionem, ita etiam tenetur ad communionem in propria paroecia recipiendam. Altera opinio negat. Hanc tenent plures et graves theologi, inter quos est S. Antoninus, probabilem putant Busemb., Pal., Bon. aliique, eamque *non contemnendam* putat ipse S. Alph. l. c. Iuxta autem secundam hanc sententiam, ut quis transacto iam tempore paschali non tenetur amplius ad communionem, ita consequenter neque ad communionem in propria paroecia obligatur. « Quod, notat S. D. 688., pari passu procedit cum praecepto annuae confessionis ».

1569. *An qui, non possit communicare tempore paschali teneatur praevenire?* — R. Negative, quia, « talis communio non esset adimpletiva praecepti; tempore enim quo fieret, non adhuc inceptum esset tempus obligationis, cum nondum inceperit tempus annuae communionis. E converso certum est, quod, cepto tempore paschali, si quis impediendum a communione se praevidet, tenetur illico eam accipere, ut communiter docent ». L. 298.

1570. *An excommunicatus teneatur obtinere absolutionem, ut possit praeceptum implere?* — Communiter affirmant; « quia communio valde confert ad animae salutem, unde ipsius praeceptum rigide obligat ad auferenda mala spiritualia, quae obstant ». L. 299.

DE QUINTO ET SEXTO ECCLESIAE PRAECEPTO

I. — DE ABSTINENTIA A CARNE EXTRA IEIUNIUM

1571. — *Quodnam sit quintum et sextum Ecclesiae praeceptum?* — Quintum Ecclesiae praeceptum est, ut fideles certis diebus a carnibus abstineant, ut constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, Catechismis et universali Ecclesiae consuetudine. — Sextum autem Ecclesiae praeceptum est, ut fideles ieiunia statutis temporibus servent, ut item constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, Catechismis et universali Ecclesiae consuetudine. C. *Quadragesima* 16. seqq. *de Consecr.* D. 5. — Utrumque praeceptum obligat *per se* sub gravi, cum eius materia sit gravis. Pr. 23.ª d. ab Alex. VII. *Per se,* in utroque enim, iuxta communem thth. sententiam, datur parvitas materiae. — L. 1030.

1572. *Quorum animalium carnes prohibeantur die abstinentiae?* — Carnes prohibentur animalium in terra nascentium et respirantium. Ratio, quia hae maximam in comedendo afferunt delectationem, et hominem maxime ad venerea provocant. S. Th. 2. 2. q. 147. a. 8. — « Ad discernendum, quae animalia reputanda sint carnes, quamvis non leve iudicium sit attendere, an illa diu extra aquam vivere soleant; magis tamen attendenda est communis aestimatio fidelium ac iudicium medicorum, si reputent carnes vel pisces ». L. 1011.

Hinc ad carnes prohibitas discernendas duplex adest criterium: criterium *physicum naturale,* quod nempe sint animalia in terra nascentia et viventia; criterium *morale,* quod nempe *terrestria* sint *animalia* et non *pisces* ex communi aestimatione et medicorum iudicio. Utrumque vero criterium deficit, neque exhibet determinatam et fixam regulam universalem. Deficit criterium *physicum,* quia dantur animalia amphibia; et licet comedere limaces, testudines, ranas, cancros, ostreas, locustas, conchas, et iuxta quosdam fibros, lutras, anates cuiusdam speciei, fulicas, et quidam addunt corvos marinos. Deficit *morale,* quia valet tantum pro ordinariis et communibus, ut patet. Hinc in dubio triplex regula: 1.ª Structura animalis, utrum simile sit vel dissimile animalibus terrestribus. 2.ª Virtus nutritiva. 3.ª Consuetudo, quae in his optima regula est. Permanente adhuc dubio, licet comedere, quia lex de abstinentia est negativa, quare, nisi constet de prohibitione, licet comedere. — S. Th. 2. 2. q. 147. a. 8., Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 5.

Prohibentur autem tum *carnes* tum alia, quae a carnibus derivantur, vel partes quomodocumque sunt constitutivae animalium; videlicet adeps, sanguis, medulla, laridum, sagimen seu axungia, ius ex carnibus expressum, etc. Tambur. Decal. l. 4. c. 5. n. 19., L. 1010., E. M.

1573. *Quandonam extra ieiunium urgeat praeceptum abstinentiae a carnibus?* — Praeceptum hoc praeter tempus ieiunii urget 1.° die Veneris cuiuslibet hebdomadae in universo orbe christiano, C. *Explicari* 3. *de Observ. ieiunior.*; 2.° die sabbati, nisi legitima consuetudo alicubi aliter praescripserit, vel a S. Sede privilegium habeatur, C. *Quia* 31. *de Consecrat.* D. 5. — A lege hac abstinentiae excipitur ex privilegio Honorii III. pro iis, qui *nec voto, nec regulari observantia obstricti sunt,* Nativitas Domini, si 6.ª feria vel sabbato contingat, C. *Explicari* 3. *de Observ. ieiunior.* — In plerisque autem Galliae dioecesibus, peculiari ex consuetudine, viget obligatio abstinentiae tribus Rogationum diebus ac vigilia S. Marci. Attende igitur ad specialem locorum consuetudinem. E. M.

1574. *An parvulis possint dari carnes illis diebus, quibus prohibentur?* — R. Affirmative, si usum rationis non sint adepti; secus, negative. Si autem usu rationis potiantur ante septennium, controvertitur; probabilius negat S. Lig. de Leg. n. 155. Cf. 195., L. 1012.

1575. *Quaenam quantitas carnis requiratur ad peccatum grave?* — Controvertitur. Omnes conveniunt gravem esse materiam, quae notabiliter nutrit; sed ea vix determinari potest. Iuxta plures materia gravis excedere debet dimidiam unciam; sed hanc sententiam reiicit S. Lig. 1029., ubi refert et videtur approbare, quod dicunt Salm., materiam parvam esse tantum octavam unciae partem. Hoc tamen dicunt de diebus, in

quibus praeterea ieiunium servandum est. Recentiores sunt theologi, qui aiunt materiam gravem in carnibus, ovis et lacticiniis esse tantum duas uncias. Distinctio tamen inter carnes, ova et lacticinia facienda videtur.

1576. *An sit peccatum mortale vesci offa, lactucis, etc., carne vel sagimine conditis?* — R. Affirmative, si ille cibus sit notabiliter iurulentus; secus veniale tantum erit. Hinc mortale est, si ius offae cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis. Facilius autem excusantur a gravi, vel etiam levi peccato pauperes, qui cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis quantitate ad condiendam offam utuntur.

1577. *Quinam a lege abstinentiae excusari censeantur?* — 1.° Pauperes mendicantes; manducare enim possunt quidquid eleemosynae accipiunt, ut communiter sentiunt theologi. — 2.° Pauperes operarii, qui nihil aliud habent, nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam aut lactucas condiendas. — 3.° Aegrotantes, v. g., febri laborantes, etc.; ii etiam, qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant. — 4.° Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut aegrotantium instar famem non experiantur, cibosque respuant; cuiusmodi sunt qui in fodinis, vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Horum etiam in numero censendi videntur aurigae, qui plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possunt; non autem ii, qui currus, equos vel mulos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur. — 5.° Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola enim ratio itineris nullo modo a lege abstinentiae eximit, etiamsi a ieiunio ob nimiam defatigationem forte dispenset. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque huius generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur. — 6.° Excipiuntur milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti. — 7.° Qui ex iusta causa dispensationem obtinuerint, quam praeter summum Pontificem, in singulis casibus dare possunt suis subditis episcopi, praelati regulares, parochi. — C. *Consilium* 2. *de Observat. ieiunior.*, L. 1008.

II. — DE IEIUNIO ECCLESIASTICO

1578. *Quid sit ecclesiasticum ieiunium, quandonam et quosnam obliget?* — Ieiunium ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, quae, iuxta formam ab Ecclesia praescriptam, servanda est tempore praesertim quadragesimae, quatuor temporum, et quarumdam vigiliarum, scilicet Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis, Omnium Sanctorum, S. Joannis Baptistae, singulorum SS. Apostolorum, exceptis duabus vigiliis SS. Philippi et Jacobi, nec non S. Joannis Evangelistae. Plura antiquitus erant ieiunia, tempore etiam Adventus, Rogationum, vigilia S. Marci; sed haec omnia, multis in locis obsoleverunt. Ipsa vigiliarum ieiunia fere ubique reducta sunt, vel translata in ferias VI. et sabbata Adventus; vel ferias IV. et VI. Adventus. Pius VI. 27. Maii 1786.

In Hispania ieiunia vigiliarum festorum abrogatorum, translata sunt in ferias sextas et sabbata Adventus; idemque Romae servatur, quoad vigilias SS. Apostolorum, excepta vigilia festi SS. Apost. Petri et Pauli. Vigilia autem occurrente in Dominica ieiunari debet in sabbato. C. *Ex parte* 1, C. *Consilium* 2. *de Observatione ieiunior.* — Fideles omnes, *a vigesimo primo* aetatis *anno completo,* tenentur sub gravi ad servandum statutis diebus ieiunium, nisi legitime excusentur, vel a superioribus dispensentur. Est antiquissima obligatio, quae dicitur ab ipsis Apostolis tradita. *A vigesimo primo anno expleto;* quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem, eorum vires superantem. Constat ex consuetudine universali, et ex omnibus Catechismis. — Ieiunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet 1.° unica comestione per 24. diei horas, vespertina refectiuncula adiecta; 2.° abstinentia a carnibus et lacticiniis, ut inferius declarabitur; 3.° tempore ad refectionem sumendam determinato. Animadverte tamen consuetudinem locorum ac temporum maxime conferre ad determinandam, vel modificandam, vel coarctandam ieiunii naturam et obligationem. — L. 1004., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. 5., Bened. XIV. Notif. 11., Ferraris v. *Ieiunium* Append., E. M.

1579. *Nota:* « Ieiunium in pervigilio festivitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli servandum est (in Gallia) in Sabbato ante dominicam festivitatis dictorum Apostolorum. Quod si dies 29. Junii occurrerit in Sabbato, ieiunium pervigilii, de quo agitur, servetur IV. Kal. Julii ». S. O. 22. Nov. 1879. — Pro toto Hispaniarum regno concessum est, ut « quoties festum Immaculatae Conceptionis in feriam VI. vel sabbatum incidere contigerit, ieiunium illius diei in quintam feriam proxime antecedentem transferatur ». S. O. 9. Nov. 1870.

1580. *Quid unica refectio?* — Refectio unica est primaria ieiunii conditio: in hoc enim praecipue sita est eius essentia, qua quidem sublata, nemo unquam ieiunare dicitur, dum e contrario ieiunium sine abstinentia a carnibus et lacticiniis concipitur. — Parvae autem comestiones, quae praeterea fiant, venialia peccata erunt seorsim sumptae, et saepius eodem die repetitae in gravem materiam coalescere possunt, ut constat ex pr. 29.ª d. ab Alexandro VII. — Ieiunium non frangitur haustu aquae, vini, aliarumque potionum, quae de se ordinantur et communiter adhibentur ad sitim sedandam, quamvis, iuxta primam Ecclesiae disciplinam, Christiani a vino et a similibus liquoribus prorsus abstinuerint. Hinc axioma: Liquidum non frangit ieiunium. Per liquidum autem id solum intelligitur, quod ex communi usu sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc. — L. 1021. 1022., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 6.

1581. *An vinum ad famem sedandam haustum frangat ieiunium?* — R. Negative probabilius. Ratio est, quia lex ieiunii praecipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu; et, iuxta S. Th. 4. Dist. 15. q. 3. a. 4. q. 1., « Statutum legis positivae non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in praecepto, sed est finis praecepti ». — L. 1022., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2.

1582. *An frangat ieiunium potus caffei et thei?* — R. Negative probabilius, nisi nimia sacchari copia admisceatur; quia haec non habent

naturam cibi, sed potus vel medicinae. S. Lig. 1019. ait: « omnino ad libitum quidem permittuntur ».

1583. *An frangat ieiunium potus aquae saccharo immixtae vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectae?* — R. Negative, *per se*, idest nisi magnam eorum substantiae copiam immisceas, quae rationem cibi habere censeatur. Ratio est, quia haec omnia ex communi aestimatione tanquam potiones habentur. Neque vero obstat, si ministrentur congelatae; congelatio enim naturam non mutat. L. 1022.

1584. *Resolves:* Aliter ergo esset de sumptione lactis, iusculi, succi pomorum, vulgo *melloni*, et aliorum fructuum, item uvarum confectarum, aut tunc dentibus pressarum, licet postea expuantur. Nam haec omnia censentur habere rationem cibi; et potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referuntur. Immo quoad potiones lacte mixtas adest expressa prohibitio Clementis XIII. B. *Appetente sacro*, 1759. *Serum* lactis proprie dictum, uti simplex potio, vel potius uti medicina habetur. Attamen quantum ad theum et caffeum, cui lac admisceatur, ait Billuart Tr. de Temper. Diss. 2. art. 5. par. V.: « The et caffet ... videntur mihi habere rationem potus, nec solvere ieiunium, nisi forte multum lactis et sacchari immisceatur, et sumantur in magna quantitate ». — L. 1019. 1021. 1022.

1585. *An potio chocolati frangat ieiunium?* — R. Affirmative, si pinguem, uti mos est extra tempus ieiunii, praebeat nutritionem. Negative vero, si modica chocolati quantitas sumatur, et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur. L. 1023. Quaenam quantitas sumi potest? Dicit S. D. non minus quam unciam cum dimidia chocolati in cyathis ordinariis immitti solere; sic enim ex more ab Ecclesia tolerato, et a piis fidelibus servato communiter fieri solet. Non pauci autem, imminuta chocolati praedicta quantitate, panem pro rata substituunt. At vero totalis cibi illius quantitas duarum unciarum pondus, praecisa aqua, excedere non deberet. — Bened. XIV. Notif. 15., E. M.

1586. *An liceat die ieiunii degustare aliquid cibi ante potum, ne hic noceat?* — Id sane non licet *toties quoties*, ut aiunt; tunc enim irrisibilis foret lex ieiunii. Permitti itaque tantum potest semel aut iterum in die; praesertim ne vires deficiant, si prandium v. g. multum differri contingat ultra consuetum, ut evenit religiosis mensae ministrantibus, lectoribus, et famulis. Immo urgebit obligatio aliquid sumendi, si hoc ad ieiunium servandum sit necessarium. — L. 1018. 1019., E. M.

1587. *An electuaria frangant ieiunium?* — *Electuaria* dicuntur ea, quae ex electis rebus, v. g., ex saccharo et iunipero, etc. conficiuntur. Non censentur autem illicita diebus ieiunii, si per modum medicinae, et in modica quantitate sumantur. Sufficit autem quaelibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. g., ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris foetorem tollendum, vocem conservandam, et similia. — S. Th. 2. 2. q. 147. a. 6.

1588. *Quaenam quantitas cibi censeatur materia gravis, si extra refectionem et coenulam sumatur?* — Controvertitur. Gravis procul dubio censenda est materia, quae vespertinae coenulae addita alteram efficeret refectionem. Certo autem quantitas duarum unciarum ut materia levis

habenda est. Non pauci materiam gravem existimant quantitatem dimidiae coenulae aequivalentem, seu quatuor uncias. *Extra refectionem*, in refectione nulla est ciborum quantitas taxata; secus est in coenula. Cf. 1593. — L. 1020. 1025., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 6., 4. D. 15. a. 4. q. 3.

1589. *An qui culpabiliter duplicem sumpsit refectionem, graviter peccet, si tertiam superaddat?* — R. Negative, saltem probabilius. Ratio est, quia praeceptum ieiunii urget modo indivisibili, durante die praecepti; proinde qui semel illud violavit, non peccat iterum atque iterum comedendo. Ergo, patrato semel peccato mortali per ieiunii violationem, tota lex tali die urgens violata est. Ergo. Qui tamen frangit ieiunium pluries comedens carnes aut lacticinia vetita, toties peccat, quoties comedit. — L. 1030., H. A. 20.

1590. *An qui inculpabiliter duplicem in die refectionem sumpsit, errore detecto, aut ablata causa excusante, teneatur sub gravi a tertia abstinere?* — Quidam affirmant. Ratio est, quia ieiunium *materialiter* tantum non *formaliter* laesit: quare cum primum ad legem ieiunii advertit, vel causam excusantem cessare videt, eidem legi subiicitur, eamque, ut ceteri, servare tenetur; secus enim eam formaliter violaret. Ita probabiliter Reuter de Leg. 176. Alii tamen probabilius negant, quia cum essentia ieiunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem ieiunium impossibile evadit. — L. 1030., H. A. 20.

1591. *Quid, si die ieiunii inadvertenter ientatus fueris?* — Si *parum quid* sumpseris, v. g., duas, tres vel fere quatuor cibi uncias, deberes quidem ex more ieiunare, quin refectionem ac coenulam consuetis horis deseras; non enim fuit *substantialiter* laesum ieiunium. — Si *quantitatem* sumpseris *coenulae aequivalentem*, transferre debes prandium ad vespertinum tempus, vel a coenula ipsa abstinere, nisi in grave incommodum hoc tibi cedat. — Si tamen eiusmodi quantitas vel *duplici fere coenulae* vel *consuetae refectioni par fuerit*, deberes, omisso prandio, vespertinam tantum coenulam sumere, eam tamen maturius, si absque gravi difficultate expectare nequeas. Hanc insuper coenulam pro necessitatis ratione augere posses. — E. M.

1592. *An collatio serotina permittatur?* — Praeter consuetam refectionem licet, ex consuetudine universali a multis saeculis introducta, et ab Ecclesia tolerata immo tacite etiam approbata, sumere sub vesperam refectiunculam ex levioribus cibis. — Collatiuncula vespertina a monachis aliquo modo coepit, qui in ieiuniis a propria regula inductis ante vel post sacra colloquia, *collationes* dicta seu *conferentias*, aliquos aquae haustus, vel alterius potionis ad vires refocillandas sumebant. Additum deinde est frustulum vel panis vel alterius cibi, ne potus noceret. Morem autem hunc amplexati sunt fideles in Ecclesiae ieiuniis; qui mos eo venit, ut parvula coena habeatur; quem morem legitimum omnino esse in praesenti probat ubique locorum recepta consuetudo, et quidem indiscriminatim quoad omnes, licet ea quis non indigeret. — Elbel 478., L. 1024.

1593. *Quaenam cibi quantitas in coenula sumi possit?* — Ex hodierna et communi consuetudine, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt *octo circiter cibi unciae*, seu circiter 250. gr. Uncia enim communis aequivalet

circiter 31. gr., et uncia romana circiter 29. gr. Libra 16. unciarum 500. gr. aequat. L. 1025. Alii vero permittendam, aiunt, quartam *coenae* partem. Verum haec doctrina nimis vaga vel scrupulis obnoxia est. — Quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur, maior autem concedenda iis, quibus haec non sufficeret. Sane statui nequit regula omnino fixa, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem ieiunii, etc. attendi debeat. Licet in genere sumere quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quae ipsum impediat, quominus officia sua convenienter obeat. Habenda etiam est ratio propriae regionis, sicubi maior cibi quantitas necessaria est. — L. 1024.

1594. *Qualis excessus censeatur gravis in coenula?* — Omnes conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem. Severiores cum Concina gravem esse docent excessum duas uncias superantem; alii vero tenent cum Billuart requiri excessum, qui seorsim sumptus coenulae integrae aequivaleat. Communiter tamen dd. requirunt excessum supra coenulam alteri dimidiae coenulae aequivalentem, seu quatuor unciarum. Variis in locis ex inducta consuetudine in vigilia Nativitatis, etiam in sabbato, si Nativitas incidat feria II., itemque in Coena Domini, sumere licet quantitatem duplo maiorem; sed haec consuetudo non ubique viget. — L. 1024. 1025.

1595. *Quaenam ciborum qualitas adhiberi possit in coenula?* — Permittuntur leviores cibi; panis, fructus quilibet, olera etiam quaelibet, dulciaria varii generis. Sed imprimis servanda est locorum consuetudo. Plura enim permittuntur in variis dioecesibus vel provinciis, quae alibi interdicuntur. — L. 1024.-1026.

1596. *An liceat comedere ova, caseum, butyrum in coenula vespertina?* — R. Negative, generatim; licet habeatur dispensatio pro lacticiniis, ut constat ex Decreto Bened. XIV. et C. *Appetente* Clem. XIII. 20. Dec. 1759. Attamen quibusdam in locis, ex consuetudine licet sumere aliquid butyri, aut casei, aut lactis; minime autem ova permittuntur, quia sunt maximae substantiae, et ideo a consuetudine reiiciuntur, ait S. Lig. 1027. Sic in Gallia et alibi generatim caseo ex consuetudine vesci licet. Casei item privilegium in Novariensi dioecesi pro toto Vicariatu Intri concessum fuit ab Innocentio XII. organo S. O. 30. Jan. 1694.

1597. *An in coenula permittantur pisces?* — R. Affirmative, si agatur de pisciculis, praesertim exsiccatis, et probabiliter etiam de piscibus maioribus; putat tamen S. Lig. 1208. ex hisce duarum vel trium unciarum pondus non esse excedendum.

1598. *An liceat in coenula uti iusculo ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo, aut vino decocto?* — R. Affirmative, probabiliter, nisi certo adversetur consuetudo: tum vero, nec aqua, nec vinum in pondus computanda sunt; computandum autem est, iuxta Vivam, quod non habet rationem potus, v. g., oleum. — L. 1209.

1599. *An liceat sumere in coenula panem cum aqua et oleo decoctum, sive panem iurulentum?* — R. Affirmative, ex hodierna consuetudine, quam secuntur etiam timorati, approbantque communiter recentiores theologi. — Attamen, iuxta S. Lig. 1009., non licet sumere octo uncias

panis decocti cum aqua, hac praecisa. Ratio est, quia panis per decoctionem et quandam fermentationem cum aqua aliam fere naturam acquirit, ita ut ex iis *quid unum* fiat, et evadat *una substantia maior.* Panis decoctus chimicam vere init immutationem, quae faciliorem tantum reddit digestionem. Ea enim immutatio vix differt ab ea quae initio digestionis habetur, unde quasi initium digestionis est. — Concedi autem potest, ait S. Lig., ut inter ipsam refectionem quis panem, aqua aut vino intingat, et sic etiam octo uncias panis vino madefacti sumat; quippe hic *eadem* fere remanet *substantia* panis: et liquor, cum inserviat tantum ad vehiculum, non computatur.

1600. *Quaenam huiusmodi panis decocti quantitas permitti possit, aqua praecisa?* — Dissentiunt theologi; alii enim, *severius*, negant licitum esse octo uncias excedere. *Severius,* etenim si una uncia panis in decem aquae unciis decocti cum altera uncia olei liceret, quid scrupuli esset duodecim has uncias permittere? Alii vero laxiores concedunt octo uncias decocti panis, aqua praecisa. Atqui ob huiusmodi decoctionem atque fermentationem habes *quid unum cibi,* quod quamvis maiorem quantitatem non constituat substantiae *nutritivae,* maiorem tamen gignit *satietatem.* Unde videtur, quod ab aqua omnino saltem praescindi non potest. Media sententia eligenda videtur, permitti scilicet posse quinque vel saltem quatuor uncias panis decocti, non computata aqua, neque oleo. Salmant. c. 2. n. 77. Dicit autem S. Lig. 1029., se hanc sententiam non improbare. Idem pariter dicendum erit de aliis decoctionibus, quae itidem in coenula apponi solent, v. g., ex farre, oryza, leguminibus, etc.

1601. *Quaenam sit abstinentia in ieiunio praecepta?* — Omnibus fidelibus ratione utentibus, praecepto Ecclesiae interdicitur esus carnis singulis ieiunii diebus. Hinc duplex lege ieiunii imponitur praeceptum, ut etiam definit Bened. XIV., nempe abstinendi a pluribus refectionibus, et abstinendi a carnibus; contra igitur ac plures antiquiores habent, dispensatus vel impotens quoad unum, non ideo ab altero excusandus est. — Tempore quadragesimali prohibentur sub gravi etiam ova et lacticinia, ea scilicet omnia, quae originem ex carne ducunt. Constat ex praxi Ecclesiae, ex eius dispensationibus et ex pr. 32.ª d. ab Alexand. VII. Nunc tamen plerisque in locis conceditur fidelibus generalis dispensatio ab illa lege, si pauci dies excipiantur. Immo in multis dioecesibus episcopi, ex delegata a Romano Pontifice facultate, quoad esum, quoque carnis pro praecipua parte quadragesimae dispensationem concedunt. Ceterum, quamvis esus ovorum et lacticiniorum a peccato gravi, *per se*, excusari non posset, iuxta communem sententiam, facilius tamen materiae parvitas in his, quam in esu carnis admittenda videtur. — L. 1005. 1606. 1007., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 3., Bened. XIV. Notif. 16., E. M.

1602. *An abstinentia a lacticiniis servari debeat etiam in ieiunio extra tempus quadragesimale?* — R. Negative; quia huiusmodi obligatio nulla generali lege imponitur. Est sententia communis, ait S. Lig. 1009. Alicubi tamen, v. g., Romae, invaluit consuetudo, habens vim legis, ut etiam quibusdam aliis diebus, v. g., quatuor temporibus, eiusmodi abstinentia servetur. — S. Th. 2. 2. q. 147. a. 8. ad. 3., Struggl Tr. 8. q. 2. n. 18.

1603. *An abstinentia ab ovis et lacticiniis obliget etiam in dominicis quadragesimae?* — R. Affirmative. Ratio est, quia in Iure Can. C. *Denique* 6. D. 4. universe praecipitur in diebus quadragesimalibus abstinentia a lacticiniis. Certum est autem, quod dies dominici etiam quadragesimae dies sunt. Quare, concludit S. Alph. 1007., opposita sententia negans « sat probabilis non videtur, cum plures eam improbabilem putent ». — S. Th. 2. 2. q. 147. a. 8.

1604. *An tempore quadragesimae liceat in refectione comedere panes ovis confectos?* — R. Negative, nisi ova fuerint permissa; ratio est, quia eorum substantia non deperditur ex eo quod farinae misceatur. — L. 1009.

1605. *An dispensati ad lacticinia censeantur eo ipso etiam dispensati pro ovis?* — R. Affirmative, quia haec ex consuetudine aequiparantur, nisi distinctio clare in dispensatione exprimatur. Dispensati vero ad carnes censentur etiam dispensati ad ova et lacticinia, quia cui conceditur plus, etiam minus conceditur. — L. 1007.

1606. *An dispensati ad carnes adhuc teneantur ad ieiunium?* — R. Affirmative. Prob. ex praescriptione Bened. XIV. B. *In Suprema* 22. Aug. 1741., et clarius B. *Libentissime* 10 Jul. 1745., L. 1013. 1014. 1015., Bened. XIV. Inst. 15. n. 20. seqq., *Dipensati;* ii vero qui non possunt abstinere a carnibus ob grave incommodum, ad unicam adhuc refectionem *verius* tenentur; sed aliud aliis videtur. Bened. XIV. Not. 15. n. 19. seqq. Ii vero qui item ob grave incommodum non possunt unica ali refectione, ad abstinentiam a carnibus tenentur, quod *verior* et *certa* sententia est. Bened. XIV. CC. citt., Collect. S. C. de P. F. n. 2057., E. M. 514. 515.

1607. *An dispensati ad carnes possint simul comedere carnes et pisces?* — Dispensati ad carnes nequeunt in diebus ieiunii tempore quadragesimae, et per annum, nec non in dominicis quadragesimae, comedere simul, *in eadem* nempe *comestione, carnes* et *pisces*. Constat ex tribus CC. Bened. XIV. *Non ambigimus, In Suprema, Libentissime.* — L. 1013. 1014. 1015., E. M.

1608. *An dispensati ad carnes possint sine laesione ieiunii edere carnes non salubres, nempe porcinas et similes?* — « Affirmant communissime dd. et quidem probabiliter; tum quia licentia ad carnes generaliter impertita non est restringenda ad solas salubres, tum quia alias dispensati pluribus, subiicerentur scrupulis, non raro dubitando, quaenam carnes noceant vel prosint... Sed, loquendo in particulari de carne porcina, non videtur illa absolute posse dici insalubris ». L. 1015. *Dispensati*, nempe singuli non universi, tunc enim non nisi salubres permittuntur. Bened. XIV. C. *Libentissime* § 1. Verum restrictio haec, quae antea Romae apponebatur, omissa iam est hoc anno 1897.°, ut videre est in Quadragesimali Indulto. — E. M.

1609. *Quanam hora facienda sit refectio?* — Nostris his temporibus, ex universali consuetudine, licite refectio fere sub meridie sumitur. — L. 1016., H. A. 9.

1610. *An hora refectionis pertineat ad essentiam ieiunii, ita ut graviter peccet, qui notabiliter eam sine iusta causa anticipet?* — Prima sententia probabilis affirmat. Ratio, quia uti Ecclesia ieiunium instituit, ita etiam certum comedendi tempus ieiunantibus instituit. Ergo, qui no-

tabiliter anticipat, ieiunium solvit. Secunda sententia probabilis etiam negat. Ratio, quia ex praesenti consuetudine hora non pertinet iam ad substantiam ieiunii. — *Notabilem* anticipationem alii dicunt esse, si refectio plus quam hora anticipetur, alii si tantum hora. *Anticipet*, nam non peccaret quis differendo; magis enim accederet ad antiquam consuetudinem, quae quidem ad ieiunii finem melius conducit. *Sine iusta causa*, ut enim iusta causa excusare potest ab ipso ieiunio, ita etiam excusare potest ab hora refectionis. « Ceterum, ait S. Alph. 1016., licitum est anticipare infra horam, etiam sine causa ». — L. H. A. Tr. 12. n. 21.

1611. *An frangatur ieiunium, si coenula meridie, refectio autem vespere sumatur?* — Non frangitur essentialiter, et proinde, si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale. Verum etiam ab hoc veniali excusat causa rationabilis, et loci aut conditionis consuetudo. Immo multis in locis ex consuetudine hodierna fieri potest coenula hora decima matutina, et refectio vespere. — L. 1020. 1024., E. M.

1612. *Quamdiu prandium protrahi possit?* — Nihil absolute circa hoc determinari potest; non videtur autem absque aliqua culpa protrahi posse ultra duas horas. L. 1020., H. A. 10.

1613. *An frangat ieiunium, qui refectionem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit?* — Si interruptio sit *levis*, v. g., unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat. L. ib. — Si interruptio sit *unius fere horae sine ratione*, non caret aliqua culpa levi, ut videtur. — Si interruptio sit *valde notabilis*, v. g., duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio, nisi iusta causa excuset. — Si autem interruptio *gravi de causa* habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, quando praecedens refectio sufficiens non fuerit; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectione transigendam. — L. 1017. 1020.

1614. *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensae accumbere?* — R. Affirmative, probabiliter, si convivae adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum, quod ipse ignorabat apponendum. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. — L. 1020.

1615. *Quaenam sint causae, quae a ieiunio excusent?* — Causae excusantes a ieiunio ad tres praecipue revocari solent, scilicet: 1.° ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2.° ad pietatem vel caritatem; 3.° ad dispensationem, sicut de aliis praeceptis dictum est. — L. 1031. seqq.

1616. *Resolves:* 1.° Excusantur a ieiunio pauperes ostiatim mendicantes, aliique omnes, qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde aequam pro toto die refectionem comparent. Ad hanc vero non sufficiunt panis et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum, nisi forte uno vel altero die. — 2.° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes et debiles, v. g., qui febri tertiana vel quartana laborant, vel ab ea convalescunt; ii praeterea, qui, nisi bis reficiantur, notabilem ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiuntur, aut noctu somnum capere non possunt. Neque vero tenentur hi mane ientare et

prandere vesperi, quod extraordinarium est, et grave affert incommodum. — Excusantur etiam mulieres praegnantes et nutrices, itemque uxores, quibus a maritis ieiunium interdicitur, et quae ieiunando paterentur gravem maritorum indignationem. — 3.° Excusantur illi, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare, et alia huiusmodi. — Excusantur milites sive in castris, sive in hospitiis, etiam tempore pacis, tum quia congruum non habent cibum pro ieiunio, tum propter labores militiae, tum propter consuetudinem. — 4.° Excusantur famuli et famulae aut alii eiusmodi, cum tot tantisque occupantur laboribus, ut ieiunium cum his coniungi absque magna difficultate vel incommodo non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione. — 5.° Non autem *per se et ordinarie* excusantur tonsores, sartores, pictores, scribae, famuli, pedissequi, typographi qui praelum non versant, sed characteres tantum disponunt, ceterisque similibus operam dantes. — C. *Consilium* 2. *de Observ. ieiun.*, L. 1008. 1031. seqq., H. A. 23., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4., E. M.

1617. *An excusentur a ieiunio senes sexagenarii?* — Excusantur sane, si sint viribus debiles, ut patet. Immo excusantur etiam, iuxta communem sententiam, in dubio de validitate virium; quia tunc praesumptio stat pro earum imbecillitate. L. 1036. — Si viribus polleant, controvertitur. Prima sententia negat, eos ieiunii lege eximi, quia illi qui in ea aetate vires validas habent, ut senes non reputantur. Haec quidem sententia est probabilis, ait ib. S. Alph., sed non minus probabilis est sententia opposita. Ratio est, tum quia sic fert universalis consuetudo, ut communius testantur dd., tum quia alias esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit necne sufficienter robustus ad ieiunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia huiusmodi senes, tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali aetate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit, in huiusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum. Hinc commune adagium: Senectus ipsa est morbus.

1618. *Nota:* Quod de ieiuniis ecclesiasticis dicitur, id ipsum statui potest de ieiuniis, quae ex Regula servant Religiosi: nam et ab his sexagenarii excusari poterunt, nisi forte, ut notat S. Alph. l. 3. n. 139., observantiam ieiunii expresse usque ad mortem promiserint. Extendi haec norma potest ad eos quoque, qui aliqua heddomadaria aut menstrua ieiunia in totam vitam voverint. Sed itidem excipe, si quis cogitans de senili aetate expresse obstringere sese usque ad extremum vitae voluerit. — L. 1038. seqq.

1619. *An sexus debilior, utpote qui citius senescit, a ieiunio quoque citius excusetur?* — DD. fere controversiam de anno quinquagenario movent. Qui negant excusari, moventur, quod licet citius senescat mulier, tamen minus ieiunio maceratur, et minori indiget alimento. Alii vero affirmant, et illud urgent, quod nemo negat, scilicet valere aeque pro viris ac pro mulieribus, quod senectus est morbus. Nec sane satis apparet, cur ea, quae de senili aetate animadvertit S. Alph. pro viris, pro mulieribus aeque non valeant. Quod si minori mulieres indigent alimento,

seu potius si abundantiori alimento ferendo prae debilitate sunt impares, hoc potius evincet, eas a lege, quae unicam comestionem concedit, excusari, cum unica exigua comestio sustentandis viribus par esse nequeat. — L. 1037.

1620. *An excusentur a ieiunio fabri, artifices, etc., si sint adeo robusti, ut ieiunare sat facile possint?* — R. Affirmative, probabiliter, quia consuetudo eximit generatim omnes qui eiusmodi artes exercent; leges autem non respiciunt id, quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter et per se contingit. Negant autem etiam probabiliter Concina, Bonacina, etc. Haec secunda sententia, ait S. Lig. 1043., speculative loquendo, videtur probabilior, sed in praxi vix reperietur unus, qui ex huiusmodi labore non graviter relaxetur.

1621. *An excusentur a ieiunio opifices iis diebus, quibus a labore abstinent?* — R. Affirmative, si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendae laxitudinis, et servandarum virium ad proximos labores sustinendos. L. 1044.

1622. *An excusentur artifices divites, qui a labore diebus ieiunii cessare possunt?* — R. Affirmative, probabilius. Ratio est, quia interest reipublicae, ne causa ieiunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt. Id etiam constare videtur ex declaratione Eugenii IV. apud S. Lig. 1042. Neque mens est Ecclesiae, ut fideles ab ordinariis occupationibus impediantur. S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3., loquens de peregrinantibus haec habet: « Non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias pias, et magis necessarias causas ».

1623. *An peccent, qui sine iusta causa inusitatum laborem et cum ieiunio incompossibilem assumunt?* — R. Affirmative, *per se,* etiamsi in fraudem legis non agant: lex enim, quae ieiunium imperat, consequenter iubet, ne *absque ratione* apponantur causae, quae eiusdem satisfactioni adversentur. — *Absque ratione;* quia, iusta interveniente causa, suscipere licet laborem cum ieiunio incompossibilem, quamvis labor iste inusitatus sit, v. g., ad maximum percipiendum lucrum, etc. Sola autem meri oblectamenti ratio nunquam sufficit, nisi alia causa honesta accedat. — L. 1045. 1046. 1048. 1049.

1624. *Quod iter iusta de causa pedibus susceptum a ieiunio eximat?* — Communiter aiunt, requiri ac sufficere iter 5 ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum; quod si vel perardua foret via, vel tempestas immitis, vel viator debilis, itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum. — L. 1047., E. M.

1625. *An vel quomodo excusentur concionatores, magistri scientiarum et confessarii?* — *Concionatores,* qui quotidie vel fere quotidie concionem habent, communiter ratione pietatis ac muneris a ieiunio excusantur. Potiori etiam iure missionarii, qui graviori defatigatione in missionibus exercentur. Generatim loquendo, non excusantur concionatores, qui ter aut quater tantum in hebdomada concionantur; sed in hoc standum est iudicio prudentium. — *Magistri scientiarum* excusantur, licet per unam tantum horam singulis diebus doceant, si studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones,

iam prius ordinatas ac saepius repetitas. — Idem dicendum *de advocatis* et *de iudicibus,* si magno indigeant studio, nec non *de medicis,* si magno labore in visitatione infirmorum defatigentur. — Itemque *scholares* excusantur, qui alioquin nequeunt suo officio incumbere. Merito autem censent Sanchez et Azor, contra Salmant. et alios, excusari *magistros grammaticae,* si per 4 vel 5 horas doceant. — *Confessarii* non excusantur *per se,* sed tantum cum extraordinarium laborem subeunt, v. g., cum pluribus succedentibus diebus confessiones audire debent, ut in missionibus fieri solet, vel cum ita sunt debiles, ut sine gravi incommodo poenitentium frequentiae satisfacere nequeant. — L. 1047. 1049., H. A. 34.

1626. *Quinam in lege ieiunii dispensare possint?* — Dispensare possunt: 1.° S. Pontifex, in universa Ecclesia, et eius dispensatio, etiam sine causa, valida est. Iusta causa ad liceitatem requiritur saltem sub levi. Si ieiunium cadat in festum Patroni, vel Titularis, vel in diem nundinarum, magno populorum concursu, potest episcopus anticipare vel etiam dispensare a ieiunio et abstinentia. S. O. 5 Dec. 1894. — Bened. XIV. ad dispensandum quoad *abstinentiam* cum privatis requirit, utriusque medici, corporalis et spiritualis consilium. Attamen usus invaluit, ut fideles vel solius parochi, aut confessarii, vel solius medici, aut etiam prudentis alicuius viri consilio sint contenti, nec ideo sunt inquietandi. — 2.° Episcopi cum singulis, ex legitima causa; non vero cum tota communitate, nisi ex gravissima et urgente necessitate, et singulis tantum vicibus. Bened. XIV. B. *Prodiit iam dudum,* B. *Non ambigimus,* B. *In suprema* § 2. — 3.° Superiores regulares, vi privilegiorum. — 4.° Parochi, vi consuetudinis cum singulis, et singulis vicibus tantum. — Servanda autem est semper et ab omnibus lex unicae comestionis et vetitae promiscuitatis, sive dispensatio quoad *abstinentiam* detur toti communitati, sive detur privatis, *dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat.* Bened. XIV. C. *In suprema* § 2. — 5.° Medicus et confessarius dispensare non possunt, sed possunt pro officio suo declarare aliquem a ieiunio vel abstinentia excusari, quando causa excusans est manifesta vel dubia. Sanch. Cons. l. 5. c. 1. D. 5. n. 3. 28. — 6.° Superior autem potest dispensare non solum cum causa est manifesta, verum etiam cum est dubia, et tunc poterit dispensationi admiscere commutationem in alia pia opera, orationes, eleemosynas, etc. Sanch. Cons. l. 5. c. 1. D. 5. n. 26. — L. l. 6. n. 1031. 1032., H. A. Tr. 12. n. 22., S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4., E. M.

Episcopi, Apostolico Indulto ab abstinentia dispensantes, tempore quadragesimae, visitationem alicui ecclesiae, preces, eleemosynam praecipiunt. *An sub gravi?* Sunt qui affirmant, quia episcopi ex delegatione dispensantes censentur quandam facere commutationem, et proinde opus subrogatum repraesentat gravem abstinentiae obligationem, et ita declaravit episcopus Montis-Pessulani a. 1861. Verum alii generatim non agnoscunt hanc rigorosam commutationem. Sed probabilius dicendum, episcopos intendere principaliter dispensare, et accessorie aliquod opus pium in quandam satisfactionem levem imponere, et ita inter alios declaravit episcopus Montis-Regalensis a. 1844. et Viglebanensis a. 1879. — S. O. 5. Febr. 1890. Vic. Ap. Iaponiae Merid. declaravit, « id remitti prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Vicarii Apostolici ».

A. M. D. G.

INDEX ANALYTICUS RERUM *

DE PECCATIS

DE PRAECEPTO FIDEI

DE PRAECEPTO SPEI

DE PRAECEPTO CARITATIS

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

DE PRIMO DECALOGI PRAECEPTO

DE SECUNDO DECALOGI PRAECEPTO

DE TERTIO DECALOGI PRAECEPTO

DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO

DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO

DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRAECEPTO

DE SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRAECEPTO

DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO

DE PRIMO ET SECUNDO ECCLESIAE PRAECEPTO

DE TERTIO ET QUARTO ECCLESIAE PRAECEPTO

DE QUINTO ET SEXTO ECCLESIAE PRAECEPTO

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriar. Antioch. Vicesgerens.

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE MORALIS

SECUNDUM DOCTRINAM

S. THOMAE ET S. ALPHONSI

AUCTORE

JANUARIO BUCCERONI

E SOCIETATE JESU

VOLUMEN II.

Editio Tertia

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA *DELLA PACE* PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace* Num. 35

1898

OPERIS APPROBATIO

Cum Opus, cui titulus: *Institutiones Theologiae Moralis,* etc. P. Januarii Bucceroni S. J. aliqui e. S. Theologi recognoverint, et probaverint, facultatem concedimus, ut typis edatur.

Romae d. 7. Jan. 1897.

FRANCISCUS CARINI S. J.
PRAEP. PROVINCIAE ROMANAE

ABBREVIATIONES

Confer explicationem abbreviationum pag. 2. V. 1.

Codex Germanus in hoc Volumine initialibus litteris C. B. *(Codex Borussicus)* indicatur

DE PARTICULARIBUS LAICORUM OBLIGATIONIBUS

I. — DE IUDICIBUS

1. *Quid iudex?* — Iudex, quoad eius nominalem definitionem, idem est ac *ius dicens*. Quoad definitionem realem, iudex est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta, ut secundum leges iustitiam vindicet, iudicium seu sententiam ferendo inter duas partes litigantes, authentica legum declaratione et applicatione. — S. Th. 2. 2. q. 60. a. 1. 6., q. 67. a. 3.

2. *Quaenam dotes in iudice requirantur?* — Requiruntur in iudice scientia et prudentia, quibus sciat suo munere recte fungi. Ratio 1.[i] est, quia quilibet, generatim loquendo, tenetur scire ea, quae pertinent ad proprium officium, et sine quorum cognitione recte illud exercere non potest. Praeterea, loquendo in particulari de iudice, iudicis est definire et determinare id quod iustum est. Atqui id fieri non potest sine iuris naturalis et positivi scientia. Ratio 2.[i] est, quia iudicis est legis dictum applicare ad particulare negotium; eiusque iudicium, ut rectum sit, proferendum consequenter est « secundum rectam rationem prudentiae ». — S. Th. 2. 2. q. 60. a. 2. et 1. ad 1., Lugo de Iust. et Iur. D. 31. S. 1.

3. *Resolves:* 1.° Non vulgaris neque mediocris scientia et prudentia in iudice requiritur, ut intricatas causas perpendere possit, et omnia adiuncta tum iuris tum facti sua consideratione perscrutari. — 2.° Petens aut suscipiens officium iudicis, idem est de medico, de chirurgo, etc., quo quis indignus est, ita ut probabile sit inde notabile damnum proximi secuturum, peccat mortaliter. — 3.° Iudex carens necessaria scientia non debet absolvi, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firmum habeat propositum renuntiandi, vel saltem eam diligenti studio acquirendi, et interim a iudicando abstineat, vel certe utatur consiliis et opera doctioris; secus enim periculo damni proximum exponeret. Renuntiare vero omnino debet, si nulla sit spes eum habilem, studendo, aliquando evasurum. — L. 195., l. 1. n. 170.

4. *Quomodo iudex officium suum exercere debeat?* — Iudex tenetur incorruptibili integritate, nulla personarum acceptione, munus suum rite implere. Ratio est, quia officium iudicis suscipiens ad id obligatur ex quasi-contractu cum societate. Quare secus agens reus erit violatae iustitiae, tum legalis, tum etiam commutativae. — R. 12.[a] de R. I. in 6.°, S. Th. 2. 2. q. 63. a. 4.

5. *Quid iudex praestare debeat, ut munus suum rite impleat?* — Duo praestare debet: Primum est, causas iudicare, easque celeriter expedire. Etenim tenetur iudex ex officio tribuere cuique ius suum. Porro ius potius laedit, si vel causam iudicare omittat, vel sententiam differat absque iusta et proportionata causa. Hinc mortaliter peccat contra suum officium, causae iudicium omittendo, vel illud sine sufficienti causa excusante valde notabiliter differendo: et tenetur praeterea damna parti laesae compensare, quae ex iniqua omissione et dilatione iudicii secuta sunt; quia illorum est iniusta causa. C. *Iurgantium* 2. *de Sent. et re iudic.*, Trid. S. 24. C. 20. de R., S. 25. C. 10. de R., L. 196. — Alterum est, legitimum iudicium proferre. Iudex enim est interpres iustitiae et iustitia animata. Iudicium autem est, definitio vel determinatio iusti sive iuris. Et Deut. 16., 18. dicitur: *Iudices et magistros constitues in omnibus portis tuis...., ut iudicent populum iusto iudicio.* — R. 26.ª de R. I. in 6.°, S. Th. 2. 2. q. 60. a. 1. 2.

6. *Quid ad legitimum iudicium proferendum requiratur?* — Tria requiruntur: Primum est *iurisdictio,* sine qua, per se loquendo, peccatur mortaliter, et sententia nulla est, nisi adsit titulus coloratus, et error sit communis. Iure autem canonico forum quis sortitur externum ratione domicilii, rei, contractus, delicti. C. *Licet* 20. *de For. comp.*, C. *Cum quidam* § 1. *de Except.* in 6.°, C. *Novit de Iudic.*, C. 35. *Quicumque* caus. 11. q. 1., C. 1. caus. 3. q. 7., L. *Barbatius* Dig. *de Offic. praetor.*, S. Th. 2. 2. q. 60. a. 6., q. 67. a. 1., Lugo D. 37. S. 2. 3., Sanch. de Matr. l. 3. D. 22. — Alterum est *rectus processus,* v. g., ut citetur reus et audiatur, etc., nisi forte expediat aliquando, cum delicta sint publica, atrocia, et periculum sit in mora, in flagranti crimine deprehensos subito plectere. Ut enim publica auctoritate, ita publica etiam scientia iudex procedit. L. 193., S. Th. 2. 2. q. 67. a. 3., Lugo D. 37. S. 6. 7., C. *In causis* 19. *de Sent. et re iud.*, CC. *Si legitimus* 1., *Evidentia* 9. *de Accusationibus*, Clem. 2. *de Sent. et re iud.* — Tertium est, ut procedat *ex inclinatione et intentione iustitiae,* secundum leges et rectam prudentiae normam. Si enim ex inclinatione iustitiae et secundum leges ac prudentiam non procedit, iudicium iniustum et pravum est. C. *Sententia.* 1. *de Sent. et re iud.*, S. Th. 2. 2. q. 60. a. 2., L. 194. — Trid. S. 13. C. 1. seqq. de R., S. 24. C. 20. de R., S. 25. C. 6. de R.

7. *Nota:* « Clericis, etiam laicalem potestatem habentibus, illicitum est reos poena mortis damnare, ex C. *Continentia* 2. *de Cler. percuss.* In hoc tamen potest Papa dispensare. Et ipsi episcopi, vel similes, habentes dominium temporale loci alicuius, possunt licite committere laicis potestatem suam ad causas sanguinis ». L. l. 3. n. 378., l. 7. n. 566., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 4.

8. *Quomodo sit rectus processus instituendus?* — In *causa civili* processus ad petitionem *actoris* est instituendus. — In *causa criminali* ex iure Romano, et, ad substantiam ipsam rei quod attinet, etiam ex recentiori iure, tribus modis processus institui potest: 1.° Via *accusationis,* cum est aliquis accusator, qui spondet se obiecta crimina probaturum. 2.° Via *denuntiationis,* cum deferens crimen non vult suscipere onus probandi. 3.° *Via inquisitionis,* quae triplex est: Prima *generalis,* quando nempe in genere quaeritur, an leges observentur, an sint transgressores. Secunda *specialis,* quando inquisitio instituitur de certo crimine, et de

certa persona, illius auctore. Tertia *mixta*, quando vel sola persona, vel solum crimen est speciale, e. g. an Titius reus sit, quis Caium occiderit. L. 197., S. Th. Quodl. 11. a. 13. — Quacumque via instituatur processus, semper est aliquis accusator sive persona privata, sive publica; sive physica, sive moralis. Iudicium enim est actus iustitiae, quae non est ad seipsum, ut aliae virtutes, quibus homo ordinatur in seipso, sed est ad alterum, hominem ad alium ordinans. S. Th. 2. 2. q. 67. a. 3. — Ex iure canonico praevia saepe requiritur *monitio* rei. Trid. S. 25. C. 14. de R. — L. *Qui crimen* C. *de Iis*, *qui accusare non possunt*, L. ult. C. *de Accusat. et inscript.*, Sanch. Cons. l. 6. c. 2. proem., Lessius l. 2. c. 29. n. 106., Lugo D. 27. n. 75., E. M.

9. *Quid de generali inquisitione?* — Iudex sine ulla data speciali occasione, *ex solo officio suo* potest instituere *inquisitionem generalem*, in qua tamen eius potestas non se extendit ad occulta delicta elicienda, de quibus nulla est fama, vel quae in nullius damnum vergunt. Ratio prioris est, quia id necessarium est reipublicae, nec cuipiam fit iniuria. Ac licet quorundam scelera detegantur, id fit per accidens, praeter intentionem, cui quidem incommodo praevalet bonum commune. Ratio posterioris est, quia secus directe et per se proximi fama laederetur, et hoc ius, per se loquendo, neque iudex, neque ipsa societas habet. Maxima deinde sequerentur incommoda scandalorum, rixarum, etc. Quare ipsi societatis communi bono, per se semper loquendo, magis prodest quod delicta maneant occulta, quam quod publicentur, ut scandalum removeatur, ne alii aliorum exemplo ad similia crimina patranda excitentur. Excipe tamen casus *imminentis periculi damni communis vel privati*, in quibus potest iudex inquirere etiam de secretis delictis. — C. *Perniciosa* 1. *de Off. iud. ord.*, L. 198. 199., Lugo D. 37. S. 6., Lessius de Iust. et Iur. l. 2. c. 29. dub. 13., S. Th. Quodl. 11. a. 13., 2. 2. q. 33. a. 7.

10. *Quid de speciali inquisitione?* — « Ut iudex faciat *inquisitionem specialem* debet saltem *regulariter* praecedere infamia, vel quid aequipollens, quod iustam det causam. Ratio est, tum quia alioquin diffamaret sine causa, tum quia iudex procedere debet ex scientia publica, quam non habet, nisi per accusationem, vel confessionem rei, vel evidentiam facti, vel per infamiam; ad quam non sufficiunt duo testes, qui iurent se vidisse crimen admitti, quia adhuc est occultum, sed requiritur, ut rumor sit sparsus per maiorem partem communitatis, i. e. civitatis, viciniae, vel monasterii, neque a maledicis sit exortus, etsi hac in re tutum sit sequi praxim communem bonorum virorum et rerumpublicarum ». L. 201. — *Regulariter;* nam iterum sunt casus excepti, *si immineat nempe periculum damni communis, vel gravis damni alterius personae,* vel agatur *de gravioribus criminibus,* homicidiis, furtis, aliisque rempublicam turbantibus, et adsit aliqua suspicio orta ex indiciis non levibus, ne delicta impunita occasionem praebeant iniquis hominibus Rempublicam suis sceleribus turbandi, et innocentes laedendi. Quare iudex debet tunc uti magna prudentia, et habere rationem personarum, et donec videat, an res probari possit, eo modo capere informationes, ut quam minimum fama laedatur. Unde, si videt eam probari non posse, debet desistere. Less. l. 2. c. 29. dub. 15. — Ne reus autem testes interim corrumpere vel ipse aufugere possit, iudex mandare potest, ut in carcere includatur. Sed id sine gravi

delicto et gravibus indiciis fieri non potest. — S. Th. 2. 2. q. 65. a. 3., Quodl. 11. a. 13., Lugo l. c., CC. *Accedens* 23., *Qualiter et quando* 24., *Cum oporteat* 19., *Inquisitioni* 21. § 1.-2. *de Accusationibus*, C. I. Proced. poen. l. 1. tit. 1. c. 2., tit. 2. c. 1.-4.

11. *Quid de mixta inquisitione?* — Licita quoque est *inquisitio mixta;* quando nempe crimen est manifestum, et ignoratur auctor, licet iudici quaerere in genere quis illud commiserit; non tamen in particulari, v. g., an Petrus illud fecerit, nisi infamia aliqua et manifesta indicia praecesserint. Pars prior patet tum ex praxi omnium timoratorum etiam iudicum, tum ex contrariis incommodis; facile enim multiplicarentur crimina et delicta. Posterior vero pars ex eo constat, quod hoc esset sine legitima causa proximum infamare. L. 199. 200. — Hinc idem S. D. 201. « notandum, ait, quod praelati nequeunt inquirere contra religiosos in dubio, an adsint indicia sufficientia... ad inquisitionem, quia in dubio possidet illorum fama, quae per inquisitionem inde deturparetur. Intellige tamen, *nisi immineat periculum damni communis*, tunc enim praevalet ius Religionis », *aut etiam privati*. Quod, uti patet, generale est, et non tantum Religionis proprium. — Lugo l. c.

12. *Nota:* Si de inquisitione agatur non iudiciali, ad poenam, sed paterna, ad emendationem rei, amplior quidem est hac in re facultas, ut constat ex ipsa communi praxi. Episcopi enim et Superiores regulares in Visitatione, quam ordinarie non nisi paterne faciunt, de clericis et religiosis etiam in particulari indagare solent, quomodo se gerant, quomodo ipsi aliis et alii ipsis contenti sint, an leges observent, etc. Verum ista etiam paterna inquisitio, si non de omnibus fiat de more, sed de uno vel alio in particulari, fieri non potest, nisi adsit peculiaris aliqua ratio, et debita servetur cautela, ne quis inde infametur. Secus enim huiusmodi indagatio vitiosa omnino evadit et reprehensibilis, quia in detractionem degenerat, « et quia generat scandala et occasionem praebet odiis et dissensionibus. Nam homines moleste ferunt, sua ab aliis facta scrutari et suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, cuius honori adversatur, et aestimationi, quam de se optimam omnes haberi cupiunt ». Diana T. 7. Tr. 4. Res. 25. n. 3.

13. *An iudex damnare possit reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit, aut innocentem, qui iuridice probatur nocens?* — R. ad 1.um Negative. Iudex enim iudicat, ut persona publica, ideoque sequi debet scientiam publicam, et procedere secundum allegata et probata, praesertim in favorem rei. S. Th. 2. 2. q. 67. a. 2. a. 3. ad 2., L. 207. Verum, loquendo non de iudice inferiori, sed de ipso principe, et de causis civilibus ac ablatione officiorum, etc. observat Lugo D. 37. S. 5. n. 54. « maiorem fortasse potestatem habere principem ad hoc, ut ex scientia privata possit aliquando condemnare reum non convictum; nam cum harum rerum respublica habeat maius dominium, et possit disponere de his in ordine ad bonum publicum, facilius potest contingere, quod expediat ad bonum publicum auferre ab aliquo bona vel officium propter testimonium solius principis ». Idem vero non potest iudex inferior; « is enim non potest dispensare in lege superioris, maxime in re tanti momenti ». Lugo l. c. n. 50.

Ad 2.um: « Quem iudex privatim scit esse innocentem, si iuridice probatus sit nocens, tenetur omni modo liberare, si potest, v. g., impediendo accusationem, extrahendo iudicium, aperiendo carcerem, si sine maiori malo potest, remittendo causam ad superiorem ». L. 208., S. Th. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3., q. 67. a. 2. c.

Quod si iudex sic agendo nihil efficere possit ad innocentem liberandum, tres tunc adsunt sententiae, omnes probabiles. Prima sententia Angelici Doctoris docet posse iudicem in quacumque causa proferre semper sententiam iuxta allegata et probata. Ratio est, quia iudex non iudicat ut persona privata, sed ut publica. Ergo in iudicando non scientiam privatam, sed publicam sequi debet. « *Debet* eas (probationes inductas) in iudicando sequi ». 2. 2. q. 67. a. 2. c. « Iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur... *non peccat* secundum allegata sententiam ferens; quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem ». 2. 2. q. 64. a. 6. 3. — Secunda sententia, S. Alphonso valde probabilis, negat, in quacumque causa posse iudicem sententiam ferre contra eum, quem certo scit esse innocentem. Ratio est, « quia damnare innocentem est intrinsece malum; sicut esset cogere mulierem ad convivendum cum eo, quem privatim scit non esse suum maritum ». L. 208. — Tertia sententia Lessii et Lugonis distinguit inter causas criminales, in quibus agitur de poena vitae vel mutilationis, et causas civiles vel criminales, in quibus agitur de poena pecuniaria, vel exilii aut privationis officiorum. In illis negat licere iudici condemnare innocentem. In his vero concedit id licere. Ratio prioris partis est, quia per se malum est occidere vel mandare occidere aliquem sine auctoritate. Atqui iudex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis, cum ipsa Societas destituatur tali auctoritate. Ratio posterioris est, « quia respublica habet auctoritatem disponendi de fortunis suorum civium, easque de uno in alium transferendi, prout bono publico expediens fuerit; ut patet ex legibus usucapionum. Atqui hic videtur esse iusta causa, tum ne forma publicorum iudiciorum cum populi scandalo pervertatur, tum quia non suppetit ratio incommodum huius hominis avertendi. Ergo potest statuere, ut iudex in tali casu formam publicam iudiciorum sequatur, etiamsi inde fiat, ut fortunis eum spoliare debeat, quem privatim innocentem vel bonam causam habere novit ». Less. l. 2. c. 29. dub. 10. n. 84., Lugo D. 37. S. 4. n. 42. seqq., C. *Inquisitionis suae de Sent. exc.* — Ithur. Cas. 34., L. l. 6. n. 999. 1002., E. M.

14. *An iudicis sententia obliget in conscientia; et ad quid teneatur iudex, qui sententiam iniustam tulit?* — R. ad 1.um: Affirmative, si est *certo iusta.* Ratio est, quia legitimum superioris praeceptum in conscientia obligat. Atqui iudicis sententia iure comparatur praecepto superioris, in particulari quodam casu rem aliquam praecipientis vel prohibentis. « Sententia iudicis est quasi quaedam particularis lex in aliquo particulari facto ». S. Th. 2. 2. q. 67. a. 1. c. Inde deducit A. D., quod « sicut lex generalis debet habere vim coactivam... ita etiam et sententia iudicis debet habere vim coactivam ». Similiter, ut lex generalis debet habere vim obligandi, ita etiam et sententia iudicis debet habere vim obligandi. — Negative, si est *certo iniusta.* Ut enim non tenetur quis obedire illi, qui praecipiendi auctoritatem non habet; ita magis non tenetur quis obedire illi, qui au-

ctoritate abutitur iniusta praecipiendo. C. *Inter ceteras* 9. *de Sent. et re iud.*, S. Th. 2. 2. q. 60. a. 6. c. ad 4. Quare potest quis occulte se compensare, nisi alter iuste praescripserit. Dicitur *negative*, h. e. *in conscientia* non obligare, « quia *in foro externo*, ubi non tam veritas facti, quam probatio iuridica spectatur, sententia prolata servanda est, *ad evitanda scandala*, et incommoda (si nempe adsint, neque aliter vitari possint); neque, elapso termino, intra quem appellare licebat, actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis ». L. 215. — Affirmative, si est *dubie iusta*. Ratio est, quia praesumptio superiori seu iudici favet, et gravissima incommoda practice essent; et nunquam esset litium finis. Praeterea superiori legitime praecipienti obediendum est. In casu vero praedicti dubii et probabilitatis, superior seu iudex legitime adhuc praecipit. Possidet autem *certo* ius urgendi exsecutionem, quo spoliari non potest, nisi opposita certitudine iniustitiae. — Verum a sententia iudicis inferioris fas est ad superiorem iudicem appellare, licet sententia sit tantum probabiliter iniusta, et, appellatione interposita, cessat interim sententia lata. Ratio est, quia illa sententia inferior de se neque absoluta est, neque simpliciter definitiva; sed tantum si acceptetur ut talis, et non interponatur appellatio. Postquam vero sententia transierit in rem iudicatam, absoluta iam est, et definitiva, eique, etiam in dubio an sit iusta, in foro conscientiae standum est. C. *Cum super* 17. *de Sent. et re iud.* — Lugo D. 37. S. 15. n. 185. seqq., S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3., Quodl. 4. q. 8. a. 14.

Ad 2.um: Si iudex *ex inculpabili errore* sententiam iniustam tulit, tenetur eam revocare, si potest sine gravi incommodo. Ratio asserti est, quia tenetur ex officio impedire malum proximi, « alioquin, si, dum potest, non impedit suum errorem, imputabitur iam ei quasi conservanti, id quod propter inadvertentiam inculpabilem prius non imputabatur ». Lugo D. 37. n. 3. Non tenetur tamen grave incommodum sustinere, cum iustitia non fuerit formaliter laesa, neque in quasi contractu officii seu muneris suscipiendi censetur quis obligari etiam quoad inculpabiles errores cum notabili suo incommodo. R. 23.^{a} de R. I. in 6.º — Si *dolo*, vel *culpabili magna imperitia* iniustam tulit sententiam, eam, si potest, revocare debet etiam cum gravi suo incommodo; et reparare tenetur omnia damna inde parti laesae obvenientia. Est enim causa iniusta, efficax, culpabilis talis damni; adeoque ad reparationem tenetur. — L. 195. 214., C. *Tum ex litteris* 5. *de In integr. restit.*

15. *An iudex in exsequenda causa et proferenda sententia graviter negligens, aut iniquus, restituere teneatur non tantum parti laesae, sed etiam fisco, v. g., si mulctam pecuniariam, quam ex lege debebat imponere reo, sine causa remisit?* — Affirmant probabiliter Busembaum et alii. Ratio, quia causa iniusta est damni, quod fiscus patitur. Sed probabiliter alii etiam negant, si ad mulctam reus nondum sit condemnatus. « Ratio, quia ante sententiam nullum fisco acquiritur ius ad poenam; hinc, si iudex iniuste reum absolvit, peccat contra iustitiam legalem non commutativam ». L. 196. 237. Excipe, si ex iniusta poenae remissione damnum privatae personae vel reipublicae obveniret; illud enim vi sui officii impedire tenetur. — S. Th. 2. 2. q. 67. a. 4. ad 3., L. l. c. et n. 237., Lugo D. 37. S. 8. n. 97. Cf. 61.

16. *An iudex debeat secundum leges scriptas iudicare?* — R. Affirmative. « August. dicit: *In istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas instituunt; cum tamen fuerint institutae et firmatae, non licebit iudicibus de eis iudicare, sed secundum ipsas...* Iudicium nihil aliud est, quam quaedam definitio, vel determinatio eius quod iustum est. Fit autem aliquid iustum dupliciter. Uno modo ex ipsa natura rei, quod dicitur *ius naturale;* alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur *ius positivum...* Leges autem scribuntur ad utriusque iuris declarationem; aliter tamen et aliter. Nam legis scriptura ius quidem naturale continet, sed non instituit; non enim habet robur ex lege, sed ex natura. Ius autem positivum scriptura legis et continet et instituit, dans ei auctoritatis robur. Et ideo necesse est, quod iudicium fiat secundum legis scripturam, alioquin iudicium deficeret, vel *a iusto naturali,* vel *a iusto positivo* ». S. Th. 2. 2. q. 60. a. 5., Inst. l. 4. t. 17., L. *Rem non novam* C. *de Iudiciis*, C. 1. *de Sent. et re iudic.*

17. *Resolves:* Inferior iudex ordinarie non potest poenam relaxare vel minuere, etiamsi actor vel accusator consentiat, nisi aliquando ad bonum reipublicae aliud necessarium esse dictaret epikeia, vel nisi iuste interpretetur iudex voluntatem superioris, vel nisi adsit alia iusta causa, in qua potius finis legis, quam cortex verborum est attendendus. Ipse iudex supremus id facere non potest absque iusta causa, unde graviter secus agens peccaret, quia animosiores redderet delinquentes, et ita ad peccatum concurreret. — S. Th. 2. 2. q. 66. a. 6. ad 2., q. 67. a. 4., q. 60. a. 5. ad 2., 4. D. 46. q. 1. a. 2. q. 2., Lugo D. 37. S. 8.

18. *Quid iudici faciendum sit, cum ius clarum non est, sed obscurum, et utrinque adsunt oppositae sententiae probabiles?* — *In rebus criminalibus* reo favendum est, tum quoad criminis exsistentiam, tum quoad poenarum inflictionem. Ratio est, quia iuxta regulas Iuris: In dubio nemo praesumitur malus nisi probetur; Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori; Odia restringi, et favores convenit ampliari; In obscuris minimum est sequendum; In poenis benignior est interpretatio facienda; Satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari. *De Reg. Iur.* in 6.°, L. *Absentem de Poenis*, S. Th. 2. 2. q. 60. a. 4., Elbel de Actib. human. 197. seqq.

In causis civilibus distinguenda est probabilitas *facti*, et probabilitas *iuris.* Dubium *facti* est: an homo fuerit compos sui dum condidit testamentum; an Titius commiserit tale delictum, falsificaverit scripturas, etc. In tali dubio sententia ferenda est secundum Regulas Iuris naturalis et positivi: In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet; In dubio praesumitur factum seu recte factum, quod de iure faciendum erat; In dubio standum est pro valore actus; In dubio standum est pro eo, pro quo stat praesumptio; Semel malus semper praesumitur malus; Ignorantia facti non iuris excusat; Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit, etc. *De Reg. Iur.* in 6.°

Dubium *iuris* est, quando dubitatur, quid praecipiat ius in tali casu, an lex extendatur vel non extendatur ad ipsum, etc.; et utrinque sunt opiniones probabiles. In tali dubio iuris, aut nullus rem possidet, aut aliquis rei possessor est. In primo casu, quod *nullus rem possideat*, si dubium sit cuinam partium ius magis faveat, vel si, citra dubium, ius

aeque partibus faveat, duplex est opinio. Prima sententia tenet rem esse dividendam. Ratio est, quia iudex non est rerum dominus, sed declarator iuris in casu particulari, et consequenter distributor rerum non pro libito suo, sed iuxta iura partium, et ideo, si iura sunt aequalia, aequaliter inter eas rem dividere debet. Altera sententia tenet, « iudicem melius quidem facere procurando partes ad concordiam reducere, absolute tamen posse alteram ex illis (aeque probabilibus sententiis) eligere... quia iudex ex debito sui officii solum tenetur ad investigandam diligenter veritatem, ut secundum eam iudicet; sed in casu nostro probabilissime iudicat, illam esse veritatem, et hunc hominem habere ius: ergo potest pro illo iudicare cum illa aequali probabilitate ». Lugo D. 37. S. 10. n. 115. Et sane, cum utraque pars tunc habeat iuxta probabilem sententiam integrum ius ad rem, bene poterit iudex uni ex istis sententiis se conformare, et nullam alteri parti infert iniuriam. Cf. C. *Duobus* fin. *de Sent. et re iud.* Neque valet obiicere, quod iudex iudicando veritatem esse pro una parte se exponit periculo aberrandi a vero et privandi alteram partem iure suo. Nam hoc periculum iudex vitare non potest. Aequale enim est periculum, si pro altera parte iudicet. Si vero rem dividat, « tunc erit certius periculum; tunc enim non solum probabile, sed certissimum erit verum dominum privari re sua quoad mediam partem: melius ergo est subire illud probabile periculum cum iudicio probabili de iustitia illius, pro quo fertur sententia, quam certissime privare dominum re sua quoad mediam partem ». Lugo l. c. n. 118.

Si vero, in eodem casu, quod *nullus rem possideat*, opinio vere probabilior in quaestione iuris uni parti favet, et opinio minus probabilis alteri parti, communis opinio tenet debere iudicem sententiam ferre pro ea parte, pro qua stat opinio probabilior. Ratio desumitur primo ex prop. 2.ª d. ab Innoc. XI. « Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem ». Verum ex hac damn. prop. sequitur tantum, quod non possit iudex sententiam ferre pro opinione minus probabili, minime vero quod debeat sententiam ferre pro sententia probabiliori, et non possit rem pro rata probabilitatis inter partes dividere. Ratio secundo desumitur ex eo quod iudex a republica constituitur, ut secundum merita causae, et secundum sententiam, quae ei conformior legi videatur, rem definiat; secus enim acceptor personarum esset. Sed neque haec ratio vere probat assertum. Nam, si secundum merita causae iudicare debet, rem dividere debet pro rata maioris vel minoris probabilitatis. Quod autem a Societate constituatur, ut pro sententia probabiliori sententiam ferat illi integrum ius adscribendo, asseritur quidem, sed non constat. Illud tantum asseri potest, et per se constat, quod nempe, si res dividi non possit pro rata maioris vel minoris probabilitatis, sed uni parti tota adscribatur, quia haec est, e. g., praxis tribunalium, illi sane tribuatur, qui habet maiorem probabilitatem. Haec autem tribunalium praxis ex duplici capite cohonestari posset, 1.° si agatur de longe maiori probabilitate; quia tunc fere certitudo moralis habetur, quae saepe difficile a magna probabilitate distinguitur; 2.° si dum iudex uni rem totam adscribat, liberat alium ab omnibus expensis iudicii, et a damnis reparandis; quia tunc aequa habetur compensatio. Melior igitur ratio videtur ea, quae modo allata est pro casu aequalis probabilitatis, quia nempe minus pe-

riculum iniustitiae est, et iudex, uti iustitiae interpres, tenetur eligere sententiam saltem minus periculosam, cum certa haberi non possit.

In altero casu, quod *aliquis rem possideat*, stante aequali utrinque iuris probabilitate, res adiudicanda est legitimo possessori; ratione enim possessionis praevalet absolute ipsius ius. Confirmatur ex R. 65.ª I. in 6.° « In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis ». Si vero inaequalis habeatur probabilitas, prima sententia tenet, iudicem teneri rem adiudicare illi, qui pro se habet maiorem probabilitatem, licet non sit possessor. Nam primo possessio per se non tribuit ius proprietatis, sed tantum detentionis rei, donec quis legitime spolietur, ius autem proprietatis maius est pro altera parte. De ipsa vero proprietate disputatur, non de simplici detentione rei, quae illi extrinseca est. Ergo uti in casu maioris probabilitatis, nullo possidente, praevalet maior probabilitas, ita etiam praevalet in casu possessionis. Praeterea R. I. 65.ª in 6.° valet evidenter *in causa pari*, non in causa dispari. Altera sententia tenet, iudicem non posse possessorem expoliare. Ratio, quia *legitima possessio*, attentis humanis moribus, per se loquendo, arguit ius moraliter certum, etiam ipsius proprietatis: homines enim non solent esse negligentes in rebus *suis* custodiendis. Atque hac ratione fundatur lex praescriptionis, quae ipsa possessione rei habetur. *Legitima possessio;* secus enim esset, si ipsamet possessio non esset certa, aut non certe legitima. Porro legitima possessio, praeter ipsum possessionis factum, duo requirit, *titulum et bonam fidem. Titulus* est, donatio, haereditas, emptio et similia, per quae dominium alicuius rei solet acquiri. Titulus iste esse debet saltem rationabiliter praesumptus. *Bona fides* vero est iudicium, quo quis propter similem titulum prudenter credit rem esse suam. « Et ideo iudices communiter res adiudicant habentibus ius probabilius, quia in foro externo difficulter bona fides possessoris probari potest ». L. 210., l. 1. n. 47. — Lugo D. 37. S. 10., Ithur. Cas. 34., Viva in pr. 2.ªᵐ d. ab Innoc. XI., E. M.

19. *An iudex sententiam ferre possit, cum ipsa lex certo iniusta et iniqua sit?* — Si agatur de lege civili, *contraria tantum legibus ecclesiasticis*, in quibus Summus Pontifex dispensare potest, uti, e. g., est lex ecclesiasticae immunitatis, potest iudex et debet, si iudicium ferri debeat, debitam petere facultatem a S. Sede, vel ab episcopo loci, iuxta varias leges et varios casus occurrentes. Hanc autem facultatem facile obtinebit, cum maxime expediat societatis bono, ut in ea honesti sint iudices. Ratio facultatis petendae est usurpatio, quae secus haberetur iurium Ecclesiae, et publicum scandalum praecavendum.

Si agatur de lege civili, *contraria legibus divinis et naturalibus*, tunc aut iudex debet praecipere aliquid directe contra hoc ius, aut debet tantum applicare aliquam poenam. — Primum evidenter non licet, et sic deberet potius officium suum relinquere, quam obligare vi militari concubinam, ut domi maneat cum suo amasio. Ut enim iniquum est exsequi rem iniquam, ita iniquum est eius exsecutionem mandare. S. Th. 2. 2. q. 60. a. 5.

Alterum aliis videtur etiam omnino illicitum; quia intrinsece malum est *condemnare innocentem*, quum nempe ipsa lex est evidenter iniusta, cuius transgressio punitur: aliis vero videtur posse excusari. Etenim temporalem aliquam poenam decernere per se malum semper non est; et gravissima adest ratio ex parte iudicis, ne officio cogatur renuntiare, et

ex parte societatis consentientis, cui melius est, ut boni sint iudices, quam mali, remoto semper scandalo, vel ex consuetudine approbata, et praxi timoratorum, vel ex debita facultate prius petita. Et sic potest mulctam decernere propter *formalitatem omissam* matrimonii civilis, quod Ecclesia hoc sensu tolerat, remoto semper scandalo, uti dictum est.

Verum quamvis *de poena tantum decernenda* agatur, distinguendum est inter poenam et poenam. Nam, si agatur de poena mortis, e. g., mutilationis, etc., cum neque ipsa persona possit cedere iuri suo, nec societas sua auctoritate sancire possit talem poenam, iniquum prorsus est eam imponere. « Ibi enim ius positivum locum habet, ubi quantum ad ius naturale nihil differt, utrum sic vel aliter fiat ». S. Th. l. c. Si vero agatur de poena aliqua pecuniaria, vel alia simili, cum quilibet hac in re cedere possit iuri suo, et possit societas consentire, potest sane iudex levem aliquam huiusmodi poenam imponere, ne cogatur officio suo renuntiare cum gravi damno proprio et ipsius societatis. Rationabiliter tunc praesumitur consensus. Id tamen videtur etiam limitandum ad casum, in quo non agatur de lege *directe contra naturam*, quamvis satis dura sit et non satis iusta. Nam, cum sententia iudicis non sit declaratio quaelibet, sed auctoritativa, auctoritative confirmare legem contra naturam, poenam etiam pecuniariam et levem determinando, contra naturam est. Contra naturam est ad mortem damnare christianum, qui idola renuit adorare, contra naturam est eum ad poenam et mulctam vel quinque tantum libellarum damnare, *quia* coram idolo noluit genuflectere. Certe de tali iudicio dici non potest, quod sit « definitio vel determinatio iusti sive iuris », nec de iudice dici potest, quod sit « interpres iustitiae », vel « iustitia animata ». S. Th. 2. 2. q. 60. a. 1., q. 67. a. 3., E. M.

20. *An licite possit iudex dona accipere?* — Nefas est iudici dona accipere gravis momenti, quae quidem aliquo modo saltem indirecte videntur exigi, aut in quibus videre est aliquod corruptionis periculum. Non videtur vero posse reprobari accipere levia tantum munuscula sponte omnino oblata, in quibus nullum est corruptionis periculum, quaeque neque indirecte exiguntur. — Ratio primae partis est, quia nefas est ea munera accipere pro sententia iusta; haec enim ex officio proferri debet. Nefas item est ea accipere pro sententia iniusta; quia haec non est proferenda. Id praeterea positive prohibetur Iur. Can. C. *Statutum* 11. *de Rescriptis* in 6.° § *Insuper*. Prohibetur etiam Iur. Civ., quo omnis magistratuum corruptio per dona et promissiones gravibus poenis plectitur, tum in corruptis, tum in corrumpentibus. L. 18. Dig. *de Offic. praesid.*, C. I. poen. 171.-173. Ratio secundae partis est, quia cum ea ex sola urbanitate offerantur, quasi inurbane recusarentur. Confirmatur Iur. Can. et Rom. ll. cc., dicitur enim recipi posse « forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus ». C. *Cum ab omni* 10. *de Vit. et honest. cler.* — Lugo D. 37. S. 11., S. Th. 2. 2. q. 71. a. 4. ad 3.

21. *An, si contra factam prohibitionem munera iudex acceperit, ad restitutionem teneatur?* — Si iudex a litigantibus munera *ex dono* accepit, ad restitutionem probabiliter non tenetur ante sententiam. Etenim « leges praefatae et aliae vel intelliguntur pro foro tantum externo, vel de restitutione in poenam criminis, pro qua semper requiritur sententia,

etsi non inflictiva poenae, saltem declaratoria criminis ». L. 216. Si vero *ex pacto* acceperit ad ferendam sententiam *iustam*, i. e. ad praestandum id, quod ex iustitia debebat, ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia non potest esse materia contractus quidquid ex officio, atque adeo ex iustitia iam debitum est. Multo magis autem restituere tenetur ea, quae vi, minis, vel iniusta vexatione extorserit. Si acceperit item *ex pacto* ad ferendam sententiam iniustam, certo tenetur ad restitutionem antequam eiusmodi sententiam ferat; lata autem sententia potest retinere, cum iam peccatum fuerit, neque in retinenda re accepta peccetur; cum vero praestitum fuerit quod promissum fuerat, et non debebatur, verificatur tunc contractus innominatus: do ut facias. Et sic etiam « propter fornicationem... mulier potest sibi retinere quod ei datum est ». S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2., Lugo l. c.

22. *An iudex accipere possit saltem pecuniam ad expediendam causam alicuius prae alia?* — « Dicit Laym., spectato iure naturali, non audere id damnare, quia illa nova obligatio, quam suscipit, est pretio digna. Sed verius contradicunt Salm. n. 66., quia iudex ex iustitia tenetur cito expedire causas eorum, qui aequale ius habent ad expeditionem; nisi extraordinarium susciperet laborem, ad quem ex vi sui muneris non teneretur ». L. 196. Id etiam absolute reprobat Lugo D. 37. n. 136., nam « quoties ex iustitia tenetur ex disiuncto gratis facere, non potest pro electione huius partis aliquid accipi ».

23. *An, quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, possit iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio, secundum opinionem supra relatam?* Cf. 18. — R. Negative; ista enim propositio est prop. 26.ª damn. ab Alex. VII. Ratio est, quia « acciperet pretium pro re non digna pretio; nam ex iustitia debebat proferre sententiam pro uno: determinatio autem ad istam partem, licet faciat sententiam mihi utiliorem, non tamen addit laborem, vel aliquid ex parte iudicis dignum pretio. Sicut, si aliquis deberet ex iustitia dare dotem uni ex duabus virginibus, non posset aliquid ab ea petere pro ea eligenda. Ratio autem a priori est, quia repugnat debere ex iustitia dare rem integram uni ex duobus, et tamen posse petere pretium pro ea; iam enim non daretur integra uni ex duobus, cum tamen ex iustitia teneatur dare integram; non potest ergo, salva iustitia, aliquid detrahere, alioquin posset accipere pro pretio dimidium rei dandae; quod esset manifeste contra iustitiam ». Lugo D. 37. n. 119.

II. — DE ARBITRIS

24. *Quid arbitri?* — Arbitri dicuntur, qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar iudicum sponte eliguntur, aut admittuntur. Pactum, quo facultas litem componendi ipsis tribuitur, vocatur *compromissum*. Hoc pacto adversae partes mutuo consensu promittunt, se exsecuturas esse quidquid ab arbitris statuetur. Verum ab arbitrorum sententia ex C. I. appellari licet, secus ac in Iure Communi, S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3. ad 2. Compromissum autem confici potest sive actu publico, sive scriptura privata, ex C. I.; secus nullum est. — Dig. l. 4. tit. 8., Decret. l. 1. tit. 43., C. I. Proc. civ. tit. praelim. c. 2.

25. *Quodnam arbitrorum munus?* — Arbitri, quicumque sint, semel a diversis partibus admissi, iudicum munere proprie gaudent, eorumque vices omnes gerunt, haud secus ac si a publica auctoritate forent designati. Ratio est, quia potest quis se subiicere alterius iudicio, quamvis non sit eius superior. Id, si a duobus litigantibus fit, ut lis dirimatur, arbiter habetur, qui proinde, quamvis non ex publica auctoritate, sed tamen ex privato pacto iudex constituitur. Pacta autem privata, uti publicae leges in conscientia obligant. — S. Th. 2. 2. q. 67. a. 1. ad 2.

26. *Resolves:* Cum arbitri iudicum munera adimpleant, eadem fere iura, easdemque habent obligationes. Quare 1.° possunt causam ad se delatam instruere, rem ad aliud tempus opportunius differre, testes audire, et tandem lata sententia litem absolute dirimere. — 2.° Non debent suscipere litem, cui diiudicandae doctrinam sufficientem non habent; secus peccant contra iustitiam commutativam, et restitutionis obligationem contrahunt, si reipsa damnum errando inferant. — 3.° Arbitri iudicare tenentur iuxta leges regionis, nisi partes eis facultatem rem ex aequo et bono componendi impertierint. Tunc enim, secundum naturalem aequitatem, utriusque partis commodum promovere debent. — 4.° Cavere summopere debent ab acceptione personarum, ne scilicet odio, aversione aut nimio affectu abstracti, contra regulas aequitatis sententiam ferant.

27. *Nota:* Ut arbitri sententia in foro externo valeat, necesse est adimplere conditiones in Codicibus variarum nationum appositas. C. I. civ. 1742. 1764. seqq., Proc. civ. 8. seqq., C. G. civ. 1989. 2044. seqq., Proc. civ. 1003. seqq.

III. — DE IURATIS

28. *Quid iurati?* — Iurati, sic dicti ob iuramentum, quod praestant de munere sibi credito recte exercendo, sunt viri selecti ex civium primoribus ad partem aliquam, iudicum propriam, obeundam. Adhibentur tantummodo in causis criminalibus, et munus eorum est iudicium pronuntiare circa exsistentiam facti et culpabilitatem accusati; deinde vero iudices poenam iuxta legem decernunt. — C. I. Proc. poen. 493. seqq.

29. *Quaenam sint iuratorum obligationes?* — Iurati easdem contrahunt obligationes ac ipsi iudices, sistendo tamen intra limites eorum muneris. Ratio est, quia magna ex parte munus iudicum exercent. Attamen non omnia praestare debent, ad quae iudices tenentur, sed dumtaxat pronuntiare de exsistentia facti et culpabilitate accusati. — C. I. Proc. poen. 493. seqq.

30. *An iuratus dare possit votum contra accusatum, iuridice quidem convictum, sed cuius innocentiam privata scientia certo cognoscit?* — R. Negative. Ratio est, quia pronuntiare tantum debet circa exsistentiam facti, secundum intimam suam convictionem, nec ullo modo tenetur dare rationem legalem propriae sententiae. C. I. Proc. poen. 495. 498. Non potest tamen iuratus reum affirmare, quem talem novit privata tantum scientia, iuridice vero minime probatum. Reus enim, quamdiu iuridice talis non probetur, ius habet, ut absolvatur; iuratus vero personam gerit iudicis non testis.

31. *An licitum sit iuratis sententiam ferre in iudicio, in quo tribunal auctoritatem non habet in reum, si nempe, e. g., agatur de persona ecclesiastica?* — *Si eius interventus inutilis omnino foret,* e. g., cum maior pars vel fere totalitas iuratorum parata sit reum condemnare, abstinere *potest* ab interveniendo in tale iudicium. Ratio, quia ex una parte nemo tenetur facere rem inutilem; ex altera vero absentia protestatio quaedam est contra abusum iustitiae. — In eadem hypothesi *debet* praeterea se abstinere. Ratio, quia eius praesentia esset inutilis; et eius absentia necessaria, ne cooperetur usurpationi iustitiae, et ut protestetur contra illum iustitiae abusum. — Si iuratus nullam possit adducere causam, ut a iudicio abstineat, et a civili lege puniatur, *potest* quidem, in eadem etiam hypothesi, intervenire in iudicium, petens debitam facultatem, vel si id fieri non possit, reo quantum in se est favens. Ratio, quia cum necessitate compulsus veniat, et petierit antea facultatem, vel, in impossibilitate, conetur reo quantum potest favere, omne removetur scandalum, et sufficiens protestatio habetur contra iustitiae abusum. Rationabiliter praeterea in his rerum adiunctis praesumere potest consensum ecclesiasticae auctoritatis. — *Si eius interventus utilis omnino foret* ad absolvendum innocentem, e. g., quia maior iuratorum pars iustitiae favere constat, videtur, quod lex naturalis charitatis eum obliget ad interveniendum in iudicium, uti proximo graviter auxilio indigenti succurrat. Ad scandalum autem vel admirationem impediendam sufficit debitam petere facultatem, vel, si id fieri non possit, intentionem suam declarare, si aliunde non constet, se non tamquam iudicem, sed tamquam innocentis patronum et advocatum advenire. — Eadem in eodem casu resolutio videtur etiam danda, si lex expressa esset, vel censura contra eos, qui iurati munus suscipiunt. Ratio est, quia cum generatim leges et censurae sint *in aedificationem,* ac in particulari huiusmodi leges et censurae sint ad ecclesiasticas personas earumque status dignitatem tuendam, non videntur in tali casu velle impedire earumdem personarum incolumitatem tuendam. Quare tunc cessant contrarie.

IV. — DE ADVOCATIS PROCURATORIBUS REFERENTIBUS

32. *Quid advocatus, procurator, referens?* — *Advocatus* ille est, qui suum litigantibus praebet auxilium consilio et defensione suscepta coram iudice. — *Procurator* vero ille est, qui litigantis mandato et nomine causam in iudicio prosequitur. — Postremo *referendarius,* vel *referens* ille est, cui acta litigantium discutienda committuntur, ut postmodum eorum fundamenta, quasi in compendium redacta, iudicibus referat. — S. Th. 2. 2. q. 71. a. 1. 2.

33. *Quaenam sint advocatorum obligationes in causarum defensione?* — Advocati tenentur in primis scientiam competentem habere legum, formae iudiciorum et rationis instrumentorum conficiendorum. Debent deinde causam diligenter examinare, iustitiam vel iniustitiam et certitudinem vel probabilitatem eam lucrandi vel perdendi manifestare, dilationes damnosas praecavere, fidelitatem servare, causam tandem, eamque non nisi iustam, defendere absque mendaciis, fraudibus aliisque mediis

iniustis. Ratio est, quia ex iustitia legali erga societatem, et ex iustitia commutativa erga clientem obligantur ad eius iura defendenda eiusque damnum praecavendum, erga partem vero contrariam, ne cooperatores fiant iniustitiae. Quare secus agentes de damnis tenentur. C. *Si culpa* ult. *de Iniur.* — S. Th. 2. 2. q. 71. a. 3.

34. *Resolves:* 1.° Advocati peccant contra iustitiam erga clientem, si, cum non sint sat parati et idonei, causas defendendas suscipiant; si causae fundamenta vel secreta parti adversae detegant, vel si parti utrique serviant; si ideo quod sibi videantur peremptoria argumenta afferre, alia non spernenda negligant, quia forsan iudices motivis istis neglectis moverentur; si ad causam dicendam non sufficienter se praeparent, etc. — 2.° Iidem peccant contra iustitiam erga partem adversam, si leges falsas aut abrogatas citent, aut in sensum alienum deflectant, dolum aut mendacia adhibeant, ex quibus iudices aut iurati in iniustam sententiam vel suffragium abstrahantur; item si parti adversae crimina vel vitia imponant falsa, etc. — L. 226., S. Th. 2. 2. q. 71. a. 3.

35. *Nota:* S. Th. l. c. ad 3. docet, quod « advocato defendenti causam iustam licet prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus eius »; quia hoc non esset adversarium decipere, sed sinere, ut ipse se decipiat.

36. *An liceat advocato causam iniustam defendere?* — *In materia civili* advocatus nequit causam certo iniustam licite sustinere. A fortiori *in materia criminali* suscipere nequit partes accusatoris evidenter iniusti. Ratio est, quia, ut ait S. Th. 2. 2. q. 71. a. 3. « illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adiuvando, sive qualitercumque consentiendo; quia consilians et coadiuvans, quodammodo est faciens. Et Apostolus dicit Rom. 1., 32., quod *digni sunt morte, non solum qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Unde et supra dictum est (q. 62. a. 7.), quod omnes tales ad restitutionem tenentur. Manifestum est autem, quod advocatus auxilium et consilium praestat ei, cuius causae patrocinatur. Unde, si scienter iniustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, et ad restitutionem tenetur eius damni, quod contra iustitiam per eius auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusari potest ». — L. 14. C. *de Iudiciis.*

37. *Resolves:* 1.° Advocatus, qui, causa iam suscepta, advertit eam esse iniustam, debet statim admonere de iniustitia causae suum clientem et eam deserere. Secus de omnibus damnis utrique parti obvenientibus tenebitur. Si tamen cliens sit in mala fide, hic primum restituere tenetur, uti mandans. Quod si non restituat, tunc secundo loco tenetur advocatus restituere, nempe ut exsecutor. « Attamen non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem iuvet, vel secreta suae causae alteri parti revelet ». S. Th. l. c. ad 2. Primum contra fidelitatem, alterum contra strictam obligationem secreti est. Excipiunt, nisi alia pars deberet ideo grave et iniustum detrimentum pati. Cf. La-Croix l. 3. p. 2. n. 1231., Lugo D. 37. n. 183. — 2.° Procurator generalis peccat contra iustitiam, si ex negligentia, ex praecipitatione aut praeiudicio, ex odio aut personarum acceptione, etc. traducat innocentem in detentionem, in iudicium, et in sententiam iniustam subeundam. Item si accusationem sustinuerit, postquam in causae

decursu innocentiam agnoverit, aut graviter de ea dubitaverit; proinde de omnibus damnis accusato subsecutis tenetur.

38. *An advocati possint defendere causas, etiam minus probabiles, tum reorum tum actorum?* — R. Affirmative *in causis civilibus;* quia uti sunt huiusmodi res litigiosae, rationabiliter spes haberi potest, ut veritas elucescat. Praeterea, cum possit iudex pro rata maioris vel minoris probabilitatis rem dividere, licet advocatis clientum rationes probabiles urgere, ut iusta allegata et probata decernat. Cf. 18. Monendus tamen cliens est dubii exitus, ne impensas litis inutiliter forte faciat. *In causis* vero *criminalibus,* reus semper defendi potest, etiamsi constaret de ipsius culpabilitate. Ratio est, quia advocatus reum defendens nemini infert iniuriam, et ex officio suo ius tuetur rei, ne condemnetur antequam iuridice crimen sit plene probatum, ac saltem ut ad misericordiam princeps impellatur. — « In causa criminali *dubia* non licet tueri partes actoris, qui in tali casu graviter peccat contra reum, ergo etiam advocatus; neque quando actor contra possessorem agens scit, se nihil posse evincere, sed rem mansuram semper dubiam, quia tunc iniuste vexatur possessor, pro quo tandem iudex debebit iudicare ». L. 220. Hinc, si reo patrocinatur, sufficit exceptionem esse iustam in foro exteriori; sin actori, causa in foro quoque conscientiae iusta esse debet.

39. *An et quomodo peccet advocatus, qui causam iustam mediis iniustis defendit, v. g., si chirographum novum substituat loco prioris amissi,* etc.? — Peccat *contra fidelitatem et veritatem.* Est enim mendacium officiosum. — *Per se* non peccat *contra iustitiam,* si ius clientis est *certum.* Nulla enim quoad causae substantiam apparet iniustitia. *Certum,* nam si illud ius est *dubium,* et per chirographum reddatur certum, quia nempe chirographum supponitur, quod nunquam extitit, contra iustitiam profecto peccaret. Nam, cum certitudine omnis probabilitas elidatur, laederetur ius partis adversae. *Per accidens* vero potest contra iustitiam peccare, si inde vel parti adversae vel suo clienti damnum proveniat. — Potest aliquando peccare graviter *contra caritatem erga seipsum,* si proximo se exponat periculo gravissimarum poenarum, propterea quod falsitas detegatur. — S. Th. 2. 2. q. 71. a. 4. ad 3.

40. *Ad quid teneatur advocatus ratione honorarii seu stipendii?* — Licite et iuste advocatus, uti etiam medicus aliique, pro sua opera honorarium seu stipendium exigere potest. « August. dicit, quod *advocatus licite vendit iustum patrocinium, et iurisperitus verum consilium*... Dicendum, quod quae quis non tenetur alteri exhibere, iuste potest pro eorum exhibitione recompensationem accipere. Manifestum est autem, quod advocatus non semper tenetur patrocinium praestare, aut consilium dare causis aliorum. Et ideo, si vendat suum patrocinium, sive consilium, non agit contra iustitiam. Et eadem ratio est de medico opem ferente ad sanandum, et de omnibus aliis huiusmodi personis; dum tamen moderate accipiant, *considerata conditione personarum, et negotiorum, et laboris, et consuetudine patriae.* Si autem per improbitatem aliquid immoderate extorqueant, peccant contra iustitiam. Unde Augustinus dicit ad Macedonium, quod *ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data per tolerabilem consuetudinem non solent* ». S. Th. 2. 2. q. 71. a. 4. c.

Porro nihil, generatim loquendo, accipere potest ultra iustum honorarium, quod *vel lege, vel consuetudine, vel prudentium iudicio, vel partium conventione* determinatum est, habita ratione negotii laboris et peritiae advocati. — Si habet *stipendium annuale*, illud percipere potest, quamvis eo anno lites non occurrant. Est enim quasi contractus aleatorius, sive lites plures sint, sive nullae. — Si tempore litis *diutius infirmatur*, nisi alium substituat, renuntiare debet parti stipendii, quod pacto constitutum fuit. — Si postquam de stipendio conventum est, *cliens inceptam causam deserat*, potest advocatus totum exigere, si per eum non stet, quominus litem prosequatur, non secus ac suam operam pro aliqua mercede locans, exigere hanc potest, si per conductorem stet, ne opera compleatur. Excipe tamen, si iuxta intervenit causa litem deserendi, cum haec conditio semper in conventione subintelligatur. — Nequit, ex Iure positivo, *dum causa tractatur*, mercedem constituere, neque pro mercede constituere quotam partem, v. g., tertiam partem, bonorum, de quibus lis agitur. Verum, si iustam petiit mercedem, restitutioni non obligatur. Imo, cum huiusmodi Iuris positivi dispositiones non sint in vigore, neque advocatus neque cliens esset inquietandus. — Quamvis sponte se offerat liti pertractandae cognati vel amici, iustam tamen retributionem exigere potest. Attamen, si ex caritate pauperibus succurrere tenetur, maxime tenetur erga sibi coniunctos, secundum illud 1. ad Tim. 5., 8.: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit.* — *Quoad pauperes* in particulari, tenetur gratuito succurrere, etiam cum gravi suo incommodo iis, qui in extrema necessitate versantur. Item iis, qui in gravi necessitate exsistunt, tenetur gratis patrocinari, et quidem sub peccato mortali, non tamen cum notabili suo incommodo. Denique etiam in communi necessitate causas pauperum tueri tenetur ex caritate, non tamen cum gravi incommodo; sufficit scilicet, ut aliquid operis, quando ab aliis vacet, eis largiatur. — L. 53. *de Pact.*, Lugo D. 41. n. 12., L. H. A. Tr. 13. n. 69. 70., S. Th. 2. 2. q. 71. a. 1. 4.

41. *Quaenam sint dotes, et obligationes procuratoris?* — Ut in advocato, ita etiam in procuratore requiritur, praeter scientiam, debita diligentia in negotiorum tractatione, fidelitas et iustitia, quae etiam in honorario exigendo servanda est. Ratio est, quia uti officium procuratoris aequiparatur fere officio advocati, ita etiam obligationes.

42. *Resolves:* Procuratores partium peccant contra iustitiam, si causas protrahant, si dilationes indebite obtineant, si causam prius acceptatam priori loco non procurent, si partes ad iniquam compositionem adducant, etc.

43. *An procurator, si habeat advocatum, aut tabellionem, qui gratis ei inserviat, possit iustum stipendium illis debitum sibi retinere?* — R. Negative, si inserviat in gratiam clientis; affirmative, si in gratiam ipsius procuratoris. Ratio 1.[i] patet, quia nullum illius stipendii acquirendi iustum titulum habet. Ratio 2.[i] etiam patet, quia idem moraliter est facere per se vel per alium; si per se faceret rem utilem, posset quidem iustum stipendium retinere, ergo etiam si per amicos faciat. — L. 239.

44. *Quaenam sint referentium dotes, et obligationes?* — *Referentes* debent primo recte scire, quae ad munus proprium pertinent: deinde necessariam adhibere diligentiam, ut iisdem faciant satis; alioquin ipsis

merito imputabuntur obventura damna, cum voluntarie tantum munus susceperint imperiti, vel negligenter exercuerint.

45. *Resolves:* «Referens peccat 1.° si defectu studii vel per incuriam male referat, vel aliquid substantiale praetermittat; 2.° si sit partialis, coneturque magis unius partis iustitiam, quam alterius explicare; 3.° si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, v. g. iudex recusari, etc.» — L. 228.

V. — DE NOTARIIS SCRIBIS APPARITORIBUS

46. *Quid notarius, scriba, apparitor?* — *Notarius* seu tabellio dicitur ille, qui auctoritate legitima constituitur ad conficienda et conservanda acta seu instrumenta publica, quae tum in iudicio tum extra iudicium fidem faciant. — *Scriba* seu secretarius ille est, qui ex officio scripto refert testimonia, iudicum sententias, ceteraque omnia, quae in tribunalibus peraguntur. — *Apparitor* ille est, qui ex officio vadimonia et mandata iustitiae defert atque exsecutiones a iudice decretas perficit.

47. *Quaenam sint notarii dotes, et obligationes?* — Notarius esse debet expertus, diligens, fidelis, iustitiae tenax. Speciatim vero bene callere debet ea, quae ad contractuum probationem in foro externo requiruntur. Cf. C. I. 1312. seqq. Ratio, id enim eius officium necessario requirit. Ac ipsi speciatim «imperitia culpae adnumeratur». R. 132. *de Reg. Iur.*, Trid. S. 22. C. 10. de R.

48. *Resolves:* Notarii iniusti sunt praesertim in sequentibus casibus: 1.° Si ignorant quae ad officium suum pertinent, et ideo instrumenta non recte conficiant; si cum detrimento contrahentium vel aliorum ex negligentia solemnitates necessarias praetermittant, v. g., idoneos testes adhibere, subscriptiones apponere, diem, mensem, annum indicare, etc. — 2.° Si conficiant instrumentum falsum, usurarium vel iniustum; si in damnum alterius contrahentis aut tertii fingant in instrumento ea, quae non sunt; si annotationes diei falsas apponant, aut veras immutent, etsi damnum non intendant; item si talia consulant; si conficiant acta, quae suum munus excedant, vel si extra territorium sibi assignatum ministerium suum exerceant; tunc enim eorum actus ipso facto irriti sunt. — 3.° Si non describant fideliter voluntates contrahentium vel per ambiguas redactiones litibus et iniustitiis locum praebeant; si partes non moneant de clausulis, quae eis nocere, aut de difficultatibus, quae inde nasci possunt. Ad haec enim ex *quasi contractu* cum partibus tenentur. — 4.° Si falso scribant summam coram se, vel antea iam solutam esse, cum damno alterius partis aut tertii; item si facile talia scribant, graviter suspicantes, quod a contrahentibus decipiantur; tunc enim eorum peccato cooperantur. — 5.° Si acta et instrumenta negligenter custodiant cum periculo damni partium; si differant instrumentorum expeditionem, ut pecuniam extorqueant; si amanuensi aliquid committant cum erroris periculo. — 6.° Si quid in protocollo immutent, unde ius aliquod violetur, aut impediatur; si testes falsos admittant; si testimonium aliquod necessarium suo clienti non exhibeant, occultent, aut transcriptum denegent. — 7.° Si

acta communicent aliis, quam partibus; si sua culpa protocolla amittant; si iuramenta vel secreta violent; si dictis vel factis partium, aut testimoniis testium aliquid addant vel detrahant; si sincere omnia, prout se habent, non transcribant. — 8.° Si negligant invigilare in suos ministros, et propterea instrumenta male conficiantur; notarii enim pro omnibus, quos adhibent ministros respondere tenentur; si subscribant instrumenta sive ab aliis notariis sive a propriis ministris confecta, antequam diligenter ea recognoverint, et notitiam perfectam de iis, quae in ipsis continentur, habuerint; item si, ubi plures notarii requiruntur, absentes tanquam praesentes declaraverint. — 9.° Si stipendium ultra iustum exigant, vel si ultra taxam vel probatam consuetudinem petant, vel si scripturas amplificent, vel maiori aut magis extenso charactere scribant, ita ut numerus paginarum notabiliter augeatur; si negotia pertractanda salarii adaugendi causa protrahant. — In his omnibus et similibus tenentur *per se* notarii sub gravi, et ad restitutionem tanquam iniusti damnificatores, aut cooperatores. — L. 230. 231.

49. *An notarius teneatur ad restitutionem erga fiscum, si in conficiendo instrumento venditionis, aut inventarii, postulantibus partibus, vel etiam ipso innuente, non verum rei pretium inscribat, sed aliud minus, ut tributum imminuatur?* — Controvertitur. Alii affirmant, quia sic cooperatur defraudationi tributorum, quod iniquum et iniustum est ex parte officialis publici. Alii negant, dummodo infimum saltem pretium in scripto authentico referatur. Alii tandem eum totaliter excusant. Ratio est 1.° consuetudo etiam timoratorum. 2.° Quia, si non tenentur partes verum pretium dissimulando, nec tenetur notarius ex cooperatione; ipse enim, licet sit officialis publicus, non constituitur tamen praepositus vectigalium ad tributa exigenda, sed ad instrumenta conficienda. — Verum graviter peccare potest contra caritatem erga seipsum. Codices enim poenales graves decernunt poenas contra publicos officiales, qui agunt fraudulenter. Facile item mendacio potest peccare contra veritatem.

50. *An lex taxam statuens pro honorariis seu stipendiis percipiendis obliget in conscientia?* — Quaestio haec locum habet pro iis omnibus, quibus pro munere quopiam, quod in iudiciis gerunt, merces debeatur. Iam vero affirmant Navarr. aliique, cum sit lex iusta. Sed negant Lugo, aliique, quia cum notarius, et alii ministri iustitiae vivere debeant ex stipendiis proprii officii, et tractu temporis augeantur pretia rerum, ac expensae, iuxta morem, circa victum et vestitum; illae autem antiquae leges eaedem semper temporis decursu permaneant; ideo non iniuste ipsi aliquid exigunt supra taxam, maxime si attendantur circumstantiae laboris et peritiae. « Et hanc sententiam Lugonis dicunt Salm. videri hisce temporibus conformiorem aequitati ». Imo addunt tabellionem posse extraordinarium stipendium recipere, si extraordinarium praestet laborem. L. 231. Cf. l. 3. n. 180. 181.

51. *An peccet notarius, qui instrumenta conficit die dominica vel die festo?* — Ex consuetudine nunc generali possunt conficere quaecumque instrumenta, dummodo non spectent ad iurisdictionem contentiosam, i. e. ad negotia forensia. Sic possunt conficere instrumenta contractus, testamenta aegrotantium, conventiones matrimoniales, processus electionum

ad officium publicum et alia similia. Scripta autem ad forum contentiosum pertinentia nequaquam diebus festis conficere possunt. Id non solum lege canonica, sed ipsa lege civili prohibetur. Quod si notarius tales actus die festo conficeret, et diversam diei assignationem affingeret, peccaret contra legem ecclesiasticam et civilem, et falsum instrumentum conscriberet. Nihil tamen vetat, quominus die festo totius scripti contextus exaretur, cui deinde die legitimo subscriptiones ac ceterae solemnitates accedant.

52. *Quaenam sint secretarii dotes, et obligationes?* — Secretarius esse debet et ipse peritus in munere suo, fidelis, diligens. Ratio, quia id ab eius officio necessario exigitur.

53. *Resolves*: Iniustitias varias scriba committere potest, praesertim: 1.° Si diligentiam debitam non adhibeat ad omnia audita et statuta aut decisa exacte in scriptum referenda; omissio enim in rebus huius generis facile gravis evadere potest. — 2.° Si attentione seria et constanti non utatur ad omnia in tribunali prolata et peracta in libros authenticos referenda: facillime enim defectus attentionis in scriba culpam gravem et restitutionis obligationem inducere potest, nisi omnino involuntarius sit. Quis enim non videt, quanta damna ex defectu etiam levi ex parte secretariorum subsequi possint? — 3.° Si ex malitia aliquid in scribendo omittat, aut si tabellas publicas sibi commissas adulteret aut male custodiat; si debitas formalitates et subscriptiones non apponat aut apponi non satagat; si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, sive imminuendo, aut invertendo. — 4.° Si in distribuendis litibus favori potius, quam ordini pareat; si ad augendum salarium acta distribuenda maiora faciat, v. g., scribendo in duabus paginis ea, quae in unica referri poterant. — 5.° Si arcanum sibi commissum prodat; si sententiam nondum publicatam manifestet; si processus peractos sine iudicis praescripto partibus ostendat. — 6.° Si acta iudicis tradat partibus, antequam iuxta formas legales subscripta fuerint. Tunc enim instrumentum mancum et falsum exhibet, cuius expeditio nullius valoris habetur. — L. 229.

54. *Quaenam sint apparitoris dotes, et obligationes?* — Apparitor et ipse sufficienter instrui debet de omnibus, quae ad suum munus attinent. Fidelitatem et caritatem praestare debet in mandatis tribunalis exsequendis. Ratio primi est, quia ipsi specialiter incumbit, ne ullas formalitates necessarias in actis suis omittat; secus enim iustitiam saepe laederet, atque damna inde provenientia reparanda teneretur. Ratio alterius est, ut caveat aeque tum a negligentia, tum a rigore et a vexatione erga eos, quos iustitia publica persequitur.

55. *Resolves:* Apparitores iniuste se gerunt, praesertim 1.° Si pretio aut favore se corrumpi sinant in praeiudicium clientis, v. g., denunciationes sententiarum protrahendo, negligendo, vel alia faciendo, unde in causa sint, cur creditor solutionem accipere non possit. Item favendo quibusdam debitoribus solidariis, ut eos in exsecutionibus non comprehendant. — 2.° Si tempus ad acta iuridica conficienda praefixum non concedant; si diem falso adscribant; si falsum affirment in actis verbalibus; si tempore praescripto acta iuridica sibi commissa non conficiant. — 3.° Si lustrantes domos asperius agant, ut aliquod munus extorqueant; si vim iniustam aut aliam iniuriam inferant; si falsum in actibus suis enuntient.

— 4.° Si excedant mandatum iudicis, aut legis statuta in rebus seu bonis privatorum capiendis; si non servent iustum pretium in venditione rerum captarum, etc., si partem huius pretii sibi retineant, etc.

56. *An apparitores ad restitutionem teneantur, si stipendium supra taxam, lege determinatam, titulo donationis acceperint?* — R. Negative, si de taxa agatur determinata per antiquas leges, easdem permanentes, Cf. 50.; secus vero affirmative *per se*. Ratio est, quia talis donatio *generatim* spontanea dici nequit. Unde, si excessus pretii sit quid grave, sub peccato mortali ad illum restituendum *possunt* obligari. *Generatim;* nam multis in adiunctis prorsus spontanea haberi donatio potest et debet. *Possunt;* nam non omnis donatio *minus spontanea* carere censenda est eo consensu, qui ad dominium transferendum sufficit. Haud raro enim etiam invitis sese occasiones offerunt, quae donandi necessitatem quandam important, nec tamen quispiam restituendi onus donatariis imponendum cogitat.

57. *An apparitor multiplex salarium exigere possit, si diversa vadimonia unica et eadem vice deferat?* — Ex lege naturali in se sola spectata affirmandum videtur, quia eandem praestat utilitatem singulis eum requirentibus, quam si pro uno solo iter et operam susciperet. Ita S. Lig. H. A. tr. 13. n. 68., etc. Ex iure civili hoc prohibetur. Attamen, usus invaluit, sciente et vidente Gubernio, ut advocati et procuratores ita rem componant, ut pro singulis vadimoniis apparitores idem fere pretium habeant. — Lugo D. 37. n. 138.

58. *An lictores et apparitores sententiam exsequi debeant, si ea iniusta sit?* — R. Affirmative, si ipsi tantum *putent* sententiam esse iniustam. Ipsi enim iudices non sunt, et secus agentes iudicis officium sibi usurparent. Id praeterea gravissimo detrimento esset publico bono. — Negative, imo non possunt, si sententia sit *evidenter iniusta*, et eam exsequi sit intrinsece malum, ut hominem innocentem, neque reum probatum, occidere. — Controvertitur, si, licet sententia sit iniusta, eam tamen exsequi intrinsece malum non sit, ut condemnato bona extorquere, ut publicentur. Negandum videtur, quia uti iudex condemnare non potest innocentem, neque probatum nocentem, ita neque apparitori licet eius sententiam iniustam exsequi. Affirmat vero D'Annib. Ed. 3.ª P. 2. n. 592., quia praevalet damnum reipublicae. Hoc quidem valet, cum sententia, licet materialiter iniusta ex parte rei, est tamen saltem formaliter iusta ex parte iudicis, quia nempe iudicialem formam et rectum processum servavit. — Haec de praesenti quaestione habet Ang. Doct. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. « Minister iudicis condemnantis innocentem, si sententia *intolerabilem* errorem contineat, non debet obedire: alias excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Si vero non contineat *manifestam* iniustitiam, non peccat praeceptum exsequendo; quia ipse non habet discutere superioris sententiam; nec ipse occidit innocentem, sed iudex, cui ministerium exhibet ». — C. *Pastoralis* § *Quia vero de Off. et pot. iud. deleg.*

VI. — DE ACCUSATORIBUS

59. *Quid accusator?* — *Accusator* dicitur, qui in causis *criminalibus* crimen defert iudici, atque ab eo vindictam ob bonum commune postulat, et simul obligationem crimen obiectum probandi suscipit. In causis vero *civilibus*, qui velut pars laesa adversarium ad iudicem compellit, non *accusator*, sed *actor* dicitur. *Accusator* differt a *denuntiatore*, qui superiori vel iudici crimen defert, nec tamen obligationem illud probandi subit. — Porro denuntiatio duplex est, alia *iuridica*, alia *evangelica*. Prior est delatio facta superiori, tanquam *iudici*; ut, cognita causa, ex iudicio procedat, eiusque scopus est delinquentis punitio et bonum aliorum, praesertim commune, quod ex improborum punitione redundat, et etiam ipsius denuntiantis. Posterior est delatio facta superiori, uti *patri*, eiusque scopus non est *punitio*, sed *emendatio* proximi, seu bonum denuntiati, paterna intercedente superioris admonitione, ex qua propter ipsius auctoritatem certior speratur emendatio. — Denuntiatio iuridica fieri potest *iudicialiter*, servatis debitis formis, et *extraiudicialiter*, simpliciter rem superiori manifestando, et eius prudentiae committendo quid fieri oporteat. Ad eandem ea pertinet virtutem, ad quam iudicis vindicatio spectat, ad iustitiam nempe legalem. — L. 235., S. Th. 2. 2. q. 68. a. 1. 2. c. ad 3., S. q. 62. a. 3. ad 6.

60. *Quinam accusare prohibeantur?* — *Ex iure naturali*, regulariter loquendo, accusare prohibentur infames, maioribus criminibus inquinati; eorum enim testimonium nullius esse potest auctoritatis: inimici; quia rationabiliter praesumitur accusationem procedere ex affectu vindictae: filii contra parentes, uxor contra maritum; id enim pietati repugnat, nisi de damno communi imminenti agatur, L. 236., vel de damno proprio aut alieno, quod aliter vitari non possit.

Ex Iure Canonico arcentur ab officio accusatoris: 1.° Clerici in iudicio saeculari, *praesertim* in causa sanguinis. Excipe tamen, si accusent reum ad hoc ut proprium damnum praecaveant, vel ut sibi resarciatur; tunc potest clericus ac religiosus malefactorem accusare etiam coram iudice laico. Quod licet non solum in causa propria, sed etiam propriae Ecclesiae, vel cognatorum ad quartum gradum, vel etiam domesticorum. Itemque, si aliter commune malum aut aliorum nequeat impediri, denuntiare debent delictum, etiamsi morte dignum sit. Debet tamen clericus et religiosus ad vitandum irregularitatis periculum praemittere coram iudice protestationem, se non agere ad vindictam, neque ad poenam sanguinis, bene vero ad solam sui, vel suorum defensionem et iustitiae triumphum. Quae protestatio si omittitur, etsi per oblivionem inculpabilem, adhuc irregularitas incurritur; quia oblivio excusat a culpa, non ab hac irregularitate, quae inducta est lenitatis causa. C. *Praelatis* 2. *de Hom.* in 6.°, L. l. 7. n. 468. — 2.° Laici nequeunt accusare clericos, nisi clericus sit dilapidator bonorum ecclesiae, aut haereticus, simoniacus, sacrilegus, etc.; vel nisi laicus causam suam, vel suorum prosequatur, vel si damna sint in futurum aliis inferenda, ita ut aliter impediri non possint. L. l. 7. n. 468. Item nec clerici accusare possunt religiosos, qui tantum a religiosis eiusdem Ordinis accusari possunt. L. 238. — 3.° Hae-

retici non tolerati, et excommunicati respectu fidelium. L. ib. — 4.° « Prohibentur communiter filii accusare parentes, subditi praelatos, servi dominos, item publici peccatores, ut colligitur ex variis Decretis..... Hi tamen omnes possunt denunciare, quando crimen fuerit reipublicae perniciosum..... Pro iniuria propria quilibet potest accusare. Reputatur autem quoad hoc iniuria propria, quae ad ipsum vel ad suos pertinet ». Lugo D. 38. n. 7. 10. — S. Th. 2. 2. q. 68. a. 1. ad 1. 2., q. 70. a. 1. ad 3. a. 3.

Ex Iure Romano accusare prohibentur pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, proxime coniuncti, i. e. filii respectu parentum, fratres respectu fratrum, uxor respectu mariti, et e converso.

Ex C. I. Proc. poen. 41. 42. 98. 422. seqq. criminis denuntiatio a quolibet fieri potest Procuratori Generali, Procuratori regio vel alteri officiali politiae iudiciariae. Accusatio autem in iudicio a Procuratore generali sustinetur. Idem habetur *ex C. G. Proc. crim.* 22. 29. 30. 271. 284. 315.

61. *Quandonam teneatur quis accusare vel denuntiare?* — *Tenetur* quis *accusare,* vel *denuntiare,* sive iudicialiter, sive saltem extraiudicialiter, etiam *sine praemissa correctione fraterna:* 1.° Quando agitur *de communi damno vitando.* Crimina autem contra bonum commune sunt haeresis, rebellio, falsificatio monetarum, homicidia et furta ab assassinis aut viarum grassatoribus commissa, subornatio suffragiorum in electionibus ad publicas cathedras, magistratuum munera, etc., peccatum religiosi damnum afferens religioni, etc. « Si crimen, ait Ang. Doct. 2. 2. q. 68. a. 1. c., fuerit tale, quod vergat in detrimentum reipublicae, tenetur homo ad accusationem, dummodo sufficienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris; puta cum peccatum alicuius vergit in multitudinis corruptelam corporalem, seu spiritualem ». — Lugo D. 38. n. 2. 14., L. 236.

2.° *Si immineat grave damnum innocenti.* Caritas enim nos obligat, ut proximi damnum impediamus. Atqui id ex hypothesi fieri potest vel accusando, vel denuntiando. Erit ergo gravis obligatio accusationis, vel saltem denuntiationis faciendae. L. 236. Nota « tamen, quod non semper est obligatio impediendi damnum innocentis per denuntiationem illius, qui damnum infert, si hic pati deberet aequale damnum, quia cum hic sit proximus, non est, unde nascatur obligatio hunc ita damnificandi in gratiam alterius; *non semper,* nam est obligatio, si innocens tibi sit valde coniunctus, v. g., si sit pater vel filius tuus, aut si redundaret in commune damnum, aut si damnificator ex se debeat damnum illud subire ad liberandum innocentem ». La-Croix l. 2. n. 219.

3.° *Si ad id* a republica vel a privatis dominis *stipendium quis accipiat,* ut sunt fiscales, aut custodes domorum vel agrorum, praepositi gabellarum, etc., iique etiam cum gravi suo incommodo tenentur. Obligantur enim ex quasi-contractu et ex iustitia, non ex mera caritate. Alias tenentur ad restitutionem damnorum, quae reipublicae vel dominis ob omissionem accusationis vel denuntiationis obveniunt. L. 236. — Quin imo reos isti saepe etiam ex officio capere tenentur, eosque captos tradere magistratui puniendos. — An autem hi *teneantur etiam restituere valorem poenae seu mulctae,* si non denuntiant, alii ex S. Alph. 237. « affirmant valde probabiliter..... quia, omittendo denuntiationem, ad quam tenebantur ratione officii, sunt causa, ut fiscus vel dominus non exigat poenam, ad quam ius habebat. Sed satis probabiliter negant (alii)..... quia lex

poenalis non intendit, ut fiscus, vel domini, mulctis ditentur, sed ut ipsi serventur indemnes, et transgressores puniantur. Indirecte autem et per accidens lex praebet ius, ut inde mulctae exigantur, sed post sententiam; nam ante illam neque fiscus, neque domini ad poenam ius ullum habent. Unde, licet fiscales non denunciando peccent contra iustitiam legalem, non autem peccant contra commutativam respectu ad mulctam; et ideo tantum tenentur resarcire damnum vectigalium, quae mercatores solvere debuissent ». Cf. 15.

4.° « Tenetur aliquando aliquis denuntiare, immo etiam accusare delinquentem, *si hoc sit necessarium ad vitandum, seu resarciendum damnum propriae familiae*, quae alias remaneret dehonorata, vel destituta alimentis ». L. 237. Id enim non tantum ex caritate sed ex pietate debetur.

5.° Obligatio adest denuntiandi *ex praecepto vel edictis praelatorum et superiorum*. Non tantum praelati ecclesiastici, verum etiam principes saeculares sub variis poenis praecipere possunt, ut qui sciunt tale vel tale delictum illud statim manifestent. Et sic Pontificiae Constitutiones praecipiunt denuntiationem haereticorum, vel de haeresi suspectorum, sollicitantium in confessione, occultorum coryphaeorum sectarum, perniciosorum librorum. Ubi tamen haereses impune grassantur, non admodum urget haec obligatio denuntiandi haereticos, nisi aliorum pernicies timeretur et denuntiatione impediri posset. L. l. 6. n. 993., l. 7. n. 214.-217., Lugo D. 38. n. 17. seqq.

Sine praemissa correctione fraterna, « nempe nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire ». S. Th. 2. 2. q. 33. a. 7., 4. D. 10. a. 3. q. 1. ad. 4., Sanchez Cons. Mor. l. 6. C. 2. dub. 14. Nullam vero opus est monitionem praemittere, quoties prudenter timetur, ne reus monitus occultius peccet, et cum maiori reipublicae civilis vel christianae pernicie. — C. I. Proc. poen. 98. 101. 162. 172. 179. 286. 288., C. G. Proc. Crim. 29. 30. 317. 321.

62. *Quandonam quis non teneatur accusare, vel denuntiare? — Non teneris*, posito etiam superioris praecepto, accusare vel denuntiare crimen: 1.° Si delinquens emendatus sit, sine periculo recidendi, et parti laesae est plene satisfactum, nec ullum periculum imminet aliis, nec crimen est notorium. Ratio, quia sine causa proximi infamia sequeretur. L. 239. 244., Lugo D. 38. n. 23., S. Th. Quodl. 4. a. 12., Quodl. 11. a. 13.

2.° Si crimen noveris sub secreto naturali, tanquam consultor, advocatus, medicus, etc., nisi tamen is, qui secretum commisit, innocentem, vel rempublicam iniuste vexaret, nec vellet desistere. L. 239. 248., S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2., q. 68. a. 1. ad 3., Quodl. 1. a. 15.

3.° Si inde immineat grave periculum vitae, honoris et rerum tuarum, nisi crimen redundet in damnum commune avertendum. Ratio, quia neque caritas neque positivum praeceptum obligat cum tanto incommodo. L. 236. 239. 248. — Lugo D. 14. n. 117., D. 38. n. 36., Sanchez Cons. Mor. l. 6. c. 2. d. 22. n. 2.

4.° Si etiam probare cogereris, nec posses. « Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam si sufficientem probationem adhibere non possit, non tenetur ad intentandam accusationem; quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere ». S. Th. 2. 2. q. 68. a. 1. c., L. 239.

5.° Si delictum sit omnino occultum, nec vergat ullo pacto in damnum commune, aut privatum alicuius, sed soli noceat delinquenti; laederetur enim eius ius ad famam. L. 248., S. Th. Quodl. 4. a. 12.

6.° « Dicendum quod homo non debet ad accusationem procedere, nisi de re omnino sibi certa, in qua ignorantia facti locum non habeat ». S. Th. 2. 2. q. 68. a. 3. ad 1.

7.° Semper ac delinquentes sunt satis noti superiori, neque ex denuntiatione fructus ullus speretur, licite omitti potest denuntiatio. Ratio, quia nemo tenetur facere rem inutilem. Omitti item potest denuntiatio, quando delictum quidem est contra bonum commune, non tamen adeo graviter nocivum, ut obliget ad accusandum; quando tibi vel tuis illata fuit iniuria, quam non teneris prosequi. Lugo de Iust. et Iur. D. 38. n. 5., Sanchez Cons. Mor. l. 6. c. 2. d. 17. n. 2., S. Th. q. 3. de Virtut. a. 2. ad 7. Nemo vero tenetur denuntiare seipsum, cum nullo iure haec habeatur obligatio; nec socios sui criminis, cum hoc esset idem ac seipsum denuntiare. Verum, si quis *legitime* de crimine a iudice interrogetur, tenetur tam se quam socios denuntiare. L. 254. 238. — C. I. Proc. poen. 288. 290.

8.° *Potest* vero quis licite accusare et denuntiare semper ac delictum aliquod *publicum* est, licet *ratione sui* neque societati, neque alteri privatae personae damnum afferat, sed delinquenti tantum noceat. Ratio est, quia in tali casu nullum laeditur ius delinquentis ad propriam famam, et denuntiatio per se utilis semper est ad bonum commune ratione scandali, quod adest in ea delicti publicitate. Ac, si « multorum scandalum oriatur, iam peccatum non solum nocet illi, sed multis ». Quare potest tunc superior praecipere, ut peccatum illud manifestetur, et tunc, iusto intercedente superioris praecepto, non solum *potest* verum etiam *debet* quis crimen patefacere, et superiori obedire. S. Th. Quodl. 4. a. 12. *Potest* etiam quis delictum occultum denuntiare, si probabiliter praevidetur damnum delinquentem aliis allaturum, vel eius crimen mox publicum evadendum. Et ideo licet furem, homicidam, etc. denuntiare, etiamsi eius delictum occultum sit. S. Th. ib. Idem dicendum, si denuntiatio necessaria sit, ut recuperes rem tuam, licet iuri tuo cedere possis. — C. I. Proc. poen. 288, 290., S. Th. 2. 2. q. 33. a. 7., Roncaglia Tr. 6. q. 4. de eleemos. spirit. Reg. in praxi obs. III., L. 245., l. 6. n. 1000.

63. *Utrum, si quis sciat peccatum proximi, peccet mortaliter referendo illud statim praelato suo?* — Attendenda est lex caritatis, ut in casu particulari videatur, utrum praestet denuntiationem omittere, an potius facere: immo, an, licet aliunde denuntiatio sit licita, eam tamen vetet caritas. — S. Th. Quodl. 11. a. 13., Suarez de Carit. D. 8. S. 6. n. 7., Lugo D. 14. n. 117. seqq.

VII. — DE TESTIBUS

64. *Quid testes?* — *Testes* in genere sunt personae idoneae, quae ad fidem alicuius rei adstruendam adhibentur. Praecipui: alii sunt *testamentarii,* qui in testamento; alii *instrumentarii,* qui in instrumento; alii *iudiciales,* qui in iudicio adhibentur. Testes dicuntur *contestes,* si concorditer deponant super eodem facto: *singulares,* si in testimonio non concordent, quia de diverso facto testantur. — S. Th. 2. 2. q. 70. a. 2. ad 2.

65. *Quaenam sit testandi obligatio?* — Nemo tenetur *ex iustitia commutativa* sponte se offerre ad testificandum; nisi sermo sit de illis, qui ex officio tenentur accusare. Ratio 1.ⁱ est, quia non quilibet civis contractum habet cum societate testificandi. Ratio 2.ⁱ est, quia isti ratione officii assumpti quasi-contractum ineunt cum societate. Hinc testis, qui se abscondit, ne citetur a iudice, vel qui post citationem fugit, vel qui comparens veritatem tacendo occultat, inquiens, se eam nescire, cum reapse sciat; licet peccare possit, et graviter in re gravi, contra caritatem, iustitiam legalem et obedientiam, ut ex dicendis constabit, minime tamen peccat contra iustitiam commutativam, adeoque ad restitutionem minime tenetur. L. 270.

Potest quis teneri ad testificandum *ex caritate, ex iustitia legali, ex obedientia.* Ratio 1.ⁱ est, quia si agatur de *bono privati,* tenetur quis ex caritate erga proximum, gravem iniustitiam impedire, si possit quis testimonio suo innocentem facile liberare. Ratio 2.ⁱ est, quia si agatur de *bono communi*, cum quaelibet pars teneatur prospicere incolumitati totius, obligatio adest ex iustitia legali accusandi, et denuntiandi crimen reipublicae perniciosum, si alia via damnum publicum impediri non potest. Porro *crimen reipublicae perniciosum* est, quod *directe* et *immediate* est contra bonum commune, ut haeresis, proditio civitatis, etc. Ratio 3.ⁱⁱ est, quia si adest superioris seu iudicis praeceptum, tenetur quis obedire superiori *legitime* praecipienti, nisi ratio adsit sufficienter excusans. L. 264., S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. Hinc testis legitime citatus tenetur coram iudicibus se sistere, iuramentum iure praescriptum emittere, integre veritatem et nihil praeter veritatem dicere, et deinde postulatis simpliciter iuxta conscientiam respondere. Quare testis falsum testimonium ferens, cum sit periurus, et contra iustitiam agens, et mentiens, peccat mortaliter. — S. Th. 2. 2. q. 70. a. 4., C. I. Proc. poen. 172. 292. 295. 305. 312., C. G. Instr. crim. 317. 319. 321.

66. *Cuiusnam rei testimonium proferendum sit?* — Nemo testis intelligitur, nisi eius facti, quod ipse *scit.* Quare ea solum proferre debet, quae ipse suis sensibus percepit, hoc est enim *scire,* L. 268., non quae ipse putat, credit, nec quae ab aliis accepit, nisi de his nominatim interrogetur. — S. Th. 2. 2. q. 70. a. 2. ad 2., a. 4. ad 1.

67. *Quandonam iudex legitime non interroget?* — Iudex *legitime non interrogat,* ita ut quis veritatem manifestare non teneatur: 1.° Quando iudex *non est legitimus,* ut per se patet. L. 273., S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. — 2.° Quando *formam iudicialem non servat,* uti si interroget sine praevia accusatione, saltem virtuali, etc. Ratio est, quia non aliam habet potestatem interrogandi, nisi secundum legis praescripta. Accusatio autem virtualis habetur quando adest notorietas criminis, aut talia criminis indicia, ut probabiliter negari haud possit L. 199. 266. 267. 272. 273., S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. — 3.° Quando delictum reapse *non adfuit;* vel est *omnino occultum,* vel adhuc non adsit *semiplena probatio* delicti, neque ullum commune et privatum alterius damnum imminet ex reticentia delicti. Ratio est, quia secus reum diffamaret, absque ullo iure; iudex enim in iudicio instruendo non nisi ex scientia publica delicti procedere potest. L. 199. 201. 273., S. Th. 2. 2. q. 70. art. 1. Adest autem *semiplena probatio,* cum adest, ait S. Alphonsus 266., « unus testis de visu, vel auditu proprio,

vel si adest notorietas, aut infamia criminis, vel indicia evidentia, vel si accusator se offerat ad delictum pluribus testibus probandum (alias, etiamsi plures testes adsint de aliquo crimine, nemo eorum teneretur crimen revelare); omnia haec enim aequivalent semiplenae probationi; qua interveniente delictum non dicitur amplius secretum, ideo iudex tunc habet ius, ut testis veritatem manifestet... Ut testis autem teneatur tunc respondere, requiritur, ut infamia, vel semiplena probatio, vel indicia, ut supra, sint iam probata, et a iudice testi manifestentur; nisi constet iudicem esse probum, et asserit se legitime interrogare ». — S. Th. Quodl. 4. a. 12., 2. 2. q. 33. a. 7., C. I. Proc. poen. 85. 286. 288., C. G. Instr. crim. 322., C. G. poen. 378.

68. *Quaenam sint rationes sufficienter excusantes a testando, etsi iudex legitime interroget?* — Sunt sequentes: 1.° Si scias rem ex confessione. — 2.° Si accepisti sub secreto naturali, ut consiliarius, advocatus, medicus, etc., modo tamen non sit necessarium ad *magnum* reipublicae vel proximi malum avertendum; tunc enim licet tale secretum detegere, etiamsi iurasses te nulli dicturum; quia tale iuramentum non obligat, cum iure naturae tenearis ad contrarium. S. Th. 2. 2. q. 68. a. 1. ad 3., q. 70. a. 1. ad 2. — 3.° Si ex testimonio tibi vel tuis immineat notabile damnum: nisi tamen damnum publicum vel privatum alienum praevaleat. Unde communiter non teneris testari contra consanguineum. L. 268., l. 3. n. 334., Struggl de 4.° Praec. q. 2. n. 3., de Virt. Relig. q. 3. n. 16. seqq. — *Ex ipsa lege* testari non tenentur stricte consanguinei, et qui ex officio ad secretum tenentur. — 4.° Si a viris non sat fide dignis accepisti; tunc enim potes te habere, ac si nihil scires. — 5.° Si factum intellexisti per iniuriam, verbi gratia aperiendo litteras, cogendo alium ad revelationem, etc. — 6.° Si alter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam compensationem debiti; ex quo, tanquam de fure, inquiratur. Ratio est, quia mens iudicis est inquirere de delicto. Idem valet pro reo. — L. 248. 268. 273., C. I. Proc. poen. 286. 288., C. G. Instr. crim. 322., C. G. Poen. 378.

69. *An periurus ad damnorum reparationem teneatur?* — Qui *sciens* falsum testatus est, per quod alteri fuit *efficax causa* damni, tenetur ad impeditionem, vel reparationem omnium damnorum, quae causantur. Item tenetur suum testimonium revocare cum pari suo damno, et periculo etiam vitae, si reus de ea periclitetur, et putetur revocando aliquid effecturus. Ratio est, quia in damno aequali potius habenda est ratio innocentis. — *Sciens;* quia, si ex ignorantia, inadvertentia, aut oblivione inculpabili falsum est testatus, etsi teneatur damnum impedire, si possit, non tenetur tamen ad restitutionem, etiamsi reus damnetur. Ratio est, quia neque tenetur ex re accepta, neque ex delicto. Idem dicendum foret probabilius, etiamsi venialiter peccasset. — *Causa efficax;* quia, si a parte rei falsum illud testimonium nihil effecisset, v. g. quia per falsa testimonia aliorum iam tota causa damni erat data, ita ut iudex ex hoc testimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur. — L. 269.

70. *An testis teneatur revelare crimen omnino occultum, quod ipse solus novit?* — R. Negative, *per se loquendo,* et praescindendo ab aliis circumstantiis, si agatur vere de crimine *omnino occulto,* seu secreto.

Ratio, quia iudex non potest in reum inquirere, nisi aliqua saltem infamia, vel publicus rumor, vel alia indicia praecesserint. Ergo testis non tenetur, crimen *omnino occultum*, quod ipse solus novit, manifestare. Quod autem leges modernae unum tantum testem necessario exigant, nihil contra evincit; nam huiusmodi leges semper supponunt rem evulgatam, publicum rumorem diffusum, etc. Saepe etiam alias circumstantias supponunt, crimen societati nocivum, periculum continuatum pro futuro, etc. — Nimis clara hac in re est sententia A. D. 2. 2. q. 70. a. 1.: « Si requiritur testimonium alicuius subditi auctoritate superioris... non est dubium, quin teneatur testimonium ferre in his, in quibus *secundum ordinem iuris* testimonium ab eo accipitur; puta *in manifestis, et in his de quibus infamia praecessit.* Si autem exigitur ab eo testimonium in aliis, puta *in occultis, et de quibus infamia non praecessit, non tenetur ad testificandum* ». — Roncaglia Tr. 15. q. 1. c. 1. Qu. III. R. III., S. Th. Quodl. 4. a. 12., 2. 2. q. 33. a. 7., C. I. Proc. poen. 60. 84. 85. 98. 101. 172. 179. 288.

VIII. — DE REIS

71. *Quid reus?* — *Reus* in civilibus a re, quae petitur et debetur, in criminalibus, qui crimen admisit, appellatur.

72. *An teneatur reus suum crimen fateri?* — Iudex tenetur reo manifestare *statum causae*, et quae sint indicia, quomodo probetur delictum, etc., ut reo constet, *an legitime interrogetur*, quia secus reus non tenetur respondere, et seipsum honore, aliisve bonis, quae bona fide possidet, spoliare. L. 273., S. Th. 2. 2. q. 69. a. 2., Quodl. 5. a. 16. — Reus, *si non interrogetur legitime*, non tenetur fateri suum crimen, sed potest iudicem eludere vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua restrictione, et in bono sensu, ut mendacium absit. Ratio est, quia tunc iudex non habet ius interrogandi, aut obligationem imponendi reo. Secus vero, *si legitime interrogetur*, adeoque in processu inquisitorio, dummodo delictum saltem semiplene probatum fuerit, idque accusatus ex processualibus sciat talibus. L. 272., S. Th. 2. 2. q. 69. a. 1. — Hinc ordinarie rei non tenentur in praesenti crimen suum manifestare, quia interrogationes fiunt ante iuridicam probationem. Praeterea iuxta modernos Codices nemo potest compelli ad ferendum testimonium contra seipum in re criminis. Insuper id certe non debet in processu accusatorio, qui in praesenti servatur, publico magistratu accusante. Ac quamvis crimen sit sufficienter probatum, quamdiu iurati sententiam non tulerint, reus semper sperare potest habituram vim in animum iuratorum suam criminis denegationem. — Nec tenetur, *si dubitet*, an iudex legitime interroget; quia non tenetur parere cum gravi suo damno, nisi constet, superiorem posse praecipere. Ratio, quia reus possidet suam vitam et famam; unde in dubio habet ius eam servandi, usquedum constet de legitima interrogatione. L. 273. Cf. 67.

73. *Nota:* Responsio illa: Non sum reus, mendacium non est; nam ex omnium consensu significat, reum nolle crimen fateri. L. l. 3. n. 156.

74. *An teneatur reus fateri crimen legitime interroganti cum timore magnae poenae?* — Affirmat S. Th. 2. 2. q. 69. a. 1. ad 2., quam sententiam

communiorem et probabiliorem dicit S. Alph. At satis probabilis sententia est, quae « negat teneri reum crimen suum revelare... Aliud est de causis, in quibus agitur de poena ecclesiastica, quae est *medicinalis* ». L. 274. l. 4. n. 156. Excipe etiam, modo grave damnum publicum aut alterius privatum ex silentio non immineat. L. 274. Ubi advertendum est, damnum reipublicae, si agatur de periculo mortis subeundae, intelligi debere non qualecumque, sed *maximum*. Ut enim ait Lugo, « lex humana non nisi rarissime et propter maximum reipublicae damnum potest obligare subditum cum periculo vitae: in praesenti autem est certissimum illud periculum ». — Ratio autem huius secundae sententiae est, nam neque naturali iure cogitur fateri, neque lege humana cogi potest seipsum prodere, et velut ensem adversario tradere, quo necetur. Neque vero de facto talis adest lex. — Ratio vero prioris sententiae est e contra, « quia quando aliquis secundum ordinem iuris a iudice interrogatur, non ipse se prodit, sed ab alio proditur; dum ei necessitas respondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur ». S. Th. l. c. — Cf. 67.

75. *Nota:* « Regula autem, quod reus non tenetur fateri veritatem *occultam*, iudici interroganti, sine semiplena probatione, ut docent Less. et Lug., currit tantum in causis criminalibus, non in civilibus ». L. l. 3. n. 888., S. Th. 2. 2. q. 69. a. 2., Quodl. 5. a. 16.

76. *An reus crimen fateri debeat post sententiam latam, quod ante iniuste negavit?* — R. Negative, quia, finito iudicio, finitur obligatio rei. Immo probabile est, nec ante sententiam ad id teneri, etiamsi adhuc sit in potestate iudicis, donec iterum interrogetur. Ratio, quia iustitia legalis obligat tunc tantum, cum iudex interrogat; nisi iudex tempus ad respondendum praescribat, nempe si praecipiat, e. g., ut reus infra mensem veritatem dicat, et mensis adhuc duret. L. 274.

77. *An graviter peccet, qui ad evitanda tormenta gravia mentiatur, falsum sibi crimen imponens, per quod sit morte plectendus?* — R. Probabiliter mortale non est. Ratio, quia nemo tenetur vitam servare cum tanto cruciatu, qui morte ipsa durior videatur. L. 274. 275.

78. *Nota:* « Si ex illa falsi criminis confessione grave damnum aliis sequitur, v. g., bonum reip., aut fama religionis, vel familiae notabiliter laederetur, aut aliqui ideo in haeresim lapsuri essent, quaevis potius tormenta perferenda essent ». Attamen, si ex illa criminis falsa confessione sequeretur dumtaxat infamia alterius, non teneretur post factum « se revocare ad reparandam alienam infamiam, se denuo exponendo ad sustinenda illa gravia tormenta, quia nemo tenetur famam restituere cum tam longe graviore suo damno ». L. 276. 275.

79. *An ad infirmandum testium fidem liceat, sive actori sive reo, detegere occulta eorum crimina? Et an peccet graviter, si falsa crimina eis imponat?* — R. ad 1.um Negative, si id *inutile* sit defensioni. Ratio, quia non nisi ex iure defensionis id licere potest. — Affirmative, si id *necessarium* et *utile* sit defensioni et *falsum* illi testentur. Ratio, quia ius propriae famae defendendae praevalet iuri alterius famae. — Si id *necessarium* et *utile* quidem sit defensioni, sed *verum* illi testentur, alii affirmant, alii negant. Ratio *affirmandi,* quia unicuique ius est ostendere

testes contra se agentes, minus idoneos esse. Nemo vero tenetur cum suo gravi damno famam proximi servare. S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2. Ratio *negandi*, quia reus non uteretur iusta defensione, cum testis necesse habeat testimonium ferre, nisi sit voluntarius. Cf. Lug. D. 40. n. 23., Less. L. 2. D. 31. c. 1. Id licitum affirmat S. Alph. 272., « dummodo hoc sit absolute necessarium ad suae innocentiae defensionem; item dummodo alias reus non leve, sed grave damnum sit passurus, licet maius damnum eveniat accusatori, vel testi ».

Ad 2.um Affirmative, idque constat ex pr. 44.a d. ab Innoc. XI. Ratio est, quia talia mendacia dicere in iudicio est contra bonum commune, cum sit pervertere omnem iustitiae ordinem, et ideo illud quisque praeferre debet privato bono, etiam propriae vitae. L. ib., S. Th. 2. 2. q. 69. a. 2., Lugo D. 40. n. 26.

80. *An innocens inquisitus possit se defendere contra eos, qui volunt eum comprehendere?* — Casus practicus esse potest praesertim tempore anarchiae vel tyrannidis, et affirmative communiter respondetur; cum sit iusta sui defensio, si iniustum vere sit mandatum capiendi, neque consequenter adsit hallucinationis periculum; et absit scandali aut publicae perturbationis periculum. Idemque communiter etiam affirmatur, si iniusta sit sententia sive formaliter, sive verius materialiter tantum, dummodo iterum manifesta sit iniustitia et periculum absit hallucinationis et scandali. Ita S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4., S. Alph. 279. 281., Kenrick Theol. Mor. Mechlin. 1890. Tr. 3. n. 112., Frassinetti Comp. etc. Ed. 6. Nota 98., D'Annib. Ed. 3. P. 2. n. 601. Cf. Lugo D. 40. n. 38. seqq.

81. *An liceat interficere falsos accusatores et testes, necnon iudicem, a quo iniqua immineat sententia, si alia non sit via damnum vitandi?* — R. Negative. Est haec, pr. 18.a d. ab Alex. VII. Ratio huius damnatae propositionis est, quia nimis generalis est. Agitur in ea de *qualibet* sententia, iniqua, quae damnum non semper affert, quod merito comparari possit morti falsi accusatoris, testis, iudicis. Nec distinguitur inter *iniustitiam* et *iniustitiam;* quia innocens; quia non servatus legitimus processus; vel ob utrumque. Agitur de quolibet iudicio sive *legitimo,* sive *usurpato,* tempore tyrannidis, anarchiae, etc. Agitur de sententia *danda* non *data* iam. Demum arbitrium cuilibet relinquitur iudicandi quod non sit aliud medium. Unde propter periculum hallucinationis et propter scandalum, vel propter alterutrum nunquam licet praefatas personas occidere. L. 279.

82. *An reus, qui vere deliquit, possit a carcere fugere?* — R. Affirmative, si nondum reus ad poenam sit sententia damnatus, quia nemo ante sententiam tenetur solvere poenam. — Affirmative, etiamsi reus sit iam sententia damnatus ad mortem, aut aliam gravem poenam, modo illi carcer non sit assignatus ad poenam, sed ad custodiam. « Ratio, quia sententia non damnat reum ad non fugiendum, sed tantum ad non resistendum ministris, cum sententiam exsequuntur ». L. 280. — Si vero carcer sit iam per sententiam assignatus ad poenam, affirmant Busembaum aliique; et sane reus non tam condemnatur, ut ibi *sponte maneat,* quam ut *detineatur.* S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. Communius vero negant reo licere a carcere etiam perpetuo fugere, quia in exsecutione sententiae

iustae tenetur utique reus obedire. Excipiunt tamen plures, si poena esset valde dura, quia videtur supra vires humanas aliquem obligari ad se non liberandum, cum possit, sine ulla vi et resistentia contra ministros iustitiae. L. 279.-282.

83. *Resolves:* « Regulariter reo licet fugere, etiamsi custos carceris gravem damnum inde passurus sit, quia utitur suo iure, et nulli facit iniuriam; nisi tamen caritas aliud suadeat, ob damnum custodis praeponderans. Multo magis licet fugere, ne capiatur; vel etiam a ministro apprehendente se excutere; non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo, etc. Licet etiam, saltem in foro conscientiae, custodes decipere, tradendo, v. g., cibum, et potum, ut sopiantur, vel procurando, ut absint: item vincula, et carceres effringere, quia, cum finis est licitus, etiam media sunt licita. Et licet alii captivi per effractum parietem simul elabantur, non tenebitur de damno; quia tantum est eius causa per accidens, cum iure suo utatur ». L. 281.-282., L. l. 3. n. 380., Struggl Tr. 3. q. 2. n. 45. Reo tamen non licet custodem pecunia corrumpere, quia illius peccato cooperaretur, sui nempe officii praevaricationi. L. 282.

84. *An aliis licitum sit reo fugam suadere; eam expedire; instrumenta suppeditare, quibus ipse reus sibi illam expediat: exceptis custodibus, apparitoribus, etc.* — Si hoc alteri perniciosum futurum sit, ne *suadere* quidem licet; secus licet eam *suadere,* et consilio reum instruere, quoties huic licitum est eam arripere. — *Expedire* omnino non licet. Est enim contra publicum rerum ordinem et quietem. Continua esset contentio inter cives et publicae iustitiae exsecutores. — *Suppeditare,* quae necessaria sunt, ut ipse reus sibi eam expediat S. Alphonso 283. probabile est, Lugoni D. 40. n. 56. probabilius. Licite enim aliis datur illud quo ii licite utuntur. — Struggl. l. c. n. 46., Elbel de Legib. 311. 313. Cf. 83.

85. *An reus iuste damnatus ad mortem teneatur fugere e carcere, si possit?* — Prima sententia affirmat, quia alias videtur esse sui ipsius homicida. Secunda sententia longe verior et tenenda negat. Ratio, quia quamvis reus non possit facere actum immediate tendentem ad mortem, ut sua mutilare membra, e furca se deiicere, venenum potare, etc., licent tamen ei actus mediati, ut ascendere scalam furcae, extendere collum ad patibulum, et sic in carcere manere; maxime, si iustum finem habeat, ut crimini satisfaciat, ut sua punitio aliis ad exemplum prosit. L. 281., Struggl. l. c. n. 43.

86. *An liceat ad superiorem iudicem appellare?* — Affirmat Kenrick Theol. Mor. Mechlin. 1890. Tr. 8. n. 135., quia reus potest omni subsidio adminiculoque legis uti, quo evadat, salva veritate. Sed communiter negatur, si reus sciat sententiam esse iustam, et iuste processum esse (licet tamen supplicare); quia id esset iudici calumniam imponere. Imo iniuste appellans tenetur de damno. Si vero putet sententiam iniquam esse, aut iniuste processum esse, aut si diversae sint opiniones, aut novae adsint probationes, potest appellare. L. 285., S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3. — Lugo D. 37. n. 172. seqq.

87. *Nota:* Expedit, ut confessarius ad confessionem sacramentalem reum non admittat, nisi postquam in foro profano res sunt liquidae; vix

enim adigi poterit, ut omnia fateatur ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur eadem fateri iudici; ante tamen de contritione agendum est. L. 286.

88. *An reus in iudicio absolutus teneatur in conscientia non solum ad rem restituendam, verum etiam ad litis expensas compensandas?* — R. Negative *quoad expensas tantum,* si citra legitimam interrogationem taceat vel inficietur, et ideo absolvatur; quamvis tacendo contra caritatem, inficiando contra veritatem peccet. Ratio, quia non absolvitur ex suo silentio vel negatione, sed ex defectu probationum. — Affirmative *etiam quoad expensas,* si legitime interrogatus taceat vel inficietur, et ideo absolvatur. Ratio, quia medio utitur iniusto, ad quod nullum habet ius, ad sui defensionem. — Negative, *quoad expensas tantum* si bona omnino fide agat, et iudex secundum allegata et probata sententiam pro ipso ferat. Non est enim causa theologice culpabilis illius damni. — Minime vero « excusabitur ab obligatione restituendi *(rem),* eo quod altera pars consenserit sententiae, nec appellaverit; nam totum hoc censetur involuntarium, nec praesumitur voluisse renunciare iuri suo in foro interiori ». Lugo D. 37. S. 15. n. 187. Cf. 67. 72.

IX. — DE MEDICIS CHIRURGIS PHARMACOPOLIS

89. *Quaenam sint obligationes medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum?* — *Medici et chirurgi* tenentur: 1.° Sub gravi obligatione sufficientem habere scientiam; ita ut sciant *pro ordinariis infirmitatibus* convenientia praescribere remedia, et dubitare saltem *de aliis extraordinariis morbis,* ut peritior medicus possit advocari. — 2.° Diligentiam adhibere proportionatam gravitati rei, quae ipsorum curae committitur. — 3.° Fidelitatem servare, ne arcana suae fidei commissa revelent, eisque abutantur; si autem in his deficiunt, tenentur de omnibus damnis, quae inde sequuntur. — 4.° Iustum servare stipendium, quod ipsis debetur, ut de advocatis dictum est. — 5.° Operam suam gratuito praestare pauperibus, qui in necessitate versantur, ut etiam de advocatis dictum est. Cf. 40. — 6.° In remediis adhibendis sequentes debent servare regulas:

1.° Abstinere omnino debent a quovis pharmaco praescribendo, quod directe et per se non nisi ad malum ordinetur. Cf. La-Croix l. 6. P. 3. n. 795. 796. Ordinarie vero debent sequi opiniones medicorum securas et tutas. Ratio est periculum et damnum proximi. — 2.° Quando certum aliquod est pharmacum, quod nimirum certo infirmis profuturum est, tenentur illud adhibere, omisso eo, de quo dubitatur, quia alias imprudenter proximum in periculo relinquerent. — 3.° Si non sint certa pharmaca, debent adhibere probabiliora et tutiora; tum quia alioquin salutem proximi in discrimen adducerent; tum quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo et damno. — 4.° Si *probabile* sit remedium fore profuturum, tunc possunt, immo tenentur illud applicare, quando certius non habent. — 5.° Si remedium est *dubie* profuturum, et certo non nociturum, omnino infirmo applicandum est. Ratio patet: spes enim aliqua affulget infirmum a morte eripiendi, nec ullum imminet periculum. — 6.° *Quando desperatur de salute infirmi,* et utrumque sit probabile, quod

nempe remedium possit prodesse, et obesse, duplex est probabilis sententia. Prima negat posse applicari, quia nunquam licet exponere infirmum periculo mortis, nec illam accelerandi. Altera affirmat esse licitum, quia cum de infirmo desperatur, conformius est prudentiae, et voluntati infirmi (praesertim si ipse expresse in hoc consentiat) applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis. Remedium tunc habet saltem effectum hunc bonum: nam mortem certam infirmi reddit iam dubiam. Ergo nequit dici malum. Haec habet Tamburini quoad hanc quaestionem: « Utraque sententia est probabilis, et ex affirmativa sequitur debere medicum adhibere, quia quandoquidem potest, et debet omni meliori via decumbenti consulere ». Expl. Decal. l. 1. Cap. 3. par. IV. n. 17. *Quando desperatur de salute infirmi;* nam extra casum aegri desperati, non est praebendum, sed expectandum ut natura, Deo auxiliante, seipsam sublevet. S. Antoninus p. 3. tit. 7. c. 2. — 7.° Non licet applicare infirmo etiam desperato remedium, de quo ignoratur, an sit salutare, vel noxium ad experimentum faciendum. Ratio est, quia omnino illicitum est experimentum cum alienae vitae discrimine facere. — L. 291., l. 1. n. 46.

Pharmacopolae, si pauca excipias, peccant fere ut medici in casibus modo expositis, praesertim vero pharmaca vetusta adhibendo, inutilia vendendo, puellis gravidis ad foetum eiiciendum remedia subministrando, mandata medici non fideliter exsequendo, v. g., unum medicamentum pro alio porrigendo, etc. — L. ib.

90. *An peccet graviter medicus, qui tempore pestis aegrotos deserit, ne luem contrahat?* — R. Negative, *per se loquendo,* si medicus non sit a communitate constitutus, nec ab ea ullum stipendium accipiat; tunc enim *ex sola caritate* tenetur, quae sane cum gravi vitae discrimine non obligat. — Affirmative, si medicus sit a communitate constitutus, et ab ea stipendium accipiat. Ratio est, quia tunc ex pacto inito, adeoque ex *iustitia,* tenetur communi periculo consulere.

91. *Ad quid specialiter teneatur medicus quoad animam aegrotantis, cuius curam suscepit?* — Medicus tenetur *per se* sub gravi infirmum admonere de gravi periculo, in quo versatur, et de necessitate sacramenta recipiendi, ne decedat absque absolutione, viatico, et extrema unctione. Id constat ex naturali caritatis lege. Sufficit autem, ut curet, eum admoneri a propinquis vel amicis, ita ut benevole sacerdotem admittat, atque ad recipienda sacramenta inducatur. — L. l. 3. n. 182.

92. *Nota:* Praeceptum adest hac in re Innocentii III., C. *Cum Infirmitas de Poenit. et remiss.*. contraria consuetudine saltem ex parte abrogatum. — L. l. 3. n. 182., Prax. Conf. n. 57., Ithur. Cas. 49. n. 8. 9.

93. *Resolves:* Peccat graviter medicus: 1.° Si absque sufficienti capacitate gravem morbum curare aggrediatur. — 2.° Si, incurrente gravi et insolito morbo, specialem operam non impendat. — 3.° Si medicamenta inexplorata, explorandi gratia, adhibeat. — 4.° Si non bene perspecta morbi natura, temere praescribat remedia periculosa, praesertim cum discrimine vitae vel gravis laesionis. — 5.° Si, agnito aegroti periculo, opportune non adsit, diu noctuque eum invisendo, si opus sit, et omnia remedia apta ad morbum propellendum non adhibeat. — 6.° Si medicos alios advocari non permittat, ubi oporteret, vel si alios consulendi causa

convocans, ad amicitiam potius quam ad peritiam attendat. — 7.° Si e contrario sine necessitate alios medicos advocet, cum expensis inutilibus aegroto, aut contra suam conscientiam eorum consiliis adhaereat. — 8.° Si curationem protrahat lucri causa, visitationes inutiliter multiplicet, ubi pro singulis salarium exigitur; vel si stipendium nimium exigat. — 9.° Si ad favendum pharmacopolis amicis, pharmaca superflua praescribat. — 10.° Si abortum, aut media illud procurandi suadeat, aut ipsemet exsequatur. — 11.° Tandem graviter, imo gravissime peccat medicus, si non praemoneat de gravi periculo aegri, ut ipsi sacramenta conferantur. — L. 291. et l. 3. n. 182.

X. — DE CUSTODIBUS MERCATORIBUS ARTIFICIBUS

94. *Quaenam sint obligationes custodum, mercatorum et artificum?* — *Custodes* ii sunt, qui custodiae sylvarum, agrorum, etc., a principe, vel a domino privato praeficiuntur. *Mercatores* ii omnes sunt, qui mercaturam, merces emendo et vendendo, exercent. *Artifices* vero ii omnes sunt, qui alicui arti mechanicae ex accepto stipendio operam dant. — *Custodes*, praeter peccatum quod negligenter custodiendo committunt contra religionem, si iuramentum praestiterint, peccant etiam contra iustitiam commutativam erga damnificatos, et in damnificantium defectu tenentur de damnis, culpabiliter non impeditis. Probabiliter vero tenentur tantum ratione *damni*, non vero *mulctae*. L. 237., H. A. 73., Lugo D. 37. n. 99. seqq. — *Mercatores* iniusti sunt merces emendo et vendendo iniusto pretio, occultos rerum defectus non manifestando, res novas et veteres simul admiscendo, eodemque pretio utrasque vendendo, contractuum conditiones non servando, etc., quibus in casibus ad restitutionem tenentur, iuxta dicta in 7.° Dec. praec. — *Artifices* iniusti sunt iniusto pretio operas locando, operum defectus non manifestando, negligentia culpabili tempus terendo, alios operarios a labore avertendo, contractuum conditiones non servando, etc., quibus in casibus et ipsi ad restitutionem tenentur iuxta dicta in 7.° Dec. praec.

DE PARTICULARIBUS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS

I. — DE POSITIVIS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS

95. *Quid de vitae sanctitate clericorum?* — Clericorum vita *interna* sanctitate et *externa* aedificatione pollere debet, non solum *negative* quoad immunitatem a peccato, sed etiam *positive* quoad virtutum exercitium. Id constat: 1.° Ex SS., ex CC., ex PP., ex Trid. S. 22. C. 1. de R., S. 23. C. 4. de R. 2.° Ex ipsa excellentia status et officio, quod profitentur. Utrum autem status clericalis stricte sumptus, quatenus nempe a statu religiosorum et episcoporum distinguitur, sit necne status perfectionis, controvertitur apud doctores. — Suarez de Relig. T. 3. l. 1. c. 17. n. 2.-4., S. Th. 2. 2. q. 184. a. 8., S. q. 36. a. 4., L. l. 6. n. 803., E. M.

96. *Nota:* Ut hanc in clericis interiorem vitae sanctitatem et exteriorem aedificationem promoverent Summi Pontifices quam maxime spiritualia exercitia commendarunt.

97. *An clerici ad caelibatum servandum teneantur?* — *In Ecclesia Latina* omnes clerici, ab episcopatu ad subdiaconatum inclusive, tenentur sub gravissimo praecepto servare perpetuam continentiam, ita ut nec *licite* uti possint matrimonio, contracto ante sacram ordinationem; nec *licite*, nec *valide* postea illud contrahere. Id constat ex pluribus Iuris Canonici capitibus, signanter C. 1. Dist. 28. et C. unic. *de Voto* in 6.°, Trid. S. 24. c. 9. — In *Ecclesia Latina.* Datur enim aliqua exceptio ex tolerantia Ecclesiae apud Orientales. In *Orientali* enim *Ecclesia* sacerdotes nunquam matrimonium inire possunt post ordinationem sacerdotalem, neque diaconi post diaconatum; sed coniugati ante diaconatum possunt ad ordines ulteriores provehi, et nihilominus cum uxoribus conversari. Excipiuntur episcopi, qui omnes perfectam castitatem constanter servare debent. Apud Graecos autem subdiaconatus inter sacros ordines non adnumeratur. Hinc clericis non coniugatis in ordinatione diaconatus praeceptum castitatis imponitur. Quin imo in aliquibus provinciis, in quibus antiqua disciplina Ecclesiae Occidentalis restituta est, eadem obligatio in ordinatione subdiaconatus imponitur. Cf. 1015. — L. l. 6. n. 806., S. Th. S. q. 53. a. 3., C. *Ut clericorum* 13. *de Vit. et honest. cler.*, C. *A crapula* 14. e. t., C. 1. 2. *Qui cler. vel vov.*, C. 1. 4. *de Cler. coniug.*, Bened. XIV. C. pro Italo-Graecis *Etsi pastoralis* 26. Maii 1742. § 7. n. 26., Instr. pro Coptis *Eo quamvis tempore* 4. Maii 1745. § 30. seqq., E. M.

98. *An obligatio caelibatus sit de iure divino?* — R. Negative; si enim haec lex esset de iure divino, non variaret circa illam Latina a Graeca Ecclesia; siquidem ius divinum non variat pro diversitate locorum. Est ergo de ordinatione Ecclesiae. Potest igitur Ecclesia ab illa obligatione dispensare. — Utrum autem illa obligatio sit immediate ab Ecclesiae *praecepto*, vel immediate a *voto*, de praecepto Ecclesiae emittendo, Tridentinum utrumque refert, sed non definit. Sunt porro, qui docent, quod ordinati in sacris non ex voto, sed ex sola Ecclesiae ordinatione ad castitatem tenentur, tum quia nulla fit voti mentio; tum quia ad hoc praeceptum Ecclesiae satis est. Verum probabilius et communius alii hanc obligationem, cum S. Th. 2. 2. q. 88. a. 11., repetunt immediate ex voto, quod in ipso facto ordinationis emittitur iuxta Ecclesiae mentem, idque expresse habetur in Iure. C. *Cum olim de Cler. coni.*, Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749. § 41. Et hoc votum Bonifacius VIII. solemne esse declaravit, C. un. *de Voto et vot. redempt.* in 6.° — L. l. 6. n. 807. 808., Albit. De Inconst. in Fide C. 36. n. 132. seqq.

99. *Quid, si quis promoveretur ad ordines sacros, vel invincibiliter ignorans castitatis obligationem iisdem adnexam; vel expresse nolens obligationem ipsam vovere; vel si esset ex metu gravi ad id compulsus; vel si esset in ipsa infantili aetate ordinatus?* — R. ad 1.um Alii probabiliter dicunt, teneri ad castitatem; vi nempe ipsius universalis legis Ecclesiae; alii « probabiliter censent, quod si ignorantia omnino fuisset invincibilis, ordinatus non teneretur ad castitatem, neque ex voto, neque ex praecepto Ecclesiae, quia Ecclesia non intenderet talem obligare; secus vero, si

ignorantia fuisset culpabilis; vel si quis ordinem intenderet suscipere cum eadem obligatione, qua alii suscipiunt ».

Ad 2.um « In tali casu is teneretur ad castitatem non ex voto, sed ex praecepto Ecclesiae, quae ex religionis motivo eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret ».

Ad 3.um Distinguendum: Si intentionem non habuit sacram ordinationem recipiendi, non tenetur, utpote invalide ordinatus. Si animum habuit sacros ordines recipiendi, et metus fuit iustus, *probabilius* tenetur, quia cum sit irrationabiliter invitus, talis metus nec eximit a lege, nec irritat votum. Si item animum habuit sacros ordines recipiendi, sed metus fuit iniustus, probabilius non tenetur, ob oppositam rationem. Quare valide potest matrimonium contrahere, « non potest tamen in ordine ministrare, constante matrimonio, neque privilegiis clericalibus gaudere ». Cf. 106.

Ad 4.um « Certum est, quod ille qui est ordinatus ante usum rationis, quamvis valida sit ordinatio, non tenetur tamen ad castitatem; unde valide ac licite potest inire matrimonium ». Benedictus XIV. B. *Eo quamvis tempore* 4. Mai. 1745. praecipit, ut aetatis anno 16.° detur eis optio; et, si voluerint castitatem servare, admittantur ad exercitium ordinis; secus, si noluerint: et subdit, quod ipsi post ratihabitionem invalide contrahunt matrimonium, et tenentur ad officium divinum. Si vero ordinatus sit post usum rationis, sed ante pubertatem, alii probabiliter dicunt teneri, alii non improbabiliter id negant. Ratio, quia tale votum, ex quo probabilius provenit ea obligatio, « hominem constituit in statu irretractabili, in quo Pontifex nunquam aut raro dispensat, unde tale votum maturum et perfectum usum rationis efflagitat ». L. l. 6. n. 80. 781. 809.-811., S. Th. S. q. 39. a. 2., Sanch. In Dec. l. 5. c. 6. n. 5.-8.

100. *Quid de tonsura et de habitu?* — Clerici obligantur ad ferendam tonsuram et vestem clericalem. Constat ex variis locis Iur. Can. praesertim Conc. Tr. S. 14. C. 6. de R., S. 23. C. 6. de R., L. l. 6. n. 825., S. Th. 4. D. 24. q. 3. a. 1. q. 1., S. q. 40. a. 1.

101. *An peccent graviter clerici, non deferentes extra propriam domum habitum, vel coronam?* — R. Ad 1.um Clerici illi sunt vel simpliciter clerici, vel beneficiati, aut in sacris constituti. Si 1.um communius docent, *per se loquendo*, non peccare, neque venialiter, cum ex iure communi haec gravis obligatio clericis in sacris, ac beneficiatis tantum, sit imposita. *Per se loquendo;* attendendae enim sunt particulares locorum leges, et consuetudines. Si 2.um, certum est eos peccare mortaliter; nisi adsit *iusta causa excusans*, vel *parvitas* materiae; graves enim poenae in Iure Can. ipsis imponuntur. — Quantum autem temporis spatium requiratur ad peccatum mortale, non in genere, sed ex solis circumstantiis potest determinari. Admittunt communiter, esse veniale semel tantum aut iterum habitum relinquere. La-Croix l. 1. n. 672., extendit *breve tempus* ad quinque sexve dies. Admittunt tamen etiam communiter peccare graviter clericos, si vel ad breve tempus habitum clericalem dimittant, aut occultent ad malum finem. Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 8.

Ad 2.um Clerici, *qui non sunt in sacris constituti*, nunquam graviter peccant, nisi sint beneficiati. Ita communissime. Etiam clerici, *in sacris initiati*, saltem non peccant graviter, nisi omittant deferre *coronam*, sine gravi causa excusante, *et per tempus notabile*, quale hac

in re non est tempus unius vel alterius mensis. An vero sit grave *coronam* non deferre per annum integrum, non liquet. Communius affirmant theologi; sed non clare probatur; cum heic facile *coronam* cum *tonsura* dd. permiscent. — L. l. 6. n. 825.-827., La-Croix l. 1. n. 672., l. 4. n. 1372., E. M.

102. *Quid proprie sit tonsura, corona et habitus clericalis?— Tonsura,* a clericis deferenda, prout distinguitur a *corona*, est prohibitio clericis facta comam laxandi, ex C. 4. 5. 7. *de Vit. et honest. cler.*, quod grave est, nisi coma sit moderata, ex cit. C. 4., L. l. 6. n. 826., aut aliud ferat mos regionis, et absit scandalum. Neque vero uti possunt coma adscititia iniussu episcopi, S. C. C. 9. Dec. 1690., nisi aliud obtineat consuetudo. — *Corona* est *tonsura* in summitate capitis in modum coronae. *Corona* amplior vel angustior esse debet pro ordine ac dignitate. — La-Croix l. 4. n. 1373., Bened. XIV. Not. 96., de Syn. l. 11. c. 9., *Clem.* 2., Trid. ll. cc., C. 4. 5. 15. *de Vit. et honest. cler.*

Habitus clericalis est vestis talaris, aliaque, iudicio episcopi, ordini congruentia, Trid. S. 14. de R. C. 6., S. 24. de R. C. 12. in fi., S. 22. de R. C. 1.; ideo varia sunt pro variis locis. Vestis *talaris* dicitur, quae nimirum defluat usque ad talos, vel saltem ad genu; quod ex epikeia quadam et quorundam locorum consuetudine in oppidis et pagis receptum est; et in ipsis quoque civitatibus extra missae celebrationem permittitur. — Bened. XIV. Notif. 71. n. 9., C. *Clerici* 15. *de Vit. et honest. cler.*, S. Th. S. q. 40. a. 1., E. M.

103. *Nota:* Cum plura praesertim quoad exteriorem clericorum cultum a iure communi minime in particulari determinentur; sed varia sint pro variis regionibus, standum est Statutis uniuscuiusque dioecesis, quae clericorum confessarius ignorare omnino non debet.

104. *Quinam obligentur ad recitationem horarum canonicarum?* — Obligantur *in Ecclesia Occidentali* ad horas canonicas quotidie recitandas: 1.° *Clerici* omnes in *sacris constituti*, etiam suspensi et excommunicati. Constat ex variis locis Iuris Can., ex Conc. Later. a. 1215., ex B. S. Pii V. *Quod a Nobis.* — 2.° *Beneficiati* omnes, qui habent ius in re et plenum dominium beneficii. Eruitur ex Conc. Later. sub Leone X., necnon ex B. S. Pii V. *Ex proximo.* — 3.° *Religiosi* omnes utriusque sexus in Ordine ab Ecclesia approbato *professi*, et ad chorum destinati. Liquet ex consuetudine, necnon ex Decreto Gregorii X., etc. — *In Ecclesia Occidentali*, nam, ut ait Bened. XIV. C. *Eo quamvis tempore* § 44. 45., « diaconi, subdiaconi, et presbyteri Ecclesiae Orientis nulla lege expressa... adiguntur ad recitationem officii divini ». Attamen « etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi divinum officium ». Quae quidem vim habet legis; unde « disciplina Ecclesiae Orientalis subiicit obligationi et praecepto recitandi officium divinum, *more nationis*, generatim omnes in sacro ordine constitutos ». — L. 140. seq., S. Th. 4. Dist. 15. q. 4. a. 1. q. 3., E. M.

105. *Resolves:* 1.° Qui in *minoribus ordinibus* sunt constituti non tenentur ad horas, vel ad aliam determinatam orationem. Clericus incipit obligari *ab hora* subdiaconatus suscepti: et quidem ad horas respondentes horae, qua ordinatur. Quare ordinatus meridie incipere debet *a sexta*, neque potest incipere *a vesperis.* An autem subdiaconus, qui re-

citaverit partem illam ante ordinationem, suae obligationi satisfecerit, alii negant, alii vero *probabiliter* affirmant. Ratio, quia bene potest debitum illud anticipate solvi, quod certe moraliter est contrahendum. L. 140. — 2.° Ad *beneficiatos* quod attinet, obligatio incipit *a die* initae possessionis beneficii, adeoque *ex matutino* incipere debent. Non tenentur ante acceptam possessionem, nec si sine sua culpa fructus nullos percipiant, nec percepturi sint: quia non habent beneficium secundum omnem effectum. Hoc certum est. Probabile autem est, eum, qui non residet ex legitima licentia, vel dispensatione, ideoque fructus non recipit, non teneri ad horas; quia obligatio haec est propter sustentationem datam. E contrario tenetur is, qui etsi non recipiat omnes suos fructus, recipit tamen tantam partem, quae ad sustentationem sufficiat. Nec excusatur, si in sacris non sit constitutus, eo quod sibi propositum sit non percipere fructus beneficii; quia non propter privatorum commoda, sed ad divinum cultum beneficia sunt instituta. Cf. Trid. S. 21. C. 6. de R., Lugo Resp. Mor. l. 5. D. 6. 2., Viva in Alex. VII. pr. 21. § ult., L. 144. et l. 3. n. 664. seqq. — 3.° Ad religiosos quod spectat, obligatio incipit ab *hora* editae professionis, ab hora *diei*, non *chori*. Non tenentur ad horas *novitii*, *conversi*, *religiosi* Societatis Jesu, militantes, hospitalarii, et ceteri *choro non destinati*. L. 141.

106. *An qui per metum iniuste incussum ordinem sacrum suscepit, teneatur officium recitare?* — Probabilius negant. Ratio, quia licet metus non tollat voluntarium; Ecclesia tamen rationabiliter non censetur velle obligare ad onus officii, nisi eos, qui omnino sponte ordinem suscipiunt. Et ideo tales per metum gravem ordinati nec etiam ad castitatem tenentur. In foro tamen externo ad utrumque tenentur, donec de metu apud S. C. C. constiterit. — L. 144., A. S. S. V. 1. p. 330., V. 2. p. 443., V. 6. p. 85. Cf. 99.

107. *An religiosi, qui iusta de causa choro non interveniunt, teneantur sub gravi officium privatim recitare?* — R. Affirmative. Ratio est, quia principalis obligatio pro religioso non cadit in chorum, sed in recitationem officii ratione Religionis, quae onus illud ex suo instituto suscepit. Haec obligatio constat ex universali consuetudine religiosorum, qui, cum choro interesse non possunt, se credunt sub gravi obligatos ad officium privatim recitandum. Consuetudo autem universalis, quae cum magno incommodo a religiosis constanter observata fuit, argumentum sufficiens praebet de gravi obligatione suscepta. Unde non est probabilis opinio aliquorum, qui dicunt obligationem officii non urgere religiosum extra chorum. — Ad moniales quod attinet, idem affirmat De Alexandris, Confessar. Monialium c. 8. q. 5., propter eandem consuetudinis rationem, et constat ex Resp. S. Poenit. ad episc. Petrocor. 26. Nov. 1852. — Bouix de Iure Reg. V. 2. p. 619., L. 142., Pellizzar. de Monialib. c. 6. n. 12. seqq., E. M.

108. *An peccet graviter religiosus, qui officium recitat privatim, dum facile choro interesse possit?* — R. Negative. Obligatio enim chori, licet sit gravis pro communitate, levis tamen habetur pro singulis privatis, modo prorsus chorus non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt *quatuor expediti*, seu validi et liberi ad chorum sustinendum. Si vero religiosi sint pauciores, nullatenus obligantur ad officium in choro recitandum; sed a recitatione privata non eximuntur, ut modo dictum est. *Quatuor expediti*, « nam si sint infirmi, vel legitime occupati, nec etiam si quatuor

sint, ad chorum obligantur. Probabiliter autem putant Viva, etc. sufficere ad satisfaciendum choro, ut soli novitii intersint, quia ipsi in favorabilibus reputantur ut religiosi ». L. 143. Ab obligatione autem levi choro interveniendi causa mediocris excusare poterit. — Clem. *Gravi de Celebr. missar.*

109. *Nota:* 1.° Quod graviter peccent praelati, qui ex negligentia permittunt, ut omittatur recitari pars notabilis in choro. — 2.° Quod in choro non teneantur omissa supplere ii, qui, dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt eo quod, dum aliquis occupatur in rebus ad officii celebritatem pertinentibus, totus chorus pro eo supplet. — L. 143. 156., La-Croix 1300.

110. *Quid speciatim notandum est quoad recitationem in choro vel cum socio?* — Qui officium recitat in choro vel cum socio, debet integra recitare ea, quae *secreto* dicuntur; alternis non ternis vicibus hymnos, psalmos, versiculos. Sufficit vero audire, dum alius ea legit, antiphonas, responsoria brevia, capitula et lectiones. Quoad ea, quae socius recitat vel legit, ut quis satisfacere possit, necesse est, ut ille omnia proferat rite ac recte, et ipse haec audiat, licet socius *non sit obligatus* ad divinum officium recitandum, immo licet *distractus sit;* quia haec non impediunt, quominus quis recitet iuxta morem Ecclesiae, et cum socio communicet; quamvis si socius sit obligatus, et non attendat, non satisfaciat, non communicando cum alio. Verum, quia omnes recitantes unum veluti corpus constituunt, et quia ea, quae invicem recitant vel legunt, communicantur, si quis non sit in culpa, quominus aure percipiat ea, quae altera pars chori vel socius recitat, probabile est, dummodo attendat quantum potest, satisfacere. Hinc satisfacit quoque *surdaster* et in confuso audiens, v. g., quia fit strepitus, quia socius submissa voce recitat, vel propter ineptitudinem legentis. « Praeceptum enim hoc officii ex benignitate Ecclesiae benigne est interpretandum. E converso valde erit anxietatibus obnoxium, quod socii in officio semper solliciti esse debeant ad quamnam quantitatem pervenerit omissio auditus, ut teneantur vel non repetere ». L. 163. *Surdaster;* an et *surdus?* Si recitet cum socio, quo non cogitur uti, dd. communiter negant. Si in choro, adhuc plures negant: sed plures etiam affirmant; nec immerito, nam oportet chori obligationes et iura aequa ratione metiri. — D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 151., La-Croix 1295., L. 162. 163., Laym. de Orat. et Hor. Canon. c. 5. n. 7.

111. *Nota:* 1.° « Communis est sententia bene satisfacere, qui audit a socio lectiones, responsoria, capitula, et orationes, ac antiphonas. Et probabiliter adhuc satisfacit is, qui solus dicit psalmos, et lectiones audit; vel qui partem psalmorum dicit solus, et partem cum socio, quia satis communicat in ea parte quam audit, et cui ex recepto usu iam satisfit per auditum ». L. 162. — 2.° « Certum autem est, quod non oportet in choro audire omnes, sed sufficit unum audire, et sufficit audire *in confuso* saltem partem alterius chori, licet distincte nequeas audire ». L. 163. Satisfacit *choro,* qui submisse recitat psalmos, alteram partem audiendo, cum una pars unum corpus cum altera constituat et invicem communicent; neque necesse sit, ut recitantes in uno choro audiant omnes recitantes in altero. Quoad canonicos, Cf. 220., L. 163. — La-Croix 1298.

112. *An ad officium teneantur religiosi, ex licentia degentes extra claustra, religiosi profugi, per sententiam eiecti, et ad triremes damnati?* — R. Ad 1.um Affirmat S. Alph. cum aliis, addens: « sicut etiam in carcere detenti ». Negat vero Busembaum cum aliis de religioso, « qui dispensationem obtinuit perpetuo vivendi extra monasterium, quia etsi maneat religiosus non tamen regularis ». L. 141. 142. — Ad 2.um Negat Bon. et probabile putat Tamb., sed melius Less. et Conc. docent teneri. Ratio, quia, sicut ipsi non amittunt statum religiosum, ita ab illius oneribus non eximuntur. L. 142. Idemque dicendum de excommunicatis, etiam vitandis. — Ad 3.um « Non improbabiliter negant cum Busemb., etc., cum Scoto et Laymann, qui hanc tutam vocant sententiam. Ratio, quia in eis iam extincta est essentia status religiosi, cum non amplius teneantur ad vota, ut supponit Sanch. tanquam certum; nec sit in potestate eorum ad religionem redire ». L. 142. Verum Sanch. de Matr. l. 8. D. 8. n. 11. loquitur de professo *dispensato* ad nuptias. Quoad *eiectum*, aliam affert rationem, « quia cum iam sit iuste extra monasterium, ac monasticam vitam, ab eius oneribus eximitur ». — Ad 4.um « Communius negat Cabass., qui tamen ait teneri clericos constitutos in sacris; sed de utrisque negant Spor., Less., etc. Ratio, quia talis recitatio videretur cedere in dedecus ordinis religiosi », et status clericalis. L. 142., D'Annib. Ed. 3.^{a} P. 3. n. 153. — E. M.

113. *Quanta sit divini officii obligatio?* — Obligatio divini officii gravis per se est. Quare peccat graviter qui habens hoc onus, horas, vel notabilem earum partem omittit. Ratio est, quia violat praeceptum in re gravi, pertinente ad virtutem religionis. — C. *Presbyter* 1. *de Celebr. miss.* L. 146., l. 3. n. 663., E. M.

114. *Nota:* 1.° « Illa universe censetur parva materia, quae non pertingit ad quantitatem unius integrae horae ». Ita communissime. — 2.° « Qui totum omittit officium verius dicendum unum tantum peccatum committere, quia totum officium unius diei cadit sub uno praecepto ». — L. 143. 147. 148.

115. *An sit grave omittere vesperas in Sabbato Sancto?* — R. Negative. Ratio est, quia materia levis est, tum in se, tum respectu totius officii.

116. *An moniales, quae officium B. Virginis tantum recitant, ad illud sub gravi adstringantur?* — R. In ordinibus, in quibus recitatur tantum officium B. M. V., haec recitatio non obligat sub gravi, licet vota solemnia in istis ordinibus emittantur, v. g., in ordine monialium a Visitatione dictarum, ut pluries decisum fuit. Insuper in communitatibus, quibus praeter officium diei recitandum est etiam officium B. Virginis aut Defunctorum, aut septem psalmi poenitentiales, obligatio non afficit privatim recitantes officium extra chorum; immo nec recitantes in ipso choro, saltem communiter, nisi adsit consuetudo. Cf. 129., E. M.

117. *An beneficiati, divinum officium omittentes, ad restitutionem teneantur?* — Tanta est obligatio, ut inducat ei onus restitutionis fructuum, pro rata omissionis officii, qui titulo beneficii ad horas tenetur, si, elapsis sex mensibus post adeptam possessionem, culpabiliter officium non recitaverit. Patet ex Conc. Later. sub Leone X. S. Pius V. Bullam deinde edidit, qua hoc decretum confirmavit, ac declaravit, ut qui uno

die totum officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus illi diei respondentes, v. g., qui accipit annue 365. florenos, teneatur pro uno die restituere unum florenum; qui autem omiserit matutinum tantum, mediam partem fructuum unius diei; qui reliquas horas, etiam mediam partem; qui vero unam ex illis sextam partem; eaque restitutio facienda est vel fabricae, vel pauperibus. — B. Leonis X. *de Reform. Curiae.* Cap. *Reform. Curiae et aliorum* § *Statuimus*, S. Pius V. C. *Ex proximo* 1571., L. 151. et l. 3. n. 663. 666. 672. 673., E. M.

118. *Nota:* 1.° Non obligantur ad restitutionem, qui ex naturali oblivione, iusto impedimento, bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter absque culpa horas omiserunt. Ratio est, quia in conscientia non debetur poena, ubi non est culpa. L. 151., l. 3. n. 665. — 2.° « Posse aliquando beneficiatum excusari a restitutione ob horas neglectas, titulo pecuniae expensae, intellige *post omissionem* horarum; nam, si ante omissionem, non excusatur, cum damnata sit pr. 33.ª ab Alex. VII.....; etsi non isto intuitu, in pauperes vel alios usus pios... Et probabile est iuxta sententiam, quam tenent Sanch. », etc. L. 153., l. 3. n. 700., La-Croix 1215. — 3.° *Pauperum* appellatione ipse quoque beneficiarius continetur; dummodo vere egeat, nec officium in fraudem omiserit, nempe ut fructus sibi, quasi pauperi, adscriberet. Item *in causas pias* erogari intelligitur etiam quidquid impenditur praediis beneficii reparandis vel augendis. Suarez de Relig. T. 2. l. 4. c. 30. n. 18. 19., L. l. 3. n. 672. — E. M.

119. *Quot peccata committat, qui tenetur ad recitationem officii titulo beneficii, illud omittendo?* — Si illud omittens nolit restituere fructus, peccat tum *contra religionem*, tum contra *iustitiam.* Ratio 1.ⁱ est, quia Ecclesia obligat ad horas recitandas ex motivo religionis. Ratio 2.ⁱ est, quia ex Conc. Lateran. qui officium non dicit, fructus suos non facit. — Si illud omittens animum habeat restituendi fructus beneficii, non peccat quidem contra iustitiam, sed peccat *contra religionem.* Ratio 1.ⁱ est, quia Ecclesia beneficium confert sub obligatione iustitiae, ut fructus non *faciat suos,* si non recitet, minime vero sub obligatione etiam iustitiae, ut recitet; quare obligatio officii non oritur immediate ex beneficio accepto, sed ex praecepto Ecclesiae, ratione beneficii imposito, ex motivo religionis. Ratio 2.ⁱ est, quia, ut constat ex modo dictis, duo sunt gravia praecepta: 1.ᵘᵐ, quo obligantur beneficiati ad officium, hic enim fuit finis Ecclesiae in istitutione beneficiorum; 2.ᵘᵐ, quo omittens officium, fructus restituat. — L. 145., l. 3. n. 663.

120. *An beneficiarius, omittens officium die uno, possit supplere die alio?* — *A peccato mortali* non excusatur, ut omnes docent, et constat ex cit. B. S. Pii V. — *Quoad restitutionem fructuum,* prima sententia, quam probabilem vocat Bonac., affirmat. Ratio, quia in tali casu iste iam rependit aequale, prout si capellanus omittat missam uno die, bene potest altero supplere. Secunda sententia communissima negat. Ratio, quia S. Pius V. C. *Ex proximo* sancivit, non facere fructus suos, qui horas canonicas « uno vel pluribus diebus *intermiserit* ». Ubi notandum non dixisse Pontificem *omiserit,* sed *intermiserit,* quo verbo satis significavit, non lucrari fructus, qui uno die officium intermittit, etiamsi die altero suppleat; quia, licet is dici possit horas non omisisse, nequit vero dici quod non intermiserit. — L. l. 3. n. 667., S. Th. Quodl. 3. a. 29.

121. *An omittens partem minorem quam integrae horae teneatur ad restitutionem?* — « Si partes omissae materiam gravem non constituant, commune est, nullam deberi restitutionem, ne sub veniali quidem, etiamsi fructus illi parti respondentes ad magnam quantitatem pertingerent ». L. l. 3. n. 668.

122. *An beneficiarius, officium omittens, restituere debeat omnes fructus?* — R. Sanch. Sot., etc. probabiliter dicunt, ex benigna interpretatione ipsos non teneri omnes fructus restituere; sed tantum eos, qui respondent ad onus officii omissi. Ratio, tum quia Bulla S. Pii sic recepta est, et sic explicata usu, utpote conformior aequitati naturali; tum quia durum videtur eodem modo obligari episcopos, parochos et capellanos, qui ferunt alia onera, ac simplices beneficiarios; quia isti omnes recipiunt fructus non solum pro officio, sed pro aliis etiam oneribus. L. l. 3. n. 673.

123. *An teneatur officium iterum recitare qui dubitat, an illud dixerit?* — Si dubium sit *positivum*, h. e. si ratio aliqua vel probabilis coniectura adsit, quod recitaverit, licet ratio etiam non desit pro opposito, non tenetur: nam probabiliter satisfecit, et stante probabilitate satisfactionis legis, lex *in casu* dubiae evadit obligationis. La-Croix 1235. 1237., et S. Alph. 150., qui hanc opinionem tanquam communissimam tradidit, plures pro ea citans theologos; sed postea ab hac discessit sententia. — Si dubium sit *negativum*, h. e. si nulla adsit ratio vel probabilis coniectura, tunc tenetur ad recitationem breviarii. Lex enim tunc prudenter dici non potest dubiae obligationis, cum nullum probabile motivum sit suadens eius satisfactionem. La-Croix l. c., L. l. c. In fine autem numeri citati hanc S. D. habet animadversionem, utilem ad praxim: « Si dubites, an totam horam dixeris vel non, censent Salm. quod, si saepius tali dubio labores, non teneris repetere, quia tunc facile praesumitur tale dubium oriri a scrupulis, secus si raro ». — Hinc, aiunt, bene excusaris a repetendo officio, si non memineris dixisse aliquid, et habeas iustam coniecturam credendi quod dixeris: puta, si recorderis te incepisse psalmum, vel lectionem aliquam, aut horam, et postea distractus ad finem psalmi, lectionis, horae deveneris, quin recorderis, an totum recitaveris: praesumptio enim tibi favet, quia soles integre recitare ea, quorum recitationem incepisti. Si vero deveneris ad aliquam horam, v. g. sextam, et dubites utrum praecedentem recitaveris, eandem tenere potes decisionem, quia non soles recitare horam posteriorem, nisi priorem praemiseris; prudenter igitur credere potes te nihil omisisse. La-Croix 1236., L. 150.

124. *Quo ritu sit officium recitandum?* — Horae canonicae recitari debent iuxta praescriptum *breviarii romani* iussu S. Pii V. editi; ita ut omnes ad horas obligati non satisfaciunt muneri suo, si alio breviario utantur, atque adeo beneficiatus non facit fructus suos. Cf. Suarez de Relig. T. 2. l. 4. de Hor. Can. c. 11. n. 3. 4. — Excipiuntur religiosi, qui habent peculiare breviarium ordinis; Ecclesia Mediolanensis, quae ritu Ambrosiano, et Capellae Toletanae, quae ritu Mozarabico utuntur; item Ecclesiae, quae 200. annis, ante institutionem breviarii per S. Pium V., peculiare habuerunt; quae vero possunt suum breviarium in romanum immutare, si episcopus et universum capitulum consentiat. Semel autem ac ea facultate usae sunt, romano breviario adstrictae remanent. Itidem

privilegium suum amiserunt, si quaevis additamenta aut immutationes in sua liturgia fecerunt. Potest autem episcopus in hisce Ecclesiis exceptis prohibere romani breviarii usum; si vero nullum adsit tale praeceptum, an quis privatim breviarium romanum recitare possit, controvertitur. Idem de *missali* dicendum. Id constat ex B. eiusdem S. Pii V. *Quod a nobis* 7. Jul. 1568. et ex C. *Ex proximo*, S. R. C. 10. Jan. 1852., 28. Aug. 1856. — Bouix de Iure Liturg. P. 4., L. 160., E. M.

125. *Nota:* 1.° Qui recitando B. Virginis officio non adstringuntur, non prohibentur ulla huiusmodi officii formula uti, modo latina sit; nisi legitima adsit consuetudo vulgari idiomate illud recitandi, S. R. C. 15. Jan. 1897. — 2.° Tum breviaria, tum missalia, aliique libri liturgici imprimi non possunt sine Ordinarii attestatione, qua declaretur concordare cum iis, qui Romae sunt impressi. Clem. VIII. Decr. *Cum in Ecclesia*, Urban. VIII. Decr. *Divinam psalmodiam.*

126. *An satisfaciant, qui recitant aliud breviarium, servatum ex consuetudine loci, inducta post tempus determinatum a S. Pio V.?* — R. Negative. S. R. C. 10. Jan. 1852.

127. *An sacerdos licentia episcopi indigeat ad breviarium romanum recitandum in praedicto loco, ubi aliud recitatur?* — R. Negative. Constat ex Resp. cit. S. R. C. — « Privatim, ait Busemb. apud. S. Alph. 160., omnibus etiam regularibus probabile est licere *ex consuetudine* uti romano, ut docent Less., Rodrig., Sa., Bon. ». Cf. n. seq.: excepta enim consuetudine, si qua sit, eadem ratio, in hoc casu, adesse videtur. L. 161. Cf. etiam A. S. S. V. 1. p. 240.

128. *An clerici, ad breviarium obligati, proprio dioeceseos uti teneantur?* — R. Affirmative, dummodo proprium illud a S. R. C. recognitum et approbatum fuerit. Ratio est, quia etsi concessio haec officiorum propriorum habeat rationem privilegii, omnes tamen privati privilegio toti communitati concesso uti tenentur. Excipitur, ut patet, casus, quo privati, virtute Indulti apostolici, possent proprio dioeceseos non uti.

129. *Daturne adhuc obligatio recitandi psalmos graduales, officium parvum B. M. V. et officium Defunctorum?* — R. Negative quoad clericos, qui officium privatim recitant. S. Pius V. C. *Quod a nobis* § 9., S. R. C. 2. Sept. 1741. — Negative etiam pro recitantibus officium in choro, nisi ubi adest consuetudo officia praedicta recitandi a tempore S. Pii V. S. R. C. 1. Sept. 1607., A. S. S. V. 29. p. 568. — L. 143., S. Th. Quodl. 6. a. 8., E. M.

130. *Nota:* Si haec duo omittantur, ubi adest legitima consuetudo, peccatum est; sed nulla restitutionis adest obligatio, cum non sit praecepta.

131. *An obligati ad officium, sub gravi recitare debeant officium Defunctorum in die Commemorationis omnium Defunctorum, necnon Litanias die festo S. Marci, et triduo Rogationum?* — R. Ad 1.um Affirmative, ut constat ex universali consuetudine. Hoc autem officium constat tantum vesperis, matutino et laudibus.

Ad 2.um Affirmative. Ratio est, quia in Rubrica post fer. 2. Dom. V. post Pascha sic dicitur: « Qui non intersunt processioni Litaniarum, dicant illas privatim post matutinum cum suis precibus et orationibus ». Verbum

autem *dicant* grave hic praeceptum importat; quia materia est gravis, et ubique viget consuetudo litanias recitandi his diebus. Consuetudo autem est optima legum interpres. — La-Croix 1290., L. 161., A.S.S.V. 1. p. 240., E. M.

132. *Quonam ordine sint horae canonicae recitandae?* — Duplex est ordo servandus in breviarii recitatione, scilicet ordo *officiorum* et ordo *horarum*. Ordo *officiorum* describitur in calendario festorum, et in rubricis pro illorum translatione, ubi plura simul concurrant. Ordo *horarum* ille est, qui in breviario exponitur, nempe ut recitetur primo loco *matutinum* cum *laudibus*, deinde subiungantur horae parvae, idest *prima*, *tertia*, *sexta*, *nona*, et tandem sequantur *vesperae* cum *completorio*. — Quoad Sanctos, de quibus horae canonicae recitandae sunt, officium recitandum est secundum *calendarium* propriae dioecesis, i. e., eius in qua quis domicilium vel residentiale beneficium habet. — L. 161., S. Th. Quodl. 1. a. 13., Quodl. 6. a. 8., E. M.

133. *Quid si quis aliud officium pro officio diei recitet?* — Qui *consulto* aliud officium pro alio recitat, siquidem et ritu plane diversum, et notabiliter brevius, non satisfacit; velut in die Palmarum officium Paschatis vel Pentecostes. Si non brevius quidem, sed ritu dumtaxat plane diversum, probabile est eum satisfacere, ut puta si in Natali Domini recitet officium de Passione; sed levi certe culpa non caret. Sin eiusdem ritus, sed notabiliter brevius, non satisfacit. Si ex utroque capite fere aequale, satisfacit, quamvis culpa item levi non careat; et hoc non solum si fecerit ter vel quater in anno, sed etiam si saepius, quae multorum sententia est, et satis probabilis. Immo neque leviter peccat, si id fecerit ex iusta aliqua causa, e. g. ex devotione, vel ut recitet cum socio; vel *inconsulto*, et tunc, si recitata modica officii parte animadvertat se errasse, in potestate sua erit vel inceptum vel proprium officium prosequi: sed melius est recitare proprium officium, ne in errore perseveret. Hinc, si officium quis, *consulto* vel *inconsulto*, recitaverit notabiliter brevius, supplere debet quod plus erat in proprio. Sive item consulto id quis fecerit, sive inconsulto, qua die deinde recitatum officium incidit, hoc idem iterum, probabilius, recitandum est, non illud quod omisit, ne bis erret. — Alex. VII. pr. d. 34.ª, L. 161., Lugo Resp. Mor. l. 5. D. 8., La-Croix 1237. 1250. 1255., E. M.

134. *Quale sit peccatum ordinem invertere in recitatione horarum?* — *In recitatione privata* nunquam excedit veniale, quia talis ordinis inversio gravem deformitatem non continet; ordo enim servandus non est, nisi sub praecepto secundario et tanquam circumstantia minoris momenti. Si autem ex aliqua iusta causa ordinem mutes, omni prorsus culpa carebis. Dicunt quidam, inversionem ordinis esse peccatum mortale, si frequenter fiat; sed *probabilius* negandum est cum S. Lig. 169. « Idem dicendum, si in eadem hora invertatur ordo ». L. 170. 161. in fin. Verum qui officii partes adeo perturbat, ut vix species officii supersit, non satisfacit. Suarez D. 11. C. 7. — *In recitatione publica*, controvertitur, utrum sit peccatum grave, necne, invertere ordinem aut mutare tempus horarum. Alii *affirmant*, si inversio vel temporis mutatio sit notabilis, nec adsit causa excusans. Ratio est, quia canones pluries repetunt, horas statutis temporibus esse recitandas. Clem. *Gravi* 1. *de Celebr. missar*. *Negant* vero

alii, quia huiusmodi circumstantia non pertinet ad praecepti substantiam, sed est mere accidentalis. Utraque sententia probabilis est; sed secunda probabilior, quia de gravi praecepto non constat. — L. 171.

135. *Quaenam sit causa horarum ordinem invertendi?* — Quaelibet causa rationabilis excusat. Possunt autem assignari sequentes, scilicet: 1.° Si inviteris ab amico ad aliquam horam cum ipso recitandam, et tu horam praecedentem aut praecedentes nondum recitaveris. 2.° Si mane non habes breviarium ad manum, nec commode possis exspectare, tunc posses ex diurnali, quod habes, recitare horas diurnas, postea matutinum recitaturus. 3.° Si non habeas lectiones ad manum, potes recitare psalmos matutini et laudum, imo et reliqua, dilatis lectionibus. 4.° Si venias ad chorum, hora iam incepta, potes pergere cum aliis, et postea quae omissa sunt, supplere. Item, si venias ad chorum una hora iam absoluta, potes cantare cum choro posteriorem, et postea supplere priorem. — La-Croix 1309. 1311., L. 170.

136. *An sit peccatum dicere matutinum diei sequentis ante absolutum officium diei praesentis?* — Est quidem peccatum, ait La-Croix 1315., sed veniale tantum, si absque causa fiat. Sed neque constat esse veniale, cum officium unius diei nullum ordinem habere videatur cum officio alterius diei. Iuxta sententiam autem, quae tenet esse peccatum veniale, sufficiens causa est incipiendi matutinum diei sequentis, antequam officium diei praesentis absolveris, si ab alio rogeris, ut matutinum diei sequentis cum ipso recites; et generatim omnis causa sufficiens ad inversionem ordinis inter horas eiusdem diei, sufficeret etiam in praesenti casu.

137. *An peccet, qui non recitat commemorationes iuxta ordinem per rubricam assignatum?* — Negant plures, quia rubrica illa mere directiva videtur, sicut eae, quae situm corporis, vel signa crucis respiciunt. Immo idem dicunt de ordine servando inter commemorationes in missa. Sed hoc saltem ultimum negandum est, quia, secundum probabiliorem et communiorem sententiam, omnes rubricae in missa servandae, sunt praeceptivae, ut dicit S. Lig. l. 6. n. 399., E. M.

138. *Qualis pronuntiatio esse debeat?* — Pronuntiatio debet esse *vocalis, integra, continuata. Vocalis.* Officium recitari debet voce, et quidem distincta; non autem sufficit ut sola mente legatur, aut tantum oculis percurratur; nec satis est, si recitetur gutture vel intra dentes. Ratio est, quia oratio proprie vocalis praecipitur; porro non censetur proprie vocalis, nisi voce distincta fiat. — *Integra.* Officium integre recitari debet non syncopando, linguave titubante abbreviando. Ad integritatem autem pertinent Pater, Ave, Credo, in principio et in fine horarum, prout in Rubricis adnotatur. Non tamen pertinent ad integritatem officii orationes, *Aperi Domine*, et *Sacrosantae;* sed solum ex consilio recitantur. — *Continuata.* Quaecumque notabilis interruptio intra unam horam, si absque ulla causa fiat, culpa non caret; sed peccatum veniale non excedit. L. 166.

139. *An recitans officium debeat se audire, ut satisfaciat?* — R. Negative probabilius. Ratio est, quia non praecipitur auditio, sed tantum recitatio, id est verborum pronuntiatio quae dicitur vocalis. Sufficit igitur, si ille, qui recitat, conscius sibi sit, se verba pronuntiare, et hoc dicit sat probabile S. Lig. 163.

140. *Quaenam sint causae iustae officium interrumpendi?* — Quaelibet causa rationabilis sufficit ad horam quamcumque interrumpendam. Agitur de rè *per se* levi. Quare sufficit: 1.° Quaelibet utilitas propria vel aliena, quae sine aliquo incommodo differri non possit. 2.° Ratio exsequendi mandata superiorum. 3.° Ratio urbanitatis vel caritatis, e. g. si excipienda sit confessio alicuius, qui non libenter expectet. 4.° Si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. g., ne obliviscaris, etc., modo tamen non frequenter fiat, quia frequens interruptio ob hanc causam aliqua irreverentia non caret. — L. 168.

141. *An matutinum separari possit a laudibus?* — R. Affirmative iuxta communem sententiam. Sic enim S. Lig. 167.: « Commune est, quod matutinum potest a laudibus separari sine ulla causa ». — E. M.

142. *An nocturni separari possint sine causa?* — R. Affirmative. Constat ex universali consuetudine, cui nulla lex opponi potest. Immo olim ex praxi Ecclesiae separabantur, cum in variis noctis horis recitari solerent. Immo dicunt non pauci, etiam sine causa speciali intervallum trium horarum interponi inter singulos nocturnos posse. Si autem adsit iusta causa, cuius gratia nocturni separari debeant, intervallum illud pro ratione illius causae protrahi etiam potest. — L. 167.

143. *An vel quomodo ille peccet, qui recitato uno vel altero nocturno in vigilia, reliquam matutini partem tota nocte interiecta recitat?* — *A peccato mortali* semper eximendus est, quia substantiae praecepti satisfacit. Ex generali enim regula, praecepti substantiae satisfit, quoties officium integre recitatur in die naturali, vel ecclesiastico, ita ut nunquam peccatum veniale tunc excedatur, quantacumque interruptio etiam sine causa intercedat. Ergo casus praesens excludi non debet. — *A peccato veniali* excusandus etiam ille erit, qui rationabili de causa id peragit, v. g. si officium sit valde productum, ut officium dominicae, et recitato primo nocturno sit valde defatigatus, vel somno obrutus, etc.; siquidem iusta de causa interruptio quaelibet licita est. — L. 168.

144. *An vel quatenus repetenda sit aliqua hora propter notabilem interruptionem interpositam?* — Hora integra nunquam est repetenda, etiamsi interruptio absque iusta causa interposita fuerit. Ratio, quia singuli psalmi, singulaeque lectiones vel orationes suam completam significationem habent, et satis uniuntur per intentionem continuandi. — Immo, per se loquendo, nihil est necessario repetendum, etiamsi interruptio in medio psalmo fiat, modo non sit in medio versiculo, vel in media oratione, quia etiam singuli versiculi suam particularem significationem habent. — L. 168.

145. *An in recitatione officii liceat aliquid ex devotione miscere vel apponere?* — R. Negative. Ratio, quia cum forma divini officii ab Ecclesia sit determinata et praescripta, nihil est addendum, detrahendum vel immutandum, nisi a Sede Apostolica fuerit concessum. — E. M.

146. *An tenearis repetere, quae recitasti cum imperfecta seu mutilata pronunciatione?* — R. Affirmative, si mutilatio sit valde notabilis, ita ut sensus verborum sit corruptus et destructus; idque valet, etiamsi involuntarie feceris, quia vitium substantiam recitationis afficit; excipe, nisi

obstet impossibilitas, v. g. balbuties. — Negative, si ita syllabas mutiles, ut sensus verborum non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate; culpa enim tunc non afficit substantiam obligationis, et proinde veniale non excedit. Immo nullo modo peccas, si hoc facias involuntarie ob inadvertentiam, vel balbutiem, aut inveteratam consuetudinem, quae difficulter vinci possit; ceterum ad hanc consuetudinem emendandam opportunum studium adhibeatur oportet.

147. *An ante laudes a matutino separatas dicendum sit* Pater *et* Ave, *ut ante alias horas?* — Alii affirmant absolute, quia tunc laudes sunt hora distincta a matutino. Alii negant probabilius, quia id nullibi praescribitur. Nec valet ratio, quod laudes tunc sint instar horae distinctae; nam Pater et Ave non dicuntur initio completorii, quamvis hoc sit hora distincta. — La-Croix 1305.

148. *Quonam tempore horae canonicae sint recitandae?* — Obligatio recitandi horas est affixa *diei*, ita ut nullatenus alia die ipsi satisfieri possit; idcirco obligatio ex mente Ecclesiae cum die sibi assignata cessat, atque adeo onus diei nuncupari solet. — Tempus ad integram officii recitationem adimplendam praefinitum incipit *a media nocte*, et *ad mediam noctem sequentem* terminatur, ita ut semper a peccato gravi sit eximendus quisquis intra hoc tempus integrum recitat officium, quacumque hora tali muneri satisfaciat. Ratio est, quia totum officium in die naturali recitando quoad substantiam satisfacit. — *Matutinum et laudes*, ex privilegio, consuetudine introducto, pridie sub vespere recitari possunt. Matutinum et laudes a sacerdotibus ante missae celebrationem recitari debent. Constat ex rubrica missalis, tit. 1. *de Praeparat. sac.*, ubi legitur: « Sacerdos celebraturus missam, saltem matutino cum laudibus absoluto », etc. — Omnes *horae parvae* tempore matutino recitari possunt; et duae quidem priores ante meridiem recitandae sunt; duae vero posteriores toto tempore tum matutino, tum vespertino dici possunt. — *Vesperae et completorium* a meridie usque ad mediam noctem recitantur. In quadragesima tamen a prima dominica vesperae *ante prandium* recitari possunt ob antiquam disciplinam, iuxta quam ieiunium ante vesperarum recitationem non frangebatur. Die tamen dominica vesperae anticipari non possunt, quia ieiunium ea die non servatur. — Olim sic horae recitabantur: matutinum post mediam noctem, laudes ad auroram, prima post solis ortum, tertia ad horam nonam matutinam, sexta ad meridiem, nona ad horam tertiam pomeridianam, vesperae ad solis occasum, completorium ad noctis crepusculum. — E. M.

149. *An horae parvae etiam ante auroram absque ulla causa recitari possint?* — R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia ex quo sublata est antiqua consuetudo horas illas tempore determinato recitandi, nulla alia lex vel nova consuetudo obligationem imposuit eas solum tempore auroram subsequente persolvendi. Immo graves theologi expresse asserunt, has horas toto tempore matutino, seu a media nocte ad meridiem, recitari posse. L. H. A. Append. 3. n. 74.

150. *An obligatio recitandi matutinum et laudes ante missam urgeat sub gravi?* — R. Negative, saltem probabilius. Ratio est, quia nulla est connexio inter officium et missam, et proinde recitatio matutini non vi-

detur dispositio ad celebrandum, cum sacerdos etiam aliter orando possit sese pie ad sacrum disponere; nec apparet gravis obligatio ex rubrica supra relata, neque sub gravi generatim apprehenditur. L. l. 6. n. 347., l. 4. n. 171., Bened. XIV. C. *Etsi pastoralis* 18. Iun. 1742., de Sacr. Missae l. 3. c. 13. — Grave tamen esset, ex communi sententia, canere missam conventualem et solemnem, antequam matutinum in choro dicatur, nisi gravis et publica causa, remoto scandalo, intercedat. Ratio, quia talis est recepta consuetudo in omnibus Ecclesiis. Quare secus agendo graviter laederetur publicus Dei cultus, bonum commune et conveniens Ecclesiae regimen praeter scandalum populi. L. l. 6. n. 348.

151. *Quaenam causa a levi obligatione, in praecedenti casu, excusare possit?* — S. Alph. communius et probabilius, ait, adesse in omissione illius recitationis venialem culpam. — Ab ea autem excusabit quaelibet mediocris causa rationabilis, v. g., si tempus celebrandi advenerit, nec possit differri celebratio sine aliquo incommodo; si maior studii commoditas, vel maior utilitas ex studiis percipienda hoc expostulet; si quod negotium inexspectatum advenerit. — L. ib.

152. *Quanam hora liceat incipere recitationem matutini vespere diei praecedentis, iuxta privilegium supra relatum?* — Licet incipere quando sol medium cursum inter meridiem et occasum tenet. Tunc enim incipit dies ecclesiasticus, qui iuxta omnes a vesperis incipit, et ea hora priores vesperae decantari solent. — L. 174.

153. *An debeat iterari recitatio matutini, si ante tempus praedictum habita fuerit?* — R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia breviarium est onus diei; ergo ipsa die assignata recitari debet. Porro, si fiat praedicta anticipatio, iam extra diem recitatur officium, haud secus ac si recitarentur horae parvae diei sequentis ante mediam noctem. Ita communius cum S. Lig. 174. Oppositam tamen sententiam plures et graves tenent doctores, veteres et recentiores, eique ipsemet S. Alph. fatetur se olim adhaesisse. Haec autem opinio probabilitate sua non videtur carere, usquedum aliquo S. C. Decreto definiatur; cum de re positiva hic agatur, quae maxime a communi praxi et consuetudine pendet. Si ecclesiastica dies ex ipso S. Alph. et ex S. Th. post vesperas incipit, quae ex praesenti vitae usu hora circiter secunda a meridie dici solent, cur tunc matutinum et laudes recitari non possunt? Si quis igitur matutinum recitaverit post horam quidem secundam a meridie, sed ante tempus rubrica praefixum, ut aliquando ex errore fieri solet, ab iterando breviario excusari posset. — S. Th. Quodl. 5. a. 28., La-Croix 1314., Giribaldi 192.-194., D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 150. 178., Gur. Baller. 64., E. M.

154. *An matutinum officii Defunctorum et litaniae pro festo S. Marci et diebus Rogationum, pridie vespere recitari possint?* — R. Ad 1.ᵘᵐ Affirmative. Constat ex universali consuetudine, et ex rubricis, ubi sic habetur: « Dicto Benedicamus Domino, absolute incipit matutinum Defunctorum ». Ergo, cum matutinum octavae festi Omnium Sanctorum soleat aut certe possit anticipari, consequenter etiam anticipari potest matutinum Defunctorum. L. 174.

Ad 2.ᵘᵐ Negative. Ratio est, quia litaniae per se non videntur coniungi cum matutino et laudibus, sed sunt quid omnino distinctum. Prae-

terea, si festum S. Marci transferatur, non debent transferri litaniae; ergo stricte matutino non inhaerent, immo nullam connexionem cum illo habent. Demum recitantur loco assistentiae ad processionem, quae assistentia omnino diei est affixa. L. 174., D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 147.

155. *An praevidens impedimentum pro recitatione officii ipsa die obligationis, teneatur recitare matutinum et laudes vespere vigiliae?* — R. Negative. Ratio est, quia licet matutinum et laudes vi privilegii recitari possint pridie, non tamen debent. Generalis regula est, neminem ad utendum privilegio aliquo teneri. Ergo obligatio stricta non urget ante mediam noctem sequentem. Quare, stante impedimento a media nocte ad mediam noctem, tollitur obligatio. Valde tamen convenit, ut recitatio anticipetur.

156. *Quanam hora incipi possit recitatio vesperarum mane tempore quadragesimae?* — Regula generalis est, ut vesperae privatim recitari possint eadem hora, qua in choro recitari solent. Porro in choro recitari debent post missam conventualem et nonam. Hora autem missae conventualis a consuetudine locorum pendet. Possunt ergo ab hora undecima circum circiter recitari. Ceterum nulla adest obligatio vesperas recitandi ante meridiem tempore quadragesimae, sed est merum privilegium, quo nemo uti tenetur. Completorium praedicto privilegio non gaudet; unde omni tempore post meridiem recitandum est.

157. *Nota:* « Ut quis licite possit *anticipare* vel *postponere* debitum tempus horarum, sufficit quaevis causa utilis vel honesta, nimirum concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris, maior devotio sive quies, tempus aptius ad studendum, et simile ». L. 173.

158. *An in choro sit gravis obligatio recitandi officium ordine debito et statis horis?* — R. Probabilius negative. Ratio, quia huiusmodi circumstantia temporis vel ordinis non pertinet ad substantiam praecepti, sed est quaedam caeremonia accidentalis. Neque vero constat de gravi praecepto super hac re imposito. L. 171.

159. *Quid servandum, quoad locum et situm, in officii recitatione?* — *Quoad locum.* Officium chori in ipso loco ad hoc destinato, seu in choro vel in ecclesia recitari debet. Officium vero, si recitetur privatim, dici potest in omni loco decenti, sive in oratorio, sive domi, sive rure, aut etiam in via deambulando, aut iter agendo, dummodo locus attentioni requisitae sit congruus et devotionem non impediat. — *Quoad situm.* Privatim recitari potest officium omni situ decenti, sive genibus flexis, sive stando, sive sedendo, sive deambulando. Ita praxis universalis, et omnes theologi. — L. 179.

160. *Nota:* Qui ad *chorum* tenentur, possunt ex iusta causa recitare in sacristia, L. 143., vel in alio loco extra ecclesiam. L. l. 3. n. 675.

161. *An liceat recitare officium decumbendo in lecto?* — R. Negative, seclusa rationabili causa: talis enim situs aliquam sapit irreverentiam. Idem etiam dicendum est de quolibet alio eiusmodi situ. Attamen haec irreverentia peccatum veniale non excedit, a quo quaevis causa mediocris excusat, v. g., infirmitas, defatigatio, vel si quis nocte dormire nequeat, officium recitare posset, quin surgere teneretur. — L. 179.

162. *An liceat officium recitare in curru vel equo?* — R. Affirmative. Ratio est, quia id nulla lege prohibetur; nec aliunde obstat attentioni, nec reverentiae orationi debitae, etiamsi alii essent itinerantes et simul confabulantes. Id obtinuit generalis etiam piorum consuetudo.

163. *An sit culpa non servare rubricam, ex qua preces quaedam genibus flexis sunt recitandae?* — R. Negative, si agatur de recitatione *extra chorum;* quippe ex consuetudine, et communi interpretatione, haec rubrica solum chorum respicit. Idem dicendum de aliis signis in choro usitatis. Haec quidem laudabiliter fiunt in privata recitatione, sed citra culpam omittuntur. — Si agatur de recitatione *in choro*, controvertitur. Alii enim rubricam hac in re habent uti praeceptivam, alii uti directivam. Attamen talis omissio nunquam culpam venialem excedere potest. — L. 179.

164. *An sit peccatum breviarium recitare in loco indecenti?* — Probabilius negandum per se videtur, nisi locus attentioni debitae obesset, v. g., ob populi frequentiam, strepitum, etc.; secus enim indecens foret orare in loco indecenti, quod falsum est, siquidem, cum Deus sit ubique, etiam ubique orari et adorari potest, 1. Tim. 2., 8., L. 179., La-Croix 1320.

165. *An et qualis intentio et attentio requiratur in recitatione officii? Intentio* est volitio faciendi aliquid; *attentio*, mentis applicatio ad id, quod agitur. — Intentio alia est expressa, alia implicita. *Expressa* est, qua quis ab initio breviarium sumens dicit: volo orare. *Implicita* vero, qua id non dicit quidem actu, sed id virtualiter intendit, dum vult recitare horas canonicas iuxta Ecclesiae praeceptum. — Insuper intentio alia est *actualis*, quae est, alia *virtualis*, quae fuit et in aliquo effectu perseverat, alia *habitualis*, quae pariter fuit, sed in nullo effectu permanet. — Attentio item alia est *externa*, quae nempe excludit omnem externam actionem, physice incompossibilem cum eo, quod agitur; alia *interna*, quae consistit in interiori mentis advertentia ad id quod agitur. — Rursus attentio interna triplex est, scilicet: 1.° spiritualis, quae est ad Deum ipsum, ut orationis terminum; 2.° litteralis, seu ad sensum verborum, et rerum significationem; 3.° materialis, quae fit ad verba tantum, seu ad ea rite proferenda. — L. 176., S. Th. 4. Dist. 15. q. 4. a. 2. Sol. 5.

Intentio necessaria est, quia officii recitatio *actus humanus* est, qui sine intentione esse non potest. « Circa *intentionem*, certum est non requiri intentionem *actualem explicitam*, sed sufficere *virtualem implicitam*, nimirum, si de more breviarium accipias, ut officium impleas, uti soles, ut communiter docent Sanch., etc. Immo recte addit Croix, non esse opus renovare intentionem ad singulas horas, etsi aliqua interruptio intercedat, etiam sine causa; quia illa resumptio fit ex prima intentione: immo puto semper adesse exercite intentionem actualem implendi officium ». L. 176.

Circa *attentionem*, ad satisfaciendum substantialiter praecepto officii non requiritur alia attentio interna, praeter attentionem ad rite omnia pronuntianda, et satis probabiliter sufficit *intentio* recitandi, cum *attentione externa.* Ratio est, quia attentio interna non est de essentia orationis: quare attentio externa, coniuncta cum intentione recitandi, efficit, ut recitatio horarum fiat quoad substantiam vera oratio. Et ita docent quam plures et graves dd. Lugo De Euch. D. 22. n. 25. seqq., L. 176. 177., S. Th. 4. Dist. 15. q. 4. a. 2. Sol. 4. ad 2. — Ceterum ad scrupulos abiiciendos valde

refert adnotare id, quod communiter dd. ipsi, qui requirunt attentionem internam, docent, nempe « quod ut dicatur aliquis officio non satisfacere, non solum requiritur, ut *voluntarie* se distrahat, sed etiam ut *plene advertat,* se distrahi, nam alias iste, licet sponte se divertat, non tamen sponte se divertit a recitatione ». L. 177.

166. *An mortaliter peccet qui recitat horas exsistens in mortali?* — R. Negative. Ratio, quia recitatio officii non est actus ordinis sacri, et quamvis iste nihil sibi impetret, cum tamen oret nomine Ecclesiae, bene potest obtinere pro aliis. Quod autem oret nomine Ecclesiae in mortali exsistens, non videtur irreverentia de mortali damnanda. Et si ex devotione oret, nec videtur de peccato ullo damnandus. L. 178.

167. *Quaenam sint causae excusantes a recitatione horarum?* — Sunt: *impossibilitas; caritas; dispensatio.*

Impossibilitas, sive physica, sive moralis, quae consistit in gravi difficultate officium recitandi. Hinc excusatur: 1.° Qui non habet breviarium, quia, v. g., illud, iter suscipiendo, oblitus est, aut in itinere perdidit, cum impotentia aliud comparandi. Si tamen culpa sua oblitus fuerit aut perdiderit, aut proiecerit, graviter vel leviter peccavit, prouti omissionis causa graviter vel leviter culpabilis exstitit, et omissio horarum pro gravitate culpae admissae ipsi imputanda est. « Si haberes officium commune, et non proprium illius diei, teneris ex communi horas recitare ». L. 158. — 2.° Qui gravi morbo laborat, v. g., febri, dolore intestinorum vel capitis, vel oculorum; vel qui iuste timet, ne ex recitatione grave subsequatur incommodum, etc. Unde satis excusatur, qui prudenter credit vel timet, ne ob officii recitationem ei notabilis gravedo capitis; vel cruditas stomachi, aut virium lassitudo, aut aliud grave incommodum inde proveniat. Qui vero non potest recitare ob *oculorum caecitatem,* non tenetur horas memoriter addiscere, quia hoc esset medium extraordinarium. — 3.° Convalescens ex gravi morbo per aliquot dies excusari potest ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. « Et hoc probabiliter admittitur, etiamsi infirmus per magnam diei partem aliquem legeret librum ad animum solandum. Ratio, quia licet iste posset legere librum recreationis, non tamen sequitur quod possit, et teneatur officium recitare, ad quod alia quidem maior attentio requiritur, quae maiorem affert difficultatem ». L. 154. Idem dicendum etiamsi infirmus sacrum forte faceret, cum aliis sermones consereret; quia his levatur morbus, horarum vero recitatione ingravesceret. — 4.° Excusatur etiam, qui tempore persecutionis timet, ne ex recitatione breviarii prodatur. — L. 154. 156.-158.

Caritas erga proximum, id est gravis occupatio, quae sine scandalo aut notabili detrimento proximi omitti nequeat. Talis occupatio excusat a recitatione officii, quia praeceptum naturale caritatis praevalet legi ecclesiasticae. Hinc excusaris sive totaliter sive partialiter: 1.° Si sub nocte officium, v. g. vesperas, recitaturus advoceris statim ad moribundum, neque ad officii obligationem persolvendam tempus vel commoditas tibi suppetat. — 2.° Si tota die occuperis in excipiendis confessionibus, quae ob peculiares circumstantias differri non possint, v. g., in sacris missionibus. — 3.° Si concionem sine scandalo aut famae detrimento omittere non posses, nec tamen eam praeparandi suppeteret tempus, si recitandum esset officium.

— 4.° Si occuperis tota die in sedandis iurgiis, aut assistendis infirmis, v. g., tempore morbi contagiosi, etc. L. 156.

Dispensatio legitima, seu a legitimo superiore concessa. Obligatio enim divinum officium recitandi, cum sit de Iure ecclesiastico, a superioribus ecclesiasticis tolli potest. — *Papa* hanc dispensationem concedere potest valide in omni casu, etiam sine causa; licite autem ex causa rationabili, v. g., ob nimiam occupationem, ad scrupulos sedandos, etc. — *Episcopus* etiam dispensare potest ab hac lege, sed non valide sine causa sufficienti, et tantum cum aliquo in particulari ad breve tempus, scilicet: 1.° quando difficilis est recursus ad Papam; 2.° quando dispensatio petitur ob causam, quae frequenter recurrit, v. g., ob infirmitatem; 3.° quando dubitatur de impotentia morali, aut de gravitate detrimenti metuendi. L. 159.

168. *Quid agendum in dubio, an infirmitas sufficiat ad excusandum, necne?* — Potest infirmus se committere iudicio medici, C. *Fraternitatis* 6. *de Frig. et mal.* Potest acquiescere iudicio superioris, qui in dubio etiam dispensare valet. Potest se remittere iudicio probabili viri prudentis. Immo probabiliter potest etiam stare proprio iudicio, si tale iudicium ipsemet ferre possit. — L. 154.

169. *Ad quid teneatur infirmus, si certus sit se integrum officium persolvere non posse, dubitet vero, an partem recitare valeat?* — Probabiliter ad nihil tenetur. Rationabiliter enim a toto officio excusatur, ne scrupulis angatur, nesciens quousque possit ac teneatur recitare; quae quidem anxietas magnum nocumentum ipsi afferret. L. 154. in fine.

170. *An utcumque impeditus a recitando integro breviario, teneatur ad partem, quam recitare potest?* — R. Affirmative. Ratio patens est. Obligatio enim breviarii cadit in singulas eius partes, cum res praecepta sit divisibilis. Constat etiam ex pr. 54.ª d. ab Innoc. XI. Igitur qui caret breviario, et nihil aliud scit memoriter, quam laudes vel completorium, ista sub gravi recitare tenetur. — L. 158., E. M.

171. *An tenearis ad psalmos recitandos, si hos tantum prae manibus habeas, vel scias memoriter, relictis lectionibus cum responsoriis?* — R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia cum possis partem notabilem officii recitare, nulla est causa, cur ab ea excuseris. Plures vero dicunt, te ad nihil teneri, quia tunc deficit forma a S. Pio V. praescripta. Nec obstat cit. pr. 54.ª d. ab Innoc. XI., quia in illa agitur de eo, qui horas integras absolvere potest. Sequens regula traditur a S. Lig. et aliis: Si potes recitare quantum est parva hora, teneris sub gravi id recitare: si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars, seorsim sumpta, non censetur aestimabilis ad finem a lege intentum. — L. 153., La-Croix 1220.

172. *An tenearis socium adhibere, si non valeas solus horas recitare?* — R. Affirmative, si facile eum invenias. Ratio est, 1.° quia tunc non datur proprie dicta impotentia; 2.° quia praecepta Ecclesiae requirunt diligentiam ordinariam ad sui adimpletionem; ac nullum medium est magis ordinarium, quam socium in recitatione adhibere. L. 158.

173. *An tenearis adhibere socium, stipendio soluto, si alium commode non invenias?* — R. Negative. Ratio est, quia medium est omnino ex-

traordinarium, et etiam incommodis plenum est: unde ad illud Ecclesia non censetur obligare. Immo si prompte non occurrat socius tecum gratis recitaturus, non teneris aliquem cum anxietate et sollicitudine quaerere, quia et hoc evaderet medium extraordinarium. Idque etiam, saltem probabiliter ex ipso S. Alph. 158., pro beneficiario valet.

II. — DE OBLIGATIONIBUS NEGATIVIS CLERICORUM

174. *An liceat clericis arma gestare?* — Gestatio armorum, *seclusa necessitate*, cleri is *iure canonico* prohibetur. C. *Clerici* 2. *de Vita et honest. cler.* Ratio, quia gestatio armorum dedecet characterem clericorum, qui ad exemplum Christi esse debent mites et humiles corde. Unde dicunt theologi cum Bened. XIV. Not. 101., peccare graviter clericos in sacris, qui militiam amplectuntur. Non tamen reprehendendi sunt, qui bello iusto cooperantur consilio, adhortatione, vel etiam auxilio, et si temporalem habeant iurisdictionem, possunt bellum indicere, exercitum conscribere, arma praebere; modo arma non gerant, nec officio ducis fungantur. — *Seclusa necessitate;* quia necessitas legem non habet. C. *Dilecto* 6. *de Sent. excomm.* in 6.° *Iure Canonico;* id enim iure divino non repugnat. Hinc etiam sacerdotes pugnabant in Lege Veteri 1. Machab. 10. — Suarez de Censur. D. 47. S. 6., Lugo Resp. Mor. l. 5. D. 14., S. Th. 2. 2. q. 40. a. 2., E. M.

175. *An piscatio et venatio clericis prohibeatur?* — Licita est *piscatio,* utpote quae natura sua sit omnino quieta, nec ullibi legatur proscripta. — Interdictae vero sunt *venationes* frequentes et clamorosae, quae nempe fiunt magno apparatu hominum, canum, accipitrum, retium, armorum. Si raro fiant, carent culpa gravi; si quietae sint, licent nisi positive prohibitae sint ab Ordinario; sed ut armis exerceri possint, licentia Ordinarii opus est. C. 1. *de Cler. ven.*, C. 1. *Ne cler. vel mon.*, Trid. S. 24. C. 12. de R., Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 10. n. 6.-10., L. l. 3. n. 606., S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2.

176. *An ludus alearum clericis prohibeatur?* — Ludus alearum dicitur, qui totus situs est in pura sorte, et cuius exitus a mero casu pendet, quin ludentis industria partem ullam in eo obtineat: talis est, v. g., ludus talorum. — Quoad inferiores clericos communiter dicunt dd. id positive non prohiberi, quia quoad ipsos, saltem ex consuetudine, canones derogati sunt, sicut quoad laicos. — Prohibetur vero clericis, in ordinibus maioribus constitutis, et beneficiatis. Constat 1.° ex iure naturali, quia, *per se loquendo,* clericum dedecet, et scandalum affert; 2.° ex iure canonico. Conc. Later. IV. can. 16., Trid. S. 22. C. 1. de R. — Bened. XIV. de Syn. l. 10. c. 2. n. 2., l. 11. c. 10., L. l. 3. n. 884. 895.

177. *An graviter peccent clerici aleis ludentes?* — Si agatur de aleatore publico, consentiunt omnes peccare graviter, si in magna quantitate aleis ludat, aut in modica, modo tamen ludus sit non solum *frequens,* sed etiam *per longum tempus.* Ratio est, quia ludus alearum notabiliter dedecet statum clericalem, animum nimis avocans a divinis. *Frequens, per longum tempus.* « Qualis sit haec frequentia mortalis? Bordon. putat

esse ludere semel in hebdomada, sed Roncaglia merito id putat nimis rigidum. Immo Less. et Wigandt sentiunt non damnandos de mortali clericos ludentes ad breve tempus, etsi crebro, recreationis causa, nisi propria statuta dioecesis id prohibeant ». — L. l. 3. n. 896.-898.

Ratio praeterea *scandali* attendenda hic est, et *consuetudo*. Quare pensanda est « qualitas personae, an sit magni vel parvae aestimationis; clerici enim, qui vitam non tam exemplarem ducunt, revera grave scandalum non ingerunt, si etiam frequenter aspiciuntur in talibus ludis versari, modo propria ministeria non negligant; immo nec ullum praebent scandalum, si mere recreationis causa id faciant. Et hos vere dici potest excusari ab hodierna et universali consuetudine, quae certe differt ab illa antiqua arcta primitivae Ecclesiae disciplina ». L. l. c. n. 900. — « Non peccare graviter clericos, qui raro, moderate, et privatim sine scandalo aleis ludunt. Imo probabiliter nec venialiter, si ludant recreationis gratia in loco, ubi praefati canones non rigide observantur ». L. l. c. n. 899.

Quoad *religiosos*, ipsi propter eorum statum, et scandalum aliorum, facilius possunt graviter peccare aleis sive taxillis ludendo. Attamen, praeciso scandalo, et praecepto in contrarium, religiosi etiam excusantur a mortali, si ludant in modica quantitate, vel non frequenter; iique a veniali quoque excusantur, si faciant ob rationabilem causam, puta ad solandum infirmum aut socium tristem. Immo id licitum est etiam, recreationis causa, et debita moderatione, ubi approbata consuetudine permittitur. L. l. c. n. 872. 873.

Quoad *episcopos*, isti, si ludunt aleis, cum hoc valde dedeceat statum episcopalem, vix possunt excusari a mortali. « Episcopum, ait S. Alph. l. c. n. 902., ludentem ludo merae sortis etiam semel, difficulter puto excusari posse a scandalo gravi: sicut etiam censeo, si frequenter versentur in aliis ludis chartarum non omnino fortuitis ». — L. l. c. n. 898.-902., S. Th. 2. 2. q. 168. a. 3.

178. *An quilibet chartarum ludus censeatur aleatorius?* — Chartarum ludus alius est purae sortis et omnino aleatorius; alius vero mixtus, partim aleatorius, partim a peritia et industria ludentis pendens. De priori idem dicendum est quod supra de aleis. Verum cum ex praesenti consuetudine antiquorum *canonum* prohibitio valde temperata videtur, ratio *scandali* potius attendenda est in praxi. Posterius vero ludi genus non est habendum ut illicitum, si absit ratio scandali et specialis lex prohibens illud; ludus enim aleatorius proprie non est.

179. *An peccent mortaliter clerici aut religiosi, qui assistendo aspiciunt ludentes aleis?* — « Hoc quidem prohibetur C. *Clerici* 15. *de Vita*, etc., ubi eis praecipitur, *ne huiusmodi ludis intersint*. Communiter tamen negant dd. in hoc ipos peccare mortaliter, nisi essent causa ludi mortalis, vel negligenter lusores corrigerent, vel nisi de tali ludo, quatenus mortali, se complacerent; secus si assisterent causa tantum se delectandi de industria vel fortuna ludentium... Episcopi autem his lusibus ex proposito et frequenter assistentes difficulter etiam excusari possunt a peccato scandali gravis ». L. l. 3. n. 903., Sanch. Cons. Mor. l. 1. c. 8. D. 29.

180. *An peccent mortaliter clerici assistentes agitationi taurorum?* — S. Pius V. motu proprio 1. Nov. 1567. eam omnibus prohibuit et censuras

tulit. Gregorius XIII. 25. Aug. 1575. alio motu proprio moderatus est priorem. Tandem Clem. VIII. 3. Jan. 1596. adhuc magis moderatus est motum proprium S. Pii V. Gutierrez apud Sanchez, Cons. Mor. L. l. c. 8. D. 31., docet per Const. Clem. non esse ablatam prohibitionem assistendi taurorum agitationi, clericis saecularibus, in sacris constitutis vel beneficia obtinentibus factam. Verum non satis constat ex Pontificis verbis. Attamen S. Poenit. 19. Sept. 1893. respondit, non posse tolerari, quod sacerdos, vi etiam consuetudinis circo adsit. Regulares vero ab ipso Pontifice positive et clare excepti sunt a sua limitatione, adeoque interesse prohibentur. — Villada Cas. etc. P. 1. p. 344., S. Th. 4. D. 16. q. 4. a. 2. q. 3., E. M.

181. *Quid de ingressu in cauponas; de choreis et comoediis; de habitatione cum mulieribus?* — *Ingressus in popinas* et *tabernas* extra necessitatem clericis omnino vetatur, C. *Clerici* 15. *de Vit. et honest. cler.* Et sane hoc nimium opponitur clericali modestiae et gravitati.

Choreis tam *publicis* quam *privatis*, et *publicis comoediis* interesse clericos passim sub obedientiae praecepto prohibent, post Trid. S. 22. C. 1. de R., S. 24. C. 12. de R., Synodi omnes, ut notat Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 10., tum propter grave status clericalis dedecus, quod inde solet exoriri; tum ob periculum, cui exponitur clericalis vitae sanctitas, tum ob laicorum grave scandalum. L. l. 3. n. 427. 429. — Hoc tamen non prohibet, quominus, honestae recreationis et exercitationis causa, clerici eas agant repraesentationes vel iis intersint, quae in communitatibus habentur, servatis tamen modestiae ac temperantiae regulis. — Quaedam etiam sunt publica spectacula, quae ita clericos dedecere non videntur, ut militum exercitationes, cursus equorum, ferarum septa, gesticulatorum praestigia, extraordinarii conventus musici, etc. Hic res tota est diiudicanda ex natura ipsius rei, ex usu regionis, ex loco, ex frequentia, ex qualitate personae, et similibus. — Atque hic advertendum prohiberi etiam in Ecclesiis vanas musicas et lascivas, minime vero pias, quae sua harmonia ad devotionem possunt excitare. Trid. S. 22. *de Observ. et vit.* etc., Bened. XIV. Ep. enc. *Annus qui*, 21. Febr. 1749. §. 3. seqq. Not. 37., S. R. C. 6. Iul. 1894.

Habitatio sub eodem tecto *cum mulieribus* clericis prohibita est; nisi isti illis indigeant, et illae sint omnis suspicionis expertes. Eiusmodi esse praesumuntur consanguineae in 1.° et 2.° gradu, et affines in 1.°; non item in 2.°, nisi alter alteri reverentiam debeat, ut patrui aut nepotis vidua; neque pariter extraneae, nisi et probatae virtutis sint, et *regulariter provectae* aetatis; quae omnia in aestimatione Ordinarii esse debent. *Provectae*, h. e. saltem quadragenariae esse debent. *Regulariter;* nam licet cum iunioribus cohabitare, uxoribus famulorum suorum, vel ancillis aut pedissequis eorum, qui de familia sunt. C. 1. 9. *de Cohabit. cler.*, C. 27. D. 81., Trid. S. 22. C. 4. de R. Ratio est periculum lapsus et scandali. — Bened. XIV. Inst. 82. 83., De Syn. l. 11. c. 4. n. 7., Pirhin. l. 3. t. 2. n. 2. 3., Reiff. l. 3. t. 2. n. 8., E. M.

182. *An liceat clericis negotiatio?* — *Negotiatio proprie dicta* clericis *constitutis in sacris*, et religiosis omnibus, est interdicta; ita ut graviter peccent, si *multam negotiationi dent operam.* Trid. S. 22. C. 1. de R., C. 15. 16. *de Vit. et honest. cler.*, C. 1. 3. 6. *Ne cler. vel monach.*, L. l. 3. n. 831., S. Th. 4. D. 16. q. 4. a. 2. q. 3.

Negotiatio proprie dicta est, cum quis emat rem eo animo, ut integram et *non mutatam, carius vendendo* vel *permutando* lucretur. Can. 3. caus. 14. q. 4., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 4. *Proprie dicta* seu *lucrativa;* solet enim distingui etiam *oeconomica,* qua emuntur necessaria ad sustentationem, et superflua venduntur; et *artificialis,* qua aliquid emitur, ut vel *naturaliter,* vel per *propriam industriam* mutatum vendatur. Harum neutra *per se* prohibita est. Si vero res, *aliena industria,* vel *conductis operariis,* immutetur, parum sane a negotiatione distat. Si item res *publica officina* vendantur, id etiam statum dedecet clericalem. Cf. Bizzarri Ed. 1885. p. 338. *Constitutis in sacris;* etenim communis est sententia, non prohiberi negotiationem clericis in minoribus. Dubitatur autem, an vetetur beneficiatis in minoribus? Negant Molina, etc. Sed melius tenendum oppositum cum communi sententia, quam tenent Lugo, etc. L. l. c. — *Multam negotiationi dent operam;* nam non peccat graviter clericus bis vel ter exercens negotiationem non turpem, nec in magna quantitate, quia iura loquuntur *de exercente.* Hinc, etiamsi semel vel iterum tantum in materia gravi negotietur, nec etiam peccare graviter, probabiliter tenent Caj., Salas, etc. L. l. 3. n. 831. — Ut *negotiatio* clericis vetita sit, requiritur animus *vilius emendi,* ut *vendatur carius;* unde licet eis vendere carius, ut emant vilius. L. l. c. 836.

Benedictus XIV. B. *Apostolicae servitutis* constituit, poenas inflictas adversus clericos negotiatores extendi etiam debere ad clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per seipsos, ac proprio nomine negotia ipsa illicite exercerent. Poenae hae sunt ferendae sententiae quoad clericos et monachos. Quoad missionarios vero Indiarum Orientalium et Americae, quibus negotiatio et mercatura gravius interdicitur, poenae ab his ipso facto incurruntur ex C. Urbani VIII. *Ex debito,* 22. Febr. 1633., Clem. IX. *Sollicitudo pastoralis officii,* 17. Jun. 1669., et Resol. S. O. 6. Mart. 1817. Cf. 1218. — Clemens XIII. B. *Cum primum,* rursus prohibuit clericis, ne per personas interpositas negotientur; ac praesertim ne cambium activum per alios exerceant, partes nempe agant campsoris; addens quod si adsit familiae necessitas, vel si negotium obveniat aliquo titulo a laicis, clericus adhuc negotiari non possit sine Sedis Apostolicae, in Italia, extra, sine episcopi licentia. Praeterea addit, quod si de aliquo contractu exoriatur dubium, an licite possit a clerico iniri, « expeditissimam esse viam scribendi ad S. Congr. Conc., quae dubium decernet ». L. l. c. 832. 833. Verum, ex receptis moribus, si clericus in negotiis huiusmodi patri successerit una cum fratribus ea per alios exercere permittitur. Nulla item opus est venia, si quis negotietur ad comparanda sibi necessaria *vitae,* et non tantum *statui.*

Certum est non esse licitum clericis vel religiosis *conducere* res laicorum, lucri faciendi gratia. Ratio, quia quamvis haec *proprie* non sit negotiatio, sed quaedam tantum negotiationis species, vetitum tamen est a Conc. Chalcedon. C. *Pervenit* l. cau. 21., C. l. *Ne cler. vel mon.* Adeoque ex his pascuis oves, sues, etc., saginare non licet, Lugo De Iust. D. 26. n. 29., nisi alicubi contraria consuetudo vigeat, L. l. 3. n. 835. *An vero.* — *Conducere;* nam qui conductori succedit retinere poterit. Fagnan. in C. 1. n. 81. *Ne cler. vel mon.* — Nullo iure vetitum est clericis *mutuum* aliis dare. — La-Croix l. 3. P. 2. n. 1005. 1006., Molina D. 339. n. 2., L. l. c. 834., S. Th. 2. 2. q. 77. a. 4. ad 3., E. M.

183. *Resolves:* Non est negotiatio ecclesiasticis, vel religiosis prohibita, si emant pecora, quae pascuis suis saginata vendant, quia vendunt fructus suorum praediorum, vel agrorum; uti nec si greges alant, ut foetus, lac, lanam vendant. Nec peccat clericus: 1.° Si emat agrum cum fructibus iam maturis, illosque vendat; quia vendit fructus agri sui. 2.° Si id, quod ad proprios usus emerat, postea, vel quia non indiget, vel mutato consilio, carius vendat. 3.° Licitum etiam *per se* est clericis emere ferrum, ad vendendos gladios; colores, ad vendendas picturas; lanas, ad vendendum pannum, modo tamen ipsi haec conficiant, non autem per operarios conductos, quia aliter hoc valde accederet ad negotiationem, itemque modo haec ipsi non vendant in publica officina, quod indecorum esset. — L. l. c. 834. 836., E. M.

184. *An liceat clericis res Ecclesiae alienare?* — Paulus II. in Extrav. *Ambitiosae de Reb. Eccl. non alienand.*, prohibet sub gravibus poenis alienari *bona immobilia*, et *mobilia pretiosa Ecclesiae*, *quae servari possunt;* atque alienationem omnino irritam declarat. L. 187. Cf. 1209.

185. *Quaenam artes et officia clericis prohibeantur?* — Prohibetur clericis in sacris ac monachis medicinam et chirurgiam exercere, ubi opus sit incisione, amputatione vel adustione, nec adsit necessitas: et quidem sub irregularitate, si inde mutilatio vel mors sequatur; id enim opponitur lenitati, quam iugiter omnes habere debent clerici. Si tamen peritus non adsit et casus urgeat, clericus sine peccato, proinde sine poenae aut irregularitatis periculo, incisionem vel adustionem efficere poterit. Item ecclesiastici aliis praesto esse possunt optimis artis salutaris consiliis. — Prohibitum etiam est clericis et monachis publice audire ius et medicinam. Clerici vero saeculares ac regulares, qui Universitates Gubernii studiorum causa frequentant, praescriptiones servare debent constitutas a S. C. EE. et RR. Instr. *Perspectum* 21. Iul. 1896. — Omnibus item clericis eodem canonico iure prohibetur ars quaelibet, quae status clericalis honestati generatim contraria censetur; uti ars macellariorum, tabernariorum, ioculatorum, etc. — Decret. tt. *de Vita et honest. cleric.*, *Ne cler. vel mon.*, etc., L. 189., l. 7. n. 384. 385. 389.

Praeterea clerici beneficiati vel in sacris passim iure canonico sub gravi prohibentur sequentia officia exercere: 1.° Tutoris, curatoris, aut procuratoris minorum, et quodcunque aliud, quod sit ministerii publici, ut praefecti urbis, quaestoris, etc., quodque eos obliget ad reddendas rationes de iustitia, vel de bonis administratis, excepto casu, quo pupilli seu minores sint proximi clericorum propinqui. Cf. C. un. *de Oblig. ad ratiocin.*, Clem. XIII. C. *Cum primum* par. *Et parem.*, C. I. 246. Hodierna vero praxi receptum est, ut esse possint deputati, senatores et consultores municipiorum; nisi specialis adsit prohibitio. — 2.° Iudicis in causa sanguinis; militis; advocati; procuratoris et notarii in curiis saecularibus, excepto casu, quo clericus agat causam vel suam, vel suae Ecclesiae, vel egeni, vel personae sibi in quarto gradu coniunctae; administratoris bonorum personae laicae privatae, non miserabilis, cum obligatione reddendi administratae substantiae rationes. Ceterum non audent dd. damnare de mortali clericum, qui ob talem procurationem sua ministeria non negligeret; maxime si id non faceret avaritiae causa, sed ad decentius statum suum et familiae conservandum. Ius enim loquitur tantum de eo,

qui ita se immergeret in huiusmodi procurationibus, ut sua ministeria cogeretur negligere. L. 190., l. 3. n. 838. — Decret. tt. cc., Trid. S. 7. C. 14. de R., S. 23. C. 1. de R., Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 10., S. Th. 2. 2. q. 187. a. 2., q. 71. a. 2., E. M.

III. — DE BENEFICIARIIS IN GENERE

186. *Quid beneficium et pensio?* — Beneficium ecclesiasticum *in se* spectatum est portio bonorum Deo dicatorum, adiuncta officio ecclesiastico legitime erecto ac perpetuo subsistenti. *Respectu* vero *beneficiarii* communiter definitur: Ius perpetuum competens clerico, legitime instituto, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter officium spirituale, auctoritate ipsius Ecclesiae constitutum. *Bona* quid temporale sunt; *officium*, spirituale; *ius*, temporale spirituali adnexum. Ius autem percipiendi fructus ex alieno beneficio dicitur *pensio ecclesiastica*. L. 83. 137. — Salaria, quae, bonis immobilibus usurpatis, Resp. horum reditibus subrogavit, subrogati naturam induunt, et huius iure censentur. S. Poenit. 19. Jan. 1819.

187. *Quotuplex beneficium et pensio?* — *Beneficia* alia sunt *maiora*, alia *minora*. *Maiora*, quibus inest externa et interna iurisdictio, ea sunt quibus haeret maximus in Ecclesia gradus, uti Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Cardinalatus, et in quorumdam sententia etiam Abbatia. Haec tamen non communi beneficiorum vocabulo, sed proprio solent indicari; et quandoque etiam beneficia *consistorialia* dicuntur, eo quod eorum collationem R. Pontifex ordinarie facere soleat in Consistorio Cardinalium. — Beneficia illa, quae in praedictorum numero non continentur, appellantur *minora;* et alia sunt *duplicia*, alia *simplicia*. *Duplicia* dicuntur, quae praeter communem horarum canonicarum recitationem, quae beneficiis inhaeret omnibus, et altaris ministerium, adnexum habeant aliquid aliud, scilicet vel praeeminentiam et iurisdictionem in foro interno, et dicuntur *curata:* vel solam praeeminentiam, et sunt *personatus:* vel aliquod munus, et dicuntur *officia:* vel praeeminentiam et iurisdictionem in externo foro, et sunt *dignitates*. — Porro *dignitates*, aliae sunt *maiores*, et sunt iam recensitae, nempe Episcopatus, Archiepiscopatus, Primatia, Patriarchatus, Cardinalatus, et super omnes Pontificatus; aliae sunt *minores*, ut sunt Archidiaconatus, etc. Nomine *dignitatum* generaliter assumpto in Rescriptis Apostolicis veniunt Dignitates minores. — *Simplicia* instituta sunt ad solas preces Deo fundendas, atque ad altaris servitium, ut Capellania ecclesiastica, etc. — L. 84. 116., Bouix de Par. p. 172. seqq.

Pensio alia est *laicalis*, alia *clericalis*. *Laicalis* datur sive laico sive clerico, ob temporale aliquod ministerium vel temporalem aliquam causam: et aliquid prorsus temporale est. *Clericalis* vero datur clerico *uti clerico*, eaque *mixta* dicitur si detur clerico pauperi, seni, etc., uti alatur, vel propter temporalem aliam causam; est vero simpliciter clericalis, si detur v. g. concionatori, coadiutori parochi, etc., propter spirituale ministerium. — L. 137., l. 3. n. 73. seqq., Schmalz. l. 3. t. 5. 12., Ferrar. v. *Beneficium*, *Pensio*.

188. *Quomodo ecclesiastica beneficia acquirantur?* — Tribus modis communiter ecclesiastica beneficia acquiruntur: 1.° Per *electionem,* qua clericus a toto capitulo vel congregatione *eligitur,* et a superiore ecclesiastico seu praelato *confirmatur.* 2.° Per *praesentationem,* qua quis a patrono *praesentatur* superiori, a quo *necessario* acceptatur et *instituitur,* si reperiatur idoneus. Huc referri potest *nominatio,* qua quis nempe, etsi non patronus, ex indulto tamen aliquem superiori ad aliquod beneficium *offert,* ut illud ei *conferatur* a Superiore. 3.° Per *collationem,* cum gratis nempe beneficium solo iure praelati datur. — Hinc alia exsurgit divisio beneficiorum, in *electiva, patronata, collativa.* — L. 85. 86., l. 3. n. 101. seqq., Decret. tit. *de Elect.,* Trid. S. 14. C. 13. de R., S. 25. C. 7. de R., E. M.

189. *Quid sit ius patronatus?* — *Ius patronatus* est *facultas* seu *ius praesentandi* clericum, ut ei conferatur beneficium. Qui hanc habet *facultatem* exhibendi *episcopo* clericum, *patronus* dicitur. Antiquissima sane Ecclesiae disciplina receptum est, ut iis qui templa aut beneficia vel erigerent, vel dotarent, vel restituerent, fas esset clericos sibi acceptos ad eadem beneficia eligere, et episcopis praesentare. — Trid. S. 14. C. 12. 13. de R., S. 24. C. 3. de R., S. 25. C. 9. de R., L. 87., l. 3. n. 71.

190. *Quaenam beneficia concursu sint conferenda?* — Trid. S. 24. C. 18. de R., perpendens quantum animarum saluti expediat a dignis parochias gubernari, expresse iussit eas non posse conferri, nisi dignioribus inter eos, qui experimento instituendo coram ipso episcopo, vel, eo impedito, ab eius vicario generali et examinatoribus, non paucioribus quam tribus, fuerint approbati, declarans provisiones aliter factas nullas et irritas ipso iure. Quin imo S. Pius V. C. *In conferendis* 18. Mart. 1567. praeter dictam collationis nullitatem, concessionem hanc statuit devolutam esse ad Sedem Apostolicam, seu ad eos ad quos ius spectat conferendi paroeciam. Paroeciis adde praebendam theologalem ac poenitentiariam, quae item beneficia per concursum sunt conferenda ex Benedicto XIII. C. *Pastoralis officii.* — Concursus locum habet in beneficiis curatis iuris patronatus ecclesiastici; minime vero in beneficiis curatis iuris patronatus laicorum. Hoc in casu, si praesentati sint plures, omnes sunt examinandi, et ex omnibus approbatis unus idoneus est instituendus. Fagnan. C. 24. *de Iure patronatus* n. 31. — Concursus forma habetur in Trid. S. 24. C. 18. de R., C. S. Pii V. *In conferendis,* C. Benedicti XIV. *Cum illud,* 14. Dec. 1742. — A. S. S. V. 7. p. 353. seqq., Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 7. 8., l. 13. c. 24. n. 7., Reclusius de Concursibus, Bouix de Par. p. 352. seqq.

191. *Quibusnam sint beneficia conferenda?* — Beneficia non sunt conferenda nisi personis idoneis atque dignis, quae scilicet prae se ferant conditiones seu qualitates a sacris canonibus requisitas. Oportet nempe, ut eligendus ad beneficium sit: 1.° *Honestis moribus:* hinc merito repellitur improbus, facinorosus, infamis, irregularis, censuratus, simoniacus, homicida, qui abortum procuraverit, haereticus et eius fautor, receptator, etc. ut constat ex variis textibus iuris. R. I. 87.ª in 6.°, Trid. S. 7. C. 3. de R.

2.° Ut *scientia* polleat, quae quidem ex Trid. S. 7. C. 1. de R., S. 22. C. 2. de R., S. 24. C. 12. de R. diversa est pro diversa beneficiorum qualitate.

3.° Ut sit *caelebs;* nam ex Iur. Can. coniugatus admitti non potest; et collatio facta ei, qui matrimonio iunctus est, invalida exsistit; ac, si

clericus in minoribus ordinibus constitutus habeat beneficium, et contrahat matrimonium, privandus beneficio est, C. *Sane* 2., *Quod a te* 3. *de Cler. coni.*, vel etiam ipso iure amittit, Schmalz. l. 3. tit. 3. n. 5.

4.° Ut sit *legitimis* ortus parentibus, neque haeretici filius, secus nulla electio est. Trid. S. 7. C. 1. de R., S. 22. C. 2. de R., S. 24. C. 1. de R., S. 25. C. 15. de R., Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 24. n. 11. seqq., Pichl. l. 1. t. 17. n. 4. seqq.

5.° Ut habeat *aetatem* praescriptam; commune autem est, quod si aetas deficiat etiam quoad unam horam, beneficii collatio sit nulla. Trid. S. 22. C. 4., S. 23. C. 6. de R., S. 24. C. 8. 12. de R., L. l. 6. n. 799.

6.° Ut eligendus sit *prima* saltem *tonsura* insignitus; secus non confertur clerico. C. 7. *de Praescript.*, C. 2. *de Instit.* Si vero beneficium certum ordinem sacrum requirit, necesse est, ut intra annum a possessione ordo ille suscipiatur. Verum, si sit gravis necessitas vel utilitas Ecclesiae, episcopus dispensare potest cum beneficiato, ut studiis vacet. Schmalz. l. 3. t. 4. n. 62. ex Trid. S. 5. C. 1. de R., S. 6. C. 2. de R. Excipe, nisi actu talem ordinem requirat, tunc ordo requiritur ipso tempore, quo beneficium acquiritur. Hic tamen notandum est, quod etiam de laico electio et nominatio fieri aliquando solet, *sub spe nempe futuri clericatus.*

7.° *Ut veram intentionem habeat perseverandi in ecclesiastico statu, et ordinem sacrum suscipiendi, qui ad beneficium requiritur*, nisi occurrat iusta causa, quae aliter suadeat; secus deciperet in re gravi Ecclesiam, cuius intentio est, ut ordinem statuto tempore suscipiat. Unde graviter peccaret, qui sine illa intentione beneficium ordinem sacrum requirens susciperet; quae quidem intentio debet esse vera et determinata. Trid. S. 22. C. 4. de R., L. l. 6. n. 785. Et, si beneficium sit *parochialis ecclesia*, et hanc quis receperit *non intendens* promoveri ad sacerdotium, debet fructus restituere, quos sic fraudulenter perceperit, nisi postea mutata voluntate promotus fuerit. C. *Commissa* 35. *de Elect.* in 6.° Si beneficio nullus est adnexus ordo sacer, verius leviter peccat, quia nullo iure constat hoc esse letale.

8.° Ut tandem beneficio instituendus iam *alio beneficio non sit provisus;* certum est enim iure canonico beneficiorum pluralitatem in uno clerico absolute prohiberi. Attamen, dispensatione accedente S. Pontificis, si adsit cohonestans aliqua causa, plura beneficia obtineri possunt. Immo sine etiam dispensatione in aliquibus casibus plura beneficia obtineri possunt. Trid. S. 7. C. 2. 4. de R., S. 24. C. 17. de R., C. 28. *de Praeb.* etc. — Trid. S. 22. C. 2. de R., L. 112-118., S. Th. Quod. 8. a. 13., Quodl. 9. a. 15., Sanch. de Matr. l. 7. D. 45., Schmalz. l. 3. t. 5. *de Praeb.*, Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 8. n. 8. 9., E. M.

192. *Quomodo beneficia amittantur?* — Beneficia possunt quatuor modis amitti: 1.° Per mortem beneficiati, quia personis tantum conceduntur, neque ad haeredes iure haereditario transire possunt. — 2.° Per sententiam iudicis vel mere *declaratoriam criminis*, si agatur de enormibus quibusdam criminibus, quibus *ipso facto* amittitur beneficium, accedente dicta sententia, vel *condemnatoriam* propter crimina non tam enormia. Ubi agatur de beneficiis *perpetuis*, seu stricte talibus, nemo potest *beneficio expoliari*, nisi ob crimen expressum in iure et servato ordine iuris. Cf. Trid. S. 21. C. 6. de R. *Oeconomica* vero *remotione*, « si episcopus causam

inspexit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas ». C. *Quaesitum de Rer. permut.*, Reiffenst. tit. cit. n. 38., Schmalz. e. t. Si vero beneficia non sint *perpetua*, neque stricte talia, sed *beneficia* sint *manualia*, uti dicuntur, tunc beneficia possunt ad nutum vel arbitrio, episcopi e. g., auferri et beneficiatus est amovibilis, sed ex iusta causa — 3.° Per liberam renuntiationem, quae est spontanea proprii beneficii dimissio facta in manu legitimi superioris eam acceptantis; vel per resignationem, quae est renunciatio facta in favorem alterius, in manu legitimi superioris eam acceptantis; vel per permutationem, quae est mutua, in favorem alterius, beneficii resignatio, in manu legitimi superioris eam acceptantis. Renuntiare autem prohibentur novitii ante duos menses professioni proximos. Trid. S. 25. C. 16. de R. — In beneficiorum autem renunciatione, eorum publicatio facienda est ex Const. Gregorii XIII. *Humano vix iudicio* 13. Ian. 1583., modo et forma in eadem Const. praescripta. Praedicta Const. confirmata fuit a Bened. XIV. C. *Ecclesiastica* 15. Iun. 1746. — 4.° Per *meram legis dispositionem*, post matrimonium, vel professionem religiosam, per acceptationem alterius beneficii incompatibilis, etc. Sanch. de Matr. l. 7. D. 42. n. 4., C. *Beneficium* 4. *de Regular.* in 6.° — L. 133.-136., l. 3. n. 80. seqq., A. S. S. V. 29. p. 226.

193. *Quaenam sint beneficiati et pensionati obligationes?* — *Beneficiati* obligationes aliae sunt speciales, quae propriis in locis exponentur, ubi de episcopis, canonicis, parochis, aliae communes omnibus. — Communis est omnibus beneficiariis: 1.° Obligatio horas canonicas recitandi. — 2.° Obligatio fructus restituendi, si recitationem officii, aliasque obligationes adimplendas omittant. — 3.° Tenentur sub gravi elargiri in usus pios aut eleemosynas reditus omnes, qui supersunt ex bonis mere ecclesiasticis suae honestae sustentationi. Trid. S. 25. C. 1. de R., S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7., Quodl. 6. a. 12. — 4.° Debent tonsuram et habitum ecclesiasticum deferre, nec non caelibatum servare. Bened. XIV. C. *Apostolicae Ecclesiae*, de Syn. l. 12. c. 3. — 5.° Non possunt bona sive immobilia sive mobilia, uti sunt sacrae suppellectiles Ecclesiae, alienare, pignori dare, servitutibus obnoxias facere, praediorum formam mutare, nec in melius, nisi multum et evidenter melius. C. 1. *de Pignor.*, Bened. XIV. Not. 69. n. 5. — 6.° Res sui beneficii sartas tectas servare et iura tueri debent, ipsis reditibus superfluis beneficii, si sint; secus Ordinarii arbitrio. L. 7. C. *de Usufr.* — 7.° Si beneficium est residentiale, debent commorari in loco beneficii, et per se implere onera beneficio adnexa. C. 2. 3. 4. 9. 16. *de Cler. non resid.*, Trid. S. 24. C. 12. de R. — 8.° Provisi de beneficiis curam animarum habentibus, vel dignitatibus aut canonicatibus in Cathedralibus elicere debent professionem fidei intra duos menses a die adeptae possessionis, alias fructus *non faciunt suos* posthac, et quoad professionem emiserint. Trid. l. c. — 9.° Si beneficio adnexus sit ordo sacer, hunc suscipere debent anno proximo ab inita possessione, uti iam dictum est. — 10.° Tandem implere debent obligationes constitutas in fundationum tabulis.

Pensionati obligationes sunt: 1.° Recitare officium B. M. V., nisi ex alio capite ad horas teneatur, ex S. Pio V. C. *Ex proximo*; alias non facit fructus suos, pro rata temporis et officii. Verum haec Bulla non ubique recepta fuit. Cf. Suarez de Relig. T. 2. l. 4. c. 30. n. 22., L. l. 3. n. 74. — 2.° Si pensio vel pensiones simul sumptae excedunt annuos duc. 60. de

camera, h. e. libellas 322., tenetur incedere in habitu et tonsura, Sixt. V. C. *Cum sacrosanctum* et C. *Pastoralis*, alias ipso iure pensionem amittit, ib. § 2., nempe si ad statum laicalem rediisse videatur, Schmalz. l. 3. t. 12. n. 28. — 3.° Probabiliter libere omnino disponere potest de pensione. L. 139., l. 3. n. 491.

194. *Quid speciatim notandum circa missarum applicationem?* — Qui *ratione beneficii* tenetur celebrare, tenetur etiam missam *pro fundatore applicare*, nisi de huius contraria intentione constet. S. C. C. 21. Mart. 1868., A. S. S. V. 3. p. 525., L. l. 6. n. 332. — Si beneficiatus celebrare quidem tenetur, sed *libera sit ipsi relicta applicatio missae*, potest tunc certe pro ea stipendium accipere. Secus vero dicendum, si in fundatione beneficii contrarium cautum sit, vel nihil expressum. S. C. C. 13. Iul. 1630., L. 324. — Nisi exprimatur, quod per seipsum celebret, poterit celebrare et applicare *per alium*. S. C. C. 17. Sept. 1783., 24. Febr. 1872., A. S. S. V. 7. p. 181. 182., L. 330. — Qui non potest fundationi satisfacere *propter morbum*, non tenetur, si brevis sit, v. g. 15 dierum, aut etiam unius alteriusve mensis, ut probabiliter docet Lugo D. 21. n. 49., substituere alium, aut compensare, cum tam stricte ne domini quidem honesti cum famulis agant; dum tamen ne fundator aliud voluerit. C. *Significatum* 11. *de Praebend.* Secus vero, si morbus sit diuturnus, nisi forte et sit pauper, et eo beneficio promotus fuerit ad ordines, is enim vacare poterit, quamdiu laborat. S. C. C. 5. Febr. 1650., 24 Apr. 1655., Elbel de Euchar. 214., L. 333. — Qui tenetur *quotidie per seipsum celebrare et pro fundatore applicare*, potest is *quater aut sexies in anno celebrare pro seipso*, pro coniuncto, pro amico aut benefactore, modo aliud non accipiatur stipendium, itemque poterit *semel in hebdomada* devotionis et reverentiae causa *vacare*, idque ex praesumpta testatoris voluntate. Quare id illicitum est, si de contraria constet voluntate. C. *Significatum* 11. *de Praebend.*, S. C. C. 18. Apr. 1683., Bened. XIV. Inst. 56. n. 5. 6., Elbel de Euchar. 215., L. 332. — Celeb andae sunt missae *tempore et loco designatis*, et ordinarie grave est. — Nihilominus antea celebrare, vel postea, infra modicum tempus, nempe infra mensem, vel alio in loco semel aut bis in mense, vel pluries ex iusta causa, gravi vacat culpa; nisi aut alia mens fundatoris esse videatur, aut damnum alterius iniustum id vetet. Ius autem est Ordinario mutare tempus et locum, ex iusta causa, fundatoris voluntatem interpretando. Elbel de Euchar. 216., L. 329.

195. *An sit obligatio eligendi digniores ad beneficia?* — Certum est nullo modo excusari a peccato mortali eos, qui promovent minus dignos ad *episcopatus et cardinalatus*. Habetur hoc ex Trid. S. 24. C. 1. de R. Confirm. ex pr. 47.ª d. ab Innoc. XI. « Ex quo patet peccare quidem graviter Pontifices et reges, qui ad praefatas dignitates non digniores promovent. Ratio, quia cum beneficia, seu dignitates praedictae, sint instituta ad commune bonum Ecclesiae, multum ipsi detrahunt, qui praetermittunt eligere magis idoneos ad Ecclesiarum regimen ». L. 91. Idem dicendum de Ministro cultuum, qui Principi proponit, et de episcopis, qui a Guberniis consuluntur, nisi eos suggerant, quos digniores et Ecclesiae utiliores existimant. — Certum item est, quod episcopi *ad beneficia curata* pariter tenentur digniores eligere. Ratio est eadem; Trid. S. 24. C. 18. Iam vero maior dignitas eligendorum non accipienda est *absolute*, sed

respective ad utilitatem Ecclesiae. Quare dignior is intelligitur non qui doctior, sed qui implendis muneribus beneficio adnexis est aptior et utilior ceteris. L. 92., S. Th. Quodl. 4. a. 15., Quodl. 6. a. 9., Quodl. 8. a 6.

Dubitatur 1.° an peccent mortaliter *episcopi* eligentes minus dignos *ad beneficia simplicia,* omissis dignioribus. Adest enim duplex sententia. « Prima sententia probabilis negat, quia communitati modicum damnum infertur... Secunda tamen sententia communior et probabilior docet sub gravi obligatione etiam ad beneficia simplicia eligendos esse digniores... Ratio, quia ipsa utilitas Ecclesiae, ob quam sunt beneficia instituta, postulat de se ut digniores promoveantur, alioquin clerici parum incumberent ad digniores se reddendos, et sic valde deficeret Ecclesiae utilitas... Limitant tamen dd. et dicunt, non esse peccatum mortale: 1.° Si praetermittatur dignior non passim, sed semel vel bis... 2.° Si excessus dignitatis sit parvus... 3.° Si beneficia sint parvi momenti... 4.° Si ex lege fundationis debeat eligi aliquis ex aliqua familia, collegio vel oppido... 5.° Si praevidetur dignior brevi dimissurus beneficium ». L. 93.-96. Adde: 6.° Si nulla certa spes appareat digniorem electum iri, suffragari minus digno *expedit,* si hic alias certe eligeretur. Dissidendo enim nihil aliud quam inimicitias et discordias quis sereret. Quin imo *oportet* etiam minus digno suffragari, si alias indignus eligeretur. Ac, si dignus nullus occurrat, fas est et indigno beneficium conferre, si et necessitas urgeat, et profuturus speretur. D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 38., Ferraris v. *Beneficium* a. 5. n. 28.

Dubitatur 2.°, an *patroni laici non reges* teneantur sub mortali *praesentare* digniores *ad beneficia curata.* « Prima sententia, quam tenent Pal. ac Garcias, P. Nav. et alii, negat teneri ad praesentandos digniores sive beneficium sit simplex, sive curatum ». Nam Conc. Trid. non aliud onus imponit laico, quam idoneum praesentare: « Sed omnino tenendum cum secunda sententia, quod in beneficiis curatis teneatur sub gravi patronus adhuc laicus praesentare digniorem. Hoc mihi certum videtur, quia in his beneficiis eadem utique ratio currit, quae in episcopatibus, pro quibus iam declaravit Trid., ut supra vidimus, a quibuscumque promovendos esse digniores ». *Patroni laici, non reges:* nam: « certum est quod patroni episcopatuum, ut sunt reges, ad id tenentur ex relato C. 1. Trid. S. 24., de R. ut supra, ubi hoc declaravit Concilium de omnibus promoventibus. Certum est, quod si patroni sunt ecclesiastici, tenentur etiam digniores praesentare, ut sancivit Concilium ». C. 18. dict. Sess. 24. *Ad beneficia curata.* Etenim, « si beneficia sint simplicia, prout probabile est, episcopos non teneri sub gravi ea dignioribus conferre, ita probabile etiam est ad hoc non teneri patronos; sed quia probabilius est, ut diximus, illa dignioribus conferenda esse; ita etiam probabilius censemus patronos teneri sub gravi digniores praesentare. Ratio, etc. ». L. 97. — Bened. XIV. Epist. *Redditae nobis* 9. Apr. 1746.

Dubitatur 3.°, an resignantes beneficia etiam debeant digniorem quaerere. Etenim, « prima sententia negat... et Lugo cum Vazq. probabilem vocat... Secunda sententia omnino opposita absolute affirmat teneri resignantem quaerere digniorem... Tertia sententia... tum tantum admittit posse resignationem fieri non digniori, cum resignatarius sit aeque dignus ac resignans, quia tunc nullum Ecclesiae damnum irrogatur. Sed de his omnibus sententiis aequior mihi videtur sententia doctissimi Lugonis,

nempe quod tota ratio culpae in hoc puncto sumenda est a ratione damni, quod Ecclesiae obveniret, etc. ». L. 98. 99.

Dubitatur 4.°, an *ad praelaturas* etiam *regulares* eligendi sint digniores. « Prima sententia negat, nisi agatur de generalatu aut praelatura perpetua... sed omnino affirmandum cum sententia communi... Ratio, quia... sunt quasi episcopi ». L. 100. 101.

Ille, qui beneficium petit et obtinet, potest iudicium de sui idoneitate et dignitate aliorum aestimationi committere, licet se aliis digniorem non reputet, dummodo se certo indignum non agnoscat. S. Th. 2. 2. q. 185. a. 3. — E. M.

196. *An electio digni in beneficiis, omisso digniori, sit valida?* — « Si beneficium est simplex, certum est valere ex communi dd... Dubium est si sit curatum. Negant probabiliter Pal., etc... Affirmant vero probabilius collationem valere Lugo, etc. ». L. 102. 103., S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3.

197. *An promotio indigni sit irrita?* — Si haec indignitas respiciat carentiam earum qualitatum, quae reddant *incapacem*, quia stricto iure requiruntur ad validam beneficii consecutionem, uti est aetas, legitimitas, caelibatus, clericatus, ordo sacer, qui actu habeatur vel saltem infra annum accipiatur, si tamen beneficio adnexus fuerit, quod quis non sit excommunicatus, suspensus, irregularis, homicida, filius haereticorum, quod non fuerit haereticus publicus vel schismaticus, etc., tunc patet electionem illam nullam esse. Schmalz. l. 1. t. 14. n. 30. 31. Si vero solum indicet meram *indignitatem* seu ineptitudinem ad officia praestanda ipsi beneficio inhaerentia, ut defectus scientiae, defectus integrae vitae et existimationis, exercitium artis ludicrae, etc., tunc electio non est in foro saltem externo ipso iure irrita; quia de hac nihil habetur definitum. Est tamen irritanda ex Trid., quod praecepit, « ut beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis *dignis et habilibus*... conferantur; aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur ». S. 7. C. 3. de R. — Decr. tit. *de Filiis presbyter.*, etc.

198. *An qui eligunt ad beneficium dignum, omisso digniori, teneantur restituere damnum illatum ipsi, aut Ecclesiae?* — Prima sententia affirmat ad restitutionem teneri; alii autem aiunt teneri compensare damnum digniori omisso; alii putant damnum resarciendum non solum digniori, sed etiam Ecclesiae. Secunda sententia negat ad restitutionem teneri sive erga Ecclesiam, sive erga digniorem: secus vero si eligatur indignus. « Utraque sententia, ait S. Alph., est valde probabilis »; asserens secundam sibi probabiliorem esse. L. 107., l. 3. n. 547. 585. Cf. 199.

199. *An, quando beneficia conferuntur per concursum, eligens dignum, omisso digniore, teneatur huic damnum resarcire?* — Prima sententia communis affirmat. Ratio, quia beneficia sunt bona communia et praemia meritorum. Secunda sententia tamen negat. Ratio, quia pactum quod in concursu habetur, non est pactum rigorosum, obligans iuxta leges iustitiae commutativae, sed est tantum promissio obligans ex fidelitate; beneficia enim sunt potissimum ad divinum cultum obeundum instituta. Concursus autem eo tantum spectat, ut appareat, qui sint digni, qui digniores. L. 109., l. 3. n. 585.

200. *An minus dignus se opponens per concursum digniori peccet mortaliter, et teneatur ad restitutionem si beneficium obtineat?* — R. Affirmative, si se opponens sit indignus; quia illicite et iniuste obtinet. — Negative, si simpliciter minus dignus. Ratio, quia non pertinet ad ipsum merita discutere, sed ad examinatores et ad conferentem beneficium. Et haec Ecclesiae mens est, et communis praxis, ut omnes digni concurrant. — L. 110., S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2., q. 185. a. 3.

201. *An examinatores teneantur episcopo denuntiare digniores?* — Prima sententia probabilis negat cum Lugo, etc.: quia ex Trid. S. 24. C. 18. de R. renuntiandi sunt ab examinatoribus non *digniores*, sed *idonei*, ut ex his deinde episcopus *digniorem* eligat. Secunda sententia S. Alphonso probabilior et communior affirmat. Ratio, quia ideo praescribitur concursus, ut episcopus facilius et tutius digniorem possit eligere. L. 111. — E. M.

202. *An examinatores debeant non tantum iudicare de scientia concurrentium, sed etiam de ceteris dotibus moralibus?* — R. Affirmative. « Peracto examine, ait Trid., renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis ». — S. C. C. 2. Aug. 1607. expresse declaravit, examinatores « graviter deesse muneri suo, si doctrinae tantum iudices sint, nec inquirant, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito ante Ecclesiae obsequio ceterisque dotibus ad officium parochiale cumulate obeundum necessariis sint idonei, et commendabiles ». Immo addit, nullam esse collationem, quae facta sit super iudicio examinatorum ad solam doctrinam limitato. Ac Bened. XIV. Encyc. *Cum illud* 14. Dec. 1742. aperte reprobavit abusum contrarium alicubi inolescentem, de Syn. l. 4. c. 8. — A. S. S. V. 2. p. 81. 90., V. 11. p. 13. 127.

IV. — DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM

203. *Quid de episcoporum sanctitate et scientia?* — Episcoporum eximia esse debet vitae *sanctitas*. Ratio est, quia episcopatus status est acquisitae et exercendae perfectionis. Tanta vero pollere debent *scientia*, ut satisfacere possint gravissimo muneri regiminis dioeceseos. Trid. S. 6. C. 1. de R., S. 22. C. 2. de R., S. 25. C. 1. 17. de R., Suarez. de Rel. T. 3. l. 1. c. 15., Bouix de Iure Reg. V. 1. p. 15. seqq., S. Th. 2. 2. q. 184. 185., Quodl. 2. a. 11., Quodl. 5. a. 22., Quodl. 12. a. 17., L. l. 6. n. 804.

204. *Quid de obligatione residendi?* — Certum est episcopos, licet cardinales sint, ad residentiam teneri; eamque *per se* obligare sub gravi; ex Trid. S. 6. C. 1. 2. de R., S. 23. C. 1. de R., et ex aperta declaratione Bened. XIV. C. *Ad universae*, L. 121. Enimvero gravissima res est, animarum salutem respiciens. Unde consecrationis munus brevi tempore suscipere tenentur. Trid. S. 23. C. 2. de R. « Et ita nec etiam possunt Ecclesias permutare, ut expresse habetur ex can. 15. Conc. Nic. I., et idem habetur in can. 5. Conc. Chalced. et in Ep. II. ad Anastasium ». L. 76. Cf. etiam L. 121. Spatium autem temporis ad culpam gravem requisitum notabiliter excedere debet tres menses, a Trid. permissos. L. 127.

Residentia haec intelligenda est, non de *materiali* dumtaxat et otiosa, sed de *formali* et laboriosa. Constat 1.° ex Trid. l. c., *ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur;* 2.° ex B. *Grave* Bened. XIV. Instit. 17. n. 6., de Syn. l. 7. c. 1. n. 7., l. 13. c. 8., L. 127. — Episcopus residentiae obligationi satisfacit residendo in quocumque loco suae dioecesis. Constat 1.° ex Trid. ib., *in sua Ecclesia vel dioecesi;* 2.° ex B. Bened. XIV. C. *Ubi primum.*, L. 124., Ferraris v. *Episcopus* a. 3. n. 14., qui addit: « modo vadat ad Cathedralem temporibus praescriptis a Trid. S. 23. C. 1. de R., S. C. Episc. 17. Dec. 1649. »; excipe: « nisi episcopalia munia in sua dioecesi cum alio vocent. » Trid. l. c., Lucidi de Visit. SS. Lim. V. 1. p. 140. Ed. 3.ª

205. *Quaenam sint causae excusantes episcopos a residentia continua et perpetua?* — Ex Trid. l. c. quatuor sunt: 1.° *Christiana caritas.* 2.° *Urgens necessitas.* 3.° *Obedientia debita.* 4.° *Evidens ecclesiae, vel reipublicae utilitas.* — Propter has easdem causas abesse potest etiam *parochus ultra bimestre,* ipsi concessum. — Causae enuntiatae *regulariter* non legitimant absentiam episcoporum, nisi in quantum accedit vel Summi Pontificis licentia vel metropolitani, vel, eo absente, suffraganei episcopi antiquioris residentis. *Regulariter;* nam quidam casus sunt excipiendi. Et ex ipso Conc. Trid. l. c. exceptio fit: « nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicae officium, *episcopatibus adiunctum,* cuius quoniam causae sunt notoriae et repentinae, ne eas quidem significari metropolitano necesse erit ». — Bened. XIV. C. *Ad universae* 3. Sept. 1746. § 6. 9. 20., Urban. VIII. C. *Sancta Synodus* 12. Dec. 1634., L. 122. par. *Insuper,* 125. in fine.

206. *An, praeter dictas causas, nunquam liceat episcopis a sua dioecesi abesse?* — Licitum est episcopis, *extra praedictas causas,* a suis dioecesibus abesse per duos vel ad summum tres menses, sed illud non potest fieri nisi *ex aequa causa, et absque ullo gregis detrimento,* Trid. l. c.; quibus verbis, inquit Bened. XIV. C. *Ad universae,* « animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae penitus excluduntur ». Pro hac autem trimestri absentia episcopi non indigent licentia S. Sedis. — L. 122.

207. *An a residentia excusetur episcopus propter periculum contrahendae pestis?* — R. Negative. Idemque de parocho dicendum. S. C. C. et Declar. Gregorii XIII. 18. Dec. 1576. Verum tunc potest parochus per alios sacramenta peste infectis ministrare, ne sani pestem timentes confiteri recusent, et ut aliis etiam sui officii muneribus satisfacere possit. Cum autem superiores quoque, sive praelati regulares, residentiae obligatione adstringantur, propter curam gerendam suorum, hinc et ipsi tenentur tempore pestis suis assistere. — L. 119. 233., S. Th. 2. 2. q. 185. a. 5.

208. *Quibusnam poenis obnoxii sint episcopi residentiae praeceptum transgredientes?* — Praeter alias poenas tenentur ad fructuum restitutionem. Eos enim *suos non faciunt;* nempe si ultra tres menses non resideant *absque legitima causa, et expressa Romani Pontificis licentia;* eosque fabricae Ecclesiarum, vel pauperibus loci erogare tenentur absque alia declaratione. Trid. S. 6. C. 1. de R., S. 23. C. 1. de R., Bened. XIV. C. *Ad universae,* L. 122. 126. 127.

209. *Quid de obligatione visitationis dioeceseos?* — Episcopus obligatione adstringitur diversas suae iurisdictionis ecclesias obire per seipsum, aut per alium, si legitime fuerit impeditus, ut oves suas, uti par est, cognoscat, earum necessitates detegat, media illis occurrendi suppeditet. Ad hoc iure divino et naturali obligatur; est enim totius dioecesis pastor; neque ulla consuetudine lex haec abrogari potest. — Visitatio haec facienda est semel in anno, vel biennio, si dioecesis ampla sit. Visitandae sunt ecclesiae omnes et oratoria publica, necnon Ecclesiae, monasteriis unitae, parochiales. — Episcopo autem occasione visitationis *procuratio* debetur, quae est praestatio eorum, quae necessaria sunt ad competentem victum et habitationem, ab iis quos visitant suppeditanda. — Ius item habet loca pia visitandi. — Praelati etiam regulares tenentur suae congregationis monasteria frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere. — Trid. S. 7. C. 7. 8. de R., S. 21. C. 8. de R., S. 22. C. 6. 8. 9. de R., S. 24. C. 3. 9. 10. 11. de R., S. 25. C. 1. 8. 11. 20. de Reg., Giraldi P. 1. S. 583. 597., E. M.

210. *Quid de clericorum regimine?* — Specialis cura clericorum vitae et honestati invigilandi episcopis incumbit. Id constat 1.° ex Trid. S. 14. Proem. de R., S. 22. C. 1. de R., 2.° ex Enc. Pii IX. *Qui pluribus* a. 1846. et Leonis XIII. *Etsi Nos* 15. Febr. 1882. Tenentur autem episcopi ecclesiasticum seminarium instituere, eiusque particularem curam habere. Trid. S. 23. C. 18. de R. Tenentur item *per semetipsos* ordines conferre. Trid. S. 23. C. 3. de R.

211. *Quid de cura habenda doctrinae?* — Episcopi est institutionibus sive *privatis* sive *publicis*, nec non librorum impressioni ita invigilare, ut nihil tradatur, quod fidei ac moribus adversetur. Ad ipsum etiam *speciali titulo* pertinet perniciosos libros denuntiare. Id ex eius officio pastoris aperte constat. — Trid. S. 5. C. 2. de R., Leo XIII. C. *Officiorum* VIII. Kal. Febr. 1896.

212. *Quid de obligatione praedicandi?* — « Quoad episcopos, ait Sporer t. 3. p. 73. n. 27., quod licet ipsi *regulariter, iuxta consuetudinem*, non teneantur per se praedicare, et sacramenta ministrare, debent tamen personaliter invigilare, ut per alios id praestent, et insuper gregem bono exemplo instruere, ac pauperibus subvenire. Dictum est *regulariter*, nam puto saltem aliquando episcopos teneri ad concionandum, dum ipsi, ut declarat Trid. d. C. 1. S. 23., de iure divino tenentur oves suas verbi divini praedicatione pascere. Hocque per idem Conc. S. 5. C. 2. de R. declaratur ». L. 127. Item Trid. S. 24. C. 4. de R. dicitur, quod praedicationis munus *episcoporum praecipuum est*, et Sancta Synodus « mandat, ut in Ecclesia sua ipsi *per se*, aut, *si legitime impediti fuerint*, per eos quos ad praedicationis munus assument... Sacras Scripturas divinamque legem annuntient ». Cf. etiam Trid. S. 24. C. 7. de R.

213. *Quid de missae celebratione?* — Frequenter quidem ex decentia, et saltem diebus dominicis ac festis ex gravi obligatione, sacrum pro dioecesi universa facere debent; populum etiam debent ad orationem saepius incitare, privatas publicasque preces in praecipuis necessitatibus indicendo, supplicationesque decernendo, etc. — Operam item episcopus dare debet, ut ab omnibus observentur, quae spectant ad sanctam missae ce-

lebrationem. — Trid. S. 22. Decr. de observ. etc., S. 23. C. 1. de R., Leo XIII. C. *In suprema* IV. 30. Iun. 1882., L. l. 6. n. 337., H. A. Tr. 7. n. 65. 66., E. M.

214. *Quid de synodo cogenda, et visitatione ad SS. Limina?* — Tenentur episcopi quotannis synodum dioecesanam celebrare. Trid. S. 24. C. 2. de R. Tenentur praeterea singulis trienniis Sacra Limina visitare, et rationem reddere Romano Pontifici status propriae Ecclesiae ex C. Sixti V. *Romanus Pontifex* 20. Dec. 1585. — Instr. S. C. de P. F. 1. Jun. 1877., A. S. S. V. 10. p. 202., Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 5.

215. *Quid de potestate vicarii generalis?* — Vicarius generalis ille est, qui legitime deputatur ad exercendam generaliter iurisdictionem episcopalem, vice episcopi, ita ut actus eius ab episcopo gesti censeantur. Quidquid generatim potest episcopus ex iurisdictione ordinaria propria, non vero delegata, quamvis ordinaria, utpote annexa officio, potest vicarius, qui cum episcopo constituit unum tribunal. Haec tamen regula generalis plures habet exceptiones, quae videri possunt apud canonistas. Et sic « vicarius generalis nequit dimissorias concedere, nisi expressam de hoc facultatem habeat ab episcopo, vel nisi episcopus sit extra provinciam, aut distans per duas aut saltem unam dietam, sive die itineris a propria dioecesi ». L. 787., C. *Cum nullus de Temp. ord.* in 6.° Itemque potest episcopus, pro suo arbitrio, limitare in quibusdam casibus iurisdictionem sui vicarii. — Certum autem est ex pluribus decisionibus S. C. C., vicarium generalem posse perinde ac parochum valide matrimonio assistere, absque speciali episcopi mandato, et alteri, qui sit sacerdos, facultatem concedere valide ei assistendi, siquidem est Ordinarius, Trid. S. 24. C. 1. de R. — Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 3. 8., L. App. de Priv. 31. 47. 58.

V. — DE CANONICIS

216. *Quid canonici?* — Canonici, sic nuncupati, quod olim communi regulae subiiciebantur, constituunt generale concilium episcopi, et variis adstringuntur obligationibus, quoad cultum divinum, altare, chorum, et, vacante Sede, dioecesis administrationem. Canonici constituuntur imprimis, ubi habetur Sedes episcopalis, seu Ecclesia cathedralis. Templa, quae praeter cathedralem collegium habent canonicorum, *Collegiata* appellantur. Canonici sunt alii *regulares,* qui sub praeposito communem vitam votis adstrictam agunt, et hi nunc pauciores inveniuntur; alii vero saeculares, qui seorsim vivunt ex beneficiis seu pensionibus ecclesiasticis, et institutum canonicum servant quoad varia munia in Ecclesia obeunda. — Trid. S. 22. C. 2. 4. de R.

217. *Quid de canonicorum residentia?* — Canonici obligatione tenentur *residendi* in propriis ecclesiis. Trid. S. 24. C. 12. de R., L. 129. Iam vero ex l. c. Trid. duo videntur absolute canonicis praescribi, et *residentia* in loco et *interessentia* choro. Sunt tamen, qui tenent canonicos curam animarum non habentes posse diu noctuque moram trahere extra locum proprii beneficii, modo horis congruis accedant ad Ecclesiam pro servitio. Idque constat etiam ex Declar. S. C. apud S. Alph. l. 3. n. 675. in fine.

Abesse possunt per tres tantum menses, Trid. l. c., sive continuos, sive interpolatos, S. C. C. 1575.; « alioquin primo anno privantur dimidia parte fructuum », etc. « Dicit autem Bonacina ex quadam Declar. S. C., canonicos non privari fructibus, si tantum per paucos dies ultra tres menses absint, huiusmodi enim transgressio non videtur talis, ut praedictam gravem poenam privationis medietatis fructuum mereatur ». L. 129. — Vacationibus uti non possunt diebus dominicis et festivis totius anni, nec diebus adventus, quadragesimae, octavarum Nativitatis et Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi. S. C. C. 21. Jun. 1640. — « Canonici autem tribus mensibus, in quibus absunt, non lucrantur *distributiones,* sed bene lucrantur *fructus praebendae:* modo reliquo tempore anni resederint, et chorum frequentaverint ». L. ib. S. C. C. 14. Sept. 1829. Canonicus, inutiliter prodigens tres menses a Trid. concessos, probabilius non tenetur restituere fructus beneficii. Ratio est, quia Conc. absolute concedit canonicis per tres menses abesse, nulla speciali causa requisita. — Non omnes simul canonici abesse possunt diebus permissis, nec ultra tertiam partem capituli, ne cultus impediatur. S. C. C. 12. Mart. 1594., 21. Jun. 1640. — Poenale quidem est, quod ex Trid. l. c., debeant privari dimidiis vel omnibus fructibus, et ideo non ante sententiam solvendis. Ita Scav. Ed. Mediol. 1874. l. 1. n. 431., aliique. Nullam S. Alph. requirit iudicis sententiam ex Declar. Bened. XIV. Sed id satis reapse non constat. L. l. 3. n. 675.

Si e dioecesi egrediantur, tempore a Conc. permisso, venia indigent episcopi: secus vero si e dioecesi non egrediantur. S. C. C. 12. Mart. 1594., 9. Maii 1626. — Canonici a choro absentes amittunt *distributiones.* Trid. S. 22. C. 5. de R., S. 24. C. 12. de R. *Distributiones* amissae propter absentiam nequeunt a sociis condonari. S. C. C. 6. Dec. 1794. — In potestate Ordinarii est, praeter menses conciliares alium concedere *ex iusta causa,* S. Pius V. 7. Oct. 1580. ap. Fagnan. in C. *Licet* n. 4. *de Praeb.*, imo etiam diuturniorem absentiam permittere potest ob extraordinariam causam, scilicet propter infirmam valetudinem, saevientem persecutionem, indubiam Ecclesiae aut reipublicae utilitatem. — Trid. S. 21. C. 3. de R.

Canonici choro per extraneos substitutos inservire non possunt, neque absentes invicem unus pro alio, Trid. l. c., S. C. C. 23. Mart. 1721., L. l. 3. n. 675. Absentes vero aliquem sibi substituere non tenentur. S. C. C. 15. Mart. 1785. — L. 129., Bened. XIV. Notif. 107., E. M.

218. *Quid de officio chori?* — Omnes canonici tenentur ad officium divinum in choro canendum, vel psallendum. Nec excusantur ex eo, quod forte sint pauci; nam S. C. C. definivit 13. Mart. 1696., canonicos, etsi paucos, puta duos vel tres, officium in choro canere aut recitare teneri. Hinc non sufficit, ut canonici intersint tantum choro vel officiis: sed tenentur ad cantum vel recitationem, in quantum possunt, ipsi concurrere, voce elata et pio cordis affectu. Trid. S. 24. C. 12. de R.

219. *An peccent graviter canonici, qui choro non assistunt, ultra tempus a Trid. permissum?* — Plures negant; sed verius affirmandum, si a choro *notabiliter* absint ultra tempus a Trid. permissum, quale non est trium vel quatuor dierum. Ratio est, quia, ut constat ex Trid. S. 24. C. 12. de R., obligatio assistendi non oritur ex distributionibus, ita ut si his renuntiant, ab omni obligatione se liberant; sed ex primaria institutione

beneficiorum, quae non propter cuiusquam utilitatem, sed propter Dei cultum, et ad divina ministeria obeunda instituta sunt. L. l. 3. n. 675.

220. *Quid teneantur restituere canonici, qui choro non intersunt?* — Qui absunt sine legitima et iusta causa *distributiones* non lucrantur; constat ex *C. Consuetudinem un. de Cler. non resid.* in 6.° et ex Trid. l. c. Praeterea *fructus praebendae* restituere debent, sed non ante sententiam, et si a choro absint ultra menses conciliares. Constat eod. Trid. l. c. — Qui absunt ex *legitimis causis*, neque fructus praebendae neque distributiones amittunt. — *Legitimae causae* sunt, *infirmitas, rationabilis corporis necessitas*, et *evidens Ecclesiae utilitas.* — Qui autem abest propter causas diversas a tribus praedictis, sed etiam iustas, puta ob studium, visitationem, et alias huiusmodi, is lucratur quidem fructus, sed non distributiones. — Communiter habentur ut praesentes canonicus curatus, in ipsa Cathedrali vel Collegiata, dum tamen in paroeciae cura versatur; poenitentiarius, dum in sua Ecclesia confessiones audit; theologus, die quo fidelibus Sacram Scripturam exponit. Trid. S. 22. C. 3., S. 24. C. 8. de R. His addendi sunt, in Italia et insulis adiacentibus, qui vacant exercitiis spiritualibus decem continuis diebus per annum: nempe de licentia episcopi, et non illis diebus, quibus prohibetur vacare. Clem. XI. Encycl. 1. Febr. 1700. — Trid S. 21. C. 3., S. 22. C. 3., L. 130. 131., E. M.

221. *An satisfaciant choro, ita ut restitutioni non teneantur, canonici, qui choro quidem intersunt, sed minime canunt, vel voce submissa recitant?* — Certum est non solum eos amittere omnes *distributiones*, sed etiam teneri ad restituendos *fructus praebendae;* hos tamen iterum non ante sententiam; et non nisi ultra menses conciliares. Eos igitur graviter peccare certum videtur, si gravis sit quantitas. C. *Cum semper* 19. Aug. 1744., Br. *Dilecte Fili* 19. Jan. 1748. Bened. XIV., L. l. 3. n. 675.

222. *Nota:* 1.° Quae circa chorum de canonicis dicta sunt, intelligenda quoque sunt de beneficiatis, qui ratione beneficii ad chorum obligantur. — 2.° « Advertendum erit, ut quandocumque per organum figuratur aliquid cantari seu responderi alternatim versiculis hymnorum, aut canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset, ut aliquis cantor coniunctim cum organo voce clara idem cantaret ». Caerem. Episcop. l. 1. c. 28. n. 7. « Submissa voce dicendae sunt in choro partes illae tum divini officii, tum missae, quae omittuntur ob sonitum organi: quando vero non pulsatur, integre sunt cantandae ». S. R. C. 22. Jul. 1848. Si submissa voce praedictae partes omissae non recitentur divini officii obligationi non satisfit. L. 143.

223. *An episcopus permittere possit, ut habitualiter non omnes horae cantentur?* — R. Negative; idque pluries iam decisum est a S. C. C. — Lucidi de Visitat. Ed. 3.ª Romae 1883. etc. V. 1. p. 329. seqq.

224. *An officium Defunctorum, B. Mariae V. et Psalmi graduales debeant ex obligatione recitari in choro?* — R. Negative, quia non sunt de praecepto rigoroso, sed de rubrica directiva, seu de consilio; nisi adsit consuetudo. Cf. 129., Lucidi l. c. p. 332.

225. *Quid de missa conventuali?* — Canonici tenentur per turnum missam conventualem canere, et applicare singulis diebus pro fundatoribus et benefactoribus in genere, eique alii adesse debent. Bened. XIV. C. *Cum semper oblatas.* « Teneri canonicos omnino celebrare et cantare missam conventualem *de officio currenti,* ad hoc ut licite possint distributiones quotidianas lucrari ». S. R. C. 25. Iun. 1611. — Lucidi l. c. V. 1. p. 305. seqq., V. 3. p. 188. seqq., L. 419.

226. *Quid de assistentia episcopo debita?* — Trid. S. 24. C. 12. de R. sic statuit de canonicis Cathedralium: « Omnes compellantur episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire ». Consonat Caeremoniale Episcoporum, l. 1. c. 15., et declarat, omnes canonicos teneri convenire in habitu canonicali ad locum designatum, et episcopum ad Ecclesiam progredientem pontificalia exercendi causa et ducere, et redeuntem pariter comitari. Sed hoc est intelligendum, quando in solemnioribus festis vel caeremoniis accedit episcopus ad Ecclesiam celebraturus, vel sacro interfuturus, cappa indutus aut pontificalibus perfuncturus. « Ceteris diebus sat est, ut aliqui ex dignitatibus et canonicis ad ostium Ecclesiae episcopum cappa indutum recipiant et reducant ». S. R. C. 13. Jun. 1891. Non autem tenentur canonici episcopo privatim celebranti assistere.

Canonici etiam componunt concilium generale episcopi. Episcopus enim, nisi adsit contraria et vera consuetudo, in casu particulari postulare debet consilium canonicorum, antequam mandata ferat; sed eorum consensu non indiget, ut ea statuat et urgeat, nisi in casibus iure determinatis. Canonici scilicet in isto concilio non habent ius suffragii *deliberativi,* sed mere *consultivi.* Sic enim Bened. XIV. de Synod. l. 13. c. 1. n. 8. 9.: « Multum hac in re deferendum est locorum consuetudini... Necesse utique non est, ut episcopus novas leges promulgaturus totius cleri sententiam efflagitet; sed satis est, si *capituli sui consilium* exposcat, *etsi illud sequi non teneatur...* Quin imo ab ipsa obligatione petendi capituli consilium solutus erit episcopus, qui per legitime praescriptam consuetudinem ius sibi acquisierit leges condendi, et publicandi, inconsulto capitulo ». — E. M.

227. *Quid de canonicorum munere, sede vacante?* — Vacua sede episcopali, tota episcopi iurisdictio, exceptis iis, quae innovationem sapiunt, vel alienationem, exceptis item confraternitatibus erigendis earumque statutis approbandis, sive ea sit *ordinaria,* sive *delegata a iure,* transit in capitulum, et ab eo in vicarium capitularem, intra octo dies eligendum, quin capitulum vel minimam iurisdictionis partem sibi retinere possit. — Nihilominus is non potest visitationem obire, anno ab ultima S. Visitatione nondum elapso; nec litteras ad tonsuram vel ordines dimissorias concedere infra annum, praeterquam *arctatis*, h. e. laicis praesentatis ad beneficium ecclesiasticum, et clericis qui ex adepto beneficio debent aliquem ordinem suscipere intra tempus definitum a iure, vel a tabulis fundationum. « Potest tamen capitulum, sede vacante, etiam intra annum dare litteras testimoniales alicui, qui aliunde licentiam habet ad ordines suscipiendos. Probabiliter etiam potest dare alicui licentiam, ut initietur prima tonsura, eo quod tonsura non est ordo... Id autem quod potest capitulum, sede vacante, non potest per seipsum facere, sed per vicarium electum ». L. 788. Neque item potest beneficia conferre, exceptis beneficiis

patronatus laicalis, indulgentias tribuere, etc. — Cessat officium vicarii capitularis statim ac novus episcopus possessionem fuerit adeptus; sed gratiae ab eo factae manent, quamdiu non fuerint revocatae. — Vicarius capitularis eligendus est « qui saltem in Iure Canonico sit doctor, vel licentiatus sit, vel alias quantum fieri poterit idoneus ». Trid. S. 24. C. 16. de R. — Ex S. R. C. missam *pro populo* celebrare non tenetur. — Decret. tit. *Ne Sede Vac.*, C. 1. 14. *de Maior.*, Reg. 2. 11. Canc. Apost., Trid. S. 7. C. 10. de R., S. 24. C. 16. de R., Pius IX C. *Rom. Pontifex*, S. C. Indulg. 15. Nov. 1878., 23. Nov. 1878., A. S. S. V. 11. p. 353., Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 9., Sanchez de Matr. l. 3. D. 28. n. 5., L. l. 6. n. 788., E. M.

VI. — DE PAROCHIS

228. *Quid de residentia?* — Prima obligatio parochi residentia est personalis. Secus enim convenienter gregem suum pascere non potest. Quare non excusantur a gravi culpa et a restitutione fructuum parochi non residentes, ut declaravit Trid. S. 23. C. 1. de R. « Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas, de curatis inferioribus... Sacrosancta Synodus declarat et decernit (ac pro episcopis): ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant ». — Trid. S. 24. C. 13. de R., L. 123. 126.-128., Ithur. Cas. 45. n. 56. 58., Bened. XIV. Notific. 17., S. Th. 2. 2. q. 185. a. 5.

229. *Resolves:* « Pro rata temporis absentiae fructus suos non faciunt ». Trid. ib. Atque eos, neque materialiter, neque formaliter residens, neque per alium officium suum implens, amittit ante omnem iudicis sententiam. Nam « non alia ratione tenentur, quam contractus initi inter ipsos et Ecclesiam, ex quo dantur eis fructus beneficiorum sub conditione residentiae, qua non impleta *etiam sine culpa,* nullo modo pastores tales fructus acquirunt ». L. 127. Ad restitutionem ergo tenentur, quamvis bona fide perceperint, nisi tamen et bona fide eos consumpserint, neque inde facti sint ditiores. — Qui non residet materialiter, sed implet per alium idoneum officium suum, fructus amittit, post bimestre Conciliare, minime vero amittit intra bimestre Conciliare absentiae. Qui materialiter residet, sed non formaliter, si per nullum alium sacerdotem suis officiis defungitur, non facit fructus suos ex ipso iure naturali. Si per alium haec praestat, utrum eos amittat ex iure canonico, non satis constat. Affirmat S. Alph. 127., quia residentia non intelligitur *nisi formalis;* negant Garc., Reiff., *quia non residere* propria significatione est *abesse.* Idque « aequius ac verius » dicit D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 174. — Restitutio fabricae Ecclesiae, vel pauperibus loci facienda est. Trid. l. c.

230. *Nota:* 1.° Pro absentia per duos menses sive continuos sive interruptos *causa aequa* requiritur, sed non gravis, si tamen nullum inde paroeciae detrimentum sequatur, et tempore pestis excepto. Greg. XIII. 12. Oct. 1576. Qui tamen *sine aequa causa* discederet, non ultra *bimestre,* ac citra parochiae detrimentum, non nisi levi culpa tenetur. Grave vero

esset abesse etiam duos vel tres dies, etiamsi nemo actu aegrotet, nullo relicto vicario, si alii sacerdotes eo in loco desint. Ultra bimestre Ordinarius licentiam dare quidem potest, sed ex gravi causa, nec ad *multum tempus*, sed ad duos vel tres menses. S. C. C. legitimam saepius censuit licentiam infirmis datam ab Ordinariis ad quatuor menses. D'Annib. l. c. 173., S. Th. Quodl. 12. a. 28. — 2.° « Communiter dicunt dd. ex declarat. S. C., quod parochus non reputatur residere, si per se ipsum non exerceat principaliora munera, nempe administrationem verbi divini, sacramentorum, etc. ». L. 127. Cf. Ithur. Cas. 45. n. 61. 62. Adiuvari tamen a vicariis potest; si ampla esset parochia, neque omnia per seipsum commode efficere possit, praesertim in iis quae maius incommodum habent, ut ad infirmos ire noctu, praedicare, docere pueros, excipere confessiones, etc. Sed coadiutoribus uti debet, quasi sociis, ideoque et ipse haec praestare debet, cessante iusto impedimento, praesertim si fuerit requisitus, secus culpa gravi non caret. Si parochus suis officiis obeundis solus non sufficiat, debet alios sacerdotes sibi adiungere. Paroeciae autem renuntiare debet, vel saltem coadiutorem assumere debet, si propter senium et chronicam infirmitatem parochialibus officiis defungi non possit. Trid. S. 21. C. 4. de R., C. 5. 6. *de Cler. aegrot.*, C. un. e. t. in 6.°, C. *Apostolici ministerii* Innoc. XIII. n. 9. seqq. — 3.° Parochi debent habitare in domo suae Ecclesiae, si ibi adest, si vero non adest, debent residere in alia domo, quae sit intra limites parochiae, saltem moraliter, nempe quae sit ita propinqua Ecclesiae parochiali, ut commode possit ei inservire: et quo parochiani facile queant ad ipsum recurrere pro sacramentis suscipiendis. L. 124., Ithur. Cas. 45. n. 57. — 4.° Ut constat ex pluribus decisionibus S. C. C. parochus non excusatur a residentia intra parochiae limites propter aeris malignitatem, aut infirmam valetudinem, aut senium, vel quod tenuis paroecia sit, vel quod tres tantum aut quatuor incolae remanserint. D'Annib. l. c. n. 172. — Trid. S. 7. C. 3. de R.

231. *An praefata licentia in scriptis omnino requiratur, ita ut non valeat, si oretenus habeatur?* — Negant Less. aliique, et hanc sententiam non putat improbabilem S. Alph., probabilem vero censet La-Croix. Ratio, quia licet Trid. *licentiam in scriptis* requirat, non constat tamen hanc formalitatem requirere ad ipsam validitatem actus. L. 123.

232. *An parochus, habens iustam discedendi causam, possit per dictos duos menses abesse, sine expressa licentia episcopi?* — Prima sententia affirmat, eamque probabilem putant Less., La-Croix, Azor, aliique. Ratio, quia ex Trid. ad absentiam duorum mensium quaelibet causa *honesta* sufficit; neque licentia et probatio episcopi requiritur pro tali absentia; sed tantum pro absentia ultra bimestre, pro qua episcopus debet *causae gravitatem* approbare. Insuper absentia per *bimestre* habetur a Conc. tanquam parva materia, eam enim verbo *aliquantisper* comprehendit. Abesse ergo per bimestre ex iusta causa, absque episcopi licentia, veniale saltem *per se* non excederet. Et sane Trid. S. 23. C. 1. de R. statuerat episcopos ad personalem residentiam ita teneri, ut abesse non possint, nisi ex quatuor illis causis superius indicatis. Item statuerat posse episcopos abesse per tres menses, etiam non exsistentibus praedictis causis; modo tamen id fieret *aequa* ex causa, et sine gregis detrimento; quia haec brevis absentia non censetur residentiae debito contraria. Porro de in-

ferioribus curatis loquens, iis ait applicanda esse, quae prius quoad episcopos constituerat. Adhibet quidem Conc. Trid. aliquas restrictiones pro curatis inferioribus; at quoad culpam et poenas ipso facto incurrendas nihil superaddit. Videtur igitur haec debere ex praedictis iudicari. Propterea, ut certum ex *mero* Concilii textu id tantum deduci potest, tum episcopos tum parochos graviter peccare, si ultra menses permissos notabili absint tempore.

Secunda sententia negat, et hanc sequitur S. Alph. Ratio, quia licet ex Conc. non exigatur *gravis causa* ad discedendum per bimestre, absolute tamen requiritur, ut causa ab episcopo agnoscatur, et probetur, ex illis verbis, *quandocumque eos abesse contigerit, causa primo per episcopum cognita et probata.* Tanto magis quod parochus a Conc. prohibetur discedere, nisi prius ab episcopo approbetur vicarius, qui relinquitur. L. 123. Attamen cum illud *quandocumque* referri posset ad tempus extra *bimestre* ab ipso Conc. concessum, hinc non videtur validum omnino argumentum desumi; neque ex eo quod, licet vicarius ab ipso parocho eligi possit, ab episcopo tamen sit approbandus, si oeconomum seu vicarium idoneum, alias iam approbatum ab episcopo, et qui actu iam ibi reperiretur, in parochiae servitio relinqueret. Nihilominus S. C. C. constanter respondit opus esse expressa episcopi licentia, licet per hebdomadam et per biduum abesse velit. Idemque declaravit Benedictus XIII. in Conc. Rom. Tit. 17. C. 6. Verum pro absentia per biduum vel triduum ex recepta pluribus in locis consuetudine, nulla requiritur licentia. Attendenda ergo sunt uniuscuiusque dioecesis statuta, Bened. XIV. Notif. 17. n. 12.

« Ceterum, ait idem S. Alph. l. c., licite poterit parochus abesse per *breve tempus sine licentia,* si aliqua occurrat necessitas, quae moram non patiatur episcopum adeundi, modo idoneum vicarium relinquat... Item *ex parvitate materiae* poterit parochus excusari saltem a mortali, si discedat per modicum tempus, ut communiter dicunt dd., modo non relinquat infirmos in articulo mortis. Quantum autem sit hoc modicum tempus... communiter admittunt non peccare graviter parochum, qui absit *sine licentia* per 6. vel 7. dies, relicto tamen vicario idoneo; imo Cont. Tourn., Cabas., Sanch., etc. id extendunt usque ad 15. et 30. dies ».

233. *Quaenam sunt causae graves excusantes parochos a residentia ultra bimestre permissum?* — Eaedem illae quatuor sunt, quae episcopos excusant ex Trid. nempe, *christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia,* et *evidens Ecclesiae aut reipublicae necessitas.* L. 125., Ithur. Cas. 45. n. 58-60.

234. *Quid de parochiae visitatione, de pauperum et aegrotorum cura?* — Parochus tenetur obligatione visitandi parochiam, quatenus oves suas cognoscere debet. « *Praecepto divino,* ait Trid. S. 24. C. 1. de R., mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere ». Hinc parochi conficere debent libros matrimoniorum, baptizatorum, confirmatorum, status animarum, defunctorum. Atque ex eodem Trid. l. c. unum ex muneribus curae animarum est, « pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere ». Ex Rit. autem Rom. *De visit. et cura infirm.,* « Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes aegrotantium curam habere ». De ipsis specialem omnino curam habere debet, cum illis pastoris opera maxime sit

necessaria. Tenetur praeterea mortuos efferre, eisque iusta persolvere, et si fuerint pauperes gratis omnino. — Trid. S. 24. C. 1. de R. M., L. 160. 188.

235. *Quid de correctione et monitione?* — Parochi tenentur sub gravi corrigere et monere oves suas in peccato mortali, vel in proximo eius periculo exsistentes, etiam cum discrimine vitae propriae, et non solum in extrema, sed in gravi etiam earum necessitate spirituali; si tamen 1.° adsit spes emendationis, 2.° licet non adsit spes emendationis, monitionis tamen omissio in *damnum* cederet commune, alios redderet animosiores ad peccandum. Ratio, quia non solum ex caritate, verum etiam ex iustitia, ratione officii et stipendii quod eis datur, strictissime obligantur ad subveniendum subditis in spirituali necessitate constitutis. — Tenentur praeterea inquirere, num quis in tali necessitate versetur. Parocho enim commissa est salus uniuscuiusque ovis. Si autem parochi ad correctionis officium tenentur, multo magis episcopi. — Trid. S. 6. C. 3. 4. de R., S. 13. C. 1. seqq. de R., S. Th. 2. 2. q. 33. a. 3. 2. ad 4., 4. D. 19. q. 2. a. 1., L. l. 2. n. 40.

236. *Quid de oratione et celebratione missae?* — Tenetur parochus frequenter orare pro suis subditis, ut gratias illis imploret ad salutem necessarias. Speciatim vero parochus missam celebrare tenetur: 1.° Quoties populus debet illam audire. Trid. S. 23. C. 4. de R. 2.° Quoties oportet nuptias benedicere; utrobique sub gravi. 3.° Pluries in hebdomada; *at quoties* non constat: constat tamen posse episcopum eos cogere sub gravi bis vel ter, si parochia sit populosa, et aliae missae in ea non celebrentur; non item in iustis funerum, nisi data eleemosyna. — L. l. 6. n. 314., Bened. XIV. Inst. 44. n. 9., de Syn. l. 12. c. 7. n. 7.

237. *An parochus missam etiam pro populo applicare debeat?* — Parochi pro ovibus suis celebrare debent omnibus diebus dominicis et festis, quibus fideles missam audire debent, licet alicubi serviliter laborari posse permittitur, imo licet abrogatis vel translatis; nisi forte *cum solemnitate divinum officium*, cuius praecipua pars est missa, *translatum fuerit in dominicum diem;* neque excusant consuetudo contraria, etiam immemorialis, nec tenues paroeciae reditus, nec infirmitas parochi. Attamen, si parochus ita pauper est, ut congruos ad sustentationem fructus non habeat, potest cum episcopi consensu eleemosynam acceptare, celebrando pro populo in hebdomada. Constat ex Innoc. XII. Br. *Nuper*, Bened. XIV. C. *Cum semper oblatas*, 19. Aug. 1744., Pio IX. C. *Amantissimi* 3. Maii 1848., A. S. S. V. 7. p. 191., L. l. 6. n. 313. 325., E. M.

238. *Nota:* 1.° Non solum *parochi* tenentur hac obligatione, verum etiam *vicarii*, ad curam parochialem cum certa fructuum assignatione ab episcopo deputati, sive perpetui, sive temporanei et amovibiles, itemque oeconomi curati, vicarii quoque, parochiali vacante, ab episcopo deputati ad animarum curam usque ad novi ecclesiae rectoris electionem; iique omnes sive saeculares sive regulares sint. Superiores vero ecclesiastici, saeculares vel regulares, capellani monasteriorum, vel carcerum, aut nosocomiorum, etc. ad sacrum pro subditis faciendum non tenentur. Neque item tenentur coadiutores parochorum, et missionarii in locis missionum. — Si ex una parochia duae factae sint, uterque parochus tenetur. Si quis duas habet parochias, in unaquaque applicare debebit, sive per

se, si *binandi* facultatem habeat, sive per alium, vel alio die, si non habet, nisi forte illae unione *extinctiva* unitae fuerint. Hoc idem dicendum de parocho canonico, quo die missam conventualem celebrare debet. — Bened. XIV. l. c., Leo XIII. C. *In Suprema* IV. Id. Iun. 1882., A. S. S. V. 1. p. 407. 408., V. 2. p. 90. seqq., V. 3. p. 97., V. 5. p. 137., V. 8. p. 474.

2.° *Episcopi* tenentur etiam missam pro suis ovibus applicare, *unam tantum*, si plures dioeceses, vel abbatias aeque principaliter unitas regant. Verum hi qui sunt etiam parochi alicuius paroeciae in hac per vicarium applicare debent. Item *vicarii apostolici*, in iis locis, ubi dioeceses constitutae sunt, et ipsi legitimi pastoris vices obeunt. Non item vicarii capitulares. — C. cit. *In Suprema.*, A. S. S. V. 14. p. 534. seqq.

3.° Si festivitas tantum in dominicam diem translata fuerit, ut in Gallia festa Epiph., SS. Corp. Christi, etc. missa applicanda erit ea die, qua celebratur officium; sin tantum *officium* transferatur, ea die, qua festivitas celebratur, missa applicari debebit, e. g. festum Annunt. B. V. M. in fer. V. maior. hebdom. Verum, si ea die alia quoque festivitas celebretur, satisfit utrique unius missae applicatione, prout auditione. — A. S. S. V. 8. p. 36., p. 605.

4.° Obligatio applicandi missam pro populo est *personalis*, nec ulla valet in contrarium consuetudo. S. C. C. 27. Sept. 1847. Si tamen parochus vel episcopus infirmus, aut alia iusta et legitima causa sit impeditus, potest et tenetur per alium pro populo celebrare, S. R. C. 11. Maii 1720., soluto illi stipendio; et si alium sibi substituere non possit, tenetur ipse postea ad totidem missas applicandas. S. C. C. 14. Dec. 1859. Satisfacit autem suae obligationi parochus per missam lectam, cum non reperiatur praescriptum, quod debeat esse missa solemnis, vel cantata; eam tamen celebrare debet in propria parochia, et non in alia ecclesia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. S. C. C. 15. Sept. 17. Nov. 1629. Verum, parochus die festo a sua paroecia legitime absens satisfacit suae obligationi, missam celebrando pro populo suo in loco ubi degit, dummodo alius sacerdos in parochia celebret, et verbum Dei explicet. S. C. C. 14. Dec. 1872. — Bouix de Paroch. p. 550. seqq., Ferraris v. *Parochus* a. 3. n. 1., A. S. S. V. 24. p. 665. seqq., E. M.

239. *Quid de praedicatione?* — Ex Trid. S. 5. C. 2. de R. « omnes episcopi... et omnes alii Ecclesiarum praelati tenentur per seipsos, *si legitime impediti non fuerint*, ad praedicandum. Archipresbyteri quoque, plebani, et quicumque curam animarum obtinent, per se, vel alios idoneos, *si legitime impediti fuerint*, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi comissas pro sua, et eorum *capacitate* pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat ». S. Alph. l. 3. n. 269., hisce relatis verbis, « hinc, ait, non dubito quin praedictum praeceptum obliget tam episcopos, quam parochos graviter, et absolute... Communiter tamen dd. in tali praecepto admittunt parvam materiam... Hinc non improbabiliter videntur tenere non peccare graviter parochos, qui interdum concionari omittunt; secus vero, aiunt, si omittant per unum integrum mensem continuum, aut per tres menses discontinuos in anno. Tanto magis, quia in Trid. dict. S. 5. C. 2. in fine dicitur, quod si ab episcopo ipsi parochi

moniti, *trium mensium* spatio muneri suo defuerint, per censuras, etc. cogantur, ut officium suum impleant. Ex quo videtur in hac materia eius parvitatem maiorem latitudinem habere ». — Trid. S. 24. C. 4. 7. de R., Ithur. Cas. 45. n. 63., Ferraris v. *Parochus* a. 2. n. 72., E. M.

240. *Nota:* 1.° Si parochus transitorie infirmatur, excusari potest. Minime vero excusatur, propterea quod talis eo loci consuetudo vigeat, vel quod rari auditores intersint, vel quod frequentes in proximis Ecclesiis conciones habeantur. C. Innocentii XIII. *Apostolici ministerii*, cit. a Bened. XIV. Inst. 10. n. 3. — 2.° Parochus, qui pios auditoribus legit libros non obit munus suum praedicandi, quia lectio non est praedicatio. Non tenetur tamen ad *formalem concionem* ad populum habendam. S. C. C. ap. Bened. XIV. Notif. 10. n. 3., Trid. S. 5. C. 2. de R., Ithur. Cas. 45. n. 67.-69. — 3.° Erit prudentiae episcopi dispensare super hac re in solemnioribus festis. S. C. C. 1. Apr. 1876. — Bened. XIV. Inst. 27., S. C. EE. et RR. 31. Jul. 1894. A. S. S. V. 27. p. 162.

241. *An parochi teneantur sub gravi catechizare?* — R. Affirmative. Ita constat ex Trid. S. 5. C. 2. de R. Signanter vero quoad puerorum instructionem habet, quod episcopi, « saltem diebus dominicis et festis diebus, pueros *in singulis parochiis* fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt: et si opus fuerit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus ». S. 24. C. 4. de R. Cf. etiam ibid. C. 7., A. S. S. V. 13. p. 513., V. 15. p. 236.

242. *Quid de administratione sacramentorum?* — Parochi tenentur, per se, ipsi sacramenta ministrare, non modo instante tempore praecepti, et gravis necessitatis, sed etiam, quod spectat ad sacramenta, quae possunt iterari, toties quoties oves debite seu non intempestive petunt, nisi sint legitime impediti, vel possint per alium sine incommodo et offensione petentium ipsis consulere. Trid. S. 21. C. 4. de R. Cf. 360. seqq. — « Parochi tenentur sub gravi obstetrices diligenter examinare, utrum noverint necessaria ad baptizandum ... Nam ipsis ex officio puerperis adesse incumbit, et non raro occurrit eis occasio baptismum in necessitate ministrare ». L. l. 6. n. 117. Idem constat ex Rit. Rom. *de Bapt.* — Parochi tenentur matrimoniis interesse, et omnia, quantum in ipsis est, praestare, ut rite fiant. Rit. Rom. *de Sacram. matrim.*, L. l. 6. n. 54.

243. *Quid de parochorum vicariis?* — Parochorum vicarii, cum vices gerant parochorum, aut quoad totum parochiale officium, aut tantum quoad eius partem, iisdem, quibus ipsi parochi, obligationibus tenentur, cum debita tamen proportione; et insuper reverentiam et obedientiam ipsi parocho debent. — L. l. 6. n. 325. in fine.

244. *An vicarius discedere possit, saltem ad breve tempus, non monito parocho? An alium sacerdotem delegare possit? An, mortuo parocho, omnes functiones sacras, ut antea, obire valeat?* — R. Ad 1.um Negative, quia ratio recti ordinis, et etiam necessitatis requirit, ut ipse parochus non discedat a parochia, vicario non monito, qui parochum, casu occurrente, supplere possit: a fortiori igitur, si de vicario agatur, siquidem sub quadam pastoris tutela constituitur.

Ad 2.um Affirmative. Nulla quidem difficultas ratione baptismi, cum minime de validitate, sed de mera liceitate agatur. Sed neque difficultas maior obiicienda est, quoad matrimonium, licet iurisdictio ad validitatem requiratur. Ratio est, quia delegatus ad universitatem causarum subdelegare potest. Vicarius autem merito censetur delegatus ad causarum universitatem, nisi in aliquibus locis eius delegatio restringatur. Vicarius enim ab ipso episcopo constituitur, ut parochum in omnibus adiuvet, ipsumque suppleat. Sed alium sacerdotem delegare nequit, ut assistat matrimonio, extra parochiam celebrando, quia tunc neque ipse valide sponsos benedicere posset, cum iurisdictio territorialis tantum, seu intra parochiam ei detur. — S. Th. Quodl. 12. a. 31., Cf. 767., V. 1. n. 254.

Ad 3.um Affirmative. Ratio est, quia vicarii omnem delegationem ab ipso episcopo accipiunt. Ergo, non obstante parochi morte, vicarius omnes functiones sacras sicut antea obire potest. — E. M.

VII. — DE PRESBYTERIS SIMPLICIBUS AC INFERIORIBUS CLERICIS

245. *Quid de presbyteris?* — *Simplices presbyteri* tenentur *ecclesiae*, cui addicti sunt, *inservire*, atque ad salutem fidelium incumbere; quod duo potissimum exigit, pueros et rudes fidei rudimenta docere, et confessiones eorum excipere, qui in letali versantur, si desit, vel omnibus non sufficiat is, qui ex suscepto munere tenetur haec praestare. Id constat non tantum ex generali caritatis obligatione, verum etiam ex ipso sacerdotii officio, et ex Trid. S. 23. C. 13. 14. 16. de R., quod declarat sacerdotes non ordinari, nisi propter Ecclesiae necessitatem et utilitatem. — Nemo autem ex C. *Ex quo* Bened. XIV. sine licentia episcopi potest *ecclesiam derelinquere*, cuius servitio fuerit addictus. Neque vero licet *e propria dioecesi discedere* iniussu Ordinarii, et si qui discesserint poenis quoque et censuris revocari possunt, iis exceptis qui discedunt quaerentes alibi, quae sibi ad victum sunt necessaria; *nisi eis de congrua sustentatione provideatur*. S. C. C. 15. Mart. 1625., 13. Sept. 1749., 30. Aug. 1732. — Ideo episcopi vetare possunt, ne extranei sacerdotes, sine commendatitiis litteris proprii Ordinarii, in suis dioecesibus sacramenta ministrent vel obeant divina, ne regulares quidem, et in ecclesiis regularium; nisi forte eiusdem ordinis. Trid. S. 22. Decr. de observ. etc., S. 23. C. 16. de R. — L. l. 6. n. 625., A. S. S. V. 5. p. 475., V. 10. p. 474. seqq., V. 14. p. 121., V. 23. p. 608. seqq., Bizzarri Collectan. Ed. 1885. p. 89. 303. 304.

Omnes sacerdotes *ratione ipsius sacerdotii* iure divino tenentur sub gravi aliquando celebrare, ter vel quater in anno. S. C. C. m. Nov. 1696., S. Th. 3. p. q. 82. a. 10. Ac S. Alph. l. 6. n. 313. hanc sententiam dicit « longe communiorem et tutiorem ». Altera enim est sententia, quae excusat saltem a mortali, dummodo communicent in paschate, absitque contemptus et scandalum. Huius sententiae ratio est, quia non constat de praecepto, cum oppositae sententiae rationes nequaquam convincentes sint. Verum ista sententia ex S. Alph. « saltem propter scandalum vix est practice probabilis ». Cf. Trid. S. 23. C. 14. de R. — Veniale tamen certe est sine ratione abstinere a sacro faciendo, et ab audiendis con-

fessionibus, cum utriusque eadem sit ratio. — In communi etiam necessitate cogi possunt a proprio Ordinario sacrum facere diebus festis, et sacramenta ministrare; immo, si parochi ad id non sufficiunt, aliique desint, qui eis coadiutores adiungi possint, docere pueros rudimenta fidei, praedicare et curam animarum gerere. — CC. Bened. XIV. *Declarasti nobis, Etsi minime,* S. C. C. 18. Martii 1578., Conc. Rom. a. 1725. Tit. I. cap. 5., Trid. S. 24. C. 18. de R., A. S. S. S. V. 14. p. 409., V. 17. p. 288.

« Nullus sive saecularis, sive regularis, etiam in ecclesiis propriorum ordinum, contradicente episcopo, praedicare praesumat ». Trid. S. 24. C. 4. Cf. etiam S. 5. C. 2. de R., Clem. VIII. C. *Superna,* S. Th. Quodl. 12. a. 27.

Clerici omnes, praesertim sacerdotes, reverentiam et obedientiam debent episcopo in iis, quae pertinent ad mores et ad disciplinam ecclesiasticam. C. *Conquerente* 16. *de Off. iud. ord.*

246. *Quid de clericis inferioribus?* — « Nulli dubium, quod si quis accedere auderet *ad sacram ordinationem,* sciens a Deo se vocatum non esse, excusari nequiret a culpa letali, tum ob gravem praesumptionem se intrudendi in sanctuarium contra Dei voluntatem, tum ob periculum certum damnationis, cui tunc ipse se exponit. Attamen, ut promovendus a culpa excusetur, sufficit ipsi, quod bonum praeseferat finem, et episcopo se offerat, ut probetur, dummodo non certe sciat se nunquam fuisse a Deo vocatum ». L. 73. Vocationis huius necessitatem gravem sic docet Apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Hebr. 5., 4. Idemque evincit et ordinis sublimitas, et muneris sanctitas, et oneris gravitas. L. 802. 803. — Qui *minores ordines,* aut *primam tonsuram* suscipit animo effugiendi forum laicale, et postea redeundi ad vitam saecularem, alii ex S. Alph. 785. probabiliter dicunt peccare venialiter, alii probabilius peccare mortaliter. Trid. S. 23. C. 4. de R. — Qui vero divinam negligit sequi vocationem non videtur posse excusari ab aliqua culpa, quando signa indubia vocationis habentur, ob maxima salutis pericula, in quibus versabitur ille qui, spreta vocatione divina, mundanum statum ex propria voluntate amplectitur. Cf. 255. seqq.

Duae inferiorum clericorum dotes esse debent, ut sacris ordinibus digni habeantur: *scientia* et *sanctitas.* Ratio 1.ª est, quia ignorantia generatim loquendo in ecclesiasticis non solum sibi, sed aliis etiam nocet. Minor tamen requiritur scientia in religiosis unice ad chorum destinatis, ut sunt Carthusiani. Adde etiam, si quis, e. g., in aliqua capellania esset constituendus, in qua missa tantum celebranda foret. Ratio 2.ª est, quia ex Trid. S. 23. C. 12. de R., ii tantum debent assumi ad sacros ordines, « quorum probata vita senectus sit », nempe qui sint senes in virtute. Idque confirmatur ex communi Summor. Pont., Patrum, et Doctorum auctoritate, qui omnes requirunt in ordinando non solum sanctitatem *negativam,* quod nempe sit immunis a peccato gravi; sed etiam *positivam,* i. e. quod bonis moribus sit imbutus. Innocentius XIII. C. *Apostolici ministerii.* « Ordines sacri praeexigunt sanctitatem ». S. Th. 2. 2. q. 189. a. 1. ad 3. — L. 1. 6. n. 782. 783. 802. 803., S. Th. S. q. 36. a. 1. 2., Cat. Rom. de Sacr. Ord. n. 30.-32., E. M.

247. *An deneganda sit absolutio clerico habituato in peccatis lasciviae occultis, qui velit ad sacros ordines ascendere, sine praecedenti continentiae experimento?* — Quoad propositam quaestionem haec S. Alph.

l. 6. n. 64. seqq., ubi dissertationem habet de hac re, a Bened. XIV. commendatam de Syn. l. 11. c. 2.: « 1.° Hodierna et antiqua Ecclesiae lex, semper constans, obstringit, tam episcopos, quam confessarios, et promovendos, ut cum aliquis clericus recidivus vel consuetudinarius in vitio carnis ad sacrum ordinem, sive ad subdiaconatum, sive ad diaconatum, aut presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi; non tamen poterit sacrum ordinem suscipere, nisi aliquandiu operam det ad pravum habitum extirpandum. Et, si ipse persistat ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi. 2.° Potest tamen dari casus, quo Deus donet poenitenti tantam extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem assumere; et ideo beneficium absolutionis suscipere, sine eo quod temporis experientia prius comprobetur... Et hic notandum, quod id quod dictum est de vitio luxuriae, idem dicendum de quocumque alio, nimirum ebrietatis, avaritiae, blasphemiae, odii, etc. Quod autem ad sacros ordines suscipiendos minime sufficiat simplex gratia sanctificans, sed ultra requiratur interior perfectio, constat ex consensu communi SS. Patrum et Doctorum, qui uno ore illam efflagitant ». Quanto autem temporis spatio extra casum extraordinarium, probandi sint recidivi, non una regula est, uti observat Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 2., cum potius omnibus personae, rerum, et casuum adiunctis mature perpensis, tota quaestio sit coram Domino resolvenda.

Positivam Ecclesiae legem negat auctor Operis Istruzione pei Novelli Confessori P. 2. c. 3. n. 63., quod et alii etiam opinantur. Hinc asserunt naturalem legem attendendam esse; siquidem cum caelibatus sacris ordinibus ex Ecclesiae lege et voto annectatur, contra rectum prudentiae dictamen ageret, qui tantum onus vellet assumere, quod existimaret se ferre non posse. Unde confessarius eum absolvere non posset, si vellet adhuc sacris ordinibus initiari. E contrario posset confessarius eum absolvere, si *sincere* crederet, adiuvante Dei gratia, se posse caste vivere, et *efficaciter* proponeret idonea media se adhibiturum, ut a pravo habitu liberaretur.

Sed Cf. Trid. S. 22. C. 1. de R., S. 23. C. 12. 13. 14. 18. et S. Th. 2. 2. q. 184. a. 6. 8., q. 189. a. 1. ad 3., S. q. 36. a. 4. ad 3., q. 35. a. 1. ad 3. ubi ait: « ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens ». Si ad *exsecutionem,* ergo et ad susceptionem. Unde mox subdit S. D.: « ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, *super plebem* constituuntur *gradu ordinis,* ita et *superiores* sint *merito sanctitatis.* Et ideo *praeexigitur gratia,* quae sufficiat ad hoc, quod *digne connumerentur in plebe Christi.* Sed confertur in ipsa susceptione ordinis *amplius gratiae munus,* per quod *ad maiora* reddantur idonei ». Et Conc. Rom. tit. 6. c. 3.: « Qui propius ad sacratissima mysteria accessuri sunt... *ea* volumus *scientia polleant et pietate,* ut Ecclesiae sacramenta digne ministrare, Christi fideles sanam doctrinam edocere, et eos in via salutis *non minus exemplo, quam verbis, valeant anteire* ». Quomodo sane potest id *prudenter* iudicari futurum *de clerico* hactenus lasciviae peccatis et vitio illaqueato, sine alia probatione?

DE PARTICULARIBUS REGULARIUM OBLIGATIONIBUS

I. — DE NATURA STATUS RELIGIOSI

248. *Quid sit religiosus status?* — Status religiosus inspectus quoad eius *intrinsecam essentiam* definitur: Stabile vitae institutum, ab Ecclesia approbatum pro fidelibus, qui sub certa regula et communi vivendi modo tendere volunt ad perfectionem per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae, cum traditione sui Deo facta et ab ipso acceptata. Quare religiosi nec ad hierarchiam *iurisdictionis*, nec ad hierarchiam *ordinis* necessario pertinent; sed sunt vel possunt esse simplices in Ecclesia fideles, adeoque et utriusque sexus. — Suarez de Relig. Tr. 7. l. 2. c. 1. n. 1., Bouix de Iure regular. V. 1. p. 47.

Eorum status est *status perfectionis*. Duplex sane status vitae est; alius *vitae communis*, qui nihil aliud intendit, quam *mandatorum* Dei observantiam; alius *perfectionis*, qui observantiam addit *consiliorum*. *Perfectio* christianae vitae in caritate est. « Unumquodque dicitur esse perfectum in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Caritas autem est, quae unit nos Deo, qui est ultimus finis humanae mentis ». S. Th. 2. 2. q. 184. a. 1. Quare perfectio, quae statum perfectionis constituit, a statu communis vitae distinctum, *perfectio caritatis* est. Porro triplex caritatis perfectio potest considerari. Prima *absoluta*, qua « Deus tantum diligitur quantum diligibilis est, et talis perfectio non est possibilis alicui creaturae, sed competit soli Deo ». Altera, qua « affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum; et talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria ». Tertia, qua « excluduntur ea quae repugnant motui dilectionis in Deum... Et talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter; uno modo in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud quod *contrariatur* caritati, sicut est peccatum mortale; et sine tali perfectione caritas esse non potest, unde est de *necessitate salutis;* alio modo in quantum ab affectu hominis excluditur non solum illud quod est caritati *contrarium*, sed etiam omne illud quod *impedit*, ne affectus mentis *totaliter* dirigatur ad Deum, *sine qua perfectione caritas esse potest* ». S. Th. 2. 2. q. 184. a. 2. Unde ad illam priorem caritatem pertinent *praecepta*, ad hanc posteriorem *consilia*. Haec igitur caritatis perfectio non est profecto in caritate mere *essentiali*, sed in peculiari quadam caritatis superabundantia, quae communem christianorum et necessariam caritatem exsuperat. Hic autem caritatis excessus situs non est in aliquo vel aliquibus transitoriis caritatis actibus, etiamsi sint magnae vel maximae intensitatis; sed in *tali* caritate, in animi praeparatione et habituali dispositione, ut homo proxime praeparetur et disponatur ad agendum facile et ordinarie iuxta Dei praecepta et consilia. S. Th. q. 184. a. 2. 3. 4. Et sic idem A. D. q. 186. a. 1. ad. 4. ait: « Religionis status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quaedam exercitia, quibus tolluntur impedimenta *perfectae caritatis* ». Et a. 2.°: « Qui statum Religionis assumit... tenetur ad hoc tendere et operam dare, ut habeat *caritatem perfectam* ». Iam vero status

perfectionis duplex est; alius enim est status perfectionis acquisitae, alius acquirendae. Ille episcoporum, iste religiosorum proprius est. Porro status perfectionis acquirendae alius incompletus seu inchoatus est, alius completus. Ad priorem non requiruntur tria praecipua consilia evangelica paupertatis, castitatis, obedientiae; sed sufficit aliquod consilium sive sit unum ex tribus illis praecipuis, sive sit aliud; consilia enim sunt numero quam plurima. Ad posteriorem vero requiruntur, et sufficiunt tria consilia evangelica paupertatis, castitatis et obedientiae, ex obligatione observanda; eaque consequenter voto firmari debent. Status autem religiosus, status est completus perfectionis acquirendae. — S. Th. q. 184. a. 4.-8., q. 186. a. 3.-7., Bouix l. c. P. 1. S. 1.

Porro licet tria illa vota *de se perpetua* esse debeant, hoc enim ab ipsa ratione *status* exigitur; minime vero requiritur *ex intrinseca natura rei*, ut sint *solemnia*, sed satis est ut sint *simplicia*. Id aperte constat ex C. Gregorii XIII. *Quanto fructuosius* 1583. et *Ascendente Domino* VIII. Kal. Iun. 1584., ubi statuitur eos, qui in Soc. Iesu tria vota simplicia emiserint, vere et proprios esse religiosos. Votorum autem *solemnitas* nihil aliud est, quam quaedam *vis*, ex Ecclesiae dispositione ipsis addita, constituendi religiosum proprie et stricte talem *ex canonica institutione*, et *irritos* vel saltem *irritabiles* faciendi certos quosdam actus religiosi, circa materiam eorundem votorum, votaque ipsa omnino *firma et stabilia* reddendi; atque ea vis *absoluta* est, et non *relativa* dumtaxat ad certum tempus, vel donec religiosus liber a votis non dimittatur. Unde ad votorum solemnitatem non sufficit vis quaelibet praefatos effectus producendi; sed vis illa debet esse *absoluta*, i. e. ita perpetua et immutabilis, ut neque religiosus, neque ipsa etiam religio vim illam, ipsumque votum, suspendere aut tollere possit. Minime vero requiritur, ut patet, quod vis illa voti, votumque neque a Romano Pontifice tolli possit; ea enim vis de iure ecclesiastico est, adeoque Papa et ab effectu *solemnitatis* votorum, votis *solemnibus* remanentibus, Decr. S. C. Neg. Eccl. extr. 31. Jul. 1878., et ab ipsis votis solemnibus dispensare potest. Solemnitas igitur voti est in eius omnimoda *dependentia* et *subiectione* Summo Pontifici, quoad *esse* voti, eius *vim*, dictosque canonicos *effectus*. Et sic Busemb. l. 3. n. 195. votum solemne ait: « illud est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia... Simplex autem est omne aliud, quod talem solemnitatem non habet », talem nempe Ecclesiae acceptationem, quoad *praefatos canonicos effectus*. Et S. Th. 2. 2. q. 189. a. 5.: « Duplex est religionis votum. *Unum simplex*, quod consistit *in sola promissione Deo* facta, quae *ex interiori mentis deliberatione* procedit, et *hoc votum* habet efficaciam *ex iure divino... Aliud* autem est *votum solemne*, quod facit monachum vel religiosum; *quod quidem subditur ordinationi Ecclesiae propter solemnitatem, quam habet annexam* ». Et ex hac Ecclesiae ordinatione mox repetit A. D., quod votum ante pubertatem factum « non habeat *suum effectum*, ut faciat profitentem iam esse religiosum », et consequenter quod non sit solemne, « quantumcumque aliquis habeat usum rationis plenum, vel sit doli capax, nimirum, *quia Ecclesia respicit id quod in pluribus est* ». — *Solemnitas* igitur voti, non ex ipsa natura voti est, sed *ex sola constitutione Ecclesiae*, C. *Quod votum* un. *de Vot. et vot. red.* in 6.° — S. Th. 2. 2. q. 133. a. 1., q. 134. a. 4. 5., q. 186.

Hinc distinctio potissimum habetur inter Religionem *proprie* et *stricte* dictam secundum canonicam institutionem, et *Congregationem religiosam.* Etenim per *Religiones proprie* et *stricte* dictas intelligenda sunt instituta, quae essentiam status religiosi habent, cum votis solemnibus; per Congregationes autem Religiosas intelligenda sunt instituta, quae essentiam status religiosi habent, sed cum votis dumtaxat simplicibus, a Sancta tamen Sede approbata, ac ita approbata, ut vota, quae in tali Congregationi emittuntur non sint vota privata, sed acceptentur ab aliquo, nomine Congregationis aut Sedis Apostolicae, secus enim Congregatio religiosa non est, sed saecularis. Bened. XIV. Br. *Quo magis* 18. Dec. 1742., Bouix l. c. P. 2. S. 1.

Hac trium votorum nuncupatione, attenta eorum natura, totalis traditio sui Deo habetur, S. Th. q. 186. a. 7., a. 6. ad 2., quae tamen, non ab ipso Deo immediate, sed ab aliquo homine, eius nomine, acceptatur. Et sic semper fuit existimatum a Patribus, quod status religiosus sit donatio et traditio sui Deo facta. Deus autem, « secundum ordinariam providentiam, non suscipit peculiarem curam gubernandi privatam personam immediate per seipsum, nec indiget his rebus sensilibus, ut eis immediate et sine interventu causarum secundarum utatur. Et ideo, donatio sic facta Deo, vel esset vana et otiosa, vel quasi tentans Deum, ab illo immediatum regimen exigendo: et propterea illi non placet, nec ab ipso immediate acceptatur ». Suarez de Relig. l. 2. c. 4. n. 7. 8. — Acceptatione horum votorum ex parte Ecclesiae, *benedictio* et *consecratio* personae habetur, unde evadit persona *sacra,* i. e. irrevocabiliter Deo devota. Et vota tunc solemnia sunt. S. Th. 2. 2. q. 184. a. 4. — Ac si acceptatio ex parte Ecclesiae non sit ad omnem effectum praedictorum votorum sed tantum ad aliquos, adeoque vota sint non *solemnia,* sed *simplicia,* tunc non habetur *benedictio* et *consecratio* personae, sed simplex quaedam *benedictio,* quae personam Deo non ita immobiliter devovet. Unde persona dimissa ordinarie solet a votis etiam dispensari, et desinit esse Deo dicata.

Hinc patet omnino opus esse ad religiosum statum *Ecclesiae approbationem.* Ecclesia autem amplius non approbat in statu religioso vitam eremiticam, sed communem sub certa regula et sub certis constitutionibus. C. fin. *de Rel. dom.*, C. un. e. t. in 6.°, Bouix P. 1. S. 2., Bened. XIV. Not. 105. n. 59. seqq., E. M.

249. *Resolves:* 1.° Ex religiosi status professione obligatio reciproca resultat religiosum inter et communitatem, qua nempe non tantum religiosus tenetur permanere in ordine, sed ordo vicissim sine iusta causa illum non eiicere. Ratio est, quia « religiosus fit membrum unius corporis mystici, quod est ipsa religio: id autem fieri non potest, nisi per mutuam unitionem inter totum, et partem; illa vero unitio, cum moralis sit, per mutuam obligationem fit ». Suarez de Relig. l. 2. c. 4. n. 10.

2.° Religiosus *vi suae professionis* non tenetur esse perfectus, sed tenetur *sub gravi* ad studendum aliquo modo perfectioni. S. Th. q. 186. a. 1. Perfectioni autem tendere debet *primario* per media essentialia status religiosi, nempe per observationem trium votorum, paupertatis, castitatis et obedientiae; *secundario* vero per media accidentalia, scilicet per proprias ordinis regulas, saltem ea auxilia non contemnendo. S. Th. q. 186. a. 2. 7. Hinc graviter peccat, qui firmiter statuit non tendere ad perfectionem, vel nullo modo de ea curare.

3.° An autem graviter peccet religiosus, qui intendit servare tantum mandata sub gravi, alia vero, statuat omnia transgredi, vel de iis non curare, controvertitur. Prima sententia probabiliter affirmat; quia huiusmodi religiosus iam ad perfectionem non tendit. Secunda sententia tamen communior et probabilior negat. Ratio, quia *obligatio* tendendi *ad perfectionem* ex religiosa *professione* est, quae *in votis* consistit. *Ex votis* gravis *obligatio* non est omnia servandi, sed omnia, quae ad ipsa vota graviter spectant. *Profiteri* autem regulam, vel secundum regulam, non est vovere servare omnia, quae sunt in regula, sed se obligare ad *regularem vitam*, cui *non contrariatur* graviter, nisi id tantum quod est graviter contra grave praeceptum in regula expressum. Perfectionis autem et regularis vitae professioni directe contrariatur utriusque contemptus. L. 11., S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. Cf. 302.

4.° Graviter ergo peccat etiam qui regulas, etsi ad culpam venialem tantum, vel nullam obligantes ex *contemptu formali* transgreditur, quando nempe illas transgreditur animo non subiacendi illis, vel praelatorum praeceptis; secus vero si eas transgrediatur ex concupiscentia ductus, vel quia putat illas non esse necessarias ad salutem, vel si iudicet eas non praecipi sub gravi. Quare transgredi regulas in rebus parvae materiae, etiam ex consuetudine, *per se* veniale non excedit. *Per se*, nam grave esse potest, *ratione scandali*, si graviter perniciosus esset Religioni, inducendo alios malo exemplo ad regulae laxitatem, *ratione periculi proximi* graviter peccandi in particulari aliquo casu, et si inde in tali statu constitueretur, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus. S. Th. q. 186. a. 9. — Trid. S. 25. C. 1. 22. de Reg.

250. *An semper regula obliget et quomodo?* — An adsit obligatio observandi regulam, et quanta ea sit, ordinarie in ipsa regula explicatur. Si nihil in ea determinetur, attendenda est consuetudo, quae est optima legum interpres. Nulla ceteroquin imponenda est obligatio, nisi de ea certo constet. — Bouix V. 2. p. 571.-587., Sanchez in Decal. l. 6. c. 4. n. 9.

251. *An religiosi, vi dispersi, obstricti maneant obligationibus vitae religiosae?* — R. Affirmative. Nam manent veri religiosi. Hinc nequaquam censendi sunt a votis suis solemnibus soluti, ratione tamen peculiaris conditionis, in qua reperiuntur, quaedam est attendenda modificatio *quoad obedientiam et paupertatem*; nam *quoad castitatem* nulla esse potest difficultas. *Quoad obedientiam*, ex accidenti suppressionis religionis professi non efficiuntur saeculares; neque solvuntur a votis, quibus adhuc adstricti remanent, sed solum eis permittitur a Sacra Congr. vivere in saeculo, et in habitu clerici saecularis, aliquid tamen proprium regularis habitus interius deferendo, sub obedientia et iurisdictione Ordinarii. Semper tamen subiecti remanent propriis superioribus. *Quoad paupertatem*, possunt regulares dispersi licite et valide res sibi utiles aut necessarias comparare (minime vero superfluas), pecuniam apud se habere, et varios emptionis, venditionis et donationis contractus inire. Haec enim omnia possunt peragere religiosi ex praelatorum licentia et deputatione: porro in casu dispersionis merito praesumitur huiusmodi deputatio: tunc enim unusquisque, ipso facto, deputatur, quasi sui ipsius oeconomus, saltem pro omnibus casibus, in quibus non potest haberi ad superiorem recursus. — L. 65. *Nota.*, Card. De Luca Op. Tom. 14. Annot. ad S. Conc. Trid. disc. 36.

n. 1.-4., de Regul. p. 1. disc. 38. n. 16., Bouix P. 3. S. 2., A. S. S. V. 5. p. 82. seqq., V. 7. p. 147., V. 9. p. 109., V. 14. p. 91. 92., E. M.

252. *An religiosus ad parochiam vel episcopatum promotus, obstrictus maneat obligationibus vitae religiosae?* — R. ad 1.um Affirmative, adeoque tenetur deferre habitum religionis, regulamque observare in omnibus, quae cum suo munere consistere possunt; nisi contraria excuset legitima consuetudo.

Ad 2.um Affirmative ad formam C. *Custodes* Benedicti XIII. S. C. EE. et RR. 6. Maii 1864. — L. 4., S. Th. 2. 2. q. 185. a. 8., E. M.

253. *An apostatae et fugitivi obstricti maneant iisdem obligationibus?* — R. Affirmative: nam nulla sunt obligatione legitime soluti; et ad religionem redire debent. — Bouix V. 2. p. 506. seqq., Ferraris v. *Apostasia*, n. 21. seqq., A. S. S. V. 2. p. 116., L. 80. 82.

254. *An eiecti et dimissi a dictis obligationibus liberi sint?* — R. Affirmative *quoad observantias mere regulares:* per sententiam enim separati a vita religiosa, non amplius observantiis propriis vitae religiosae ligantur. — Negative *quoad vota*, si agatur de solemniter professis, per eiectionem enim nequaquam cessant. Unde sub gravi tenentur se emendare et ad religionem redire. Superiores autem emendatos recipere tenentur. — Affirmative *quoad vota*, si agatur de votis simplicibus. Dimissi enim et eiecti ordinarie a votis simplicibus solent etiam dispensari vel a propriis superioribus, si tale habeant facultatem, vel a S. Sede. — Innoc. XII. 24 Iul. 1674., Bouix V. 2. p. 511. seqq., L. 79. seqq., S. Th. Quodl. 12. a. 36., Ferraris v. *Eiicere*, A. S. S. V. 1. p. 227., E. M.

II. — DE VOCATIONE DIVINA

255. *An requiratur divina vocatio?* — Certum est dari *vocationem divinam* ad statum religiosum, qua nempe Deus aliquos prae aliis ad statum hunc excellentiorem vocat, et gratias ad illum rite exsequendum largitur. Prob. 1.° ex communi dd. auctoritate. 2.° Quia, si vocatio divina datur ad statum sacerdotalem, idem dicendum est consequenter de vita religiosa, quae est status perfectior, et multo difficilior.

256. *Nota:* 1.° Sancti censent vocationem istam semper esse a Deo; nequit enim esse a *natura*, quae abhorret a castigatione carnis; neque a *daemone* esse potest, cum neminem ad bonum ex bono fine inducat, S. Th. 2. 2. q. 189. a. 10. ad 1. — 2.° Ordinaria signa vocationis sunt: *aptitudo* ad obligationes status religiosi in genere, et ad observantiam talis vel talis ordinis in particulari; *inclinatio* constans et recta ad talem statum, non obstante titubantia aliqua praeterita, ex tentationibus daemonis, vel naturae repugnantia orta: *interior* quaedam *pax* et *iucunditas* ex consideratione talis status. Extraordinaria autem signa sunt: divina revelatio; singularis quaedam talis status inspiratio. — 3.° Hac in re opus non est multorum consiliis et diuturna deliberatione. S. Th. q. 189. a. 10. — Clemens VIII. C. *Cum ad regularem*, Exerc. Spirit. S. Ignatii, L. l. 6. n. 802., Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 1. n. 5. 6. 8.

257. *An et quomodo peccet, qui non vocatus statum nihilominus religionis suscipit?* — Peccat graviter, si defectum vocationis clare noverit, ob proximum periculum graves obligationes religiosi status transgrediendi, cui sciens volens se exponit. Excusabitur tamen ab illa culpa, si voluntatem firmam habeat obligationes assumpti status, in Dei gratia confidens, adimplendi. « Novitius, qui religionem intraret animo non perseverandi, difficulter excusari potest a culpa gravi, propter damna temporalia et incommoda, quae religioni tunc frustra afferret, et etiam propter scandalum, quod aliis novitiis praeberet, exemplum enim socii magnam alteri tentationem ingerit ». L. l. 6. n. 785. Ceterum, qui inordinata et non divina vocatione religionem ingressus est, sinceram agat poenitentiam, et speret in Domino. Gratiae certe necessariae ipsi non deerunt; ac specialia etiam auxilia ex divitiis divinae Bonitatis et Misericordiae facile habere poterit.

258. *Quid de iis, qui alios ad religionem inducunt?* — « R. Dicendum, ait S. Th. 2. 2. q. 189. a. 9., quod inducentes alios non solum non peccant, sed magnum praemium merentur. — Posset tamen contingere circa huiusmodi inductionem triplex inordinatio; si violenter, si simoniace, si mendaciis eum alliciat ». Cf. Quodl. 3. q. 5., Trid. S. 25. C. 18. de Reg.

259. *An et quomodo peccet, qui se ad religionem vocatum sentiens, divinae vocationi non obsequitur?* — R. « Negligere vocationem religiosam, per se non est peccatum; divina enim consilia per se non obligant ad culpam. Id tamen ratione periculi aeternae salutis, cui vocatus se committet, electionem status faciens non iuxta divinum beneplacitum, non potest ab aliqua culpa excusari. Et quidem, si quis crederet, quod in saeculo manens damnationem incurreret, tum ob suam fragilitatem, quam inter saeculi occasiones expertus est, tum ob carentiam auxiliorum, quae in religione haberet; non potest excusari a peccato gravi, cum in grave discrimen salutis suae se iniiciat... Utrum autem sit in malo statu conscientia eorum, qui certi moraliter iam facti de vocatione Dei ad religionem, nituntur sibi suadere, manendo in saeculo, vel in illud redeundo, salutem suam aeque facile facere posse? Non videtur dubitandum, quod isti magno discrimini salutis se exponunt... Ratio autem huius periculi est, quia qui in saeculo manet contra Dei vocationem, non habebit congrua gratiae auxilia, quae in religione Deus ipsi praeparavit: et ideo illis destitutus, difficulter saeculi tentationibus resistet, et sic succumbens damnationem incurret... Ceterum nolo in hoc puncto absolutum iudicium proferre: sapientibus illud remitto ». L. 78. Quare in praxi particulares casus cum omnibus suis circumstantiis sunt mature perpendendi; et nemo est post factum in desperationem coniiciendus, sed animus illi addendus; ut, si factum, remedium amplius non habeat, confidat in Deum, qui dives est in misericordia, et maiori sollicitudine christianam et sanctam instituat vitam. — Elbel de Actib. human. 124. 125.

260. *An et quomodo peccent, qui alios avertunt a statu religioso?* — Qui per vim, fraudem, aut metum gravem, impedit, vel avertit aliquem a religione, graviter peccat, etiam contra iustitiam. Prob. ex Trid. S. 25. C. 18. de Reg., ubi excommunicatur, qui puellam a religione impedit. Et sane quisque ius habet, ne vi aut dolo impediatur a consecutione boni. Si vero aversio fit tantum precibus vel promissionibus, grave erit pec-

catum dumtaxat contra caritatem; quia hoc non potest esse sine gravi damno illius, qui a religione distrahitur. « Sed parentes, addit S. Alph. 77., avertentes filios a religione puto duplici peccato gravi delinquere; nam, praeter peccatum contra caritatem, committunt alterum peccatum contra pietatem, dum ipsi ex officio eorum proprio educationis tenentur sub gravi incumbere spirituali profectui suorum filiorum... Non tamen propterea nego, quod plures parentes excusari possunt a mortali, saltem per aliquod breve tempus, ratione ignorantiae, vel inadvertentiae, quae de facili eis inesse potest, ob vehementem carnis affectionem erga filios ». — Elbel l. c. n. 126., L. l. 3. n. 663.

III. — DE NOVITIATU

261. *Quinam possint religionem ingredi?* — Omnes illi, et soli possunt ingredi religionem, qui 1.° sunt sui iuris; nec 2.° aliis graviori aliqua obligatione obstricti; nec 3.° criminosi. Qui *sui iuris* non sunt sed ab aliis dependent, ingredi et profiteri valide non possunt sine eorum consensu. Alii vero valide ingrediuntur et profitentur, etsi illicite. L. 65., S. Th. 2. 2. q. 189. a. 5. 6., E. M.

262. *Resolves:* Non possunt *ex primo capite* ingredi religionem: 1.° Impuberes, quia subsunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitae dispositionem. — 2.° Coniuges post matrimonium consummatum, nisi altera pars sit rea delicti, propter quod possit licite dimitti. Professio vero religiosa inita a coniuge, altero coniuge invito, resolvitur in simplex castitatis votum ex C. 3. 12. *de Conv. coni.* — 3.° Certum praeterea est, episcopum iam consecratum et etiam solummodo confirmatum non posse religionem ingredi absque S. Pontificis licentia, ob votum, quo episcopus Ecclesiae suae obstringitur in perpetuum. C. *Licet de Regular.*, C. *Inter de Transl. episcop.* — Non possunt *ex secundo capite* ingredi obnoxii *ratiociniis* intricatis et litigiosis, gravati aere alieno; qui virginem, promisso matrimonio, seduxerint; qui fratres in extrema necessitate, parentes vel filios non emancipatos in gravi relinquerent. — Non possunt *ex tertio capite* ingredi, quos ex publicis actis constat criminis esse postulatos vel inquisitos. C. *cum de omnibus* Sixti V., C. *In suprema* Clement. VIII. — Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 1., L. 65. 71. 76. 969. 971., S. Th. 2. 2. q. 185. a. 4., q. 189. a. 5. 7., E. M.

263. *An filii puberes, invitis parentibus, licite possint religionem ingredi?* — R. Affirmative. Ratio est, quia non est obligatio parentibus obsequendi quoad electionem status, praesertim religiosi, eo quod non tantum non habeant experientiam, sed ob proprium interesse aut mundanum affectum saepe mutentur in hostes. Contrarii sunt, et in praxi attendendi, ad gravia vitanda incommoda, art. C. I. 221., C. G. 372. 374. — « Dicunt Sanchez, etc., cum Suarez, etc., et communi, quod filius nequit ingredi religionem, relinquendo parentes in necessitate sive extrema, sive gravi, etiamsi filius votum religionis emiserit. Secus autem, si necessitas sit communis, aut si illi tantum aliqualem patiantur status diminutionem ». L. 66. — An autem filius iam professus teneatur egredi, ut subveniat parentibus egestate pressis, in necessitate extrema certum est teneri. At si necessitas sit gravis, adest triplex sententia. Prima dicit teneri ratione

naturalis obligationis, quae per votum non extinguitur. Secunda valde probabiliter dicit teneri, si necessitas antecedat professionem, secus si subsequatur. Nam naturalis obligatio perseverat in primo casu, in altero vero exsurgere non potest. Tertia probabilior docet, in tali casu non teneri, nec posse filium egredi sine licentia, sive necessitas parentum praecedat professionem, sive non. Ratio, quia « ille qui iam est in religione professus, reputatur iam quasi mortuus mundo. Unde non debet occasione sustentationis parentum exire e claustro ». S. Th. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4., q. 104. a. 5., q. 189. a. 6. Non licet fratres aut sorores deserere in extrema necessitate; sed licet in gravi. Attamen posset quis, ratione caritatis, differre aut etiam omittere statum religiosum ad subveniendum fratribus graviter indigentibus. — Quodl. 3. a. 16., 10. a. 9., L. 67. 68. 70., l. 2. n. 50., l. 3. n. 335.

264. *An debitis gravatus possit religionem ingredi?* — R. Affirmative, si debita, quibus quis gravatur, sint incerta quoad personam, ita ut restitutio fieri debeat pauperibus; nam, etiam dato quod incerta debeantur pauperibus vel piis causis, de iure naturali, res aequivalenter obtinet ad mentem dominorum, si ea remittantur, ut quis possit religionem ingredi, cum semper dentur ad pias causas: nihil sane adeo pium est, quam se suaque omnia Deo perpetuo dicare. Quod communiter adhuc conceditur, saltem pro foro interno, si debita sint ex contractu pure liberali; quia in hoc semper subintelligitur conditio: nisi meliorem statum elegero.

Si agatur de debitis ex delicto, vel ex contractu oneroso, tres sunt sententiae, omnes S. Alphonso 71. probabiles, sed probabilior tertia. Prima absolute negat, quia contra naturalem iustitiam est bonum spirituale quaerere, cum temporali creditorum damno. Secunda absolute affirmat; quia « propter pecuniam persona liberi hominis secundum Iura Civilia non obligatur, sed solum res: quia persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae. Unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare, nec tenetur in saeculo manere, ut procuret unde debitum solvat ». S. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. ad 3. Tertia affirmat posse debitorem ingredi, casu quo aliunde diu debeat in saeculo manere; nam tunc solutio haberetur uti moraliter impossibilis; secus vero, si in saeculo manens brevi tempore, v. g. intra annum aut biennium, secluso animae periculo, industria et labore sua debita vel magnam eorum partem facile esset soluturus.

Haec de Iure naturali. Etenim Sixtus V. B. *Cum de omnibus* a. 1587. reddidit inhabiles ad religionem debitores illos, qui bona sua dilapidaverint, vel qui deponere debeant rationes, antequam debita solverint, aut rationes ipsas reddiderint. Clemens vero VIII. C. *In suprema* a. 1602. sustulit quidem inhabilitatem illam, sed reliquit prohibitionem. Haec tamen sunt intelligenda: 1.° De iis, qui in saeculo manentes possunt creditoribus satisfacere; secus inutiliter morarentur. 2.° De iis, qui *magnis* debitis sunt gravati, ex *propria culpa;* quia Bulla loquitur *de ingenti aere gravatis, qui dilapidaverint bona sua.* 3.° Bened. XIV. constituit decreta pro viris religiosis comprehendere etiam feminas, ubi eadem esset causa. Cf. C. *Si datam hominibus.* In praesenti tamen re ad moniales non est praedicta Bulla extendenda, neque ad gravatos debitis incertis: siquidem in *odiosis stricta* interpretatio semper est adhibenda, ac testantur

alio Decreto ita declarasse Sixtum V. 4.° Denique praeceptum intelligendum est de reddendis rationibus valde litigiosis, intricatis, fraudulentis, et causam litibus praestituris: nam de his tantum Pontifex loquitur. — L. 71., Bouix p. 534. seqq., Lugo D. 21. n. 61. seqq.

265. *An parochus possit licite religionem ingredi, contradicente episcopo?* — « Omnino affirmandum », ait S. Alph. 74., et certa res est ex C. *Duae sunt leges* caus. 19. q. 5., ex C. Bened. XIV. *Ex quo dilectus* 14. Jan. 1747., et ex S. Th. 2. 2. q. 189. a. 7. Tenetur tamen episcopum prius monere de suo proposito, ne grex sine custode deseratur. Episcopus autem potest adhuc legitime contradicere, et revocare etiam parochum a religione, si paroecia grave patiatur detrimentum. Ad clericos et alios beneficiarios quod attinet, certum item est, non posse episcopos impedire suos clericos, ne religionem ingrediantur, ut habetur C. *Clerici* caus. 19. q. 1. Episcopus tamen bene posset revocare suum clericum a religione, si eius ingressus gravi detrimento esset ecclesiae, cui erat addictus. Bened. XIV. C. cit., L. 75., l. 6. n. 828.

266. *An possit religiosus transire ex suo ordine ad alium strictiorem?* — Bene potest religiosus ex suo ordine ad alium strictiorem transire, petita licentia a suo praelato, quamvis negata, ex C. *Licet.* 18. *de Regular.*, si tamen iuxta praecept. Urbani VIII. constiterit eam religionem paratam esse eum recipere. Hinc communiter tradunt, quod praelatus graviter peccaret, si sine iusta causa licentiam denegaret, quia gravem irrogaret subdito iniustitiam, eum a perfectiori statu retrahendo. Attendendum vero hac in re est ius particulare uniuscuiusque religionis. — Trid. S. 25. C. 19. de Reg., L. 73., S. Th. 2. 2. q. 189. a. 8., Pignatelli Cons. Can. T. 1. Cons. 39., Bouix V. 2. p. 519. seqq., p. 534.

267. *Quaenam aetas ad novitiatum inchoandum exigatur?* — Certum est, ad novitiatum sufficere pubertatis aetatem; imo nihil obstare videtur, quod etiam impuberes admittantur, modo usum rationis habeant, et sufficienter intelligant quid sit novitiatus. — Ex Trid. S. 25. C. 17. De Reg. « puella, quae habitum regularem suscipere voluerit maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus, vel eo absente vel impedito, eius vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, *an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat* ». Duplex haec exploratio gravis est, non tamen gravis reputatur alterutrius tantum omissio, neque vero utriusque omissio invalidam reddit professionem. — Ex Decreto autem S. C. EE. et RR. 23. Maii 1659. moniales ad habitum admitti non debent ante expletum 15. annum. — S. Th. 2. 2. q. 189. a. 5., Bouix p. 553. 666., Ferrar. v. *Moniales* a. 1. n. 72.

268. *Quanto tempore novitiatus durare debeat?* — Secluso privilegio, novitiatus per annum integrum durare debet: secus professio est nulla. Trid. S. 25. C. 15. de Reg. Quoad longiorem durationem attendendae sunt particulares variorum ordinum et congregationum constitutiones. — Novitiatus annus computandus est a momento suscepti habitus, vel, si habitus susceptio in aliqua religione non requiratur, a momento ingressus in novitiatum cum animo ibi remanendi. — Annus debet ad validitatem esse completus, ita ut anno bissextili sit expectandus lapsus diei, qui

addendus est. Sic expresse declaravit S. C. C. — Debet item ad validitatem esse continuus ex Decr. S. C. C., quae statuit novitium, qui e monasterio abierat, ut aliam Religionem ingrederetur, et duabus tantum horis in alio conventu transactis facti poenitens redierat, novum probationis annum incipere teneri. — Ferrar. v. *Annus prob.* n. 25. seqq., E. M.

269. *Quandonam annus probationis interrumpi censeatur?* — Censetur interrumpi praecipue: 1.° Quoties novitius egreditur e monasterio sine licentia, cum animo non revertendi, etiamsi statim revertatur, ut ex modo dictis constat. 2.° Quoties dimittitur absolute a superioribus, et deinde iterum admittitur. 3.° Si discedat privata auctoritate, ut ingrediatur aliam domum vel aliam provinciam, etiam eiusdem ordinis. — Non censetur autem interrumpi novitiatus: 1.° Si novitius aegrotet in domo, etiam notabili tempore, licet exercitiis novitiorum adesse minime possit. 2.° Si, violentia coactus, e domo discedat, et postea redeat. 3.° Si, accepta licentia, brevi tempore divertat ad parentes vel alios sanitatis recuperandae, aut negotiorum agendorum gratia. 4.° Si falsa accusatione dimittatur, et postea, cognita veritate, rursum admittatur. 5.° Si iter agat iussus a suis superioribus, quia tunc sub eorum dependentia remanet. — Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 2., Sanch. in Dec. l. 5. c. 4. n. 30.-35., Lezana Op. T. 4. Cons. 8., Suarez de Relig. T. 3. l. 5. c. 14. 15., La-Croix l. 4. n. 13. seqq., Schmalz. de Reg. 68. seqq., Ferrar. l. c. n. 10.-24.

270. *An prorogari possit tempus novitiatus?* — R. Affirmative, si adsit legitima causa; secus si non adsit. Ita ex Trid. S. 25. C. 16. de Reg. et ex Declar. et praxi S. C. C. — Ferrar. l. c. n. 29. seqq., E. M.

271. *An si novitius, peracto toto anno novitiatus, non admittatur ad professionem, sed dimittatur, vel ipse sponte recedat, et post brevem moram redeat, et admittatur, possit statim profiteri absque novo alio anno novitiatus?* — R. Affirmative, dummodo non sit mutata conditio personae *et vel* religionis. Ita declaravit S. C. C. 27. Feb. 1597. et 12. Feb. 1598. Ratio 1.ⁱ est, quia iam hic per annum integrum probatus est, quod solum a Trid. requiritur. Ratio 2.ⁱ, quia cum ex probatione debeat desumi iudicium ad professionem, si post probationem mutatio fit, parum vel nihil deserviet probatio praecedens ad iudicium illud ferendum — Ferrar. l. c. n. 20. seqq., v. *Professio religiosa* n. 64., E. M.

272. *An qui post professionem dimittatur, et postea iterum recipiatur indigeat novo novitiatu?* — R. Affirmative. Ratio, nam primus novitiatus iam obtinuit totum suum effectum per professionem, ad quam ordinabatur. Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 1. n. 3.

273. *Quonam in loco et quonam habitu novitiatus sit peragendus?* — Novitiatus fieri non potest *extra monasterium:* quin imo *in monasterio ad eum destinato* peragendus est. Ita ex Decr. Clem. VIII. 20. Iun. 1599. et pluribus aliis Decretis et praxi S. C. Ferrar. v. *Annus prob.* n. 36. seqq. — De iure communi novitiatus peragi debet in habitu religionis, quam novitius profiteri intendit. Trid. S. 25. C. 1. de Reg. Et hoc requiritur etiam sub poena nullitatis, iuxta S. C. EE. et RR. Ferrar. v. *Habitus* n. 2. 3., v. *Moniales* a. 1. n. 76. seqq., v. *Novitiatus* n. 4. — C. *Is qui de Regul.* in 6.°, Clem. VIII. Decr. *Regularis disciplinae* 12. Mart. 1596., Bened. XIV. C. *Si datam* § 6., Lucidi c. 4. n. 146., E. M.

274. *An, quandonam et quomodo novitius de suis bonis disponere debeat?* — Novitius bonis suis renuntiare debet intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium, non ante, et de licentia episcopi vel eius vicarii. Trid. S. 25. C. 16. de Reg., S. C. Reg. Disc. 1. Aug. 1862. — Ante professionem vero votorum simplicium cedere debent pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita velint. S. C. Reg. Disc. 12. Iun. 1858. Ut autem huiusmodi renuntiatio valida sit in conscientia, opus non est iuris civilis solemnitatibus. — L. l. 3. n. 935., Ferrar. v. *Annus probat.* n. 53., v. *Novitius* n. 30. seqq., v. *Moniales* n. 98. seqq., A. S. S. V. 9. p. 56. seqq., E. M.

275. *An novitius ad regularem disciplinam teneatur?* — Regulas et praecepta ordinis sui novitii observare non tenentur ex proprie dicta obligatione. Ita doctores unanimiter, ea ducti ratione, quod nullum assignari valeat eiusmodi obligationis fundamentum. C. *Ad Apostolicam* 16. *de Regular.*, Schmalz. tit. de Regular. n. 85. seqq. Licet vero praelatus non possit praecipere novitio *ratione votorum*, ut patet, potest tamen praecipere ratione *potestatis*, quam *naturaliter* habet quivis superior in qualibet communitate, et ratione *ecclesiasticae iurisdictionis* in novitium. C. *Recolentes de statu monachor.* Unde plures inferunt, posse hunc novitios praeceptis ligare sub peccato et sub censuris, et casus respectu ipsorum reservare. At contrarium alii plures et graves theologi docent quoad hoc ultimum, posse nempe novitios, absque licentia praelatorum ordinis, valide confiteri apud quemcumque confessarium ab Ordinario loci pro saecularibus approbatum, atque ab eo absolvi, etiam a casibus in religione reservatis. Ferraris v. *Novitiatus* 13.-16., Bouix p. 598., Craisson 2675. seqq., Montrouzier de Inst. Soc. I. pag. 77. 96. Generatim vero novitii gaudent omnibus privilegiis, indulgentiis, protectione canonis, etc., quibus fruuntur professi ordinis, quem intendunt amplecti; nam ex R. I. 55.ª in 6.°: « Qui sentit onus, sentire debet et commodum ». Bouix l. c. p. 599., Ferraris l. c. n. 20. 21.

IV. — DE PROFESSIONE

276. *Quaenam sit vis professionis religiosae?* — Professio religiosa dupliciter distinguitur, alia enim est *late* talis, alia *stricte* talis. Prior per vota *simplicia*, posterior per vota *solemnia* habetur. Ubi autem vox professio sine addito adhibetur, de professione stricte sumpta intelligi solet. — Professio solemnis liberat professum a patria potestate, quia professus transit in plenam potestatem superioris regularis, eique plene subiicitur. Hoc autem intellige de odiis, non de favoribus. Nam hoc est beneficium et quod in gratiam alicuius conceditur non est in eius dispendium retorquendum, R. I. 16.ª in 6.° Hinc retinet professus iura successionis, et si post professionem filio bona obveniant, ad peculium pertinent quasi castrense, quae omnia, quamvis non sibi, monasterio tamen acquirit. — Professio item liberat ab irregularitate, proveniente ex natalibus, relate ad suscipiendos sacros ordines; non item ad praelaturas. C. 1. *de Filiis presbyt.* — S. Th. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3., E. M.

277. *Quaenam requirantur ad professionem religiosam?* — Ad professionis valorem requiritur: 1.° Ut persona sit habilis ad ingrediendam religionem. 2.° Ut profitens decimum sextum annum impleverit, hoc tempus mathematice computando de momento ad momentum. Ita enim decrevit Trid. S. 25. C. 15. de Reg., iuxta S. C. et omnes dd. 3.° Ut praecesserit integer probationis annus. Trid. ib. 4.° Ut fiat cum intentione professionem faciendi; est enim matrimonium quoddam spirituale cum religione; quod perinde ut carnale, deficiente consensu, et ipsum deficit. 5.° Ut professio non emittatur ob fraudem seu dolum: secus enim deesset verus consensus. 6.° Ut non fiat ex vi vel metu *gravi*, ab *extrinseco iniuste incusso ad extorquendam professionem*. C. 1. *de His quae vi metusve*, etc., C. ult. *Qui clerici vel voventes*, Trid. S. 25. C. 18. 19. de Reg., A. S. S. V. 1. p. 31., V. 3. p. 435., Zitelli Apparat. p. 221., Lucidi Ed 3.ª p. 84. seqq. 7.° Ut emittantur tria vota substantialia; secus enim non aderit status religiosi essentia. 8.° Ut professio fiat in aliqua religione approbata. 9.° Ut professio acceptetur ab habente ad id potestatem. Cf. Ferraris v. *Moniales* a 1. n. 101. seqq., C. *Ad apostolicam de Regular.* 10.° Ut profitens nullam apponat conditionem substantiae religionis repugnantem. 11.° Ut professio *expressa* fiat; professio enim *tacita* quoad viros est abrogata per Pium IX. Decr. S. C. Disc. Reg. 12. Jun. 1858. Cf. A. S. S. V. 5. p. 412., V. 8. p. 41. seqq., Ferrar. l. c. n. 109. 12.° Ut vota simplicia emiserint prius viri, in eisque per triennium integrum permanserint, ante solemnem professionem emittendam. Pius IX. Br. *Ad universalis Ecclesiae* 7. Febr. 1862. Interim vero « tenentur ad observantiam regulae ordinis prout solemniter professi ». Ead. S. C. 6. Aug. 1858. 13.° Si unum votum e. g. paupertatis solemne non est, nec alia duo solemnia sunt. S. Poenit. 1820. ad Episc. Lemovic. 14.° Ad moniales quod attinet, solemnis professio sine papali clausura non habetur, C. *Periculoso* un. *de Stat. reg.* in 6.°, Trid. S. 25. C. 5. de Reg., S. Pius V. C. *Circa pastoralis* 29. Maii. 1566. — Praeter haec observanda sunt ad liceitatem, quae a Pio IX. constituta fuere pro admissione ad habitum et professionem, et quae habentur in Actis S. C. super statu Regular. Romae 1862. ex Typ. Rev. Cam. Apost., et ap. Bizzarri Collect. App. 2.ª — E. M.

278. *An possit quis religionem deserere quandocumque voluerit propter nullitatem professionis?* — R. Negative. Debet enim reclamare in primo quinquennio, nisi *in integrum* a S. Sede restituatur. Causa autem nullitatis debet examinari a proprio praelato et ab Ordinario loci. Pendente appellatione, egredi nequit post primam sententiam. Trid. S. 25. C. 19. de Reg., Bened. XIV. C. *Si datam*, Ferraris v. *Professio religiosa* n. 65. seqq., Bouix de Iudic. eccles. P. 2. S. 5. C. 4.

279. *An superior religiosum aliquem expellere possit?* — R. Affirmative, si tamen habeat hanc potestatem propriam vel delegatam, iuxta varias ordinum religiosorum constitutiones. Generatim enim loquendo, praeter superiorem maiorem, hanc potestatem superiores alii inferiores non habent. Bizzarri Ed. 1855. p. 856. Requiritur vero canonicus processus ac iudicium, et legitima causa. Talis est: reticuisse essentiale impedimentum, vel defectum nocivum communitati; commisisse « culpam gravem externam, et publicam, et quod culpabilis sit etiam incorrigibilis » in gravibus peccatis. S. C. EE. et RR. 4. Nov. 1892. — S. Th. Quodl. 12. a. 36.,

Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 11. n. 15. seqq., Ferrar. v. *Apostasia* n. 8., Lucidi c. 5. de Monial. § 8. n. 337., E. M.

V. — DE VOTO PAUPERTATIS

280. *Quaenam sit vis voti solemnis paupertatis relate ad proprietatem bonorum?* — Religiosus vi *voti solemnis paupertatis* redditur *absolute incapax dominii in particulari*, seu *personaliter*, cuiuslibet *rei temporalis pretio aestimabilis, etiam de licentia superioris.* — *Absolute incapax*, i. e. incapax perpetuo et immutabiliter, tum ex parte religiosi, tum ex parte religionis. *In particulari* seu *personaliter*, etenim *solemnitas* voti paupertatis non obstat, quominus communitas bona acquirere et possidere possit sive per se, sive per subditos, nisi obstent eius constitutiones. Hinc pervulgatum axioma iuris canonici: Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit. *Rei temporalis pretio aestimabilis,* quia retinet religiosus dominium bonorum spiritualium, honoris, famae et similium. Item ius eligendi, praesentandi, conferendi regulare beneficium. *Etiam de licentia superioris,* nempe regularis: ista enim incapacitas tolli potest a S. Pontifice, quin ideo impediatur voti solemnitas. Cf. 248. *Dominii,* i. e. dominii tum *directi,* tum etiam dumtaxat *utilis.* Quare solemni paupertatis voto opponitur proprietas bonorum temporalium, ius fruendi, ius utendi, ius simpliciter retinendi seu possidendi; minime vero usus et retentio mere *facti*, i. e. de licentia superioris, non autem ex proprio iure et nomine; nec non mera administratio; per hanc enim nullum sibi temporale commodum acquirit, ex quo dives aut minus pauper efficiatur. — C. *Cum ad monasterium* 6. *de stat. monach.*, Trid. S. 25. C. 2. 3. de Reg., Bizzarri Ed. 1885. p. 276. 279. 335. 336. 384., E. M.

281. *Resolves:* 1.° Religiosus solemniter professus inhabilis omnino est ad quemlibet proprietatis actum, donationis, venditionis, etc. Quare neque potest testamentum condere. — 2.° Dona omnia, quae religiosis solemniter professis fiunt, eo ipso acquiruntur monasterio, non exceptis legatis et haereditatibus. Trid. S. 25. C. 1. de Reg. — 3.° Manuscripta sunt propria religiosorum. Ita probabilius affirmant communissime; sunt enim quid spirituale, cum sint partus proprii ingenii. — 4.° « Habere proprium dicitur esse contra paupertatem; non quia sit contra aliquam specialem virtutem, quia *nulla est*, sed quia est contra votum paupertatis; et ita peccatum illud est proxime *contra religionem* ». Suarez de virt. Rel. Tr. 10. l. 4. c. 14. — L. 14. 22.

282. *Quaenam sit vis simplicis voti paupertatis relate ad bona exteriora?* — Religiosus *simplici voto paupertatis* ligatus potest quidem dominium directum bonorum habere; sed nihil de ipsis sine superioris licentia particulari vel generali disponere *licite* potest. *Licite;* siquidem religiosus servans dominium directum bonorum potest *valide* de illis disponere absque licentia, quum vere sit dominus illorum bonorum. Verum talem dispositionem superior invalidare poterit ob dominativam potestatem, quam habet in voluntatem sui subditi, vi voti obedientiae, ubi tamen non intercedat iam ius quaesitum tertii. Votum tamen simplex,

quod in Soc. Iesu emittunt *coadiutores formati* inhabilem etiam reddit dominii. — Suarez, de Relig. Tr. 10. l. 4. c. 6. n. 12., Lugo de Iust. D. 3. n. 78., Bouix V. 2. p. 558., E. M.

283. *Resolves:* Religiosus, qui non est solemniter professus, dominium directum habet: 1.° *Bonorum temporalium*, quae possidebat ante vota. Ratio, quia vota simplicia non privant dominio iam habito. 2.° Fructuum seu redituum eorumdem bonorum. Ratio, quia res fructificat domino, et vota simplicia non privant iure dominium acquirendi. 3.° Eorum, quae ipsi de iure adveniunt, sine nova acceptatione, ut haereditas paterna, legata, etc. Ratio ex dictis patet. 4.° Omnium bonorum, quae a parentibus, cognatis, amicis accipit de superiorum licentia; si tamen donationes istae fiant speciatim intuitu personae privatae, et non quatenus religiosae, secus enim donationes monasterio obveniunt. His enim quoque religiosis applicatur principium illud: Quidquid monachus acquirit, etc. 5.° Bonorum omnium, quae a parentibus, cognatis, amicis, etc. accipit data intuitu personae privatae, sine superiorum licentia. Ratio, quia cum habeat ius acquirendi, defectus licentiae facit, quod illicite acquirat, non quod acquirat invalide, quemadmodum defectus licentiae facit, quod illicite donet, non quod donet invalide. 6.° Opera manualia, quaecumque sint, quae a religiosis conficiuntur, ad communitatem pertinent. De iis igitur privati, licet opifices, disponere nequeunt, nec ullum emolumentum ex illis percipere possunt. Idem dicendum est de honorariis, quae regularibus pro missis vel aliis spiritualibus ministeriis tribuuntur.

Illicite agit religiosus voto simplici ligatus, si quid domi, seu foris etiam ex iis, quae ad victum et vestitum pertinent, sine superioris consensu, accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet, mutuetur, vel commodet, vel aliquem contractum faciat, in quo *proprietatis actus* interveniat. — *Contra votum paupertatis* peccat, si quid ex rebus in usum suum concessis, in alium usum expendat, aut culpabiliter amittat, vel destruat. Ratio est, quia in iis tantum habet usum facti, idque precario, quandiu superiori videbitur; estque actus dominii, posse rem arbitratu suo destruere. — *Contra votum* etiam *paupertatis* peccat, si occultat vel subtrahit rem aliquam superioris dispositioni; si debitum remittat, si haereditati vel legato, quod esset *in favorem communitatis,* renuntiet. Si donationi renuntiet, non peccat contra iustitiam, vel votum, sed peccare potest *contra caritatem* erga suum conventum. — L. 19.

284. *Quid requiratur, ut religiosus rem accipere vel dare possit?* — Ut licite religiosus rem accipiat, donet, etc., requitur et sufficit *licentia* superioris, saltem *rationabiliter praesumpta seu interpretativa.* — *Licentia praesumpta seu interpretativa* distinguitur a licentia *expressa* et *tacita.* Expressa dicitur, quae verbo vel scripto aperte conceditur; et haec esse potest expressa *formalis,* vel *virtualis,* ut si dicat: Concedo tibi ut advoces medicum; erit haec expressa licentia *formalis* in ordine ad consulendum medicum, *virtualis* in ordine ad adhibenda praescripta remedia. *Tacita* dicitur, quando ex consuetudine, signis, vel aliis circumstantiis, rationabiliter concluditur superiorem rem approbare. *Praesumpta* seu *interpretativa* appellatur, quando ob occurrentem aliquam necessitatem, aliamve iustam causam creditur seu praesumitur, quod superior consentiret, seu daret licentiam; si haec peteretur in his circumstantiis. *Ra-*

tionabiliter praesumpta, secus enim nulla est licentia, cum sit contra voluntatem superioris. — Porro ad agendum contra votum paupertatis requiritur, quod religiosus agat *nomine proprio* et independenter a voluntate superioris. Non autem agit *nomine proprio* et independenter, qui agit ex consensu praelati secundum prudentem interpretationem. Ergo. Hanc sententiam *probabiliorem* dicit S. Alph. 18., eamque docet expresse S. Th. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1. et 4. D. 15. q. 2. a. 5., q. 4.

285. *Resolves:* 1.° Si praelatus subdito donet vel donari permittat imagines, rosaria, etc.; sciens non indigere iis omnibus ad proprium usum, tacite facultatem concedere censetur donandi aliis. — 2.° Si religioso ad suam sustentationem certa quantitas ita assignetur, ut nec monasterium teneatur aliud ei praestare, nec ipse rationem reddere, tunc sive is intra claustra commoretur, sive extra, quidquid sibi de illa portione subtraxerit, poterit ad suum beneplacitum erogare, modo eroget ad honestum usum. Secus vero, si nulla certa quantitas ei assignetur, sed omnia necessaria a monasterio subministrentur, quia tunc non praesumitur, sicut in primo casu, praelatus licentiam concedere. — 3.° Ab auctoribus permittitur religiosis ob eandem praesumptam licentiam moderatas aliquas eleemosynas facere, leves item facere donationes ad conciliandum aliorum amorem erga religionem, in signum debitae amicitiae, vel debitae gratitudinis. Atque hic attendenda est Const. *Religiosae* Clementis VIII., moderata per decretum *Nuper* Urbani VIII., religiosis prohibens largitionem munerum, nisi sint *ex causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus, modeste tamen ac discrete, et de superiorum licentia,* qua prohibitione comprehenduntur etiam conventus et ipsorum capitula; accipientes autem ad restitutionem tenentur. — L. 17. 21. 23., E. M.

286. *Nota:* Licentia petita, sed indebite negata, non excusat a transgressione voti, nisi periculum gravis damni sit in mora. Tunc enim praesumitur adesse consensus superioris maioris. Ita S. Alph. 33., et congruit doctrinae S. Th. 1. 2. q. 106. a. 6., 2. 2. q. 120. a. 1.

287. *Quaenam sit materia gravis in transgressione voti paupertatis.* — Difficile est aliquam determinatam regulam tradere circa quantitatem ad grave peccatum requisitam, ut constat ex ipsa multiplicitate opinionum circa hanc materiam. — Generatim loquendo ea habenda est materia gravis, quae in furto peccatum grave constituit. Actus enim proprietatis, qui est gravis contra iustitiam, gravis etiam est contra religionem, paupertatis voto accedente. Aliqui vero dicunt eam tantum esse materiam gravem, quae est gravis in furtis filiorumfamilias, quod alii *probabilius* negant. — Gravis ista materia secundum diversas circumstantias, ut in furto, maior vel minor esse potest. Plus requiritur pro conventibus pinguibus, quam pro aliis minus opulentis. Plus, si religiosus res monasterii in *usum proprium,* vel pro *aliis eiusdem communitatis* usurpet; quam si in extrinsecos erogaret; priori enim casu res domi remanet. Plus, si res non sit ex pecuniis, sed ex vestibus, libris et similibus. Mortale non est surripere *comestibilia* per plures vices, etiamsi perveniant ad magnam quantitatem, modo a religioso non reserventur, et modo damnificatio conventus non sit nimia et in re extraordinaria et pretiosiore. Plus etiam requiritur in furtis minutis, quae insuper, interposito notabili intervallo,

in gravem materiam non coalescunt, quam in aliis furtis ordinariis. Praeterea, plus requiritur in peccatis contra solam religionem, seu contra solum votum commissis, quam simul contra iustitiam; in priori enim casu *actus proprietatis*, ut patet, minor est; unde etiam in eodem casu peccati contra solam religionem plus requiritur ad graviter peccandum, quando dona accipiuntur ab extraneis in alios eroganda, quam si haec in proprios usus retinerentur. Denique plus vel minus requiritur, prout actus magis vel minus participat de proprietate. Et sic generatim religiosus non peccat graviter clam accipiens ad suum usum rem aliquam ex communitate, vel si rem ad usum sibi concessam alteri mutuet vel commodet. — L. 24. 25. 27., l. 3. n. 545., H. A. Tr. 3. n. 10., Lugo D. 3. n. 170. seqq.

288. *An licitum sit religiosis habere peculium, i. e. bonum temporale ad proprios usus destinatum, minime vero ad communes monasterii usus?* — Certum est *illicitum* esse tale peculium cum independenti ipsius usu: est enim contra paupertatem, et contra Trid. S. 25. C. 2. de Reg. — Controvertitur autem, utrum peculia cum usu dependenti fuerint prohibita a Trid. S. 25. C. 2. de Reg. — Ex consuetudine et Sedis Apostolicae venia in pluribus monasteriis perseverat adhuc usus peculii ac vitalitii, et licitus est. — Omnes conveniunt, quod in iis Conventibus, in quibus non observatur vita communis ob paupertatem, vel incuriam superiorum subministrandi subditis necessaria, possint concedi peculia ad nutum praelatorum. Ratio, quia Tridentinum tunc praecipit religiosis vitam communem, cum a conventu « nihil, quod sit necessarium, denegetur ». — Non potest regularis vitam communem recusare, si superiores illam erigere velint. Ratio, quia id esset contra votum paupertatis, esset enim habere bona independenter a voluntate superiorum. — L. 15., E. M.

289. *An peccet contra votum paupertatis, qui accipit ab extraneo pecuniam, in pia opera ad libitum impendendam?* — R. Negative, si opera pia determinentur ab ipso donatore. Nam tunc nullus habetur proprietatis actus. Religiosus est tantum exsequens alterius commissionem. — Si vero opera nullo pacto a donatore determinentur, P. Gury 157. affirmat, quia actum faceret proprietatis. At Vasquez in Decal. l. 7. c. 30. negat. Ratio, quia dum eam pecuniam distribuat *non nomine proprio*, sed *alieno*, nullum facit proprietatis actum.

290. *An religiosi ex voto paupertatis prohibeantur recipere rem alienam in depositum, sine praelati licentia?* — R. Affirmative, si sit in *vim contractus* depositi, quia adest tunc verum *ius* et *obligatio* ex iustitia. Negative, si sit tantum in *fidam custodiam*, nam nullum tunc habetur ius et obligatio ex iustitia.

VI. — DE VOTO CASTITATIS

291. *Quodnam sit obiectum voti castitatis?* — Obiectum voti castitatis duo complectitur, nempe ea quae de iure naturali et divino iam prohibentur, nec non ea quae in legitimo matrimonio licite fieri possunt.

292. *Quaenam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum?* — R. Eadem prorsus est gravitas vel levitas peccati contra

virtutem castitatis ac contra votum in iis, quae virtute prohibentur, et in his duo dantur peccata, si votum violetur. Unicum committitur peccatum in eo, quod solo voto interdicitur. Gravitas vero vel levitas ex ipsa castitatis virtute desumenda est, si nempe etiam illi opponeretur.

293. *Quodnam est discrimen inter votum solemne et simplex castitatis?* — *Votum solemne castitatis* irritat sponsalia et matrimonium *subsequens*, itemque sponsalia, nec non matrimonium antecedens *ratum*, sed non consummatum. Et notetur discrimen cum voto castitatis in susceptione sacrorum ordinum, nam hoc posterius irritat quidem sponsalia et matrimonium postea contractum; at non irritat matrimonium antea contractum, licet non consummatum. — *Votum simplex castitatis* de iure communi non irritat matrimonium, sive *subsequens*, sive *antecedens*. *De iure communi*, quia potest S. Pont. decernere ut votum simplex castitatis matrimonium dirimat, perinde ac si foret solemne. Et ita revera statutum est quoad subsequens matrimonium pro votis simplicibus scholasticorum Soc. Iesu. Praeterea per votum simplex perpetuae castitatis irrita sunt sponsalia *subsequentia*, promissio enim matrimonii tunc de re illicita est. Probabilius dissolvuntur etiam sponsalia antecedentia. Ratio, quia promissio sponsalium semper censetur facta sub tacita conditione, *nisi melior status eligatur*. — C. *Rursus* 6. *Qui cler.*, Trid. S. 24. c. 6. 9., L. l. 6. n. 812. 958. 1059., Lucidi Ed. 3.ª p. 93. 148.

294. *Quid de clausura?* — Ad maiorem autem castitatis custodiam introducta est *clausura*, vi cuius moniales egredi non possunt e monasterio, nisi de licentia Pontificis aut episcopi, quae etiam in solis extraordinariis casibus dari potest. Religiosi vero domo abesse nequeunt absque praelati licentia. — Neque vero mulieres in regularium virorum clausuram, neque cuiuscumque sexus vel aetatis personae in monialium clausuram ingredi possunt. Itemque prohibetur frequens ad moniales accessus, et regularibus, ut par est, severius, quam aliis, tum clericis saecularibus, tum laicis. — Trid. S. 25. C. 4. 5. de Reg., Bened. XIV. Epist. Decret. *Gravissimo* 31. Oct. 1749., C. *Quamvis iusto* 20. Apr. 1749., Clemens VIII. C. *Nullus*, Ferrar. v. *Moniales* a. 3., Comment. de C. *Apostolicae Sedis* n. 56. seqq., E. M.

295. *Quale sit peccatum egredi e monasterio sine licentia?* — Pro monialibus intra clausuram degentibus erit semper grave, cum Ecclesia id prohibeat sub poena gravissima, nempe excommunicationis. — Pro religiosis viris erit grave, si saepius cum scandalo fiat, aut de nocte furtive; veniale autem tantum, si quis semel aut iterum, aut interdum tantum per diem egrediatur. — Clemens VIII. De Ref. Reg. prohibuit generalem dare licentiam, vel sine socio; sed certum non est, utrum Clementis VIII. ordinationes sint omnes praeceptivae, vel aliquae saltem directivae. Cf. Salm. Tr. 15. c. 5. n. 163. Legitimae tamen stari potest consuetudini, et uniuscuiusque ordinis Constitutionibus a S. Sede approbatis. — Socii praescriptio in vigore adhuc est ex praxi S. C. EE. et RR. in approbatione recentiorum Institutorum, praesertim vero quoad moniales. — L. 37., Suarez de Relig. Tr. 8. l. 1. c. 6. n. 8.

296. *Quid de obligatione gestandi habitum?* — In iis Institutis, in quibus certus habitus in signum professionis religiosae deferendus in-

iungitur, *per se loquendo,* dimissio *formalis* habitus, h. e. mutando habitum, ut tanquam religiosus quis non agnoscatur, si fiat temere, est peccatum mortale. C. *Ut periculosa* 2. *Ne clerici vel monachi* in 6.° — Bouix V. 2. p. 585. seqq.

VII. — DE VOTO OBEDIENTIAE

297. *Quodnam est obiectum voti obedientiae?* — Religiosus *ex voto obedientiae* obligatur ad omnia, quae *superior praecipit secundum regulas et constitutiones ordinis,* sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. Id constat ex ipsa natura *voti obedientiae,* facti in tali religione; obiectum enim huius voti hoc est, obedire superiori praecipienti, *secundum regulas* talis ordinis; nullam enim superior religiosus potestatem habet *supra* vel *contra regulas,* prior enim potestas excedit limites promissae obedientiae, posterior in religionis destructionem tenderet. — Suarez de Rel. T. 3. l. 10. c. 8., S. Th. Quodl. 10. a. 10., 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3., q. 104. a. 5. ad 3., E. M.

298. *Resolves:* Superior ius non habet *generatim* imponendi id, quod ex Instituto sub peccato non iubetur. Id tantum facere potest, data speciali ratione, in casibus quibusdam *particularibus.* L. l. 1. n. 141.

299. *Nota:* « Quod nisi praelatus *mandatum explicet,* v. g. dicens *iubeo, praecipio,* etc., subditus non tenetur obedire. Et, dicente praelato: *iubeo, praecipio,* etc. nec etiam teneretur subditus obedire sub gravi, nisi addatur: *In nomine D. Iesu Christi,* vel *in virtute obedientiae,* vel nisi addatur poena excommunicationis, non solum ferendae, sed etiam latae sententiae ». — « Quae *indirecte* pertinent ad regulam, Sylv., etc., ampliant ad illa, quae faciunt ad pleniorem eius observationem; Sanch. tamen arctat ad res valde necessarias, sine quibus regula commode servari nequit, alioquin enim superior quasvis corporis macerationes praecipere posset: ordinantur enim ad pleniorem observationem regulae ». L. 38. 39. 40., S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 3., 2. D. 44. q. 2. a. 3., Bouix V. 2. p. 429. seqq. — Religiosus graviter inobediens probabilius peccat graviter tum contra virtutem religionis, tum contra virtutem obedientiae. L. 46. — Lugo de Poenit. D. 16. S. 4. § 4., de Iust. D. 36. n. 90. 92., L. 6. n. 313., Ithur. Cas. 9., Escobar Tom. 5. lib. 43. S. 2. Dub. 17.-20., E. M.

300. *An abbatissa possit praecipere monialibus in virtute obedientiae obligando in conscientia?* — R. Affirmative. Ratio est, quia per votum obedientiae moniales obligantur ad obediendum omnibus suis legitimis superioribus. Legitima autem et vere superior dicenda est abbatissa in suo monasterio. Id constat tum ex ipsa natura societatis et communitatis, quae certe in monasterio est, tum ex approbatione Constitutionum a S. Sede. Nam S. Sedes, Constitutiones approbans, approbat profecto ordinem superiorissarum et subditarum, earum superioritatem, harum subiectionem. Secus enim, quomodo monasterium et regularis observantia servari potest? — L. 52., Bouix V. 2. p. 402.-404. 455. seqq., E. M.

301. *An vi voti obedientiae praecipi possint actus mere interni? Et quid etiam de aliis votis?* — Omnes fere conveniunt circa *votum pau-*

pertatis, quod actus dumtaxat *externos* proprietatis attingat, tanquam proprium obiectum. Quod non excludit, uti patet, quod quis peccare possit contra paupertatis votum etiam actu interno, e. g., desiderio actum proprietatis exercendi; nam illud desiderium a tali obiecto specificatur, quod ex hypothesi contra paupertatis votum est.

Quoad *votum castitatis,* quod eius obiectum sint tum actus exteriores, tum actus interiores affirmant Salmant Tr. 15. c. 6. n. 20., Sanch. In Dec. l. 5. c. 6. n. 9., Busemb. apud S. Alph. 37., Gury 165., aliique plures, quia, aiunt, ita communiter intelligitur votum castitatis. Sed hoc *demonstrative* non evincit assertum: siquidem in pluribus Ordinum et Congregationum Constitutionibus haec explicatio non reperitur, et religiosi, qui vovent, saepissime theologicis studiis operam non dederunt, ita ut possint habere notitiam huius rei. Contenti sunt vovere sicut vovent ceteri ad mentem Ecclesiae, Ordinis et Congregationis Constitutiones approbantis. Neque vero aliam intentionem habere possunt. Hinc non desunt, qui opinantur votum castitatis solos externos actus attingere iisque violari. Aiunt enim Ecclesiam non solere praecipere actus mere interiores; adeoque neque vota religionis, ab Ecclesia approbata, sese extendere ad actus mere internos. Sed respondetur, et ita sustinetur simul communis sententia, nempe, quod votum castitatis in religione perfectior certe est ac votum extra religionem. Porro votum castitatis extra religionem, cum intelligatur votum *perfectae* castitatis, et internos et externos actus complectitur; ad utrosque enim sese extendit castitas.

Quoad *votum obedientiae,* variae adsunt opiniones; alii enim putant votum obedientiae attingere tantum actus exteriores, et exteriorem exsecutionem mandati superioris, quod habet etiam Gury 169., alii e contra arbitrantur illud votum sese protendere usque ad actus mere internos. S. Th. 2. 2. q. 186. a. 5. ad 4. quamvis dicat hoc votum obedientiae habere quandam universalitatem, eam tamen, ait, non se extendere ad omnes particulares actus, et videtur excludere, praeter alios, etiam actus internos, de quibus agitur in obiectione, nam se remittit ad q. 104. a. 5., ubi huiusmodi actus positive excludit ab obedientia hominibus praestanda. Haec sane habet A. D. praedicta q. 104. a. 5.: « in his, quae pertinent ad interiorem motum voluntatis homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo ». Et ib. ad 3. ait de religiosis: « quantum ad illa sola obedire tenentur, quae possunt *ad regularem conversationem* pertinere ». Et q. 186. a. 7. c. ait, *offerri Deo,* per votum paupertatis bonum *exteriorum rerum,* per votum castitatis bonum *proprii corporis,* per votum obedientiae *propriam voluntatem.* Et ib. ad 1. « Dicendum, ait, quod votum religionis ordinatur, sicut in finem *ad perfectionem caritatis,* ad quam pertinent *omnes interiores actus virtutum*... Et ideo *interiores actus virtutum*... non cadunt sub voto religionis, quod ordinatur ad ipsos sicut ad finem ». — Lugo Resp. Mor. l. 6. D. 7., E. M.

302. *An, si Regula Ordinis sub peccato obliget, eius transgressio sit contra votum obedientiae?* — Negat Suarez de Rel. Tr. 8. l. 1. c. 2. Nam votum non obligat ad servandam regulam, sed ad obediendum superioribus, secundum regulam. Et ideo propria obligatio regulae, ut sic, non *ex voto* obedientiae, sed *ex propria ratione legis* est. Affirmat Busemb. ap. S. Alph. 41., quia talis regula non est minus praeceptiva, quam vox

superioris. Attamen, ut habeatur peccatum non tantum contra obedientiam, verum etiam contra votum, requiritur, quod vel quis speciali voto, seu speciali ratione, promiserit observantiam regulae, *veram legem et praecepta* continentis, vel quod in regula sit *expressum* superiorum *praeceptum in vim voti obedientiae;* nam tunc revera idem est, quod praeceptum oretenus, vel scripto per regulam omnibus imponatur in virtute voti sanctae obedientiae. Et hoc congruere videtur doctrinae A. D. 2. 2. q. 186. a. 9. — Suarez Tr. 7. l. 10. c. 6. n. 6., c. 7. n. 1. 6. 8.

303. *Quomodo votum solemne obedientiae a voto simplici differat?* — *Votum simplex obedientiae* reddit quidem *illicitam* obligationem, quae a subdito independenter a consensu superioris contrahatur, minime vero *per se invalidam* efficit, nisi forte superior, vi potestatis dominativae, in voluntatem subditi huiusmodi obligationem irritare velit. — *Votum* autem *solemne invalidam per se* reddit omnem obligationem a subdito susceptam independenter omnino a voluntate superioris, nisi tamen de re agatur, quae superioris potestati minime subditur, ut videre est in secreto *confessionis*, in secreto *commisso*, etc. — Suarez de Rel. Tom. 3. l. 2. c. 13. n. 8. seqq.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

I. — DE NATURA SACRAMENTORUM

304. *Quid sit sacramentum?* — Quoad *vim nominis,* sacramentum graece mysterium, idem est ac res sacra, arcana. Quoad *rem,* sacramentum, prout complectitur sacramenta V. T. et N. T., definitur: Invisibilis gratiae visibile signum: prout vero ad sacramenta tantum N. T. coarctatur, definitur: Signum sensibile, quod ex Christi institutione vim habet significandi et *causandi* gratiam. Hinc sacramenta V. T. multum a sacramentis differunt N. T. Illa enim non *causabant* gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse *figurabant:* haec vero nostra, et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. — *Sacramenta* distinguuntur a *sacramentalibus,* quae sunt quaedam res sacrae vel sacrae actiones ab Ecclesia institutae, quae vim gratiam ex se causandi non habent, sed tantum pios motus in nobis excitandi; ut sunt aqua lustralis, Agnus Dei, consecrationes, benedictiones, etc. — Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 7. c. 1. 2. 5. 6. 7. 8., Cat. Rom. n. 2.-14., S. Th. 3. p. q. 60. a. 1.-4., S. q. 29. a. 1., L. 90.-94., La-Croix 218. seqq., Ferrar. v. *Peccatum* n. 52. seqq., Voit 112.-117., E. M.

305. *Quot sint sacramenta N. T.?* — Sunt septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium. Scilicet, ut in vita corporali nascimur, adolescimus, alimur, aegroti sanamur, contra hostes munimur, regimur et multiplicamur, ita etiam in vita spirituali. Per baptismum enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide, per eucharistiam divina alimonia nutrimur, per poenitentiam spiritualiter sanamur ab ae-

gritudine peccati, per extremam unctionem in agonia roboramur contra daemonem, per ordinem Ecclesia gubernatur, per matrimonium multiplicatur. — Flor. Decr. pro Armen., Trid. S. 7. c. 1., S. Th. 3. p. q. 65. a. 1.-3.

306. *An omnia sacramenta a Christo fuerint instituta, et quandonam?* — R. Ad 1.um Affirmative, idque de fide est ex Trid. S. 7. c. 1. Longe autem verius est omnia a Christo fuisse instituta *immediate,* per se; et non mediate aliqua per Apostolos seu Ecclesiam.

Ad 2.um *Baptismum* probabilius Christus instituit ante suam passionem, Ioann. c. 3. v. 5.; *poenitentiam* post resurrectionem, quando dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, Ioann. c. 20. v. 22. 23., Trid. S. 14. C. 1. 14.; *eucharistiam* in ultima coena, Trid. S. 13. C. 1.; *ordinem* in ultima coena, quando Apostolis contulit consecrandi potestatem, 1. Ad Cor. c. 11. v. 24.-26., Trid. S. 22. C. 1. c. 2., et post resurrectionem quando potestatem eis dedit remittendi peccata, Ioann. l. c.; *matrimonium* in nuptiis Canae, vel quando eius indissolubilitatem et perpetuitatem constituit, Matth. c. 19. v. 5. 6. 9., certa enim res non est. Neque item constat quo tempore *confirmationem* et *extremam unctionem* instituerit. — S. Th. 3. p. q. 64. a. 2.-4.

307. *An omnia sacramenta, et semper, gratiam conferant?* — Omnia sacramenta N. T. gratiam continent, et vim habent eam non ponentibus *obicem* conferendi, eamque dant semper et omnibus rite ea suscipientibus. Trid. S. 7. c. 6. 7. *Obex* habetur, si in suscipiente necessariae desint dispositiones. *Fictio* etiam dicitur, quia impedit, ne sacramentum efficiat id quod significat. S. Th. 3. p. q. 60. a. 3., q. 69. a. 9. ad 3. — Hinc sacramenta *formata* vel *informia* dicuntur, prout *gratiam* producunt dum suscipiuntur, aut, intercedente obice, effectum suum, nempe *gratiam,* suspendunt donec obex removeatur. Unde apparet posse sacramenta esse simul *valida* sed *informia:* ac simul recipi posse *valide* sed *illicite. Valide,* cum nihil deest eorum, quae pertinent ad essentiam sacramenti; *illicite,* quando, ex culpa, aliqua desit ex necessariis dispositionibus in suscipiente.

308. *An sacramenta informia, sublato postea obice, reviviscant?* — Sacramentum *reviviscere* est, gratiam praestare, quam ab initio praestitisset, si non fuisset obex. Obex autem *aufertur,* supplendo necessarias illas dispositiones, quae *ab initio* defuerunt, e. g. contritionem imperfectam, si agatur de baptismo, ab adulto suscepto sine ulla contritione propriorum peccatorum, et interim novum grave peccatum non commiserit. Secus enim requiritur vel contritio perfecta, cum voto sacramenti poenitentiae, vel contritio imperfecta cum ipso sacramento poenitentiae. Et tunc baptismus delet peccatum originale, ac simul omnia peccata actualia, ante baptismum commissa. Sacramentum vero poenitentiae delet peccata post baptismum commissa, et peccatum *fictionis,* seu pravae dispositionis, cum qua susceptum est baptismi sacramentum, saltem in quantum prava haec dispositio post baptismum perseveravit.

Iam vero baptismus reviviscit, quia iterari non potest. S. Aug. l. 1. Contr. Donat. c. 13., S. Th. 3. p. q. 69. a. 10., aliique communiter. Idem consequenter dicendum est de confirmatione et de ordine. S. Th. 4. D. 49. art. 2. Idem etiam proportionata ratione dicendum de extrema unctione et de matrimonio, quae durante eadem infirmitate, eodemque coniugio iterari pariter non possunt. — De poenitentia vero et de eucharistia valde

disputatur: ratio dubitandi est, quia si in poenitentia attritio deest, materia deest sacramenti; et consequenter sacramentum nec formatum nec informe est, cum sit invalidum, nempe cum non sit omnino. Eucharistia autem ex sua institutione frequenter potest iterari, idcirco non videtur, quod fuerit opus hanc ipsi tribuere efficaciam, ut subveniatur humanae fragilitati. — Verum S. Th. 4. Dist. 17. q. 3. a. 4. qc. 1. loquens de poenitente, qui fecerit confessionem validam, sed informem, ait: « quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet; sicut etiam est in aliis sacramentis ». Reviviscentiae autem ratio generalis est, quia per accidens tantum est, quod proprios gratiae effectus non producant, nempe propter obicem; et proinde effectus illi remanent suspensi, manente obice; hoc tamen remoto, animae applicari debent. — Lugo D. 9. n. 50. 55., La-Croix 207., L. 6. 87. 444. 707., H. A. Exam. Ord. n. 4.

309. *Quam gratiam sacramenta causent?* — Gratia *sacramentalis*, quam sacramenta causant, non est gratia entitative diversa a gratia communi seu non sacramentali; sed est gratia sanctificans, habitualis, quatenus datur per tale sacramentum, et dat *ius* ad *talia* auxilia specialia et abundantiora, ipsaque haec auxilia specialia complectitur, *actu*, suo tempore, collata; pro diversitate finis, ad quem obtinendum singula sacramenta instituta sunt. Flor. Decr. pro Armen. Sacramenta autem, quae ex sua primaria institutione causant *primam* gratiam sanctificantem, *mortuorum* appellantur, ut baptismus et poenitentia. Quae vero causant ex sua primaria institutione gratiam *secundam* sanctificantem, ut quinque alia sacramenta, *vivorum* nuncupantur. Verum; cum omnia sacramenta N. T. gratiam contineant et conferant obicem non ponentibus, Flor. Decr. ad Armen., Trid. S. 7. c. 6. 7., sacramenta mortuorum *per accidens* secundam conferunt gratiam, si quis ea iam in statu gratiae recipiat, et hoc certum est. Sacramenta e contra vivorum *per accidens* primam sanctificantem gratiam conferunt, si quis simpliciter attritus ea recipiat in statu gravis peccati, bona fide falso existimans, se esse rite absolutum, vel perfecte contritum; et hoc iterum certum est de extrema unctione, valde probabile de aliis. — S. Th. 3. p. q. 62. a. 1.-4., q. 72. a. 7. ad 2.

310. *An sacramenta aequalem in omnibus causent gratiam?* — Sacramenta gratiam causant vi ipsius signi, seu *ex opere operato*, non merito ministrantis nec suscipientis, seu *ex opere operantis.* Hinc gratiam *per se* aequaliter in omnibus efficiunt; quae tamen *per accidens*, ex maiori merito ac melioribus dispositionibus utriusque, maior esse potest; ut evenit in effectibus aliarum causarum, quae physice et necessario agunt. — S. Th. 3. p. q. 69. a. 8.

311. *An omnia sacramenta imprimant characterem?* — Tria tantum sacramenta imprimunt *characterem*, quae ideo *characteristica* dici solent, nempe *baptismus, confirmatio, ordo*, quibus Ecclesiae subditi, milites, ministri efficimur. *Character* est, spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, impressum in anima et indelebile. Unde, sine gravi peccato sacrilegii, iterari non possunt. Frustra enim iterarentur, et consequenter non sine gravi irreverentia; cum esset illudere ipsi Christo, qui sacramentum instituit. Sacramentalis character incompossibilis non est cum gravi peccato: quare sacramenta etiam informia licet gratiam non pro-

ducant, characterem tamen in anima imprimunt. Reliqua quatuor sacramenta characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt. Unde sacramenta in *initerabilia* et *iterabilia* dividuntur. Poenitentia et eucharistia sunt simpliciter iterabilia, extrema unctio et matrimonium iterabilia quidem sunt, sed non eadem infirmitate, eodemque coniugio. Quare medium locum tenent inter initerabilia et iterabilia, et sine gravi sacrilegio iterari non possunt. — Flor. Decr. pro Armen., Trid. S. 7. c. 9., S. Th. 3. p. q. 63., Lugo de Poenit. D. 16. n. 558.

312. *An sacramenta sint necessaria?* — Baptismus non baptizatis, et poenitentia post baptismum lapsis in grave peccatum, necessaria sunt *necessitate* non tantum *praecepti*, verum etiam *medii*, *in re* vel *in voto.* Flor. Decr. pro Armen., Trid. S. 5. Decr. de pecc. origin., S. 14. C. 1. 4. 5. c. 1. 2. 6. 7. Eucharistia necessaria est de necessitate praecepti. Trid. S. 13. c. 9. Sacramenta ordinis et matrimonii *singulis* omnino libera sunt. Trid. S. 7. c. 4. An autem confirmatio et extrema unctio necessaria sint ex praecepto, certo non constat, ut suo in loco explicabitur. — S. Th. 3. p. q. 61.

313. *Quibusnam sacramenta perficiantur?* — « Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri, conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum ». Flor. Decr. pro Armen. Res et verba requiruntur, ut intrinsece constituant sacramentum, seu signum sensibile gratiae significativum et causativum, tanquam materia et forma. Verum, cum materia proxima et forma, quae verbis continetur, per se non exstent, sed humanis actionibus contineantur, ideo minister praeterea requiritur ad sacramentum substantialiter perficiendum, et quidem cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; hac enim intentione ultima completur significatio illius signi. Nam posita etiam re et verbo, seu materia et forma, tota illa actio adhuc non habet perfectam significationem sacramentalem; adhuc enim esse potest actio sacramentalis vel actio quaedam, e. g. irrisoria ipsius sacramenti, ex intentione agentis. Sacramenta autem « efficiunt illud quod figurant », et significant, S. Th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 1., et ideo si nihil significant, nihil efficiunt.

II. — DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM

314. *Quid et quotuplex sit sacramentorum materia?* — Materia sacramenti est *res* quaedam, vel *quasi res* seu *actio* quaedam, determinata, ex Christi institutione, ad sacramentum conficiendum. S. Th. 3. p. q. 60. a. 5. — Materia haec distinguitur in *remotam* et *proximam.* Materia remota est res ipsa, in sacramento adhibenda, e. g. aqua in baptismo; proxima est applicatio et usus rei in sacramentali actione, v. g. ablutio. Huiusmodi *res* vel *actio* rationem habet materiae in sacramento, quia est magis indifferens et minus perfectam significationem habet, adeoque per aliud ad significandum determinari debet.

315. *Quid sit sacramentorum forma?* — Sacramentorum forma sunt verba quaedam determinata, ex Christi institutione, ad sacramentum per-

ficiendum, significationem rei seu materiae perficiendo. Id enim quod *res* magis obscure demonstrat, *verba* magis clare significant. — S. Th. 3. p. q. 60. a. 6.

316. *An sacramentum confici possit sine materia, vel sine forma?* — Materia et forma sunt omnino necessaria ad sacramenti validitatem; idcirco, alterutra deficiente, sacramenta confici nequeunt. Ratio est, quia sacramentum esse et vim habet ex Christi institutione. Ergo confici nequit nisi eo modo, quo Christus instituit. Constat praeterea ex Flor. Decr. pro Armen., ex traditione et Ecclesiae praxi. C. *Non ut* 5. *de Bapt.*

317. *An materia et forma certa esse debeant?* — In conficiendo sacramento *extra casum necessitatis* materia et forma adhiberi debet certa, *prout haberi queat.* Ratio est, quia probabilitas invaliditatis periculum non removet, quod et contra reverentiam sacramento debitam est, et *saepe contra caritatem* proximi est, et *saepe* etiam *contra iustitiam.* Constat praeterea ex prop. 1.ª d. ab Innoc. XI.

Extra casum necessitatis. Etenim, cum sacramenta sint propter homines, ea possunt et debent conferri, licet certitudo de sacramenti validitate non habeatur, quoties adest non tantum extrema necessitas, verum etiam gravis necessitas vel utilitas, praesertim si prudenter timeatur, ne, praesenti occasione praetermissa, non amplius deinde conferantur. Ratio est, quia cum irreverentia seu contemptus situs sit in aliqua *humana actione, per se contumeliosa,* cessat quidem omnis sacramenti irreverentia et contemptus, si causa adsit, quae communi hominum opinione omnem contemptus speciem removeat. — *Prout haberi queat;* nam ubi agitur v. g. de dispositione necessaria ad sacramentum poenitentiae, fere de ea vix aliud iudicium haberi potest, quam prudens ac probabile.

Saepe contra caritatem et contra iustitiam est, incertam formam aut materiam adhibere: nam neutrum esset, si suscipiens consentiret. Sed licet abesset tunc proximi damnum, et malitia quaelibet contra caritatem et iustitiam; non abesset tamen sacramenti irreverentia, et sacrilegium tum ministri tum suscipientis: sancta enim sancte sunt tractanda. — Damnum autem, quod proximo afferri potest, materia vel forma incerta, esse potest *gravissimum,* ut in baptismo infantis; simpliciter *grave,* ut in extrema unctione moribundi; *leve,* ut in absolutione venialium peccatorum; et etiam *nullum* ut in mulieris ordinatione. — Quod autem dictum est *de materia et forma dubia,* dicendum pariter est *de subiecto forte incapaci.* Explorata res est *de baptismo* et *de poenitentia,* et verior sententia est *de confirmatione* et *de extrema unctione.* Rit. Rom. *de Sacr. bapt., et extr. unct.* — L. 28. 162. 432. IV. 449., Lugo de Poenit. D. 14. n. 110. 111., La-Croix 105.

318. *Resolves:* Urgente periculo mortis, *baptismus et poenitentia* conferri possunt et debent, etiam cum infimo probabilitatis gradu. Quare baptizandus est moribundus etiam cum aqua rosacea, vel in pede, Rit. Rom. *de Bapt. parv.*, vel digitis aut capillis. *Confirmatio* autem et *extrema unctio* conferri possunt et debent, si vere sit probabile neque materiam neque formam desiderari, et scandalum absit: nam scandalum quoque removendum est, salva aeterna alterius salute. Ex Rit. Rom., *de Sacr. extr. unct.*, aegrotus ungendus est, de quo dubitatur, an adhuc

vivat. Ex S. Alph. 719. ungendus item sub conditione est puer, de cuius usu rationis dubitatur. Licet etiam in eo periculo extremam unctionem conferre cum oleo catechumenorum. Licet item in eodem periculo confirmationem cum oleo sine balsamo benedicto conferre. Sola vero manuum impositione non licet, propter rei novitatem et adstantium admirationem ac scandalum. Ac, si moriturus confiteri et communicare non potest, licet ei conferre etiam extremam unctionem cum infimo probabilitatis gradu, e. g., si sensibus fuerit destitutus in actu peccati, in ebrietate, in rixa; siquidem tunc sacramentum evadit necessitatis.— L. 82. 103. 107. 111. 162. 702. d. 2. 408. 732. 751., S. Th.

Ordinem, praesertim *sacerdotium*, nunquam licet conferre cum dubio de eius valore; quia nulla habetur in eo necessitas et utilitas suscipientis, et periculum e contra gravissimum habetur christianae reipublicae. — Cf. 345. 348.

319. *An mutatio materiae et formae sacramentum invalidet?* — Duplex esse potest mutatio in materia et forma sacramentorum, *substantialis* et *accidentalis*. *Substantialis* mutatio erit *in materia*, si haec sit physice corrupta, ut pristinam naturam amisisse videatur; vel si suo naturali usui deservire amplius non possit; vel si iuxta hominum communem aestimationem eadem dici non possit ac ea, quae a Christo est determinata: e. g. si vinum sit acetum factum, si ex aqua fiat atramentum, si vinum et aqua aequali quantitate admisceantur: non vinum enim nec aqua censetur, sed mixtio ex aqua et vino, quae neque baptismo neque eucharistiae deservire potest. *Accidentalis* vero erit mutatio, si materia neque physice neque moraliter loquendo pristinam amittat naturam, neque suo naturali usui deservire desinat: e. g. si in modica quantitate aqua vino vel vinum aquae admisceas, vinum eucharistiam, aqua baptismum non invalidat. — S. Th. 3. p. q. 66. a. 4., Lugo de Euchar. D. 4. n. 4., La-Croix 261., L. 103., 207. q. 2.

Substantialis mutatio erit *in forma*, si sensus verborum a Christo intentus ita immutetur, ut neque sacramentalem actionem, quae a ministro perficitur, neque sacramentalem effectum amplius significet, e. g. si quis in baptismo dicat: ego te absolvo, ego volo te baptizare.

Accidentalis erit mutatio si forma adhuc idem significat, v. g.: Hoc est corpus *meus*. Generatim errores grammaticae non nisi accidentaliter formam immutant; significatio enim eadem regulariter censetur.

Omnis mutatio *substantialis in materia et forma* sacramenti, ipsum invalidat; quia non est amplius ritus a Christo institutus, sed alius. Si autem voluntaria sit, peccatum grave constituit; auctori enim ritus gravem infert iniuriam. Nulla vero *accidentalis* mutatio *in materia et forma* sacramentum invalidat: quia manet adhuc idem ritus; peccatum tamen grave aut leve inducit, prout est notabilis vel parvi momenti. — La-Croix 40. 46., S. Th. 3. p. q. 60. a. 8., q. 74. a. 3. 4. 5., q. 77. a. 8., S. q. 29. a. 9. ad 3., 4. D. 2. a. 2. q. 2. 3. 4.

320. *Quotuplici modo forma immutari possit?* — Forma immutari potest: *Additione;* et forma irrita est, si sensum mutet, vel errorem contra ipsam formam contineat, v. g. *ego te absolvo a peccatis tuis involuntariis, ego te baptizo in nomine Patris maioris et Filii minoris, et Spiritus Sancti creati.* Si sensus non mutetur, neque error contra ipsam formam ha-

beatur, forma valet, v. g. *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti hac aqua frigida,* licet calida sit. La-Croix 64. Si aequivocatio habeatur, res ex proferentis pendet intentione, v. g. *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et B. Mariae V.* Si nomen B. Mariae V. ex mera devotione addatur forma valet; si vero addatur, ut eo etiam nomine baptismus conferatur, non valet. S. Th. 3. p. q. 60. a. 8.

Detractione; et forma iterum irrita est, si verba detrahantur, quae significant actionem sacramentalem, v. g. haec verba, *ego te baptizo,* aut subiectum, v. g. dicendo *ego baptizo;* secus vero si ministri pronomen omittatur, nam tacite inest, v. g. *baptizo te in nomine,* etc.

Corruptione verborum, quae formam etiam irritat, nisi forte vel naturali vitio, e g. blaesis, contingat, vel naturali aliqua praecipitatione, vel imperitia, si tamen sensum omnino non auferat; siquidem in hisce casibus verba *corrupta* communi usu pro *integris* accipiuntur et intelliguntur, v. g. *ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta,* quae forma valet; quia sensum non aufert, et ut recta accipitur; siquidem *corrupta* intelligitur, non *diversa:* vel *ego te baptizo in nomine Matris et Filiae et Spiritus Sanctae,* quae forma non valet, quia sensum omnino aufert, et ut *alia* omnino *diversa* accipitur. Sic etiam non valet, si dicatur, *ego te baptizor,* etc. S. Th. 3. p. q. 60. a. 7., L. 110., *De Cons. Dist.* 86.

Transmutatione verborum, quae si sint omnino synonima, forma valet; si synonima non sint, forma non valet; si dubia sint, dubia quoque forma erit. Sic in baptismo, *abluo* vel *lavo* pro *baptizo,* valet: nam est verbum synonimum; *ungo* e contra non valet, quia non est synonimum; *regenero* item non valet, vel dubium est: nam non est plane synonimum, siquidem significat sacramentalem effectum, sed non significat etiam sacramentalem actionem. In poenitentia, *ego te mundo,* pro *absolvo,* verius non valet, synonimum enim non est. Item, *Christus te baptizat,* etc. *te absolvit,* etc. verius videtur non valere, quia actio *ministri* non exprimitur.

Versione verborum ex una lingua in aliam, quae formam non reddit irritam; nam omnino eadem est significatio, etiamsi varia idiomata adhibeantur in una eademque forma, v. g., *io ti battezzo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* L. 109., La-Croix 30.

Transpositione verborum, quae *per se* facit mutationem tantum accidentalem; nam remanet eadem omnino significatio, v. g. si dicas: *te baptizo ego in nomine,* etc. L. 110. Potest tamen transpositio verborum sensum omnino pervertere, vel ancipitem reddere, et tunc forma invalida vel dubia erit, ut in consecratione panis; *meum est hoc corpus; hoc corpus est meum; hoc meum, est corpus; hoc corpus, est meum.* Valeret tamen forma si diceretur, *hoc, corpus est meum.* — S. Th. 3. p. q. 60. a. 8. ad 3., Lugo D. 2. n. 112.

Interruptione verborum; quae si notabilis est, nocet formae, S. Th. 3. p. q. 60. a. 8. ad 3., si parva non nocet, S. Th. ib. Quae sit longa, quae brevis interruptio, prudenti aestimatione iudicandum est. Lugo D. 2. n. 112., Sporer n. 91. Communiter brevis interruptio existimatur unius *Pater* aut *Ave.* — *Interruptionem* autem *brevem* syllabarum eiusdem verbi, alii arbitrantur obesse formae, alii non obesse, alii obesse, si interruptio facta sit, alio verbo interiecto; minime vero, si facta sit interiecta aliqua actione, e. g. respiratione, tussi, oscitatione. L. n. 11., La-Croix 33.

Substitutione aliorum signorum loco verborum, e. g. nutuum, scriptionis, etc., quae excepto matrimonio, quod in contractu consistit, formam irritat: forma enim in verbis est. Flor. Decr. pro Armen., S. Th. 3. p. q. 60. a. 6., La-Croix 37.

321. *Resolves:* Forma valet, etsi non liceat, si interruptio fiat parva, v. g. *ego te baptizo*, et interponatur: *ista aqua est nimis frigida;* vel: *custos, verte folium: in nomine Patris*, etc. L. 11.

322. *Qualis unio esse debeat inter materiam et formam?* — Ut sacramentum sit validum, debet inter materiam et formam, v. g. inter effusionem aquae, et verborum pronuntiationem, tanta esse coniunctio, ut secundum moralem hominum aestimationem, inspecta cuiusque sacramenti natura, alteram ad alteram referri intelligatur. Ratio est, quia ex materia et forma unum signum coalescere debet. In composito autem morali, quale est sacramentum, sufficit moralis unitas, excepta eucharistia, quae physicam simultatem omnino requirit, cum pronomen *hoc, hic* verificari non possit, nisi materia sit praesens. Neque vero refert quaenam prius ponatur, excepta poenitentia. L. 8. — Sufficit in baptismo, confirmatione, extrema unctione et ordine, si una earum posita, sive materia, sive forma praecedat, immediate vel *mox* alia ponatur, e. g., si quis in collatione ordinis presbyteratus calicem et patenam tangat, postquam episcopus verba protulit: *Accipe potestatem*, etc., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 33. n. 2. *Mox*, brevis enim mora interiecta non obest, mora nempe, quae brevior sit unius *Pater noster*. L. 8. Cf. Lugo de Sacr. D. 2. n. 99. — In matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter permanere censetur, sicut in aliis contractibus. Busemb. 10. — In poenitentia absolutio satis diu potest differri, sicut in iudiciis sententia post examen causae. Busemb. ib. — Rit. Rom. *de Forma baptismi*, S. Th. 3. p. q. 60. a. 6. ad 2., Suarez D. 2. S. 2.

323. *Nota:* Si sacramentum pluribus partibus constat, ut eucharistia, extrema unctio, ordo, *notabili* inter eas *mora interiecta*, ita ut actio ministri non amplius *una* videri possit, omnino cessandum est in eucharistia, ab initio repetendum in extrema unctione, in ordine caute semper supplendum est quod fuerit incaute praetermissum. — L. 724., S. Th. S. q. 29. a. 2. ad 3. Cf. 336.

324. *An ab uno eodemque ministro materia et forma sit uniendа et applicanda, et erga idem subiectum?* — R. Affirmative. Ratio est, quia si alter materiam, alter formam poneret, vel alteri ac alteri subiecto idem materiam et formam applicaret, verba formae falsa essent: *ego te baptizo*, etc.; dum alter enim aquam effunderet, ipse non baptizaret; vel dum aquam ipse in unum effunderet, alium tamen assereret se baptizare. — L. 119. S. Th. 3. p. q. 67. a. 6.

325. *Quid si plures ministri sacramentum conficiant; vel pluribus sacramentum conferatur subiectis?* — R. ad 1.um Si duo ministri e. g. totam materiam et formam ponant, sive *totius* sacramenti, ut si simul baptizent vel consecrent, sive *partis* sacramenti, si sacramentum pluribus constet partibus, ut est eucharistia, extrema unctio, ordo, sacramentum valet; quia nihil desideratur in esse sacramenti. Verum in priori casu ille conficit

sacramentum, qui prius signum absolvit, et si uterque eodem temporis momento signum absolvat, uterque, quantum in se est, sacramentum conficit. L. 120., S. Th. 3. p. q. 67. a. 6., q. 82. a. 2. Sed id grave est, excepta presbyterorum ordinatione. In posteriori etiam casu grave est, excepta gravi necessitate.

Ad 2.um Sacramentum quod unus idemque minister pluribus simul confert, procul dubio valet; quia tunc forma est virtualiter multiplex. Id locum habet, e. g., in baptismo et in poenitentia, cum nempe quis sub unica forma plures baptizat, plures absolvit. Licitum quidem est in casu extremae necessitatis, v. g., in incendio, naufragio, etc., Rit. Rom. *de Bapt. parvul.;* in aliis vero casibus, utrum sit grave an leve disputatur; non enim certo apparet notabilis mutatio: « omnes tamen dicunt, quod is non excusaretur saltem a veniali », sine necessitate. L. 29.

326. *Quomodo pronuntianda sint verba formae?* — Cum sacramenta signa sint, et significando gratiam efficiant et sanctificent, verba formae pronuncianda sunt consequenter modo *consecratorio,* praesenti tempore, sive indicativo, ut in baptismo; sive imperativo, ut in ordinatione, sive deprecativo, ut in extrema unctione. Si alio modo verba proferantur, nimirum mere historice, vel promissorie, vel interrogatorie, vel concionatorie ad instruendum, ad excitandum, forma irrita est. Et sic forma haec non valet, *absolutus es a peccatis tuis, absolvam te a peccatis tuis, absolvo te a peccatis tuis?* — Theol. Wirceburg. 109. seqq., S. Th. 3. p. q. 78. a. 1.

327. *An iteranda sacramenta in dubio de valida applicatione materiae et formae?* — Triplex regula statuenda est quoad praxim: 1.° Sacramenta iterari *possunt,* quoties datur *dubium prudens* de ipsorum valore. Ratio est, quia si forte sacramentum non valeret, qui ad illud suscipiendum accedunt, eius fructu privarentur. Quod vero timor prudens tanti incommodi ratio sufficiens sit cur sacramentum iteretur, patet ex notissimo axiomate: Sacramenta propter homines. Rit. Rom. *de Bapt. parvulor.* c. 3. n. 3., Rubr. Miss. tit. 5. n. 2., L. 28. 136. — 2.° Sacramenta generatim iterari *non possunt* sine peccato gravi, quando non adsit dubium prudens de eorum valore. Ratio est, quia sine causa iterarentur, atque adeo gravis iniuria illis irrogaretur. Catech. Conc. Trid. de Bapt. n. 57. — 3.° Sacramenta repeti *debent,* quoties exorto prudenti dubio de eorum valore id postulant caritas, iustitia et religio, id est quoties ex iustitia, caritate et religione confici aut administrari debuissent. Ratio est, quia nullitas sacramenti, si forte adesset, in damnum proximi et aliquando in contemptum vel irreverentiam Religionis cederet. Sed conditionate tantum tunc repetenda sunt, ut reverentiae sacramenti consulatur. — L. 27. seq.

328. *Resolves:* 1.° Facilius iteranda sunt sacramenta magis necessaria, et quae semel tantum conferuntur, scilicet baptismus et ordo, etiamsi pro valore sacramenti militet multo maior probabilitas, contra rationes infimi probabilitatis gradus in oppositum. — 2.° Repetenda est absolutio cum poenitente peccati mortalis reo, si prudenter dubitetur de prolatione debita formae. Si autem poenitens non attulerit *materiam confessionis necessariam.* formam repetere necesse non erit, cum ei communio permitti etiam sine absolutione possit. — 3.° Minister qui leviter dubitat,

nescitque, cur timeat, aut solum non recordatur reflexe, se verba formae pronuntiasse, mortaliter per se peccat, si formam iteret, aut etiam verbum unum ter aut quater repetat. Ratio est, quia mutat formam, inducitque novum ritum circa actionem omnium gravissimam. Insuper Christum, quem repraesentat, ridicule loquentem exhibet. In praxi tamen scrupulosi, qui formam repetunt, plerumque a peccato mortali, immo saepe etiam a veniali excusantur, quia nimis agitati scrupulis, ex perplexitate, vel sine advertentia, ita stulte agunt. — 4.° Si in missa post consecrationem dubium tibi oriatur de formae debita prolatione, vel de totali omissione, nihil repetere debes, nec potes, cum alias haec omittere non soleas: iudicandum enim est ex communiter contingentibus, nisi tamen valde probabiliter dubites, ut loquitur Rubrica. — L. 224., 107. q. IV.

329. *Quid quoad missae celebrationem in particulari?* — *Notandum* ex S. Th., « quod licet sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum, quae dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari; non enim qui multa dicit, recolit omnia quae dixit, nisi forte aliquid in dicendo apprehendat sub ratione iam dicti; sic enim aliquid efficitur memorabile; unde si aliquis attente cogitet illud quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud, non multum postea recolit se dixisse: sic enim fit aliquid subiectum memoriae, in quantum accipitur sub ratione praeteriti... Si tamen sacerdoti *probabiliter constat* se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate sacramenti non existimo, quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem sacrificii, sed debet ulterius procedere: si vero *certificetur* se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate sacramenti, scilicet formam consecrationis; cum forma consecrationis sit de necessitate sacramenti sicut et materia, idem videtur faciendum quod dictum est in defectu materiae, ut scilicet resumatur a forma consecrationis, et cetera per ordinem *reiterentur*, ne mutetur ordo sacrificii ». 3. p. q. 83. a. 6. ad 5. Consonat haec D. Th. doctrina Rubricae Miss. Rom. *de Defectib. in celebr.* etc. tit. 5. *de Defectib. formae* n. 2. « Si celebrans *non recordetur* se dixisse ea, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen *certo* ei *constet* se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate sacramenti, i. e. formam consecrationis seu partem, *resumat* ipsam formam, et cetera prosequatur per ordinem. Si vero *valde probabiliter dubitat* se aliquid omisisse, *iteret* formam saltem sub *tacita* conditione. Si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius ». Nota discrimen quod habetur iuxta rubricam hic citatam pro duplici casu, quo *certo constet* sacerdoti se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate sacramenti, vel tantum *valde probabiliter dubitat* se aliquid huiusmodi omisisse. Nam in primo casu dicitur quod « *resumat ipsam formam et cetera prosequatur per ordinem* ». In altero casu vero dicitur « *iteret formam saltem sub tacita conditione* ».

330. Iam vero quoad primum casum, in quo sacerdos resumere debet *ipsam formam et cetera prosequi per ordinem*, quaestio moveri potest: 1.° *An resumere debeat et cetera prosequi ex ordine* in casu quod certo ei constet se unius tantum consecrationis formam omisisse; vel etiam in casu quod *certo id ei constet* de utraque consecrationis forma. 2.° *Undenam resumere incipiat.* 3.° Quid sibi velit illud: *cetera prosequatur per ordinem; omniane* post resumptam formam *iteranda* ex ordine, an *pro-*

sequi ex ordine debeat *omnia*, quae remanent à puncto illo missae, in quo suum errorem sacerdos deprehenderit.

331. *Ad 1.am quaestionem quod attinet,* si defectus essentialis contingat *in forma unius tantum consecrationis,* certo iteranda est consecratio, etsi defectus ille contingat ex malitia ministri, et post sumptionem speciei non rite consecratae, apposita materia, quae non fuit consecrata, et, si ex malitia fuerit, de priori culpa poenitendo. Ratio est 1.°, ut perficiatur sacrificium; 2.°, quia Rubr. saltem de casu defectus essentialis unius consecrationis intelligenda est; 3.°, quia eadem est ratio ineptae materiae ac materiae sine forma. Porro iuxta Rubr. tit. 3. n. 5. et 6. dicitur: « Si celebrans adverteret post consecrationem hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia faciat oblationem, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, *Qui pridie*, etc., quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis et vinum cum aqua, et facta prius oblatione, sacerdos consecret incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*, etc., ac statim sumat utrumque, et prosequatur missam, ne sacramentum remaneat imperfectum ». Itemque t. 4. n. 4. et 5. dicitur: « Si celebrans post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice et consecret, resumendo a verbis praedictis, *Simili modo*, etc. Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel huiusmodi aquae, apponat *aliam hostiam* iterum consecrandam, et *vinum cum aqua* in calice, offerat utrumque, et consecret et sumat, etc. ». Vel, addit ib. Rubr., « si missa celebratur in loco publico, ubi plures adsint, *ad evitandum scandalum* poterit apponere *vinum cum aqua:* et, facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera ». Idem ergo praestandum, si defectus essentialis contigeret non ratione materiae, sed ratione formae.

332. Si defectus essentialis contingat *in forma utriusque consecrationis,* et advertatur ante sumptionem alterutrius speciei, videtur iterum consecranda utraque materia. Ratio est, quia *absolute* dicitur in Rubr. et generatim omnino, formam resumendam, « si certo ei constet se omisisse *aliquid* eorum, quae sunt de necessitate sacramenti, i. é. *formam consecrationis*, seu partem », neque ulla fit distinctio inter defectum unius duntaxat consecrationis vel utriusque. Idem sentit Suarezius de Sacram. D. 85. S. 1. par. *Secundo etiam constat,* etc. Si celebrans, inquit eximius Doctor, ante sumptionem « ex defectu intentionis, vel formae, neutram speciem consecravit, tenebitur secrete iterare, et consecrare antequam sumat, et quam primum possit, non ex vi praecepti perficiendi sacrificium substantialiter inchoatum, quia hoc revera nondum obligat; sed ex vi praecepti non fingendi aliquid falsum in hoc ministerio et consequenter non perseverandi in inchoata fictione; nec sumendi potum et cibum per modum sacramenti, quod verum sacramentum non est, nec dandi aliis occasionem adorandi merum panem et vinum ». Si idem vero essentialis defectus utriusque formae advertatur post sumptionem, non videtur iteranda consecratio. Et sane ratio, quam Rubr. adducit ad supplendum defectum alterutrius materiae post sumptionem est, « ne sacramentum remaneat imperfectum », tit. 3. n. 6., « quia praeceptum de perfectione sacramenti maioris est ponderis, quam quod a ieiuniis sumatur », ibid.

n. 5. Iam vero quando defectus essentialis contigerit utriusque consecrationis, nullum revera factum fuit sacramentum neque perfectum neque imperfectum, sed totum fictum, et ideo tunc non obligat praeceptum de integrando seu perficiendo sacramento. Aliunde obligat praeceptum non sumendi Sacramentum fracto ieiunio. Hoc igitur praeceptum eo casu prae alio servandum videtur. Et idem affirmat eximius Doctor l. c.

333. *Quoad 2.am quaestionem propositam* variae sunt sententiae. Verum communior sententia est, ea tantum verba esse repetenda, quae integram formam constituunt, quae vero iuxta Rubr. tit. 5. n. 1. sunt, *Hoc est*, etc. *Hic est*, etc. Ratio est, quia Rubr. dicit: *resumat ipsam formam*. Ipsa tamen Rubr. tit. 10. n. 3. videtur indicare resumendum esse a verbis *Qui pridie*, etc., *Simili modo*, etc. — Suarez l. c. par. II. *Sed quaeres tandem*, Gavantus et Moeratus in rubr. cit.

334. *Quoad 3.am quaestionem propositam*, S. Th. l. c. videtur saltem innuere cetera ita debere sacerdotem per ordinem prosequi, ut ea per ordinem *reiteret*. Verum iuxta Rubr., nihil videtur iterandum ex accidentalibus, quae non sunt de necessitate sacramenti. Ratio est, quia Rubr. non dicit: *resumat formam et cetera per ordinem*, sed apprime distinguit, et ait, *resumat* formam, et cetera *prosequatur* per ordinem, prosequatur nempe ab illo puncto missae, quo devenerit, et sic si res contigerit immediate ante aut post sumptionem, ut in defectu materiae dicitur in eadem Rubr., ita, et in isto defectu formae, consecret et *statim* sumat, tit. 3. n. 5. 6. Insuper Rubr. cit. absolute ait: « si autem non sunt de necessitate Sacramenti, *non resumat*, sed *procedat* ulterius ». Sive ergo accidentalia tantum, sive essentialia simul et accidentalia omissa fuerint, sufficiet essentialia tantum reiterare. Ita sentit etiam Suarez l. c. par. *Sed quaeres tandem*, etc.

335. *Nota* tandem *quoad accidentales defectus* regulam generalem esse, postquam iam commissi sunt, *regulariter* loquendo non sunt supplendi, iterando aliquid, vel praepostero ordine dicendo aut faciendo id quod prius efficiendum erat. *Regulariter*, quia si aliquando tam parva esset mora, ut, nulla alia interposita actione, aut oratione dicta, commissum defectum sacerdos advertat, posset tunc fieri repetitio et suppleri defectus. Non invertitur enim in eo casu ordo sacrificii, sed e contra omnia curantur debito ordine perfici. Excipe vero ab hac regula defectum accidentalem quidem, sed valde gravem, si panis nempe fermentatus sit, vel si vino non misceatur aqua: qui licet *post* consecrationem non possit suppleri, *ante* consecrationem tamen praecavendus omnino est. — Rubr. *de Defect.* etc. tit. 4. n. 7., S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 4., Suarez de Sacr. D. 83. S. 2., Reuter Neo-Confess. P. 3. c. 13. n. 268., La-Croix l. 6. P. 2. n. 443. seqq., Diana Tr. 1. de Celebr. Missar. R. 236.

336. Haec quae de missae celebratione dicta sunt, *sacramentis aliis* aptari possunt. Quare, si quis non recordetur se aliquid omisisse, vel si non recordetur aliquid dixisse vel fecisse ex illis quae dicenda vel facienda erant, turbari non debet, et cetera per ordinem prosequatur. Si certe vel valde probabiliter meminerit se aliquid omisisse, si non statim recordetur, non oportet iterum omnia resumere, nec quidquam ordine praepostero supplere; sed resumat vel suppleat quod substantiale est, et

cetera prosequatur per ordinem. Si vero omissum fuerit aliquid, quod utrum sit substantiale an accidentale disputatur, *caute supplendum est quod incaute fuit praetermissum.* C. 3. in fin. *de Presb. non bapt.* An omnia sint tunc ex integro repetenda? Videndum est, quaenam sit pars omissa, quae debeat suppleri, si pars est ab aliis separata et independens, ut postrema manuum impositio in presbyteratu, haec tantum supplenda, S. I. C. 27. Maii 1840., si ab aliis independens vel separata non est, ut secunda manuum impositio, vel instrumentorum traditio in presbyteratu, ac chrismatio in confirmatione, totus ritus essentialis certe supplendus est. S. Poenit. 31. Mart. 1888., S. C. C. 28. Maii 1796. — S. Th. S. q. 29. a. 2. ad 3.

III. — DE MINISTRO SACRAMENTORUM

337. *Quisnam sit minister sacramentorum?* — Christus ipse in sacramentis est principaliter agens; Ecclesiae ministri sunt tantum instrumentaliter operantes in sacramentis. S. Th. 3. p. q. 64. a. 4. 5. In matrimonio ipsi contrahentes ministri sunt. In aliis sacramentis regulariter exigitur potestas *ordinis* et *iurisdictionis,* excepta eucharistia, in qua nulla *regulariter* exigitur iurisdictio. Sine ordinis potestate nullum sacramentum valet, excepto baptismo. Sine potestate iurisdictionis sacramentum valet, excepto sacramento poenitentiae, quod invalidum est; sed illicite confertur et grave est peccatum, si absque facultate, saltem praesumpta aut interpretativa, conferatur, v. g., si simplex sacerdos, non parochus, baptismum, viaticum, extremam unctionem administret, vel episcopus extra propriam dioecesim confirmet aut ordinet. Clem. 1. *de Privil.*, Trid. S. 6. C. 5. de R., S. 7. c. 10.

338. *An requiratur attentio in administratione sacramentorum?* — Attentio est applicatio mentis ad ea, quae peraguntur, seu est actus intellectus, quo homo considerat id quod agit. — Ad *validitatem* collationis sacramentorum non requiritur alia attentio, nisi quae in omni actu vere humano invenitur. Possunt igitur valide ministrari sacramenta communiter etiam a ministro distracto, seu de aliis negotiis simul cogitante. Ratio est, quia moralitas actus non ab attentione actuali, sed ab intentione saltem virtuali agentis procedit. Insuper attentio saepe a voluntate hominis non pendet; Christus autem conditionem aliquando impossibilem in ministro sacramentorum requirere non potuit. — Ad *licitam* collationem sacramentorum requiritur attentio talis, ut absit omnis voluntaria distractio. Ratio est, quia reverentia sacramento debita exigit, ut cum attentione tractetur. Voluntaria autem distractio ordinarie peccatum veniale non excedit, iuxta communem sententiam theologorum, nisi periculo in forma graviter errandi quis se exponat. Excipiunt tamen probabilius et communius eucharistiam, in cuius confectione omnem voluntariam distractionem peccatum mortale reputant ob maiorem sacramenti dignitatem. Negant tamen non improbabiliter La-Croix l. 6. P. 2. n. 443., Mazzotta et alii. — S. Th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3., 4. D. 6. q. 1. a. 2. q. 1. ad 4., L. 14., l. 4. n. 75.

339. *An in sacramentorum administratione intentio requiratur?* — Intentio est actus voluntatis, in aliquem finem tendentis, vel actus vo-

luntatis, quo quis intendit aliquid agere vel omittere. — *Ad validitatem* sacramenti, requiritur in ministro voluntas aliqua vera et seria saltem faciendi id, quod facit Ecclesia, nempe catholica. Trid. S. 7. c. 11. Hinc S. Th. 3. p. q. 83. a. 4. ad 7. ait: « Efficacia verborum sacramentalium impediri potest per intentionem sacerdotis ». — Non requiritur tamen intentio *actualis*, sed sufficit *virtualis*. Ratio est, quia intentio actualis, etsi optima et desideranda, est interdum moraliter impossibilis; virtualis vero satis influit in actionem ministri, ut haec vere humana et deliberata dici possit. — Non sufficit intentio *habitualis*, nec *interpretativa*. Ratio est, quia ad actum humanum requiritur voluntas aliqua, vi cuius actus ponatur. Iam vero nec intentio habitualis, nec interpretativa est huiusmodi: Non 1.ª, quia nec actu a voluntate elicitur, nec, quamvis aliquando elicita, in aliquo effectu vel in serie actionum perdurat. Non 2.ª, quia nec actu elicitur, nec unquam actu elicita fuit, sed tantum eliceretur, si de re agenda mens cogitaret. Suarez D. 16. S. 2., Lugo D. 8. n. 28. 35. — « Sufficit etiam intentio ministri coacta, sive metu extorta, praeterquam in matrimonio. Ita pariter non invalidat sacramentum, excepto matrimonio, error ministri circa personam suscipientis ». L. 19. — E. M.

340. *Nota:* 1.° Ad scrupulos hac in re abiiciendos notandum est sufficere intentionem *implicitam*. Hinc S. Alph. 18. ait: « Recte dicunt Viva, etc., quod minister, qui de more ponit actiones requisitas ad sacramentum, nisi debitam intentionem positive excludat, imprudenter de ea dubitat, quia saltem vult facere quod alias solet, et quod alii ministri faciunt. Adde, quia per hoc quod cognoscit actionem illam esse sacram, et frustra non poni, exercite intendit eam ponere iuxta finem suum; non esse opus, ut minister ore, vel corde reflexe dicat, se intendere conficere sacramentum, sed sufficere ut sit animo praesens, et attente faciat id quod facit ». Et n. 25. haec idem S. D.: « Non debet repetere consecrationem, qui minores hostias ad altare detulit, de quibus maiorem consecrans, non explicite cogitavit, nec detexit ». — 2.° Si quis facere intendat quod alia Ecclesia schismatica vel haeretica facit, si haec vere sacramentum facit, valet, ex Trid. S. 7. de Bapt. c. 4., Spor. n. 121., L. l. 6. n. 21. — 3.° Necesse est, ut intentio praecedat actionem sacramentalem, quae ex intentione vim capit suam; i. e. ut antea eliciatur, quam incipias materiam adhibere et formam proferre. Itaque, si quis sine intentione baptizandi, vel confirmandi, abluat, vel ungat; ac statim post ablutionem, vel unctionem, hac intentione concepta, proferat formam, nihil agit. — S. Th. 3. p. q. 64. a. 8., 4. D. 6. q. 1. a. 2. q. 1.

341. *An requiratur intentio interna, seu intentio faciendi ritum, quem intendit Ecclesia?* — Intentio alia hic *interna* est, alia *externa*. *Interna* habetur quoties minister, quando perficit sacramentum, id efficere vult, quod eo sacramento efficiendum est; habetur *externa*, quando omnem ritum externum obit serio, et quasi minister Ecclesiae. Si is igitur utramque voluntatem habet, sacramentum valet. Si neutram, non valet, ut si ioci causa baptizet, absolvat, Trid. S. 14. de Poenit. c. 9.; vel exempli, aut devotionis causa, ut si parochus infantem mox natum abluat, non ut eum baptizet, sed ut baptizandi ritum ostetricem doceat; vel si nutrix, dum puerum mane de more abluit, dicat: *ego te lavo in nomine Patris*, etc. Si internam tantum, valet adhuc, ut si quis infantis morituri, infidelium filii,

caput lavet, quasi ei purgationem aut medicinam faciens, et demissa voce interim dicat: *ego te baptizo*, etc. Si tantum externam, quaestio est, non adhuc penitus dirempta. Prima sententia negat. Ratio, quia ex Trid. non requiritur in ministro intentio faciendi quod Ecclesia intendit, sed tantum faciendi quod facit Ecclesia; et ideo sufficit ut minister serio applicet materiae debitam formam, ut facit Ecclesia. Secunda vero sententia communis et tenenda in praxi affirmat. Prob. ex Trid. S. 7. c. 11., ubi requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia; ergo non sufficit intentio tantum serio applicandi formam materiae, ut facit Ecclesia, reipsa enim haec intentio, dum actio externa ponitur, est ab actione inseparabilis; sed ultra requiritur intentio faciendi ritum sacramentalem, quem facit Ecclesia; alias tam Trid. quam Flor. frustra, praeter materiam et formam, requisivissent intentionem ministri faciendi, quod facit Ecclesia. Ecclesia non peragit solum ritum externum; adeoque minister, qui sola externa actione utitur, non facit quod facit Ecclesia: proinde si ei propositum sit, e. g., dum consecrat, ex duabus hostiis hanc tantum, non illam, consecrare; dum ordinat, eos non ordinare, qui forte sui subditi non sint; si absolvit, sub hac tacita conditione, *si restitueris;* non consecrat, non ordinat, non absolvit. Insuper id eadem ratione constat, qua evincitur necessitas intentionis ministri ad conficiendum sacramentum. — L. 23. 26., S. Th. 3. p. q. 64. a. 8. 10., Bened. XIV. de Syn. l. 1. 7. c. 4. n. 9., l. 8. c. 11. n. 2., E. M.

342. *An ignorantia vel error ministri irritet sacramentum?* — Si minister intentionem habeat saltem implicitam et virtualem faciendi quod facit vera Ecclesia, valet sacramentum, etiamsi ex errore putet suam Ecclesiam heterodoxam esse veram Ecclesiam, etiamsi explicitam intentionem non habeat conficiendi sacramentum, dummodo hanc intentionem non excludat, etiamsi formam non intelligat, etiamsi erret circa veram significationem formae, e. g., si putet haec verba: *Hoc est Corpus meum*, significare tantum mysticam Christi praesentiam, etiamsi falso putet, vel materiam vel formam non esse idoneam, e. g., si quis panem consecrando, necessaria existimat verba, *quod pro vobis tradetur*, eaque omittat. Ratio est, quia nostra ignorantia vel error rei veritatem non mutat. Si ergo tribus, et nonnisi tribus, sacramenta perficiuntur, nempe *rebus*, *verbis*, *ministro cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*, non obstante ignorantia et errore ministri, veritas sacramenti consistit. Insuper, si secus esset, sequeretur, quod cum protestantes per consensum matrimonialem non credant effici sacramentum, eorum matrimonium esset nullum, quod falsum est. — L. 21. 22., E. M.

343. *An intentio ministri debeat esse determinata ad certam materiam et personam?* — R. Affirmative. Ratio est: Quoad *materiam*, quia secus remaneret in statu indifferentiae: non potest enim ab eo statu erui, et ad sacramentum determinari, nisi per ministri intentionem. Quoad *personam*, quia effectus sacramenti nequit applicari in genere, sed alicui subiecto: secus nulla fieret applicatio. — Debet nimirum, pro rei, de qua agitur, natura, determinari actionis obiectum seu terminus: nam si, v. g., dixeris, dono, non determines autem quid, aut cui, actum habes omni virtute cassum.

344. *Si minister habeat duas intentiones contrarias, quaenam debet praevalere?* — Si voluntates istae *sint simul*, praevalet praedominans; nempe, quae eligeretur, cognita impossibilitate. — Si inter voluntates contrarias *una succedat alteri*, posterior valet, nisi prior revocaverit, saltem virtualiter, omnem voluntatem subsequentem; tunc enim prior voluntas, modo expresse non revocetur, certe praevalet. In his autem, si adhuc remanet dubium, dubius erit valor sacramenti. — Idque valet etiam pro missarum applicatione. — L. 24. 784., l. 3. n. 700., Lugo D. 8. n. 121. 123. Cf. V. 1. n. 18.

345. *An valida et licita sit sacramenti collatio cum intentione conditionata?* — *Conditio* respicere potest *ea, quae* utcumque *pertinent ad valorem sacramenti; dispositiones subiecti* licite et fructuose sacramentum suscipientis; *quamlibet aliam rem.* — Licite, in casu necessitatis, potest et debet apponi conditio, respiciens *valorem sacramenti*, si dubitetur, e. g., an aqua sit, qua baptizatur; an moribundus extrema unctione muniendus adhuc vivat; an invalide fuerit sacramentum susceptum, adeoque reiterandum. Ratio est, ut reverentiae sacramento debitae, quantum fieri potest, caveatur. Atque hic sedulo animadvertendum est, quod, si praeter hanc reverentiam sacramento debitam, aliud esset praecavendum, quod per appositam conditionem praecaveri non potest, ea uti, adeoque sacramentum sub ea conditione conficere non licet. Et sic nunquam licet sub conditione conficere eucharistiam cum materia dubia ob periculum materialis idololatriae; nunquam licet cum eadem dubia materia ordines conferre propter gravissima incommoda irritae ordinationis. Extra praedictum casum necessitatis et dubii sacramentum sub conditione administrare saepe grave esset, quia non sine nugatione esset in re gravi.

Conditio respiciens *suscipientis dispositiones* in sacramento poenitentiae, conferendo ex urgente causa, apponi potest et apponi debet; ne sacramentum nullitati exponatur. In ceteris vero sacramentis generatim non licet: nam, si postea constet dispositiones defuisse, vel eis quis perpetuo carere deberet, vel non sine scandalo iterarentur. Tantum in articulo mortis, rebus desperatis, licitum erit baptismum, et extremam unctionem, et, si haec dari nequit, confirmationem conferre. L. 82. 732.

Conditiones alias apponere non licet, et grave esset. Nam, si conditio est *de futuro*, sacramentum est nullum. Etenim non valet cum ponitur materia et forma, quia deest intentio, nec valet quando verificatur conditio, quia deest tunc materia et forma. Excipitur matrimonium, quod instar aliorum omnium contractuum celebrari sub conditione de futuro potest; qua impleta, perficiuntur, non secus ac si ab initio pure ac sine conditione initi fuissent. Neque idcirco timendum est praedictum incommodum. Cum enim consensus referatur in eventum conditionis, tunc reipsa contractus perficitur, atque adeo tunc fit sacramentum. Si vero conditio sit *de praesenti* vel *de praeterito*, sacramentum nullitatis periculo exponitur: quin imo nullum est, si huiusmodi conditionis eventus humano modo cognosci non potest, cum sacramenta hoc certe modo oporteat administrare; e. g., *si es praedestinatus.* — L. 25. 26. 431., E. M.

346. *An licita sit semper collatio sacramentorum cum intentione conditionata, in dubio utrum valide collata fuerint?* — Quoad sacramenta *characterem imprimentia*, certum est licitam esse. C. *De quibus. 2. de Bapt.*,

ubi indicatur haec forma in dubio de baptismo collato: Si nondum baptizatus es, ego te baptizo, etc. — Quoad *alia sacramenta*, etiam licita est, si adsit causa sufficiens conditionem ponendi. Ratio est, quia sacramenta sunt propter homines, et conditionata collatione sacramenti consulitur, in quantum fieri potest, tum bono eorum, qui sacramentum accipiunt, si forte illius sint capaces, tum etiam reverentiae sacramenti. — L. 27. 28., E. M.

« Licitum est confessario prudenter dubitanti, an absolverit poenitentem, absolvere sub conditione. Et idem dicunt Tourn., etc. quando absolvendus est puer de quo dubitatur, an compos sit rationis. Si quis autem iudicans poenitentem esse dispositum, eum sub conditione absolveret, dicens: *ego te absolvo, si dispositus sis,* recte dicunt, quod is non peccaret mortaliter, sed non excusaretur a culpa veniali, cum hoc esset contra ritum Ecclesiae ». L. 28.

« Certum est, quod casu, quo adest extrema proximi necessitas, et non habeatur materia, nisi dubia, tunc minister *non solum potest, sed tenetur* sub gravi sacramentum ei ministrare sub conditione. Advertit tamen Lugo, quod si postea certa habeatur materia, et locus erit, repetendum est sacramentum sub conditione, si forte primum invalidum fuerit. Intellige hoc de sacramentis non iterabilibus, ut baptismo, confirmatione et ordine ». L. 29. De sacramentis aliis nulla est specialis difficultas, cum iterationi ipsa per se non obstent.

347. *An conditio verbis exprimi debeat?* — R. Negative. Ratio est, quia sufficit ad reverentiam sacramenti, ut mente concipiatur. Immo, ne opus quidem est conditionem explicite et formaliter in mente habere; sed satis est, si habeatur implicite et virtualiter, veluti habet, qui voluit confessiones audire secundum institutionem Christi vel intentionem Ecclesiae; quia sic reverentia sacramento debita adhuc sufficienter servatur. Apponi tamen ore expressa debet, ubi hoc praescribit Rubrica, ut in baptismo conditionato, praesertim si publice conferatur, ne adstantes credant, baptismum absolute iterari; et in extrema unctione conditionata. Rit. Rom. *de Sacr. bapt., de Sacr. extr. unct.* — L. 29., H. A. Tr. 14. n. 3., La-Croix 83., Gobat 272., E. M.

348. *An in conferendis vel suscipiendis sacramentis liceat uti opinione probabili?* — Quoad *collationem* sacramentorum, ubi de eorundem *valore* agatur, generatim loquendo, id illicitum est ex pr. 1.ª d. ab Innoc. XI. Ratio autem est, quia sacramento fieret irreverentia; subiecto vero periculum damni adesset, praesertim in baptismo ob eius maximam necessitatem, et ordine ob aliorum etiam publicum damnum. — Excipitur tamen: 1.° Si adsit necessitas, vel gravis utilitas ex parte proximi. Ratio, quia sacramenta propter homines; neque vero est obligatio reddendi sacramentis reverentiam plusquam probabilem. 2.° Si habeatur probabilis opinio de iurisdictione confessarii, vel de validitate matrimonii. Ratio, quia Ecclesia supplet tunc sua auctoritate quoad iurisdictionem conferendam confessario, et quoad convalidandum contractum, si forte contractus ille nullus est ob impedimentum, quod Ecclesia supplendo aufert. 3.° Quando administratio sacramenti fieret obnoxia *nimis scrupulis aut difficultatibus,* secus enim non posset baptizari infans, quem parentes asserunt non esse baptizatum, cum tale testimonium non sit nisi tantum

probabile; neque absolvi posset poenitens, de cuius dispositione prudens tantum probabilitas haberi potest. — L. 57. 633., l. 1. n. 50. 51.

Quoad *susceptionem* vero sacramentorum cum opinione probabili, si iterum agatur de valore sacramentorum, idem dicendum est, propter easdem rationes. — Verum in his, quae ad valorem sacramentorum non pertinent, in sacramentis sive conferendis sive suscipiendis eadem regula est ac in aliis legibus. Nam, si stante probabilitate non contemnuntur aliae leges; neque profecto, stante eadem probabilitate, sacramenta contemnuntur. Id vero maxime valet quoad dispositiones ministrantium et suscipientium. In his enim gravis probabilitas pro certitudine habetur. Insuper tum administratio tum susceptio sacramentorum scrupulis et anxietatibus conscientiae continue esset obnoxia. Quare satis est accedere ad sacramenta sive conferenda, sive suscipienda cum probabili dispositione. — Lugo de Poenit. D. 14. n. 109., La-Croix 105., L. l. 1. n. 32. 48., l. 6. n. 461. 475. 482. 560. 573.

349. *An fides et probitas ministri ad validam et licitam sacramentorum administrationem requirantur?* — Ad *valorem sacramentorum* nec fides nec probitas, seu status gratiae, in ministro requiritur. Constat 1.° ex praxi et perpetua traditione Ecclesiae, quae nunquam baptizatos ab haereticis et improbis rebaptizari voluit. Constat 2.° ex definitione Ecclesiae. Trid. S. 7. c. 12. de S., c. 4. de B. — Ad *licitam* autem *sacramentorum administrationem* requiritur in ministro fides et probitas, *saltem* si is ad sacramenta conferenda *consecratus* sit, et ea conficiat *solemniter*, id est, cum integro ritu ab Ecclesia praescripto. Graviter igitur peccat, qui in mortali sacramenta ministrat; minister enim fide destitutus vel improbus irrogat gravem Deo et Christo iniuriam, sancta indigne tractando, et, quantum in se est, contaminando. Insuper cum minister sacramentorum repraesentet Christum primarium ministrum, qui est Sanctus sanctorum, eiusque personam gerat, necesse est, ut et ipse sit sanctus. *Saltem*, etc. nam, an id exigat *officii sanctitas*, an *rei* etiam *sanctitas*, satis non constat. — L. 31. 32., S. Th. 3. p. q. 64. a. 6., q. 82. a. 5., S. q. 36. a. 5., q. 38. a. 2., Lugo D. 8. n. 150., E. M.

350. *An peccet graviter minister, qui confert in mortali sacramentum ad quod non est specialiter ordinatus seu consecratus?* — R. Negative probabiliter, quia obligatio in ministro habendi sanctitatem probabiliter non oritur praecise ex ipsa sanctitate Christi et sacramenti secundum se, sed ex ministri consecratione in ordine ad sacramenta conferenda. Billuart diss. 5. art. 4., S. Th. 3. p. q. 64. art. 6., 4. D. 5. q. 2. a. 2. Alii tamen affirmant. S. Lig. n. 32. admittit probabilitatem utriusque sententiae; in affirmativam tamen magis inclinat. Cf. Sporer n. 171., Roncaglia cap. 3. q. 6., Sanchez de Matr. l. 2. D. 6. n. 4. — « Haec quaestio, ut ait idem S. Alph. l. c., tantum locum habet *in baptismo, et matrimonio*, nam alia sacramenta patet non posse ministrari, nisi a ministris consecratis ». Hinc contrahentes matrimonium in mortali probabiliter peccant graviter dumtaxat sacramentum suscipiendo, non etiam ministrando. L. 30., l. 6. n. 884.

351. *An peccet graviter sacerdos, seu minister consecratus, ministrans quidem sacramentum in mortali, sed non solemniter, v. g. baptismum absque caeremoniis in casu necessitatis?* — Controvertitur, ut in quaesito

praecedenti, eaedemque pro utraque parte afferuntur auctoritates et rationes. Hinc probabiliter dicendum est, eum non peccare graviter, quia licet sit per se consecratus ad sacramenta ministranda, non agit tamen *ut consecratus* seu *ex officio*, sed tantum ut laicus ex caritate ad succurrendum proximo in necessitate. — L. 32. 884.

352. *An peccet graviter minister consecratus et solemniter ministrans in mortali, si urgeat gravis necessitas?* — R. Negative, rigorose loquendo, nempe si periculum sit ita urgens, ut actum contritionis elicere per tempus ei non liceat. Sed haec hypothesis generatim neganda est. Satis enim est interiori voluntatis actu dolorem et detestationem concipere peccati, quia Dei offensa est, quod statim fieri potest. Porro a mortali excusandus non est minister, qui conscius gravis culpae casum necessitatis praevidere potest, ut parochus et alii, qui ex officio sacramenta ministrare debent, et proinde speciali obligatione in statu gratiae habitualiter permanere tenentur. — L. 33. 86. 617., Lugo D. 8. n. 151., de Euch. D. 9. n. 8., Sanchez D. 207.

353. *An graviter peccet, qui ministrat eucharistiam in mortali?* — R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia gravem iniuriam irrogat sanctissimae eucharistiae. Licet enim ipse non agat ut causa efficax in conficiendo sacramentum, est tamen illius dispensator ad id specialiter consecratus, et obit ministerium, quod immediate sanctificationi animae cooperatur. Hinc celebrans et ministrans in mortali quatuor sacrilegia committit: 1.° Quia sacramentum conficit. 2.° Quia suscipit. 3.° Quia ministrat sibi indigno. 4.° Quia eucharistiam ministrat in mortali. Sed una tantum actio est, et ideo sat est dicere se celebrasse in lethali. L. 35. et alii communiter. Probabiliter tamen censent eum peccare tantum venialiter Lugo D. 8. n. 155., Salm. tr. 1. c. 7. n. 11., et alii; quippe nec Christi nomine agit, nec ipse sanctificat quemquam, sed quasi sacramentum transfert de loco in locum. Hanc opinionem *probabilem* putat Diana non solum si *extra missam*, sed etiam si *in missa* communio ministretur. Tr. 2. de Praec. div. et eccl. sacr. comm. Res. 25. — S. Th. S. q. 36. a. 5. ad 4., L. l. 2. 46.

354. *An graviter peccent, qui in mortali sive mediate sive immediate tangunt aut deferunt eucharistiam?* — Triplex est sententia probabilis. Prima sententia probabilior affirmat in utroque casu, quia rem sanctissimam seu Corpus Christi indigne tractant. Hanc sententiam valde probabilem vocat S. Lig. 35. — Secunda sententia negat, quia nulla hic adest administratio sacramenti, nec apparet materia tam gravis, ut peccatum mortale inducat. Ita La-Croix n. 101., Salmant. c. 7. n. 1., Busemb., et S. Lig. dicit hoc non esse improbabile. — Tertia sententia sic distinguit: Peccant quidem graviter tangentes immediate sanctissimam eucharistiam in mortali, non vero tangentes mediate. Ratio repetitur ex gradu valde diverso irreverentiae inter primum casum et secundum. Ita Billuart. At si sua non caret probabilitate opinio Card. Lugo, de qua n. 353. (hic), omnis tunc evanescit difficultas. — S. Th. S. q. 36. a. 5. ad 4.

355. *An peccent graviter exercentes in mortali alias functiones sacras?* — R. Negative, quia omnia alia exercitia ordinum, praeter confectionem

et administrationem sacramentorum, non videntur sub gravi exigere sanctitatem, cum non sint proxime ordinata ad animae sanctificationem. Ita communiter et probabilius. — Non peccant ergo graviter: 1.° Diaconi et subdiaconi, qui, in mortali, altari solemniter ministrant. 2.° Episcopi, in mortali conficientes chrisma vel oleum sanctum. 3.° Episcopus vel sacerdos, qui in mortali consecrat vel benedicit templum, benedicit vestes sacras aut corporalia, assistit matrimonio, benedicit cineres, aquam lustralem, etc. 4.° Concionator exsistens in peccato mortali. — L. 37.-40. 747. 767. 889., Lugo D. 8. n. 152. seqq.

356. *An teneatur minister confiteri ante confectionem sacramenti, si reus sit peccati mortalis?* — R. Affirmative, si agatur de missae celebratione, et ipsi copia confessarii non desit; quia omnes fideles communicaturi confessionem praemittere debent ex Trid. S. 13. C. 7., c. 11. — Negative vero probabilius, si agatur de aliis sacramentis; quia nulla lege ad confessionem obligatur; atque adeo sufficit, ut actum contritionis eliciat. Excipe tamen, si ipsi de perfectae contritionis defectu constet. — L. 34. 617.

357. *An peccet graviter, qui audit confessionem in mortali, sed non absolvit?* — R. Negative probabilius, quia confessarius audiendo confessionem non conficit sacramentum. L. 36.

358. *Quot peccata committat confessarius plures poenitentes successive in mortali absolvendo?* — Prima sententia est, quod committit tot peccata, quot personas absolvit; ratio, quia singulae absolutiones constituunt tot actiones morales distinctas, totidem iudicia completa, totidemque sacramenta in statu peccati collata, proindeque totidem peccata. Ita L. l. 5. n. 50. cum aliis. Secunda sententia est, quod nonnisi unum committit peccatum. Ita Salmant. de Censur. c. 1. n. 172., cum aliis, quos allegant, eamque opinionem probabilem appellat Lugo de Poenit. D. 16. n. 558. Idem generatim dicendum de eo, qui successive, sed continue, plura confert sacramenta, e. g., plures baptizat, confirmat, ordinat. Et sane, si peccatum ex *officii* sanctitate desumitur, verius est unicum peccatum committi, quia unicum baptizandi, confirmandi, etc. ministerium exercetur. — Busemb. 617.

359. *Quot peccata committat, qui in mortali pluribus eucharistiam ministrat?* — R. Probabilius unicum tantum; quia unicam actionem moralem ponit: singulae enim distributiones per modum unius habentur, et unicam administrationem, unumque convivium constituunt. L. 30. 35., l. 5. n. 50. Cf. 353., ubi duplex de culpae huius gravitate opinio producta fuit.

360. *Quid de obligatione ministrandi sacramenta?* — *Curam animarum habentes* tenentur sub gravi ex iustitia sacramenta ministrare subditis suis rationabiliter petentibus. Curam enim animarum suscipiendo ad id sese obligaverunt, tacito contractu inito cum subditis, a quibus sustentationem aut saltem honorem accipiunt. — Tenentur igitur, si urget commune praeceptum illa suscipiendi, vel si privata petentis necessitas vel utilitas administrationem exigit, v. g., si petens praevideat aliquod periculum, vel in tentatione versetur, et gratia sacramenti indigeat, vel si devotionem statui suo convenientem exercere, aut Indulgentiam lucrari velit, etc. — *Alii curam animarum non habentes* non tenentur ministrare

sacramenta ex iustitia; aliquando tamen tenentur ex caritate, scilicet in gravi proximi necessitate. — L. 58. 623. 728. 729.

361. *Quinam hic censeantur animarum curam habere?* — Ii omnes, qui ex officio, seu titulo speciali iurisdictionis spiritualis aut delegationis, aliquam partem ovilis Christi pascere seu curare debent. Tales igitur sunt episcopi, parochi, et quicumque curam subsidiariam animarum habent ex commissione seu munere publico, ut sunt coadiutores seu vicarii parochorum, capellani militum, nosocomiorum, etc. Item respectu regularium praelati seu superiores proprii, respectu monialium earum capellani, seu confessarii. L. 58.

362. *Quaenam sacramenta in necessitate ministranda sint, etiam cum periculo mortis, sive ab habentibus curam animarum, sive ab aliis?* — Qui curam animarum non gerunt, certo tenentur tantum ad ministranda sacramenta absolute necessaria ad salutem, *baptismum* scilicet et *poenitentiam*, vel *extremam unctionem*, quando quis nullo modo confiteri queat. Ratio est, quia non tenentur nisi ex sola caritate ad subveniendum proximo in gravissimo salutis periculo. Sola autem praefata sacramenta sunt ad salutem necessaria. — Etiam curam animarum gerentes *valde probabilius* tenentur ad sola praefata sacramenta cum quovis periculo ministranda. Ratio est, quia alia sacramenta non sunt tantae necessitatis, ut quis ad illa conferenda cum gravi vitae discrimine teneatur. Ita L. 233. 728. innixus Declarationi Gregorii XIII. 12. Oct. 1576., et item Declarationi S. C. C. ab eodem Pontifice approbatae. — Verumtamen qui gerunt curam animarum, tenentur vitam exponere non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, dum alii ministri in sola necessitate extrema ad id obligantur. La-Croix l. 3. P. 1. n. 755. seq. — L. 58. 624., l. 2. n. 27., l. 3. n. 389., S. Th. 2. 2. q. 26. a. 5.

363. *An teneatur quis, non parochus, exponere vitam ad ministranda praefata sacramenta cum probabilitate tantum successus vel necessitatis?* — Prima sententia affirmat « ex lege caritatis, quae obligat in pari periculo exponere vitam temporalem ad salvandam vitam proximi spiritualem ». L. 624. Secunda sententia negat, quia nimis durum est exigere actum adeo heroicum ad proximum adiuvandum, nisi adsit moralis certitudo sive successus sive necessitatis. Hinc non teneris exponere certo vitam ad aliquem baptizandum, vel absolvendum, si probabiliter perire debes, antequam id adimplere possis, vel probabiliter praesumas, illum esse baptizatum, aut non versari in statu peccati mortalis, aut etiam posse facile sibi subvenire per actum contritionis perfectae. — S. Lig. 624. ait primam sententiam sibi magis arridere; addens: « si tamen sacerdos nesciat eum esse in mortali, non tenetur absolvere cum periculo vitae ». Verum l. 2. n. 27. posteriori sententiae videtur adhaerere; et l. 6. n. 728. videtur exigere *maiorem* probabilitatem pro necessitate proximi.

364. *Resolves:* 1.° Peccant graviter habentes curam animarum, non tantum si sine ratione ministerium suum denegent, sed etiam si se morosos et difficiles saepe praebeant: quia sic fideles a sacramentis deterrent, et res eodem recidit, ac si sacramenta denegarent. — 2.° Mortale tamen non est, uni vel alteri aut eidem semel vel iterum citra necessi-

tatem petenti sacramentum poenitentiae vel eucharistiae denegare; quia damnum facile reparari potest, nec subditus ideo graviter invitus censetur. — 3.° Si subditi irrationabiliter petant, nullum est peccatum. Hinc non tenetur parochus quotidie cum scrupuloso vel devotulis tempus terere, cum tam frequens confessio istis non expediat, nec ipsi ius strictum ad absolutionem tam frequentem habeant. — 4.° Si parochus idoneos habeat vicarios, non tenebitur adeo rigorose confessiones subditorum excipere; debet tamen fidelibus ipsum nominatim requirentibus satisfacere, nisi aut impeditus sit, aut poenitentes libenter alium confessarium sint adituri. — 5.° Peccant graviter, generatim loquendo, curam gerentes animarum, qui subditorum confessionem excipere nolunt, nisi paucis diebus intra mensem determinatis; quia in causa sunt cur fideles in statu peccati diu remaneant, et a sacramentis suscipiendis arceantur. — L. 58.

365. *Quid de obligatione denegandi sacramenta indignis petentibus?* — Minister tenetur *generatim* et sub gravi, per se loquendo, sacramenta indignis denegare, quia lex naturalis obligat dispensatorem ad bona Domini fideliter et iuxta eius voluntatem dispensanda; porro voluntas certa Christi est, ut sacramenta indignis non conferantur, iuxta illud Matthaei 7., 6.: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Rit. Rom. *de SS. euch. sacr.*, *de Sacr. extr. unct.* Cf. Lugo D. 8. n. 164. 180. 193., Suarez D. 8. S. 2. — Quin immo, ut notat S. Alph. 43., « in quibusdam sacramentis minister, ut se fidelem dispensatorem praestet, non sufficit, si petentem nesciat esse indignum, sed amplius tenetur prudentem rationem habere, quod ille sit dignus; *in sacramento* enim *poenitentiae*, cum in eo omnino requiratur ad valorem poenitentis dispositio, minister, prout iudex ad hoc constitutus, debet de ea se certum reddere. *In sacramento* quoque *ordinis* episcopus debet certam habere scientiam de dignitate ordinandi, cum ad ordinem, prout directum ad publicum bonum, nemo habet ius, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron. *In matrimonio* autem sacerdos assistens debet inquirere in impedimenta, cum ad hoc constituatur ab Ecclesia. *In aliis* vero *sacramentis*, ea non sunt deneganda eis, qui catholice vivunt, nisi constet de indignitate poenitentis... Ratio, quia ad haec alia sacramenta omnes fideles ius habent et ministri non sunt iudices, sed dispensatores, unde in eis non habent ius inquirendi, sed tantum debitum dispensandi omnibus, qui petunt; modo isti non sint positive indigni ».

Peccatori publico, sive occulte sive publice petenti, denegandum est sacramentum; quia nulla ratio adest, cur regulae generali exceptio fiat; immo grave scandalum fidelium ex sacramentorum concessione sequeretur. S. Th. 3. p. q. 80. a. 6., L. 44. In casu vero dubii, an quis peccaverit, concedendum; in dubio, an egerit poenitentiam, denegandum. L. 48. — « Excipitur tamen peccator in articulo mortis constitutus », L. 44., quia quisque praesumitur se tum velle rite disponere, et necessitas tollit scandalum, ipsaque occulta moribundi poenitentia, a ministro publicanda, si publice ei sacramenta essent ministranda. La-Croix 143. Rarissimus est casus, quo sacramentorum denegatio extendatur etiam ad poenitentiam. Obligatio autem adest semper, quoad ipsam, absolutionem indisposito denegandi.

Peccatori occulto, occulte petenti, pariter negandum est sacramentum; quia reverentia erga sacramentum, et caritas proximi in his adiunctis hoc postulant, S. Th. 3. p. q. 80. a. 6., L. 50., excepto casu, quo crimen cognitum fuisset ex confessione; tunc enim nec etiam licet ministro peccatorem monere. Idque vetitum est, etiamsi confessarius sacramentum denegare possit sub praetextu aliarum causarum. L. 50. 51. — *Peccatori* vero *occulto, publice petenti*, non est denegandum sacramentum. Ratio deducitur ex incommodis, quae sequerentur ex sacramenti denegatione; orirentur enim scandala et perturbationes in Ecclesia, et praesertim fideles in suspicionem adducti, ne a sacramentis prohiberentur, ab ipsis recederent. S. Th. p. 3. q. 80. a. 6., L. 49. 50., Lugo D. 8. n. 176., Rit. Rom. *de Euch. sacram.* — E. M.

366. *Quandonam censeatur peccator publicus seu notorius, vel occultus; et occulte petens sacramentum?* — Peccator *publicus* ille dicitur, cuius crimen vel pessima vita communiter cognoscitur. Quod si infamia eius nondum venerit in communem notitiam, ita tamen cognoscatur, ut celari amplius non possit, dicitur peccator *notorius;* si vero absit periculum ne improbitas nota fiat, peccator *occultus* nuncupatur. — Peccator *occulte petens* dicitur ille, qui reperitur solus cum ministro vel paucis aliis, quorum merito nulla habeatur ratio, ut sunt pueruli, etc. Secus *publice* petere censetur.

367. *An sit negandum sacramentum indigno publice petenti, cuius crimen est notorium quidem, sed nondum publicum?* — R. Negative iuxta sententiam probabiliorem, quia non potest dici adhuc peccator publicus; insuper variis incommodis obnoxia esset denegatio. Immo probabilius non est denegandum sacramentum, etiamsi plerique ex praesentibus crimen noverint, quandoquidem non est simpliciter publicum. — L. 45.

368. *An denegandum sit sacramentum peccatori, quando crimen eius non est publicum ubi petit, publicum tamen est alibi?* — R. Negative saltem probabilius; quia ex una parte ministrando ei sacramenta non adest aliorum scandalum, et ex altera parte, si denegarentur, ea nascerentur incommoda atque damna, quae ex denegatione peccatori occulto facta proveniunt. Secus vero dicendum, si notitia illius criminis facile sit in eum locum brevi perventura. — L. 46.

369. *Quid requiratur ut publico peccatori eucharistia possit ministrari?* — « Laymann, etc. requirunt praeter confessionem, aliquod tempus bonae conversationis ad tollendum scandalum. Possev., etc. dicunt sufficere confessionem coram pluribus (modo, addit Bernal., poenitentia brevi sit publice manifestanda). Et recte Croix adhaeret huic sententiae, quando peccator non habet proximam peccandi occasionem; quia, qui publice confessus est, publice censetur emendatus; secus, si adesset occasio, et ille eam non deseruerit. Qui autem occulte petit, sufficit eum occulte egisse poenitentiam ». L. 47., Rit. Rom. *de Euch. sacram.* — E. M.

370. *An denegandum sit sacramentum ordinis peccatori occulto publice petenti?* — R. Affirmative. « Ratio certa est, quia qui se ingerit *in munera publica*, ad quae non est idoneus, repelli debet etiam cum infamia, ob bonum publicum privato praeferendum. Et quod clericus indignus,

quamvis ob crimen occultum, possit et debeat repelli, patet ex Trid., ubi in S. 14. C. 1. de R. dicitur, quod episcopus potest prohibere clerico, ne ascendat ad ulteriores ordines: et clericus tenetur ei obedire, etiamsi ascensus a suo praelato « ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus ». Et additur, quod « nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia se promoveri faciendo, ei suffragetur ». Ac maxime notandum, quod episcopus non tenetur eo casu manifestare causam, cur repellat ab ordinatione, iuxta Declarationes S. C. C. 21. Mart. 1643., 21. Apr. 1668., Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 2. n. 16. Quod autem episcopus non solum possit, sed etiam debeat repellere indignos, quamvis occultos, patens suadet ratio ex eod. Trid. S. 23. de R. C. 5. et 7., ubi signanter praecipitur, ut episcopus ordinans, mores diligenter investiget, et examinet. « Ad quid igitur debet praelatus mores clericorum investigare et examinare, nisi ut repellat quos noverit indignos? » L. 52. 69., S. Th. S. q. 36. a. 1. 3. 4.

371. *Nota:* « Qua de re, ait idem S. D. 803., episcopi in hac probatione expetenda non debent esse contenti simplici attestatione parochorum..., sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione certi fieri debent, non solum quod initiandus non fuerit malus..., sed etiam quod ille sit positive bonus, etc. ». Cf. Bened. XIV. C. *Ubi primum,* S. Th. S. q. 36. a. 4. ad 3.

372. *An parochus possit assistere matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores?* — Affirmant Laymann, Croix, Lugo. Ratio, quia parochus non est minister sacramenti, sed tantum testis, unde ex una parte, cum sit publicus minister, non potest suam negare assistentiam; et ex altera licite potest assistere, cum sua cooperatio sit mere materialis. Negant vero alii, inter quos S. Alph., nisi de causa gravi et proportionata, tum quia de iure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, tum quia parochus tenetur ex iustitia, ex contractu inito cum communitate a qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo a peccatis. Et mox subdit S. D., « quod dicimus de parocho, dicendum est etiam de testibus; qui tamen satis excusarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi, cum ipsi non teneantur, nisi ex caritate, impedire peccatum. Parochus autem etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato ». L. 54., E. M.

373. *An si unus sponsorum sit publice indignus, possit alter matrimonium cum ipso inire, et consequenter sacramentum ei ministrare?* — R. Negative, si sit indignus, quia est excommunicatus *vitandus,* ut patet. — Affirmative, si sit indignus, quia excommunicatus, sed *toleratus;* Conc. enim Const. indistincte concessit fidelibus posse communicare cum excommunicatis toleratis. — Affirmative, si sit indignus ob aliquod peccatum, et alter sponsus sine gravi incommodo non posset a matrimonio recedere. Ita probabilius et communius. Ratio, quia praefata administratio est ab ipsis, ut a ministris ad id non consecratis. L. 55., H. A. Tr. 14. n. 6. Hinc qui contrahit cum indigno, a lethali excusatur; non enim peccat qua ministrat indigno, quia est minister ad id non consecratus; nec qua petit

ab indigno, quia id sola caritas vetat; et incommodum grave excusat, quod vix abest, aut ne vix quidem. — Lugo D. 8. n. 226. 230., L. l. 2. n. 60.

374. *Quid si sacramentum indigno denegari non possit, sine vitae periculo?* — Non licet dare, si petatur in contemptum Religionis vel in odium fidei, vel si citra offensionem aliorum et scandalum dari non possit. *His remotis,* alii adhuc negant, quia summa irreverentia est dare sanctum canibus; alii affirmant, quia in tanto discrimine rerum irreverentia cessat. Alii alia via rem expediunt; docent enim licitum esse *simulare administrationem sacramenti,* excepto sacerdotio; non quidem *formaliter,* sed *materialiter;* nempe *mutata substantialiter materia vel forma,* v. g., si dicat: ego te *haud absolvo,* vel *absolvam,* vel *absolvo?,* semper remoto scandalo. Verum sacramenta conferre indignis non est per se malum. Sane Christus communicavit Judam; quis dixerit Christum rem fecisse materialiter malam? Sed caritas tantum vetat cooperari sacrilegio suscipientis, caritas autem non obligat cum incommodo gravi. — L. 49. 59., Lugo D. 8. n . 180. 181., Suarez D. 67. S. 1. in fin., Viva in pr. 29.am d. ab Innoc. XI. n. 11., Carden. in cit. pr. n. 53. Cf. 375.

375. *An intrinsece illicita sit sacramenti simulatio?* — Simulatio, latissime sumpta, est positio signi de se indifferentis ad plura, cum praevisione, quod aliquis sit decipiendus, eo quod accepturus sit illud in sensu, qui non est verus. Per hoc autem distinguitur a dissimulatione, quod dissimulatio sit praetermissio omnis signi, quando merito poni deberet. — Simulatio alia est *formalis,* qua minister directe *intendit decipere;* alia vero *materialis,* qua minister non intendit directe decipere, sed ex rationali et iusto motivo agens, deceptionem praevidens, eam permittit. — Sacramenti simulatio esse potest vel circa rem plane indifferentem respectu *essentiae* sacramenti, vel circa rem respicientem ipsam *naturam* sacramenti. — Simulatio esse potest vel mere circa *administrationem* sacramenti; vel circa ipsum *sacramentum;* quando nempe quis vel actionem ponit, qua alii sacramenti confectionem seu collationem falso credere possunt; vel ficte quidpiam ponat, quod pertinet ad essentiam sacramenti.

Porro simulatio *formalis* non modo in sacramentis, sed in quocumque alio casu, non licet: quia mendacium facti est. S. Th. 2. 2. q. 111. a. 1. Simulatio *materialis* circa rem, plane indifferenter se habentem ad sacramentum, h. e. ad ipsam sacramenti administrationem vel sacramenti *essentiam,* per se loquendo, non est illicita, quia non est simulatio administrationis sacramenti, vel sacramenti: neque adest alia vitiosa circumstantia, ut supponitur. Simulatio *materialis* circa ipsam *administrationem sacramenti, per se loquendo,* intrinsece illicita non est: nam nulla ponitur actio, quae per se pertineat ad essentiam sacramenti, et actio quae reapse ponitur est actio, ut supponitur *honesta,* licet opinio ex ea induci possit in alios collationis sacramenti. Simulatio *materialis* circa *ipsum sacramentum,* vel *partem essentialem sacramenti,* illicita omnino est. Ratio est, quia est gravis irreverentia in Christum, cui minister illudit, abutendo rebus sacris ab ipso institutis. Insuper id evincitur ex pr. 29.a d. ab Innoc. XI., in qua specialiter agitur de materiali simulatione. Ac a S. U. I. 6. Sept. 1628. coram SS̃mo cautum fuit, sacerdotes, qui coguntur a Turcis baptizare eorum filios, non ut christiani fiant, sed pro corporali salute, *non posse...*

eos baptizare, adhibita materia sine forma. Bened. XIV. C. *Postremo mense* § 21. — L. 59. 62., La-Croix 150. 158., E. M.

376. *Resolves:* 1.° « Si quis nolens confiteri ingrediatur confessionale, et genuflexus alloquatur confessarium de aliquo negotio, non simulat sacramentum, nec peccat peccato mendacii ». L. 60. Actio illa de se indifferens est; et in ea deest omnino materia et forma sacramenti. L. ib. — Graviter peccaret confessarius, qui verba absolutionis proferret sine animo absolvendi, etiamsi id ageret ad se facilius expediendum a poenitente *indisposito*, et absolutionem instanter petente, aut etiam per gravissimas minas exigente. Dicunt plures, posse confessarium in hoc casu dicere: *Ego te non absolvo*, pronuntiando τό *non* ita demisse, ut non audiatur a poenitente. Non improbabile hoc iudicat S. Alph. 59.; sed confessarius alias voces aut preces potius quam absolutionis formam tunc facile pronuntiare posset; ceterum casus iste fere chimaericus esse videtur. — Non simulat autem sacramentum poenitentiae confessarius, qui recitat preces super poenitentem indispositum, ne adstantes advertant, illum sine absolutione dimitti; constat enim apud omnes, quod poenitentes saepe cum sola benedictione dimittuntur, et subinde sine intentione confitendi aut confessionem perficiendi ad sacrum tribunal accedunt. L. 59.

2.° Gravissime peccaret sacerdos, qui in missa pronuntiaret verba consecratoria super panem et vinum, intentionem consecrandi excludens. Neque bona fide excusari possunt, qui crassa ignorantia laborantes, et in mortali celebrantes, consecrationem simulant, ne sacrilegii rei evadant, etiamsi verba consecrationis omnino omittant. — Graviter peccat sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigit etiam scienti et consentienti, ut evenit quandoque miseris sacerdotibus cum complice, qui famae servandae gratia ad sacram mensam accedit. Ratio est, quia sic hostia non consecrata exponitur adorationi tum adstantium, tum ipsiusmet etiam scienter recipientis cum reverentia externa, quae idololatriam externam et materialem, et proinde quid intrinsece malum constituit. L. 61., S. Th. Quodl. 5. a. 12. « In casu quo aliquis non poterit se disponere ad communionem, posset aliquando convenire cum parocho, ad infamiam, vel scandalum vitandum, ut hic dicat tantum super ipso verba: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat*, etc.; et non praebeat hostiam, ut admittit Croix 160. ». L. 61.

3.° Iuxta communem sententiam non peccant saltem graviter, qui metu gravi coacti matrimonium inire simulant. Ratio est, quia cum desit voluntarius consensus, iuxta sententiam nunc certam, quae tenet sponsos esse huius sacramenti ministros, deest materia et forma, et proinde non est simulatio *sacramenti*, sed tantum simulatio *contractus*. « Ex eadem ratione non peccaret peccato sacrilegii, qui matrimonium contraheret sciens se habere impedimentum dirimens ». L. 62.

377. *Quid de modo sacramenta conferendi?* — Non satis est, si minister ea, quae ad materiam et formam spectant, diligenter observet; sed omnes S. Ecclesiae leges circa sacramentorum administrationem studiose servare debet. Trid. S. 7. c. 13., S. R. C. 12. Maii 1612. Quare praescriptas caeremonias non licet omittere, et per se grave est, secluso necessitatis casu. Rit. Rom. *de Bapt.* initio. Quisque autem uti debet suo ritu sive

Latino sive Graeco, et grave est. Bened. XIV. C. *Etsi Pastoralis* § 2., L. 202. 203., E. M.

378. *Utrum de praecepto sit usus Ritualis Romani in administratione sacramentorum?* — R. Affirmative. Non semel enim declaravit S. R. C. « illos solos libros adhibendos, et in illis tantum utendum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes, nec alios adhibendos esse, dummodo non constet ab hac S. C. fuisse approbatos ». S. R. C. 7. Apr. 1832., 23. Maii 1835., 10. Jan. 1852.

379. *Quaenam vestes sacrae requirantur ad sacramentorum administrationem?* — Superpelliceum et desuper stola. Rit. Rom. *de Sacram. admin.* initio, S. R. C. 10. Jan. 1852. Verum in extrema necessitate baptismus et poenitentia sine his conferri possunt; immo et confirmatio et extrema unctio; La-Croix l. 6. P. 2. n. 2116., L. 184. 726. Quin et ipsum viaticum sine sacris vestibus, si absque offensione fieri possit, non est illicitum. L. 241. Grave vero non est non uti stola in sacramento poenitentiae, et non uti in eucharistia negant plures esse grave, nec improbat S. Alph. 241. Rochettus non est vestis sacra adhibenda in administratione sacramentorum. S. R. C. 10. Jan. 1852. — E. M.

IV. — DE SUBIECTO SACRAMENTORUM

380. *Quisnam sit sacramentorum subiectum?* — Subiectum sacramenti dicitur ille, qui sacramentum suscipit, et est capax effectus sacramenti. — Subiectum sacramentorum est solus homo viator; quia, ut ex S. Scripturis et Traditione patet, pro solis hominibus viatoribus sacramenta instituta sunt. Non omnes tamen homines sunt omnium sacramentorum capaces. Nam nec mulieres sacramentum ordinis, nec pueri, ratione nondum utentes, suscipere possunt sacramenta poenitentiae et extremae unctionis. — Ratio a priori, cur solus homo viator sit capax sacramentorum, est voluntas Christi Domini institutoris sacramentorum. Ratio autem convenientiae est, quia iuxta ordinem praesentis Providentiae solus homo viator est capax primae gratiae, vel augmenti gratiae; eiusmodi autem non sunt Beati, vel Animae in purgatorio detentae, quibus iam determinata est mensura gloriae respondens gratiae, quam in vita mortali meruerunt. Multo autem minus capaces sunt gratiae damnati, utpote a Deo iam in aeternum separati. — S. Th. S. q. 39. a. 1. 2.

381. *Quaenam sint requisita ad validam sacramentorum receptionem?* — Ad sacramenta *valide* suscipienda nulla in adultis requiritur probitas, nec proprie fides in subiecto, si poenitentiae sacramentum excipias. Constat ex praxi Ecclesiae, quae nunquam permisit iterum baptizari aut ordinari haereticos et improbos homines rite baptizatos et ordinatos. Constat etiam, quoad fidem, ex definitione expressa Trid. S. 7. c. 13. de Bapt. — In infantibus aut perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, nec intentio, ut valide recipiant sacramenta, quorum sunt capaces, videlicet baptismum, confirmationem, ordinem et eucharistiam, quae olim ipsis ministrabatur. Constat ex praxi Ecclesiae, et sententia communi. L. 80. 782., S. Th. S.

q. 39. a. 2. — In adultis ad *validam* sacramentorum susceptionem aliqua requiritur intentio; quia non est conveniens, ut adultus sanctificetur, nisi velit. Sed pro plerisque sacramentis sufficit intentio habitualis, etiam quandoque confusa tantum, seu implicita, spectata cuiusque sacramenti natura; quia collatio sacramentorum est quaedam donatio et beneficium, ad quod acceptandum sufficit habitualis intentio. S. Th. 3. p. q. 68. a. 7. Cf. Lugo de Euch. D. 13. n. 23. 26., de Poenit. D. 14. n. 46. 48. Si deest voluntas sacramentum recipiendi, sacramentum invalidum erit, sive quis *nolit* illud recipere, sive *non nolit,* neutralem habens voluntatem. Bened. XIV. C. *Postremo mense* § 47. 48. 51., L. 81. — Ad cetera sacramenta valide suscipienda praeexigitur susceptio baptismi; proin homo non baptizatus nullatenus est capax aliorum sacramentorum. Ratio est, quia cetera sacramenta sunt instituta pro sola Ecclesia; porro per solum baptismum homines fiunt membra Ecclesiae. Ergo. Flor. Decr. pro Armenis. — E. M.

382. *An requiratur attentio in subiecto adulto, ut sacramentum valide suscipiat?* — R. Negative. Sufficit enim intentio, etiam in sacramentis, quae requirunt intentionem virtualem: ratio, quia actus humanus non procedit ab attentione, sed a voluntate seu ab intentione. Praeterea pleraque sacramenta ne virtualem quidem intentionem requirunt; ergo a fortiori attentionem ex parte subiecti non requirunt. Insuper non requiritur attentio in ministro ad conficiendum sacramentum, ut constat ex dictis supra n. 338.; ergo a fortiori non requiritur in subiecto. — Hinc frustra scrupulis aliquando poenitentes ex eo anguntur, quod distractiones passi fuerint dum absolvebantur, vel quod absoluti fuerint, quin ad id animadverterint. — Sporer 157.

383. *Quaenam intentio requiratur in adultis pro singulis sacramentis suscipiendis?* — *In baptismo et ordine* requiritur voluntas saltem *habitualis.* Ratio, quia huiusmodi sacramenta graves imponunt obligationes implendas. Nemo autem censetur suscipere gravem obligationem; sed de eius positiva voluntate omnino constare debet. Lugo D. 9. n. 119. 127., L. 81. 82. Sacramentum baptismi et ordinis invalide quidem confertur habentibus solam intentionem interpretativam. Verumtamen Conin., Sporer, Dic., etc., ap. Croix l. 6. P. 1. n. 168., censent ad suscipiendum baptismum sufficere intentionem *implicitam* contentam in contritione vel attritione habita a suscipiente, vel, ut ait Lugo D. 9. n. 130., in voluntate dandi nomen Religioni christianae, vel, si hanc ignorat, faciendi quaecumque necessaria sint ad salutem, ut habet La-Croix l. c. Cf. L. 82. — *In confirmatione, extrema unctione, eucharistia* satis est voluntas *interpretativa.* Ratio, quia haec sacramenta multa afferunt commoda et nullum incommodum. Omnes autem censentur velle commoda percipere. Hinc tum confirmatio, tum extrema unctio conferri possunt sub conditione moribundo sensibus destituto. Rit. *de Extr. unct.* § 6., L. 82. Si is vero de iis recipiendis nunquam reapse cogitasset, reiteranda forent. « Et si forte aeger fuerit sensibus destitutus *in actu peccati mortalis,* probabiliter, ait Viva, saltem sub conditione extremam unctionem tunc esse illi ministrandam, prout etiam de sacramento poenitentiae dicemus n. 480 ». L. 82. — *Ad poenitentiam* requiritur intentio vel *actualis* vel saltem *virtualis;* nec proinde intentio habitualis sufficit. Ratio est, quia in isto sacramento re-

quiruntur pro materia actus poenitentis, qui non possunt quidem haberi, sine voluntate saltem virtuali recipiendi sacramentum. L. 82. — *Ad matrimonium* item requiritur intentio saltem *virtualis*. Etenim « cum uterque coniux non solum sit suscipiens, sed etiam minister sacramenti, in singulis eorum certe requiritur ea intentio qualis in ministris aliorum sacramentorum exigitur ». L. 82.

384. *An valide conferantur sacramenta dormientibus, ebriis, vel lapsis in amentiam, qui antea habuerunt intentionem illa recipiendi?* — R. Affirmative. Ita communissime. Ratio, quia sunt subiectum capax. — *Illicite* vero id fieret, « nisi in probabili periculo mortis, vel nisi quando impedimentum usus rationis censetur perpetuum, alias expectandum ad tempus, in quo suscipiens fiat compos rationis ». L. 81. 139., S. Th. 4. D. 6. q. 1. a. 2. q. 3. ad 2., 3. p. q. 68. a. 12., Rit. Rom. *de Bapt. adult.* Quapropter, infirmis, qui sunt sensibus destituti, danda sunt sacramenta; sed non nisi in periculo mortis; et nisi impoenitentes et in *manifesto* peccato mortali moriantur. Rit. Rom. *de Sacr. extr. unct. In dubio* dari debent; nimirum baptismus et poenitentia, etiam cum infima dispositionis probabilitate. Confirmatio vero, eucharistia et extrema unctio cum probabile sit eos rite esse dispositos. Quin immo haec dari quidem etiam possunt, si id tantum praesumi possit. Lugo D. 9. n. 122. 126. Cf. 318. 383., E. M.

385. *An sacramenta conferri possint surdis et mutis a nativitate, qui non sint in scholis instituti?* — Cum admodum probabile sit, eos esse instar infantium, potest sub conditione eis dari baptismus et confirmatio. At, cum non sit plane indubitatum eos ignorare quae ad fidem pertinent, et absolutio potest eis sub conditione dari. Eucharistia morituris dari etiam potest quasi, ut olim, infantibus, dummodo omne irreverentiae periculum absit. Extrema unctio tamen danda eis non est, cum nec sit necessaria, nec probabiliter valida. Matrimonium vero contrahere permittuntur. C. *Cum apud* 23., C. *Tuae fraternitati* 25. *de Spons.* — Sanch. de Matr. l. 1. D. 8. n. 13.

386. *Quaenam sint requisita ad licitam sacramentorum receptionem?* — Ad *sacramenta vivorum* licite et fructuose recipienda, praeter *intentionem* ea suscipiendi praerequiritur *status gratiae*. Haec enim ex primaria sua institutione a Christo sunt ordinata, non ad conferendam primam gratiam, sed eius augmentum, cum primam gratiam iam in subiecto supponant. Hinc graviter peccant, qui scienter sacramenta vivorum in statu peccati mortalis suscipiunt, et gravius quidem ac illi, qui indigne ministrant aut conficiunt. Status autem gratiae *per confessionem* procurandus est, si ad eucharistiam accedendum sit; vel saltem per contritionem perfectam, si agatur de aliis sacramentis. Cf. 568. Satius vero est, quantum fieri potest, etiam aliorum sacramentorum receptioni confessionem semper praemittere. — Ad *sacramenta mortuorum* ab adultis licite recipienda requiruntur actus saltem impliciti *fidei* et *spei*, iuxta dicta Apostoli Hebr. 11., 6.: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Neque vero sufficit ea tantum noscere, quae sunt necessaria necessitate medii, sed necesse etiam est scire ea, quae scitu sunt necessaria necessitate praecepti. Cf. V. 1. n. 348. seqq. 356. seqq. Requiritur insuper actus *doloris* de peccatis, quia nulli datur venia peccatorum

sine retractatione aut dolore de peccatis commissis. Haec autem in sacramento poenitentiae etiam ad validitatem necessaria sunt, quia ad dispositionem poenitentis pertinent. Trid. S. 14. C. 4. Sufficit vero attritio, ut suo loco dicetur. — Requiritur, ut nulla excommunicatione et nullo interdicto personali quis obstringatur. Rit. Rom. *de Extr. unct.* c. 1. § 8. Verum, si quis sine gravi incommodo a sacramentis abstineri non possit, licite ea recipit, quamvis a censura in praesens absolvi non possit. — L. 86. 265. quaer. 2.° — E. M.

387. *An detur casus quo liceat sacramentum vivorum suscipere cum mortali?* — R. Affirmative; sed rarissimus est. Duos enumerat S. Alph. Primus est, si hostia esset profananda, nisi statim absumatur; tunc hostia sumeretur, non ut sacramentum, sed ut ab illa profanatione eripiatur, adeoque irreverentia cessaret. Alter est, si laicus accumbens iam in scamno communicantium, et communionem mox recepturus recordaretur peccati mortalis, et propter temporis nimiam brevitatem conteri non posset. Verum, nisi tempus quam brevissimum omnino sit, specialis Dei gratia non deesset in talibus casibus ad contritionem statim concipiendam. — L. 86. 33., S. Th. 4. D. 24. q. 1. a. 3. q. 5. ad 4.

388. *An liceat petere sacramentum a malo ministro?* — R. Negative, si minister sit excommunicatus *vitandus*, nisi in extrema vel gravissima necessitate. — Affirmative, si sit excommunicatus *toleratus*, et praecise quatenus *toleratus;* quia Conc. Const. absolute concessit fidelibus, ut cum *toleratis* communicare possent. L. 88., S. Th. 3. p. q. 82. a. 9. — Si minister *simpliciter malus* sit, ob peccatum mortale, licet *ex rationabili causa* necessitatis vel gravis utilitatis sacramenta ab eo suscipere. Ratio est, quia stante tali ratione, licite permittitur peccatum alterius, quod « tamen deponere posset, quia in instanti homo a divina gratia emendatur ». S. Th. 4. D. 24. q. 1. a. 3. q. 5. ad 3. Insuper « ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesiae, non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiae; et ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiae, quae eum tanquam ministrum exhibet ». S. Th. 3. p. q. 64. a. 6. ad 2., C. *Vestra* 7. *de Cohabit. clericor. Ex rationabili causa*, quia caritas exigit, ut impediamus peccatum proximi, quod facile impedire possumus. — Certum est autem, quod quivis minister praesumitur dignus, nisi constet oppositum. « Hinc probabiliter infertur posse peti sacramentum adhuc ab eo, qui scitur paulo ante peccasse, quia praesumendus est ipse iam se disposuisse saltem per contritionem, nisi constet ministrum esse consuetudinarium, vel esse in occasione proxima peccandi, intellige voluntaria ». L. 89. — « Sic pariter puto, ait S. Alph. ib., illicitum esse sine gravi causa inservire sacerdoti indigne celebranti ». — L. l. 2. n. 47. 79.

DE BAPTISMO

I. — DE NATURA EFFECTIBUS ET NECESSITATE BAPTISMI

389. *Quid sit baptismus?* — Vox *baptismus* aut *baptisma* idem significat ac immersio et lavatio; unde baptismus dicitur etiam *lavacrum*, quia peccata abstergit. Baptismus definitur: « Sacramentum regenerationis per aquam in verbo ». Cat. Rom. 5., S. Th. 3. p. q. 66. a. 1.

390. *Quotuplex sit baptismus?* — Baptismus triplex est. A Sacramento enim baptismi, seu baptismo *aquae*, sic dicto ab ėius propria materia, distinguitur baptismus *flaminis*, et *sanguinis*. S. Th. 3. p. q. 66. a. 11.

391. *Quid sit baptismus flaminis?* — « Baptismus *flaminis* est perfecta conversio ad Deum per contritionem, vel amorem Dei super omnia, cum voto *explicito*, vel *implicito* veri baptismi fluminis, cuius vicem supplet quoad culpae remissionem, non autem quoad characterem imprimendum, nec quoad tollendum omnem reatum poenae: dicitur *flaminis*, quia fit per impulsum Spiritus Sancti, qui flamen nuncupatur. De fide autem est per baptismum flaminis homines salvari ». L. 96., E. M.

392. *Quid sit baptismus sanguinis?* — Baptismus *sanguinis* est sanguinis effusio seu mors tolerata pro fide, aut pro alia virtute christiana. Hic autem baptismus aequiparatur vero baptismo, quia *quasi* ex opere operato ad instar baptismi remittit culpam et poenam. *Quasi*, quia martyrium non ita stricte et proprie operatur sicut sacramenta, sed ex quodam privilegio ratione realis imitationis passionis Christi. Ideo martyrium prodest etiam infantibus. Ecclesia SS. Innocentes prout veros martyres colit. L. 97.

Ad martyrium adulti, ut sit quale oportet ad salutem, requiruntur quinque: 1.° mortis irrogatio; 2.° acceptatio eiusdem ex pia causa; 3.° ut quis non resistat tyranno; 4.° ut fide teneat veritatem pro qua patitur; 5.° legitima ad gratiam dispositio. Quaenam vero sit talis dispositio controvertitur. Prima sententia docet, necessariam esse veram contritionem, ex dilectione Dei super omnia profectam. Secunda tenet, sufficere voluntatem patiendi pro Christo, nec opus esse alia poenitentia, etiamsi homo recordetur suorum peccatorum. Tertia asserit, requiri saltem attritionem, si homo sit conscius peccati.

Porro contritio potest dupliciter requiri ad fructum martyrii; primo directe, tanquam necessaria dispositio: secundo indirecte, tanquam opus necessarium ad vitandum novum peccatum. — Si is, cui martyrium imminet, sit in peccato mortifero, necessaria est illi ad fructum martyrii contritio indirecte, vel saltem attritio, quae putetur esse contritio, tanquam opus necessarium ad vitandum novum peccatum, quod fructum illius impediret. Ratio, quia si unquam obligat praeceptum contritionis, maxime in periculo mortis. — Attamen contritio non est necessaria per se et directe, ut dispositio ad fructum martyrii, sed requiritur et sufficit attritio. Ratio 1.ª est, quia PP. martyrium adultorum, in vi delendi peccatum

aequant baptismo. Ubi notandum est, ipsam mortis perpessionem secundum se comparari cum baptimo, eique non minorem vim tribui in peccatis abluendis, quam baptismo; neque hanc vim tribui internae contritioni, sed operi externo. Ergo sicut baptismus non requirit contritionem, ut gratiam conferat, ita nec martyrium. Ratio 2.ⁱ est, quia certum est ad remissionem culpae requiri semper aliquam poenitentiam in adultis ex Trid. S. 14. C. 1. — Theol. Wirceb. 57. seqq., Suarez D. 29. S. 1. 2., L. 95., S. Th. Quodl. 6. a. 4., 2. 2. q. 124. a. 1., 3. p. q. 66. a. 12. ad 2.

393. *Nota:* « De illis, qui in obsequio pestiferorum ex caritate moriuntur, dicit Martyrol. Rom. 28. Febr.: « Quos *velut martyres* religiosa fides venerari consuevit ». L. 100.

394. *Quinam sint baptismi effectus?* — Baptismus est spiritualis regeneratio. Hinc per infusionem gratiae sanctificantis: 1.° delet omnem culpam. 2.° Remittit omnem poenam debitam peccatis. Quare grave est baptizatis satisfactiones imponere. Demum 3.° imprimit characterem: unde iterari non potest. Constat quoad 1.ᵘᵐ C. *Maiores* 3. *de Bapt.* etc., Trid. S. 5. Decr. de pecc. orig., S. 14. C. 2.; quoad 2.ᵘᵐ ex Trid. S. 5. Decr. cit., S. 6. C. 14., et ex Flor. in Decr. pro Arm.; quoad 3.ᵘᵐ, ex Flor. ib., et ex Trid. S. 7. c. 9. de S. — Baptismus igitur est velut ianua Ecclesiae et regni coelorum. Hinc si quis non fuerit valide baptizatus, nullum aliud sacramentum valide recipere potest. C. 1. 3. *de Presb. non bapt.*, Flor. Decr. pro Armen., S. Th. S. q. 35. a. 3. — Trid. S. 7. c. 1. 6.-11. 13. 14., Cat. Rom. 42. seqq., S. Th. 3. p. q. 69., q. 68. a. 5., E. M.

395. *An baptismus sit necessarius?* — Baptismus aquae in re vel in voto ex divina institutione est omnino necessarius ad salutem, necessitate medii. Constat ex verbis Christi, Joan. 3., 5.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et ex Trid. S. 6. c. 4., S. 7. c. 5.: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* — Cat. Rom. 21. 31., S. Th. 3. p. q. 68. a. 1. 2., Commentar. de Necessitate medii.

II. — DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI

396. *Quaenam sit remota baptismi materia?* — Materia *valida* baptismi est sola *aqua* vera ac naturalis, apta ad abluendum. Constat ex verbis Christi, Joan. 3., 5., et ex Conciliis, praesertim ex Flor. in Decr. pro Armenis, et ex Trid. S. 7. c. 2. Cat. Rom. 7. seqq., L. 103., S. Th. 3. p. q. 66. a. 3. 4. — Materia *licita* baptismi, extra casum necessitatis, est sola aqua benedicta seu consecrata, et chrismate immixta iuxta ritum Ecclesiae, saltem pro baptismo solemni. Constat ex Rit. Rom., et praxi Ecclesiae. — Certo autem peccat graviter peccato sacrilegii, qui absque gravi necessitate utitur aqua impura, turbida, aut feculenta, licet haec materia sit valida. — L. 102., E. M.

397. *Nota:* In periculo mortis, si non possit haberi materia certo valida, potest et debet adhiberi dubia sub hac conditione: Si haec materia sit sufficiens. Tunc autem sufficit etiam infimus probabilitatis gradus de valore materiae, quia in necessitate proximo succurrendum est meliori,

quo fieri possit, modo. Si vero sic baptizatus supervixerit, habita copia materiae certo validae iterum baptizari debet sub hac conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc. C. *De quibus* 2. *de Bapt.* etc. — L. 103.

398. *Resolves:* 1.° Materia *valida* est: Aqua fontium, puteorum, fluminum, maris, stagnorum, paludum, lacuum, cisternarum; aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine, quia servat eamdem substantiam, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem aut odorem; aqua sulphurea, vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore, vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis, etc.; aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certe praedominans, ita ut iuxta usum aut aestimationem hominum adhuc aqua dici possit. — 2.° Materia *invalida* est lac, sanguis, lacrymae, sudor, saliva, sputum, urina; vinum, oleum, cerevisia, ius densum ex adipe, etc.; lutum, atramentum. — 3.° Materia *dubia* est iusculum valde tenue, lixivium, cerevisia tenuis, aqua ex sale soluto, humor fluens e vite, aliisque plantis. — L. 103. 104., S. Th. 3. p. q. 66. a. 4., C. *Non ut* 5. *de Bapt.* etc., E. M.

399. *An aqua per artem chimicam effecta, distillata, venenata, sit materia apta ad baptismum?* — R. Affirmative. Nam est vera aqua. — L. 104. 106.

400. *An glacies, sive nix, non soluta sit materia apta?* — R. Alii negant, alii dubitant, « ideo dicunt posse in necessitate adhiberi sub conditione ». L. 104.

401. *Quaenam sit materia proxima baptismi?* — Materia proxima baptismi est *ablutio*, quae tribus modis fieri potest, scilicet *immersione*, *aspersione* et *infusione*, iuxta praxim diversarum Ecclesiarum, ita ut morali hominum iudicio baptizatus censeatur esse lotus. Constat ex verbis formae, et perpetua praxi Ecclesiae, necnon ex Paulo ad Ephes. 5., 26.: *Mundans lavacro aquae in verbo vitae.* — S. Th. 3. p. q. 66. a. 7. 8.

402. *An infans in periculo mortis possit baptizari in utero matris?* — « Si infans, inquit Rit. Rom., caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, iterum est baptizandus ». — Si e contrario sit penitus clausus in utero, et baptizetur per ablutionem corporis matris, « certum est non valere baptismum, quia infans est persona a matre distincta. » — Si uterus aliquo modo penetrari possit, et puer secundina involutus mediante aliquo instrumento attingatur, probabiliter valide baptizatur, quia illa habetur velut pars infantis. Si mediante aliquo instrumento secundina scindatur et ipsum corpus infantis aqua attingatur, *verius* adhuc est valide conferri baptismum. Ratio, quia talis infans cum iam exsistat homo viator, bene potest baptismum recipere. — L. 107. 123., Pignatelli Consult. 153. Tom. 1., Benedict. XIV. de Syn. l. 7. c. 5., S. Th. 3. p. q. 68. a. 11., E. M.

403. *An valeat baptismus, si quis proiiciat infantem in puteum vel flumen, et formam pronuntiet?* — Prima sententia negat; secunda sententia affirmat. « Utraque probabilis est ». L. 106., La-Croix 265.

404. *An liceat proiicere in flumen infantem ad eum baptizandum?* — R. Negative, « quamvis sit mox decessurus sine baptismo, quia nunquam est licitum ob quamcumque causam directe occidere innocentem...

Quamvis autem non liceat puerum in flumen iniicere, licitum est tamen aqua etiam gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeretur ex hoc mors acceleranda ». L. 106. Actio enim de se indifferens est, duplicem habens effectum, et ad obtinendam vitam aeternam, bene negligi potest parva vitae temporalis iactura. — Elbel 13. 14.

405. *An baptismus collatus manus madefactae applicatione validus sit?* — R. Negative. Ratio, quia non habetur ablutio, quae materia proxima est baptismi.

406. *An baptismus validus sit, si baptizans motu digiti madefacti partem corporis baptizandi ablueret?* — Plures affirmant; quia habetur sufficienter ablutio. Non desunt vero, qui baptismum dubium existimant; quia illa ablutio valde imperfecta est. Hinc dubius etiam est baptismus, si quis duobus vel tribus aquae guttis baptizetur. — S. O. 8. Nov. 1770., L. 105. IV. 107. q. 6., Elbel 16.

407. *An valeat baptismus, gossypium aqua madidum fronti applicando?* — R. Affirmative, si aqua per frontem successive fluat, ut facile fieri potest, gossypium nonnihil premendo; tunc enim vera ablutio habetur. Negative, si fit merus contactus aquae super frontem; tunc enim ablutio minime habetur. — S. O. 8. Nov. 1770., Suarez de Sacr. D. 20. S. 2.

408. *An valeat baptismus si parochus, vel alius minister infantem pluviae cadenti subiiciat?* — R. Affirmative, nam eo modo infantem vere abluit. Attamen melius esset aquam in vola manus colligere, et caput infantis cum illa abluere. E contra invalidus esset baptismus collatus nive, gelo, grandine, capiti applicatis, et naturali calore resolutis; ablutio enim non haberetur ex actione ipsius ministri. — L. 106.

409. *An trina ablutio ad baptismum requiratur?* — Certo non requiritur *ad validitatem:* unica enim sufficit, ut quis censeatur vere ablutus. S. Th. 3. p. q. 66. a. 8. — Requiritur autem *ad liceitatem,* et quidem sub gravi, ubi praescribitur haec trina aquae effusio, ut in Rit. Rom. Haec tamen de baptismo solemni intelligenda videntur.

410. *An valeat baptismus, si aqua tangat vestes aut crines baptizandi?* — Si aqua tangat tantum vestes, certo invalidus est baptismus; quia sic nemo dixerit, hominem ablui. — Probabilius autem validus est, si aqua crines tangat. Sed in praxi tutior pars sequenda est. Hinc si baptizandus sit capillatus, vel digitis sinistrae manus caesariem eius discriminet sacerdos, dum dextera aquam infundit, vel in fronte eum baptizet. — Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 1., L. 107. q. 3., Collectan. S. C. de P. F. n. 642.

411. *An valeat baptismus collatus in alia parte, quam in capite?* — R. Affirmative probabilius, praesertim si baptismus in parte aliqua principaliori conferatur, v. g., in pectore, scapulis, etc. Attamen si necessitas ad id compulerit, postea, si fieri possit, iterandus sub conditione baptismus foret. L. ib. q. 4. « Ex praecepto tamen caput abluendum est, quod praxis Ecclesiae habet ». L. 105. Caput enim praecipua corporis pars est. — S. O. 8. Nov. 1770., S. Th. 3. p. q. 66. a. 7. ad. 3.

412. *Quaenam sit forma baptismi?* — Forma baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Apud Graecos

autem dicitur: *Baptizatur servus Christi in nomine* etc.; CC. *Si quis* 1., *Non ut* 5. *de Bapt.*, Flor. Decr. pro Armen., Trid. S. 7. c. 4. Plures theologi, inter quos S. Alph., censent, veniale esse omissionem vocis *Amen*, in fine formae baptismi, quae tamen vox non reperitur in Rit. Rom. Quaeritur ergo utrum adhibenda sit, vel omittenda? Resp. S. R. C.: « Strictim in casu servetur Rituale Romanum ». 9. Jun. 1853. — Ferrar. v. *Baptismus* n. 1. seqq., E. M.

413. *Nota:* 1.° Quinque sunt, quae significantur in prolatione formae, iuxta quae valor eius debet expendi: 1.° *Persona baptizantis*, saltem implicite, quod in forma Graecorum non negligitur, cum τό *baptizatur* idem valeat, ac baptizetur a me. — 2.° *Actus baptizandi*, quia alioqui forma non haberet connexionem cum materia, eamque non determinaret, cum ablutio ad varios fines possit referri. — 3.° *Persona baptizandi*, quia uti ablutio, ita et forma circa certam personam versari debet. S. C. de P. F. 11. Sept. 1841. — 4.° *Unitas divinae naturae*, quod fit per vocem *in nomine.* — 5.° *Trinitas personarum:* idque explicite et distincte vulgaribus vocabulis, L. 108., nimirum expressa trium divinarum Personarum invocatio. S. C. de P. F. 23. Jun. 1830., Flor. De variis formis dubiis Cf. L. 108.-112. 119. 120., et C. *Debitum.* 4. *de Bapt.* — 2.° « Et ideo nullus potest baptizare seipsum ». S. Th. 3. p. q. 82. a. 4. ad 2. — 3.° Expedit obstetrices baptizare lingua vulgari et vernacula. Sed ratas esse aiunt has formas: *io ti abbattezzo...* S. C. C. 12. Maii 1753.; *Ego te baptismo...* S. U. I. 22. Maii 1871., *Io ti battesimo...*, *Io ti battezzo nome di Padre...*, ead. S. C. 12. Sept. 1801., seu *del nome del Padre...*, vel *in domine Patris...*, *in nom.* (abbreviate) *Patris...*, L. 110. *Mi te abbattezzo in nome...*, S. C. C. 12. Maii 1733. — 4.° Invalida esset forma, si quis diceret: *Ego volo ministrare tibi sacramentum baptismi peccatorum, in nomine...* S. O. 23. Jun. 1840. Si quis pro *baptizo* dicat *mergo* vel *tingo*, S. Alph. 109. putat valere, quia sunt verba synonima. At *mergo* non videtur significare actionem sacramentalem, sed tantum materialem, si per immersionem baptismus ministretur. *Tingo* autem colore aliquid imbuere proprie significat.

414. *An valeat baptismus, si in forma omittatur pronomen* ego, *particula* in, *vel particula* et *ante Filii tantum invocationem, vel etiam ante invocationem Spiritus Sancti?* — R. Ad 1.um Affirmative; nam implicite in verbo continetur, sed veniale est. — Ad 2.um non desunt qui negant valere, quia omissa praepositione *in*, variatur significatio, tunc enim sensus non est, quod baptizetur in invocatione Trinitatis, sed quod baptizetur auctoritate, potestate et imperio Trinitatis. Verum probabilius affirmandum est valere iuxta indolem linguae latinae, qua omitti potest praep. *in;* tanto magis quod, adhuc expressa praep. *in*, illud *in nomine* aequivocum manet, et potest significare tum *in invocatione* tum *in potestate*, prout significavit Christus, cum dixit: *In nomine meo daemonia eiicient*, etc. Luc. 16., 17. Determinatur autem intentione ministri. — Ad 3.um Valet, quia sufficienter explicatur distinctio Personarum. S. O. 3. Aug. 1889. — Ad 4.um Plures dicunt valere, quia iterum sufficienter explicatur distinctio Personarum. Nam ex una parte indoles linguae latinae omnino admittit eam omissionem, ex alia parte nomina illa P. F. S. S., utpote inter se relative opposita, iam significant distinctionem Personarum. Verum alii plures dicunt non valere: etenim cum nomen Spiritus Sancti per se non sit *notionale*,

sed competat tam Patri quam Filio, nisi particula *et* exprimatur saltem ante ultimum nomen, non sufficienter exprimitur distinctio trium Personarum. — L. 111. 112.

415. *An validus sit baptismus collatus his formis: Ego te baptizo in Patre; cum Patre; ex parte Patris; in virtute Patris, etc.; in nomine Patris per Filium et S. Sanct.?* — Baptismus non valet vel saltem dubius est: quia non habetur his formis invocatio SSmae Trinitatis, et unitas divinae naturae, quamvis habeatur distinctio Personarum. Refert Scav. Mediol. 1874. V. 3. n. 59. a S. Poenit. et a S. C. C., imo ab ipsomet Ben. XIV. 7. Dec. 1741. responsum fuisse valere formam *cum nomine Patris, Filii* etc.; sed, observat D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 272., quamdiu de his non constat authentice, non oportet recedere a sententia communi.

416. *An validus sit baptismus hac forma: Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spir. S.; vel in nomine Patris, et in nomine Filii, et in nomine Spiritus Sancti; vel Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Sp. Sancti?* — R. Affirmative, longe probabilius: quia locutiones sunt omnino aequivalentes, si grammatice considerentur. Verum cum minus recte exprimatur Unitas divinae essentiae, si significatio theologica et mysterium attendatur, ut dubiae saltem videri possent, quamvis omnes illae locutiones theologice verae sint, et catholicam contineant veritatem. Cf. Rit. Rom. *Ord. Comm. Anim.* Nihilominus S. C. C. 4. Maii 1641. validam declaravit secundam formam; S. O. 11. Jan. 1882. tertiam formam propositam, validam declaravit. Unde sequitur, quod et prima ut valida habenda est. — L. 111., Suarez D. 21. S. 3. par. *Sed quid.*

417. *An valida sit forma baptismi, si dicas: In nomine Genitoris et Geniti et Spirati seu Procedentis?* — Negat S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 7., quia « sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eius usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres Personas in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari Personae in illa lingua ». Valet tamen baptismus in nōmine *Patris et Verbi et Spiritus Paracliti*, vel *Spiritus.*

418. *An valida sit forma baptismi, si dicatur: Ego te baptizo in nomine* Sanctissimae Trinitatis, *vel in nomine* Christi*?* — R. Ad 1.um Negative, saltem probabilius, quia in tali forma non sat distincte exprimuntur singulae personae Sanctae Trinitatis, siquidem vox Trinitas tantum confuse et implicite Personas significat; Christus autem voluit, ut distincte exprimerentur, prout patet ex Matth. c. ult. — Ad 2.um Negative etiam a fortiori, quia nullatenus exprimitur Trinitas per τό in nomine Christi. Ita omnes saltem nunc post S. Th. 3. p. q. 66. a. 6., et constat ex C. *Si revera* 30. *de Consecrat.* Dist. 4. — L. 111. 112.

III. — DE MINISTRO BAPTISMI

419. *Quinam sit baptismi minister?* — Minister baptismi alius est *ordinarius*, et alius *extraordinarius.* Minister extraordinarius est duplex: nempe minister *solemnitatis* et *necessitatis.* — Omnis et solus sacerdos

vi suae ordinationis est minister *ordinarius* baptismi. Constat ex Flor. Decr. unionis, nec non ex universali Ecclesiae praxi. — Diaconus est minister *extraordinarius* et *solemnitatis*, id est, valens solemniter baptizare, sed tantum ex parochi delegatione, et de gravi causa. Constat ex Pont. Rom. instructione Episcopi ad Diaconos in ordinatione, etc., C. *Diaconos* 13. Dist. 93.— Quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier, sive catholicus, sive haereticus, sive fidelis, sive infidelis, est minister *extraordinarius* baptismi, ita ut semper valide, et *in necessitate* etiam licite, baptizare possit. Flor. Decr. pro Armen. — Licet omnis sacerdos vi ordinationis potestatem habeat baptizandi, non potest tamen ea *licite* uti, etiam privatim, extra casum necessitatis, nisi iurisdictionem ordinariam vel delegatam habeat. Flor. Decr. pro Arm., Rit. Rom. *de Min. bapt.* In praesenti regulariter minister, parochus est, Rit. Rom. ib., et grave est. Clem. 1. *de Priv.* — L. 116. 236., S. Th. 3. p. q. 67., E. M.

420. *Resolves:* 1.° Nec parochus, nec episcopus, absque commissione, extra suam dioecesim vel intra eam, alienos subditos licite baptizat. Ideoque peccant etiam parentes, qui sine licentia sui praelati alteri deferunt suam prolem baptizandam, siquidem ius parochi violant. L. 114. — 2.° Extraneus baptizari potest de licentia sive expressa, sive rationabiliter praesumpta proprii sacerdotis. L. 115. — 3.° Possunt religiosi baptizare in casu necessitatis, vel de eadem parochi et proprii superioris licentia, cum nulla lege hoc prohibeatur. L. ib. — 4.° « Sacerdos sine licentia extra necessitatem baptizans, etiam sine solemnitate peccat graviter ». L. 115.

421. *An, si parentes habeant domicilium uno in loco, quasi-domicilium in alio, et in hoc mulier enixa fuerit, debeat in hoc infans baptizari?* — Poterit infans baptizari in loco quasi-domicilii, vel domicilii. Ratio quia uterque est parochus proprius in ordine ad baptismum et alia sacramenta recipienda. C. *Significavit* fin. *de Paroch.* L. 115. — « Filii familias, generatim loquendo, baptizari et educari debent in ritu patris », si parentes ad diversos ritus pertineant, veluti ad Romanum, Ruthenum, Armenum, etc. S. C. de P. F. 11. Apr. 1894.

422. *In qua paroecia baptizari debeat infans, si parentes nec domicilium nec quasi-domicilium habeant, vel ab illo distent?* — « Peregrini, vel qui domicilium non habent (vagi), possunt baptizari in Ecclesia, quam elegerint ex cap. *Nec numerus* q. 3... Si autem mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda: verumtamen, si ille pagus parum distet a pago proprio, v. g. duabus aut tribus horis, potest baptizari proles etiam in Ecclesia sua ». L. 114.

423. *An clericus non diaconus et diaconus sine commissione solemniter baptizans incurrat irregularitatem?* — R. Ad 1.um Affirmative. Constat ex C. *Si quis* 1. *de Cler. non ord. min.* — Ad 2.um aliqui negant ex cit. C. *Si quis.* Sed probabilius alii ex eod. C. *Si quis* affirmant, iuxta sententiam, quam communissimam dicit S. Alph. 116.

424. *An laicus baptizans solemniter contrahat irregularitatem?* — R. Negative. In iure enim nihil dicitur, immo contrarium insinuatur. L. 116. 754.

425. *Quis ordo servandus sit inter ministros baptismi in casu necessitatis?* — In Rit. Rom. sic habetur: « Si adsit sacerdos, diacono prae-

feratur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat foeminam, potius quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi ».

426. *An grave sit, si pater aut mater, alio praesente, baptizent?* — R. Affirmative, ratione cognationis spiritualis. Quare ipsis persona extranea, etiam mulier, est praeferenda. — L. 117. 150., La-Croix 277. 358., Viva q. 1. a. 5. n. 4.

427. *An peccet mortaliter laicus, qui in necessitate, praesente sacerdote, baptizat?* — R. Affirmative. Ratio est, quia vere tunc usurpat ius sacerdotis, cui ex potestate ordinis commissum est munus baptizandi. Ideo etiam sacerdos ipse graviter peccaret, si laico administrationem cederet. L. 117.

428. *An, praesente sacerdote excommunicato, praeferendus sit laicus non excommunicatus?* — R. Affirmative. Ratio est, quia si laicus adsit, iam nulla est necessitas, cur sacerdos excommunicatus baptizet. L. 117.

429. *An peccet graviter laicus baptizans coram diacono?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat; quia diaconus ex vi ordinationis ad baptizandum deputatur, licet ex praxi actuali Ecclesiae solemniter baptizare non possit, nisi gravi de causa et cum parochi licentia. — Secunda sententia, pariter probabilis, negat, quia diaconus baptizans in casu necessitatis sine commissione, non baptizat ex officio, sed eodem modo ac clericus inferior vel laicus. L. ib.

430. *An sub gravi adhiberi debeant caeremoniae, ab Ecclesia praescriptae?* — R. Affirmative, nisi necessitas excuset. Rit. Rom. *de Bapt.* C. 1. § 2., S. C. de P. F. 16. Jan. 1797. — S. Th. 3. p. q. 66. a. 10., q. 71., E. M.

431. *An servandus sit ritus Ecclesiae propriae Latinae, seu Graecae?* — R. Affirmative, et quidem sub gravi. Bened. XIV. C. *Etsi Pastoralis* § 2. Cf. Rit. Rom. *de Bapt.* l. c. Idque valet etiamsi Graecus inter Latinos, vel Latinus inter Graecos versetur, nempe si eo in loco extet Ecclesia proprii ritus, alias uti poterit ritu, quem potius voluerit. L. 202. 203.

432. *An grave sit extra casum necessitatis solemniter baptizare, sine aqua consecrata?* — R. Affirmative, quia omissio valde gravis caeremoniae est. « Generice loquendo omissio aquae benedictae est mortale ». L. 102., Bened. XIV. Enc. *Inter omnigenas.* In casu necessitatis, « si non habeatur *aqua baptismalis,* et periculum impendat, sacerdos utatur *aqua simplici* ». Rit. Rom. *Ordo Bapt. parvul.* in fine. Sed curari debet, ut fiat acqua benedicta, sive lustrali, ob maiorem decentiam. S. C. de P. F. 8. Sept. 1869. Et Decisio habetur S. O. 22. Jun. 1883.: « Quando non habetur aqua baptismalis, adhibenda est, quando fieri potest, aqua benedicta, iuxta formulam in novis editionibus, et in appendice Ritualis Romani; secus adhibenda est aqua naturalis ». — L. 102., E. M.

433. *An grave sit baptizare sine unctione olei catechumenorum, vel sine unctione chrismatis?* — R. Affirmative, quia hae aut aliae similes caeremoniae ob earum specialem et gravem significationem materiam gravem constituunt. — L. 141., E. M.

434. *Quomodo intelligenda sit prohibitio utendi chrismate veteri, seu alterius anni?* — Rigorose sumenda est, quando chrisma novum habetur. Graviter igitur peccaret sacerdos, qui, chrismate recenti posthabito, veteri uteretur. — In baptismo autem solemni ungendi sunt infantes oleo et chrismate praecedentis anni, dum recenter consecrata non habentur; nec omittenda est haec caeremonia, et postea supplenda, quum novum oleum, et novum chrisma recipiatur; nec ea de causa baptismus differri ad aliud tempus debet, quantumvis breve. — Benedictio item fontis baptismalis in Sabbato sancto fieri debet cum chrismate praecedentis anni, in omnimoda impossibilitate habendi olea sancta a propria Cathedrali, vel a vicinioribus dioecesibus. Si vero aliquo fortuito casu olea sancta ad breve tempus retardentur, parochi, qui ante fontis benedictionem olea sancta recipere non potuerunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt. S. R. C. 12. Apr. 1755., 23. Sept. 1837., 12. Aug. 1854. — In ecclesiis, ubi fons adest baptismalis, illius benedictio omnino peragenda est non modo in Sabbato sancto, verum etiam in vigilia Pentecostes. S. R. C. 7. Dec. 1844. Ac, si opus sit, consecrari potest aqua etiam extra Pascha et Pentecostem. Rit. Rom. *Bened. font. bapt.*, E. M.

435. *Quid, si aqua consecrata, et olea benedicta deficere videantur, et alia benedicta haberi nequeant?* — Superinfundi potest in minore quantitate aliud oleum et alia aqua non benedicta, idque toties quoties fuerit necessarium, quamvis maior pars demum praeexistenti adiiciatur. Rit. Rom. *de Mater. bapt.*, *de Sacris oleis.*

436. *An grave sit, sine urgente necessitate, extra Ecclesiam baptizare?* — R. Affirmative. Clem. un. *de Bapt.*, Rit. Rom. *de Temp. et loco admin. bapt.*, L. 142.

437. *An possit aliquando baptismus extra Ecclesiam conferri?* — « Notandum quod prohibentur infantes baptizari domi, *exceptis regum vel principum*, ut habetur ex Clem. un. *de Bapt.* Et cum hic agatur de re gravi, transgressio erit quidem mortalis... His tamen non obstantibus, ubi introducta est consuetudo, domi baptizandi filios *magnatum*, ipsa non est facile improbanda ». L. 118. S. C. C. 20. Jan. 1894. — Id etiam licitum erit, si infans nequit in ecclesiam deferri sine periculo infamiae parentum. L. 142. — Cum baptismus reiterandus est, « potest dari in quocumque loco, si peractae iam sint solemnitates in ecclesia ». L. 136. — Baptismus solemnis ex Iure Can. nunquam conferri potest extra ecclesiam et quidem *parochialem*, excepto casu necessitatis, privilegii aut facultatis specialis ab Ordinario obtinendae. Quare baptizare non licet in aliis ecclesiis seu sacellis aut oratoriis, sive privatis sive publicis, nisi de sola episcopi licentia; et hoc, non obstante qualibet consuetudine, ut constat ex Declar. S. C. 7. Febr. 1734., Gur. Cas. 221. 222. — Nec sine rationabili causa ab episcopo approbanda licet baptismum solemniter conferre in sacristia. S. C. R. 16. Mart. 1861. Si sacerdos in necessitate extra ecclesiam baptizet, omittere debet omnes caeremonias, quae baptismum praecedunt, etiamsi infans tamdiu victurus videatur; collato autem baptismo ut supra, debet infantem in vertice ungere chrismate, si habeat, imponere vestem albam, et candelam accensam praebere. Cum autem convaluerit infans, praesentandus est in ecclesia, ibique, et nunquam extra ecclesiam, supplendae

sunt caeremoniae omissae, quae baptismum praecedunt. S. R. C. 23. Sept. 1820. Haec S. Alph. 136. 143.: « Postquam aliquis privatim baptizatus est, consuetae caeremoniae et ritus in ecclesia suppleri debent... — Et hae caeremoniae sunt supplendae sub mortali ». Cf. Rit. Rom., E. M.

438. *Quid de nominibus baptizatis imponendis?* — Quoad nomina baptizatis imponenda, quod Rit. Rom. cavet, hoc aut consilium est, aut praeceptum leve, L. 145. Et si is, qui puerum baptizandum defert, nolit prorsus eum baptizari, nisi imposito impii alicuius nomine, non ideo fas est infanti baptismum differre, sed baptizandus est, addito submissa voce nomine alicuius Sancti. S. O. Jun. 1883., E. M.

439. *An interrogationes, quae ex Rubrica Ritualis Romani patrinis faciendae sunt, lingua vernacula fieri possint?* — R. Negative, sed omnia fieri debent prout in Rit. Rom. iacent. S. R. C. 12. Aug. 1854. Ceterum nihil obstat, quominus vernacula lingua explicentur, quae pertinent ad ipsum sacramentum baptismi. S. O. 30. Apr. 1808. Possunt autem patrini et matrinae sua lingua respondere. S. C. de P. F. Jun. 1879., E. M.

440. *Si baptismus solemniter collatus deprehendatur invalidus, an etiam caeremoniae repetendae sint?* — Controvertitur. Duplex est sententia probabilis. Unde caeremoniae non sunt necessario repetendae: suadendum tamen est, ut repetantur, si absque scandalo vel infamia fieri possit. L. 144., E. M.

441. *An in baptismo patrini sint adhibendi?* — Patrini, quasi patres spirituales, ii sunt qui baptizatum de sacro fonte levant, et suscipiunt in suam curam. In baptismo *solemni*, et in confirmatione etiam, sub gravi adhiberi debent. Trid. S. 24. C. 2. de R. M., Bened. XIV. C. *Inter omnigenas* § 19., L. 159. 185. In baptismo *privato* necessario adhiberi non debent, sed laudabiliter adhiberi possunt. L. 147.

442. *Quinam patrini esse nequeant?* — *Valide* esse nequeunt, qui non sunt compotes sui, velut infantes, L. 146., non baptizati, C. 102. *de Consecr.* D. 4., et in confirmatione non confirmati, C. cit. 102. et S. C. C. 13. Jun. 1624., et est grave. L. 186., Sanchez de Matr. l. 7. D. 60. n. 20. — *Licite* autem esse non possunt illi, qui suscepto munere fungi non possent, ut muti, regulares, nisi monachus sit confirmandus, C. 103. *de Consecr.* D. 4., L. 156., La-Croix 355. 397.; item illi, qui sunt indigni, ut haeretici, criminosi, infames, etc. Rit. Rom. *de Patr.*, si removeri possint sine gravi damno, quum leges Ecclesiae non obligent cum incommodo gravi, S. Poenit. 10. Dec. 1860., L. 156. IV. Verum haereticus nullatenus admittendus, et si removeri non possit sine gravi incommodo, admitti poterit ut mere assistens et testis, quin infantem tangat, cum baptizatur. La-Croix 373. Cf. Kenrick V. 2. Tr. 15. n. 47., Gur. Cas. 231., Collectan. S. C. de P. F. n. 604. 606., A. S. S. V. 26. p. 448. Demum patrini esse non possunt coniuges respectu coniugum, et parentes respectu filiorum, C. 2. *de Cognat. spir.*, C. 7. can. 3. 1., L. 156.; neque idem in utroque sacramento, sed hoc leve est, L. 187. — Rit. Rom. *de Bapt.*, *de Confirm.*, E. M.

443. *Nota:* « In privato baptismo ob necessitatem dato, pater non debet suscipere, aut tenere tanquam patrinus infantem, cum in hoc casu nulla sit patrini necessitas, ideoque si id vel tunc, vel etiam in baptismo publico temere faciat, graviter peccat ». L. 158. — E. M.

444. *An duo coniuges possint licite suscipere alienam prolem?* — R. Affirmative. Ratio, id enim iam consuetudine introductum est. L. 157.

445. *An pater possit esse patrinus in baptismo sui filii illegitimi?* — R. Affirmative. Ratio est, quia prohibitio facta coniugatis fuit, ne quis pro uxore habeat cognatam suam spiritualem. At talis ratio non militat in hoc casu. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 5. n. 4.

446. *An pater possit esse patrinus in baptismo filii suae coniugis ex alio marito* — R. Negative. Ratio est, quia prohibitio facta est coniugatis, ne contraherent cognationem spiritualem cum propria coniuge. At haec ratio omnino verificaretur in tali casu. Lugo ib.

447. *An pater possit licite patrinus esse in baptismo filii, si eo tempore uxor iam mortua sit?* — R. Affirmative. Nam 1.° solum prohibentur coniugati suum vel coniugis filium in baptismo tenere. At in casu praesenti ille nec coniugatus est, nec coniugis filium tenet, cum iam coniugem non habeat, matrimonii enim vinculum fuit morte coniugis solutum. 2.° Nam ratio illius prohibitionis fuit, ne quis cum uxore cognationem spiritualem contrahat. Atqui cum mortua nequit contrahi ulla spiritualis cognatio. Lugo ib. n. 5.

448. *Quot patrini sint designandi?* — Non licet *sub gravi* designare in baptismo *plus* quam unum et unam; et in confirmatione unum tantum et eiusdem sexus. Trid. S. 24. C. 2. de R. M. Designare autem in baptismo duos mares aut duas feminas, probabiliter est tantum veniale. Ita La-Croix 350. cum Sanch. aliisque. « Bonac. vero et alii dicunt esse mortale, et hoc mihi verius videtur, si patrini essent diversi sexus ac infans, quia sic multiplicarentur cognationes, quod prohibere voluit Trid., secus si essent eiusdem sexus ». L. 155. Si autem in baptismo unicus patrinus adhibeatur, is masculus vel femina esse potest cum in Trid. dicatur « sive vir, sive mulier ». L. 155.

449. *Quaenam sint patrinorum obligationes?* — Patrini obligationem habent docendi baptizatum ea, quae ad fidem et mores pertinent, si id parentes non praestent. Quare ab hac obligatione eximuntur, si prudenter praesumant, quod baptizatus a parentibus diligenter instruatur. Rit. Rom. *de Patrinis,* L. 147., S. Th. 3. p. q. 67. a. 8. — Patrini praeterea contrahunt cum filiolis, eorumque parentibus spiritualem cognationem, quae impedimentum dirimens matrimonii constituit. Exinde sacerdos, collato baptismo, monere debet patrinos de susceptis obligationibus, et de contracta cognatione spirituali. Rit. Rom. *de Bapt. parvulor.,* S. Th. Quodl. 12. a. 18.

450. *Quaenam requirantur conditiones, ut quis sit vere patrinus?* — Requiritur, ut quis, caeteroquin *capax,* Cf. 442., habeat verum animum patrini munus gerendi; ut fuerit designatus a parentibus, *et eorum defectu,* a parocho vel episcopo; ut *animo* et *facto* suscipiat baptizandum vel confirmandum, dum baptizatur vel confirmatur. — Parochus *non valide* mutat patrinos a parentibus *rite* designatos. Hoc enim ius ex Trid. S. 24. C. 2. de R. M. non ad parochum, sed ad parentes *proprie spectat.* Parochus autem mutans patrinum graviter peccat, quia parentum ius usurpat. Cf. 452., L. 146., E. M.

451. *Qualis actus requiratur in patrinis, ut contrahant cognationem?* — Requiritur, ut patrinus vel teneat aut tangat infantem dum baptizatur, vel statim levet aut suscipiat de sacro fonte, vel de manibus baptizantis vel obstetricis. S. C. C. 27. Febr. 1601., S. C. de P. F. 21. Jan. 1856., Ferraris v. *Baptismus* art. 7. n. 23., S. C. C. 20. Dec. 1653., 18. Dec. 1688., Giral. Expos. Iur. Pont. P. 2. S. 112. n. 6. 7. Communiter vero asseritur, tactum hunc physicum esse debere, neque moralem, sive meram assistentiam, sufficere. L. 148., E. M.

452. *An patrini ad contrahendam cognationem debeant esse designati?* — Affirmant plures et graves thth. Ratio, quia Trid. S. 24. C. 2. de R. M. expresse requirit designationem, et proinde, ea deficiente, cognatio non contrahitur. Sed plures et graves alii dd. negant. « Neque enim Trid. statuit designationem tanquam formam, qua deficiente, factum sit irritum, et ita esse declaratum a S. C. C. in Cremonensi Passerinus refert ». De Angelis l. 4. t. 11. n. 3. Quare licet Trid. praescribat, ut parochus sciscitetur a parentibus quem designaverint, et ut puniatur si aliter fecerit; non tamen dicit susceptionem esse nullam, neque irritat Ius antiquum, C. *fin. de Cognat. spir.* in 6.°, ex quo omnes tangentes cognationem contrahunt. — Cum autem Trid. dicat: « Si alii *ultra* designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirilualem nullo modo contrahant, Constitutionibus in contrarium non obstantibus »; si adsunt patrini designati, sed alius praeter eos tantum tangit, hic solus tunc contrahit cognationem, « quia Conc. dicit eos non contrahere, qui *ultra* designatos tangunt, non vero qui *praeter*... E converso secus omnino dicendum, si tangat unus designatus, et alter non designatus, quia hic nullo modo contrahit, ut patet ex verbis Trid. ». L. 154. — Si plures quam duo designentur, et successive tangant, primi duo tantum cognationem contrahunt; si autem omnes simul tangant, probabilius omnes contrahunt: quia Trid., licet vetet adhiberi plures quam duos, tamen non irritat Ius antiquum, nisi cum tangunt plures ultra duos designatos, non vero si tangunt plures designati ultra duos. L. 154. — Et si vel duo mares, vel duae feminae fuerint adhibitae, uterque cognationem contrahit, cum Trid. super hac re nihil innovaverit. — Designatio ad parentes, vel ad tutores, *et his deficientibus* ad parochum spectat. Designationi parentum consensus parochi accedere debet. Contrahunt veram cognationem spiritualem patrini a parentibus designati, et iniuste a parocho reprobati, si infantem reapse teneant; secus, si a parocho iuste reiiciuntur. L. 154. — In confirmatione nihil immutatum videtur ex vetere iure, quo nulla opus erat designatione patrini. Trid. S. 22. de R. M. C. 2. in fin. Utrum vero ea quae Conc. statuit de baptismo ad confirmationem trahenda sint dubitat vel ipse Sanchez de Matr. l. 7. D. 57. n. 9. Cf. Barbosa Apost. Decis. Collect. 177. n. 10., Ferraris v. *Baptismus* a. 7. n. 13., La-Croix 360.

453. *An pater, qui patrinus sit in baptismo sui filii illegitimi, contrahat spiritualem cognationem cum sua concubina?* — R. Affirmative, quia leges ecclesiasticae inducentes hanc cognationem spiritualem inter patrinum et parentes baptizati generaliter loquuntur de omnibus filiis sive legitimis, sive illegitimis. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 5. n. 2., Schmalz. l. 4. t. 11. n. 45.

454. *An contrahatur spiritualis cognatio inter patrinum et parentes legales filii adoptivi?* — R. Negative, quia non sunt veri parentes, h. e. genitores carnales. Lugo ib.

455. *Quisnam contrahat cognationem, si quis suscipiat infantem nomine alterius?* — Tenendum est procul dubio *mandantem*, cognationem contrahere, non mandatarium, nisi tamen medio tempore intentionem ille revocaverit. La-Croix. l. 6. p. 1. n. 365., S. C. C. 15. Mart. 1631., 11. Iun. 1881. Hinc non interest cuius sexus sit mandatarius. S. C. C. 29. Mart. 1582., Ferraris a. 7. n. 19. Nec utrum baptizatus et ipse sit vel confirmatus. — Bened. XIV. Quaest. can. 227., L. 153., E. M.

456. *An suscipiens infantem in baptismo collato sub conditione contrahat cognationem?* — R. Affirmative si dubium sit *negativum*. h. e. si nulla solida ratio adsit pro priori baptismo. Negative, si dubium sit *positivum*, h. e. si adsit probabilis ratio pro priori baptismo; nam tunc erit cognatio, et impedimentum dubium, adeoque nullum. L. 151.

457. *An contrahat cognationem, qui ex errore suscipit unum infantem pro alio?* — R. Negative. Ratio, quia nulla voluntas errantis est. Controvertitur autem inter dd., adeoque, cum sit impedimentum dubium, impedimentum nullum erit. L. 146. 152.

458. *An contrahant cognationem spiritualem, qui officium patrini et matrinae exercent in supplendis baptismi solemnitatibus?* — R. Negative, quia non habetur tunc baptismus. S. C. C. 13. Jul. 1642., S. C. de P. F. 11. Sept. 1779., E. M.

459. *An in privato baptismo contrahatur spiritualis cognatio?* — Nullum dubium, quod baptizans eam contrahat. De patrinis disputatur. *Communior* et *probabilior* sententia, ex S. Alph. 149., negat; Conc. enim Trid. cum loquatur de *suscipientibus de sacro fonte*, nonnisi de solemni baptismo loquitur. D'Annib. P. 1. n. 66. Ed. 3.ª, P. 3. n. 303., Gur. Baller. 805. 806. Sed affirmant De Angelis l. 4. t. 11. n. 5., Gènnari Monitore Ecclesiastico Conversano V. 9. P. 1. p. 92., aliique ex declaratione S. C. C. Contrariam tamen declarationem S. C. C. asserit Ferraris a. 7. n. 20. — E. M.

IV. — DE SUBIECTO BAPTISMI

460. *Quisnam sit baptismi subiectum, et quaenam eius necessariae dispositiones?* — R. Subiectum baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus. — Ad dispositiones quod attinet, in infantibus eorum voluntatem supplet Christus et Ecclesia. In adultis vero ad *valide* recipiendum baptismum requiritur intentio saltem habitualis explicita vel saltem implicita. In iisdem adultis ad *licite* recipiendum baptismum requiritur fides et poenitentia. — L. 139., S. Th. 3. p. q. 79. a. 3. ad 2., 4. Dist. 6. q. 1. a. 3. ad 5., E. M.

461. *Resolves:* 1.° Valide baptizantur infantes, item perpetuo amentes, qui nunquam usi sunt ratione, et proinde censentur eiusdem conditionis ac infantes. Si autem aliquando ratione usi fuerint, *probabilius* non valet baptismus, nisi ante amentiam illum petiverint. In praxi tamen ii sub

conditione essent baptizandi, tum quia non plane constat, eos baptismum non postulasse, tum etiam quia iuxta plures satis est, si quis habuerit voluntatem suscipiendi omnia ad salutem necessaria. Cf. 383. — 2.° Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione. Hinc recte censent generatim theologi, omnes foetus abortivos semper esse baptizandos sub conditione, *si vivant.* — 3.° Quando dubitatur, an monstrum sit homo, baptizandum *absolute*, si caput sit humanum, licet membra sint ferina; *sub conditione* vero, si caput sit ferinum, et membra humana. Quod si habeat membra hominis geminata, et dubitetur, num sit unus homo, an duo, duplex baptismus conferendus est, unus absolute, alter sub conditione, in ea parte, qua membra apparent imperfectiora. — Rit Rom., L. 125.

462. *An liceat adultum invitum baptizare?* — R. Negative, idque grave est. C. *Sicut* 9. *de Iud. et Sarrac.*

463. *An infantes statim sint baptizandi?* — « Notandum quod graviter peccant qui per multum temporis differunt infantem baptizare. Id commune est apud omnes... et in Rit. dicitur: Parochus hortetur, ne pueris sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis... Communius et probabilius non est gravis dilatio, nisi 10. vel 11. dies excedantur». L. 118. Salmant. censent non esse mortale differre ad 15. vel etiam 20. dies, etiam sine causa urgenti. Immo alii cum Suarez dicunt non esse gravem dilationem, si ad mensem non pertingat, licet non adsit causa; stante autem causa, si ad duos menses non extendatur. — Trid. S. 5. Decr. de Pecc. orig., S. 7. c. 12., Cat. Rom. 34., S. Th. 3. p. q. 88. a. 3. 9., E. M.

464. *An recte baptizentur filii, invitis parentibus?* — Certum est 1.° talem baptismum validum esse; 2.° hoc baptisma esse etiam licitum, si agatur *de filiis catholicorum*, quippe qui Ecclesiae legibus subiiciuntur. Dnus Gousset id facile non concedit, si impii parentes renuerint omnino. Attamen ipse Gousset observat contrarium esse commune. Etenim id caute fieri potest sine ullo discrimine; et, cum filius adhuc degat inter catholicos, perversio non adeo timenda est. Verum non expedit hanc quaestionem practice resolvere sine episcopi consilio.

Si agatur *de infidelium filiis*, utrum licite, invitis parentibus, baptizentur, affirmat Scotus: sed communior et in praxi tenenda sententia, quam defendunt Thomistae, docet, *generatim loquendo*, filios infidelium illicite baptizari, si eorum parentes sint vel censeantur fore repugnantes, quamvis aliunde christianis principibus civiliter subiiciantur. Etenim baptizati vel subducuntur a parentibus, et eis fit iniuria: nam *de iure naturae est, quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris;* vel relinquuntur penes eosdem, et fit iniuria sacramento; cum illud exponatur irreverentiae. Unde etiam non licet eos baptizare, quamvis ab utroque parente sponte offerantur, quoties iidem infantes sub potestate et educatione eorundem infidelium genitorum sunt relinquendi. Firmatur ex praxi Ecclesiae, et ex Bened. XIV. tum Instr. *Postremo mense* 28. Febr. 1747., tum Epist. *Probe te.* Immo quoad Hebraeorum filios adest Constitutio Julii III., qui imposuit delinquentibus suspensionem et poenam mille ducatorum.

Generatim loquendo. Nam, etiam licite baptizabuntur: 1.° Si parentes sint nostra mancipia; tunc enim nostri potius iuris sunt quam illorum. 2.° Si alteruter parentum petat, quia iusta eius voluntas voluntati iniustae alterius praeferenda est in favorem fidei et prolis, vel si, mortuo patre, consentiat avus paternus, etiam matre reluctante, cum apud ipsum sit patria potestas. Opus autem est, ut rationalis adsit spes, ut infans christiane deinde educetur. 3.° Si infans sit in periculo mortis, modo id fiat sine scandalo, nec proinde maius quoddam infidelium odium in christianam religionem atque in christianos saevitia concitetur: tunc enim bono prolis providetur, quin alicui iniuria fiat; cum ab omni sit subtrahendus hominum potestate per mortem. 4.° Si suae iam compos rationis baptisma petat ex se; quia in negotio Religionis iam est iuris sui, dummodo prudenter dubitari non possit, ne postea a Catholica Religione desciscat, Bened. XIV. C. *Postremo mense* § 22. In dubio autem de usu rationis, sufficit aetas septem annorum. Generatim vero favendum est potius filio quam patri. Nam pater agit de vitando levi detrimento, nempe potestatis patriae ad modicum tempus; filius vero agit de vitando detrimento gravissimo, nempe de damnatione aeterna. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 4. 6. 5.° Si filius sit positus extra curam parentum, ut si esset expositus; tunc enim iuri suo censerentur renuntiasse. Item, si bello parentes capti sint; nam iure belli captivi sunt victoris. 7.° Si pater offerat filium et postea consilium mutet; vel si parentes filium derelinquant, etsi deinde reclament; iam enim Ecclesia ius acquisiisset. — Ita Benedictus XIV. C. *Inter omnigenas* 2. Febr. 1744., Instr. *Postremo mense*, plura S. C. C. Decreta, Collect. S. C. de P. F. n. 540. seqq., ac communis doctorum sensus.

Si tamen proles iam sit, invitis parentibus, illicite baptizata, tunc Benedictus XIV. cit. Instr. *Postremo mense* prohibet eam reddere parentibus ob certum periculum perversionis prolis et profanationis sacramenti.

Infantes, *haereticorum filios*, ius est Ecclesiae baptizandi, invitis etiam parentibus, a quibus etiam potest eos « evellere, ut catholice educentur ». L. 127. Ecclesia tamen ob graviora incommoda hoc iure uti non solet. Ubi autem huiusmodi ius Ecclesia exsequi non possit, « idem dicendum videtur in eo casu de haeretico et de quocumque alio infideli, si idem sit morale periculum », ne deinde catholice educentur. S. C. de P. F. 17. Apr. 1727., S. O. 23. Ian. 1763. — La-Croix 297. seqq., L. 128.-132., S. Th. 2. 2. q. 10. a. 12., 3. p. q. 68. a. 10., A. S. S. V. 25. p. 247. seqq., E. M.

465. *An baptismus aliquando repeti possit vel debeat?* — Potest et debet repeti sub conditione, quoties de eiusdem valore adest aliquod dubium non spernendum; secus iterari non potest sine peccato gravi, quia conatus ministrandi sacramentum subiecto incapaci sacrilegium est. — L. 134., A. S. S. V. 25. p. 258., Rit. Rom. *de Bapt. adult.*, E. M.

466. *An infantes expositi sint baptizandi?* — R. Affirmative, si isti expositi fuerint absque testimonio baptismi collati, nisi aliunde constet eos rite baptizatos fuisse. Si vero expositi sint cum schedula attestante ipsos fuisse baptizatos, controvertitur. *Sententia* communior et verior docet, hos omnes sub conditione baptizandos esse, « quoties non habetur moralis certitudo de baptismo collato, *et rite collato* », post diligentem factam inquisitionem. L. 135., E. M.

467. *An sint rebaptizandi infantes sive ab obstetricibus, sive a laicis baptizati?* — R. Negative, nisi adsit probabilis suspicio erroris in collato baptismo. Ita communissima et vera sententia, inquit S. Lig. 136., ubi decisionem S. Congr. commemorat. — E. M.

468. *An baptizati ab haereticis rebaptizari debeant?* — R. Certum est de fide ex Trid., validum esse baptismum collatum ab haereticis, quando omnia requisita ad sacramentum adhibentur. « Sed in conversione haereticorum a quocumque secta venerint, inquirendum de validitate baptismi in haeresi suscepti ». S. O. 20. Nov. 1878. Et sic baptizandi absolute, sub conditione, vel nullo modo: prout, facta inquisitione, certo constiterit baptismum non fuisse rite collatum, vel res dubia sit, vel certo constiterit baptismum validum fuisse. E. M.

469. *Quid de operatione caesarea in ordine ad baptizandum infantem, nondum natum?* — Operatio seu sectio caesarea in hoc consistit, quod uterus matris gravidae aperiatur, ut foetus extrahatur. Duplex praecipua quaestio occurrit, scilicet, an vel quando fieri possit, aut debeat.

470. *An vel quando fieri possit?* — *Mortua matre, certum est posse fieri operationem caesaream*, et quidem statim ac de eius morte constet. Etenim si quid obstaret, esset periculum matris; sed, ex hypothesi, de eius morte certo constat; et aliunde salvari potest vita spiritualis, immo forte et temporalis infantis. Admonendus tamen est loci Praefectus seu Praepositus, et adhibendi sunt testes ab ipso approbati tum ad mortem recognoscendam, tum ad maiorem rei certitudinem, ac praesertim ne operationis auctor tamquam homicidii reus traducatur. — *Vivente matre, nunquam licite fieri potest operatio caesarea, quoties adest periculum seu proximum seu probabile mortis matris ex ipsa secuturae*, quamvis, ea non facta, mater et proles certo perituraе sint. Ratio est, quia esset id perinde ac directe matrem occidere, quod nunquam licet. S. Th. 3. p. q. 68. a. 11. ad 3. dicit: « Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum ». L. 106. Hinc fieri non potest operatio, quando deest chirurgus valde peritus, nec quando mater adeo est morbo debilitata, ut operatio, alias non periculosa, sit periculum mortis proximum ex circumstantiis inductura. — *Vivente matre, licite fieri potest operatio caesarea, positis his conditionibus:* 1.° Si illa naturaliter parere non possit, aut moritura sit antequam pariat, cum maximo periculo mortis infantis priusquam baptizari queat. 2.° Si ex iudicio chirurgi periti absit proximum mortis matris periculum. Potest autem abesse tale periculum, si mater sit robusta. 3.° Si valde peritus adsit chirurgus. Elbel 60. Ratio patet; nullum enim est periculum, vel saltem valde leve est et remotum, atque adeo, si forte mors sequatur, per accidens tantum subsequi videbitur.

471. *An vel quando fieri debeat?* — *Mortua matre, certo est facienda sub gravi*, etiam invitis aut reluctantibus parentibus vel propinquis, si fieri possit; quia ex lege caritatis omni cura et labore salus aeterna infantis procuranda est. Ita S. Th. ib., ubi addit: « Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur ». Sic etiam statuit Rit. Rom. Hoc praesertim valet, si immineat tempus partus, quia cum foetus sit robustior, maior spes illum baptizandi affulget. Porro sedula cura adhibenda est, ut regio uteri defunctae servetur calida,

usquedum facta fuerit operatio; secus enim infans facilius e vita cederet, antequam baptizari potuerit. — *Per se et speculative loquendo, facienda est operatio, etiam vivente matre, si ex iudicio peritorum non possit infans aliter baptizari, et fieri possit sine proximo mortis periculo.* Ratio est, quia ex generali caritatis lege tenetur quilibet incommodum temporale pati ad vitam spiritualem et aeternam proximi servandam. *Per se* et *speculative loquendo;* nam in praxi confessarius cavere debet, ne urgeat matrem sub gravi obligatione, ob nimium periculum, ne consensum negando moriatur in statu peccati mortalis; et sic dum vult salvare vitam spiritualem infantis, damnetur ipsa mater. Satis igitur erit illam adhortari ad incisioni consentiendum. Ceterum, cum constet, posse supervivere foetum matri defunctae, affulget certe tunc spes illum, ea mortua, baptizandi, et proinde minor obligatio incisionis urget. — *Mater autem non tenetur subire operationem, si, omissa operatione, ipsa sola iudicetur peritura;* quia nemo tenetur mediis extraordinariis et tam arduis vitam servare. Si autem spes illa servandae prolis modica omnino esset, mater posset, sed non teneretur subire operationem, quia caritas non adeo urget in tanta incertitudine eventus. — L. ib., E. M.

472. *Nota:* Quilibet sane, *mortua matre,* si foetus adhuc vivat, idque constet, procurare debet ut baptizetur. Quare, si morali certitudine in ipso utero baptizari non potest, aperiendus matris uterus est a peritis vel etiam ab aliis. Sacerdotes vero, regulariter saltem, hac obligatione non tenentur, propter gravissima ex parte civilis auctoritatis incommoda, et propter scandalum, quod in populo haberetur. Hinc ex Decr. S. O. 15. Febr. 1760. missionariis in Sina prohibitio hac in re facta est: « Haec foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda ac persuadenda sit, expresse tamen cavet prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda ». — E. M.

DE CONFIRMATIONE

I. — DE CONFIRMATIONIS NATURA MATERIA ET FORMA

473. *Quid sit confirmatio?* — Est sacramentum N. L., a Christo Domino institutum, quo per manus impositionem et unctionem chrismatis in verbo, datur robur gratiae ad profitendam fidem in baptismo susceptam. Trid. S. 7. c. 1. 2., Flor. Decr. pro Arm., Cat. Rom. 5., S. Th. 3. p. q. 72. a. 1., S. q. 29. a. 3.

474. *Quinam sint confirmationis effectus?* — Est robur ad fidem, ubi opus fuerit, constanter profitendam, et ad eam data opportunitate propugnandam. Ideoque affert animae gratiam et auxilia, quibus id praestet. Insuper cum per confirmationis sacramentum suscipiant homines potestatem et robur ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, necesse est per illius susceptionem imprimi characterem. Flor. l. c., Cat. Rom. 2. 5. 20. 23., S. Th. 3. p. q. 72. a. 1. 5. 7.

475. *Quaenam sit confirmationis materia?* — Duplex est, impositio manuum, et unctio chrismatis. *Impositio manuum*, non ea quae fit initio sacrae functionis, super omnes confirmandos, sed ea quae habetur cum minister singulos confirmandos chrismate benedicto ungit. *Chrisma* autem conficitur ex oleo olivarum et balsamo cuiusvis regionis. Flor. Decr. pro Arm., Bened. XIV. C. *Ex quo primum*, S. C. de P. F. 6. Aug. 1840., Cat. Rom. 7., Pont. Rom. *de Confirm.*, S. Th. 3. p. q. 72. a. 2., E. M.

476. *Nota: De adequata materia huius sacramenti* haec S. Alph.: « Prima sententia tenet materiam essentialem huius sacramenti esse manuum impositionem illam, quae habetur in Pontificali Romano in principio ritus, ubi episcopus antequam ad chrismatis unctionem accedat, extendit manus versus confirmandos, proferens orationem: *Omnipotens sempiterne Deus*, etc. Unctionem autem, quae postea ab episcopo adhibetur, dicit esse materiam accidentalem, non a Christo, sed ab Ecclesia institutam... Secunda sententia dicit materiam essentialem componi tam ab impositione manuum, quae fit in principio, quam in unctione, quae deinde ab episcopo adhibetur... Tertia sententia denique communis, vel fere communis, quam tuemur, et certissimam cum Bellarmino existimamus, tenet materiam adaequatam et totalem confirmationis esse *chrismatis unctionem*, quae confirmandis *per impositionem manus episcopi* adhibetur... Fatemur itaque ad materiam confirmationis requiri tam unctionem, quam impositionem, sed illam tantum *impositionem, quae ab unctione est indistincta*... Iuxta autem nostram sententiam, quod materia totalis adaequata confirmationis est *unctio chrismatis, manu episcopi peracta*, advertendum est, de essentia sacramenti esse: 1.° Ut unctio fiat *in fronte*, prout habetur ex C. un. *de Sacram. unctione*, et ex Decr. Eugenii IV. iuxta communem sententiam... 2.° Ut unctio fiat *in forma crucis*, iuxta S. Thom. 3. p. q. 72. a. 4. ad 3., quem communiter etiam doctores sequuntur... 3.° Ut unctio fiat *per manus ipsius episcopi ministrantis* ». L. 164., S. Th. 3. p. q. 72. a. 9., Cat. Rom. 24., Pont. Rom. *de Confirm.*, E. M.

477. *Resolves:* 1.° Invalida esset confirmatio si fiat unctio medio instrumento. S. O. 14. Ian. 1885. — 2.° Invalida item est, si loco frontis fiat in ore. — 3.° Licet vero debeat fieri pollice dextero episcopi; valida tamen foret unctio, si alio digito episcopi fieret, et etiamsi esset digitus manus sinistrae. Peccaret tamen episcopus, si id sine necessitate faceret; ageret enim contra universalem Ecclesiae praxim, quamquam non appareat, inversionem dictae caeremoniae ad gravem culpam pertingere. L. 165.

478. *An de necessitate sacramenti sit oleum olivarum et balsamum?* — « Certum est *oleum* esse de necessitate sacramenti... Et debet esse *oleum olivarum*... An autem *balsamum* sit etiam de necessitate sacramenti, prima sententia negat...; secunda sententia communior et probabilior affirmat... Certum est autem neutram sententiam esse de fide neque certam; hinc omnino sacramentum conferendum est cum oleo et balsamo, et alias saltem dubium esset... Et ideo datum cum solo oleo, saltem sub conditione esset iterandum. E converso, quia prima sententia sat est probabilis, in articulo mortis bene poterit conferri confirmatio sub conditione ex solo oleo, si nequeat haberi chrisma ex balsamo quoque confectum; magna enim utilitas huius sacramenti iusta esset causa illud

sub conditione ministrandi ». L. 162. Certum autem est *balsamum* requiri de necessitate praecepti. L. H. A. Tr. 14. n. 39. — Flor. Decr. pro Arm., Cat. Rom. 7.-9., S. Th. 3. p. q. 72. a. 2.

479. *An chrisma debeat necessario esse benedictum?* — Affirmandum absolute est, si sermo sit de necessitate praecepti. L. 163. — Affirmandum omnino etiam, si sermo sit de necessitate sacramenti. Id enim suadet praxis constans Ecclesiae, et Decretum Eugenii IV. in quo legitur, materiam confirmationis esse chrisma benedictum. L. ib. Et H. A. Tr. 14. n. 39. inquit: « Materia remota confirmationis est chrisma ex balsamo et oleo confectum per episcopi benedictionem, ad differentiam olei baptismi et infirmorum, ut distinxit Innoc. XI. in C. *Cum venisset de Sacr. unct.* An autem unum oleum istorum sit materia valida pro alio sacramento, negant Suar. Laym. et Henriq., sed probabilius affirmant Bellarm., Castr., Bonac. et Barb. ». — S. Th. 3. p. q. 72. a. 3., E. M.

480. *An chrisma debeat necessario esse illius anni?* — Hoc non requiritur de necessitate sacramenti, quia sive sit vetus, sive novum, materia non mutatur; sed requiritur ex praecepto Ecclesiae. Hinc peccaret graviter episcopus, qui confirmaret, cum chrismate veteri. In hunc enim finem novum chrisma consecratur in Coena Domini, veteri combusto. — L. 163.

481. *Quaenam sit confirmationis forma?* — Sicut totalis materia adaequata confirmationis est unctio chrismatis adhibita per manum episcopi, sic totalis forma sunt verba, quae episcopus ungendo profert: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Flor. Decr. pro Arm., Pont. Rom. *de Confirm.*, S. Th. 3. p. q. 72. a. 4., L. 167. IV.

482. *Quaenam verba huius formae sint essentialia?* — Ad *validitatem* sunt omnino essentialia sequentia: 1.° Verba *signo,* et *confirmo,* nisi alio verbo synonymo suppleantur. 2.° Expressio Sanctissimae Trinitatis, ut in baptismo. 3.° Verbum *te,* quo subiectum sacramenti designatur. 4.° Verba *signo crucis,* necnon verba *chrismate salutis.* Dicere autem *corroboro* pro *confirmo,* vel *sanctificationis,* pro *salutis,* esset mutatio tantum accidentalis. Flor. Decr. pro Arm., Cat. Rom. 11. 12., S. Th. 3. p. q. 72. a. 4., L. 168.

483. *An valeat forma apud Graecos usitata: Signaculum doni Spiritus Sancti?* — R. Affirmative cum sententia communi theologorum. Sensus enim est: hoc signo donantur munera Spiritus Sancti, omisso verbo, more Graecorum. Invocatio autem SSmae Trinitatis dum in Ecclesia Latina post unctionem habetur, in Graeca habetur in oratione praecedenti. Secus dicendum foret, Graecos sacramentum confirmationis non habere, quod valde durum est. Constat insuper ex Declaratione Benedicti XIV. in Epist. enc. *Ex quo primum* ad Episcopos ritus Graeci 1. Mart. 1756. — L. 164. 169.

II. — DE MINISTRO ET SUBIECTO CONFIRMATIONIS

484. *Quisnam sit confirmationis minister?* — Solus episcopus est *minister ordinarius* huius sacramenti. Ita declaravit Innocentius III. et Trid. S. 7. c. 3. — Simplex sacerdos confirmare potest tamquam *minister ex-*

traordinarius ex delegatione speciali Summi Pontificis. Constat ex praxi Ecclesiae. Presbyteri Graeci seu Orientales in ipso baptismo confirmant; et valide etiam extra baptismum confirmant. Validae item habentur huiusmodi confirmationes, licet a schismaticis factae, iis enim quasi toleratis iurisdictio non fuit adempta. Bened. XIV. C. *Eo quamvis tempore*, C. *Anno vertente* 18. Iun. 1759., A. S. S. V. 25. p. 439. Sed sacerdos uti debet chrismate ab episcopo benedicto. Constat ex Decreto Eugenii IV., ubi dicitur materiam confirmationis esse chrisma ab episcopo benedictum. — Pont. Rom. *de Confirm.*, S. Th. S. q. 38. a. 1., Quodl. 11. a. 7., 3. p. q. 72. a. 11., Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 7. 8. 9., L. 170., E. M.

485. *An Papa etiam simplici sacerdoti delegare valeat potestatem conficiendi chrisma?* — Controvertitur. Affirmant non pauci; at plures alii negant. Eadem controversia exsistit pro oleo extremae unctionis. Sed Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 1. n. 4. — Benedictio sacerdotis, in utroque sacramento, absque delegatione Papae, invalida est. — L. 163. 709., E. M.

486. *An episcopus possit confirmare fideles non subditos?* — *Quoad validitatem* omnes confirmare potest, ut sequitur ex ordinis potestate. — *Quoad liceitatem* non potest confirmare, nisi qui in sua dioecesi repeériantur; et peccaret graviter confirmando etiam suos subditos in alia dioecesi, quia confirmatio est exercitium iurisdictionis fori externi, quod peragi nequit sine licentia Ordinarii loci. Potest autem confirmare extraneos in sua dioecesi, quod consuetudine et tacita episcoporum consensione est introductum. — L. 173.

487. *Quandonam episcopus teneatur confirmare?* — Tenetur confirmare *petentes*, quoties commode potest, si ad aliud tempus proximum differre nequeat. — Tenetur etiam *aliquoties* opportunitatem suis subditis praebere hoc sacramentum suscipiendi. Hinc peccaret graviter, si longo tempore a confirmatione conferenda abstineret, v. g., per octo aut decem annos, nec dioecesim circumiret, saltem per praecipua loca, nisi morali impossibilitate excusaretur. — « Si autem adsit iusta causa non peccat, qui differt per tres aut plures annos ». L. 175. — La-Croix 388.

488. *An peccet graviter episcopus omittens confirmare moribundum petentem sacramentum?* — Cum hoc sacramentum non sit necessarium ad salutem, non adire morientes ad eos confirmandos, quia non caret incommodo, leve est, et ubi haec consuetudo viget ne leve quidem. — L. 175., La-Croix 390.

489. *Quisnam sit confirmationis subiectum?* — Est omnis et solus homo baptizatus et nondum confirmatus, quamvis carens usu rationis. Confirmatio enim perficit vitam spiritualem, quae in baptismo accipitur, et pro omnibus, ut baptismus, instituta est. — Ex praxi tamen generatim in Ecclesia vigente, non sunt confirmandi pueri, qui usum rationis adepti nondum sunt, nisi id ferat legitima locorum consuetudo, quae v. g. apud Graecos et in Hispania viget. Bened. XIV. C. *Eo quamvis* § 6. — « Certum est apud omnes licite confirmari infantes, si iustae accedant causae, nempe periculum mortis, absentia episcopi, etc. » L. 178. — « Si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit ». Cat. Rom. 18. — « Etiam morituris hoc sacramentum dandum est... Etiam pueri confirmati decedentes

maiorem gloriam consequuntur, sicut et hic maiorem obtinent gratiam ». S. Th. 3. p. q. 72. a. 8. ad 4. — Loquens de amentibus, ait Bened. XIV. omnino ipsis ministrandam esse confirmationem. L. 178. Etiam perpetuo amentes licite confirmantur. L. 180. — Pont. Rom. *de Confirm.*, Bened. XVI. de Syn. l. 7. c. 10. n. 5. 8., S. Th. 3. p. q. 72. a. 8., E. M.

490. *An et qualis sit necessitas et obligatio confirmationem recipiendi?* — « Non est necessaria ad salutem *necessitate medii*, neque per se *praecepti.* Est communis S. Th. et aliorum contra Scot. et Sylvest. Ratio est, tum quia Ecclesia non urget eius susceptionem ullis poenis: tum quia nec ex Scriptura, nec Traditione, neque fine, aut institutione sacramenti, tale praeceptum colligitur. Et canones, qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse ». Busemb. 181. — « Praeceptum quod habetur in Trid. S. 23. C. 4. de R. non ligat omnes, cum sit hypoteticum; sed tantum ordinandos, vel initiandos prima tonsura. Cuius omissionem non esse mortalem contra Tan. docent Henr. Valent., Suar. et Navarr., qui addit, ne quidem episcopum peccare mortaliter, ordinando non confirmatum; aut si ipse non confirmatus ordinet ». Busemb. 183. — Iuxta S. Lig. est obligatio sub gravi de praecepto divino, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione; idque probat ex Declaratione Bened. XIV. C. *Etsi pastoralis*, de ritibus et dogmatibus Graecorum, ubi ait, § 3. n. 4.: « Monendi sunt (qui non sunt confirmati) ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt ». Verba haec Bened. XIV. non videntur concludere pro omnibus; quia Pontifex loquitur tantum de invalide confirmatis a presbyteris graecis, qui ideo renuebant denuo ad confirmationem accedere, quia primam ut validam habebant. Unde aderat hic ratio particularis eos obligandi ad sacramentum confirmationis suscipiendum, nempe ut errorem sic retractarent. Idque confirmatur ex ipso Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 10. n. 9., quod opus post eam Const. editum est. C. 9. n. 4. Quare dubia lex est. Attamen S.[i] Alph.[i] sententia traditur in *Instructione* edita auctoritate S. C. de P. F. 21. Mart. 1773. et Rit. Rom. inserta. — S. Th. 3. p. q. 72. a. 8., S. q. 29. a. 3. ad 3., E. M.

491. *Quid agendum in dubio, an aliquis sit confirmatus?* — Potest sub conditione denuo confirmari, Cf. 345. 346. Sed ad id non tenetur, si quis vere probabiliter credat, se iam sacramentum recepisse. — L. H. A. 48.

492. *Quaenam dispositiones in confirmandis requirantur?* — 1.° Character baptismalis *ad validitatem* sacramenti, et in adulto intentio sacramentum recipiendi, Cf. 381. — 2.° Status gratiae, quia confirmatio est sacramentum vivorum. Quapropter qui conscius est peccati mortalis ad sacramentum poenitentiae recurrere debet, nisi perfecte conteratur. Mos generalis est, ut nullus confirmetur, nisi schedulam parochi chirografo subsignatam exhibeat. — 3.° Ut confirmandus rudimentis doctrinae christianae imbuatur, praesertim iis, quae sunt de necessitate medii, et quae spectant ad sacramenta poenitentiae et confirmationis. — Pont. Rom. *de Confirm.*, E. M.

493. *An confirmandus debeat esse ieiunus?* — R. Negative, attenta consuetudine hodierna. Leges enim canonicae, quae ieiunium praescribebant ad recipiendam confirmationem, in desuetudinem abierunt. Idcirco

etiam invaluit usus conferendi illud sacramentum tempore vespertino. — Pont. Rom. *de Confirm.*, L. 184., S. Th. 3. p. q. 72. a. 6. 7.

494. *Quid de variis praescriptionibus circa administrationem confirmationis?* — « Confirmatio conferri potest quocumque die », L. 184., « et quocumque tempore », L. 174. « Probabiliter autem potest absque peccato gravi ministrari in aliquo loco decenti, etiam, extra Ecclesiam », L. 174. 184., etiam in Ecclesiis Regularium. Bened. XIV. C. *Confirmandis* § 6. — « Episcopus debet esse indutus amictu supra rochettum, vel superpelliceum si sit Religiosus, ac stola, pluviali albi coloris, mitra et baculo... Verius dicunt esse mortale omittere omnia praedicta instrumenta..., secus si aliquod tantum omittatur... Advertendum quoad baculum, sufficere quod baculus maneat publice expositus, vel a clerico detineatur... Item S. C. declaravit sufficere, quod episcopus sine mitra, adhibita tantum stola, confirmet... Notandum omissionem alapae, secluso scandalo, nunquam esse mortale... omissionem cerei negant unquam posse esse mortalem ». L. 184.

Insuper extra casum necessitatis sub gravi requiritur patrinus, isque unus tantum, designatus a parentibus vel ab episcopo in eorum defectu, qui sub gravi confirmatus esse debet; debet praeterea esse diversus a patrino baptismi, saltem extra necessitatem, et eiusdem sexus ac confirmandus. Cognationem patrinus contrahit spiritualem cum confirmato et eius parentibus, dummodo tamen eum tangat. Obligationem etiam contrahit instruendi confirmatum, quoad ea quae ad fidem et mores pertinent, si confirmatus non sit instructus, et alius desit. — Nequit autem patrinus esse religiosus, nisi confirmandus sit pariter religiosus. — Quoad modum autem suscipiendi in confirmatione, praescribitur in Pontificali Rom. quod confirmandus ponat pedem super pedem dexterum patrini; sed hodie recepta consuetudo habet, quod sufficiat, ut patrinus manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponat, et hanc consuetudinem testatur Concina approbatam fuisse a S. C. R. 20. Sept. 1749., L. 187.

Frons confirmati obliganda est fascia linea, cruce notata, et sic manere quousque chrisma desiccetur vel extergatur. Sed hodie ex desuetudine haec caeremonia non amplius in nostris partibus est in usu, cum statim post unctionem abstergatur frons confirmati. L. 188. — « Benedictio communis, quae datur ab episcopo confirmatis in fine, non est necessaria ad sacramentum, sed est simplex caeremonia, ut communiter dicunt dd. Hinc probabiliter ait Tamb. admonitionem, quae fit, ne confirmati ante benedictionem praefatam discedant, non videri, quod obliget ». L. ib. — Pont. Rom. *de Confirm.*, L. 185.-188., H. A. 50.-52., S. Th. 3. p. q. 12. a. 10. 12., E. M.

DE EUCHARISTIA

I. — DE EUCHARISTIAE NATURA ET EFFECTIBUS

495. *Quid sit eucharistia?* — Est Fidei nostrae mysterium, quo sub speciebus panis et vini, per sacerdotis verba consecratis, ipsemet Christus offertur, continetur, et sumitur. Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 13. C. 1. 3.

7. c. 1.-4., S. 22. C. 1. 6. Rationem habet *sacrificii* et *sacramenti;* sacrificii dum conficitur, sacramenti dum conficitur, permanet, et sumitur. Trid. S. 13. C. 4., S. 22. C. 1., S. Th. 3. p. q. 73. a. 1. 4. 5., q. 75. 76. 77., q. 79. a. 5., L. 189. 190.

496. *Quamdiu Christus maneat realiter praesens in eucharistia?* — Remanet, quamdiu species remanent integrae; desinit vero sub eis inesse statim ac species ita corrumpuntur, ut iuxta hominum aestimationem non videantur esse panis et vinum. Tunc vero ex lege a Deo in institutione huius sacramenti stabilita, speciebus substituitur eadem materia, quae pani et vino corruptis succederet. — « Species non sunt retinendae in ore tamdiu, donec penitus pereant: quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia sacramenti conferretur; uti nec si moriaris, dum hostia adhuc est in ore ». L. 226. Gratia enim datur statim ac verificatur *manducatio,* quae est vitalis traiectio cibi ex ore in stomachum, iuxta verba Christi: *Qui manducat meam carnem, et bibit,* etc. — S. Th. 3. p. q. 77. a. 4. 5., L. 225., La-Croix 474., Lugo D. 12. n. 40. seqq., E. M.

497. *Quamdiu sacrae species censeantur remanere integrae post sacramenti sumptionem?* — Alii dicunt post minutum, alii post quinque minuta, alii post medium quadrantem. De hac re nequaquam videtur regula quaepiam generalis tradi posse. Brevior quippe aut longior mora potissimum a diversa diversorum hominum virtute digestiva, aliisque tum internis tum externis circumstantiis repetenda est. Diutius autem remanent in sacerdote, qui in missa sub utraque specie et cum hostia maiori communicat, quam in laico, qui de more parvam hostiam tantum sumit. L. 225.

498. *An eucharistia sit unicum vel duplex sacramentum?* — Est unicum *specie* sacramentum, licet sint plura signa. Etenim licet adsit pluralitas physica signi, est tamen unitas moralis; nam sacramentum eucharistiae, quamvis speciebus panis et vini physice distinctis sit compositum, ordinatur tamen ad unam specie refectionem spiritualem tamquam ad finem et effectum significatum, sicut cibus et potus materialis ordinantur ad unicam refectionem corporalem. Sic in extrema unctione sunt plures unctiones, et tamen habetur unicum sacramentum, quia plures istae unctiones ordinantur ad unum finem et effectum, ad tollendas nempe reliquias peccatorum. S. Th. 3. p. q. 73. a. 2., L. 191. 199.

499. *Quinam sint effectus sacramenti eucharistiae in anima?* — Praecipui sunt sequentes, scilicet: 1.° *Augmentum gratiae sanctificantis,* quod per se proprium et praecipuum eucharistiae effectum constituit. Nam iuxta verba Christi, Joan. 6., 56.: *Caro mea vere est cibus,* hoc sacramentum est institutum tamquam alimentum spirituale; et alimentum supponit vitam in eo qui illud suscipit: inde fit, ut per hoc alimentum vita ipsa animae, quae in gratia sanctificante praecipue consistit, corroboretur et augeatur, Trid. S. 14. c. 5., Lugo D. 1. n. 7. — 2.° *Adeptio gloriae aeternae;* Christus enim hanc promittit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,* Joan. 6., 52. — 3.° *Largitio uberrima gratiarum actualium,* quae fluunt a gratia habituali, et habitibus infusis. — 4.° *Debilitatio habituum malorum et emendatio vitiorum,* praesertim libidinis. — 5.° *Remissio peccatorum venialium.* Trid. S. 13. C. 2., eucharistia vocatur

antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur. Cat. Rom. — 6.° *Remissio poenae temporalis peccato debitae;* non quidem totius, sed secundum modum devotionis et fervoris, ut ait S. Th. 3. p. q. 79. a. 5. — 7.° *Unio specialis cum Christo et membris eius,* ut patet ex Joan. 6., 57.: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* — 8.° *Praeservatio a peccatis futuris,* tum quia aucta caritate per hunc cibum, anima fit validior contra naturam corruptam, tum quia est efficax memoria Dominicae Passionis, per quam victi sunt daemones. L. 268. 269., H. A. 5. — Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 13. C. 2., S. Th. 3. p. q. 79., q. 73. a. 4., q. 74. a. 1.

500. *An aliquando eucharistia peccatum mortale delere possit?* — R. Affirmative probabilius, non quidem *per se,* sed *per accidens* ac mediate per infusionem gratiae, quando scilicet aliquis ignorans se versari in statu peccati mortalis, accedit ad eucharistiam bona fide, et cum attritione de peccatis in antecessum commissis. Tunc nihil obstat, quominus sacramentum suum producat effectum; sed effectum producere nequit, stante peccato mortali. Ergo debet peccatum illud indirecte tollere. — L. 268., S. Th. 3. p. q. 79. a. 3.

II. — DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE

501. *Quaenam sit materia remota eucharistiae?* — *Panis* et *vinum* sunt materia sacramenti eucharistiae remota. Constat 1.° ex institutione ipsa huius sacramenti; Christus enim in ultima coena accepit panem et vinum, et ea consecravit in Corpus et Sanguinem suum. 2.° Ex definitione Ecclesiae in Conc. Later. cap. *Firmiter*, in Flor. Decr. unionis, et in Trid. S. 13. in omnibus fere capitibus. 3.° Accedit his omnibus unanimis traditio utriusque Ecclesiae Latinae et Graecae. — *Solus panis triticeus* et *solum vinum de vite* sunt materia valida sacramenti eucharistiae. Constat ex Flor. Decr. cit., ubi dicitur: « Tertium est eucharistiae sacramentum, cuius materia est *panis triticeus* et *vinum de vite* ». Concordat etiam perpetua traditio et praxis utriusque Ecclesiae Latinae et Graecae. *Solus panis triticeus,* qui nempe ex farina triticea, et aqua naturali, etiam aequorea, mixtus, et igne tostus sive assus, atque in sua specie incorruptus est. Triticum autem non quodlibet frumenti genus est, sed nobilissimum frumenti genus est. Ut autem variae sunt vini species, ita et variae tritici species sunt. Materia inepta prorsus est panis ex hordeo, avena, amilo. Materia valida erit vinum de uvis passis seu exsiccatis expressum, nisi fuerint decoctae, vel nimia aqua admisceatur. — « Cum materia huius sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute; numerus autem fidelium est indeterminatus... non potest dici, quod *quantitas materiae* huius sacramenti sit determinata ». S. Th. 3. p. q. 74. a. 2. Aqua vero modicissima vino permiscenda est; atque hoc non necessitate sacramenti, sed *praecepti ecclesiastici.* Ratio 1.^{mi} deducitur ex perpetua Ecclesiae praxi ac universali Patrum traditione; et ex Declaratione Conciliorum, praesertim Florentini, quod declarat materiam calicis « esse vinum de vite, cui modicissima aqua misceri debet », et Trid. S. 22. C. 7. Ratio 2.^{di} deducitur ex eo quod Christus, in institutione huius

sacramenti, solum vinum designaverit, et Concilia, huius mixtionis mentionem faciendo, de solo praecepto loquantur, uti Trid. l. c. Accedit doctrina Cat. Rom., qui postquam docuit hanc mixtionem non posse sine peccato mortali praetermitti, addit: « Ea (aqua) tamen si desit, sacramentum constare potest ». Praeceptum hoc grave est; et, « si mixtio haec sit omissa, idque notetur ante consecrationem, adhuc facienda est, secus si post ». L. 208. — S. Th. 3. p. q. 74., L. 198., S. C. de P. F. 30. Ian. 1635., Collectan. S. C. de P. F. n. 797., E. M.

502. *An sit materia valida panis ex secali vel siligine confectus?* — *Secale (segala) frumenti* genus est, et nigrum est, ponderosum, amarum. Quare invalida materia certe videtur. *Siligo (grano bianco)* genus tritici est levissimi et candidissimi, ex quo, laudatissimus panis conficitur. Quare valida materia fere certe videtur. S. Th. 3. p. q. 74. a. 3. ad 2., Lugo D. 4. n. 3., La-Croix 421., L. 200.

503. *An sit materia valida panis ex spelta seu farre effectus?* — In variis regionibus diversae dantur veri frumenti species, quae sub nomine speltae veniunt. Unde videtur attendi debere ad communem hominum aestimationem. Omnis enim panis confectus ex grano, quod revera constat esse triticum, quamvis aliter nominetur certe materia valida est. *Speltae* autem eadem in variis regionibus et apud varios dd. significatio non est. *Spelta* ex Forcellini h. v. genus frumenti est, quod idem putatur cum zea, quae ex eodem Forcellini h. v. genus frumenti dicitur simile farri. *Far* vero dicitur genus frumenti omnium durissimum, et nunc a spelta distinguitur nunc cum ea confunditur. — S. Th. 3. p. q. 74. a. 3. ad 2., 4. D. 11. q. 2. a. 2. q. 4.

504. *An panis tam azymus, quam fermentatus sit materia valida et licita eucharistiae?* — Quoad *validitatem*, affirmative. Ratio est, quia uterque est panis verus, ac simpliciter etiam in Scriptura sic dictus; et uterque ex farina triticea et aqua naturali efficitur. Constat etiam ex definitione Ecclesiae. Sic enim Flor. Decr. unionis: « Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo, Corpus Christi confici ». — Quoad *liceitatem*, Latini tenentur sub gravi consecrare in azymo, et Graeci in fermentato, singuli iuxta Ecclesiae suae ritum. Constat ex praxi utriusque Ecclesiae; et ex Flor. in Decr. cit., ubi additur: « Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem ». — S. Pius V. C. *Providentia Romani Pontificis* a. 1565., Bened. XIV. C. super ritibus Graecorum § 6., S. Th. 3. p. q. 74. a. 4., E. M.

505. *An Latinus in locis Graecorum possit celebrare in fermentato, et Graecus in locis Latinorum in azymo?* — Conveniunt dd. quod si inter Graecos inveniatur Ecclesia Latinorum, in qua latinus ritus servatur, sacerdos latinus debeat consecrare in azymo, et sic e converso. — Si Latinus per Graeciam transeat, vel contra, communiter et probabilissime dd. docent posse utrumque celebrare sive in fermentato, sive in azymo. Ratio est, quia unusquisque sequi quidem potest morem regionis, ubi reperitur, ad id tamen non tenetur. — Simplices etiam fideles quoad communionem proprium ritum servare debent. Permittitur autem in alio ritu communicare, cum non possint in proprio ritu. — L. 203., Bened. XIV. C.

Etsi pastoralis n. 10. seqq., Enc. *Allatae sunt* § 23., C. *Eo quamvis tempore* § *Neque etiam*, Leo XIII. B. *Orientalium dignitas* Pr. Kal. Dec. 1894., Collectan. S. C. de P. F. n. 2000. 2004. 2005. 2007. 2017., E. M.

506. *An in casu necessitatis, ad praebendum viaticum infirmo, possit sacerdos latinus consecrare in fermentato?* — Quidam affirmant, sed negat communis et probabilior sententia. Ratio, quia Ecclesia gravissime urget observationem praescripti ritus, quae consequenter in hoc casu praeferenda est privatae utilitati proximi, cui tale sacramentum non est simpliciter necessarium. L. 203. — Attamen licitum et obligatorium esset consecrare in pane fermentato *ad sacrificium perficiendum*, si aliter perfici non posset, v. g. si sacerdos animadverteret se materiam corruptam consecrasse, nec aliam hostiam licitam habere posset.

507. *An peccet graviter sacerdos, consecrans in vino acescente?* — R. Affirmative, licet illud vinum sit adhuc materia *valida* sacramenti. Immo admittitur peccatum mortale, non tantum si vinum sit aceto proximum, sed etiam si certo incipiat acescere et corrumpi, quia videtur tunc gravis irreverentia sacramento irrogari. Constat ex Rubr. tit. 4. n. 2.: « Si vinum coeperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat ». « Probabiliter tamen, deficiente alio vino, licet sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum paulisper acescens, seu non notabiliter acidum ». L. 207. Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniae, sed tantum illos, qui proxime incipiunt constituere vinum acescens. « Urgente vero gravi necessitate, licitum esset uti vino adhuc notabiliter acescente, modo sit certum vinum » L. 207. — L. 206. 207., H. A. App. 3., Exam. ordinand. 98., Benedict. XIV. Notif. 77., S. Th. 3. p. q. 74. a. 3. 5.

508. *An vinum congelatum sit materia valida?* — R. Affirmative probabilius. Ratio est, 1.° quia remanet substantialiter vinum, cum retineat eumdem colorem, saporem, odorem; 2.° quia ex Rubr. Miss. species vini congelatae post consecrationem debent liquefieri, admotis pannis calefactis, et deinde sumi, quippe quod est verum sacramentum, Rubr. *de Defect.* tit. 10. n. 11. Ergo supponit speciem vini congelati retinere Sanguinem Christi. Ergo sacrae species non mutantur substantialiter per congelationem post consecrationem. Ergo nec ante. Ita S. Lig. 207., ubi dicit esse sententiam veriorem ob rationem ex cit. Rubr. deductam. De sententia vero negante ait ibid.: « puto nulla pollere solida probabilitate ». — S. Th. 3. p. q. 74. a. 4. ad 4., Lugo D. 4. n. 14.

509. *Quaenam quantitas aquae sit in calice immiscenda?* — Sufficit aquae modicissima quantitas, ut dicit Flor. Probabiliter potest infundi aqua usque ad octavam partem vini, immo usque ad quintam partem iuxta Lugo D. 4. n. 38. Addit Busemb. sufficere, ut aqua tertiam partem non excedat. Sed in praxi haec ultima sententia non est admittenda, quamvis tertia pars non corrumpat vinum, si sit generosum. Generatim consulendum est, ne sacerdos excedat octo vel decem guttulas. Quod si casu nimiam aquae quantitatem infuderit, iterum aliqua quantitas vini

adiici poterit. Sufficit autem una aquae guttula, quae sit sensibilis. — L. 210., S. Th. 3. p. q. 74. a. 8., q. 77. a. 8., E. M.

510. *Quid de materia proxima, seu de usu materiae requisitae in ipsa consecratione?* — *Ad validam* consecrationem praeter materiam aptam requiritur: 1.° Ut materia consecranda sit *physice praesens;* quia id necessario exigunt pronomina demonstrativa formae *hoc*, *hic;* aliter enim forma foret falsa, quia demonstraretur praesens id, quod non esset praesens. 2.° Ut *per intentionem* ministri *in individuo sit determinata:* quia sicut non consecrat minister, nisi intendat consecrare; ita nec hanc materiam consecrat, nisi illam determinate intendat consecrare. Non requiritur tamen determinatio actualis, sed virtualis sufficit. L. 211.-214. — *Ad licitam* consecrationem requiritur: 1.° Ut sacerdos nullatenus recedat ab usu Ecclesiae, praesertim Rubricis Miss. Rom. determinato. Hinc imprimis necesse est, ut materia consecranda sit decens et munda ob reverentiam tanto sacramento debitam. 2.° Ut sit reposita in altari et in corporali, immo et in petra sacra, iuxta Bened. XIV. de Sacr. Miss. sect. 2. n. 139. 3.° Ut ciborium vel calix consecrandus sit discoopertus. 4.° Ut fiat tempore Canonis Rubrica praescripto. Trid. S. 22. C. 4. 5. 8., L. 218. 219., S. Th. 3. p. q. 78. a. 1. ad 4., q. 83. a. 3. 4. 5. 5.° Certum est, necessarium esse de necessitate praecepti consecrare eucharistiam sub utraque specie. Certum item est ac commune apud omnes, neque etiam in articulo mortis licitum esse consecrare unam speciem ad viaticum infirmo porrigendum. L. 195. 196. 6.° Ex praecepto Ecclesiae panis consecrandus debet esse figura orbiculari et integra. Licet etiam in hostia minore, qualis datur laicis, quando alia haberi non potest, et scandalum abest, celebrare privatim; immo, si causa urgeat, etiam publice die festo, eo quod nullum sit praeceptum neque constet de consuetudine obligante sub praecepto, et etiam causa devotionis, si absit scandalum. Non licet autem parvam sumere, et maiorem relinquere, nisi sacerdos eadem missa etiam istam consecraverit, quia debet communicare de suo sacrificio. Quare male facit parochus, qui renovaturus eucharistiam, hostiam ab alio consecratam ipse sumit, et a se consecratam reponit in sacrario, vel hierotheca. L. 205., Diana Tr. 1. de Celebrat. Missar. R. 234.

511. *Resolves:* 1.° Valide consecrantur hostiae sub aliis latentes, aut aliter tectae. Item valide consecratur vinum in calice velo, palla, aut quovis modo cooperto; quia sufficit ad veram materiae praesentiam, ut per pronomina *hoc* vel *hic* demonstrari possit. — 2.° Valida est consecratio, si sacerdos putet unam tantum vel duas hostias consecrandas adesse, cum sint plures sive a se, sive ab alio positae; ratio est, quia sacerdos intendit profecto consecrare quidquid est praesens, decenter consecrabile. Unde si celebrans advertat post consecrationem duas hostias esse simul iunctas, utramque ut consecratam sumat. Si vero ante consecrationem postquam obtulit, id advertat, alteram reponat, et post missam ipse vel alius sumat tamquam panem benedictum. — 3.° Idem dicendum, si quis ad altare plures hostias consecrandas attulerit, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis hostiis iam super altare positis, vel rationabili modo animadverterit ab alio afferri ut consecrentur, etsi dum consecrat, earum non ita expresse meminerit, aut etiam ad oblationem non detexerit, modo sint praesentes in corporali; quia intentio praecedens

virtualiter perseverat. — 4.° Non consecrarentur hostiae, inscio sacerdote, etiam in corporali positae, quia sacerdos penitus inscius intentionem generalem illas consecrandi non habuit, adeoque neque virtualiter perseverare potest intentio, quae non fuit. — 5.° Si parvae hostiae pro communicando populo afferantur sacerdoti paulo post factam oblationem, licite eas consecrare poterit, suppleta oblatione mentaliter. — Rubr. *de Defect.* t. 7. n. 1. 2. 4., L. 212. 215. 216. 217., Elbel 35. 36. 48.

512. *An afferri possint hostiae consecrandae, incoepto Canone?* — Negant communiter theologi et rubricistae periti. Attamen plures doctores magni ponderis id permittunt, gravissima de causa. Sic Bened. XIV. de Sacrif. missae l. 3. c. 18. n. 5.: « Communis sententia est, et plerorumque firmata consensu, non posse particulas consecrari, cum canon recitari inceperit, etiamsi ageretur de consecranda particula, quae afferenda esset pro viatico ad infirmum. Eo enim casu, parva quaedam particula detrahi posset ex hostia missae, et reservari pro infirmo... Facile quivis intelligit, ordinem missae perverti, si particulae accipiantur consecrandae, praefatione incepta. Id porro, si faciendum est, fieri non debet sine legitima causa, cuiusmodi ea esset, si magna multitudo parata ad recipiendam eucharistiam sacramento careret ». Videtur huic doctrinae subscribere S. Lig. 217.: « Si parvae hostiae pro communicando populo afferantur sacerdoti paulo post factam oblationem, addit Aversa ante coeptam praefationem, licite eas consecrari, *suppleta oblatione mentaliter,* docent Dian., etc. Et hoc etiamsi canon sit inceptus, ut Tamb., etc. Saltem quando plures sine communione remanerent ». Busemb. et S. Alph. l. c. Certum vero est, illas nunquam admitti posse post consecrationem panis.

513. *Quale sit peccatum consecrare hostiam fractam vel maculatam?* — Secluso scandalo et rationabili causa, est tantum veniale, nisi macula vel fractura sit *enormis.* Si tamen deprehendatur aliqua fractura vel macula in hostia post oblationem, licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur, quia iam per oblationem fuit aliquatenus Deo dicata et sanctificata. — L. 204., La-Croix 432.

514. *An aliquando consecrari possit materia dubia?* — Nunquam prorsus, nec ad mortem vitandam, licet consecrare materiam dubiam: nempe propter periculum idololatriae materialis; et praeterea, si una tantum sit dubia, propter integritatem sacrificii. Verum, cum haec fuerit consecrata, eam despicere vel adorationi exponere, utrumque est grave; sed post consummationem, ante purificationem sumenda erit. Idemque dicendum est, si dubites, an materiam, ceteroquin aptam, consecraveris: verum haec, si iterum sub conditione rite consecrari potest, iterum est consecranda. — S. Th. q. 74. a. 3. ad 3., Rubr. *de Defect.* t. 3.

515. *Quid agendum, si particulae non consecratae misceantur consecratis?* — « Si non consecratae misceantur consecratis, totus cumulus ad altare est deferendus, ut sacerdos intendat consecrare non consecratas; vel potius totum cumulum consecret sub conditione, si non sint consecratae. Et hoc potius faciendum est, quia in consecrando hostias non consecratas, deficit vera determinatio materiae, nec potest verificari verbum *hoc,* unde debent consecrari omnes hostiae sub conditione, ut valide consecrentur ». L. 216. — Lugo D. 4. n. 136., S. Th. 3. p. q. 77. a. 8.

516. *An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?* — Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat. Ratio est, quia iam adfuit voluntas positiva consecrandi illud ciborium in principio missae, nec illa voluntas fuit retractata. Ergo perseveravit virtualiter tempore consecrationis. Secunda sententia negat. Ratio est, quia intentio illa consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, et proinde sacerdos illam habuisse non praesumitur. — Secunda sententia a S. Alph. 217. *communis* et *probabilior* dicitur; nempe (quia consecrari sine peccato letali non potuisset) ex praesumpta intentione celebrantis. Ita porro, si huic aliquando certum fuit, nolle se quidquam facere in missa celebranda, quod sine peccato mortali fieri non posset. Alias dicendum foret, nec eum consecrare, qui ignorans celebrat cum calice non consecrato vel corporali non benedicto. Et sane, seclusa praevia hac generali voluntate non consecrandi in tali casu, *praesumpta* illa voluntas nulla est, cum reapse non adsit ob rei ignorantiam, sed voluntas e contra *vere adsit* praesentem materiam consecrandi. — Cum res dubio non careat, praesertim propter extrinsecam doctorum auctoritatem, « in praxi illas particulas esse sumendas post Sanguinem ». L. ib. Rubr. *de Defect.* t. 3. n. 4. 5. loquens de sacerdote, qui consecravit hostiam aut *corruptam*, aut non triticeam, praescribit, quod, « si illam non sumpsit, sumat *post sumptionem Corporis* et *Sanguinis* ». « Particulae autem inventae extra corporale, in dubio, an sint consecratae, sumendae sunt etiam post ablutionem ». L. 251.

517. *An censeatur consecratum ciborium positum quidem in corporali, sed quod ex oblivione remansit clausum tempore consecrationis?* — R. Affirmative. Ratio est 1.°, quia certe possunt valide consecrari hostiae in ciborio clauso. Cf. 511. 2.°, quia sacerdos habet intentionem absolutam consecrandi quidquid, ipso sciente, est supra corporale, et est honeste consecrabile, et habetur per modum continui.

518. *An censeantur consecratae guttae vini exterius inhaerentes calici?* — Guttae exterius inhaerentes nunquam censentur consecratae. Ratio est, quia intentio sacerdotis est consecrandi illud unum, quod est intra ipsum calicem consecrabile. — L. 215.

519. *An consecrantur guttae vini, quae sunt in calice separatae, quando sacerdos nihil circa eas intenderit?* — Alii negant, alii affirmant, alii denique affirmant de guttis propinquis, negant de remotis. Probabilius consecratae minime censentur guttae omnino a maiori quantitate separatae. Ratio est, quia non videtur esse intentio Ecclesiae, adeoque nec sacerdotis, consecrare nisi vinum, quod per modum unius potabile est, et in calice reperitur congregatum. — « Ait La-Croix, expedire, ut sacerdos intendat eas consecrare, ne in calice sit vinum, quod non sit consecratum. Sed melius, ait S. Alph., mihi videtur id intendere de guttis proximis fundo, non vero de remotis ». L. H. A. Ex. Ordin. 99. — « Gavant. iubet eas abstergi, quod consuetudo probat. Qui tamen id omittit, eum non peccare, docet Tamb., immo nec expedire, si eas advertas, quando, discooperto calice, iamiam es consecraturus, et elevationem populus expectat. Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendae ». L. 219. Si guttae separatae, toti massae vicinae sint, facile huic uniri possunt, calicem parum inclinando. — L. 215.

520. *An consecratio unius speciei sine altera sit valida?* — Nemo dubitat, quin valida sit, si id casu accidat, et praeter intentionem. Utrum vero valide consecret sacerdos, qui positivam habeat intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera; communiter affirmant dd. Ratio, quia in omni sacramento semper ac minister formam profert super materiam, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, sacramentum perficitur. — L. 196., S. Th. 3. p. q. 78. a. 6., Lugo D. 19. n. 102. 104., Suarez D. 43. S. 2., Flor. Decr. pro Graec. et Arm.

521. *Quaenam sit Eucharistiae forma; quaenam eius virtus?* — Forma est in consecratione Corporis: *Hoc est enim Corpus meum;* Sanguinis vero: *Hic est enim calix Sanguinis mei novi et aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. — Ipsorum autem verborum virtute tota substantia panis in Corpus Christi et tota substantia vini in Sanguinem convertuntur: ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini. « Sub qualibet quoque parte hostiae consecratae, et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus ». Flor. Decr. pro Arm. — Quare verba significare debent *transsubstantiationem* rei praesentis *in instanti. In instanti* h. e. non *in fieri* successivo, sed *in facto esse:* scilicet forma non quod *fit* significat, sed quod *factum est: Hoc est, Hic est.* — Flor. Decr. pro Graec. et Arm., Trid. S. 13. C. 1. 3. 4., S. Th. 3. p. q. 78., q. 75. a. 7., E. M.

522. *Resolves:* 1.° Valida, sed illicita est consecratio, si consecrans dicat: *Hic cibus est Corpus meum; Hic calix, Hic potus est Sanguis meus; Hic est Sanguis meus;* nam eadem re est; siquidem ea verba *Hic est calix,* etc., sunt per metonymiam dicta; vel si dicat: *Hic calix est Novum Testamentum in sanguine meo,* Luc. 22., 20.; 1. Cor. 11., 25.; vel si particula *enim* omittatur. Item si proferas *Colpus* pro *Corpus; meus* pro *meum, es* pro *est, calis* pro *calix; Sanguis* pro *Sanguinis,* etc. — Excusari vero non potest a peccato, qui debitam diligentiam non adhibet ad verba consecrationis rite pronuntianda. — 2.° Invalida erit consecratio, si dicas: *Hic* (adverbialiter) *est Corpus meum; Hoc Corpus est meum; Hic Sanguis est meus;* ubi *Corpus* et *Sanguis* se tenent ex parte subiecti non praedicati; *Illud est Corpus meum; Ecce Corpus meum; Hoc Corpus meum; Hic panis est Corpus meum, Hoc fiat, Hoc fit, Hoc sit Corpus meum.* — 3.° Dubia est consecratio, si dicas: *Istud est Corpus meum; Haec est Caro mea;* licet enim *caro* Sacris Litteris *corpus* etiam significet, vulgo tamen et ex sua propria significatione nonnisi corporis partem importat. — 4.° Verba formae proferri debent in persona Christi *formaliter* et *assertive,* seu *recitative* simul et *significative,* non vero historice tantum: scilicet proferenda sunt verba Christi applicando eorum significationem ad materiam praesentem, ut haec transubstantietur in Corpus et Sanguinem Christi. Hinc invalida forma est, si quis dicat, *Hoc est Corpus Christi.* Attamen scrupulus non est habendus, an verba sensu debito proferantur; nam quivis sacerdos praesumitur habere intentionem id faciendi, quod Christus fecit et instituit, et sic intendit sufficienter verba consecratoria proferre in utroque praefato sensu. — S. Th. 3. p. q. 78. a. 1. 2., L. 220. 221.

523. *An omissio vocis* enim *in forma consecrationis sit gravis?* — Prima sententia probabiliter negat, quia vox illa non reperitur in verbis a Christo prolatis, et aliunde quoad Ecclesiae praeceptum non videtur constituere materiam gravem. — Secunda sententia affirmat. Ratio est, quia in re tam gravi non videtur dari levis materia in quacumque mutatione deliberata. — L. 220., S. Th. 3. p. q. 78. a. 2. ad 5.

524. *An in consecratione requirantur ut essentialia illa verba antecedentia: Qui pridie quam pateretur, etc...., Simili modo, etc.?...* — R. Negative cum sententia communi, quam tenet S. Lig. 222., Lugo D. 11. S. 3., etc. Ratio est, quia haec verba historice tantum proferuntur, nec ullam efficaciam sacramentalem habere videntur. Neque vero recensentur in Flor. Decr. pro Graec. et Arm., ubi explicite eucharistiae forma traditur. — S. Th. 3. p. q. 78. a. 2. 3.

525. *An in consecratione calicis sola haec verba: Hic est calix Sanguinis mei, sint de essentia formae?* — Prima sententia affirmat. Ratio est 1.° quia verba consecrationis panis sunt haec: *Hoc est Corpus meum.* Neque vero essentialia sunt alia verba: *quod pro vobis tradetur.* Ergo a pari verba consecrationis vini sunt tantum haec alia: *Hic est Sanguis meus*, vel alia aequivalentia. 2.° quia sola illa verba per se exprimunt praesentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini. Ita communius et probabilius. Secunda sententia negat, quia posteriora verba, *qui pro vobis*, etc. designant virtutem sanguinis effusi in Passione, quae operatur in hoc Sacramento. Confirmatur ex Flor. Decr. pro Graec. et Arm., ubi in *forma verborum in consecratione* eucharistiae ea verba recensentur, et ex S. Th. 3. p. q. 78. a. 3. S. Alph. 223. inquit, sententiam Angelici esse valde dubiam, Cf. Luc. 22., 20.; 1. Cor. 11., 25., et addit: « Ceterum utraque sententia est speculative probabilis; sed in praxi certum est, quod sacerdos graviter peccaret, si non proferret omnia verba, quae in consecratione Calicis habentur, et, si forte tantum prima dixisset, deberet utique sub conditione integre repetere formam ». Ita sane in Rubr. de Defect. t. 10. n. 3. praescribitur, ubi dicitur: « Si obierit (sacerdos), semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur missam, et super eumdem calicem repetat integram formam (intellige sub conditione, si forte iam dixerit verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*) ab eo loco: *Simili modo*, etc.; vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre, et Hostiam primi sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, et deinde calicem relictum *semiconsecratum* ».

III. — DE MINISTRO EUCHARISTIAE

526. *Quisnam sit minister consecrationis et dispensationis?* — Omnis et solus sacerdos, licet malus sit, est minister eucharistiae *conficiendae.* Constat 1.° ex Scriptura; Christus enim sacramentum instituens, omnibus et solis Apostolis cum ipso recumbentibus, et proinde omnibus et solis, qui in sacerdotio illis successuri essent, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22., 19. Ergo omnes et soli sacerdotes hanc potestatem a Christo acceperunt. 2.° Ex Trid. S. 22. C. 2. 3., Flor. Decr. pro Arm. 3.° Tandem ex universali et perpetua traditione. S. Th. 3. p. q. 82. a. 1. 5.

— Soli sacerdotes seu presbyteri sunt ministri *ordinarii dispensationis* eucharistiae. Constat 1.° ex Trid. S. 13. C. 8., ubi dicitur: « Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent ». 2.° Ex praxi universali Ecclesiae. S. Th. 3. p. q. 82. a. 3. — Diaconi, vi suae ordinationis, sunt ministri eucharistiae *extraordinarii*, ita ut possit eis committi huius sacramenti *dispensatio*. Constat 1.° ex praxi priorum saeculorum, in quibus diaconi passim ex commissione episcoporum vel presbyterorum, sive generali, sive particulari, eucharistiam ministrabant. 2.° Ex variis Conciliis, v. g., Nicaeno I. generali, Carthaginensi IV., etc. L. 237., S. Th. 3. p. q. 82. a. 3. ad 1. ad 3. — Trid. S. 14. c. 10.

Iure ordinario solus parochus, aut illius superior, potest eucharistiam dispensare. Ad hoc enim requiritur iurisdictio, ordinaria, vel delegata, vel saltem rationabiliter praesumpta, vel privilegium, vel consuetudo, non quidem pro valore actus, ut in absolutione, sed pro debito ministrandi ordine. Proprium pastorum est pascere, quod praecipue fit per sacramenta. Id praeterea constat ex Conciliis, praesertim ex Carthag. I. can. 7., et ex Milevitano can. 18., Clem. 1. *de Privil.* etc., et ex universali Ecclesiae praxi. Hinc, qui sine licentia saltem praesumpta parochi eucharistiam ministrat, ius eius in re gravi violat, ideoque graviter peccat. — Quando tamen parochus concedit aliis licentiam celebrandi in sua Ecclesia, semper censetur concedere licentiam quoque ministrandi eucharistiam, nisi contrarium exprimat; hoc etiam praxi communi confirmatur. Immo consuetudo habet, ut in quacumque Ecclesia sacerdos missam celebret, eucharistiam fidelibus distribuere possit, quod Trid. desiderio respondet. S. 22. C. 6. — Non tamen ita facile praesumenda est licentia, si agatur de susceptione eucharistiae ex obligatione. Quare quoad communionem paschalem, ex Iure et universali Ecclesiae praxi, haec in propria cuiusque paroecia sumenda est; item viaticum, extra casum necessitatis, sine licentia parochi ministrare illicitum est. Sufficit tamen in utroque casu licentia rationabiliter praesumpta.

« Probabile est etiam *extra mortis articulum*, ex gravi causa, licere sacerdoti, *praeciso scandalo*, sacram hostiam sumere ex sacrario, vel a diacono allatam sibi ipsi dare, v. g. si in longo morbo diu non communicasset... Immo Croix 471., etc. dicunt, sola devotionis causa, sacerdotem semper posse seipsum communicare, quia, *praeciso scandalo*, nulla est irreverentia, nec ullibi est vetitum, nisi adsit alius sacerdos ». L. 238. — Lugo D. 18. n. 19. 36., L. 230. 231. 234. 235. 236. 239., E. M.

527. *An ut diaconus ministret, necessitas debeat esse extrema? An in extrema necessitate etiam laico liceat eucharistiam ministrare?* — R. Ad 1.um Negative cum sententia communi; sed sufficit *necessitas gravis*, nempe cum nullus adest sacerdos, qui commode eucharistiam ministrare possit. Sed ad id commissio episcopi vel parochi requiritur. L. 236. — « In *necessitate* vero *extrema*, nempe si absit alius sacerdos, potest diaconus et tenetur viaticum ministrare, etiam *sine commissione pastoris;* ita pariter commun. dd. Et idem currit in *administratione baptismi* ». L. 805. — Diaconus autem solemniter ministrans eucharistiam sine requisita commissione ex S. Alph. 234. incurrit irregularitatem, quam tamen alii negant.

— Cf. 419. 423., Lugo D. 18. n. 7. 27., Suarez D. 72. S. 1. n. 8., La-Croix 472., L. l. 7. n. 346.

Ad 2.um In *extrema necessitate* non tantum diacono sed et laico licet, *secluso scandalo*, et alios et seipsos communicare. L. 237. — Tali occurrente necessitate, e. g., tempore pestis, bene potest iudicio episcopi etiam laicis permitti eucharistiam ministrare. L. 237., — S. Th. 3. p. q. 82. a. 3., 4. D. q. 1. a. 3., E. M.

528. *An vel in quibusnam circumstantiis religiosi SSmam Eucharistiam ministrare possint?* — Semper eucharistiam ministrare possunt in suis ecclesiis sive per se, sive per alios sacerdotes, excepto die Paschatis. Id constat ex privilegiis SS. Pontificum. Romae excipitur etiam fer. V. *in Coena Domini.* — Non possunt *die Paschatis* eucharistiam in suis ecclesiis ministrare personis saecularibus, monasterio actu non inservientibus, et intra eorum septa ac domos non residentibus, et sub eorum obedientia non viventibus; quamvis iam antea praecepto annuae communionis satisfecerint in propria parochia. Ita pluries S. C. C. apud Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 16. n. 3. Cf. C. *Magno cum* § 22. eiusd. Bened. XIV., Lugo D. 16. n. 62., D. 18. n. 50. — In aliis Ecclesiis eucharistiam ministrare non possunt, nisi de licentia saltem praesumpta parochorum, aut superiorum; neque viaticum saecularibus, nisi de expressa licentia parochorum, excepto necessitatis casu. Cf. 526. 1197. — « Regulares licite dant eucharistiam... si aegrotus satisfecit praecepto de viatico, cum intentione illud implendi: quia administratio eucharistiae tantum est vetita regularibus, quando praeceptum communionis obligat. Nunquam tamen, sine licentia episcopi, vel parochi, licet religiosis publice eucharistiam deferre per plateas, cum id iuri parochorum consuetudine obtento deroget: proinde eo casu in aegroti Oratorio, aliove honesto domus loco (si legitima habeatur facultas), privatim facto sacro, eucharistia est danda ». L. 239. 240., Elbel 57., La-Croix 624. 626., Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 15. 16.

529. *Quid de obligatione eucharistiam dispensandi?* — Parochus, seu quivis sacerdos habens curam animarum, tenetur ex iustitia eucharistiam subditis ministrare, non solum in Paschate et in morte, sed etiam quoties rationabiliter petunt, seclusa tamen legitimi impedimenti causa. Ratio est, quia ad parochum spectat ex quasi-contractu providere, non solum ut fideles adimpleant praecepta, sed etiam ut non careant praesidiis, quae profectui spirituali valde prosunt. Rit. Rom. *de SS. Euch. sacr., de Commun. infirm.,* L. H. A. 8. — Sacerdos quilibet, sive saecularis sive regularis, tenetur, deficiente parocho, eucharistiam morituro ministrare; secus in aliis casibus. Ratio 1.mi est, quia quilibet ex caritate tenetur proximo suo in tanta extremitate constituto succurrere per hoc salutare et efficacissimum remedium. Ratio 2.di est, quia nulla intervenit obligatio, sive ex iustitia, cum nullus sit contractus, sive ex caritate, cum non supponatur adesse casus necessitatis.

530. *An parochus teneatur etiam investigare infirmos, eucharistiam non petentes, ut eam ipsis ministret?* — R. Affirmative, saltem si sint in gravi mortis periculo. Ratio est, quia officium est boni pastoris curare, ut media tam utilia et efficacia ovibus in tanto periculo constitutis suppeditentur. Colligitur etiam ex Rit. Rom. *de Comm. pasch., de Comm. infirm.* et ex C. *Presbyter* 1. *de Celebr. miss.*

531. *An parochus teneatur per seipsum eucharistiam subditis ministrare?* — R. Negative. Sufficit enim, ut provideat, ne opportune illud sacramentum petens, vel illo graviter indigens, eodem careat. Potest igitur ordinarie suam obligationem etiam per alios adimplere. Ex Rit. Rom., *de Comm. pasch., die Paschae ipse per se, nisi legitime impediatur, hoc sacramentum ministrabit.*

532. *An graviter peccet parochus, quoties eucharistiam denegat rationabiliter petenti?* — R. Negative; si enim raro id faciat, v. g., erga unum aut alterum, secluso scandalo, et gravi petentium contristatione, non peccabit nisi venialiter. Ratio est, quia in his raris et particularibus casibus non resultat gravis iniuria, nec grave damnum fidelibus petentibus, vel si adsit damnum, illud est facile reparabile.

533. *An parochus teneatur eucharistiam, etiam cum vitae periculo, ministrare, v. g., tempore pestis vel morbi contagiosi?* — R. Negative valde probabiliter cum S. Lig. 233. Affirmant tamen plures innixi doctrina Benedicti XIV. de Syn. l. 13. c. 19. — Idem dicendum de extrema unctione. Neque enim eucharistia, neque extrema unctio sacramenta sunt absolutae necessitatis. L. 728. Cf. 362.

534. *Quandonam parochus censeatur excusari ab eucharistia subditis, ex mera devotione petentibus, ministranda?* — Legitime excusatur: 1.° Quando subditi ob varias circumstantias non rationabiliter petunt, v. g., si petant, ante missam, cum aliorum incommodo. — 2.° Si ipse parochus ob infirmitatem, aliasve occupationes necessarias impeditus sit. Attamen in hoc caute agendum est, quia ex huiusmodi denegatione fideles facile possunt scandalum accipere, et quidem, amissa fiducia debita in pastorem, a sacramentis saepius recipiendis arceri.

535. *Quid requiratur ad licitam eucharistiae dispensationem?* — Praeter iurisdictionem, requiritur, ut minister sit liber ab omni excommunicatione, interdicto et suspensione a sacris; secus enim graviter peccaret, et irregularitatem contraheret. — Requiritur, ut minister sit in statu gratiae, quia augustissimum et sanctissimum Christi Corpus impuris manibus tractari non debet. L. 30. seq. Cf. 353. — Requiritur, ut minister eucharistiam distribuat ritu Ecclesiae consueto. Hinc generatim loquendo, omittenda est huius sacramenti administratio, quando more a Rit. Rom. vel loci consuetudine praescripto fieri nequit. — L. 241. seq., E. M.

536. *Resolves:* 1.° Secluso casu necessitatis, *extra missam*, grave est eucharistiam ministrare sine ulla veste sacra, sine superpelliceo vel alba. Est enim gravis indecentia et irreverentia, et contra grave praeceptum Ecclesiae. At sine lumine, sine confessione, immo sine stola leve est peccatum. Levis enim apparet irreverentia. Si minister vero desit, ipse sacerdos omnia peragere potest. Versiculi, *Domine, exaudi*, etc., *Dominus vobiscum*, etc. cum Oratione propria sunt de praecepto. S. R. C. 24. Sept. 1842. Similiter veniale tantum habetur eucharistiam transferre, sine vestibus sacris, de loco ad locum, v. g. de altari ad altare. Reuter n. 168., L. 241. — Non licet sine causa plures particulas, vel grandiores tradere, ut satisfiat devotioni accipientis, quod tamen leve est. S. C. C. 12. Febr. 1679., L. 245. Si particulae deficiant, et necessitas adsit, v. g., si desit alia missa, si fideles expectare non possint, dividi possunt particulae consecratae

in duas vel ad summum in tres partes, quia secus vix posset communio cum debita reverentia dari. S. R. C. 16. Mart. 1833., La-Croix 508. Quin immo, deficientibus hostiis minoribus, sacerdos detrahere potest partem maioris a se sumendae, sive in casu viatici moribundo deferendi, sive si esset communicaturus unus vel alter fidelis, qui secus non absque incommodo communionem expectare deberet, L. 217. 245. Licet in defectu minorum hostiarum plures maiores consecrare, easque deinde in minores partes divisas distribuere. L. 245.

2.° *Infirmis* deferenda est *regulariter*, manifeste et honorifice. Rit. Rom. tit. 2. § 5. *Regulariter*, siquidem excipiuntur quaedam circumstantiae, v. g., loca haereticorum, ubi manifeste deferri nequit. Item aliquando etiam in locis catholicorum, si aliter aegroto sanctum viaticum deferri absque incommodo quopiam non possit. Id tamen absque licentia episcopi, ubi consuli possit, fieri non debet. Ex Bened. XIV. C. *Inter omnigenas* habetur, quomodo tunc SS. Sacramentum sit deferendum. « Sacerdos, ait, stolam semper habeat, coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur ». « Putant quidam, ait S. Alph. 241., si habitus haberi non possit, aut sit tempestas, aut iter faciendum, non fore irreverentiam, si sacerdos eucharistiam in pyxide, vel corporali involutam in sinu suo clam deferat. Quod certius videtur licere in locis haereticis, ubi etiam necessitate, et clam, praeciso scandalo, poterit porrigere sine stola, et superpelliceo ». — Infirmis eucharistia deferenda non est noctu, nisi necessitas urgeat morientis et, in tali casu, licet eam deferre etiam in fer. VI. Parascev., sed privatim, etiam sine luminibus, etiam sine sacris vestibus, etiam currendo, dummodo absit scandalum. Sed nunquam licet etiam morientibus ministrare sub specie vini, quod grave est. Ut viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem a parocho deferri possit equitando, S. R. C. indulget, de consensu tamen episcopi. Propter aeris inclementiam deferri etiam potest capite cooperto, sed non intra civitatem vel oppidum, et de consensu episcopi, nempe si consuli possit. Cf. S. R. C. 10. Jan. 1693. Eucharistia non est deferenda ad aegrum venerationis tantum causa ut adoret, vel osculetur, si sumere non possit. Id enim prohibuit S. Pius V., cuius prohibitionis meminit De Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 11., L. 243., et habetur in Rit. Rom. *de Commun. infirm.* — Trid. S. 13. C. 6. c. 7., L. 241. 242. 243., H. A. Tr. 15. n. 12.

3.° *Advertendum* est, « quod si sacerdos deferat communionem infirmo in valetudinario, et remaneant *reliquiae* in patena vel calice, poterit sacerdos eas sumere, si adhuc sit sacris indutus vestibus. Bene vero poterit etiam eas dare infirmo statim post particulam ipsi traditam, quia tunc censetur moraliter una communio, prout recte dicunt idem Tamb., etc., qui testatur sic usum ferre, ut post communionem aegri abluatur pyxis, et ablutio ipsi tradatur ». L. 251. Ex Rit. Rom. *de Comm. infirm.* ablutiones debent infirmo dari. Itemque ex eodem Rit. Rom. *Ord. administr. sacr. commun.* « ablutionem sumat (sacerdos), si celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt sumendam tradat, aut saltem in sacrarium iniiciat ». Quod si infirmus nequeat aut nolit sumere ablutiones, prout statuitur in Rit. Rom., potest tunc sacerdos eas proiicere in ignem apud

ipsam infirmi domum, vel secum ad Ecclesiam deferre, ut eas in sacrarium proiiciat. Posset etiam rei difficultatem praevidens, digitos abluere cum purificatorio, prius madefacto. E. M.

4.° *In Oratoriis privatis,* nec parochus, nec quilibet alius celebrans, sacram synaxim praebere potest, sine licentia episcopi; quamvis ex Indulto Apostolico in iis Oratoriis possit missa celebrari; ut declaravit Benedictus XIV. in Enc. *Magno* 2. Jun. 1751. §§ 23. 24. L. 359. Standum est tenori concessionis, vel licentia ab episcopo petenda, quam dare potest.

537. *Quandonam ministrari possit eucharistia?* — Ministrari potest, tum *extra missam,* tum *in missa.* In missa autem ministrari potest, qualiscumque ea sit; etiam defunctorum, et in paramentis nigris, sive intra missam, nempe post communionem sacerdotis, pyxidem etiam extrahendo, sive immediate ante, ex iusta et rationabili causa, sive immediate post, omissa in utroque casu benedictione, et tempore paschali omisso *Alleluia,* licet Oratio et Versiculi de tempore dici debeant. Rit. Rom., S. C. R. 7. Dec. 1844., 27. Jun. 1868., 26. Nov. 1878. Bened. XIV. de Sacrif. Miss. l. 3. c. 18., — *Quavis die* ministrari potest, excepta fer. VI. maioris hebdomadae, uti eruitur ex Rubr. Missal. fer. V. in Coena Domini, quod sub gravi prohibetur: neque dari potest in missa Sabbati Sancti, nisi aliud ferat usus; sed post missam licet, S. R. C. 7. Sept. 1850., vel, si id ferat consuetudo, post cantatum *Gloria,* S. R. C. 13. Jan. 1882. Neque item dari potest in missa Nativitatis D. N., quae media nocte celebratur, S. R. C. 27. Jun. 1868., extra casum privilegii vel legitimae consuetudinis. Bened. XIV. de Sacrif. Miss. l. 3. c. 18. — Ministrari item potest *quavis hora,* qua missa celebretur, imo qualibet hora diei. Nulla enim de hac re habetur prohibitio. Verum sub vesperas ministranda non est, nisi adsit aliqua specialis causa: noctu autem non nisi in casu necessitatis; tum propter hodiernam consuetudinem, tum propter scandalum vel potius admirationem vitandam; quod, ut patet, non verificatur in Communitatibus, quae SS. Eucharistiam in domestico Sacello asservant, ubi de infirmorum communione agatur. — L. 252. 349., Suarez D. 66. S. 5., E. M.

538. *An immediate post consecrationem possit communio ex iuxta quadam causa populo distribui ab alio sacerdote ex particulis in missa consecratis antequam celebrans communicet?* — Alii affirmant, quia uti huiusmodi particulae possunt non consumi a sacerdote vel ab aliis communicantibus, etiamsi sint per modum unius victimae, dummodo sacerdos aliam partem materiae tunc consecratae sumat, ita poterunt per alium sacerdotem deferri in alium locum pro usu fidelium etiam ante communionem sacerdotis, dummodo remaneat quantum sufficit ad integritatem sacrificii. Alii negant, quia omnes orationes et benedictiones sequentes aeque spectant ad illas, neque decet, ut alius participet prius de sacrificio, quam ipse sacerdos, qui est principaliter offerens. — S. Th. 3. p. q. 82. a. 4., Diana Tr. 1. de Celebr. Miss. R. 232. 233.

539. *An sacerdos laborans infirmitate in pollice et indice, eucharistiam aliis digitis ministrare possit?* — Negandum videtur, saltem probabilius, secluso casu gravissimae necessitatis. Ratio est, quia licet tota manus sit consecrata, attamen index et pollex ex ritu Ecclesiae ad hoc munus exercendum specialiter sunt destinati. L. 244. — La-Croix de hac

re ita scribit, l. 6. P. l. n. 480.: « Probabile est, sacerdotem licite distribuere communionem posterioribus digitis, si nequeat primis ob chiragram vel aliud impedimentum, uti habent Toletus, Arriaga, Leander, aliique cum Gobat... Quia licet soli primi digiti inungantur, tamen tota manus videtur consecrata; hinc infert Gobat, sacerdotem peccaturum tantum venialiter, qui sine causa digitis ultimis tangeret hostiam ». — Viaticum autem morituris medio instrumento, v. g., cochleari, dari posse non improbabile putat S. Alph. 490., tempore e. g. pestis.

540. *Quid faciendum, si hostia in terram decidat?* — Locus, in quem sancta hostia decidit, statim tegendus est aliqua re munda, et postea abluendus. Si cadat in mappam, seu linteolum, quo manus communicantis obteguntur, locus spinula statim signandus est, et postea pari modo abluendus. Ita Rubr. *de Defect.* t. 10. n. 15., quae tamen non obligat sub gravi iuxta communem sententiam; graviter tamen obligaret ad abluendum locum, in quem decidissent sacrae species vini, quippe ipse imbibitur; non est tamen opus, ut id in quod inciderunt comburatur. Rubr. n. 12.: « Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, sive super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium proiiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium, linteamina ter abluantur; calice supposito; et aqua ablutionis in sacrarium proiiciatur ». Et idem ibi dicitur, si Sanguis cadat super corporale, vestes, aut tapetum. Et n. 13.: « At si contingat totum Sanguinem post Consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat ut dictum est. Si vero nihil omnino remanserit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco, *Simili modo postquam coenatum est*, facta primo tamen calicis oblatione, ut supra ». — S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 7., L. 250., La-Croix 484.

541. *Quid faciendum, si hostia decidat in vultum, barbam, aut vestes communicantis?* — In praefatis casibus omittenda est purificatio; quia melius est vitare admirationem, turbationem, aut offensionem populi, quam servare Rubricam, sub levi tantum obligantem. — L. 250.

542. *Quid faciendum, si hostia vel eius fragmentum decidat in sinum vel intra vestes mulieris?* — « Decet ut non sacerdos, sed ipsa femina particulam vel fragmentum quaerat; et suis ipsa manibus sibi in os iniiciat ». Bened. XIV. de Sacr. miss. l. 3. c. 20. n. 7. Digiti vero mulieris abluendi, et ablutio in piscinam deiicienda. Si mulier nequeat facile hostiam ibidem extrahere,seorsim recedat, v. g., in aliquod sacellum, vel in sacristiam.

543. *Quid agendum, si supersint particulae consecratae, nec sit tabernaculum, in quo reponantur?* — Sumendae sunt a celebrante ante purificationem et ablutionem, si facile fieri possit, seu si non sint in nimia quantitate. Secus ad tabernaculum proximum cum ritu consueto deferendae forent; neque committendum, ut plures hostiae fidelibus ministrentur. Caveat autem sacerdos, in quantum adiuncta permittunt, ne nimiam particularum quantitatem consecret.

544. *Quid faciendum de fragmentis hostiarum, quae reperiantur?* — Si sacerdos inveniat fragmenta *sui praesentis sacrificii*, ea sumere debet, etiam post ablutionem, sive sint parva, sive magna, quia ad idem sacrificium spectant. Rubr. *de Defect.* t. 7. n. 2. Hoc autem servandum est non solum immediate post missam, sed etiam si sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. Si vero sacerdos iam sit exutus vestibus sacris, fragmenta reponere debet in tabernaculo, si adsit, vel reservare alteri sacerdoti eodem mane celebraturo. Si neutrum fieri possit, ipse ea sumat. — Si autem reliquiae fuerint *in alia missa* consecratae, non sunt sumendae post purificationem et ablutionem, sed in loco decenti reponi debent. Ratio est, quia Rubr. sacerdoti non ieiuno permittit tantum sumere illas reliquias, quae ad idem sacrificium spectant. Si tamen hoc fieri non possit, et adsit grave periculum irreverentiae, tunc eas sacerdos absumat, etiam postquam sacras vestes exuerit. — Si laicus fragmenta inveniat, moneat quamprimum sacerdotem, si quis prope sit, vel eum accersat, si inveniri queat. Sacerdos autem fragmentum reverenter colligens, reponet in ciborio, vel in loco decenti et tuto, si tabernaculum desit, ut in proxima missa sumi queat. Si autem sacerdos non possit haberi, colligatur reverenter fragmentum ab ipso laico in charta, vel linteolo mundo, mediante spinula, et reponatur intra corporale, aut in vase decenti, donec sacerdos advenerit. — L. 251., Bened. XIV. de Sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 5. 6.

545. *Quid agendum, si inveniatur in altari, vel alibi, hostia, certo vel dubie consecrata?* — Si hostia credatur *certo consecrata*, et aliunde videatur munda et recenter consecrata, reponenda est cum aliis in ciborio. Potest etiam sumi a celebrante ante purificationem et ablutionem. Si autem non sit munda, vel si extracta fuerit a loco non mundo, aut non sit recenter consecrata, non est immiscenda cum aliis, sed celebrans eam sumere poterit ante purificationem et ablutionem; quod si nimiam repugnantiam experiatur, hostiam seorsim in tabernaculo reponet in vase mundo, donec corrumpatur, et corrupta in sacrarium deiiciatur. Rubr. *de Defect.* t. 7. n. 3., t. 10. n. 14. — Si *dubie sit consecrata*, sumenda est a sacerdote in missa ante purificationem et ablutionem. Non potest consumi antea; quia, si non sit consecrata, ieiunium naturale violaretur: neque postea; quia, si sit consecrata, a sacerdote non ieiuno sumeretur. Potest etiam in tabernaculo seorsim asservari, ut in alia missa sub conditione consecretur. Quod si nimiam nauseam provocet, reponenda est in tabernaculo, seorsim, donec corrupta fuerit, ut modo dictum est. Rubr. *de Defect.* t. 3. n. 4. 5., t. 7. n. 3., t. 10. n. 3.

546. *Quid faciendum, si sacerdos vel infirmus sacras species reiecerit?* — Si species integrae appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat. Tunc enim debent sedulo separari, et in vase mundo colligi, in Ecclesiam deferri, et in loco tuto et bene clauso servari, donec sint omnino corruptae, ita ut in piscinam sine irreverentia proiici possint. — Si non possint discerni, utpote sordibus omnino permixtae, os quidem infirmi detergendum est; quidquid vero fuerit reiectum, stuppis colligatur; deinde combustis stuppis, cineres in piscinam sunt proiiciendi. — Rubr. *de Defect.* t. 10. n. 14.

547. *An sacerdos ministrans viaticum possit omittere verba illa in Rituali praescripta: Accipe Viaticum, etc.?* — R. Probabiliter affirma-

tive, si infirmus magna animi tristitia communionem per modum viatici sit suscepturus. Ratio, quia ad satisfaciendum praecepto non requiritur intentio satisfaciendi. Quamvis vero omnia in Rituali caderent sub praecepto, hoc nullo pacto grave est; ad excusandum vero a praecepto levi sufficiens est illa moeroris ratio. L. 285.

548. *Quid agendum sacerdoti, si ad infirmum cum SS. Sacramento adveniens, eiusque confessionem excipiens, eum indispositum invenerit?* — Imprimis satagere debet confessarius, prouti melius poterit, poenitentem ad meliorem frugem adducere. Si res non succedat, et v. g., infirmus aut occasionem proximam peccati abrumpere, aut restitutionem gravem et certo debitam non promittat, absolvi sane non potest, et inducendus enixe est, ut, peracta confessione, declaret publice, se nolle adhuc eucharistiam suscipere. Quod si hanc declarationem praestet, iam evanescit difficultas; patet enim eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget, atque communicare velit, eucharistia eidem, licet indisposito, ministranda est, ad servandum nempe intactum confessionis sigillum. Gousset 237.

549. *Ubinam et quomodo asservanda sit eucharistia?* — In qualibet Ecclesia parochiali vel filiali parochiae et cathedrali servanda est eucharistia, ut opportune petentibus semper dari possit. Rit. Rom. *de SS. Euch. sacr.* Potest etiam asservari de iure communi in Ecclesiis regularium vota solemnia emittentium. Asservari etiam permittitur « in Ecclesiis monialium viventium in clausura... Non permittitur autem in collegiis solius Ordinarii auctoritate constitutis, ut sunt conservatoria... Idem decrevit S. C. respectu granciarum regularium ». L. 424. 428. In aliis autem Ecclesiis asservari nequit absque speciali Papae licentia. Bened. XIV. C. *Quamvis iusto* 30. Apr. 1749. § 24. Sic etiam statuerunt SS. CC. Conc. ac EE. et RR. Ferraris v. *Eucharistia* a. 1. n. 45. seqq. — Asservanda est eucharistia in tabernaculo mundo, in medio altari posito bene clauso, et in pyxide decenti super corporali aut palla benedictis reposita, bene clausa, et albo velo cooperta. Tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum, cooperiri debet conopaeo ex tela serica, vel ex cannabe, lana aut gossipio. Rit. Rom. *de SS. Euch. sacr.*, S. C. R. 21. Jul. 1855., 21. Aug. 1863. Color albus sit, aut secundum tempora et festa mutetur. Nunquam sit niger, sed si id tempus requireret sit violaceus. S. R. C. 21. Jul. 1855., 1. Dec. 1882. Tabernaculum autem intus debet esse serico panno ornatum; at si intus deauratum sit, id sufficit. S. R. C. 16. Maii. 1871. — Nullibi conservanda est eucharistia sine lumine, quod semper ardere debet. Rit. Rom. l. c., Ferraris v. *Eucharistia* a. 1. n. 45. — Bened. XIV. C. *Accepimus* 16. Jul. 1746., S. R. C. 21. Aug. 1863. ad Episc. Limburg., E. M.

550. *An aliae res sacrae in tabernaculo reponi possint?* — R. Negative. Constat ex Rit. Rom. *de SS. Euch. sacr.* Hinc nec Reliquiae, nec Chrisma, nec Oleum infirmorum, nec sacra vasa vacua iam purificata in eo reponi possunt. — Sanctorum reliquiae, ac reliquiae SS. Crucis vel alterius instrumenti Dominicae Passionis reponi non possunt super tabernaculo, in quo SS. eucharistiae sacramentum asservatur, adeo ut pro basi ipsum inserviat tabernaculum. S. R. C. 12. Mart. 1836. — Neque reliquias, neque imagines, neque vas florum vel quid simile apponere licet et retinere ante ostiolum tabernaculi S. R. C. 6. Sept. 1845.

551. *An ciborium debeat esse consecratum, et argenteum?* — R. Ad 1.um Non debet necessario esse consecratum, sed sufficit, ut sit benedictum. Constat ex Rit. Rom., in quo benedictio pyxidis adnotatur inter ea, quae unctione chrismatis non indigent. Item ex Pont. Rom., ubi tantum pyxidis benedictio habetur. — Hinc omnino *decens* est, ut etiam pyxis, sive ciborium, et luna, seu sphaerula hierothecae, et quodcumque vas continens, et immediate tangens eucharistiam, et etiam vasculum chrisma continens benedicatur. An autem id *sit necessarium*, plures et graves dd. non improbabiliter ex S. Alph. negant, nec necessarium est addunt imponere pyxidi vas lineum benedictum benedictione corporalis. Ratio, quia de hoc nullibi habetur expressum praeceptum; nec Pontificale certos nos reddit, cum ibi assignentur benedictiones etiam pro campanis, et thecis reliquiarum, quae tamen non de praecepto, sed tantum de congruentia benedicuntur. Sed alii probabilius ex S. Alph. affirmant pyxidem deberi benedici de praecepto; quia conformius est Rubricae et rationi, et ideo in praxi est consulendum. L. 248. 383.-385., S. Th. 3. p. q. 82. a. 3., Rubr. Missal. t. 2. n. 3.

Ad 2.um Nihil iure communi statuitur. Et videretur quidem aequiparandum calici et patenae, quae debent esse ex auro, vel argento, vel saltem ex stanno, si Ecclesia sit valde pauper. Sed non potest esse ex aere, nec ex ligno, aut vitro, etc. *De Consecr.* Dist. 1. c. 45. Ceterum si vasa sacra non sint ex auro, intus deaurari debent. S. R. C. 31. Aug. 1867. respondit, permitti posse ciborium, seu sacram pyxidem, ex cupro deaurato, item monstantiam (ostensorium) et lunulam, quae sacram hostiam ostendendam amplectitur. Cf. 645., S. Th. 3. p. q. 83. a. 3. ad 6., E. M.

552. *An graviter peccet, qui negligit asservare lumen coram SS. Sacramento?* — R. Affirmative, per se, si tempus sit *notabile*. Est enim gravis debiti cultus defectus. *Notabile*, i. e., si integra die vel aliquot integris noctibus id fiat. L. 248.

553. *Utrum requiratur oleum olivarum ad lampadem Ecclesiae nutriendam, an aliud oleum ex vegetalibus, v. g. ex nucibus, vel ex mineralibus, ut petroleum, sufficiat?* — Generatim oleo olivarum utendum est; ubi vero haberi nequeat, aliud oleum ex vegetalibus, quantum adiuncta ferunt, ab episcopo permitti potest. S. C. R. 9. Jul. 1864. Quare etiam petroleum, urgente necessitate, potest ab episcopo permitti. E. M.

554. *An, vel quando renovandum sit ciborium?* — Ciborium certo, veteribus particulis consecratis omnino consumptis, renovandum est, ne species consecratae corrumpantur. Immo renovandum est frequenter, Rit. Rom. *de SS. Euch. sacr.*, singulis octo aut saltem quindecim diebus. Et haec est praxis communior, licet Caeremoniale Episcoporum l. 1. c. 6. renovationem particularum octavo quoque die faciendam praescribat, et servandum declaraverit S. R. C. 12. Sept. 1884. — Trid. S. 14. C. 6. c. 7., E. M.

555. *Quomodo renovandum sit ciborium?* — Renovatio ciborii facienda est in ipso missae sacrificio. Celebrans, sumpto pretiosissimo Sanguine, antiquas hostias sumet, licet multae sint. Particulas autem minutiores in ciborio repertas coniiciet sacerdos in calicem, easque, superinfuso vino, sumet. Potest etiam vinum in ciborium infundere ad minimas particulas colligendas. Vinum tamen non erit e ciborio bibendum, sed in calicem

refundendum. — Si sacerdos ex inadvertentia sumpsisset prius ablutionem, adhuc posset purificare ciborium; et sumere reliquias, eo quod pro sumptione moraliter una reputatur. Ita La-Croix 486. 487., Elbel 77., Tambur. de Communione c. 2. n. 54. « Verum post ablutionem, ait S. Lig., non licet sumere particulas alterius sacrificii, quae sunt in ciborio, ad illud expurgandum, ut docet Suarez, Lugo cum communi, licet contrarium probabile dicat Tamb., nisi adsit periculum irreverentiae ». L. 288. 251., La-Croix 501. 502. Cf. 544.

556. *Nota:* Particulae consecrandae debent esse recentes. Optandum foret, ut non excederent quindecim dies, vel, ad summum, mensem a tempore quo confectae sunt. Incuria hac in re grave peccatum constituere potest. Consuetudo consecrandi hostias a tribus vel sex mensibus confectas, est ingens abusus omnino tollendus; sacerdotes istis hostiis uti nequeunt. S. C. R. 16. Dec. 1826.

IV. — DE SUBIECTO EUCHARISTIAE

557. *Quisnam sit eucharistiae subiectum?* — Solus homo baptizatus eucharistiam sacramentaliter recipere potest; quia solus baptizatus est capax sacramentorum. Hinc infidelis eucharistiam recipiens, vere quidem, sed materialiter tantum, non vero sacramentaliter eam reciperet. Homo autem baptizatus, sed indispositus, sumit quidem sacramentaliter, sed non spiritualiter, seu sine fructu recipit. Baptizatus vero dispositus, tum sacramentaliter tum spiritualiter, seu cum fructu sumit. Trid. S. 13. C. 8. c. 8.

558. *Quaenam sit obligatio suscipiendi eucharistiam?* — Certum est eucharistiam *non esse necessariam necessitate medii ad primam iustificationem obtinendam, secundum realem susceptionem.* Utrum autem necessaria sit saltem *in voto* necessitate medii, disputatur. Ad praxim vero quod attinet res difficultatem non habet. Ex omnium enim sententia sufficit votum saltem virtuale et implicitum. « Adulti autem tale votum habent dum sacramenta baptismi aut poenitentiae suscipiunt, parvuli vero votum habent non ex voluntate propria, sed ex voluntate implicita Ecclesiae ». L. 192. Itemque disputatur, utrum *in re*, an *in voto, sit medium necessarium adultis ad vitam spiritualem conservandam.* Negat Suarez, aliique, quia non desunt alia media. Affirmant Salm., aliique, quia vita animae sine cibo spirituali conservari nequit; adeoque necessaria est saltem in voto, et quidem explicito in eo, qui necessitatem huius sacramenti advertit. Unde tenent non excusari a peccato, etiam qui semel in anno eucharistiam sumunt, si norint communionem tam raram eis non sufficere ad perseverandum, habita ratione propriae infirmitatis. L. 193.

Sumptio eucharistiae fidelibus adultis *est necessaria necessitate praecepti divini* obligantis, tum in articulo mortis per modum viatici, tum etiam saepius in vita. Prob. tum ex SS., tum ex Conc. Nicaeno can. 13., et Trid. S. 13. C. 6. c. 9., tum ex praxi Ecclesiae, tum quia eucharistia est instituta per modum cibi, cuius usus saepius est necessarius. L. 285. 290., Suarez D. 69. S. 3., Lugo D. 16. n. 27. — « Aliquando *per accidens* tenetur homo ex hoc divino praecepto ad communicandum forte etiam saepius in anno, si hoc censeret necessarium ad superandam aliquam

gravem tentationem. Hoc tamen dicit Suarez rarissime evenire posse, cum ad hoc sufficere possint alia remedia, orationes, poenitentiae, etc. Eo casu autem, quo communio esset necessaria, homo illam omittendo non peccaret contra illius praeceptum, sed contra virtutem, adversus quam tentationem patitur. Ceterum certum est apud omnes, quod huic praecepto, per se loquendo, quisque satisfaciat communicando semel in anno ». L. 295. — Sumptio eucharistiae *necessaria est* etiam *ex gravi praecepto Ecclesiae semel in anno, saltem in Paschate,* nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ab huiusmodi susceptione duxerit abstinendum. Conc. Later. IV. C. *Omnis de Poenit. et remiss.*, Trid. S. 13. c. 9.

Sumptio eucharistiae *sub utraque specie* non solum non est necessaria pro laicis, verum etiam prohibita; idque etiam in necessitate viatici sumendi. Nam tum reverentia huic sacramento debita, maxime enim in casu mortis est effusionis periculum; tum ut radicitus extirpetur haereticorum error, dicentium non contineri totum Christum sub singulis speciebus, vel usum calicis esse necessarium, et Ecclesiam errasse ministrando unam speciem sine alia, sufficiens motivum est, ut Ecclesia cum tanto rigore id prohibeat. Unde neque dari potest gutta calicis consecrati moribundo, qui non possit accipere species panis pro viatico, et posset accipere stillam sanguinis, quia in re tanti momenti non est aperiendum ostium ad alias licentias; etiamsi homo ille moriatur sine viatico. Trid. S. 21. C. 1. 2. 3., c. 1. 2. 3., S. 22. Decr. *sup. pet. conc. Cal.*, Cat. Rom. P. 2. n. 65. 66. — Lug. Resp. Mor. l. 1. D. 10., Suarez D. 71. S. 3., S. Th. 3. p. q. 73. a. 3., q. 74. a. 1. ad 3., q. 80. a. 11. 12., E. M.

559. *Resolves:* 1.° Quisquis fidelis in periculo vitae, quod praevidet, tenetur sub mortali communicare. L. 291. — 2.° Qui post viaticum sumptum peccavit mortaliter non tenetur denuo communicare. L. 293. — 3.° Qui non communicavit in periculo mortis non tenetur postea supplere. L. 293.

560. *Quandonam pueri communicare possint, aut debeant?* — « Ob maiorem reverentiam huius sacramenti Ecclesia latina merito illud parvulis dari prohibuit ». L. 301. Idque valet etiam in periculo mortis talium parvulorum, qui adhuc rationis impotes sunt, tum quia idem adest periculum irreverentiae, tum quia talis est usus Ecclesiae Romanae. Et qui aliter ageret, peccaret graviter. L. 301., Trid. S. 21. C. 4., c. 4. — An autem pueri statim ac habent usum rationis possint ac debeant communicare? « Prima sententia affirmat... Secunda sententia vero communissima et probabilior negat teneri... Eorum autem, qui hanc sententiam tuentur alii dicunt tales infantes nec teneri, nec posse communicare, alii vero non teneri, sed posse semper ac sciant discernere celestem hunc cibum a prophano. Communiter dicunt dd. regulariter loquendo, pueros non obligari ad communionem ante nonum, vel decimum annum; nec differendam eis esse communionem ultra duodecimum ». L. 301. Sane recepta consuetudo ita est interpretata praeceptum hoc, ut eo pueri non adstringantur, antequam perfectiorem habeant usum rationis, ut maiori cum reverentia et fructu eucharistiam suscipiant. « Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri ». S. Th. 3. p. q. 80.

a. 9. ad 3., 4. Dist. 9. q. 1. a. 5. q. 4. — « Qua vero aetate, ait Cat. Rom. de Euch. Sacr. n. 63., pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater et sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percontari, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant ». Atque id spectat etiam ad parochos, quoad pueros, qui ipsis a parentibus praesentantur. Bened. XIV. C. *Etsi minime* 7. Febr. 1844. § 4. — E. M.

561. *An teneatur quis suscipere sacrum viaticum, instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicaverit?* — Affirmandum videtur, saltem probabilius. Ratio est, quia hoc praeceptum, ex interpretatione Ecclesiae, urget in periculo mortis, ut contra hostes spirituales hoc divino praesidio muniamur. Ergo non impletur per communionem ante morbum factam; quia licet quis opus praescriptum impleverit, non tamen implevit tempore quo tenebatur. L. 285. Negant tamen plures cum Lugo D. 15. n. 39. Ratio horum est, quia praeceptum communionis in substantia iam adimpletum est. S. Alph. l. c. de negante hac sententia ait: « Sententia communior negat, etiamsi communio praecesserit octo circiter diebus; hanc tenent Layman, Lugo cum communi, ut asserit Ronc. cum Conc., Ang., Fill., Tab., Henr., Molf., Suar., qui cum Soto et Palud. eam tenet, si communio triduo antea sit suscepta; et probabilem putant Palaus et Salm ... Haec sententia est satis probabilis, saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia per breve illud tempus antecedens iam moraliter coepit imminere, quamvis fuerit ignoratum ». Immo aliqui apud Busemb. putant non esse saltem mortale communionem omittere, dummodo in paschate sumpseris. Huic vero sententiae minime acquiescit, et iure, S. Lig. 291. 297. in fine par. *Dicit.*

562. *An qui mane communicavit ex devotione, teneatur aut possit, urgente periculo mortis, viaticum sumere?* — Prima sententia affirmat teneri, quia tunc suscipiendum est viaticum ad adimplendum praeceptum divinum, quod cum nondum urgeret, quo tempore sumpta est communio, impleri idcirco per eam sumptionem non potuit. — Secunda sententia dicit non teneri, sed posse communicare: 1.° quidem non teneri; quia tempus, quo communicavit, est moraliter idem, cum sit eadem dies; 2.° posse; quia licet rigorose non videatur teneri, non ideo tamen prohibetur, quippe favores sunt ampliandi. — Tertia sententia contendit nec teneri, nec posse communicare. Ratio est, quia cum praeceptum obliget ex intentione Ecclesiae, praxis Ecclesiae est, ut nemo bis in die communicet; nec adest ratio, cur casus iste sit excipiendus. — Omnes has tres sententias probabiles putat Bened. XIV. sic dicens: « In tanta opinionum dd. discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit ». De Syn. l. 7. c. 11. S. Alph. 285., et qq. reform. 66. probabilius, ait, distinguendum inter morbum naturalem et violentum, quia in posteriori hoc casu « non accepit quis viaticum in mortis articulo constitutus; secus vero, si quis iam in aegritudine positus mane ex devotione communicavit ».

563. *An possit dari eucharistia aegro, qui tussi laborat?* — R. Affirmative, quia periculum, ne sacrae species simul cum phlegmatibus reiiciantur, plerumque abest. Et ratio est, quia via, per quam sputa tus-

siendo expelluntur, non est oesophagus, idest via, per quam cibus ac potus in stomachum traiicitur, sed est trachaea, per quam respiratio ad pulmones usque se protendit. Si tamen tussis adeo sit assidua, ut impediat, quominus hostia sacra possit in stomachum transmitti, tunc a communione erit abstinendum. Rit. Rom. Quando vero aeger iugi vomitu laborat, communicare nequit, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu fuerit. In dubio autem, an infirmus sit sacram particulam revomiturus, ei dari non debet. — L. 291. 292.

564. *An in periculo mortis communio tribuenda sit pueris, qui nondum ad sacram synaxim admissi sunt?* — R. Negative, si usum rationis nondum adepti fuerint. Ratio est, quia hoc est contra praesentem Ecclesiae disciplinam. — Affirmative quoad pueros, qui sunt rationis compotes. Immo non solum communio dari eis potest, sed etiam debet. Ratio est, quia hinc quidem pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare; inde vero utilitas eucharistiae tunc maiorem dispositionem non exposcit. — Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 12., L. 301., S. Th. 3. p. q. 80. a. 9.

565. *An communio in periculo mortis danda sit amentibus, semifatuis, delirantibus et sensibus destitutis?* — *Quoad amentes,* si fuerint *perpetuo amentes,* seu phraenetici, nunquam communio eis danda est. Rit. Rom. *de SS. Euch. sacr.* Si *lucida intervalla* saepius habeant, et desiderium communicandi manifestaverint, communio eis dari poterit; imo et debebit, secluso irreverentiae periculo. Rit. Rom. ib., S. Th. 3. p. q. 80. a. 9., Cat. Rom., L. 302. — *Quoad semifatuos,* ipsis danda est communio, quando sufficientem habent discretionem, ut coelestem hunc cibum ab aliis distinguant; sed raro, scilicet tantum in articulo mortis, et ubi urget strictum communicandi praeceptum. L. 303. Attamen, si semifatuus ostendat communionis desiderium, ad eamque debita accedat exteriori devotione, ita ut nulla sit irreverentia, communio frequentius ipsi permitti poterit. Cf. Joann. Sanchez Disp. Select. 26. n. 5., S. Th. l. c. — *Quoad delirantes,* ipsis communio dari potest, si communicare valeant, secluso periculo irreverentiae erga eucharistiam. L. 292. — *Quoad destitutos sensibus,* ipsi sane a praecepto dispensantur, cum nullius legis observandae sint capaces. Sed non ideo dispensatur pastor ab obligatione eucharistiam ipsis ministrandi, si ante rationis amissionem praeparati fuerint. Sacramenta enim *ex opere operato* in eis operantur, qui cupierunt ea recipere, antequam usum rationis amitterent. Excipe tamen, si adsit periculum irreverentiae, aut si timeatur, ne hostiam deglutire non valeant. Gousset 232.

566. *An communio danda sit surdis-mutis, obsessis, et epilecticis?* — R. *Quoad surdos mutos,* affirmative si ex signis constet, eos discretionem habere, et esse sufficienter instructos. Si non qualicumque, sed sufficienti aliqua discretione gaudeant, saepius communicare poterunt. L. 303., S. Th. 3. p. q. 80. a. 9. — *Quoad obsessos,* distinguendum est: neganda est ipsis communio, quando non sunt sui compotes; secus concedenda est. Immo expedit, ut tales saepius iuxta prudentiam confessarii communicent, cum eucharistia sit speciale remedium ad daemones arcendos. — *Quoad epilepticos:* communio eis dari non potest, quando versantur in paroxismo actuali ob proximum irreverentiae periculum; ceteris autem temporibus non est deneganda. L. 303.

567. *An dari possit communio capite damnatis?* — R. Affirmative, Docet quidem Bened. XIV., « eam consuetudinem sequendam esse, quae unoquoque loco respective esse dignoscitur », de Syn. l. 7. c. 11.; sed *magis conformem pietati christianae* vocat usum eucharistiam illis ministrandi, eumque ubi non est invehendum, et S. Pii V. testimonium hac de re profert. Gousset 230. Communio tunc ministratur per modum viatici. S. C. de P. F. 21. Jul. 1841. — E. M.

568. *Quaenam requirantur animae dispositiones?* — Ad recipiendam eucharistiam requiritur *status gratiae*, saltem prudenter existimatus. Secus gravissimum committitur sacrilegium. Ratio patet ex rei natura, necnon ex verbis Apostoli 1. Cor. 11., 28: *Probet autem seipsum homo, et sic de Pane illo edat, et de Calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans Corpus Domini.* — Non sufficit, ut status gratiae acquiratur per contritionem perfectam, sed requiritur, ut *praemittatur confessio peccatorum mortalium et absolutio sacramentalis recipiatur*, excepto casu *necessitatis celebrandi vel communicandi, et desit copia confessarii.* Trid. S. 13. C. 7. c. 11. — In sacerdote autem celebrante status gratiae requiritur, et quatenus est *subiectum*, eucharistiam sumens; et quatenus est *minister*, eam conficiens. S. Th. 3. p. q. 80. a. 4. 5., q. 82. a. 5. 7. — Praeter statum gratiae requiritur, ut quis saltem discernat cibum spiritualem a corporali. — L. 256. 257., E. M.

569. *Quandonam quoad confessionem peragendam praedicta necessitas habeatur?* — Necessitas ex qua, si confessarius desit, praemissa tantum contritione, posset quis celebrare et eucharistiam suscipere in sequentibus casibus esse censetur: 1.° Periculo mortis, i. e. ut consecretur hostia pro morituro. 2.° Si sacrificium vel communio non possit omitti absque gravi infamia vel scandalo. 3.° Si parochus debet celebrare ex officio, et per alium non possit, ut populus sacrum audiat; neque celebrationem omittere possit sine infamia vel scandalo, L. 261., et ex Suaresio aliisque etiam si abstinere possit citra infamiam. Cf. Lugo D. 14. n. 114., Suarez D. 66. S. 4. 4.° Si urgeat praeceptum de annua communione, vel si sacerdos non possit audire missam praeceptam nisi celebret. Ita plures; sed longe communius et verius alii negant. Quoad missam audiendam S. Alph. 261. ait, quod alii *melius contradicunt;* quoad communionem vero inquit, *utraque est probabilis.* 5.° Si sacerdos post consecrationem committat mortale, vel ante commissi recordetur. S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. Si vero id fiat ante consecrationem, et praesertim ante canonem, debet confiteri, si absque nota infamiae potest, adeoque et potest missam interrumpere. Quin immo plures probabilius addunt, quod teneatur etiam missam deserere, si confiteri nequit; idque in Rubr. *de Defect.* t. 8. n. 5. praescribitur, *si non timetur scandalum.* S. Th. l. c. Verum, ordinarie loquendo, periculum adest scandali, et vix eo in casu nota infamiae vitari poterit. 6.° Si in scamno communicantium recorderis, quod oblitus es confiteri, nec sine nota aut scandalo gravi possis recedere. L. 260. 263.

570. *Quandonam confessarii copia deesse censeatur?* — Censetur deesse: 1.° Si nullus confessarius sit praesens, et spectatis circumstantiis debilitatis, aetatis, negotiorum, distantiae, aëris, brevitatis temporis, etc., sine gravi difficultate adiri absens non possit. 2.° Si alius confessarius

non adsit, nisi ignarus idiomatis, vel carens iurisdictione, vel qui nolit aut non possit confessiones audire, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno. — Attamen in his casibus contritio perfecta requiritur. — Non censetur autem deesse copia confessarii, si absit is, cui soles confiteri, sed debet deesse quilibet approbatus. — L. 264.

571. *Quaenam requiratur distantia, ut sacerdos deesse censeatur?* — Non potest rigorose determinari, sed pendet a circumstantiis. Alii requirunt distantiam duarum leucarum; alii leucam unam cum dimidio vel quadrante; alii leucam unam tantum. Sed praeter rationem itineris saepe urgent aliae rationes, v. g. infirmitas, vel temporis brevitas. Sic sacerdos iam iam celebraturus potest excusari a confessione, etiamsi confessarius distet 50. passibus. — L. 264.

572. *An qui recordatur peccati mortalis, quod ex inculpabili oblivione in confessione non declaravit, teneatur illud ante communionem confiteri?* — R. Negative certo, si poenitens iam sacrae mensae assideat, vel adsit causa gravis communicandi, et difficulter iterum confiteri possit. Ratio est, quia etiamsi adesset praeceptum confessionis, non urgeret cum tanto incommodo. — Si poenitens possit sine incommodo confiteri vel communionem omittere, controvertitur: probabilius neque confiteri tenetur, neque a communione abstinere; quia peccatum involuntarie omissum certe est remissum, etsi indirecte tantum; ac proinde communioni sumendae nullatenus obstat. Nec dicas, urgere Trid. praeceptum confitendi ante communionem; poenitens enim cum iam fuerit rite confessus et iustificatus per sacramentum poenitentiae, est sufficienter probatus etiam iuxta mentem Trid. Ita Gousset 249. et alii contra Lugon. et alios, qui communius et non improbabiliter oppositum tenuerunt. S. Lig. priori sententiae magis accedit, secundam tamen in praxi suadendam censet, modo causa aliqua aliud non suadeat. H. A. 23. — L. 257.

573. *An sacerdos, qui celebravit, vel laicus, qui communicavit conscius peccati mortalis, absque confessione, ob urgentem necessitatem, quamprimum confiteri teneatur?* — R. *Quoad sacerdotem*, affirmative. Sic enim expresse Trid. S. 13. c. 7., et pr. 38.ª d. ab Alex. VII. — *Quoad laicum*, negative probabilius. Ratio est, quia Trid. loquitur tantum de sacerdotibus, *necessitate urgente celebrantibus*. — Quare nec *sacerdotes mere communicantes* attingit. — Dubium autem est, utrum attingat eum, qui *celebrat fer. VI. mai. hebd.*, vel eum qui *perficit missam alterius*, post consecrationem deficientis; quia casus extraordinarius est, et Trid. debet in rigore intelligi de illo, qui vere ipsemet celebrat, i. e. consecrat et communicat. La-Croix 539. — Communissime vero asseritur non attingere sacerdotem *sacrilege celebrantem*, non urgente necessitate, neque deficiente copia confessarii, quibus lex magis esset obfutura, et occasio certa novi peccati, absque spe fructus. — « Recte vero advertit Lugo, quod si sacerdos ex necessitate, omissa contritione, celebraret, utique teneretur ad confitendum *quamprimum*, quia praeceptum Tridentini minime distinguit inter sacerdotem habentem, vel non habentem contritionem, sed loquitur de quocumque sacerdote *ex necessitate* celebrante ». L. 266. 268. — Lugo D. 14. n. 138. 139. 150., Suarez D. 66. S. 7., E. M.

574. *Quomodo intelligendum sit praeceptum illud sacerdotibus impositum confitendi quamprimum?* — Probabilius sufficit, ut sacerdos intra triduum confiteatur; quia cum hoc praeceptum sit tantum ecclesiasticum, vox *quamprimum* intelligi moraliter potest, prout intelligitur in aliis legibus humanis, ubi illud verbum, aut aliud simile, ex communi interpretatione ad spatium trium dierum protenditur. Attamen talis sacerdos non potest iterum celebrare, antequam fuerit confessus; quia non fuit excusatus a confessione nisi propter instantem necessitatem. Hinc, si urgeat eadem necessitas celebrandi die sequenti, et possit confiteri, confessionem ad alium diem remittere nequit. — L. 266.

575. *Nota:* Illam particulam *quamprimum* dicebant quidam intelligi cum primum talis sacerdos celebraverit: « Sed haec opinio est omnino improbabilis, quia tunc ipse ratione ipsius celebrationis teneretur ad confessionem, sed Trid., praecisa celebratione, praeceptum confitendi quamprimum imponit ». L. 266., E. M.

576. *An teneatur confiteri quamprimum sacerdos celebrans post confessionem, in qua inculpabiliter alicuius peccati mortalis oblitus est?* — R. Negative, si meminerit peccati *post celebrationem;* quia non celebravit conscius illius peccati, ut loquitur Trid. — Negative etiam, probabilius, si meminerit peccati *ante celebrationem;* quia cum confessionem praemiserit, licet alicuius peccati gravis fuerit oblitus, revera non potest dici celebrasse conscius peccati mortalis sine praevia confessione. Hanc sententiam probabilem dicit S. Lig. 266. — Negative item si meminerit peccati, vel peccatum commiserit *post missam incoeptam.* Conc. enim loquitur de sacerdote celebrante, urgente necessitate, absque *praevia* confessione. Rubr. Miss. *de Def.* t. 8. n. 4., Lugo D. 14. n. 145. 146., L. 267.

577. *An confiteri teneatur, qui ob angustiam temporis nequit omnia confiteri; vel qui habeat etiam reservata ad quae omnia absolvenda confessarius facultatem non habeat?* — R. Affirmative, siquidem cum fieri non possit confessio materialiter integra, sufficit formaliter integra, adeoque cum adhuc sit possibilis confessio, ea quis tenetur. Multi tamen et graves dd. negant adesse obligationem confessionis, si quis peccata habeat reservata et non reservata, et eorum opinionem probabilem censet S. Alph. 265. Omnes vero conveniunt non adesse talem confessionis obligationem, *si quis non nisi peccata reservata habeat*, ad quae absolvenda confessarius facultatem non habeat. Cf. 802.

578. *Quid, si poenitens habeat excommunicationem reservatam?* — « Suarez, Lug. Conin. recte censent, eum bene posse eucharistiam recipere, urgente scandalo, vel nota infamiae. Ratio, quia praeceptum Ecclesiae prohibens excommunicatis suscipere sacramenta, non obligat, concurrente praecepto naturali vitandi scandalum, vel non obligat cum tanto incommodo perferendi infamiam ». L. 265. — *An autem possit is confiteri non habenti facultatem super excommunicationem?* Ex S. Alph. prima sententia probabilis negat; quare potest is communicare, praemissa contritione, licet habeat alia peccata non reservata. Confiteri enim non potest, « cum sit innodatus excommunicatione, quae ipsum interdicit a susceptione sacramenti poenitentiae ». L. ib. Secunda vero sententia probabilior affirmat. Ratio, quia in eo necessitatis casu « excommunicatio, sicut non

privat susceptione eucharistiae, ita nec poenitentiae, quae debet suscipi cum possit, ut servetur divinum praeceptum praemittendae confessionis ad communionem ». L. ib., Ithur. Cas. 52. n. 24. 25. — Cf. 802.

579. *An totum communionis fructum impediat affectus actualis vel virtualis ad peccata venialia, vel actualia peccata venialia concomitantia v. g. voluntariae distractiones? Et quid de communionis frequentia?* — R. ad 1.um Negative. Ita communius. Ratio est, quia omnia sacramenta gratiam ex opere operato conferunt obicem non ponentibus. Obex autem sacramenti eucharistiae non nisi conscientia gravis peccati est. Verum, licet actualia peccata venialia, vel actualis affectus ad ipsa, non tollant totum communionis fructum; eum tamen ex parte impediunt. Etenim « effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel caritatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiae vel caritatis ». S. Th. 3. p. q. 79. a. 8. *Actualia peccata venialia, vel actualis affectus ad ea;* « potest enim contingere, quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc sacramentum, et plenarie huius sacramenti consequatur effectum ». S. Th. ib. — Decr. Innoc. XI. 1679., L. Prax. 148. seqq., Trid. S. 7. c. 6., S. 13. c. 7., Suarez D. 63. S. 3., Lugo D. 14. S. 3., L. 270.

Ad 2.um *Frequenti communione* intelligi potest communio pluries in anno, menstrua, hebdomadaria, pluries in hebdomada, quotidiana. Porro nulla hac in re determinata regula statui potest, sed « ea unice desumi potest a cuiuslibet peculiari statu, devotione, caritate ». Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 12. n. 7. Etenim « circa usum huius sacramenti duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie et fructum percipiat... Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae; non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere; sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum... Hoc sacramentum est cibus spiritualis; unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est... Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam huius sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur... Amor tamen et spes, ad quae semper Scriptura nos provocat, praeferuntur timori ». S. Th. 3. p. q. 80. a. 10. Et 4. Sent. D. 12. q. 3. a. 1. q. 2.: « Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui, et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia, et devotione postmodum accederet ». — Trid. S. 13. C. 8., Lugo D. 17., La-Croix 655. seqq., L. Prax. 148. seqq., E. M.

580. *Quaenam corporis dispositio requiratur ad eucharistiam recipiendam?* — Ex praecepto Ecclesiae ad communionem requiritur ieiu-

nium *naturale,* seu abstinentia *totalis* post mediam noctem a re qualibet, quantumvis minima, quae sumitur per modum cibi et potus, certis tamen exceptis casibus. Constat: 1.° ex universali Ecclesiae consuetudine et unanimi traditione. 2.° Ex omnibus Catechismis et Ritualibus ab Ecclesia approbatis. 3.° Ex variis Conciliis, et praesertim ex Conc. Const. S. 13. — Ad ieiunium illud frangendum tres requiruntur conditiones iuxta communem sententiam: 1.° Ut quod sumitur, ab extrinseco sumatur, et in stomachum traiiciatur: quia quod non provenit ab extrinseco, etsi voluntarie deglutiatur non dicitur manducatio: res enim quae manducantur, ab extra proveniunt. Hinc sanguis effluens ex ore, lingua, gingivis, etc., non frangit ieiunium. 2.° Ut quid sumatur per modum comestionis aut potationis. Ratio est, quia iuxta sensum communem hominum eo tantum modo frangitur ieiunium naturale. Unde quidquid per modum respirationis aut salivae hauritur, ieiunium nullatenus frangit. Sic ieiunus remanes licet per respirationem pulverem vel muscam deglutieris. 3.° Ut res sumpta habeat rationem cibi, aut potus, id est, ut sit quid alterabile in stomacho. Ratio, quia secus iuxta communem concipiendi modum non est comestio, neque potatio. Nemo enim dicitur manducare ferrum, vitrum, lignum, etc. — L. 279.-281., S. Th. 3. p. q. 80. a. 8., 4. Dist. 8. q. 1. a. 4. q. 2. ad 3., E. M.

581. *An traiectio reliquiarum cibi, quae inhaerent inter dentes, frangat ieiunium?* — R. Negative, *si sit involuntaria,* quia non habet rationem cibi. Constat etiam ex Rubr. Missalis *de Defect.* t. 9. n. 3. — *Si sit voluntaria,* controvertitur. Prima sententia probabilis negat; quia tales reliquiae non sumuntur per modum cibi, licet ex proposito, sed per modum salivae. S. Th. 4. D. 8. q. 1. a. 4. q. 2. ad 3. « comestio autem, ait, principaliter dicitur a sumptione exterioris cibi, quamvis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, et ulterius ad nutritionem: et ideo quae interius geruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere ieiunium naturae, nec impedire eucharistiae perceptionem, sicut deglutio salivae: et similiter videtur de his, quae intra dentes remanent, et etiam de eructationibus ». Cf. etiam Rubr. t. 9. n. 3. Secunda sententia affirmat, quia huiusmodi traiectio, cum ex industria fiat, nova comestio videtur. Hanc sententiam dicit probabiliorem S. Lig. 279. — Lugo D. 15. n. 36.

582. *An guttulae aquae aut iusculi degustati, cum saliva mixtae, frangant ieiunium, si deglutiantur?* — R. Negative, *si casu praeter intentionem traiiciantur,* modo non sint *in magna quantitate.* Idem dicendum de guttulis, quae involuntarie traiiciuntur os lavando. Ratio, quia non sumuntur per modum nutritionis. Constat etiam ex Rubr. Missalis *de Defect.* t. 9. n. 3. S. Th. 3. p. q. 80. a. 8. ad 4. — S. Alph. 279. ait: « Dubium est *si ex proposito deglutiantur.* Sentiunt non frangere ieiunium Conin. et Henr. ap. Croix 566., modo sint immixtae salivae: et idem sentire videntur Lugo et Tamb. dum dicunt, quod cum non sit potatio deglutire salivam, ideo nec violat ieiunium has guttulas per modum salivae traiiciens; sed omnino affirmandum cum sententia communi... Et hanc docet idem D. Th. l. c., ubi postquam dixit reliquias cibi non frangere ieiunium, *si casualiter* transglutiantur, dixit *eandem rationem esse de reliquiis aquae vel vini, quibus os abluitur...* Conf. ex Rubr. l. c. ubi sic habetur: *idem dicendum* (scilicet non frangi ieiunium), *si lavando os, deglutiantur stillae*

aquae praeter intentionem. Ergo, *si ex intentione,* frangitur. Idem dicendum, si quis ante mediam noctem immisit saccharum in ore, et post mediam noctem aliquid traiiciit. Ratio, quia non est illa reliquia comestionis praecedentis diei, sed est continuata comestio... Ita etiam (frangeret ieiunium), si quis sugeret sanguinem ex digito, vel lacrymas ex oculis manantes. Secus vero dicendum, si quis deglutit sanguinem defluentem e capite vel gingivis, aut saniem ex pustula oris emanantem, etiam ex industria. Ratio, quia quidquid ab intrinseco provenit, non vere comeditur, nec solvit ieiunium ».

583. *An solvat ieiunium pulvis tabaci sumpti per nares?* — R. Negative, etiamsi aliquid in stomachum transmittatur. Ratio, quia licet talis materia sit nutritiva, tamen non sumitur per modum comestionis. — L. 280., S. Th. l. c.

584. *An solvat ieiunium fumus tabaci aut similis?* — R. Negative, quia fumus tabaci neque est cibus nec potus, neque sumitur per comestionem aut potationem; secus dicere deberemus, frangere ieiunium etiam eos, qui in culina ciborum fumum tum ore tum naribus attrahunt. Et hoc valet, etiamsi fumus, voluntarie immittatur in stomachum. Idem videtur dicendum de succo seu odore camphorae, qui per modum fumi tabaci hauritur. — L. l. c., S. Th. l. c.

585. *An solvat ieiunium, qui sumit folium tabaci, vel aroma, ut dentibus conterat, et phlegmata expuat?* — R. Negative probabiliter, etiamsi deglutiatur praeter intentionem aliquid modicum succi salivae inseparabiliter mixti; quia si casu id deglutiatur, non per modum cibi, sed per modum salivae traiicitur. Omnes autem conveniunt, huiusmodi masticationem ante communionem esse indecentem; unde non videtur excusanda a culpa veniali, nisi rationabilis aliqua causa intercedat. — « Idem dicendum de illo, qui pulverem, aut pluviam, flocum nivis, culicem, sive muscam deglutiret; nam si hoc accideret casu per respirationem, utique non solveret ieiunium, quia talis actio non est comestio, sed respiratio ». L. 280., S. Th. l. c.

586. *An comestio, capillorum, unguium, ligni, papyri, lapillorum, et similium impediat communionem?* — Prima sententia universe negat, quia omnia haec non habent rationem cibi, vel saltem usu non habentur ut comestibilia; et probabile putat Busemb. Secunda sententia universe affirmat, quia non refert quod aliquid nutriat vel non nutriat, dummodo sumatur per modum cibi. Tertia sententia communis affirmat, si edantur res digestibiles; negat vero, si res sint omnino indigestibiles. Res enim indigestibiles rationem cibi non habent; et Ecclesia vetat ne eucharistia *post cibum aut potum* sumatur. Conc. Tol. VII. can. 2., S. Th. 3. p. q. 80. a. 8. ad 4., L. 281.

587. *An possit communicare, qui dubitat, utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit, aut in ipso die aliquid deglutierit?* — R. Affirmative probabilius. Ratio est, quia in casu non constat de violato ieiunio, et proinde non constat communionem esse interdictam; factum enim violati ieiunii esset probandum, prius quam invocetur lex prohibens eucharistiam non ieiuno. — L. 282., l. 1. n. 38. 39.

588. *An inter plura horologia dissonantia liceat alicui ultimum sequi ad communionem excipiendam?* — Communissime affirmant, dummodo de eius errore non constet; et non sit de illis, quae ut plurimum errant, quia haec praesumuntur semper errare. — L. 282.

589. *An possit communicare, qui cibum deglutit post primum ictum horologii sed ante ultimum?* — Affirmant Salm., etc., quia, ut dicunt, ultimus ictus moraliter eandem complet horam, ita ut omnes ictus pro unico computentur. Sed melius et communius id negant Lugo, etc. Ratio, quia ad primum horae ictum media nox iam expleta est. — L. 282.

590. *An liceat edere et bibere statim post communionem?* — Olim quidem post communionem praecipiebatur ieiunium usque ad Sextam. *De Consecrat.* Dist. 2. cap. 23. Sed hoc praeceptum iamdudum abrogatum est. Attamen ex decentia *mora aliqua* servari debet inter sumptionem huius sacramenti et alios cibos, saltem quamdiu species consecratae in stomacho nondum plane corruptae perseverant, nisi tamen adsit aliqua rationabilis causa aliquid statim sumendi: secus talis comestio ob irreverentiam a veniali culpa non excusatur. — L. 283. 289., S. Th. 3. p. q. 80. a. 8. ad 5. 6.

591. *An sit illicitum expuere post communionem?* — R. Negative *per se,* modo nullum hostiae fragmentum in ore remanserit. Nullum enim est periculum irreverentiae erga species sacras; quandoquidem via, per quam sputa in os confluunt, non est oesophagus, seu via cibi et potus, sed est via respirationis. Omnes tamen conveniunt congruum esse, ut communicantes per aliquod temporis intervallum ab expuendo abstineant. — L. 283.

592. *Quandonam liceat aliquem non ieiunum communicare?* — Non ieiunus licite communicat 1.° in periculo mortis, ex quacumque causa proveniat; 2.° in periculo, ne eucharistia pereat, vel male tractetur, v. g.. ab haereticis, impiis; 3.° in periculo proximo gravis scandali ex omissione sacrificii vel communionis; 4.° in necessitate perficiendi sacrificium vel communionem, v. g., si pro speciebus vini sacerdos sumpserit aquam, etc.; « quia necessitas legem non habet ». S. Th. 3. p. q. 80. a. 8., L. 284. 285., Rit. Rom. *de Comm. infirm.*

593. *Nota:* 1.° « Si sacerdos recordatur *post consecrationem,* se non esse ieiunum, certum est non teneri, nec posse missam deserere; cum praeceptum divinum perficiendi sacrificium praeponderet ecclesiastico communicandi ieiunus... Si autem recordetur soluti ieiunii *ante consecrationem,* et praesertim ante canonem, debet utique desistere a missa, si possit sine infamiae nota, aut scandalo, ut etiam communiter dicunt... ex D. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 2... Censet S. Bonav., et probabile id putant Sotus, etc., propter hanc rationem scandali nunquam desistendum esse a missa inchoata, quia fere nunquam sine scandalo illa omitti posset. E converso dicit Conc. raro in hoc posse scandalum accidere. Melius sentio dicendum semper scandalum posse timeri, nisi celebrans sit notae, aut saltem praesumptae probitatis ». L. 287. — 2.° « Si pro speciebus vini (sacerdos) sumpsit aquam, si advertat dum habet in ore non est expuenda ob periculum eiiciendi fragmentum hostiae, et irreverentiam, sed deglu-

tienda... Si pars hostiae post ablutionem sumptam calici aut palato adhaereat decentius nova ablutione (i. e. purificatione), quam digito propellitur, quamvis missale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis, et sumatur ante ablutionem: quo modo etiam ii excusantur, qui ex devotione hostiam in ore diu retinentes, casu praemittunt aliquid ablutionis: sponte tamen id non licet, nisi bona fides, et sancta simplicitas excuset ». L. 288. — 3.° « Licitum est dare aegro minimam particulam simul cum ablutione, si ob siccitatem nequeat illam deglutire... Licite datur etiam sano ablutio aquae, aut vini, ut possit deglutire particulae fragmenta, quae ori haeserint... quia non censetur moraliter communionem praecessisse... tunc totum illud ex ablutione, et particulis sumitur unica sumptione... Et ideo in die Parasceves instituit Ecclesia, ut simul cum vino sumatur particula consecrata in die praecedenti; atque in Rubr. Missal. t. 10. n. 8. dicitur: si particula haereat calici, posse vinum infundi, et eam sumi; adduntque Lugo et Salm. posse iterum vinum infundi, usque dum particula sumatur ». L. ib. — 4.° « Quod ob metum mortis liceat post cibum celebrare, secluso contemptu, plures dd. admittunt ». L. 289.

594. *An sacerdos ad viaticum ministrandum possit celebrare non ieiunus?* — R. Prima sententia affirmat. Ratio, quia praeferendum est praeceptum divinum viatici praecepto ecclesiastico ieiunii. Secunda sententia negat. Ratio, quia cum hoc sacramentum non sit tantae necessitatis, praeferenda est reverentia sacramento debita, propter quam ieiunium praecipitur. « Primam sententiam, ait S. Alph. 286., probabilem puto, sed haec secunda probabilior mihi videtur, nisi moribundus non posset sacramento poenitentiae, vel extremae unctionis muniri; nam eo casu eucharistia poterit esse sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus. Secus vero dicendum, si sacerdos, cum esset morti proximus, deberet celebrare ad dandum sibi viaticum; quia tunc bene poterit celebrare non ieiunus, ut praecepto viatici satisfaciat; tunc enim in eadem persona concurrunt praeceptum ecclesiasticum, et divinum, quod praeferendum est: ita communiter ». — Si notum sit sacerdotem non esse ieiunum, difficile sane erit practice propter scandalum primam sequi sententiam.

595. *An sacerdos non ieiunus celebrare possit, ut populus missam audiat, et praecepto satisfaciat?* — Sola ratio curandi, ut populus missam audiat, non sufficit, iuxta communem sententiam, ad celebrandum, ieiunio violato, quia praestat, ut populus missa privetur, quam ut sacerdos celebret non ieiunus. Si accedit alia ratio gravis, scilicet publici scandali quod facile impediri non posset, v. g., monendo populum, quod ex aliquo casu sacerdos non sit amplius ieiunus, licita esset missae celebratio. Attamen attendendum practice est, ne maius inde scandalum forte habeatur, puta si non lateat sacerdotem non esse ieiunum, vel si deinde id cognoscatur. — La-Croix 582. seq., D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 411., E. M.

596. *An requiratur certitudo moralis periculi mortis, ut viaticum non ieiuno ministrari possit?* — R. Negative, sed sufficit dubium fundatum, seu probabilitas periculi, praesertim quando timendum est, ne aeger repentina morte corripiatur. Immo graviter arguendi sunt parochi et parentes aut cognati infirmorum, qui incuria aut vano timore administra-

tionem sacri viatici protrahunt cum periculo, ne isti absque eucharistia decedant. L. H. A. 46. Et scite S. Alph. 285. monet, in hoc non esse scrupulose procedendum, cum in Conc. Const. S. 13, simpliciter infirmi excipiantur a lege ieiunii. « Infirmi, ait S. Th. 3. p. q. 8. a. 8., statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine communione decedant ». — Rit. Rom. *de Comm. infirm.*

597. *An liceat aliquando dare communionem infirmo non ieiuno, nec periculose decumbenti, si morbus sit diuturnus?* — Negandum est, attenta praxi actuali Ecclesiae, nisi morbus talis sit, ut per se periculum mortis inducere possit. Attamen non desunt plures et graves theologi, qui id aliquando permittunt, si morbus sit diuturnus, nec unquam aeger omnino ieiunus communicare valeat, modo raro fiat, v. g., aliquoties in anno. Sed contradicit sententia communior doctorum, qui asserunt, solum Papam hac in lege dispensare posse. Reipsa S. Pontifex aliquando dispensat. Dispensatio haec a S. Officio solet peti. Videtur tamen tunc adesse ratio sufficiens, ut eucharistia post mediam noctem infirmo interdum administrari possit. Nullum dubium est quoad casum communionis annuae, seu paschalis, quae non mero iure ecclesiastico, sed etiam divino praecipitur, quia divinum mandatum humano praestantius est. Idque tacite concedere videtur Rit. Rom. *de Comm. infirm.*, cum dari vetet tantum *infirmis non ieiunis, qui ob devotionem communicant.* — Gur. Baller. 334.

598. *An liceat communionem iterum ministrare infirmo non ieiuno, qui iam viatico munitus est?* — R. Affirmative. Ratio est, quia hoc sacramentum aegrotis non datur praecise ad satisfaciendum praecepto, sed in praesidium contra tentationes, quae tempore mortis magis urgent. Quamobrem id licet non solum, si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret. — Rit. Rom. *de Comm. infirm.*, L. 285., Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 12.

599. *Quanto tempore debeat distare una communio ab alia, si aegrotus non ieiunus communicet?* — Ex regula generali octo circiter diebus, et etiam minus, si infirmus desideret, et etiam quotidie si infirmus assuetus erat saepe communicare, neque ex exteriori apparatu ullum sit inconveniens, uti pro infirmis religiosis, vel aliis personis piis in monasterio degentibus, cum sacra eucharistia non sit publice per plateas deferenda. Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 12. monet episcopos, ut hac in re abstrahentes a variis opinionibus parochis insinuent, « posse et debere ss. viaticum in eadem infirmitate iterum et tertio administrari, praesertim, si aegrotus exposcit, et si velit ». Quare attendenda sunt particularia locorum statuta. — L. 285., H. A. Tr. 5. n. 47.

600. *Quid de exteriori corporis decentia?* — De iure naturali is requiritur *exterior habitus* et ea *corporis compositio*, quae internam animi reverentiam et devotionem exhibeat. Ratio patet: debetur enim huic augustissimo sacramento non solum interna, sed etiam externa veneratio, cum ipse Christus, mediis speciebus, sensibili quodam modo in eo exsistat et tractetur. — *Nulla* prorsus *corporis macula* per se impedit a communione, cum eucharistia sit tantum cibus animae, neque puritas minuatur corporis maculis, quae ad bonitatem vel malitiam moralem nihil conferunt. Decentia tamen et reverentia tanto sacramento debita exigit, ut si sordes

exterius apparentes possint auferri, diligenter auferantur. — Nulla est obligatio abstinendi a communione propter *maculas corporis occultas*, vel etiam *apparentes exterius*, sed *indelebiles*. Si tamen maculae externae, hic et nunc indelebiles, sint valde notabiles, et brevi cessare debeant, decebit, ubi commode fieri potest, communionem differre. Quando vero diutius durant, non est ratio cur aliquis alimonia coelesti privetur. — L. 271. 275., S. Th. 4. Dist. 9. q. 1. a. 4. q. 2.

601. *Resolves*: 1.° *Mulieres* accedere debent ad sacram communionem in ornatu sancto, modestiam redolente; si quae valde indecentes se sacrae mensae sisterent, communio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus ad scandala, quantum fieri potest, praecavenda. — 2.° *Lepra, fluxus sanguinis*, et similia, quae sine patientis culpa eveniunt, per se non prohibent a communione, quia labes illae non obstant devotioni quae est dispositio requisita ad communionem. — 3.° *Sacerdos, infectus lepra*, aut alia infirmitate horrorem excitante, celebrare potest, sed non in publico, C. *Tua nos* 4. *de Cler. aegrot.* — 4.° Convenit ex decentia et humilitate christiana, ut *milites* communicaturi ad sacram mensam, depositis armis, accedant. Nulla tamen lege ad id obligantur. Idem dicatur de *laicis*, chirothecas deferentibus. — 5.° *Sacerdos* quando *eucharistiam suscipit*, more laicorum, debet esse stola indutus. Idque alii excusant a mortali, sed non a veniali, alii etiam a veniali. — L. 275. 276., S. Th. 3. p. q. 80. a. 7.

602. *An ob pollutionem teneatur quis communionem omittere?* — R. Negative, *si fuerit involuntaria*, et hoc etiamsi provenerit ex causa venialiter culpabili, modo non perduret notabilis mentis perturbatio, orta ex illa corporis commotione, vel aliqua adsit iusta necessitatis vel devotionis causa; secus, per se loquendo, veniale erit. Ratio, quia externa macula cum iam sit praeterita praesentem corporis decentiam non impedit. — Negative, *si fuerit culpabilis*, et iam per debitam poenitentiam retractata, modo iusta adsit causa necessitatis vel etiam utilitatis ad communionem accedendi; secus veniale erit ob reverentiam tanto sacramento debitam; cui vero satis consulitur per rationem illam *proportionatam*, quae adsit communionem suscipiendi. — Rubr. Missal. *de Defect.* t. 9. n. 5., L. 272., S. Th. 3. p. q. 80. a. 7., 4. Dist. 9. q. 1. a. 4. q. 2., Suarez D. 68. S. 2., Lugo D. 15. n. 4. seqq.

603. *An copula coniugalis impediat ab eucharistia?* — « Veniale est accedere ad eucharistiam die copulae habitae ob voluptatem, nisi excuset aliqua rationabilis causa. Si vero copula est habita causa procreandae prolis, vel etiam incontinentiae vitandae, tunc est solum consilii s. communione abstinere, C. *Si vir* 7. caus. 33. q. 7. Et sic pariter est consilii abstinere ea die, qua coniux reddidit debitum... Post vero communionem sumptam, nullum est peccatum reddere. An autem petere? alii dicunt esse veniale; alii nullum ». L. 922. 273. 274., Sporer de Matr. n. 494., S. Th. 3. p. q. 80. a. 7. ad 2., 4. Dist. 32. q. 1. a. 1. ad 1.

604. *Quid sit spiritualis communio, et quatenus commendanda?* — *Communio spiritualis* dicitur pium desiderium eucharistiae sacramentum suscipiendi, cum realiter suscipi non potest. Hinc *ad eam requiritur:* 1.° Actus fidei, quo spiritualiter communicaturus Christum vere in eucha-

ristia praesentem sibi exhibeat. 2.° Actus desiderii, quo exoptet Christum in sacramento suscipere et cum ipso toto corde uniri. 3.° Humilis atque fervens oratio, qua petat a Jesu Christo Dno. N., ut illas sibi benigne gratias largiatur, quas sua sacramentali praesentia clementer nobis impertiri consuescit. — Haec communio Sanctis valde in deliciis fuit, et commendatur a Trid. S. 13. C. 8., S. 22. C. 6. Haec piis fidelibus valde utilis est. Etenim, si Deus praemio afficit pium cuiuscumque virtutis desiderium, quanto magis desiderium ipsummet possidendi! A confessariis igitur fidelibus, suis poenitentibus, sedulo insinuanda, et vehementissime commendanda est. — Communio spiritualis omni tempore et in omni loco fieri potest, tam mane quam sero. Tempus tamen opportunius est ipsius missae tempus, quo scilicet sacerdos communicat; tunc enim, cum augustissimum sacramentum oculis exhibeatur et vividius menti repraesentetur, ardentius cor divino amore inflammabit. — S. Th. 3. p. q. 80. a. 11.

V. — DE NATURA ET VIRTUTE SACRIFICII MISSAE

605. *Quid sit sacrificium?* — *Sacrificium* est: Oblatio rei sensibilis facta Deo, sacerdotis ministerio, qua rem illam destruendo vel immutando profitemur Deum esse Dominum vitae et mortis. Trid. S. 22. C. 3., S. Th. 2. 2. q. 86. a. 1.

606. *An eucharistia sit sacrificium, et quale?* — R. Constat ex Trid. S. 22. C. 1., c. 1. eucharistiam esse *verum sacrificium.* — Atque ex eodem Trid. ib. C. 2. constat *idem* essentialiter esse *hoc sacrificium* ac *sacrificium Crucis;* et accidentaliter tantum ab illo differre. Nam utriusque Hostia eadem est; idem Sacerdos Christus in eucharistia offerens sacerdotum ministerio; utrumque sanguinis effusione conficitur; sola offerendi ratio diversa est. In illo enim sanguinis effusio realis fuit, et cruente Christus immolatus; in hoc sanguinis effusio mystica est, et incruente Christus immolatur. Suarez. D. 75. S. 5. — Sacrificium autem *latreuticum* est, quia est absolutissimus latriae actus. Deo enim offertur in agnitionem supremi eius dominii. Est *eucharisticum,* quia ad gratias agendas Deo pro collatis beneficiis cum primis pertinet. Est *propitiatorium,* quia Deo offertur ad obtinendam veniam peccatorum. Est *expiatorium* seu *satisfactorium,* siquidem Deo offertur ad remissionem etiam obtinendam poenae peccatis debitae, poenae nempe temporalis; poenae enim aeternae remissio, effectus non est huius sacrificii, siquidem non nisi peccato mortali deleto remittitur. Est *impetratorium,* nam pro aliis etiam necessitatibus et beneficiis obtinendis Deo offertur. Trid. ib. C. 2. 3. c. 3. 5. S. Th. 3. p. q. 83. a. 1. — Eucharistia, ut sacrificium, *Missa* solet appellari a verbo *mittere,* vel quia in fine celebrationis huius sacrificii populus dimittitur verbis illis, *Ite, Missa est;* vel quia Christus in eo est Hostia a Deo missa. — E. M.

607. *Nota:* Missa non habet virtutem remittendi peccata *per se immediate,* sed solum impetrandi auxilia ad poenitentiam, qua remittantur, auxilia etiam impetrandi ad actus perficiendos, quibus augeatur gratia iam acquisita; aliaque etiam tum spiritualia tum temporalia bona impetrandi. Vim vero habet *per se immediate* remittendi poenas peccatorum hominibus *iustis,* pro quibus offertur. L. 311.

608. *Quaenam sunt praecipuae missae partes?* — Sunt tres: *Oblatio*, qua sacrificium quasi praeparatur; *Consecratio*, in qua essentia sacrificii habetur; in ea enim habetur mystica victimae mactatio, Suarez D. 75. S. 5.; *Consummatio*, qua sacrificium absolvitur et perficitur. S. Th. 3. p. q. 82. a. 4. Hinc nulla ex his sine *immani sacrilegio* omitti potest. S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 1. 2. — Quare, si sacerdos *oblationem* omiserit, eam ante *consecrationem* mentaliter supplere debet. Bened. XIV. de Sacr. Miss. l. 3. c. 18. n. 5. Si alterutra species non fuerit *consecrata*, ante consummationem alterius ea consecranda omnino est, post alterius consummationem utraque est consecranda, si id sine ullo scandalo, et infra breve tempus, i. e. infra horam circiter, fieri possit; secus enim non videretur idem sacrificium. Rubr. Miss. *de Defect.*, S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 4., L. 355. Cf. 323. 329. seqq. Si tandem celebrans moriatur vel afficiatur aliqua infirtate ante *consummationem vini*, vel post *consecrationem panis*, neque infra breve tempus sacrificium prosequi possit, missa per alium sacerdotem, etiam non ieiunum aut vitandum, perficienda est, ab eo loco, quo alter cessavit, si infra breve tempus, et citra gravissimum incommodum fieri possit. At si ipse, qui consecravit convalescat, etiam post plures horas sacrificium continuare potest et perficere. S. Th. S. q. 29. a. 2. ad 3. ait: « Si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos potest procedere ad consecrationem vini, incipiens, ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite supra aliam materiam ». Quod si sacerdos defecerit *ante consecrationem*, vel *post consummationem* nihil necesse est supplere vel prosequi, quia in primo casu sacrificium nondum est inceptum, in altero iam expletum est. Rubr. Miss. ib. t. 10. n. 3. — La-Croix 548., L. 305. 354. 355., S. Th. 3. p. q. 82. a. 4., q. 83. a. 4. 6. ad 1. ad 3., Suarez D. 71. S. 3., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 10.

609. *Nota:* Haec in Rubr. Miss. t. 4. n. 8. « Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet; si post consecrationem corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei altera iam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et missa absolvenda, ita tamen ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando *aliquandiu* haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum ». Hinc notant Gavantus hic, et Azor, quod, si difficillime haberi possit species deficiens, et notabilis inde oriretur offensio populi, missa absolvi debet, quia ius naturale vitandi scandalum praevalet iuri divino positivo integrandi sacrificium. L. 306. Quid autem efficiendum sit, si musca vel aranea, vel aliquid aliud venenosum vel quod provocet vomitum, in calicem ceciderit, habes in Rubr. *de Defect.* t. 10. n. 5.-7.

610. *Pro quibusnam possit offerri sacrificium missae?* — Offerri potest *pro omnibus* illis, pro quibus oblatum est sacrificium Crucis; nisi pro aliquo vetet Ecclesia. Nam « oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur ». Trid. S. 22. C. 2. Quare offerri potest: 1.° Pro viatoribus baptizatis, etiam infantibus, vel energumenis, vel peccatoribus, non excommunicatis, etiam pro infidelibus, non tantum generatim pro omnibus, sed etiam pro singulis infidelibus, etiam pro regibus; quatenus est propitiatorium, expiatorium, impetratorium. Trid. ib. —

2.° Pro animabus Purgatorii, quibus prodest ex infallibili promissione Christi; quatenus est expiatorium. Trid. ib. et S. 25. Decr. *De Purg.* — 3.° Pro Beatis; quatenus est eucharisticum. Trid. S. 22. C. 3. — Vetitum autem est illud *pro excommunicatis* offerre. Bened. XIV. C. *Ex quo* 1. Mart. 1756. § 27. Pro *excommunicato tolerato* licite sacerdos missam offerre potest tum nomine proprio, tanquam privata persona, tum probabilius nomine Ecclesiae, tanquam Ecclesiae minister. Ratio, quia conceditur fidelibus communicare cum illis, etiam in divinis. Pro *excommunicato* autem *vitando* licite adhuc potest sacerdos missam offerre nomine proprio; minime vero nomine Ecclesiae. — La-Croix 33., L. 308. 309., S. Th. 4. D. 12. q. 2. a. 2. q. 2. ad 4., E. M.

611. *Quotuplex sit fructus sacrificii missae?* — Fructus sacrificii missae tripliciter considerari potest: 1.° ex parte *causae*, 2.° ex parte ipsius *boni*, quod est obtinendum per missam, 3.° ex parte *personae*, cui tale bonum obtinetur, seu cui applicatur missa. — Ex parte *causae*, alius est *ex opere operantis*, qui nempe confertur intuitu orationis, devotionis et meriti celebrantis; alius *ex opere operato*, qui confertur intuitu meritorum Christi, et vi eius promissionis. Ex hoc fit ut sacrificium oblatum a sancto sacerdote, quatenus consideratur *ex opere operato*, non prosit magis, quam si ab indigno ministro offerretur; quia sacrificium, sic spectatum, est opus Christi, et solum a meritis Christi fructus dimanat. Quare hoc sensu recte dici potest, missam mali sacerdotis tanti valere, quanti valet missa boni sacerdotis. Secus vero dicendum, si attendatur meritum *ex opere operantis;* quo enim dignior est sacerdos et maiori devotione praeditus, dum ritus et orationes Ecclesiae peragit, tanto maior missae fructus evadit. Verum sacerdos sacrificium offert, gerens *personam totius Ecclesiae;* siquidem « consecrat eucharistiam, quae est sacramentum totius Ecclesiae ». S. Th. S. q. 37. a. 4. ad 2. Et sic sub nomine *ministri* celebrantis etiam venit Ecclesia, quatenus per ministrum ipsa offert « Unde infero, ait Suarez D. 79. S. 2. *Dico* III., hunc valorem (ab Ecclesia procedentem) melius dici *ex opere operantis*, ut loquuntur Cordoba, etc. quam *ex opere operato*, ut loquuntur Scotus etc.... Atque hinc infertur hunc valorem posse crescere et minui, quo in Ecclesia fuerint Sanctiores ».

Ex parte *rei*, alius est *meritorius*, meritum nempe quod inde habetur, alius est *propitiatorius*, et est remissio peccatorum, haud quidem per se et immediate, sed per impetrationem auxilii ad poenitentiam, qua peccata remittuntur, Trid. S. 22. C. 2., alius est *satisfactorius* vel *expiatorius*, quatenus per se immediate remittit poenas peccatorum hominibus iustis, pro quibus offertur, tum in hac vita, tum in Purgatorio, Trid. S. 25. C. 1., alius tandem est *impetratorius* et est primo impetratio auxiliorum ad perficiendos actus, quibus augetur in nobis gratia sanctificans; est praeterea impetratio aliorum bonorum spiritualium, et etiam temporalium, Trid. S. 22. C. 2.

Ex parte *subiecti*, seu eorum quibus applicatur, alius est *generalis*, alius *specialis*, alius *specialissimus*. — *Fructus generalis* ille est, qui respondet sacrificio, quatenus est opus positum a sacerdote, prouti operatur nomine totius Ecclesiae. Trid. S. 22. C. 6. Et omnes quidem fideles, quamvis sacerdos de eis non cogitet, hunc fructum percipiunt; sed ipsis tribuitur per modum impetrationis tantum, prout propitiationem etiam

impetratio complectitur; non vero, ut videtur, per modum satisfactionis, quia ex millenis sacrificiis, quae quotidie offeruntur, quivis iustus, etiam inscius, immensae poenae remissionem consequeretur, quod incredibile apparet. De fructu hoc generali, abundantiori seu specialiori modo participant adstantes sacrificio, et a fortiori ad illud cooperantes, v. g., sacerdoti inservientes, etc. Iste autem fructus, utpote *ex opere operantis*, eo uberior est, quo maior est devotio et sanctitas assistentium et cooperantium. Trid. S. 22. C. 6. Hinc licet plures missam audiant, vel ei ministrent, quisque totum fructum suae devotioni proportionatum percipiet, haud secus ac si solus esset audiens vel ministrans. Cum autem, uti ex Offertorio constat, pro animabus quoque offeratur in Purgatorio exsistentibus, fructus his satisfactorius applicatur ex oblatione Ecclesiae sacrificii missae etiam pro ipsis. — *Fructus specialis* est ille, qui advenit ei vel illis, quibus sacerdos specialiter sacrificium applicat. Hi *ex opere operato* participant de sacrificio, ut est impetratorium, et propitiatorium; immo etiam, modo nihil obstet, ut est satisfactorium. — *Fructus specialissimus* ille est, qui obvenit sacerdoti offerenti, quatenus est persona privata offerens. Si enim cooperatores quilibet e sacrificio suum percipiunt fructum omnino specialem, multo magis hunc percipere debet sacerdos, qui sacrificat. An vero hunc fructum applicare aliis sacerdos possit, incertum est. Illud tamen certum est, non posse sacerdotem fructum hunc specialissimum ita alteri applicare, ut aliud hinc stipendium recipiat; quod tamen intellige, nisi hoc ipsum, cum consensu dantis aliud stipendium, fiat. — Lugo D. 19., Suarez D. 79., L. 311. 312., S. Th. 3. p. q. 82. a. 6., E. M.

612. *An missa de Requiem magis prosit defunctis, quam missa de Sanctis?* — R. Negative quoad substantiam, seu *ex parte sacrificii;* quoad accidentalia utique, seu *ex parte orationum*, quarum defectum devotio supplere potest. — L. 309., S. Th. S. q. 71. a. 9., E. M.

613. *An valor et fructus sacrificii missae sit infinitus?* — « Notandum, alium esse *valorem*, alium *fructum* missae. *Valor* est *efficacia* illa, quam habet missa ex dignitate offerentis, et rei oblatae, ad conferenda bona offerenti, et iis pro quibus offertur. *Fructus* autem sunt *bona* ipsa, quae intuitu sacrificii Deus confert. Unde *valor* a *fructu* differt, velut *causa* ab *effectu* ». L. 312. Quare fructus hic sumitur pro fructu, qui *actu* percipiatur. — Porro nullum dubium est, quod *valor* missae, uti *valor* sacrificii Crucis, sit vere infinitus, cum ipse Christus sit hostia et offerens nunc sacerdotum ministerio, Trid. S. 22. c. 2. Unde missa *causare potest* et *intensive* fructum semper maiorem, secundum quod quis plus egeat, et melius sit dispositus, et *extensive* quatenus infinitis hominibus prodesse possit, quin quidquam singulis detrahatur, sive pro uno tantum, sive pro pluribus et omnibus applicetur.

Disputatur de fructu *actu percepto*, quantum reapse quis capiat. — *Prima sententia*, S. Alphonso probabilior, tenet, hunc fructum esse infinitum, seu potius indefinitum, seu indefinite percipiendum, tum *intensive* quatenus minor vel maior reapse percipiatur, secundum mensuram dispositionis hominis; tum *extensive*, quatenus ita uni reapse prosit ac pluribus. Quare, si hic fructus, actu deinde perceptus, semper finitus est, id sane non est, quia ex divina institutione non nisi tantus fructus et non maior sit percipiendus, sed id est tantum ex finita capacitate hominum

pro quibus offertur, quorum unusquisque uberiorem percipit fructum iuxta suam et offerentis dispositionem; semper vero missa aeque prodest singulis, pluribus applicata, ac si uni applicetur. Huius sententiae ratio est, quia sacrificium eucharisticum a sacrificio Crucis non differt, nisi tantum diversa offerendi ratione. Ergo, ut sacrificium Crucis operatur ad modum causae universalis supernaturalis iuxta subiectorum capacitatem, ita etiam sacrificium eucharisticum. Et pro hac sententia affirmat S. Alph. *clare* esse S. Th. 3. p. q. 79. a. 5. — *Altera sententia*, quam idem S. Alph. probabilem appellat, tenet, quod fructus actu percipiendus sit finitus, ex ipsa institutione huius sacrificii, quia nempe fuit a Christo determinatus certus gradus, et ideo quanto in plures ille distribuitur, tanto minor singulis obvenit. Ratio huius sententiae desumitur ex usu et sensu Ecclesiae, dum missae pro una eademque re repetuntur et multiplicantur, quod signum est non habere indefinitum effectum, sed certum et limitatum ex Christi voluntate. Et huic sententiae favere videtur S. Th. 4. D. 45. q. 2. a. 4. q. 2. ad 2. — Suarez D. 79. S. 11. 12.

614. *An ad sacrificii fructum percipiendum necessaria sit missae applicatio?* — Applicatio missae est intentio, qua sacerdos vult, ut sacrificii fructus in utilitatem cedat certae personae. — Porro non requiritur sacerdotis applicatio, ut pars *fructus generalis* percipiatur; sed sufficit, ut ipse velit celebrare iuxta mentem Ecclesiae: semper enim implicite talis applicatio in intentione generali celebrantis includitur. Item ut ipsi sacerdoti fructus specialissimus proveniat, necesse non est, ut eum sibi specialiter applicare velit; hic enim ipsi per se semper applicatur. Imo sunt, qui fructum hunc ita putant illius esse proprium, ut alteri applicari non possit. L. 318. — Requiritur autem applicatio sacerdotis, ut *fructus specialis* seu ministerialis alicui obveniat. Sacerdos enim et quidem solus personam Christi gerit; ergo sicut ipse solus in persona Christi sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum eiusdem applicat. — Sacerdos, licet nemini missam celebrare promiserit, aliquam applicationem fructus specialis sacrificii facere debet. Ratio est, 1.° quia in sua ordinatione accepit ex Christi institutione potestatem sacrificium conficiendi, et consequenter eius fructum applicandi; remaneret autem inutilis illa potestas, si sacerdos ea non uteretur. 2.° Si nulla fiat applicatio, non est ratio, cur uni prosit magis, quam alteri: idcirco fructus non applicatus remanet in thesauro generali Ecclesiae, et proinde minus utilis evadit. « Si nulli applicetur, vel incapaci, fructus manet in thesauro Ecclesiae, ut docet Suarez, vel cedit ipsi sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur specialiter offerre, quod ita implicite censeatur intendisse ». Busemb. ap. S. Alph. 336., Suarez D. 78. S. 5., Lugo D. 9. S. 10., E. M.

615. *Quandonam facienda est applicatio fructus missae?* — Facienda est saltem *ante consecrationem*. Etenim non valet applicatio missae *post utramque consecrationem* facta. Ratio est, quia iam perfectum est sacrificium: et offerri amplius non potest ad aliquem determinatum finem, actio praeterita iam facta ad unum finem, vel ad nullum finem. Intelligi enim non potest actio praeterita facta ad aliquem finem in genere, vel ad finem postea determinatum. Valet autem applicatio facta *ante consecrationem*, licet melius sit eam facere ante missam, vel in principio missae. Ratio est, quia cum sacrificium in consecratione, in eaque sola

situm sit, bene ante consecrationem offerri potest. Immo, iuxta plures, valet etiam *probabiliter* applicatio *inter utramque consecrationem.* Ratio, quia sacrificium consecratione calicis perficitur, et consequenter sacerdos dicitur tunc sacrificare, adeoque ante calicis consecrationem adhuc sacrificium applicare potest. — Tambur. Meth. celebr. Miss. C. 2. § 10., L. 336.

616. *An applicatio fructus missae debeat esse actualis?* — R. Negative; sed sufficit, ut sit *habitualis,* scilicet ut semel facta non retractetur. Ratio est, quia applicatio ista fit per modum donationis, adeoque per intentionem semel habitam sacerdos iam donavit fructum sacrificii sui, et proinde ei, cui donavit, debetur, et cum missa celebratur, eidem obvenit nisi donatio revocetur. — L. 335.

617. *Si sacerdos acceperit stipendia a 10. personis, an satisfaciat celebrando cum intentione confusa et indeterminata?* — R. Negative omnino; quia requiritur intentio determinata saltem ad certam personam; alioquin nulla est ratio, cur uni potius quam alteri missa applicetur, et sic nulli applicaretur. Attamen, si quamlibet missam intenderet applicare decem illis personis, singulis decimam partem cuiuslibet missae applicando, obligationi satisfaceret; quia fructus sacrificii est divisibilis, et unicuique tribuitur, quod ei debetur; unusquisque enim in singulis decem missis decimam fructus partem percipiens, facto decimo sacro, iam totum sibi debitum fructum est adeptus, vel etiam integrum fructum a singulis decem missis percipiet. — L. 335.

618. *Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia a multis ignotis dantur, ut in piis peregrinationibus evenire solet?* — Intentio facienda est pro iis, qui priora dederunt stipendia. Hoc facile succedit, quando idem sacerdos omnibus obligationibus est satisfacturus; nec obest, quod ipse partem celebrandarum missarum aliis sacerdotibus forte distribuat: quia illas eodem ordine, quo accepit, distribuere potest; et sic sufficienter applicatio determinata videtur. Sic etiam sacrista vel alius qui multa stipendia a diversis collegit, et pecuniam confusam pluribus sacerdotibus distribuit, eodem ordine successive distribuere potest; neque saepe aliud moraliter fieri potest, quam ut distributio et applicatio fiat iuxta ordinem temporis, *ad intentionem dantis,* iuxta axioma: Qui prior tempore, potior iure; nempe nisi gravior adsit causa hunc ordinem interrumpendi, e. g. si ideo maius detur stipendium, ne sacrum differatur, etc. Immo nec necessarium est, ut sacerdos ad hoc *explicite* attendat; siquidem sic velle agere censetur, cum id expostulet naturalis aequitas.

619. *An valeat applicatio facta vivo, quem credis mortuum, si tantum pro eo iam mortuo celebrare debuisses?* — R. Negative. Ratio est, quia obligatio cadit in applicationem defuncto faciendam, ad eius animam a poenis Purgatorii sublevandam; finis autem ille non obtinetur, dum pro vivo sacrificium offertur. Neque valet quod satisfactorius sacrificii fructus etiam vivo prodesse possit, et a Purgatorii poenis eximere; nec quod vivus capax sit et particeps etiam fiat eorum quoque fructuum, quorum capaces mortui non sunt. Obstat enim voluntas dantis eleemosynam, qui *non sibi vivo,* sed *sibi mortuo* vult missam applicari.

620. *An valida sit applicatio missae pro priore stipendium erogaturo?* — Oblatio facta pro priore stipendium erogaturo, est *per se valida,* sed

illicita, utpote prohibita a Clem. VIII. 15. Nov. 1605. Sed saepe etiam invalida est talis missae applicatio, quia saepe accidit, ut missa dicatur pro causa non adhuc exsistente, v. g., si stipendium offerens postulaturus sit missam pro liberatione ab infirmitate, quae nondum contracta est; effectus enim missae deberet remanere suspensus, quod admitti nequit. Attamen « si sacerdos praevideat, quod postulabuntur missae pro aliquo defuncto, bene potest eas nunc offerre, et deinde stipendium percipere, quia hoc casu iam offerrentur pro persona determinata ». L. 337.

621. *An in applicatione missarum liceat dividere fructus sacrificii, eosque pro variis finibus et personis applicare?* — R. Negative, si quis, obligatione *ex iustitia,* debeat alteri missam applicare. Ille enim semper censetur petere pro se totum fructum sacrificii. Neque vero certo constat sacrum, pro pluribus oblatum, tantum singulis prodesse, quantum pro uno solo applicatum. Quare non potest quis duplicatum vel triplicatum stipendium accipere pro una eademque missa. Idque constat etiam ex pr. 8.ª 10.ª dd. ab Alex. VII. — Quoad missas vero omnino *liberas,* quas nempe celebrans pro nemine tenetur applicare; vel quas ex sola fidelitate et liberali promissione; vel ex sola obedientia, seu mandato superioris, aut statuto ordinis, licet dividere fructus, latreuticum nempe, eucharisticum, propitiatorium, impetratorium, satisfactorium. Ratio in 1.° casu est, quia missa hos omnes habet fructus, celebrans autem potestatem habet applicandi fructus sacrificii, qui cum ad diversos fines tendant, pro variis istis finibus applicari possunt. Ratio in 2.° casu est, quia omnis liberalis promissio intelligitur semper promittenti quam minime onerosa. Hinc potest etiam quis unum idemque sacrificium pro pluribus applicare, iuxta sententiam de indefinita applicatione fructus sacrificii missae, si gratuita tantum promissione, ac nullo iustitiae titulo adstringatur. Ratio in 3.° casu est, quia omnis obligatio legis vel praecepti non est extendenda ultra finem legis. Hinc, si, e. g., superior missam praecipiat pro aliis, quam pro defunctis, applicatio ad liberandam animam libera sacerdoti manet, ut S. Franciscus Borgia Praepos. Gener. Soc. Jesu pro suis subditis declaravit a. 1654. — E. M.

VI. — DE OBLIGATIONE APPLICANDI MISSAM

622. *An habeatur obligatio missam pro alio applicandi?* — R. Affirmative; ea enim habetur 1.° ex ipso Iure, pro Episcopis, Parochis, Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum; 2.° ex testatorum voluntate, pro beneficiatis, capellanis, haeredibus, legatariis, etc.; 3.° ex pacto, accepto stipendio, vel ex gratuita promissione. Et hae missae *manuales* solent appellari, ut ab aliis *fundatis,* ex fundatione debitis, distinguantur. L. 314.-317. Simoniacum autem non est stipendium pro missa accipere; nam « sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis eucharistiae... (hoc enim esset simoniacum), sed quasi stipendium suae sustentationis ». S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. Nihilominus etiam sacerdotes divites stipendium accipere possunt, « tum quia hodie permittitur a consuetudine universalis Ecclesiae, tum quia quisque operarius, sive dives, sive pauper, dignus est mercede sua ». L. 317. Et favet S. Th. Quodl. 6. a. 10. — E. M.

623. *An simoniae reus sit sacerdos, qui praecipue intuitu stipendii celebret?* — R. Negative *per se*, nisi nempe stipendium ut verum sacrificii missae pretium habeat. Verum a peccato excusari non potest, cum odiosum maxime ac probrosum sit, quod sacro ministerio pecuniae lucrandae causa quis abutatur. Attamen non peccat sacerdos, qui *accessorie* celebret intuitu retributionis accipiendae, praesertim si ipsi necessaria sit. Nec *per se* ulla labe maculatur, qui accepto stipendio ad celebrandum determinatur, licet alias sacrum fuisset omissurus; tunc enim non ratione stipendii, sed obligationis adimplendae movetur. E. M.

624. *An obligatio applicandi missam sit gravis?* — R. Affirmative, si ea *ex iure*, vel *decedentium voluntate*, vel *ex pacto*, accepto stipendio, procedat. Materia enim est gravis, siquidem magno fructu alter privatur. Hinc tenetur quis ad restitutionem. L. 315. — Si stipendium acceptum *non sit materia gravis*, alii negant esse grave, alii probabilius affirmant, quia, stante pacto ex iustitia, alteri semper grave damnum iniuste infertur. Accedit grave Ecclesiae praeceptum hac in re, ut satis superque constat ex tot editis Constitutionibus et Decretis. Idque confirmatur ex communi hac in re aestimatione; nam stipendium pro missis taxatum unius vel duarum libellarum materia in se gravis non est, et tamen omnes, qui debitas ex ordinario stipendio missas non celebrant, credunt graviter peccare, et ad restitutionem teneri. L. 317. Idque valet, licet quis exigua acceptaverit stipendia sciens volens, nisi tam exigua sint, ut gratis promisisse videatur. Innoc. XII. C. *Nuper*, L. 320. — Si missa debeatur *ex simplici promissione*, grave non est illam omittere, quia simplex promissio non obligat sub gravi. L. 317. — « Omnes autem conveniunt peccare graviter, qui omittit missam debitam *ex voto*, aut *praecepto praelati*, quia nemo dubitare potest hanc esse materiam gravem in voto vel praecepto ». L. 317. Attamen, si religiosus scienter sacrum applicet contra voluntatem superioris, valida erit applicatio. Ratio est, quia applicatio missae est actus potestatis ordinis. Atqui actus potestatis ordinis a superioris facultate minime pendet. Ergo, ut intentio conficiendi sacramenta, ita applicatio sacri invalida fieri nequit per superioris voluntatem. L. 334.

Seclusa aliunde *personali obligatione* celebrandi et applicandi missam, illud communiter loquendo non interest, utrum per se an per alium quis celebret, dummodo missa loco et tempore debitis celebretur, et alteri collato integro, et non minori, stipendio, accepto ex *solo* titulo celebrationis, pr. 9.ª d. ab Alex. VII.; quod locum habet tantum in missis *manualibus*, quae non dantur intuitu personae, sed intuitu missae celebrandae. Idque ut omne turpe lucrum removeatur. Innoc. XII. C. *Nuper*, Bened. XIV. Enc. *Quanta cura*, L. 321. Quare sacrilegii et iniustitiae reus est quisquis detrahit partem stipendii, et ad restitutionem erga celebrantem tenetur, licet illa pars modica sit, et in usum pium impendatur, nisi alter omnino sponte, adeoque non rogatus, excessum remiserit. Bened. XIV. Enc. *Quanta cura*, prop. 9.ª d. ab Alex. VII., L. 321. 322. — Quin immo graviter quis peccat, regulariter loquendo, non tantum si missam omittat, verum etiam si eam non celebret intra definitum tempus; vel, si nullum sit determinatum, infra *modicum tempus;* i. e. pro defunctis infra unum mensem, pro vivis infra duos menses; nisi dans eleemosynam dilationi consentiat. Innoc. C. *Nuper* Ad 11. L. 317. Tempore designato elapso, adhuc poterit

tunc celebrare, licet iam peccaverit, nisi causa celebrationis cessaverit: tunc enim ad restitutionem tenetur, etiamsi postea celebret. L. 317. — Grave item est, si quis loco praescripto non celebret, et locus, ex gravi causa, per se intendatur. Restituere tamen stipendium non debet, qui, accepto stipendio ad missam in altari privilegiato celebrandam, eam in alio altari celebravit, facta proportionata compensatione, lucrando deinde indulgentiam plenariam, defunctis applicabilem. L. 328. 329. — E. M.

625. *Resolves:* Integrum stipendium alteri celebranti tradendum non est, si alio titulo, et intuitu personae, quis pinguius receperit stipendium, e. g.: 1.° Si ratione beneficii missa sit celebranda. Innoc. XII. l. c. — 2.° Ratione capellaniae. S. C. C. 15. Mart. 1745. A. S. S. V. 8. p. 79. — 3.° Ratione legati alicui ad vitam relicti. L. 321. — 4.° Ratione muneris parochialis. S. C. C. 25. Jul. 1874. A. S. S. V. 8. p. 84. — 5.° Ratione specialis obligationis et oneris suscepti. A. S. S. V. 4. p. 40. — 6.° Ratione paupertatis sacerdotis, amicitiae, consanguinitatis, etc. L. 321.; dummodo haec dantis intentio certo moraliter constet. S. C. C. 25. Jul. 1874. A. S. S. V. 8. p. 94. — E. M.

626. *Quantum pro stipendio missarum liceat accipere?* — Accipere licet stipendium *lege* dioecesana, vel *consuetudine* determinatum. Trid. S. 22. *Decr. de observ.*, etc. — Non licet exigere *maius* stipendium, nisi ex iusta causa, e. g., extraordinarii alicuius laboris: neque licet *minus* accipere, si id ab Ordinario prohibitum sit. S. C. C. 16. Jul. 1689., A. S. S. V. 3. p. 558. Hoc tamen non impedit, quominus quis ex alio titulo, ex caritate vel amicitia, stipendium minus admittere possit, uti etiam stipendium maius ex mera dantis liberalitate. — Taxa dioecesana tenentur etiam Regulares, S. C. C. 16. Jan. 1639., eamque servare debent haeredes illorum, qui missas reliquerint, nulla determinata eleemosyna. Innoc. XII. C. *Nuper* par. V. *Posito.* — « Si ultra eleemosynam ab episcopo taxatam plus sacerdos celebraturus *exigat*, non solum delinquit contra legem Ecclesiae, verum etiam *iustitiam commutativam* laedit ». Bened. XIV. de Sacrif. Miss. l. 3. c. 21. n. 13. — Trid. S. 25. C. 4. 5. de R., L. 319. 320., E. M.

627. *An liceat missarum stipendia colligere, ut aliis deinde missae celebrandae tradantur?* — R. Si fiat *lucri causa*, id vetitum est, praesertim mercatoribus et bibliopolis, ut a sanctitate tanti sacrificii omnis turpis lucri occasio, species, suspicio, removeatur, quamvis collectores eas deinde celebrari curent per sacerdotes pauperes, datis, loco stipendii, libris, diariis religiosis et piis, etc., vel impendant in pios usus lucrum quod capitur ex permutatione librorum aut mercium cum eleemosynis. Si id *causa lucri* non fiat, res est saepe periculosa; quia saepe huiusmodi missae statuto tempore, loco, etc. debent celebrari. Hinc graviter collectores peccant, et illi quoque, qui eis stipendia conferunt, vel ab eis accipiunt, utpote complices. Insuper collectores furti rei sunt, si quidpiam sibi detrahant, praeter iustum pretium officii et laboris. Bened. XIV. C. *Quanta cura*, S. C. C. 9. Sept. 1874., 24. Apr. 1875., L. 332. — Non est illicitum merces, diaria, libros, pro missarum applicatione concedere, adeoque nec clericis eos comparare illicitum est, eoque magis licet scriptoribus librorum, vel ephemeridum moderatoribus, quibus huius rei causa missae sponte traduntur, sua diaria aut libros sic distrahere, et sacer-

dotibus ea comparare; nec licet episcopis id vetare: dummodo 1.° missae celebrentur, 2.° absit quodlibet negotiationis vel mercaturae genus relative ad missas celebrandas, 3.° nihil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis missarum, 4.° dato cui de iure testimonio de secuta missarum celebratione, 5.° tandem, exclusa quacumque studiosa collectione missarum. Quare peccat qui libros, etiam religiosos et pios *minoris emit*, applicatione missarum, eos *iusto stipendio, sed maiori*, pecunia, dein venditurus; vel *minoris emit*, pecunia, eos iusto stipendio sed maiori, missarum applicatione, venditurus. S. Poenit. 6. Oct. 1862., 19. Nov. 1863., S. C. C. 24. Apr. 1857., 31. Aug. 1874., 24. Apr. 31. Aug. 1875., L. 322. — E. M.

628. *An sacerdos, cui offertur pingue stipendium pro hodierna missa, possit, hoc retento, rogare alium sacerdotem, ut celebret pro ipso, promittens celebrare die sequenti pro eodem, qui pro ordinaria eleemosyna est celebraturus?* — R. Negative, si id fiat saepe, vel ex industria, studiosa nempe captatione pinguioris stipendii. Id enim prae se fert speciem quandam negotiationis, et turpis lucri occasione missarum. Confirmatur ex S. C. C. 6. Maii 1865. A. S. S. V. 2. p. 203., V. 3. p. 98. — Si agatur de occurrente quodam casu, controvertitur. « Recte, ait S. Alph. 322., negat Conc., quia hoc non posset excusari a specie turpis mercimonii, merito tamen id non audet damnare de peccato gravi... Affirmant La-Croix et Mazzot., quia hoc non esset retinere partem pretii, quod Pontifex damnavit, sed tantum permutare missas et dies ». Posterior haec sententia rationis soliditate et pondere auctoritatis probabilis omnino est, et communissima piorum sacerdotum praxi comprobatur. Excipe tamen, si dans eleemosynam sit rationabiliter graviter invitus, quod missa per alium celebretur. L. 321.

629. *An obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto debeat legere missam de Requiem, quando ritus id permittit?* — R. Affirmative. Ratio est, quia ad indulgentias lucrandas id requiritur. Diebus vero, quibus prohibentur missae de Requiem, sacerdos lucratur indulgentias legendo missam diei, ut pluries a S. C. declaratum est. — L. 339., E. M.

630. *An obligatus ex stipendio ad legendam missam de Requiem, vel votivam, satisfaciat si aliam missam dicat?* — R. Affirmative. Ratio est, quia missa eadem est quoad substantiam; et, si adsit iusta ratio, nullum erit peccatum. Excipe, nisi qualitas missae stricte fuerit praescripta, propter peculiarem aliquam rationem. Hinc, si rubricae non permittant ea die legi missam vel de Requiem vel votivam, debet legi missa diei, et sic vere satisfit obligationi. Qui autem absque legitima ratione id facit, a peccato veniali excusari non potest; nec propria devotio ut ratio sufficiens habetur. — L. 328. 422., S. Th. 4. D. 45. q. 2. a. 3. q. 1. ad. 5., E. M.

631. *An stipendium percipi possit pro missa, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum celebranda?* — R. Affirmative. Ratio est, quia non omnes sacerdotes tenentur hac die missam applicare pro omnibus defunctis, immo nec celebrare obligantur. Possunt igitur missam applicare *ad libitum* vel pro omnibus defunctis in Purgatorio degentibus,

vel pro aliquibus tantummodo. S. R. C. 4. Aug. 1663. Hoc autem posito, nihil prorsus obest, quominus stipendium pro missa accipi possit. — L. 338.

632. *An sacerdotes Soc. J. stipendium missarum accipere possint?* — Sacerdos Societatis neque pro se neque pro alio stipendium missarum, quas legit, acceptare potest. Idem quoque asserendum est, si de aliis quibuslibet sacris ministeriis agatur. Constat ex Instituto Societatis, Epitome Inst. Soc. Iesu P. 2. C. 1. S. 6. n. 27., P. 4. C. 2. S. 1. n. 30. — Si pecunia pro missis offeratur sacerdoti Soc. vel Communitati, potest per superiorem admitti, non quidem cum rigorosa obligatione, sed cum promissione lata dicendi aliquas missas, vel etiam unam aut alteram singulis annis ex gratitudine. — Item potest pecunia accipi liberaliter, et vicissim liberaliter possunt promitti missae, ita tamen ut posterior promissio non sit velut compensatio, seu solutio reciproca quasi pro stipendiis, sed mero eleemosynae titulo pecunia admittatur; adeo ut offerens plane intelligat accipi non posse alio nomine, et hoc eodem ipse largiatur. — La-Croix l. 4. n. 136. seqq., l. 6. p. 2. n. 146.

633. *Resolves:* 1.° Sacerdos Soc. J., cui pecunia offertur pro missis legendis, potest dicere offerenti, se missas gratis lecturum ad ipsius intentionem, et vicissim *rogare* ipsum ut liberaliter applicare velit pecuniam oblatam ad hanc vel istam piam causam; sic offerens habebit duplicatum fructum: ordinarium scilicet missae, deinde cooperationis ad illam piam causam. — 2.° Titius sacerdos Soc. legere potest missas ad intentionem Sempronii sacerdotis saecularis, qui stipendia pro missis legendis acceperit, quando hic nec ea restituere possit, nec satisfacere pro omnibus missis; quia in istis circumstantiis Titius censetur gratis et ex pura caritate legere. — 3.° Si Titius sacerdos Soc. non recipiat quidem stipendium, attamen circa illud *disponat*, v. g., dicat Caio: da stipendium huic pauperi, et ego ad intentionem tuam legam sacrum; vel si dicat Sempronio: tu accepta stipendium, ego loco tuo sacrum legam; illicite agit, quia sic *disponendo* de stipendio per quemdam quasi-contractum tacitum, *facio ut des*, virtualiter accipit stipendium, illudque redonat alteri; quorum utrumque est contra votum paupertatis. — 4.° Si Paulus vir Soc. pro capellano ex fundatione obligato in canenda missa suppleat, minime peccat, quamvis capellanus suum proventum recipiat, quia ille de nulla re disponit. Idem dicendum est, si concionetur, aut aliud munus exerceat pro aliquo, qui inde consueta iura percipiat. — 5.° Si Sempronius parochus, accepto iam stipendio, *roget* Titium sacerdotem Soc. ut pro eo suppleat in missa legenda, Titius licite supplebit, modo nihil de stipendio *disponat.* Ratio est, quia stipendium a Titio, ne virtualiter quidem recipitur, cum nihil disponat circa illud, estque omnino indifferens illi, qui stipendium erogavit, a quolibet missa legatur. Confirmatur: Si Titius iturus Parisios in favorem Sempronii gratis ferret litteras, ad quas ferendas Sempronius esset mercede conductus, utique Titius non ageret contra paupertatem, nec censeretur sibi acquirere, et Sempronio donare illam mercedem. Ergo similiter in nostro casu. — La-Croix l. 4. n. 138. 139., l. 6. p. 2. n. 146.

634. *Quaenam sit obligatio in Soc. J. quoad missas et preces iniungi consuetas?* — Religiosi Socii, qui preces et missas praeceptas non per-

solvunt, *per se* loquendo, non peccant, quia non datur rigorosum praeceptum; non enim alia est obligatio, nisi ex regula, quae *per se* sub peccato non obligat. Attamen peccabunt superiores, si ex negligentia non curent, ut designentur qui missas celebrent, vel orent, praesertim pro benefactoribus et fundatoribus. Non satisfaciunt vero regulae, qui missas legendas per alios legunt, quia est onus *personale*. Attamen satisfacit rogans alium, ut vice sua hodie vel hac hebdomada celebret, alio ipse die vel alia hebdomada compensaturus. Item satisfaciunt, qui praevidentes difficultatem pro hebdomada sequenti, sacra in hebdomada, quae praecedit, anticipant. — Missae pro defunctis Soc. iniunctae sive determinentur per generales Ordinis Constitutiones, sive ex particularibus regulis, sive ex superiorum praescripto, non aliam inducunt obligationem quam simplicis regulae, aut simplicis ordinationis, adeoque neque sub gravi, neque sub levi *per se* obligant, excluso semper speciali praecepto. — Missae affixae tempori, v. g., quae legi debent qualibet hebdomada vel quolibet mense, si hoc tempore ob impedimentum vel morbum non potuerint celebrari, non necessario postea supplendae sunt, sed omitti possunt. E contrario si ex negligentia omissae sint, postea suppleri debent. La-Croix ib. n. 171. — Si Missae vel preces indicentur ad tempus indefinitum, satis est eas dicere ad duos vel tres menses. — La-Croix. l. 6. P. 2. n. 168. seqq., Pelliz. tom. 1. tract. 5. c. 9. n. 12., Suarez De Relig. Tr. 10. l. 8. c. 2. n. 5.

VII. — VARIA MISSAE ADIUNCTA

635. *Quibusnam diebus et quanam hora celebrare liceat?* — *Feria V. maior. hebd.* et *Sabb. Sancto* Conventualis tantum Missa celebrari permittitur. Ea Sabb. Sancto celebratur in parochialibus propter benedictionem fontis, ubi extat. Decr. Clem. XI. 15. Martii 1712., Bened. XIV. Not. 38. L. 350. Nihilominus ubi viget consuetudo, ut parochus his diebus celebret, toleranda est. Insuper in parochiis ruralibus, in quibus tres vel quatuor saltem clerici haberi nequeunt ad sanctas functiones feria VI. et Sabbato Sancto peragendas, parochi de licentia episcopi, quae pluribus in locis non quaeritur, quotannis impetranda, celebrare possunt missam lectam feria V. in Coena Dni., priusquam in Cathedrali vel Matrice conventualis incipiat. S. R. C. 28. Julii 1821. A. S. S. V. 1. p. 495. Et, si eo die inciderit festum de praecepto S. Josephi aut Virginis ab Angelo salutatae, vel principalis Patroni, licet tot missas celebrare quot erunt necessariae iussu et arbitrio episcopi. S. R. C. 27. Sept. 1716., 27. Sept. 1868. *Feria* vero *VI. maior. hebd.* omnino prohibitum est sub gravi celebrare. Hisce exceptis diebus quotidie celebrare permittitur. Decr. Clem. XI. 15. Mart. 1712., S. R. C. 13. Sept. 1692., 10. Jan. 1693., L. 349. 350.

Missa privata *quacumque hora* ab aurora usque ad meridiem dici potest. Rubr. Miss. Aurora computanda est ex temporum varietate. « Omnes autem conveniunt, quod nulla sit culpa missas terminare in aurora, et eas incipere parum ante meridiem; ratio, quia tempus tam aurorae, quam meridiei non mathematice, sed moraliter accipiendum ». L. 341. Pari modo privilegium celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem, intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non

privilegiatis assignatum: alioquin enim privilegium parum prodesset. L. 346. — S. Th. 3. p. q. 83. a. 2., E. M.

636. *An peccet graviter, qui celebrat ante auroram aut post meridiem?* — R. Affirmative, si *multum* praeveniat, aut protrahat tempus ab Ecclesia statutum; secus vero, si mutatio sit levis; immo si iusta adsit causa, omni culpa vacabit. Qualis autem censeatur immutatio notabilis? controvertitur. Iuxta communiorem et probabiliorem sententiam gravis non habetur, nisi celebratio *hora* integra ante vel post tempus statutum incipiatur. L. 343. 346.

637. *Quandonam liceat tempus celebrationis antevertere vel protrahere?* — Licet antevertere: 1.° In necessitate, v. g., ut morituro ministretur viaticum, quo casu liceret etiam media nocte celebrare. 2.° Ubi est mos rationabilis, v. g. ut opifices et famuli summo mane possint sacrum audire. 3.° Vi privilegii Papae vel episcopi venia. L. 343. — Licet protrahere: « 1.° Post missam solemnem in festivitate, si solemnis protrahatur ad horam et amplius post meridiem, immo probabiliter etiam post duas horas..., ne magna pars populi missa careat. 2.° Ex causa itineris per horam post meridiem vel ante auroram. 3.° Sic etiam causa funeris alicuius magnatis, vel concionis, vel publicae supplicationis. 4.° Si episcopus dispenset in aliquo casu particulari ex rationabili causa. Et recte dicit La-Croix, eamdem facultatem habere omnes superiores, secluso privilegio, erga suos religiosos, cum sint eorum Ordinarii ». L. 344.

638. *An et quibusnam conditionibus liceat missam saepius in die celebrare?* — Extra *verae necessitatis* casum missam iterare non licet. Excipe diem *Nativitatis Dni.*, et, ubi privilegium concessum est, diem *Commer. omn. defunctor.* C. *Consuluisti* 3. *de Celebrat. missar.* Nemo autem nocte Nativitatis, ne parochus quidem tenetur celebrare tres missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere. L. 351. *Necessitas* est, si pastor ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, et suam iam hostiam sumpserit, nec alius sacerdos ieiunus reperiatur, quod tamen vix practicum est, L. 352. *Necessitas* magis practice est, ne plures amittant sacrum die festo, v. g., si unus parochus duas regat dissitas paroecias, si pars populi ob locorum distantiam ad eandem ecclesiam, vel ob angustiam ecclesiae ad eandem missam convenire non possit. — *Necessitas* haec duas missas celebrandi agnoscenda est ab episcopo, iuxta ea quae habet Bened. XIV. C. *Declarasti* 16. Mart. 1746., de Sacrif. miss. l. 3. c. 5. 6., et ab episcopo licentia danda est. Qua vero distantia opus sit, quove fidelium numero, ut missa possit iterari, Ordinarii arbitrio relinquitur. Et si uno lapide distent, aut viginti sint, qui alias Ecclesiae praecepto non satisfacerent, permittere poterit, immo debet. S. C. C. 31. Jul. 1851., 12. Jan. 1847. — Parochus tenetur *secundam missam pro populo*, sicut primam, *nullo accepto stipendio*, diebus festis applicare in parochiis unitis, excepto casu, in quo parochiarum unio talis sit, ex qua unica prorsus parochia exsurgat. Quare parochus regens duas parochias, et ideo bis celebrans utrique parochiae suam missam applicare tenetur. E contra parochus, bis celebrans in una eademque parochia, non nisi unam missam *pro populo* applicare tenetur. — Celebrans, cum iterum celebrat *ieiunus* esse debet. Nunquam recipi potest *eleemosyna* pro secunda missa celebranda, etiam

ad pias causas, et quicumque sit, qui eam celebret, neque ad hanc eleemosynam recipiendam allegari potest titulus egestatis seu defectus redituum. Verum, si quid incommodi sentiat, mercedem *ob id* exigere non prohibetur. S. C. C. 23. Mart. 1861., 22. Febr. 1862. — S. Th. 3. p. q. 83. a. 2. ad 5., Suarez D. 83. S. 3., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 14., E. M.

639. *Quonam in loco liceat celebrare?* — Non licet communiter celebrare, nisi in *Ecclesia*, eaque consecrata vel saltem benedicta, quae non sit polluta, exsecrata aut interdicta; et super *altari*, non exsecrato. Sub gravi sacrilegio requiritur altare *consecratum*, stabile vel portatile. Trid. S. 22. Decr. *de Observ.*, etc. L. 373. « In Ecclesia *interius* violata, *nisi* prius *reconcilietur*, non licebit sub gravi peccato, nisi in necessitate, cum venia episcopi, si is adiri possit, alioquin sine ea, celebrare, aut mortuos sepelire. Necessitas autem sufficiens censetur, si populus non habet aliam Ecclesiam, ubi missam audiat. Si vero Ecclesia polluatur incepto Canone, sacerdos utique missam prosequi debet ». L. 361. — *Sub dio* missam celebrare grave est, nisi ex graviori necessitate, et de licentia Ordinarii, si possit peti, v. g., si Ecclesia collapsa fuerit, vel si in solemni festo non capiat eos qui convenerunt. C. 11. *de Consecr.*, Rubr. Miss., Lugo D. 20. n. 48., L. 356. — Episcopus non potest amplius, ut olim, concedere facultatem celebrandi *in domibus privatorum*, neque in oratorio privato. Trid. S. 22. Decr. *de Observ.* Constat etiam ex S. C. C. 27. Maii 1617., 23. Jan. 1847. in qua dicitur: non licere ulli episcopo huiusmodi licentias concedere, ne pro actu quidem transeunte; hanc facultatem esse soli Rom. Pontifici reservatam. Excipitur tamen, si graves adsint causae et urgentes, et per modum actus transeuntis tantum. S. C. C. 27. Maii 1617., 7. Iul. 1855., 20. Dec. 1856. L. 359. — Potest quidem episcopus facultatem concedere sacrum faciendi *in oratoriis publicis*, et ibi peragendi ceteras functiones sacras, quae non sunt stricte parochiales. — S. Th. 3. p. q. 83. a. 3., E. M.

640. *In quibusnam oratoriis episcopi possint dare licentiam celebrandi?* — Permittere possunt, ut id fiat in omni loco *religioso* et *pio*. Locus autem *religiosus* ille dicitur, in quo religionis, pietatis et misericordiae opera exercentur, et episcopi aut alterius praesulis ecclesiastici auctoritate erectus est. Talia sunt monasteria, quaelibet religiosae communitates, seminaria, etc. Locus vero *pius* ille vocatur, qui ad pietatis et misericordiae opera constituitur, et deputatur, etiam sine episcopi aut ecclesiastici praesulis auctoritate. Unde hospitatalia et orphanotrophia quaelibet haberi debent ut loca pia, in quibus proinde episcopus permittere potest erectionem oratorii, etiamsi eiusmodi loca a potestate civili erecta et constituta fuerint. Adde et oratoria in carceribus erigenda. — Potest in hisce oratoriis celebrari *ianuis clausis;* neque opus est, ut quatuor muris oratorium ab aliis locis separetur, sed potest pro quarto muro aptari tela, quae aperiatur in commoditatem audientium missam. — Trid. S. 22. Decr. *de Observ.* etc., S. C. C. 27. Martii 1847., L. 357.

641. *Quomodo ecclesia polluatur, et quomodo reconciliari debeat?* — R. ad 1.um *Polluitur*, seu violatur, ecclesia, quando in ea exercentur actiones quaedam turpes vel indecentes et loco sacro iniuriosae, ob quas indecens reputatur, ut ibi offeratur Hostia immaculata, et divina officia

celebrentur donec reconcilietur. Polluitur itaque Ecclesia: 1.° per *homicidium*, voluntarium, mortaliter malum, seu iniuriosum saltem immunitati ecclesiasticae. 2.° Per *effusionem sanguinis humani* ex percussione, aut vulnere graviter iniurioso. 3.° Per *illicitam effusionem humani seminis* voluntariam. 4.° Per *sepulturam non baptizati*, seu *infidelis.* Excipe probabilius, si sit cathecumenus; quia non censetur infidelis. Item, si sit infans, cuius parentes sint christiani, quia tunc parentes pro ipso baptismum desiderant. Ita Pichler, Gousset 310. contra alios. 5.° Per *sepulturam excommunicati vitandi.* — Sed, ut Ecclesia censeatur polluta, haec crimina debent esse *notoria*, ita ut nullo modo celari possint. Debent etiam patrari in ipsa ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, sacristia, aliisve locis Ecclesiae adhaerentibus. — C. 19. 20. 27. *de Consecr.* D. 1., C. 4. 7. 10. *de Consecr.* etc., C. un. h. t. in 6.°, C. 5. *de Adulter.*, L. 362. 364.

« *Nota* τό sanguinis effusionem, quae copiam significat.... Unde non violat si ex percussione vel vulnere levi, v. g. narium in rixa puerorum, etiamsi copiosus sanguis effluat, quia in hoc communiter non adest peccatum mortale ». L. 385. — Non polluitur ecclesia « per desolationem, exercitium haereticum, spurcitias hominum, vel animalium isthic stabulatorum, etc., etsi deceat et praxis habeat, ut per episcopum, vel saltem sacerdotem, cum aliqua caeremonia reconcilietur et abluatur, quod in simili casu intellige de altari ». L. 367.

Ad 2.um 1.° Si ecclesia fuit tantum *benedicta*, reconciliari potest a sacerdote, delegato ab episcopo, cum orationibus consuetis, et cum aqua benedicta. « Aqua autem potest benedici ab ipso sacerdote. S. R. C. 20. Iun. 1622. Immo Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 15. n. 2. ait: « Si ecclesia simpliciter benedicta fuerit, tunc idem Gregor. IX. in C. *Si ecclesia de Consecr. eccl.*, statuit, nulla praeobtenta delegatione, per simplicem sacerdotem, adhibita aqua benedicta, quam sanctam sive lustralem vocant, posse ecclesiam pollutam reconciliari ». — 2.° Si vero ecclesia illa fuerit *consecrata*, reconciliari debet ab ipso episcopo, vel a sacerdote delegato a Papa iuxta ritum Pontificalis Romani. Attamen, si non possint omitti divina officia sine gravi incommodo, episcopus aliquo impedimento detentus delegare potest sacerdotem ad Ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipse eam consecrare possit. — 3.° *Oratoria* autem *privata*, licet benedicta et ad cultum deputata, non censentur pollui; et ideo reconciliatione non indigent. Suarez D. 8. S. 4. n. 6., Lugo D. 20. n. 58. 59. — Giraldi P. 1. S. 598., L. 362. 363., S. Th. 3. p. q. 83. a. 3. ad 3., E. M.

642. *Quomodo ecclesia, altare, vasa sacra exsecrentur, et ad cultum iterum idonea reddantur?* — « *Exsecratio* dicitur, cum res sacra perdit suam consecrationem, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit, quando ita destruitur, ut formam et usum suum perdat ». L. 368. — Iam vero censetur *ecclesia* exsecrari, quando totaliter vel ex maxima parte corruit, vel destruitur, ita ut de novo, saltem ex maiori parte, aedificari debeat. « Ecclesia (non exsecratur) si una (pars) post alteram (destruatur). Et hoc etiamsi per intervalla hebdomadarum vel dierum ecclesia tota nova fiat, quia quaecumque pars accedens manet consecrata, cum maius dignum trahat ad se minus dignum. Idque procedit, etiamsi adsit animus totam ecclesiam destruendi, quia intentio illa non officit, quin consecratio perduret. Neque si tectum corruat, quia consecratio est in parietibus ». L. 368.

Ecclesia item non exsecratur, si tota parietum crusta, vulgo *intonaco*, etiam simul auferatur. Consecratio enim toti ecclesiae adhaeret. S. R. C. 5. Maii 1882., 26. Iun. 1894., 19. Maii 1896. — Ecclesia exsecrata, iterum benedicenda vel consecranda est, iuxta ritum et formam praescriptam pro benedictione vel consecratione ecclesiarum.

Altare fixum consecrationem amittit, cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur. S. C. R. 15. Maii 1819. *Altaria* sive *portatilia* sive *fixa* suam conseerationem amittunt per enormem fracturam vel per violationem tumuli, in quo reconduntur sacrae Reliquiae, vel per earundem amissionem. S. C. R. 23. Sept. 1848. Nec sufficit in illis tumulari alias Reliquias authenticas; sed altaria denuo sunt consecranda. S. R. C. 7. Dec. 1844.

Vasa sacra, et aliae res consecratae exsecrantur, quando formam suam amittunt, nec amplius ad usum suum inservire possunt. Insuper « calix et patena suam amittunt consecrationem per novam deaurationem, et sic indigent nova consecratione ». S. R. C. 14. Jun. 1845. *Vestis sacra*, cuius notabilis pars scissa fuerit, ita ut ad debitum usum inservire non possit, manet exsecrata, quamvis statim sarciatur, quia iam suam formam amisit. « Uti vestibus sacris, etiam attritis, ad usus prophanos est mortale. Vestes tamen sacrae in usibus prophanis adhibitae non amittunt benedictionem ». L. 370. 371. 376.

Polluta ecclesiae parte, integra ecclesia pollui censetur, etiam cum coemeterio adiacenti. E contrario exsecrata ecclesia, non ideo exsecratur coemeterium, nec altaria fixa et integra consecrationem amittunt. — S. Th. 3. p. q. 83. a. 3. ad 2. ad 3. ad 4. ad 5., L. 367. seqq., Suarez D. 81. S. 2., E. M.

643. *Quaenam ad missam celebrandam requirantur?* — Haec requiruntur: 1.° altare lapideum, fixum vel portatile, ab episcopo consecratum; 2.° mappa triplex ex lino vel cannabe confecta; 3.° vestes sacrae seu ab Ordinario benedictae; 4.° calix et patena consecrata; 5.° corporale lineum vel ex cannabe, ab Ordinario benedictum; 6.° palla pariter linea vel ex cannabe; 7.° purificatorium lineum; 8.° missale cum pulvillo; 9.° crucifixus, non vero sola crux; 10.° candela duplex accensa ex cera; 11.° bursa, velum, manutergium, ampullae vitreae; 12.° minister masculus. — Ut grave vel leve est celebrare sine aliqua re ex istis, ita pariter grave vel leve est celebrare cum illa *non benedicta*, si tamen necessario sit benedicenda. — Quoad candelas autem attinet, quae sub gravi ex cera esse debent, in missis privatis non licet plures, quam duos cereos accendere, nisi celebret episcopus, vel nisi solemnitas quaedam extraordinaria, aut SS. Sacramenti expositio maiorem numerum exigat. — Rubr. *Rit. serv.* etc. t. 1., *de Defect.* t. 10. n. 1., S. Th. 3. p. q. 83. a. 3., L. 378.-389. 394., Bened. XIV. C. *Imposito nobis* 29. Mart. 1751. § 4., Pius VII. C. *Decet Romanos* IV. Non. Jul. 1823., S. R. C. 7. Aug. 1627., 15. Mart. 1664., 7. Sept. 1850., 8. Mart. 1879., E. M.

644. *Quale peccatum sit celebrare sine calice, patena, corporali, palla, purificatorio?* — Celebrare *sine calice* et *patena*, nisi ex gravissima causa, grave est; *sine corporali*, nisi ex gravi causa, grave est; *sine palla* aut *purificatorio* leve est. — Si *purificatorium* facile haberi non possit, probabiliter licitum est celebrare sine eo, eiusque loco adhibere posse strophiolum mundum, quod postea ad profanos usus non adhibeatur. — In necessitate, *palla* deficiente, aliud corporale, vel purificatorium aut

bursa adhiberi possunt. — Palla *benedicenda* probabilius est cum corporali eadem benedictione, et pro corporali adhiberi poterit. — Ut grave est celebrare *sine corporali*, vel *sine corporali benedicto*, cum immediate Christi Corpus contingat, nisi urgeat gravis necessitas, ita grave est celebrare corporali *valde immundo:* veniale vero si valde immundum non sit. Immo in necessitate, si ipse sacerdos vel alii deberent alias omittere sacrum de praecepto, nullum est peccatum. — Corporale in extremitatibus potest esse sericum vel auro elaboratum; nec iterum benedicendum *post lotionem.* — Rubr. *Rit. serv.* etc. t. 1. n. 1., *de Defect.* t. 10. n. 1., L. 376. 386.-389., S. Th. 3. p. q. 82. a. 3., q. 83. a. 3. ad 7. ad 8., E. M.

645. *An calix et patena sub gravi vel sub levi tantum consecrari debeant; et ex quanam materia sint conflanda?* — R. Ad 1.um Consecrari debent sub mortali; praeceptum enim circa rem gravem versatur. Gousset. 323., L. 379.

Ad 2.um Ex Rubr. *Rit. serv.* etc. *de Praepar.* etc. n. 1., *de Defect.* t. 10. n. 1., calicis saltem cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, in casu necessitatis, intus inaurata; non aerea vel vitrea. Patena item esse debet ex auro, vel argento inaurato. — S. Th. 3. p. q. 83. a. 2. ad 6., S. q. 37. a. 5., L. 370., Bened. XIV. C. *Etsi pastoralis* 26. Maii 1742., C. *Imposito nobis* 29. Mart. 1751., E. M. Cf. 551.

646. *An exsecretur calix si pereat inauratio?* — « Affirmant Azor, etc., quia tollitur subiectum immediatum consecrationis, cum tota unctio in superficie calicis fiat. Negant vero probabilius cum sententia communi Lugo D. 20. n. 94., etc. Ratio, quia licet unctio non fiat, nisi in superficie, tamen tota moles calicis (seu totus calix, et non tantum eius superficies) consecratur ». L. 370. Cf. 642.

647. *An liceat celebrare sine velo, manutergio, pulvillo, bursa, et an haec benedicenda? An etiam sine cruce, et an ea benedicenda?* — R. Ad 1.um « Recte dicit Busemb. ista *non benedici* .... Dicit La-Croix, celebrare *sine velo*, quando nullum habetur, non est peccatum, nam *velum, manutergium, pulvillum*, ait requiri tantum ad decentiam, et idem censet *de bursa* cum Sporer ». L. 395. « Si quid ex his desit, ex prophanis congruenter mundis mutuo accipi, et deinde priori usui reddi potest ». L. 395.

Ad 2.um Leve item est *sine cruce* celebrare; neque est de praecepto *benedicenda.* Et idem docet Pign. de omnibus imaginibus in altari collocandis. In altari, in quo expositum est Sanctissimum Sacramentum, crux exponi vel non exponi potest secundum cuiusque dioeceseos consuetudinem. Bened. XIV. C. *Accepimus*, S. C. C. 17. Sept. 1822., S. R. C. 2. Sept. 1741., L. 393. — E. M.

648. *An liceat celebrare aliquando sine missali? Quale requiratur missale?* — « Sub gravi peccato (requiritur) *missale, canonem* saltem continens...: sententia vero communissima... probabiliter dicit posse quandoque sacerdotem celebrare sine missali, si hoc facile non posset habere, et ob praeteritam experientiam abesset morale periculum errandi. Hinc probabiliter inferunt Lugo, etc., licite celebrare sacerdotem, qui ob visus debilitatem memoriter missam recitat », etc. L. 390. — Missali autem proprio quis uti debet. Si quis tamen in aliena ecclesia missam celebret, uti potest tum Missali Romano, tum Missali Regularium, quo Ecclesia

utitur, exclusis tamen ritibus Ordinum propriis. S. R. C. 9. Iul. 1895. — In Ecclesiis, unde Regulares eiecti sunt, missa non potest amplius celebrari iuxta calendarium Ordinis, neque ab ipsis regularibus, si quis quasi cappellanus, aut custos in eis remanserit, sed secundum dioecesanum calendarium. S. R. C. 20. Dec. 1864.

649. *An sufficiant duae mappae, vel una duplicata?* — « Affirmant Suarez, Laym., Holzm., Pal. cum Sa., Azor; item Bon., Henr. et Gob. ap. La-Croix 322. Attamen puto a Rubr. non recedendum (quae tres mappas praescribit)... Probabiliter tamen aiunt Escob. et Ron. cum Pasq. id culpam venialem non excedere. Celebrare autem sine ulla mappa non excusatur a mortali...; e converso nulla committitur culpa si adsit gravis necessitas sic celebrandi ». L. 375. Quod superior mappa « usque ad terram pertingat » iuxta Rubricam « hodie non est in usu ». L. 375. — Rub. *de Defect.* t. 10. n. 1.

650. *An mappae necessario debeant esse benedictae?* — R. Affirmative ex clara Rubr. *de Defect.* t. 10. n. 1. Negant tamen Suarez, aliique dicentes benedictionem requiri tantum ex decentia. Ac S. Alph. ait: « Haec sententia non videtur improbabilis propter auctoritatem horum AA., praesertim Suarii, qui testatur consuetudinem esse in contrarium ». L. 375. Ceterum « talis defectus, ut probabiliter dicunt, non excedit culpam venialem », a quo excusat « quaevis causa rationabilis ». L. 373.

651. *Quale peccatum sit celebrare sine vestibus sacris?* — Celebrare *sine ullis vestibus sacris,* h. e. benedictis, nempe casula, stola, manipulo, alba, amictu et cingulo, *saltem regulariter loquendo,* nunquam est licitum, etiam in necessitate viatici sumendi. Nam reverentia huic sacramento et sacrificio debita est iusta causa, ut Ecclesia non permittat sine sacris vestibus celebrari et ministrari hoc sacramentum propter gravia inconvenientia, quae ex hac permissione oriri possunt. *Saltem regulariter loquendo:* nam si mors intentetur, nisi sacerdos celebret sine vestibus sacris, altari, aut calice, alii dicunt licere, alii non licere. — Celebrare *sine amictu* vel *cingulo,* leve peccatum est, a quo iusta causa excusat; *sine stola vel manipulo,* nisi in gravi necessitate, grave est; *sine alba vel casula,* nisi in gravissima necessitate et remoto scandalo, grave item est. — Quando autem grave est aliqua sacra veste non uti, ea uti *non benedicta* grave pariter est, nisi gravis excuset et proportionata necessitas. — Huiusmodi sacras vestes conficere ex prophanis, v. g. planetam ex veste serica muliebri, non est prohibitum. — In Rit. Rom. benedictio habetur sacerdotalium indumentorum in genere; in Pont. vero benedictio habetur in genere et specialis cuiuslibet indumenti. Quando autem sacerdos inferior, facultatem habens, aliquod indumentum sacerdotale benedicit, uti debet benedictione Rit. Rom. S. R. C. 16. Mart. 1876. A. S. S. V. 13. p. 33. — La-Croix 327. 328. 339. 392., L. 289. 367. 377., S. Th. S. q. 37. a. 5., q. 40. a. 2. ad 2., a. 7., Bened. XIV. Notif. 21. n. 10., Pius VII. Br. *Quo luctu.*

652. *An color vestium sit de praecepto?* — « Negant Tambur., Quarti, Diana, cum Homobono, item Suar. et Aversa ap. La-Croix 340..., sed contradicunt Spor. et Quarti. Et hoc puto probabilius... Bene tamen censent Spor. et Quarti hanc Rubricam non obligare *sub gravi* nisi scandalum adsit, puta si in die Paschatis, vel in quacumque missa festiva celebra-

retur vestibus nigris. Addit Spor. satius esse, quocumque die facere sacrum in quolibet colore, quam illud omittere; hinc recte dicit a fortiori excusare omnem rationabilem causam, ut si concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris ». L. 378. — E. M.

653. *Quale peccatum sit celebrare sine ministro?* — Est mortale iuxta omnes. Attamen communiter dicunt dd., licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi viaticum. Idem concedunt alii, ut populus audiat missam de praecepto. — Licet celebranti missam coeptam prosequi sine ministro, si hic forte absit, et post breve tempus non revertatur, praesertim facta iam oblatione. — Si necessitas urgeat, praesertim apud moniales, permittitur, ut mulier respondeat a longe, dummodo non immediate ministret ad altare porrigendo urceolos. Id enim sub gravi prohibetur. C. *Inhibendum 1. de Cohabit. cler.* Et ideo, urgente necessitate, satius esset celebrare sine ministro quam cum femina ministrante. — L. 391. 392., S. Th. 3. p. q. 83. a. 5. ad 12., A. S. S. V. 26. p. 572. seq., E. M.

654. *Quale peccatum sit celebrare sine lumine?* — « Certum est apud omnes esse mortale celebrare *sine ullo lumine* ex C. *Litteras* ult. *de Celebr. miss*... Et hoc etiamsi urgeat necessitas ministrandi viaticum... Si *ante consecrationem* deficiat lumen, omnino desistendum est a celebrando, secus si *post consecrationem*... Nulla est obligatio accendendi *tertiam candelam* post *Sanctus;* sic enim hodie communis usus habet... Communiter et probabiliter dicunt licitum esse celebrare cum oleo, vel sebo in necessitate... Non approbo autem id quod dicunt Pasq., Gob. et alii quibus consentit Suar., loquendo de lumine *ex oleo*, nempe non esse illicitum celebrare cum candelis *ex oleo* vel *sebo*, etiam ex sola devotione, si alias haberi non possint: nam haec non videtur causa gravis sufficiens ad excusandum a mortali... Celebrare cum *unico lumine cereo* probabilius et communius puto... id esse tantum veniale, a quo puto proinde, quamcumque causam rationabilem, adhuc solius devotionis, secluso scandalo, excusare ». L. 294. Cf. La-Croix 392.

655. *An liceat celebrare capite cooperto, sine veste talari, sine calceis? An liceat canonicis annulum deferre?* — R. Ad 1.um Non licet sacrum facere capite cooperto *pileolo*, absque venia Apost. Sed. *C. Nullus de Cons.* D. 1. Utrum autem hoc sit grave an leve, controvertitur. Verum, secluso scandalo, non obligat cum gravi incommodo, adeoque licet infirmo vel seni, Canone excluso. Celebrare item non licet *coma adscititia.* Sed hoc multis in locis iam obsolevit. Cf. Ferraris v. *Coma ascititia.* Rubr. *Rit. serv.* tit. 1. n. 2. praescribit *talarem vestem* celebranti: gravis tamen obligatio non videtur, adeoque rationabilis causa ab ea excusare potest. Neque item ex eadem Rubr. ib. licet celebrare nudis pedibus sine causa, quod non nisi leve esset. Sufficit vero crepidis esse calceatum. L. 396. 397. 398., E. M.
Ad 2.um Negative. S. R. C. 12. Febr. 1892., 9. Mart. 1894.

656. *An liceat submissa voce vel alta omnia pronuntiare?* — *Submisse omnia pronuntiare*, ut neque a circumstantibus quis audiatur, neque ipsemet se audiat, contra id quod praescribit Rubr., probabiliter non est mortale. Sed hoc non excusatur a culpa veniali, cum in Rubr. expresse praecipiatur, ut celebrans *ita pronunciet, ut ipsemet se audiat.* Verum

non excusat a mortali qui sic proferret verba consecrationis. *Recitare submisse* quae alta voce recitanda praecipiuntur non est mortale; sed minime potest excusari a veniali, cum oppositum expresse in Rubr. praecipiatur. Attamen non oportet, ut omnis populus audiat, sed sufficit, ut adstantes attenti, nempe qui prope sunt ad altare, percipere valeant, quae leguntur. Non potest etiam excusari a veniali qui *alte* in missa *profert* quae submisse dicenda sunt, cum sit contra Rubr., quae praescribit, *ut sacerdos se audiat, et a circumstantibus non audiatur.* « Facile assentirem posse peccare mortaliter, qui verba consecrationis vel canonis in magna parte tam alte proferret uti audiri possent ad 40. passus... Extra hunc casum agnoscere non valeo in hoc grave peccatum ». L. 414.-416. — Rubr. *Rit. serv.* etc.

657. *An liceat aliquid in missa immutare?* — Nihil demere, addere, variare licet. — *Demere* aliquid eorum, quae in missa sunt *extraordinaria,* neque semper dicuntur, *Iudica me, Gloria, Collectas additas, Credo, Sequentia, Tractum,* et *Praefationem, Communicantes, Hanc igitur,* specialia, grave per se non est, nisi plura omittantur, quae notabilem materiam efficiant. Ea omittere, quae constanter dicuntur et *ordinaria* sunt in missa, grave per se est, nisi excuset levitas materiae. Gravitas materiae desumitur hic tum ex quantitate, tum ex qualitate. Et sic quoad ea, quae in Canone continentur, qui proxime sacrificium attingit, parva quantitas ad gravem culpam sufficit. — Hinc communiter asseritur, *grave* esse omittere *Confessionem* cum aliis in principio missae, *Orationes* proprias missae, Epistolam, Evangelium, Offertorium, decem vel octo nomina SS. in Canone, quamlibet orationem in Canone, *Pater noster, Libera nos,* fractionem hostiae, vel illius mixtionem in Sanguine, *multa* signa super oblata, purificationem patenae et calicis post sumptionem, etc. — *Veniale* est omittere unam tantum ex tribus orationibus principalibus, *Kyrie eleison,* Evangelium S. Joannis in fine, unum vel aliud signum super oblata, tunsionem pectoris, ablutionem digitorum in missa, vinum in purificatione calicis, lotionem manuum *ante* missam; post missam nullum est peccatum, uti etiam omittere orationes ante vel post missam; eas omittere vestes induendo veniale est. Mutilare verba aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo, veniale pariter est. Veniale etiam est, si sacerdos omittat submisse dicere in missa solemni, quae cantantur a choro, cum sacerdos et ministri in huiusmodi missa faciant unum. L. 403.-410.

Addere gravius prohibetur propter periculum novitatis. Quare, si quid addatur, quod sit notabile et quod in missali non contineatur, grave est, quamvis ex devotione fiat. « Si vero ex importuna devotione addantur plures collectae ex eodem missali, vel *Credo,* aut *Gloria, Pater, Ave,* vel quid simile, id non excedit culpam venialem...: esset mortale addere *Gloria* et *Credo* in missa de Requiem; quia haec videtur satis gravis inordinatio ». L. 411. Ex speciali devotione et ex iusta causa commemorationem alicuius Sancti, vel collectam pro tribulatis, ad petendam pluviam, etc. addere, nec leve peccatum est. S. R. C. 12. Aug. 1854., L. 412. — Observandum hic est, quod in anniversario electionis et consecrationis episcopi, cum dici debeat in missa oratio, *Deus omnium,* pro ipso episcopo, debet omitti ratio imperata pro Papa. S. R. C. 22. Jan. 1876.

Variare grave vel leve est prout gravis vel levis deformitas inde in ritu exoriatur. Quare grave est Evangelium legere ante Epistolam, La-Croix 437. Leve autem *per se* est, legere unam missam, epistolam, praefationem, etc. pro alia. La-Croix 371., L. 409. Secluso scandalo et contemptu non est mortale celebrare missam votivam vel de Requiem in diebus vetitis. L. 420. Notandum hic est, quod dici nequeunt missae Defunctorum in Expositione SS. Sacram. 40. Horar. L. 418. Cum autem expositum est SS. Sacramentum, adhuc in missa *duplici* potest de eo fieri commemoratio. L. 411. — S. Th. 3. p. q. 83. a. 4. 5., L. 418. 419. 421. 423. 424., E. M.

658. *An aliquando liceat missam interrumpere?* — Nunquam licet *missam interrumpere essentialiter*, seu ita ut sacrificium inceptum remaneat truncatum, nisi gravissima seu extrema urgeat necessitas, ut in casu imminentis incendii, aut hostis ad necandum irruentis; tunc enim sacerdos, omissa calicis consecratione, posset sumere hostiam iam consecratam, vel eam secum effugiendo auferre. Quod si utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat, si possit; vel si non possit, secum auferat in loco vicino citissime sumendam. — Neque *accidentaliter* licet *missam interrumpere*, nisi *iusta de causa ante oblationem*, e. g., ob concionem post Evangelium, ob preces pro defunctis recitandas, ob proclamationes Bannorum faciendas. — Neque licet *interrumpere missam*, nisi *gravi de causa ante canonem*, e. g.: 1.° Ob processionem excipiendam, in gratiam supervenientis Principis, vel turbae peregrinorum die festo, si alias missam audire nequeant. Ac si oblatio facta non fuerit, sacerdos de novo incipere potest, ut totum sacrum audiant. 2.° Si sacerdos recordetur de aliquo impedimento, v. g., se non esse ieiunum, vel in statu gratiae, vel esse irregularem, modo missa sine scadalo aut nota relinqui possit. 3.° Si Ecclesia polluatur aut vitandus superveniat. — Neque vero licet *missam, incepto canone, interrumpere* nisi *graviori de causa;* et *peracta consecratione*, nisi *gravissima de causa*, v. g., si moribundus baptizari vel absolvi debeat. Alia autem sacramenta ministrare inter consecrationem et communionem non licet, quia non sunt tantae necessitatis. Attamen S. Viaticum ministrari posset moribundo, qui esset in propinquo, ita ut sacerdos vestes sacras exuere non deberet. Sed ad hoc etiam requiritur, ut celebrans altare e conspectu suo non amittat. S. R. C. 19. Dec. 1829. « Plerique theologi... permittunt sacerdoti missam interrumpere, ut extremam unctionem administret infirmo morti propinquo, cui nullum aliud sacramentum potuit conferri ». Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 6. n. 5., L. 728. — Missa interrupta, si celebrans *brevi redeat*, resumenda est ab eo loco, ubi interrupta est; sin *post horam*, et nondum facta erat consecratio, ab initio iterum incipienda est; si facta erat consecratio, ab eo loco, quo interruptio facta est. — L. 352. 353. 555., S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 1., Rubr. Miss. *de Defect.*

659. *An sacerdos infirmus celebrare possit, licet non omnes Rubricas servare queat?* — R. Affirmative, si paucas et leviores tantum omittat, praesertim si privatim celebret. Imo plures gravis notae auctores permittunt infirmo celebranti, ut etiam baculo utatur, si indigeat. Haec refert et approbat S. Lig. 492.: « Dicit La-Croix l. 6. P. 2. n. 402. etc. eum, qui non posset celebrare sine baculo, licite posse illo uti. Additque Gobat,

quod si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altari innixo, licite sic celebraret privatim, non autem publice, nisi hoc faceret ex necessitate. Hoc tamen puto non excedere veniale, a quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio. Dicunt etiam La-Croix n. 427. etc., quod si quis non possit elevare hostiam, sed potest reliqua, potest celebrare privatim et etiam publice, si adsit necessitas, et populus moneatur; sed puto satis esse populum tantum monere, si quis ex devotione celebret ». — E. M.

660. *An Rubricae Missalis Romani sint praeceptivae?* — Quaedam praeceptivae sunt, quaedam directivae. Quaenam illae, quaenam hae, non satis constat. Communior sententia tenet, directivas esse quae tradunt ea quae ante vel post missam agenda dicendave sunt, ceteras esse praeceptivas; ac proinde has tantum obligare pro gravitate materiae. L. 395. Nihilominus non improbabiliter Suaresius putat, quae ex his continentur sub tit. *de Defectibus, esse instructiones doctrinales, quae non magis obligant, quam doctrina, in qua fundantur* D. 85. S. 1. Sed si alicui, dum hoc mysterium peragit, aliquod dubium occurrat, id faciat *quod habet minus de periculo,* S. Th. 3. p. q. 83. a. 6. ad 2.; seu *quod magis expedire censuerit; illud semper prae oculis habendum est, ut scandalum caveatur.* Suarez D. 84. S. 2. Ex sententia S. Alph. Exam. Ordin. 112., non omnes rubricae servandae extra missam sunt mere *directivae,* sed aliquae tantum. — Trid. S. 22. C. 4. 5. 8., c. 6. 7. 9., Decr. *de Observ.* etc., S. 23. c. 5., S. Th. 3. p. q. 83. a. 3. 4., Diana Tr. 1. De Celebrat. Missar. R. 235. n. 3., L. 401., E. M.

DE POENITENTIA

I. — DE NATURA ET MATERIA REMOTA POENITENTIAE

661. *Quid sit poenitentia?* — *Poenitentia* est *virtus,* et est *sacramentum.* Sub primo respectu, est virtus moralis, inclinans ad peccati detestationem, quatenus est offensa Dei, nempe quatenus Deum nobis aversum et indignatum efficit, et inclinans consequenter ad propositum efficax illud in posterum vitandi, et divinae iustitiae satisfaciendi. Lugo D. 2. n. 50. 52., S. Th. 3. p. q. 85. — Sub altero respectu est sacramentum N. L. *per modum iudicii* a Christo Domino institutum, ad peccata post baptismum commissa, homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittenda. *Per modum iudicii,* adest enim poenitens simul reus, testis et accusator, et sacerdos, iudex ferens sententiam, qui strictissima secreti obligatione tenetur. Hoc autem iudicium, ad reum absolvendum, eumque cum Deo reconciliandum tendit. Hinc discrimen patet inter hoc iudicium sacramentale et forense. — Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 14. C. 1. 2. 3. 4. c. 1. 2. 3., S. Th. 3. p. q. 84. a. 1., L. 246., E. M.

662. *An in sacramento poenitentiae liceat sequi opiniones probabiles?* — R. Affirmative in his, quae pertinent *ad iudicium,* dummodo salva sit

forma iudicii: forma enim dat esse rei, et iudicium *ad valorem* pertinet *sacramenti.* Et sic in his, quae pertinent ad *integritatem* confessionis, ad *iurisdictionem* confessarii, etc. licet sequi opiniones probabiles. L. 468., H. A. Tr. 16. n. 29. — Negative in his, quae pertinent *ad valorem sacramenti*, quia sacramentum periculo nullitatis exponeretur; excepto tamen necessitatis casu, sacramenta enim propter homines. — Cf. 348.

663. *An sacramentum poenitentiae sit necessarium?* — R. Affirmative, pro lapsis post baptismum. Necessarium autem est ad iustificationem tum *necessitate praecepti*, tum *necessitate medii*, saltem *in voto.* Trid. S. 6. C. 14., S. 14. C. 2. 4. 5., S. Th. 3. p. q. 84. a. 5., q. 86. a. 6., S. q. 6. a. 1. — Hinc sacramentum poenitentiae appellari solet secunda post naufragium tabula. Trid. S. 6. C. 14., S. Th. 3. p. q. 84. a. 6. — Cum autem nullum actuale peccatum sine poenitentiae virtute possit in hac vita remitti, patet etiam hanc esse *omnino necessariam* ad iustificationem adultorum, qui post baptismum lapsi sunt. S. Th. q. 86. a. 2. — E. M.

664. *Quinam sit effectus sacramenti poenitentiae?* — Effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis et reconciliatio cum Deo, ac, quod consequens est, remissio poenae aeternae. Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 14. C. 3. c. 12. 15., S. 6. C. 7., S. Th. 3. p. q. 86. a. 3. 4. 6. — « Illi, qui per contritionem consecutus est remissionem peccatorum quantum *ad culpam* et per consequens quantum *ad reatum poenae aeternae*, quae simul cum culpa dimittitur ex vi clavium..., augetur gratia et *poena* remittitur *temporalis*, cuius reatus adhuc remanserat post culpae remissionem, non tamen *totus*, sicut in baptismo, sed *pars eius*... Ex vi clavium, quae operatur in sacramento poenitentiae, non tota poena remittitur, sed aliquid de poena temporali, cuius reatus post absolutionem a poena aeterna remanere potuit, nec solum a poena illa, quam habet, vel suscipit ab absolutione poenitens in confitendo..., sed etiam de illa poena, quae in purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minus in purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet ». S. Th. 4. D. 18. q. 1. a. 3. q. 2. — E. M.

665. *Quaenam sint partes sacramenti poenitentiae; quaenam earum efficacia?* — Partes sacramenti poenitentiae sunt, ut in aliis sacramentis, *materia* et *forma.* Forma sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert. Materia vel quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est *cordis contritio.* Secunda est *oris confessio.* Tertia *satisfactio.* Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 14. C. 3. c. 4. — « Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute *formae*, sed etiam virtute *materiae;* ex utroque enim est unum sacramentum... Unde remissio culpae est effectus poenitentiae principalius quidem ex *virtute clavium*, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento, secundario autem ex *vi actuum poenitentis* pertinentium ad virtutem poenitentiae; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae. Et sic patet, quod remissio culpae est effectus poenitentiae secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est sacramentum ». S. Th. 3. p. q. 86. a. 6., q. 90. a. 1. 2. — E. M.

666. *Quaenam sit materia remota sacramenti poenitentiae?* — Materia *remota* sunt omnia peccata *post* baptismum commissa. Dicuntur

autem materia *circa quam*, quia circa illa destruenda absolutio versatur. — Materia remota *necessaria* sunt omnia peccata mortalia, commissa *post* baptismum, nondum *directe* remissa per claves Ecclesiae, licet contritione perfecta iam deleta, vel inculpabiliter in praecedenti confessione omissa; unde *in immediate sequenti confessione* sunt manifestanda, cum materia libera non sint, sed necessaria; adeoque necessario poenitens ab his debet absolvi, et nova imponenda est poenitentia, licet statim post absolutionem ea quis confiteatur. L. 513. — Attamen quoad peccata ex oblivione vel alia iusta causa omissa nulla est obligatio ea *quamprimum* confitendi, cum iam sint deleta, nec proinde animae periculum adest in mora. Quare differri potest eorum confessio usquedum, vi alterius obligationis, vel sponte denuo quis confiteatur. — Materia remota *sufficiens*, sed *libera*, sunt omnia peccata venialia, *post* baptismum commissa, et omnia peccata sive mortalia sive venialia, iam alias rite clavibus Ecclesiae subiecta. C. 12. *de Poenit.*, Extrav. 1. *de Privileg.*, 2. *de Haeret.*, Trid. S. 14. C. 5. C. 7., pr. 11.ª d. ab Alex. VII., L. 425. 427. — Ad maiorem quamdam securitatem praeter peccata levia ordinaria, expedit addere vel peccatum aliquod certum, de quo vehementius quis doleat, vel saltem genericam accusationem omnium peccatorum vitae anteactae. Reuter 202., Elbel 19. — S. Th. 3. p. q. 84. a. 2., E. M.

667. *Resolves:* — 1.° « Omitti possunt venialia, vel omnia vel aliqua; item mortalia semel rite confessa, v. g., in confessione generali. In qua etiam non est necessarium addere peccato mortali, quod post ultimam confessionem sit commissum..., nisi circumstantia aliqua, v. g., speciem mutans, vel reservatio casus, vel proxima peccandi occasio aliud requirat, et poenitentia sufficiens imponatur ». L. 425., S. Th. 4. D. 17. q. 3. a. 3. q. 5. ad 4., D. 18. q. 1. a. 3. q. 2. ad 4. — 2.° Insufficiens materia sunt imperfectiones, quae peccata non sunt; quod quis non fecerit bonum quod potuit, non responderit divinis inspirationibus in iis, quae meri consilii sunt. La-Croix l. 5. n. 211., L. 425. — 3.° Omnium letalium peccatorum confessio certo invalida necessario repetenda est. Omnia enim peccata mortalia sunt per se clavibus subiicienda. Attamen confessio non est necessario repetenda, nisi de eius invaliditate moraliter certo constet. Ratio est: 1.° Quia cum actus est certo positus, si suboritur dubitatio, an fuerit recte positus obtinet illa regula Iuris: *standum est pro valore actus.* 2.° Quia obligationi legis divinae de facienda confessione iam probabiliter factum est satis. L. 505., La-Croix 1221., Elbel 263. — 4.° « Etsi ex errore culpabili mortaliter, peccatum tale, v. g., mollitiei; vel numerum, aliamve circumstantiam necessariam omiseris, non ideo teneris repetere confessiones intermedias bona fide et legitime factas (in quibus ex naturali oblivione defectum illum non fueris confessus) cum validae fuerint et maneant validae ». L. 503. — Lugo D. 16. S. 2. § 1. 2.

668. *Quaenam sit materia proxima sacramenti poenitentiae?* — Materia *proxima, ex qua*, intrinseca et essentialis, sunt *actus poenitentis*, nempe *contritio, confessio,* acceptanda *satisfactio,* quae vero quoad sui exsecutionem ad integritatem pertinet sacramenti. Lugo D. 12. n. 40. Appellantur autem illi actus a Flor. Decr. pro Arm., a Trid. S. 14. C. 3. et a S. Th. 4. D. 18. q. 1. a. 3. q. 1., *quasi materia*, non quia « verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, quae ex-

trinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione ». Cat. Rom. n. 13. Plures, qui cum Scoto existimant totam substantiam sacramenti in sola absolutione consistere, dubium movent de mente S. Thomae, quem pro se stare affirmant. Sed, ut alia nunc missa faciamus, haec S. D. habet 3. p. q. 84. a. 1. ad 1.: « In illis sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, *ipsi actus humani sensibiles* sunt *loco materiae*, ut accidit in poenitentia et matrimonio ». Cf. ib. ad 2. ad 3. Et a 2. ead. q.: « Materia proxima huius sacramenti sunt actus poenitentis, cuius materia sunt peccata, de quibus *dolet*, et quae *confitetur*, et pro quibus *satisfacit* ». Cf. ib. q. 90. a. 1. 2.

669. *Nota:* Peccatum dicitur *directe* remitti, quando remittitur *vi clavium* Ecclesiae. Ad hoc opus est ut poenitens peccatum confiteatur, et confessarius habeat super eo iurisdictionem. Dicitur *indirecte* remitti, quando remittitur *vi gratiae sanctificantis*, quae in sacramento poenitentiae infunditur, propterea quod incompossibilis sit cum quolibet peccato gravi, et non potest unum grave peccatum sine alio remitti. Id locum habet, quando peccatum est inculpabiliter omissum vel reservatum. La-Croix 597., L. 478. 504.

670. *An mortalia commissa in ipsa susceptione baptismi sint materia huius sacramenti?* — « Affirmant communissime... Sed ratio, quam adducunt... non videtur convincere... pro peccato fictionis, nempe si ille susciperet baptismum exsistens in mortali sine dolore ». L. 427. Negat D'Annib. Ed. 3.ª P. 3. n. 301. generatim pro peccatis omnibus admissis in ipsa susceptione baptismi, et hanc veram sententiam dicit. Ratio, quia obiectum materiale poenitentiae ex Trid. S. 14. C. 2. sunt peccata, quae quis admisit postquam Ecclesiae subditus per baptismum esse coepit. — S. Th. 3. p. q. 69. a. 10., 4. D. 4. q. 3. a. 2. q. 3., Lugo D. 16. S. 1.

671. *An adultus, baptizandus sub conditione, in dubio baptismi praecedentis, peccata iam accusata confiteri debeat?* — R. Negative. Ratio est quia illa peccata vel sunt iam deleta si prior baptismus fuit validus; vel si fuit invalidus posteriori baptismo valido delentur, et materia non sunt confessionis. Reuter 118.

672. *An praefatus adultus confiteri debeat peccata ab ultima confessione commissa, et nondum accusata?* — Controvertitur. Prima sententia affirmat; quia urget obligatio confitendi peccata quoties non constat ea ante baptismum fuisse commissa. Quare, collato posteriori baptismo, sunt deinde illa peccata accusanda. Confirmatur ex Resp. S. O. 17. Dec. 1868. Secunda sententia negat; quia, posita probabili invaliditate prioris baptismi, peccata ista non sunt probabiliter materia confessionis; adeoque non constat de certa obligatione. Si autem prior baptismus reapse validus fuit; peccata ista remitti poterunt sive per contritionem perfectam, sive indirecte per absolutionem cum attritione. Neque vero laud. S. O. responsum controversiam generatim dirimit, quia datum est pro *Neoconversis in Anglia*, ob speciales illius regionis rationes. — La-Croix l. 6. P. 1. n. 324., L. 473. 474. 505., E. M.

673. *An peccatum in genere tantum accusatum sit aliquando materia sufficiens confessionis, quoad eius validitatem et liceitatem, v. g., si quis*

dicat: accuso me de omnibus peccatis vitae meae? — R. Affirmative quoad *validitatem.* Nam omnes consentiunt, ut valide absolvantur infirmi in articulo mortis, milites instante praelio, nautae imminente naufragio, etc., sufficere externum aliquod signum confessionis, v. g., manus apprehensionem, tunsionem pectoris, etc. Cum autem essentia sacramenti non immutetur extra casum necessitatis; sed eadem semper est pro variis casibus, et in casu necessitatis et extra casum necessitatis, sufficiens erit praedicta confessio *quoad sacramenti valorem.* La-Croix 620., Reuter 303., Lugo D. 17. n. 8., L. 480. 481. 482. 486. 504. — Affirmandum probabiliter etiam videtur *quoad liceitatem*, nam, stante certa sacramenti validitate, illiceitas aliunde exoriri non potest, quam ex positivo praecepto divino. Atqui hoc praeceptum non habetur, ut patet ex Trid. S. 14. C. 5., secundum quod divinum praeceptum explicandi peccata et quoad numerum et quoad speciem non habetur nisi pro peccatis gravibus, nondum per claves directe Ecclesiae remissis. Ubi igitur desint peccata gravia necessario accusanda in confessione, nulla est obligatio reliqua peccata accusandi et determinato numero et definita specie. Dicastillo de Sacr. Poenit. D. 9. n. 760. seqq., Apicella Ai Confessori Studio sull' assoluzione, etc., A. S. S. V. 4. p. 320.

674. *An adsit obligatio confitendi peccata dubia?* — Nulla est obligatio confitendi peccatum mortale *positive dubium*, nempe cum « utrinque adsint rationes probabiles, quod peccatum mortale fuerit vel non fuerit commissum ». Ita « sententia communissima... Ratio, quisque potest licite se conformare opinioni vere probabili ». L. 473.

Nulla pariter est obligatio confitendi peccatum mortale *dubie commissum*, nempe cum nulla adsit prudens ratio affirmandi dictum peccatum fuisse commissum. Ratio est, « quia Trid. S. 14. C. 5. non obligat poenitentes nisi ad confitenda *omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habent*..., quod importat habere *notitiam certam* peccati; conscientia enim nihil aliud est, nisi cordis scientia, et iudicium practicum de peccato commisso. Conscientia autem dubia neque est scientia, neque iudicium, sed suspensio iudicii, unde minime dici potest habere conscientiam peccati, qui nullam rationem habet quod illud commiserit ». L. 474. Et sane, si ex communissima sententia nulla est obligatio confitendi peccatum *positive* dubium, quando nempe probabiliter affirmari potest fuisse commissum, licet probabiliter affirmari etiam possit non fuisse commissum, quomodo adesse poterit obligatio, quando neque probabiliter dici posset peccatum fuisse commissum? Cum tale dubium solido fundamento non innitatur, oriri nequit nisi ex inani suspicione et timore peccati commissi, ut scrupulosis et timoratis conscientiis frequenter contingit. Ithur. Cas. 44. n. 15. 18. 20. seqq.

Si agatur de peccato *certe commisso*, et *certe in se* seu *obiective gravi, sed dubitetur de praestito consensu et de sufficienti advertentia;* sequens regula traditur a S. Alph. 476.: « Eximi debent ab obligatione confitendi peccata mortalia dubia ii, qui sunt timoratae conscientiae. Hi enim in dubio rationabiliter immo *moraliter certo* credere possunt non consensisse, quia praesumptio sumitur ex communiter contingentibus... E converso oppositum est censendum de eo, qui est assuetus, de facili in peccata mortalia prolabi, quia in dubio praesumitur iste consensisse;

si enim obstitisset, utique recordaretur conatus illius, quem sibi intulisset ad tentationem repellendam. Unde recte concludit La-Croix 612., quod vix unquam in huiusmodi hominibus, tam 1.[i] quam 2.[i] generis datur dubium mere negativum; praesumptio enim probabilitatem fundat consensus praestiti vel dissensus ». — Ithur. Cas. 44. n. 15. seqq.

Si agatur de peccato *dubie gravi*, *in se* nempe et *obiective*, *per se loquendo*, non datur obligatio confitendi talia peccata. Etenim potest quis post adhibitam diligentiam efformare sibi iudicium practicum ex notissima regula, « quod non datur certa obligatio, ubi delictum est dubium ». L. 474. *Per se loquendo;* nam ille « qui certus est de sua actione mala, et nescit discernere, an fuerit vel ne mortalis, hic utique tenetur stare iudicio confessarii, cuius est discernere inter lepram et lepram ». L. 474., S. Th. 4. D. 21. q. 1. a. 3. ad 3. Exceptis autem scrupulosis, prodest, generatim loquendo, confiteri *dubia peccata*, et ad maiorem conscientiae pacem, et ut confessarius pericula noscens, in quibus poenitens versatur, possit eum monere, et opportuna suggerere remedia ad illa avertenda. L. 476.

Si dubium sit, *an quis peccatum mortale, certe commissum, fuerit necne confessus*, et dubium sit *negativum*, tenetur profecto illud confiteri. Nam lex confessionis certa est, et nulla prudens ratio suadet illi esse satisfactum. Si dubium vero sit *positivum* tenet S. Alph. 477. debere poenitentem illud confiteri, « cum obligatio confessionis sit certa, et satisfactio dubia ». Sed Lugo D. 16. n. 58. 59. inquit: « communiter docent omnes non teneri (quempiam) ad confitendum illud peccatum, quod probabiliter iudicat, se confessum iam fuisse...: nihil frequentius apud theologos, quam excusare a reiteranda confessione eum qui confessus est..., iuxta probabilem aliquam sententiam de eius valore ». Atque id tradidit ipse S. Alph., in Rom. Edit. a. 1757., Benedicto XIV. dicata, l. 6. n. 477., tanquam *communem* doctrinam. Ratio patet, quia licet certa sit *generalis lex,* stante tamen probabili eius satisfactione, dubia iam evadit eius *obligatio in concreto,* in particulari casu. Ceterum idem S. D. addit l. c., « quod ille, qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat, an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus, a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certe iam de illo confessum fuisse...: si quis prius ex prava consuetudine in plura peccata lapsus fuerit, et postea sit vere conversus per constantem vitae integritatem, si tunc dubitet, an omiserit in confessione generali vel particulari, facta cum debita diligentia, aliquod peccatum vel circumstantiam, confessarius prohibeat illi, ne recogitet quidem de praeterita vita ». Scrupulosi autem, ut communissime dicunt dd., nunquam tenentur peccata praeterita confiteri, nisi certi sint fuisse mortalia, et certi se ea nunquam confessos esse. L. ib.

An qui confessus est peccatum ut dubium, illud iterum debeat confiteri, si ut certum agnoscat, controvertitur. Affirmat S. Alph. 478. 504., quia non fuit illud peccatum accusatum quoad sui individuam substantiam; nam accusatio certi peccati non includitur in accusatione dubii peccati. Ita plures alii et graves theologi. Reuter 332., Tamb. Meth. Conf. l. 2. c. 1. § 4. n. 24., aliique etiam plures et graves theologi negant: siquidem peccatum illud fuit *directe* remissum per claves Ecclesiae, clavibus ergo iterum subiiciendum non est. — « Probabilissime dicunt Sanch. etc.

communissime, quod si quis confitetur peccatum, quod nec ipse, nec confessarius sciebat esse mortale, et postea novit esse mortale ex genere suo, non tenetur iterum illud confiteri. Ratio, quia hoc casu iam poenitens exposuit confessario suum peccatum, uti in sua conscientia erat tunc, et nunc est, et in praesenti nihil novi occurrit, nisi quod cognoscat nunc materiam illius peccati esse gravem, quod prius nesciebat ». L. 478. 500.

Potest quis, rigorose loquendo, non praemissa confessione, accedere ad sacram synaxim, cum peccato mortali, *dubio* seu *probabili*. Ratio est, quia Trid. requirit confessionem ante communionem pro iis tantummodo, qui sunt conscii peccati mortalis. Hinc sacerdos dubitans, an adhaeserit pravae cogitationi, seu iudicans probabiliter, se ei non adhaesisse, celebrare potest, praemissa tamen contritione, sine confessione, quamvis copiam confessarii habeat. L. 475. In praxi vero confessio consulenda est. — Lugo D. 16. S. 2. § 3. 4.

675. *An, poenitente materiam sufficientem dubiam tantum praebente, confessarius teneatur exquirere certam de vita praeterita, ut absolvere possit?* — R. Affirmative, si velit absolvere, quia secus sacramentum periculo nullitatis exponeretur. Excipe, nisi casus occurrat, in quo poenitens conditionate absolvi possit, qua de re inferius. — Negative, si nolit absolvere, sed dimittere poenitentem cum sola benedictione; quia poenitens, qui materiam certe sufficientem non affert, ius ad absolutionem non habet. — Item, si poenitens videatur habere dolorem dubium de solis venialibus, non tenetur ordinarie confessarius magnam diligentiam adhibere, ut illum ad dolorem commoveat, licet multo melius id faciat. Secus autem dicendum esset, si de mortalibus dubiis ageretur, ob poenitentis periculum. — L. 432.

676. *An sit necessario absolvendus, qui non afferat materiam necessariam, sed liberam et certam?* — R. Affirmative, per se loquendo. Ratio est, quia ex una parte poenitens rite dispositus, postquam confessionem peregerit, ius habet acquisitum ad absolutionem; ex altera vero parte confessarius nullum ius habet pro suo arbitratu absolutionem largiendi vel denegandi, et sic poenitentem defraudandi spiritualibus illis gratiae donis, quae absolutionem consequuntur. L. 604.

II. — DE CONTRITIONE

677. *Quid et quotuplex sit contritio?* — Contritio est animi *dolor* ac *detestatio* de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. *Dolor* displicentia et animi amaritudo est, *detestatio* reprobatio et peccati est damnatio. Trid. S. 14. C. 4., S. Th. 3. p. q. 85. a. 1. ad 3., S. q. 1. a. 1. — Alia autem est *perfecta* ex speciali caritatis motivo, et *contritio* simpliciter solet appellari; alia est *imperfecta* ex alio motivo, v. g. ex consideratione turpitudinis peccati, ex gehennae et poenarum metu, etc., et *attritio* dici solet. Trid. ib. — L. 435. 436., S. Th. 3. p. q. 87. a. 1., E. M.

678. *Quaenam sit contritionis necessitas?* — Contritio vel perfecta cum voto sacramenti, vel imperfecta cum ipso sacramento est omnino peccatori necessaria, *necessitate medii*, ad iustificationem et salutem con-

sequendam. Illud autem votum implicitum est ipsi contritioni, neque necessario explicitum esse debet. Trid. S. 14. C. 1. 4., S. 6. C. 6. 14., S. Th. 3. p. q. 87. a. 1., L. 434. 437. Necessaria praeterea est *necessitate divini praecepti* aliquando in vita. Luc. 13., 3. 5., et in articulo mortis, ob praeceptum finem ultimum consequendi. L. 437.

« *Per se loquendo,* peccator differens poenitentiam extra periculum mortis probabiliter non committit speciale peccatum. Ratio, quia praecepta affirmativa, ut docet D. Th. in 4. D. 17. q. 3. a. 1. q. 4., debent habere tempus determinatum, in quo debeant impleri; nullibi autem constat, quale tempus sit determinatum ad huic praecepto contritionis satisfaciendum. Unde idem S. D. 2. 2. q. 14. a. 2. dixit, impoenitentiam finalem non esse peccatum speciale, his verbis: *impoenitentia, non quidem eo modo, quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem..., sic non esset speciale peccatum, sed quaedam circumstantia peccati,* etc. Id tamen sane intelligendum, praeciso praecepto positivo: nam *ex praecepto annuae confessionis, ab Ecclesia praescriptae,* quisque procul dubio tenetur ad poenitentiam, saltem *semel in anno* ». L. 437. Quare praeceptum poenitentiae non obligat statim post patratum peccatum mortale.

Per accidens vero obligat praedictum praeceptum, quando aliud urget praeceptum, quod sine contritione impleri non potest, e. g., quando quis reus gravis peccati sacramentum sit suscepturus vel ministraturus; quoties sacramentum poenitentiae recipitur etiam devotionis causa. — Itemque, quando quis exsistens in mortali per notabile tempus differret poenitentiam. Ratio patet ex eo quod docet S. Th. 1. 2. q. 109. a. 8., ubi ait: « sine gratia iustificante, quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest ». « Quale autem sit hoc notabile tempus, valde dd. discrepant ». L. 437. Concina aliique putant esse hebdomadam, S. Alph. l. c. aliique esse mensem, alii trimestre, alii semestre, alii annum. Communior, ut ait Palaus de Poenit. D. un. P. 3. n. 9., sententia saltem dilationem eam admittit, quam et Ecclesiae praeceptum de annua confessione; quam doctrinam S. Alph. ib. etiam S. Th. 4. D. 17. q. 3. a. 1. q. 4. attribuit, quamvis ipse « non omnino acquiescat ». Cf. Laymann c. 2. n. 6., L. l. 6. n. 473., S. Th. Quodl. 1. a. 11. — Ceterum, ut habet idem S. Alph. l. c., « peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam, ut plurimum, immo fere semper excusari possunt ». Cf. Lugo D. 15. n. 55. 56., Suarez D. 15. S. 6. n. 7. 8.

679. *Quales sint contritionis dotes?* — Contritio 1.° esse debet omnino *vera* et *realis,* non existimata; omnino *formalis,* nec *virtualis* sufficit, etiam pro venialibus. Trid. S. 14. C. 4., L. 443. 449.

2.° Debet esse *supernaturalis,* etiam pro venialibus, quia est pars sacramenti et positiva dispositio ad supernaturalem gratiam. Supernaturalis autem esse debet, non tantum quia elicita *auxilio gratiae,* verum etiam, aliquo saltem modo, *ex parte motivi.* Ratio est, quia, ut ait Lugo D. 5. n. 141., « requiritur ad omnem iustificationem, etiam in sacramento, conversio hominis ad Deum, saltem imperfecta ». Cum autem ista conversio sit ad Deum finem *supernaturalem,* hinc *motivum* illud, saltem inadaequate inspectum, supernaturale sit oportet, non lumine rationis naturalis, sed lumine fidei propositum. Busemb. 433., L. 440., Suarez D. 20. S. 2. Quod aperte constat ex Trid. S. 14. C. 4., ubi postquam inter alia motiva re-

censuerit *metum gehennae* et *poenarum,* qui maxime naturali rationis lumine cognosci videbatur, exemplum statim adducit metus Ninivitarum, cuius certe obiectum, non naturali ratione, sed fidei lumine manifestabatur.

3.° Esse debet *appretiative summa,* etiam pro peccatis venialibus, h. e. ut peccatum detestetur plus quam omne aliud malum, unde peccator animo paratus sit omnia potius perdere et pati, quam peccatum patrare. — Non requiritur, ut *formalis comparatio* instituatur, in appretiatione inter varia mala et peccatum, quam quidem *stulte quis faceret.* S. Th. Quodl. 1. a. 9., L. 433. — Neque vero contritio etiam *intensive summa* esse debet: siquidem intensitas est quid mere accidentale. Lugo D. 5. n. 84.-87., L. 441. 442., S. Th. Suppl. q. 5. a. 3., 2. 2. q. 24. a. 12., q. 45. a. 4. — Neque item *ulla* temporis *diuturnitas* requiritur, quia et ipsa quid mere accidentale est. L. 433.

4.° Debet esse *universalis,* si agatur *de peccatis gravibus,* minime vero si *de venialibus.* Ratio 1.ª est, quia remissio peccatorum mortalium fit per infusionem gratiae sanctificantis, quae incompossibilis est cum quolibet peccato mortali. Sufficit autem quod contritio sit universalis ex motivo universali, neque requiruntur *quoad singula peccata singuli doloris actus.* Tunc enim virtualiter peccata sua singula quis detestatur. Secus vero non posset quis per dolorem universalem ab occultis mundari. Trid. S. 14. C. 5., L. 438., S. Th. de Verit. q. 29. a. 5. ad 4., 4. D. 17. q. 2. a. 3. q. 5. ad 2. — Ratio 2.ª est, quia cum gratia sanctificans non sit incompossibilis cum peccato veniali, potest unum sine alio remitti. « Hinc sufficit de uno tantum veniali poenitere et proponere, cum venialia non sint materia necessaria, sed tantum sufficiens. Dicunt autem Lugo D. 14. ex n. 133. etc. sufficere etiam si quis doleat de multitudine ac frequentia venialium, etsi non doleat de singulis in particulari... Recte etiam dicit La-Croix 913. etc., quod bene quisque potest dolere de venialibus deliberatis, et proponere omnia illa vitare; de semideliberatis autem sufficit dolere, quod ea commiserit, et in posterum velit attendere ad ipsa vitanda, quantum humanae fragilitati permittitur. Et haec sunt iuxta doctrinam D. Th. 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. ». L. 449., E. M.

680. *An contritio ad sacramentum poenitentiae requisita vocalis etiam esse debeat?* — *Sensibilis* quidem esse debet, minime vero necessario *vocalis.* Ratio 1.ª est, quia est pars sacramenti. Ratio 2.ª, quia secus moribundi impotentes loqui, quamvis alia dent contritionis signa, absolvi non possent, quod est contra communem praxim et doctrinam et contra Rit. Rom. — *Sensibilis* autem sufficienter evadit ipsa dolorosa peccatorum confessione, petitione, seu expectatione absolutionis, aliisque signis. — L. 445., H. A. Tr. 16. n. 20.

681. *An contritio debeat praecedere confessionem?* — Debet certo praecedere *absolutionem,* vel saltem ipsi coexsistere; sequi eam sane non sufficit, cum solvi peccatorum vinculo nec mereatur, nec possit qui nondum ea detestatus est. — Ad sacramenti valorem non debet dolor necessario praecedere *accusationem.* Ratio, quia adsunt omnia requisita ad sacramentum modo dolor absolutionem praecedat; nec praeceptum praemittendi dolorem peccatorum confessioni probari potest. Lugo, Suarez, et alii communius contra alios. Ceterum quando alii theologi dolorosam confessionem requirunt, et ideo dolorem debere praecedere; nihil aliud vi-

dentur exigere, nisi ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed ut sit accusatio sui in ordine ad absolutionem obtinendam. Favet Rit. Rom. *de Sacram. poenit.*, ubi dicitur: « audita confessione (confessarius), *ad dolorem* efficacibus verbis adducere conabitur », etc. Ex hoc videtur Rit. supponere, quod bene sufficit dolor post confessionem elicitus. Ita S. Alph. 445. — Attamen idem S. Alph. H. A. Tr. 16. n. 20. alteram inquit opinionem esse probabilem, propterea que in praxi sequendam; et addit: « conveniunt autem communiter... sufficere, si poenitens post actus doloris dicat iterum, me accuso de omnibus peccatis confessis ». Verum ipsemet S. D. primam opinionem antea tradiderat in prioribus editionibus Operis Moralis et Hom. Apost. ital. edit.; deinde vero in posterioribus editionibus Operis Moralis immutavit. — Ithur. Cas. 11. n. 4. ait: « dolor sufficiens esse ad sacramentum poenitentiae mihi certe videtur, tametsi confessionem non antecedat, modo confessionem sequatur, et una cum confessione ad absolutionem ordinetur, id quod sensus ipse fidelium, et confessariorum praxis, satis docet, et fundatur in eo quod licet tota prior peccatorum narratio tempore antecedens dolorem, nondum habuerit completam accusationis rationem, at informata postea per subsequentem contritionem, et sic subiecta clavibus a poenitente et postulante et exspectante absolutionem, satis completur in ratione accusationis sacramentalis ». — E. M.

682. *Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum sacramentum?* — Suarez D. 20. S. 4. n. 29., aliique censent sufficere dolorem, qui longo tempore confessionem praecesserit, modo non sit retractatus. Etenim cum talis dolor *virtualiter* perseveret in fuga peccati, et in ipsa confessione, quae fit ad statum gratiae conservandum, nulla videtur adesse ratio, cur talis dolor insufficiens habeatur. Et huic sententiae adhaerere videtur Ballerinius, Gur. Baller. 448. Cf. Lugo D. 14. n. 35. 50. — Alii autem, ut Carden. in pr. 1. Innoc. XI. p. 65. n. 88. etc. dicunt sufficere dolorem praecedentem per unum diem; cum enim confessio sit effectus illius doloris, dolor virtualiter perseverat. Consentit Roncag. C. 3. q. 2. R. 2., etiamsi dolor praecesserit per aliquot dies, dummodo virtualiter perseveret in aliquibus mediis, puta si poenitens vi concepti doloris perstiterit in frequenti oratione, fuga occasionum, poenitentiis, etc. L. 446. Consentit etiam Gury 447., etiamsi dolor praecesserit per unum vel plures dies, modo sit elicitus ex intentione confessionis, et non fuerit per aliud peccatum retractatum. — D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 315.

683. *An ut dolor sit materia apta debeat esse elicitus* ex *vel* cum *intentione confessionis?* — Plures affirmant, et hanc sententiam probabilem dicit S. Alph. et tutius sequendam. Negant vero Lugo D. 14. n. 37.-40., aliique, ac probabile putat Tamb., probabilius idem S. Alph. 447., ac tanquam certum Ballerinius, Gur. Baller. 447. Ratio, tum quia ex Trid. S. 14. C. 4. illa attritio dicitur disponere ad impetrandam gratiam in sacramento, quae voluntatem peccandi excludit, cum spe veniae, quae omnia verificantur in casu nostro; tum quia tunc dolor, licet non fuerit ordinatus ad confessionem relatione antecedenti, ordinatur tamen relatione concomitanti ex eo quod tunc adhuc verificatur dolor patefieri per confessionem.

684. *An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, quando poenitens statim post absolutionem peccatum mortale*

ex oblivione omissum confitetur? — Prima sententia negat, quia certo perseverat prior contritio, quae utpote universalis extendebatur ad omnia peccata, etiam omissa ex oblivione; nec alioquin requiritur, ut contritio explicite ordinetur ad sacramentum. Ceterum, nova facta accusatione, sufficienter iam ordinatur. Quin immo videtur haberi dolor, aliquo modo, explicitus in actu illud peccatum accusandi. Repetita enim confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor praecedentis confessionis, perseverantis adhuc moraliter ac virtualiter. — Secunda sententia affirmat, quia per absolutionem completum est iudicium: ergo si impertienda sit nova absolutio, nova requiritur materia proxima; et quamvis dolor in se perseveret, non tamen perseverat in ordine ad absolutionem. — S. Alph. 448., loquens de hac 2.ª sententia ait: « Cum sit *probabilis*, immo probabilior, in praxi omnino sequendam esse dicunt Croix et Conc., saltem tutius *censeo* tenendam ». De 1.ª vero ait: « *communior*, et hanc tenent Lugo, Anacl., Viva, cum Perez, Henr. et *communi*, Roncaglia qui vocat moraliter certam, Sporer, Elbel putat probabilissimam cum Gob., Dic., Henr., Bosc., etc., item ap. Croix, Led., Salas., Escob. et Moya, qui dicit esse indubitatam apud omnes ». Pro ea vero, ait Lugo D. 14. n. 27., « stat et *communis praxis* », quam testatur etiam Discatillus, de Sacr. Tr. 8. Disp. 6. Dub. 22. n. 160., eique absolute adhaerent Diana T. 1. tr. 3. R. 95. n. 3., aliique plures et graves theologi. P. Gury 448. secundam sententiam levi dicit innixam fundamento. Ballerinius vero ib. ait, « neque auctoritatem, neque solidam rationem ullam suffragari eidem secundae sententiae », primam vero « in praxi tutissimam haberi posse ». D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 315., « mihi, ait, si oblitum aliquod confiteri velis, prima sententia verior videtur, quippe hoc, ut in eadem confessione, ita et in eodem dolore continetur, si denuo eadem confitearis, altera, quia nova confessio est, quae ad priorem nullatenus pertinet ». — Elbel 75.

685. *An peccet, qui confitetur veniale aliquod sine dolore?* — Si confessario aperiat hunc ipsum doloris et propositi defectum; tunc nec sacerdos a tali peccato debet absolvere, nec in hunc finem poenitens debet illud dicere, quasi scilicet materiam sacramenti, cum revera esse talis non possit. Potest tamen licite dici vel ob humilitatem, vel ob consilium, vel ob excitationem ad veram poenitentiam. — Si veniale, de quo non dolet, aperiat, sicut cetera, ceu materiam absolutionis; « tunc, inquit Suarez D. 39. S. 6. n. 7., multi putant esse peccatum mortale... Sed licet negari non possit, quin illud sit aliqua culpa, nihilominus non censeo mortalem, quia materia talis culpae levis est: quia defectus illius doloris vel propositi per se et natura sua non est contrarius gratiae et iustificationi, qui est primarius effectus huius sacramenti per formam significatus..., neque etiam impedit remissionem aliorum peccatorum venialium, de quibus vera fit accusatio capax verae absolutionis, non obstante obice alicuius peccati venialis ». Cf. Lugo D. 14. n. 48. Ceterum et ea levis culpa, de qua Suarez, saepius aberit, vel quia poenitens ad hunc doloris defectum aut ad defectus eiusdem inordinationem non advertit, vel quia raro abest omnis displicentia, licet haec efficax satis non sit; qua in re difficile saepe est deceptionem vitare. — Accedere ad sacramentum cum materia levi, sine ullo dolore, grave est, propter gravem irreverentiam,

quae sacramento irrogatur, illud suo effectu frustrando, sive ex gravi sive ex levi materia. Lugo D. 14. n. 108. seqq., L. 449.

686. *An attritio formidolosa, seu ex metu gehennae concepta, sufficiat ad iustificationem in sacramento poenitentiae?* — R. Affirmative, modo sit vere *supernaturalis,* absolute *efficax,* et tantum *materialiter* non vero *formaliter* seu *serviliter servilis.* Ratio est, 1.° quia huiusmodi attritio est vera conversio ad Deum, et vera aversio a peccato; 2.° quia hoc clare eruitur ex Trid. S. 14. C. 4., ubi dicit, attritionem conceptam ex metu gehennae et poenarum esse honestam, et disponere peccatorem ad iustificationem in sacramento poenitentiae obtinendam. Idque certum et commune est apud dd. L. 440., S. Th. Quodl. 4. a. 10., 4. D. 22. q. 2. a. 1. q. 3. — Attritio porro vocatur *serviliter servilis,* ubi quis de peccato quidem dolet, illudque vult vitare ob poenas, quas a Deo infligendas novit; adhuc tamen paratus esset peccare, si poenae istae non subsisterent. Dicitur vero *simpliciter servilis,* ubi quis ob poenarum quidem timorem a peccato abstinet, non tamen ita dispositus est, ut vellet peccare, si poenae illae non essent. Prior malus est, non quia timor est poenarum, sed ob pravam animi dispositionem. — L. 442., E. M.

687. *Utrum attritio sufficiat ad sacramentum poenitentiae, concepta ex metu poenarum huius vitae, quatenus irrogantur a Deo peccatorum vindice?* — Prima sententia negat. Ratio, quia Trid. S. 14. C. 4. coniunctim loquitur *de metu poenarum et gehennae,* cum docet sufficere « dolorem conceptum ex gehennae *et* poenarum metu », sumens utrumque pro eodem. Nam poena peccati mortalis est aeterna, et hanc peccator timere debet. Secunda sententia affirmat. Ratio, quia particula *et* disiunctive in sensu obvio sumenda est intelligendo *gehennam* pro inferno, Matth. 10., 28., *poenas* pro poenis temporalibus, sive Purgatorii, sive huius vitae. Confirmatur exemplo Ninivitarum, quod ipsum Trid. adducit S. 14. C. 4. S. Alph. 443. secundam hanc sententiam probabiliorem dicit, primam vero non carere sua probabilitate, saltem extrinseca; unde concludit: « puto tutius in praxi eam servandam esse ». Verum secundam sententiam alii vocant probabilissimam, La-Croix 884., alii moraliter certam, Elbel 59., alii omnino certam, et his adhaerere videtur Ballerinius, Gur. Baller. 452.

688. *An sufficiat attritio ex metu poenarum Purgatorii pro peccatis venialibus?* — R. Affirmative cum sententia communissima et moraliter certa; quia rationes omnes superius adductae pro sufficientia attritionis ex metu gehennae, hic quoque valent. Gur. 452.

689. *An sufficiat attritio ad sacramentum poenitentiae, si ex turpitudine peccati concipiatur?* — R. Affirmative. Trid. S. 14. C. 4. Verum *turpitudo* ista, motivum sacramentalis attritionis, ea est, quae Dei oculos offendit; quae animam foedat, Dei imaginem et similitudinem in ea deturpans; minime vero illa quae in infamia apud homines continetur et quae naturaliter inest vitio. Ratio, quia attritio non debet esse dolor de peccato utcumque, sed cum aliquo respectu ad Deum finem supernaturalem hominis; quaedam enim esse debet conversio ad Deum saltem imperfecta. — Lugo D. 5. n. 140. et seqq., Suarez D. 20. S. 2. n. 10., E. M.

690. *An dari possit sacramentum poenitentiae validum et informe, ob defectum sufficientis doloris?* — Duplex esse potest casus: 1.° Quando

quispiam duplicis peccati reus, ex invincibili oblivione, de altero tantum doleat, et hoc solum confiteatur. 2.° Quando quis, ex ignorantia invincibili, crederet, non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen dolor adesset de aliquo. — Porro prima sententia tenet tale sacramentum esse validum et formatum, quia poenitens nullum gratiae obicem ponit. Secunda sententia tenet, esse non solum informe, sed invalidum, quia dolor est insufficiens. Tertia sententia tenet esse validum sed informe; *validum*, quia nulla deest essentialis pars sacramenti, *informe*, quia unum mortale sine alio remitti non potest; et aliud non potest remitti, quia deest dolor. Prima sententia *vera videtur* D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 312., tertia *probabilior* S. Alphonso est, 444. — Porro quaestio haec ideo movetur; ut sciatur an poenitens teneatur iterum confiteri peccata, quae iam confessus est, quod quidem in hac sententiarum varietate dubium est. — Lugo D. 14. n. 65. seqq., S. Th. S. q. 9. a. 1., 4. D. 17., q. 3. a. 4., q. 1.

691. *An qui in articulo mortis susceperit sacramentum poenitentiae cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis?* — Prima sententia affirmat, et hanc tenent Suarez D. 14. S. 6. n. 18., Sanch. in Dec. T. 1. l. 1. c. 1. n. 34., etc. Ratio, quia tempore tantae necessitatis tutiora media ad salutem sunt eligenda. Secunda sententia negat, et hanc tenent Lugo D. 7. n. 263., Laym. c. 11. n. 7., etc. Ratio, quia obligatio tantum habetur sive tempore vitae sive tempore mortis eligendi media tuta, non autem tutiora. Atqui ex Trid. S. 14. C. 4. certum est, attritionem sufficere in sacramento ad gratiam consequendam. L. 440. — Utraque sententia, ait S. Alph. 437., est *probabilis*, sed prima omnino consulenda, quod per se patet, cum agatur de summo salutis negotio. Addit insuper S. D. primam esse omnino sequendam, propter aliam rationem, nimirum propter obligationem eliciendi tunc actum caritatis. Verum cum de hac etiam obligatione res sit controversa, pro homine nempe iam iustificato per sacramentum, qui iam habet sanctificantem gratiam et caritatem habitualem, non videtur certa obligatio imponenda. — Gur. Baller. 445.

692. *An ad consequendam gratiam in sacramento poenitentiae praeter dolorem requirantur etiam explicite actus fidei et spei?* — R. Negative. Ratio est, quia nullo probabili argumento probari potest hos actus explicite requiri. Ceterum poenitens eliciens actum doloris, etiam explicite aliquo modo et exercite hos actus elicit, etsi non reflexe; quia tunc sine dubio credit exercite, et sperat sibi per sacramentum poenitentiae, in virtute meritorum Christi, peccata remittenda esse. — L. 439., E. M.

693. *An ad iustificationem in sacramento poenitentiae obtinendam cum attritione etiam initium amoris requiratur?* — R. Negative, si per *initium amoris* intelligatur aliquis gradus caritatis perfectae, qua Deus super omnia diligitur. Ratio est, quia ad rite suscipiendum sacramentum non praerequiritur necessario actus, qui extra sacramentum essentialiter iustificet. Atqui actus caritatis, atque adeo « dolor, qui ad rationem contritionis sufficiat, quantumcumque parvus sit, omnem culpam delet », ut ait S. Th. q. 5. a. 3. Ergo. S. Alph. 440. hoc dicit esse moraliter certum. — Concedi autem potest et debet, *initium* aliquod *amoris* requiri, quatenus attritio, ut ad sacramentum disponat, excludere debet, ut Trid. loquitur,

peccandi voluntatem; ac ut ait S. Th. 2. 2. q. 17. a. 8., « aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipso puniri, cessat a peccato ». — Atque hic notandum est, contritionem non solum remittere culpam et poenam aeternam, verum etiam posse, valde intensam et perfectam, omnem abolere poenam; quam tamen efficaciam ex natura sua necessario non habet. — Trid. S. 6. C. 6. 14. c. 30., S. 14. C. 8. c. 12., E. M.

III. — DE PROPOSITO

694. *Quid et quotuplex sit propositum; quaenam eius dotes; et necessitas?* — R. ad 1.um Propositum est voluntas non peccandi de cetero. — Duplex est: 1.° *explicitum*, seu *formale*, quo quis de futuro cogitans statuit non amplius peccare: 2.° *implicitum*, seu *virtuale*, quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus prae oculis habeatur.

Ad 2.um Propositum verum triplici conditione gaudere debet; scilicet requiritur, ut sit *firmum*, *efficax*, et *universale*. — 1.° *Firmum*, nimirum poenitens habere debet sinceram voluntatem non relabendi in peccatum, non obstante quocumque incommodo aut timore humano: secus enim non vellet totaliter et sincere ad Deum converti. Non debet tamen confessarius animum poenitentis tentare, adhibitis comparationibus ad perturbandam eius phantasiam idoneis. Firmum autem esse debet etiam, quando non nisi de venialibus agatur. L. 451.

2.° *Efficax*, i. e. poenitens non tantum firmiter statuere debet, se amplius peccare nolle, sed etiam adhibere media necessaria ad peccatum vitandum, fugiendasque proximas occasiones, etc. Efficax propositum esse debet etiam quoad venialia, quae sint materia confessionis. — Verum, si poenitens *statim*, et *sine ulla fere resistentia* relabatur, indicium aliquod, vel saltem suspicionem aliquando praebere potest, quod proposito vere firmo caruerit; qui enim firmiter proponit, fere non adeo facile sui propositi obliviscitur, sed constans saltem per aliquod tempus perseverare solet, et conatus adhibere ad resistendum tentationibus vel peccati occasionibus, et proinde ordinarie difficilius rariusque cadit. L. 459., Lugo D. 14. n. 160. *Praevisio* tamen et *timor* relapsus ex praeterita fragilitate, et humanae voluntatis inconstantia, nullo modo impedit sincerum propositum, firmum et efficax. La-Croix 1733. 1822., Sporer 310., L. 451. — Difficultas practice occurrit, quando poenitens bonae alioquin voluntatis, sed rei arduitate perterritus dicat: se non posse hoc vel illud promittere, ne dein datam fidem infringat. Eum erigat confessarius reponens sufficere, *ut nunc serio velit*, *ut nitatur*, *ut oret;* facienti enim quod in se est, Deus non denegat gratiam. Sufficit ergo, ut propositum sit *efficax affective*, id est, sufficit ut peccator sit animo paratus ad media necessaria adhibenda; *futura* de facto *emendatio* non est de essentia propositi. — E. M.

3.° *Universale*, seu extendi debet ad omnia peccata mortalia non patrata modo, sed etiam quae patrari possent. Ratio est, quia plena et vera ad Deum conversio dari nequit absque letalis cuiuslibet peccati aversione. Satis vero est, « ut proposita *in genere* foeditate peccati, Dei bonitate, et periculo damnationis, etc. poenitens concipiat *generale propositum* nunquam iterum peccandi mortaliter ». Suarez D. 33. S. 2. n. 2.,

Caietan. Summ. V. *Confessio* ad 12. qualit., Lugo D. 7. n. 199. 238., Laymann C. 4. n. 8. — Quare neque requiritur neque vero semper expedit *speciale propositum* de singulis peccatis gravibus vitandis. Ad venialia vero quod spectat, ut non est necessarius dolor universalis ita neque universale propositum. — L. 451., S. Th. 3. p. q. 87. a. 1., Cf. 679., E. M.

Ad 3.um Propositum, saltem *implicitum*, est omnino necessarium ad peccati remissionem; quia propositum est necessarium contritionis consectarium, ac saltem virtualiter in ipsa inclusum, ut ex huius natura et definitione constat. — *An vero requiratur propositum etiam explicitum*, controvertitur. Iuxta S. Lig. 450. triplex est sententia. Prima, quam pauci quidam tenent, absolute affirmat: quia, licet dolor includat necessario propositum, attamen explicitum requiri videtur a Trid. aiente: « Cum proposito non peccandi de cetero ». — Secunda sententia, quam Cardenas vocat moraliter certam, absolute negat. Ratio est, quia dolor, si ex motivo generali eliciatur, includit propositum plane efficax. Alioquin vero ex Trid. quando attritio voluntatem peccandi excludit, sufficienter disponit hominem ad impetrandam gratiam in sacramento. Elbel 87., Laymann c. 4. n. 6., Salmant. c. 5. n. 54., Lugo D. 14. n. 51., qui hanc sententiam dicit esse communem inter recentiores. — Tertia sententia, quam communem dici testatur S. Lig., docet quod, si poenitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem; secus, si poenitens nihil de futuro cogitet. Verum, si cogitet de futuro, consentiunt omnes, vix fieri posse, ut sincere poenitens simul propositum explicitum et formale non eliciat. — Suum autem de hisce iudicium sic S. Lig. ib. interponit: « Hae duae ultimae sententiae sunt quidem probabiliores: sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi ante factum tutius sequenda est ».

Cum autem, S. Alphonso teste l. c., plerique etiam eorum, qui pro prima sententia allegantur, consentiant, « quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere »; patet, in hanc conclusionem, quae unica ad praxim deservit, sententias demum omnes atque doctorum omnium suffragium convenire. Quamvis vero S. D. dicat, se « non valere huic sententiae acquiescere »: hoc tamen apertissime repugnat doctrinae, quam alibi ipsemet tradit, 505.: « sedulo advertendum, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter certo constet eas fuisse invalidas, ut recte dicunt La-Croix, Gobat, etc. cum communi ». — Accedit auctoritas Concilii Romani sub Benedicto XIII., in Basilica Lateranensi celebrato anno universalis Iubilaei 1725. Tit. XXXII. C. 3. legitur: « Instructiones ad Sacramenti Poenitentiae et Eucharistiae, a pueris primo suscipiendorum, usum et cultum pertinentes, breves simul et claras, dabimus in nostri huius Concilii fine ». Porro in Instructione pro pueris ad Sacramentum Poenitentiae accessuris, quae ad calcem eiusdem Concilii subiecta cernitur, haec Part. III. p. 303. habentur: « *Penitente*. Chi si confessa senza dolore dei peccati, e senza proposito di non peccar più, riceve il perdono? — *Confessore*. Se non ha almeno il dolore imperfetto, cioè l'attrizione, col fermo proposito, almeno *implicito*, di non peccare mai più, certamente, se si confessa, la Confessione non vale, e non riceve il perdono de' peccati ». In quibus manifeste ut sufficientia simul aequiparantur tum dolor imperfectus, seu attritio, tum propositum implicitum. Hinc D'Annib. Ed. 3.a P. 3.a n. 313. hanc sententiam hodie certam dici posse asserit. Ac S. Th.,

teste ipso Bellarmino, qui stat pro tertia sententia, non distinguit inter implicitum et explicitum; et iure prorsus, nam taciti et expressi eadem est efficacia.

Necessitas autem illius expliciti propositi, vel est ex praecepto aliquo positivo independenter a natura iustificationis extra sacramentum, et in sacramento; vel ab ipsa dependenter. Primum dici nequit, nam 1.° poenitentia, si praecepta est, non est praecepta nisi propter iustificationem. 2.° Ipse S. Alph. fatetur, rem esse controversam et dubiam, et *probabilius* non requiri explicitum propositum; legem autem dubiam non obligare. Neque vero alterum dici potest; nam vel exigitur explicitum illud propositum a iustificatione extra sacramentum, vel a iustificatione in sacramento. Primum esse nequit; nam *formalis caritatis actus* statim iustificat, sine illo explicito proposito: ergo et contritio caritate perfecta. Alterum item esse non potest; nam non requiritur maior dispositio ad iustificationem in sacramento, quam extra sacramentum. — Aliud autem est quod Trid. declarans naturam contritionis *explicite* commemoret propositum in ea inclusum, aliud est quod commemoret propositum *explicitum;* illud, non hoc facit. Neque hoc ex illo sequitur; secus requirerentur etiam actus alii expliciti, quos explicite Trid. commemorat, *spei, fiduciae, voti confessionis, voti satisfactionis,* etc. Neque vero inutiliter commemorat Trid. explicite propositum non peccandi de cetero. Hoc enim fecit ad explicandam vim et effectum connaturalem contritionis, cum ceteroquin dari possit dolor et contritio non continens universale propositum. Deinde Trid. statim addit, hanc contritionem fuisse quovis tempore necessariam ad iustificationem. Contritio, quovis tempore iustificans, non comprehendit necessario explicitum propositum, ut patet etiam exemplo Davidis, filii prodigi, etc. Cf. etiam Trid. S. 6. C. 14. Ac si ex Trid. ad iustificationem in sacramento sufficit etiam attritio, si excludat voluntatem peccandi, sufficit certe contritio, si excludat eandem voluntatem, quin aliud requiratur. — E. M.

IV. — DE CONFESSIONE

695. *Quid sit confessio?* — *Confessio* est accusatio peccatorum, post baptismum patratorum, facta sacerdoti approbato, in ordine ad absolutionem. Trid. S. 14. C. 1. 5., L. 445.

696. *An confessio sit necessaria? et quandonam obliget?* — Confessio est *de iure divino* omnibus, post baptismum lapsis in peccatum mortale, *necessaria.* Trid. S. 14. C. 5. c. 6. 7. — Praeceptum hoc *obligat* certo *per se* in periculo, eoque magis in articulo mortis, et aliquando in vita. Ratio 1.ᵃ est, quia omnia praecepta positiva obligant saltem tempore necessitatis; secus enim nunquam obligarent, frustraque imponerentur. Ratio 2.ᵃ est, quia praecepta affirmativa non obligant tantum in extrema necessitate, sed etiam quando eorum impletio rationabiliter necessaria iudicatur. — *Obligat* saepe *per accidens,* scilicet: 1.° Cum eucharistia suscipienda est. 2.° Quando urget praeceptum se reconciliandi cum Deo, vel requiritur status gratiae, v. g., ad sacramenta administranda, vel ad ea recipienda, quae dicuntur vivorum, nec elici potest actus contritionis perfectae.

3.° Quando urget gravis tentatio, quae secus superari nequeat. Sed « vix potest cogitari occasio, in qua non possit superari tentatio, aut vitari peccatum, nisi per medium confessionis ». Suarez D. 35. S. 3. n. 10. Ideo de hac obligatione scrupulus fidelibus iniiciendus non est. 4.° Si probabile sit, se nunquam postea habiturum copiam confessarii. L. 665. — E. M.

697. *An praeceptum divinum confessionis statim obliget ac patratum est peccatum; vel quonam tempore urgeat?* — Non obligat *statim post peccatum.* Ratio est, quia talis obligatio nullo certo fundamento nititur. — Facile determinari nequit, *quoties* in vita et *quo* praeciso *tempore* urgeat praeceptum divinum. Quidquid sit, nihil dubitandum, quin ille satisfaciat, qui vel *semel tantum in anno* confitetur; quia non constat praeceptum divinum frequentius urgere. Iuxta multos Christus reliquit obligationis tempus Ecclesiae determinandum. Porro Ecclesia confessionem *semel in anno* peragendam praescripsit. Conc. Later. sub Innoc. III. C. *Omnes utriusque sexus*, Trid. S. 14. c. 8.

698. *An confessio vocalis esse debeat, seu ipsa voce fieri debeat?* — R. Affirmative. Flor. Decr. pro Armen. « Rationem adducunt Holzm. et Spor., quia licet confessio nullo iure praecepta sit fieri vocaliter, tamen cum communi Ecclesiae usu sit receptus modus sic confitendi, hinc nunc obtinet vim praecepti, et proinde sine gravi causa foret illicita confessio aliter facta ». L. 429. — Gravis autem causa esset, « si quis ob angorem gutturis, impedimentum linguae, aut si puella supra modum verecunda, in explicando voce sua peccata, valde gravem difficultatem sentiat ». L. ib. De ultimo hoc casu loquens Busemb. 493. ait: « Scripto a confessario lecto, addat voce: de his me accuso ». Et sic nulla erit difficultas. Inquit praeterea S. Alph. 493.: « Idem sentit Tamb. de scrupuloso, qui putat scripto melius se explicare ». — Ceterum confessio per scripturam confessario praesenti *valida* est. *Invalida* est confessio *per litteras* facta *absenti confessario*, licet deinde absolutio detur a confessario praesente. Decr. Clem. VIII. 20. Jun. 1602., Paul. V. 14. Iul. 1605., L. 428. — Qui vero voce confiteri non potest, quia est, e. g., mutus, tenetur utique saltem per nutum confiteri, secundum communem sententiam, L. 493., sed non tenetur confiteri *per scripturam*, tum ob periculum revelationis, tum quia scriptura est medium extraordinarium, quod nunquam de facto in Ecclesia habitum est uti praescriptum, tum quia scriptura est de se publica, et confessio de se secreta est, Diana T. I. t. 3. R. 72. n. 2., Ithur. Cas. 38. n. 6.-10. Oppositum tamen *probabilius* videtur S. Alphonso 479. Haec vero habet S. Th. 4. D. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad 2.: « Dicendum, quod in eo, qui usum linguae non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguae, *sufficit*, quod per scriptum *aut* nutum, *aut* interpretem confiteatur: quia non exigitur ab homine plus quam possit..., et ideo, quando *non possumus* uno modo, *debemus* secundum quod possumus confiteri ». Cf. etiam Quodl. 1. a. 10. — E. M.

699. *Resolves:* 1.° Muti et surdi tenentur aliquo modo confiteri, saltem per signa; nisi sint adeo ignari et hebetes, ut nihil extundi ab ipsis possit. Ratio est, quia praeceptum confessionis respicit omnes fideles, qui sua peccata ratione aliqua manifestare possunt. Hinc muti sufficienter instructi tenentur integre confiteri, saltem signis, si haec a confessario

intelligantur; si autem sint minus instructi, aut difficulter a confessario intelligi possint, sufficiet ipsis unum tantum vel alterum peccatum manifestare, aut in genere tantum confiteri, et signa doloris dare. Surdi autem, usum linguae habentes, tenentur ex parte sua confiteri peccata, quae memoriae occurrunt; sed confessarius non tenetur eos interrogare ad procurandam confessionis integritatem, ob nimiam interrogandi difficultatem et revelationis periculum. — Muti, scribere scientes, *scripto* confiteri non tenentur ad procurandam confessionis integritatem. Res enim saltem controversa est inter dd., adeoque lex dubia est.

2.° Ignari idiomatis loci in quo versantur, et carentes confessario, a quo intelligi possint, tenentur, urgente praecepto annuae confessionis, et in articulo mortis, confiteri aliquo modo, saltem signis generalibus. Ratio est, quia urget praeceptum divinum et ecclesiasticum. Nam etsi integre confiteri nequeunt, tenentur tamen ad id quod possunt. Neque vero confiteri tenentur *per interpretem*; est enim onus gravissimum, et multis periculis obnoxium, v. g., revelationis, irrisionis, etc. Et Conc. Later. C. *Omnis utriusque sexus de Poenit.* ait: « Sua *solus* peccata confiteatur ». Itemque Trid. S. 14. C. 5.: « Quoad modum confitendi secreto apud *solum* sacerdotem » etc. Ithur. Cas. 38. n. 11. seqq., L. 479. — E. M.

V. — DE INTEGRITATE CONFESSIONIS

700. *An confessio integra esse debeat; qualis sit huiusmodi integritas; quaenam eius vis?* — R. Confessio *integra* esse debet. Ratio est, quia nullum iudicium, causa incognita, exerceri potest; quia confessarius salutares poenitentias imponere, et efficacia remedia praescribere debet. Trid. S. 14. C. 5. c. 7. — Integritas alia est *materialis*, alia *formalis*. *Materialis* sita est in accusatione omnium peccatorum mortalium, quae simpliciter commissa sunt, vel quae post diligentem sui discussionem menti occurrunt. *Formalis* consistit in accusatione omnium peccatorum, quae post diligentem sui discussionem menti occurrunt, et quae quis hic et nunc, spectatis circumstantiis, moraliter confiteri potest vel tenetur. Integritas materialis non est semper necessaria; interdum enim est moraliter impossibilis ex inculpabili oblivione: et licet menti occurrant peccata, ex aliis iustis causis confessio evadit moraliter impossibilis. Quare necessaria tantum est integritas *formalis*. Trid. S. 14. C. 5. — Ratione integritatis *sub gravi* accusandae sunt *species infimae* peccatorum, eorumque *numerus* exactus; ita ut neque liceat augere neque imminuere peccata. Si quis *speciem infimam* peccatorum confiteri non potest, debet ea confiteri quoad speciem superiorem vel genus, quod potest. Itemque, si quis *numerum* praecise determinatum confiteri non potest, confiteri debet numerum qui magis accedit ad veritatem, adhibendo, e. g., particulam *circiter*, vel, si neque hoc potest, dicere debet, *quoties circiter* in anno, in mense, *in hebdomada,* in die, an frequenter, an raro, etc. « Bene advertit Sporer, confessarium non debere esse nimis anxium circa exquirendum *numerum* peccatorum in poenitente *consuetudinario*, quia saepe est impossibile talem numerum certum habere ». L. 466., Ithur. Cas. 38. n. 3. — Particula autem *circiter* sic fere a theologis intelligitur: *circiter*

ter est 2.-4., *circiter decem* 8.-12., *circiter triginta* 27.-33., *circiter centum* 95.-105., *circiter mille* 950.-1050. L. 466., Lugo D. 16. n. 78. 81. 94. seqq. 644. seqq. — E. M.

701. *Resolves:* 1.° « Odium diuturnum, sicut etiam concupiscentia carnalis in mulierem necessario sunt exprimenda in confessione... propter *numerum* peccatorum, quae in illa *diuturna* mora replicantur ». L. 467. — 2.° Qui peccatorum numerum *circum circiter* quantum potest declaravit, reperiens deinde notabilem excessum, illum declarare debet, quia maior numerus in minori non continetur; si e contrario reperiat deinde numerum notabiliter minorem, ad nihil tenetur: verus enim numerus in maiori fuit comprehensus. — 3.° Ad integritatem confessionis praerequiritur diligens examen, Trid. S. 14. C. 5., pro capacitate poenitentis, temporis mora, et ceteris circumstantiis. Ad id autem sufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, qualem moraliter loquendo docti et timorati adhibere solent, etiamsi quis putet maiori diligentia plura se reperturum. Bonac. t. 1. D. 5. q. 5., Laym. l. 5. tr. 6. c. 8. Ratione autem inadvertentiae raro contingit, confessionem esse sacrilegam ob defectum praevii examinis. Examen hoc prudenter a confessario potest suppleri discretis interrogationibus, neque maiori diligentia, quam teneatur ipse poenitens, pro sua conditione, praesertim quoad rudes, aliosque, de quibus verendum sit, ne semel dimissi amplius non redeant. Necessarium vero non est peccata scribere, ne memoria excidant; neque id consulendum est, ob periculum evulgationis. — L. 471. 504., Lugo D. 16. n. 573. seqq. — E. M.

702. *An necessario accusandus sit actus externus peccati?* — R. Affirmative, quia est quid unum et idem cum actu interno in genere moris, et duo haec unum totale constituunt. Aliunde actus externus est directe prohibitus lege divina, v. g., *Homicidium non facies.* Insuper absque declaratione actus externi plerumque confessarius munere suo fungi non posset, ut par est, circa monita praebenda, etc. Constat etiam ex consuetudine universali fidelium, quae legem in hoc sensu explicat, et ex pr. 25.ª d. ab Alex. VII. — E. M.

703. *An effectus peccati necessario in confessione sit exprimendus?* — Alii affirmant, quia est malus seu peccatum saltem in causa; alii negant, quia est malus seu peccatum tantum denominative. — Affirmat S. Alph. l. 5. n. 10. « Omissio, ait S. D., voluntaria *in causa* etiam imputatur ad peccatum, etsi voluntas postea non possit operari, puta si quis se inebriet, praevidens causa ebrietatis se omissurum missam, tunc tenetur confiteri causam et effectum illius, ebrietatem scilicet et omissionem sacri, ut melius dicunt Salm., etc. cum aliis communiter contra Vazq., etc., modo ante effectum secutum non retractetur voluntas, ut probabiliter docent Sanch., etc.; tunc enim est probabile non teneri confiteri effectum secutum. Ex hoc etiam deducitur, quod si effectus accidat post retractationem, non incurritur censura contra peccantes imposita, quia ista requirit contumaciam in actu peccati ». Cf. etiam l. 4. n. 149. et l. 7. n. 40.

Negat vero Lugo, qui haec habet: « Supponendum est in peccato, v. g., quo alium veneno occidisti, intervenire *actum* in primis *voluntatis internum*, quo voluisti dare illi venenum: deinde *actionem externam*, qua venenum praeparasti et dedisti; deinde *effectum secutum*, scilicet mortem

illius... Prima et satis communis (sententia) affirmat esse explicandum effectum externum... Contrariam sententiam defendit late P. Vazquez, etc. Quae sententia verior semper mihi visa est... Ratio magis communis... est, quod *actus externus,* qui denominatur liber a libertate actuali actus interni est vere et proprie peccatum: *effectus* vero postea consecutus, in somno v. g., non est proprie peccatum..., sed effectus peccati: in confessione autem explicari debent omnia et sola peccata; ideo debet explicari *actus externus,* quando est actus liber: non vero *effectus* postea secutus..., quia non potest esse peccatum actuale in eo, qui actu non peccat, nec potest actu peccare, qui actu non agit: ille autem qui dormit, dum eius inimicus veneno moritur, nihil tunc agit; ergo tunc non peccat ». De Poen. D. 16. n. 437. 439. 440. 449. — Verum haec sententia limitanda est, nisi poenitens incurrerit *censuram* vel *casum reservatum* propter effectum secutum. Hanc limitationem ipsemet Lugo habet, immo addit: « Contingere etiam potest, quod incurratur censura ab eo, qui iam per contritionem, vel per attritionem cum sacramento est iustificatus a peccato praeterito », n. 453. Cf. etiam n. 460. et Laymann l. 1. T. 2. c. 2. n. 5. Sed, ut optime observat Ithur. Cas. 40. n. 31. seqq., Cas. 50. n. 26. seqq., reservatio non est, ubi non est subiectum reservationis, seu peccatum, quum iam fuerit absolutum. Nam nullius entis nullae sunt proprietates. Quod non *est*, neque *tale est.* Ubi autem praecesserit tantum voluntatis retractatio, causa per voluntatem retractata, non est in seipso amplius culpabilis effectus. Reservatio autem aut censura incurri non potest, quando per actum non peccatur. — Limitanda praeterea eadem sententia est, nisi confessarius non solum iudicis sed et doctoris, et medici officio defungens poenitentem de secuto effectu interroget. Instr. pro parv. etc. P. 4. in fine Conc. Rom. edita iussu Bened. XIV.

704. *An officiat integritati confessionis, si quis accuset venialia confessario ordinario, mortalia vero alteri?* — R. Negative, *per se loquendo*, dummodo absolutionem nunquam recipiat, quin omnia mortalia prius et uni manifestaverit, et ab eodem absolvatur. Ratio est, quia peccata gravia sunt *materia* confessionis *necessaria*, et *integra* est illa confessio, quae *omnia mortalia* complectitur, cum venialia non sint necessario accusanda. — In praxi autem attendendum est ad poenitentium circumstantias, et ad motiva quibus ducuntur. Non enim sunt damnandi, qui aliquando graviora peccata ignoto confessario confitentur, leviora vero ordinario subiiciunt, si ex pudore, quo suffunderentur cum confessario familiariter cognito, periculo se committerent sacrilege confitendi. Quare confessarius non nisi *imprudenti* curiositate de ea re inquireret; « nisi tamen ea occasione maneat poenitens in morali occasione peccandi; aut ideo *circumeat*, ut liberius peccet; tunc enim graviter peccabit, et ob defectum attritionis confessio erit nulla ». — Hinc, licet neque *occasio* neque *consuetudo* sint *per se* necessario accusandae: confessarius tamen *ius* habet inquirendi et de *occasione proxima*, et de *consuetudine*, tum si prudens suspicio sit quod a poenitente circa eius dispositiones decipiatur, tum si inde *speciale* peccatum habeatur, tum ut *salutarem* et *convenientem* satisfactionem imponat. — Pr. 58. d. ab Innoc. XI., Lugo D. 14. n. 172. 173., D. 16. n. 57., Suarez D. 22. S. 3. n. 10., L. 471., Cf. 707.

705. *An officiat integritati, si quis simulet aliam vocem, ne a confessario agnoscatur?* — R. Negative, *per se;* dummodo enim omnia mortalia aperiat, confessionem integram peragit. Nec necesse est, ut a confessario nominatim cognoscatur; sufficit enim, ut confessarius praesentem peccatorem absolvere intendat: intentio autem confessarii *per se* semper ad poenitentem est determinata. La-Croix l. 6. P. 1. n. 68.

706. *An circumstantiae peccatorum mortalium, notabiliter aggravantes, sint necessario confitendae?* — « Adsunt tres sententiae, omnes valde probabiles. — Prima sententia affirmat. Prob. 1.° ex Rit. Rom. *de Sacram. poenit.*, ex Catech. Rom. P. 2. C. 5. n. 47. Prob. 2.° ratione, quia eadem ratio, quae suadet circumstantias speciem mutantes esse confitendas, urget etiam pro circumstantiis notabiliter aggravantibus, cum utraque iudicium confessarii notabiliter mutent. — Secunda sententia dicit necessario esse confitendam circumstantiam *quid*, quae scilicet attingit integritatem substantialem peccati in individuo, prout est quantitas furti. Ratio, quia alias confessarius non poterit efformare debitum iudicium de substantia peccati. — Tertia sententia, *mihi probabilior*, negat esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes. Prob. 1.° ex D. Th. 4. D. 16. q. 3. a. 2. q. 5., qui sua auctoritate magnum quidem pondus huic sententiae praestitit. Prob. 2.° rationibus. Ratio 1.ª, quia ex verbis Trid. S. 14. C. 5. videtur non obscure Conc. excludere obligationem confitendi alias circumstantias, quam mutantes speciem: quia has sufficere satis innuit, ad hoc, ut confessarius rectum efformet iudicium de gravitate criminum, et de poena imponenda. Ratio 2.ª, quia alias poenitentes semper inter angustias fluctuarent, cum semper dubitare possent de integritate suarum confessionum, in determinando, quae circumstantiae sint vel ne notabiliter aggravantes. D. Th. l. c. q. 5. ad 2. Unde huius sententiae Lugo assignat rationem a priori, dicens quod Christus nihil aliud praecepit, quam confessionem peccatorum; qui autem explicat circumstantias mutantes speciem peccati, iam vere confitetur et explicat essentiam peccati, cum peccati quidditas sive essentia sumatur ex ipsius ratione specifica. Ratio 3.ª, quia si teneremur manifestare circumstantias notabiliter aggravantes, teneremur etiam confiteri notabiliter minuentes, nempe si quis peccavit ex ira, metu, intensiori passione, ex inductione aliorum, et similibus, quam obligationem etiam adversarii negant. Ratio ultima et potior, quia nemo tenetur servare *legem dubiam;* unde cum lex confitendi circumstantias aggravantes sit *valde dubia,* ad illam non tenemur, et ideo, bene ait Lugo, Trid. non explicavit hanc obligationem illas confitendi, quia non satis Conc. id colligere potuit ex Christi verbis et sacramenti institutione ». L. 468. — *Excipe:* « si circumstantia invehat censuram, vel reservationem, vel ad necessariam poenitentis directionem a confessario prudenter interrogetur ». L. 467. — Instr. pro parvul. etc. P. 4. in fine Conc. Rom. edita iussu Bened. XIII., Lugo D. 16. S. 3.

707. *An circumstantia consuetudinis peccati mutet speciem; et sit in confessione manifestanda?* — R. Ad. 1.um « Dicendum, quod diuturnitas non est circumstantia, trahens in aliam speciem; similiter nec frequentia vel assiduitas, nisi forte *per accidens* ex aliquo supervenienti. Non enim aliquid acquirit novam speciem ex hoc quod multiplicatur vel protelatur; nisi forte in actu protelato vel multiplicato superveniat aliquid, quod

variet speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid huiusmodi ». S. Th. 1. 2. q. 88. a. 5. ad 1.

Ad 2.um « Duplicem distinguere oportet consuetudinem: alteram, quae inducit ad similia peccata cum sua libertate et advertentia perpetranda: alteram, quae inducit ad peccata perpetranda sine libertate et advertentia, atque adeo ita, ut ea non sint novum peccatum, sed peccatum *(in causa)* consistat in eo, quod ea consuetudo sit libere acquisita, aut in eo, quod non adhibeatur conatus debitus ad eam obliterandam; ut accidit, quando quis ex consuetudine blasphemat, aut peierat, quin advertat hic et nunc ad malitiam blasphemiae aut periurii. Haec posterior consuetudo libere inducta, aut non evulsa, tanquam speciale peccatum, fatenda est; graviter enim obligamur ad carendum illa. Quamvis enim non peccet hic et nunc, qui peierat aut blasphemat sine advertentia; peccat tamen, si non conatur evellere consuetudinem sic peierandi aut blasphemandi. Illa vero prior consuetudo tunc est etiam subiicienda clavibus, quando quis advertit, quod per illam ponatur in periculo proximo patrandi novas culpas: cum enim exponere se periculo proximo peccandi sit peccatum, qui advertit, quod per consuetudinem peccandi in eo periculo sit, speciale hoc peccatum committit, quod huic periculo se subiiciat, aut quod ab illo non conetur se avertere: quia tamen raro ad id homines advertunt, idcirco raro se accusant de hac consuetudine, atque adeo raro datur obligatio eam manifestandi, antequam confessarius de illa interroget. Verum quidem est, quod qui se exponit periculo peccandi, et statim peccat, sufficienter explicat utrumque peccatum, confitendo peccatum commissum, cum quo facit unum moraliter illud aliud, quo se exposuit periculo peccandi; at quando inter unum et aliud peccatum intercedit mora notabilis sufficiens ad moralem interruptionem, vel quando solum quis se exponit periculo proximo committendi aliquod peccatum, quin tamen illud committat, tunc seorsum explicandum est illud, quo quis periculo peccandi proximo se exposuit; in eo enim ipso peccatum est, iuxta illud Eccles. 3.: *Qui amat periculum, peribit in illo* ». Viva in pr. 60.^am damn. ab Innoc. XI. par. ult. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 200. seqq., Cf. 704., E. M.

708. *An poenitens declarare debeat diversas personas, cum quibus peccavit?* — R. Negative *per se.* Ratio est, quia sufficit ut declaretur *numerus* peccatorum et eorum *species;* peccata autem non ideo mutant *speciem*, quod cum pluribus patrata fuerint. — Hinc, qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendo, se ter fornicatum esse: nec tenetur sponte dicere, num complex unica fuerit, an plures, num fuerint meretrices, an aliae. Attamen, si confessarius de hoc interroget, poenitens respondere tenetur, quia expedit, ut confessarius sciat, utrum forte adsit proxima peccandi occasio, ut pronum est, si cum eadem persona pluries peccatum fuerit. Diversa autem et satisfactio et remedia a confessario praescribenda erunt, pro *multiplicitate* et *diversitate* personarum, quibuscum quis peccaverit. — La-Croix 1040., Bonacina de Integr. Diss. 3. n. 14., Tambur. in Decal. l. 7. c. 7., Elbel de Act. hum. 103.

709. *An ligatus voto castitatis peccans cum alio similiter ligato debeat utramque circumstantiam declarare?* — R. Affirmative. Ratio est, quia ibi

sunt duo peccata plane distincta, nempe peccatum *contra proprium votum*, et peccatum *cooperationis* cum alio ad votum illius violandum. — *Idem* prorsus dicendum de coniugato cum uxore alterius rem habente. « Diversa obligatio *in specie* est, qua ipse debet non violare suum matrimonium, et qua debet non procurare, quod alter violet suum ». Lugo D. 16. n. 258. — La-Croix 1063., Salmant. c. 6. n. 63., L. l. 2. n. 46.

710. *An sacerdos, vel religiosus peccans contra castitatem, conditionem suam aperire debeat, vel solam voti castitatis circumstantiam?* — Sufficit probabiliter, ut uterque circumstantiam voti manifestet, quia species obligationis non videtur mutari per specialem conditionem sive sacerdotis, sive religiosi. Utriusque enim votum *solemne* est. Utriusque ergo peccatum ad eandem *sacrilegii personalis* speciem pertinet. Controversia tantum de voto *simplici* esse potest, de qua Cf. V. 1. n. 500. — Lugo D. 16. S. 4. § 2.

711. *An qui commisit incestum explicare debeat qualitatem, nempe: 1.° cum consanguinea, vel cum affini; 2.° gradum consanguinitatis vel affinitatis?* — R. Ad 1.um Affirmant Lessius l. 4. c. 3. n. 79., aliique. Negant Lugo D. 16. n. 313. 316. aliique. Haec sententia probabilior existimatur a S. Alph. 469. et auctoritate ac ratione probatur S. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 2. « Persona affinis, ait, coniungitur alicui propter personam consanguinitate coniunctam, et ideo quia unum est propter alterum, *eiusdem rationis* inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas ».

Ad 2.um Suarez D. 22. S. 3. n. 12., Diana T. 1. tr. 7. R. 107., aliique ex S. Th. 2. 2. q. 154. a. 9., et Caietan. ib. existimant incestus omnes eiusdem esse rationis, et ad gradum quod attinet, non haberi inde nisi circumstantiam aggravantem propter eamdem virtutem pietatis, et reverentiam debitam coniunctis, quae laeditur; maior vero vel minor coniunctio non mutat speciem. Sententiam hanc approbare videtur Ballerinius ap. Gur. 486. — Navarrus Man. C. 7. n. 4., aliique tenent incestus speciem immutari ex vario coniunctionis gradu, quia inter gradum et gradum specialis est reverentia. Hanc sententiam minus probabilem dicit S. Alph. 470. — Salmant. De 6.° Dec. praec. C. 5. n. 28. 36., aliique, innixi etiam auctoritate A. D. tenent specie tantum differre incestum in primo gradu tam lineae rectae quam lineae transversalis, quia reverentia debita coniunctis in primo illo gradu diversae est rationis. Hanc sententiam S. Alph. l. c. aeque probabilem dicit videri ac sequentem. — Tambur. Meth. Confess. l. 2. c. 5. § 2. n. 6., aliique censent omnes incestus inter consanguineos, excepto tantum primo gradu in linea recta, esse eiusdem speciei. Ratio, quia non nisi in dicto primo gradu adest specialis ratio coniunctionis et reverentiae debitae. « Et pro hac sententia, ait S. Alph. l. c., videtur indubitanter esse D. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. », eamque dicit videri omnino tenendam, et addit: « imo recte Lugo D. 16. n. 314., etc. docent explicandum, an pater peccavit cum filia, vel cum matre filius, cuius culpa habet diversam malitiam ratione specialis reverentiae matri debitae ». — Verum Tambur. ib. c. 7. n. 48. statuit quemlibet incestum sive ob consanguinitatem sive ob affinitatem, quisquis sit gradus, specie non differre. Ac *ratione paritatis* affirmat, idem non improbabiliter dicendum etiam de aliis iniuriis illatis quoad parentes, fratres, uxorem, de quibus proprie egerat. C. 5. § 2. n. 6.

712. *An declaranda sit propinquitas personarum in peccatis odii vel iniuriae?* — R. Ad 1.um Quoad odium, Affirmative, si agatur de propinquitate *propiori* ob strictum virtutis *pietatis* vinculum. Hinc declarandum est odium grave in parentes, filios, avos, nepotes, coniugem, in fratres, sorores, affines in primo gradu. — Negative vero probabilius, si agatur de propinquitate *magis remota,* inter ceteros nempe consanguineos aut affines. Stante enim *magis remota coniunctione,* circumstantia tantum aggravans habetur, et non etiam mutans speciem, in confessione necessario exprimenda. — Lugo D. 16. n. 303. seqq.

Ad 2.um haec Lugo de Poenit. D. 16. n. 299. seqq.: « Ego puto, non posse in hoc puncto dari unam regulam universalem; aliquando enim circumstantia personae coniunctae, contra quam peccatur explicanda erit; aliquando non erit; quod quidem pendet ex qualitate offensae et ex gradu coniunctionis. Unde, si parentes a filio percutiantur, si occidantur, si afficiantur contumeliis, si infamentur, peccata illa habent procul dubio circumstantiam specialem *contra pietatem,* amorem, reverentiam parentibus debitam, quae graviter laeduntur per eiusmodi peccata. Ex hoc tamen non fit, quod omnis iniuria gravis, quae sit contra patrem, habeat illam aliam malitiam specificam contra pietatem, et debeat in confessione explicari. Nam, si filius furatur patri id quod sufficit ad peccatum mortale furti *contra iustitiam,* non semper peccat graviter *contra pietatem,* aut tenetur eam circumstantiam explicare..., quia... non... opponitur graviter contra id quod pietas et reverentia erga patrem exigit ».

713. *An necessario accusanda sit circumstantia dignitatis et officii personae, v. g. si peccans sit superior, magistratus, sacerdos, etc.; si sit confessarius?* — R. Ad. 1.um Negative probabilius *per se,* i. e., seclusa ratione scándali aut officii, vel obligationis particularis. Ratio est, quia circumstantia dignitatis personae peccantis non mutat speciem peccati per se, sed peccatum ad summum aggravat. — *Parricidio* vero aequiparatur crimen *laesae maiestatis,* v. g., si quispiam occidat Papam, Imperatorem, Regem, Principem, propter eamdem virtutem *pietatis* cui opponitur. — Lugo D. 16. n. 309.-311.

Ad 2.um R. Negative probabilius, modo nullam relationem habeat ad confessionem. Ratio est, quia confessarius ex officio suo tenetur tantum ad rectam directionem in tribunali poenitentiae: ex qua directione nulla oritur cognatio spiritualis. Nulla insuper per hoc peccatum fit iniuria sacramento, cum ad confessionem nullum respectum habeat. Facile tamen patet, omnino esse absterrendum tum eiusmodi poenitentem, ne apud illum sacerdotem ulterius confiteatur, tum eiusmodi confessarium, ne illum poenitentem ulterius ad confessionem admittat. — Lugo D. 16. n. 351. seqq., L. l. 3. n. 451.

Distinctio igitur facienda est inter *excellentiam* et *dignitatem* personae ac eius *officium.* Circumstantia *excellentiae* et *dignitatis* personae *per se* est tantum aggravans, quia nulla inde *specialis* virtus graviter laeditur. Circumstantia vero *officii* est mutans speciem, si officium sit peculiarem obligationem inducens procurandi bonum spirituale alterius. « Nam episcopus, v. g. vel parochus ex proprio munere sunt pastores et medici suorum subditorum, atque adeo specialiter tenentur ad impedienda eorum peccata et ad procurandam eorum salutem: peccant ergo contra

debitum sui officii, si positive maculare conentur animas illas, pro quibus specialiter debebant invigilare: quod peccatum non solum pertinet ad speciem scandali, sed etiam est specialiter contra debitum satisfaciendi proprio officio episcopi, vel pastoris, etc.... E contra vero non reperitur illa malitia in quolibet confessario: nam licet in ipso actu confessionis sit pastor et medicus, et habeat peculiarem obligationem gubernandi et curandi poenitentem: postea tamen, qui ex officio non habet illud munus, non retinet peculiarem aliquam obligationem, eo solum, quod semel audierit confessionem illius... Facilius id posset concedi in eo, qui licet non sit parochus vel praelatus, est tamen specialiter ab ipso poenitente electus et assumptus in patrem spiritualem, a quo gubernetur, quod munus habitualiter acceptavit, et retinet, atque adeo ex ipso habituali munere obligari videtur ad mediocrem saltem diligentiam circa salutem sui clientis, et multo magis ad non afferendum illi positive periculum adeo grave damnationis aeternae ». Lugo de Poenit. D. 16. n. 356.-358. 179.-181., L. l. 3. n. 451., Elbel de Act. hum. n. 97.

714. *An necessario accusanda sit circumstantia temporis sacri?* — R. Negative. Patet ex praxi universali tum confessariorum, tum poenitentium; quippe constat, nec illos sollicitos esse de tali circumstantia interrogandi, nec hos illam declarare solitos. Circumstantia igitur temporis sacri non videtur explicanda, nisi quaedam specialiter prohibeantur ob reverentiam temporis, v. g., ne quis die *Parasceves* ludos publicos, comoedias, aut ludicra spectacula exhibeat. — Lugo D. 16. n. 520., L. l. 3. n. 273.

715. *An satisfaciat integritati confessionis, qui peccatum recens accusat tanquam olim commissum?* — « R. 1.° Affirmative, per se, quia temporis circumstantia minime ad confessionem pertinet. Hinc obligationi confessionis satisfacit poenitens, qui nova peccata cum antiquis immiscet, vel qui confessionem generalem instituens, non discernit ab aliis peccata mortalia ab ultima confessione patrata, licet id de industria faciat ad tegendum tempus, quo peccata commisit. — 2.° Si vero poenitens mentiatur circa tempus, v. g., si neget se peccasse hodie, et declaret peccatum velut alio tempore determinato et remoto commissum, communius putant doctores illum obligationi suae non satisfacere. Ratio est, quia actus quem posuit poenitens hodie, non est actus positus anno praeterito. Hinc dupliciter mentitur, scilicet celando peccatum hodie patratum, et accusando peccatum, alio tempore commissum. Sic Tamb. l. c. Non desunt tamen theologi, qui hoc mendacium leve putant ». Ita P. Gury 488. — Ratio, quae pro 2.° casu adducitur, *meram probabilitatem* non excedit. Et sane nimis probare videtur, tunc enim mendacium circa quamcumque circumstantiam *accidentalem* irritam redderet confessionem. Insuper ipsemet Gury in 1.° casu ait: « Temporis circumstantia minime ad confessionem pertinet ». Et recte quidem: nam aliud est intrinseca *substantia* peccati, quae ad confessionem pertinet, aliud *accidens extrisecum* peccati, quod ad confessionem *per se* impertinens est. Hinc praedicta ratio quatenus urgeatur ad negandam sufficientiam illius confessionis, ipse Lugo D. 16. n. 53. mere *probabilem* appellat. — Baller. ibid., D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 309., Lugo D. 16. S. 2. § 1.

716. *An sit semper peccatum mortale mentiri in confessione?* — *Per se* tunc solum peccatur mortaliter, quando mendacium versatur circa *ma-*

teriam necessariam confessionis sine iusta causa celatam, aut circa materiam gravem falso suppositam, scilicet accusando peccatum grave non commissum. — Mendacium igitur circa *res* ad confessionem seu conscientiam poenitentis *non pertinentes*, non est *per se* mortale; quia nec est graviter poenitenti damnosum, ut supponitur, nec graviter sacramento iniuriosum, cum ad ipsum non referatur. — « Unde negatio venialis commissi, vel mortalis iam confessi, non excedit malitiam simplicis mendacii »; L. 496., adeoque *per se* neque mortale est, neque irritat sacramentum. *Per se:* nam « sacrilegium est et absolutio nulla..., si neges, vel mentiaris circa peccata alias rite absoluta, quando confessarius, ut iudex vel medicus de iis aliquid, ut *necessarium* ad *praesentem confessionem*, interrogat, Lugo D. 14. S. 10., Tamb. l. 2. c. 10. § 2.; secus, si ad praesentem, confessionem non faciat ». — « Si quis affirmat peccatum mortale, quod non fecit, vel negat fecisse quod fecit, duplex mortale committit, unum sacrilegii contra virtutem religionis ob reverentiam sacramento debitam, alterum mendacii sibi graviter perniciosi contra virtutem veracitatis ». L. 495.-497., H. A. 28., Lugo D. 16. S. 2. § 6.

717. *An teneatur poenitens totam retexere confessionem, si animadvertat, confessarium ob somnum vel distractionem peccata aliqua non percepisse, et nesciat qualia; vel non recte de iis iudicasse?* — R. Ad 1.um Affirmative, si confessio fuerit *brevis*, quia prudenter dubitare potest de singulis, an a confessario intellecta fuerint, necne: secus autem si *prolixa* fuerit confessio, et pauca tantum non percepta videantur; quia tunc prudenter praesumere potest, quod unumquodque fuerit intellectum; nec verisimile apparet, Christum integritatis praeceptum cum tanto onere imposuisse: si tamen dubium circa unum vel alterum peccatum solummodo versaretur, repetendum illud foret. *Invalida* vero erit confessio, si confessarius nullum intellexerit peccatum, sive ob somnum, sive ob surditatem, vel distractionem.

Ad 2.um « Docent Salm., etc. non esse iterandam confessionem facta *bona fide* confessario nescienti discernere species, et numerum, neque inter mortale et veniale, etiam in casibus obviis. Ratio, quia... absolutio *valida* est, dum ex utraque parte concurrunt iam requisita ad valorem sacramenti. Sic enim censendum est, Christum Dominum hoc sacramentum instituisse, cum tales defectus passim contingant. Hoc tamen dico intelligendum, nisi constat *numerum* vel *species* explicatas non fuisse; alias *integritas* confessionis certo supplenda est ». L. 500. *Bona fide*, quia si *mala fide*, quando poenitens cognoscit confessarium insufficientem, vel quando clare videt confessarium non percipere gravitatem sui peccati, confessio est iteranda. — L. 498. 499.

718. *An dentur causae aliquando ab integritate confessionis excusantes?* — R. Affirmative, quia quandoque ea integritas est physice vel moraliter impossibilis.

Ut aliquis ratione *impotentiae moralis* censeatur ab integritate confessionis excusatus, licet peccata menti occurrant, hae conditiones servandae sunt: 1.° Ut ea tantum peccata omittantur, quae declarari nequeunt, seu ex quorum manifestatione sequeretur gravissimum incommodum extrinsecum sive spirituale sive temporale vel poenitenti, vel confessario, vel cuipiam tertio. 2.° Ut non possit inveniri alius confes-

sarius, cui confessio integra fiat absque tali incommodo. 3.° Ut confessio sit hic et nunc necessaria. Ex communi dd. sententia adesse haec necessitas censetur, si impleri praeceptum debeat annuae confessionis vel communionis; si sumptio eucharistiae aut missae celebratio omitti sine nota aut scandalo non possint; si secus carere quis diu debeat sacramentorum beneficio; immo, ut addit Suarez de Poenit. D. 23. S. 2. n. 7., si quis secus magna utilitate, quam per se sacramentum affert, privandus foret.

Nunquam vero excusat *difficultas* ipsi confessioni *intrinseca*, quantumvis gravis ea sit. Ratio est, quia confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa, ac proinde si difficultas gravis, v. g. magna repugnantia aut verecundia aut amissio propriae famae coram confessario, ab integritate excusaret, plerumque ab accusandis mortalibus fideles excusarentur, et proinde rueret maxima ex parte institutio sacramenti poenitentiae. Praeterea Ecclesia non posset reservare crimina atrocia; quia id incommodum non leve poenitentibus creat.

Cessante causa excusante ab integritate materiali, praeceptum divinum confitendi omnia peccata mortalia omissa iterum urget; occurrente enim impedimento, non cessat simpliciter confessionis obligatio, sed tantum suspenditur; cessante igitur causa excusante, obligatio legis integre reviviscit: cumque praeceptum confessionis non sit affixum ad tempus aut ad circumstantiam, sed vitam integram afficiat; idcirco peccata nondum accusata, postea, si fieri possit, necessario accusanda sunt. Constat aliunde ex pr. 11.ª d. ab Alexandro VII. — L. 487. 490., Lugo D. 16. S. 13.

719. *Resolves:* A confessionis integritate praecipue excusant sequentia: 1.° *Infirmitas extrema,* i. e. quando moribundus unum tantum, vel alterum peccatum exprimere potest, vel usu linguae iam destitutus aliquo tantum signo poenitentiam ostendit, absolutionemque petit. — 2.° *Defectus loquelae, et auditus;* sic ab integritate eximuntur muti et surdi, qui signis integre confiteri non possunt: item peregrini penitus aut fere penitus ignari idiomatis regionis, in qua confitentur. — 3.° *Defectus temporis,* v. g., si milites statim ad pugnam pergere debeant. Non autem excusat sola multitudo poenitentium. — 4.° *Periculum vitae* poenitentis, confessarii, aut tertii, v. g., si adveniant hostes, si multi in periculo naufragii vel contagii versentur. — 5.° *Periculum famae,* v. g., si sacerdos mox celebraturus, et confessione generali indigens, non posset integre confiteri, quin adstantes rem suspicarentur. — 6.° *Periculum revelationis* seu violationis sigilli, v. g., si confessarius nequeat integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet, vel si poenitens ex gravi causa timeat, ne confessarius legem sigilli infringat. — 7.° *Periculum scandali vel lapsus,* tum ex parte poenitentis, tum ex parte confessarii, v. g., si mulier certo cognosceret maximam confessarii fragilitatem. — 8.° *Grave aliud damnum extrinsecum,* sive proprium, sive alienum, sive spirituale, sive temporale, merito timendum, v. g., in scrupuloso, qui perpetuo angitur de oblitis. — L. 479.-488. 494.

720. *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod explicari nequit sine complicis manifestatione?* — « *Ob peccatum veniale* explicandum, aut *mortale alias confessum,* non licet grave crimen alterius manifestare. Tenetur vero poenitens, *quando commode potest,* alium petere confessarium, cui incognita sit persona complicis, ut eius fama servetur;

nec satis probabilis videtur opinio... quod hoc sit tantum de consilio; nam communiter hoc esse de praecepto dicunt ». L. 489. — Proposita igitur quaestio casum respicit dumtaxat, quo de materia necessaria agatur, et non possit quis commode adire alium confessarium, cui complex sit ignotus, et pro isto casu duplex adest opinio; altera affirmans teneri ad confitendum peccatum; altera affirmans teneri ad illud reticendum donec alius confessarius reperiatur. Ratio 2.ae sententiae, quam tenet Baller. ap. Gur. 499., est quia naturale praeceptum servandi famam proximi praeferendum est praecepto servandi integritatem confessionis. Ratio 1.ae sententiae, quam sequitur S. Alph. l. c., est, « quia praeceptum integre confitendi servari debet semper ac licite servari potest; satis autem licite in casu nostro servari potest, cum manifestatio alieni criminis non sit illicita, quando fit ex rationabili causa, ut docet D. Th. 2. 2. q. 73. a. 2. Ergo servari debet. Et sic respondetur rationi oppositae contrariae sententiae ». L. l. c., Suarez D. 34. S. 1. 2., Lugo D. 16. S. 7.

721. *Quaenam sint causae excusantes a quaerendo alio confessario, cui complex sit ignotus?* — 1.° Si urgeat periculum mortis, aut praeceptum annuae confessionis; 2.° si grave sit poenitenti omittere confessionem aut communionem; 3.° si quis difficulter alteri confessario conscientiam aperiret; 4.° si quis secus in peccato etiam per unam diem remanere deberet; 5.° si quis alias privaretur beneficio alicuius indulgentiae extraordinariae; 6.° si adeundo confessarium, cui complex cognitus est, haberetur melior directio, consolatio notabiliter maior. — Hinc ratione petendi consilii, doloris leniendi, etc., saepe excusantur matres et uxores confessario manifestantes filiorum aut virorum peccata, quamvis iste illos cognoscat. Nimis enim durum esset, quod alium confessarium illae quaerere tenerentur. — Generatim autem non habetur ut gravis obligatio confessarium alium adeundi, complicis occultandi causa, nisi forte de crimine valde gravi agatur. — L. 490.

722. *Quaenam sit necessitas et utilitas confessionis generalis?* — Censenda est *necessaria* confessio generalis, quoties praecedentes confessiones *moraliter certo* invalidae aut sacrilegae fuerunt, vel ex parte poenitentis ob defectum contritionis aut integritatis, vel ex parte confessarii iurisdictione carentis; in ceteris autem casibus nunquam praecipi potest. Ratio utriusque patet. — Suaderi potest, quando licet de invaliditate confessionum praecedentium non constet, *grave* tamen de hoc *dubium* haberi potest. *Utilis* enim tunc est ad removendas animi anxietates, quae et paci conscientiae et virtutum exercitio nocent. — Permittenda est, aut etiam *prudenter* suadenda confessio generalis, etsi non necessaria, quando spectatis circumstantiis poenitens *notabilem fructum* spiritualem ex ea percepturus est, v. g., ratione humilitatis, devotionis, fervoris, cognitionis sui ipsius, manifestationis conscientiae ad perfectiorem directionem, aut maiorem animae puritatem, ad auxilia divina efficacius obtinenda, etc.; quia confessarius ex caritate maius bonum spirituale poenitentis, quando facile potest, promovere debet. — Prohibenda est in ceteris casibus ut *inutilis*, et etiam *nociva*, quando prudenter pertimescenda sunt alia, praeter iacturam temporis, incommoda, scilicet scrupuli, anxietates, conscientiae perturbatio, etc. Si enim tantum onus pro confessario et poenitente non est suscipiendum sine spe notabilis fructus;

a fortiori cum timore notabilis damni. — Bened. XIV. C. *Apostolica Constitutio* 26. Jun. 1749. § 16. 17., Lugo D. 16. S. 15.

723. *Resolves:* 1.° Facile permittenda, immo suadenda est confessio generalis in praecipuis vitae christianae epochis, nempe ante primam communionem, ante electionem aut susceptionem status vitae particularis, v. g., ante sacerdotium, professionem religiosam, aut etiam ante matrimonium; item quando quis statuit vitam perfectiorem ducere. — 2.° Praeter confessionem tempore primae communionis peractam facile, generatim loquendo, permittenda est alia generalis confessio *totius vitae;* sed difficile altera concedenda esset, quando prior sat accurate, bona fide et bona voluntate facta est, nisi forte ante longum iam tempus peracta fuerit. — 3.° Facile permittenda est personis devotis confessio generalis *partialis,* nempe unius anni, seu a tempore ultimae confessionis generalis, iuxta morem servatum apud plerasque familias religiosas. — 4.° Non est permittenda confessio generalis etiam in dubio de validitate praecedentium confessionum, ubi ex illa metuenda sunt incommoda notabilia perturbationis conscientiae, quia ob dubiam obligationem subeunda non sunt gravia ac certa incommoda. — 5.° Regulariter permittenda non est confessio generalis scrupulosis aut meticulosis; quia si una permittatur, hac finita, statim aliam facere volent, et post secundam, etiam tertiam suscipere importunis precibus petent, cum summo animae detrimento. Constat enim experientia, saepe in hisce personis confessionem generalem multo plures scrupulos generare, quam destruere.

724. *Quomodo sit generalis confessio peragenda?* — Posito, quod confessarius prudenter iudicet, quod locus sit generali confessioni peragendae, si poenitens sit satis instructus et desideret ipsemet declarare sua peccata, melius omnino est eum audire, quin interroget, quantum fieri potest: si quas interrogationes necessarias vel opportunas iudicabit, eas faciat, quoties et tunc cum opus fuerit, ne deinde e mente excidant. Attamen, hic notandum est, quod si confessarius patienter et attente audiat poenitentem, ab onere plurium interrogationum liberabitur tum ipse confessarius, tum poenitens: siquidem solent saepe poenitentes alia postea explicantes peccata circumstantias addere necessarias quoad peccata antea dicta, et quas confessarius interrogare debuisset. — Si poenitens vel non sit satis instructus, vel desideret iuvari opera confessarii has praecipue interrogationes facere poterit: 1.° De confessionibus et communionibus praeteritis, an et quoties sacrilegae, ut innotescat, utrum praesens generalis confessio sit *necessaria* vel tantum *utilis.* Si tantum *utilis* sit, tum confessarius tum poenitens minus solliciti esse possunt circa confessionis integritatem, cum liberum omnino sit poenitenti declarare peccata quae velit. Si vero sit *necessaria,* tunc multo maiori diligentia poenitens audiendus, interrogandus, adiuvandus erit. 2.° De eius aetate, de conditione matrimonii et officii, propter numerum et speciem peccatorum diiudicandam. 3.° De generalibus praeceptis Decalogi et Ecclesiae et de specialibus obligationibus proprii status, seligendo interrogationes circa peccata, in quae prudenter iudicatur poenitentem incidere potuisse, attenta eius conditione et spectatis personae circumstantiis. 4.° Addatur ultimo loco: an aliquid aliud poenitens habeat dicendum, de quo conscientiae remorsum experiatur.

VI. — DE SATISFACTIONE

725. *An confessarius teneatur poenitentiam imponere, et qualem?* — R. Ad 1.um Affirmative. Ratio, quia satisfactio est pars integralis sacramenti poenitentiae: confessarius autem, ut minister sacramenti, eius integritatem, etiam accidentalem, quantum in se est, procurare tenetur; secus non esset fidelis dispensator. Trid. S. 14. C. 8., c. 12.-15., L. 506., S. Th. 3. p. q. 90.

Ad 2.um Confessarius tenetur poenitentias iniungere *convenientes* et *salutares*, tum vindicativas, tum medicinales, idest aliquo modo proportionatas numero et gravitati peccatorum, necnon poenitentis facultatibus ac dispositionibus. Ratio ex natura rei patet, cum sacramentalis satisfactio ordinata sit in vindictam peccatorum, quae maiora vel minora, plura vel pauciora sunt, necnon ad novas culpas praecavendas. Trid. S. 14. C. 8., L. 508. 509., S. Th. S. q. 12. a. 3. — E. M.

726. *Resolves:* 1.° *Quantitas poenitentiae* determinari non potest; sed relinquitur iudicio et prudentiae confessarii. Rit. Rom. Gravis tamen *regulariter* et *per se* pro mortalibus imponenda est. *Gravis* autem censenda est illa poenitentia, quae respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia praecipitur, vel sub gravi obligaret si praeciperetur, e. g., missam audire, ieiunare, recitare parvum Officium B. V. M., Rosarium, etc.; levis e contrario est unum *Miserere*, etc. — 2.° Imponendae non sunt poenitentiae *perpetuae*, tum quia inducerent periculum oblivionis vel nimiae anxietatis, tum quia cum tales forte poenitentiae a variis confessariis eidem poenitenti imponerentur, hinc innumeris vinculis simul et pro tota vita obstringeretur. Immo nec ordinarie sunt imponendae poenitentiae *ad diuturnum tempus*, v. g., ad annum, aut ad quinque menses. — 3.° Nunquam eae sunt imponendae satisfactiones, quae poenitentem *ludibrio aliorum* exponere possunt, v. g., ut recitet in media Ecclesia quinque *Pater*, brachiis extensis, etc. *A fortiori* autem imponendae non sunt poenitentiae, quae adimpleri nequeunt, quin confessionis revelatio facile subsequatur. — 4.° Nec sunt imponendae poenitentiae *nimium graves*, ut *ieiunia* pueris, et opificibus continuo labore defatigatis. Nec sunt iniungendae *peregrinationes* aut *prolixae preces*, aut generatim *eleemosynae* mulieribus sub potestate viri constitutis, sicut nec pauperibus iugi labore victum sibi comparantibus. — 5.° Non sunt imponendae poenitentiae *multis operibus diversis implicatae*, quia memoriter teneri non possent; nec, ordinarie saltem, poenitentiae *nimis naturae repugnantes*, v. g., signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, etc. Imprudenter etiam generatim imponitur pueris, ut *veniam petant a parentibus*, vel ab aliis ob inobedientiam, irreverentiam aut furtula; quia saepe odiosam reddunt confessionem, et plerumque omittuntur. — L. 508. 515., H. A. 52., E. M.

727. *Quanta sit obligatio imponendi poenitentiam?* — Haec obligatio est *ex genere suo* gravis. Ratio est, quia obligatio rem gravem respicit, licet ex parvitate materiae peccari tantum venialiter contra ipsam possit. Lugo D. 25. n. 49., L. 506. — *Quoad venialia* tamen controvertitur. Alii gravem esse affirmant, quia iniunctio satisfactionis pertinet ad ritum huius sacramenti; qui ritus, cum a Christo institutus fuerit, pro re gravi ha-

bendus est. Alii vero dicunt esse levem, quia non potest probari obligatio gravis poenitentiam iniungendi pro culpis levibus tantum, siquidem in hoc nulla deordinatio gravis apparet. Enimvero non videtur quod possit plus peccare confessarius poenitentiam non imponens, quam poenitens levem non exsequens poenitentiam. Insuper *iudicium* potest esse *completum*, etsi nulla imponatur satisfactio, cum nempe reus iudicetur nulla dignus poena. Utraque sententia est probabilis, ut dicit S. Lig. H. A. 47.

728. *Nota:* « E qua obligatione, inquit Lugo D. 25. n. 47., constat, excipi aliquos casus. Primus est, quando poenitens est impotens, ut si sit morti proximus, maxime si caret iam sensibus, et non potest poenitentiam impositam percipere... — Secundus casus est, quando confessarius ex confessione et aliis circumstantiis intelligit, poenitentem integre satisfecisse pro poena debita: et licet raro, vel nunquam possit hoc constare, addit tamen Petrus de Soto... sufficere, quod probabiliter videatur satisfecisse. — Tertius casus huic similis est, quem alii addunt, quando absque satisfactione instat perfectae remissionis remedium, v. g., si instet martyrium subeundum; quod alii extendunt ad Indulgentiam plenam lucrandam, saltem quae sit moraliter certa. — Quartus casus est, quando poenitens ob suam fragilitatem, nullam credatur acceptaturus poenitentiam: aliquando enim oportebit condescendere eius imbecillitati ad vitanda graviora mala: nunquam tamen continget, quod aliquam, levem saltem, poenitentiam non sit acceptaturus ». Cf. S. Th. S. q. 25. a. 1. Verum haec habet Benedict. XIV. de casu Indulgentiae plenariae et Iubilaei C. *Inter praeteritos* § 65.: « Unum tantummodo reliquum erat, ut super impositione poenitentiae a confessario non omittenda diceremus, quoniam poenitens, qui indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eam implendam. Cum autem nobis huiusmodi ratio laxior visa esset, in Instructione, de qua n. XXVI., mentem nostram declaravimus, statuentes, salutarem poenitentiam a confessario iniungendam esse poenitenti, etiamsi hic ad recipiendum iubilaeum praeparatus sit, ex quo sane poenitentis obligatio exoritur eandem adimplendi ». Cf. etiam B. Iubil. Leonis XII. *Caritate Christi*, L. 519.

729. *Quandonam imponenda sit poenitentia?* — Generatim loquendo, imponenda est ante absolutionem. Ratio, quia sic servatur iudicii ordo, qui exigit, ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. Si autem confessarius ex oblivione poenitentiam ante absolutionem non iniunxerit, eam post absolutionem imponere debet. Non est tamen grave poenitentiam post absolutionem imponere; immo probabiliter omni culpa vacat, si praesumatur, poenitentem opus ipsi iniunctum acceptaturum esse. — L. 514.

730. *Qua de causa poenitentia levior imponi possit?* — 1.° Si poenitens sit valde debilis et infirmus corpore. Rit. Rom. Quod si infirmus sit constitutus in periculo mortis, tunc potest absolvi sine ulla poenitentia, licet expediat semper aliquam ei imponere. — 2.° Si prudens timor sit, ne maiorem poenitentiam non adimpleat, aut ne ob graviorem poenitentiam a confessione avertatur. — 3.° Si probabiliter maior poenitentia magis ei obfutura sit, quam profutura. — 4.° Si poenitens valde contritus appareat. — 5.° Si adsit tempus Indulgentiae plenariae lucrandae praesertim Iubilaei. — L. 508.-510., H. A. 49., S. Th. S. q. 25. a. 1.

Ad rem S. Th. S. q. 18. a. 4.: « Sicut medicinae in arte determinatae non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae; ita poenae satisfactoriae... competunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulati. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae peccato debetur, iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine desperet, et a poenitentia totaliter recedat ». Et Quodlib. 3. a. 28.: « Videtur autem satis conveniens, quod sacerdos non oneret poenitentem gravi pondere satisfactionis; quia sicut parvus ignis a multis lignis suppositis de facili extinguitur; ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante ». — Card. Caietanus Sum. V. *Satisfactio:* « Debiliter autem dispositis (poenitentibus), ait, detur satisfactio parvula iuxta debilitatem animi sui, et parvulus ignis foveatur apposita palea, et non suffocetur appositis magnis lignis desuper ». — Ac S. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 20.: « Debet confessor dare talem poenitentiam, quam credat verisimiliter illum implere, ne ipsam violando deterius contingat... Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum *Pater noster*, vel aliud leve, et quod alia bona quae fecerit, et mala quae toleraverit, sint ei in poenitentia ». — E. M.

731. *An posit imponi poenitentia sub conditione relapsus?* — R. Affirmative, modo imponatur proportionata poenitentia pro peccatis *confessis. Confessis,* nam peccatorum forte committendorum confessarius nec iudex nec medicus est. L. 524.

732. *An possit imponi poenitentia publica?* — R. Negative, si agatur *de peccatis occultis.* Ita Rit. Rom. Secus autem *pro publicis.* Attamen, si publica poenitentia *non sit necessaria,* confessarius non debet illam renuenti imponere, cum aliter eius salus obtineri, et scandalum reparari possit. *Non sit necessaria.* Necessaria quidem erit « in solo casu, quo aliter non posset, nisi per illam publicam poenitentiam, scandalum reparari, puta publice restituendo honorem alicui publice dehonorato ». Verum in hoc casu, independentur a sacramentali poenitentia, poenitens tenetur ad eam reparationem iure naturae. Ceterum huiusmodi scandala publica reparari aliter possunt citra publicam poenitentiam, « nempe per publicam frequentationem sacramentorum, visitationes ecclesiarum, auditionem missarum, ingressum in aliquam Congregationem, ubi pietatis opera exercentur et similia ». L. 512. — C. *Manifesta* 1. *de Poenit. et rem.*, Trid. S. 24. C. 8. de R., S. Th. 4. D. 14. q. 1. a. 5. q. 1., Francolini Vet. Eccl. Sever. l. 1. Calumn. 7.ª

733. *An possit imponi pro poenitentia opus alias debitum?* — R. Affirmative. Ratio est, quia cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari. « Hoc tamen non faciendum, nisi spectata fragilitate poenitentis. Communiter autem dicunt dd., quod, nisi *expresse* confessarius imponat opus alias praeceptum, intelligitur impositum opus supererogatorium. Si vero confessarius im-

ponat auditionem missae per mensem, non est obligatio audire duas missas in festo ». L. 513.

734. *Quaenam sint opera, quae pro satisfactione possunt imponi?* — « Tam oratio, quam eleemosyna, et quodcumque aliud bonum opus iniunctum in sacramento poenitentiae valet pro opere poenali et afflictivo..., etiam opus internum..., etiam opus applicandum pro defunctis..., etiam cessatio ab aliquo bono opere, nempe a communione, ieiunio, etc...., quia huiusmodi cessatio bene potest aliquando esse actus virtutis, saltem ad servandam obedientiam confessarii. Recte vero advertit Lugo regulariter non expedire huiusmodi poenitentiam imponere ». L. 514. — Commune vero est apud dd. non posse imponi in poenitentiam ingressum in Religionem et matrimonium. Nam utrumque omnimodam requirit libertatem. L. 511. — S. Th. S. q. 15. a. 3., E. M.

735. *An poenitens teneatur acceptare ac implere, et quandonam, impositam satisfactionem?* — R. Ad 1.um Poenitens tenetur *acceptare* atque implere *rationabilem* poenitentiam sacramentaliter iniunctam; quia ex dictis confessarius tenetur poenitentiam, et quidem peccatis aliquo modo proportionatam, imponere. Si autem poenitentia imponi et acceptari debet, eo ipso ratione obedientiae confessario debitae, etiam adimplenda est. Trid. S. 14. C. 8., L. 515. 516., H. A. 55.

Ad 2.um Poenitens tenetur sub gravi *implere* poenitentiam gravem pro gravibus peccatis impositam; quia materia gravis per se obligat sub gravi. Probabilius autem tantum sub levi obligatur ad poenitentiam levem pro levibus culpis impositam; quia materia levis non est capax gravis obligationis. L. 517.

Ad 3.um Poenitens *implere* debet poenitentiam *tempore designato* a confessario, vel quamprimum commode potest; et si poenitentia sub gravi obliget, graviter peccabit, si ex gravi negligentia diu eam differat; ratio est, quia per se grave est debitum notabile diu protrahere. Quoties autem poenitentia statuto tempore adimpleta non fuit, semper remanet onus eam peragendi, quia tempus tantum accessorie intenditur. — E. M.

736. *Nota:* 1.° « Probabile tamen est, quod si poenitenti videatur poenitentia illa iusto gravior, aut nimis onerosa respectu ad suam imbecillitatem, tunc si confessarius nollet eam moderari, posset saltem sine culpa gravi discedere absque absolutione, et alium adire confessarium, ut dicunt cum Busemb., etc. Hoc tamen intelligendum, si poenitentia illa vere sit irrationabilis, etc. ». L. 516. — 2.° « Ex communi doctrina theologorum potest confessarius aliquando obligare poenitentem ad implendam poenitentiam ante absolutionem, etc. ». Lugo D. 14. n. 170. 171. — 3.° Non tenetur poenitens poenitentiam adimplere, quando invalida fuit confessio; quia iudicis sententia sacramentalis nulla fuit, ac proinde nullum adest sacramentum integrandum; alias vero bis pro iisdem peccatis esset satisfaciendum. Idem dicendum est ob eandem rationem de poenitentia imposita sine absolutione. Excipe, si poenitens ad eamdem confessionem perficiendam pluries accedat, et interim confessarius, ut saepius fieri solet, poenitentiam aliquam singulis vicibus imponat, quo minor in fine imponenda supersit. — E. M.

737. *An obliget sub gravi poenitentia in se quidem gravis, sed pro solis venialibus, aut mortalibus, iam antea confessis, imposita?* — R. Negative probabilius. Ratio est, quia tunc non est necessaria satisfactio, in quantum est gravis. Unde sicut confessarius non tenebatur, immo nec poterat illam praecipere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi implere tenetur. — L. 517., Suarez D. 38. S. 7. n. 7.

738. *An confessarius pro gravibus culpis poenitentiam possit imponere gravem quidem, sed leviter obligantem?* — R. Affirmative, quia legislator quilibet gravem materiam sub levi praecipere potest; hoc tamen generatim non expedit. S. Alph. mallet, ut saltem aliquid sub gravi iniungeretur, quocum aliud deinde etiam gravius posset imponi sub levi. At ipse non diffitetur, oppositam sententiam communiorem esse; et ex hoc ipso arguitur, minus firmum esse argumentum, quod ipse a Trid. conatur pro sua opinione elicere. — L. 518., Suarez D. 38. S. 3. n. 3.

739. *An poenitens teneatur sub gravi implere circumstantias poenitentiae adiectas, v. g., ut oret genibus flexis, etc.?* — Solutio pendet a maiori vel minori carnis afflictatione, quam affert circumstantia, sive per se, sive respectu poenitentis. Hoc pendere potest etiam ab intentione confessarii, quam vel ipse expresse manifestaverit, vel poenitens possit praesumere. — L. 517.

740. *An satisfaciat, qui poenitentiam impleat in mortali?* — R. Affirmative. Ratio est, quia ad satisfaciendum praecepto sufficit opus satisfactionis iniunctum ponere, licet finis praecepti non obtineatur. — L. 552.

741. *An peccet, qui implet poenitentiam in mortali?* — Certum est illum non peccare *graviter.* — Iuxta quosdam *venialiter* peccat. Ratio est, quia qui voluntarie obicem effectui etiam partiali sacramenti ponit, non videtur ab aliqua culpa excusari posse. Plures tamen graves theologi probabiliter tenent, illum ab omni culpa eximi, quia nulla est culpa soli poenarum remissioni obicem ponere. Quando autem obex removetur, tunc satisfactionis effectus obtinetur. — L. 523.

742. *Quaenam poenitentiae dilatio sit culpa gravis?* — Si poenitentia fuerit *levis,* dilatio, quantacumque sit, *nunquam erit gravis,* cum ipsa poenitentiae omissio probabilius culpam levem non excedat. — Si poenitentia sit *gravis*, et pro gravibus peccatis imposita, *probabilius gravis* reputanda est dilatio duorum vel trium mensium. Alii vero extendunt ad sex menses, sed hoc S. Alph., videtur, ait, nimis benignum; alii etiam usque ad annum, et hoc, S. D. ait merito, communiter reiicitur. — Opus tamen non est, ut quis sacramentalem confessionem impleat *antequam rursus confiteatur.* Eam potest adhuc implere post aliam confessionem, eamque continuare, si diuturna sit, e. g., ut quotidie per annum missam audiat. — Diana Tom. 1. Tr. 6. R. 44. 45., Lugo D. 25. n. 90. seqq., L. 517. 521.

743. *An si poenitens iniunctae poenitentiae oblitus fuerit, teneatur confessionem repetere, ut aliam poenitentiam recipiat?* — R. Negative. Ratio est, quia impletio poenitentiae iam semel iniunctae, per oblivionem etiam culpabilem, impossibilis effecta est. Ad impossibile autem nemo tenetur. Si tamen poenitens prudenter praesumat, confessarium adhuc esse iniunctae poenitentiae memorem, deberet ipsum, si commode possit, adire, ut ab eo, qualis sit illa, resciat. — L. 520.

744. *Quis et quanam causa poenitentiam commutare possit?* — R. Ad 1.um Nunquam *ab ipso poenitente* commutari potest, ne in melius quidem, quamvis votum ab ipso vovente possit in opus evidenter melius mutari; ratio, quia poenitentia nequit ad sacramentalis satisfactionis meritum elevari, nisi a ministro ipso sacramenti poenitentiae imposita fuerit. — Commutari potest 1.° *a confessario,* qui eam imposuit, quia legislator potest propriam legem mutare; 2.° a quolibet alio *confessario,* quia quilibet alius confessarius potest esse eiusdem causae iudex, si poenitens ipsius tribunali se submittat; successor enim in eadem auctoritate potest quidquid potuit antecessor. Excipiendum tamen videtur, iuxta communiorem sententiam, si poenitentia ab ipso superiore *pro casibus reservatis* imposita est, quia inferior sententiam superioris mutare nequit; nisi tamen causa gravis adsit, aut consensus superioris facile praesumi possit. Id tamen alii negant, quia ablata peccatorum reservatione per superioris absolutionem, eadem est potestas superioris et inferioris confessarii.

Ad 2.um Ad commutationem licite faciendam requiritur *causa iusta,* qualis est, 1.° si poenitentia videatur difficilis; 2.° si praevideatur poenitens non esse ei satisfacturus ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem, etc. — L. 528. 529.

745. *An poenitens teneatur confessionem repetere ad poenitentiae commutationem obtinendam?* — Si adeat *eumdem confessarium,* non erit necessarium confessionem repetere, quando confessarius recordetur utcumque confuse status conscientiae poenitentis. — Si *alium* adeat *confessarium,* vel etiam *eumdem, non amplius peccatorum memorem, sufficit,* ut summatim confiteatur; ita ut confessarius confusam status illius notitiam acquirat. — An etiam *requiratur* haec summaria confessio, si confessarius, saltem in confuso, statum poenitentis non cognoscat? Prima sententia affirmat. Ratio est, quia nequit confessarius poenitentiam commutare, nisi sacramentali iudicio; hoc autem iudicium non potest exercere, nisi poenitens conscientiae suae statum illi aperiat. Secunda sententia probabiliter id negat: quia non agitur de iudicio ferendo circa culpas deletas in praecedente confessione, ubi iudicium circa illas iam fuit formatum, sed tantum de poenitentia commutanda; ad hoc autem sufficit prioris poenitentiae cognitio, et notio fragilitatis aut difficultatis ad eam implendam, ut nempe nova aliquo modo aequivalens imponatur. — L. 529.

746. *An confessarius possit poenitentiam commutare extra confessionem?* — R. Negative, si confessarius *sit diversus.* Ratio est, quia confessarius nullam habet potestatem, nisi in iudicio sacramentali. — Si confessarius ille sit, *qui poenitentiam imposuit,* potest illam mutare immediate post absolutionem, antequam poenitens discedat; non vero postea, saltem probabilius. Ratio est, quia ad id requiritur et sufficit, ut praecedens confessarii iudicium moraliter perseveret, quod non videtur locum habere, si poenitens confessarium extra poenitentiae tribunal adierit. S. Alph. 529. dicit, hanc esse sententiam veriorem et communiorem. Alii tamen dicunt, commutationem poenitentiae fieri posse ab eodem confessario extra confessionem intra unius diei spatium, infra biduum, hebdomadam, et longius adhuc tempus, quia tunc adhuc videtur moraliter uniri cum praecedenti iudicio sacramentali. Nam quemadmodum longius spatium non impedit, quominus moraliter uniantur aut dolor, aut con-

fessio, aut etiam impletio satisfactionis cum absolutione, ita et de mutatione poenitentiae iudicari potest. — Lugo D. 25. n. 111. 112.

747. *Nota:* Si poenitens, accepta poenitentia ab uno confessario, confessionem iteret apud alium ut mitiorem poenitentiam sortiatur, vel etiam alia de causa: a priori poenitentia minime liberatur, nisi mentionem de praecedenti confessione et accepta poenitentia faciat; ratio, quia ad commutandam poenitentiam ex parte confessarii requiritur positivus voluntatis actus, quo prior obligatio revocetur.

VII. — DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE

748. *Quaenam sit forma sacramenti poenitentiae; quaenam eius vis et obligatio?* — *Forma absolutionis* sic habetur in Rit. Rom.: « Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen. — Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. — Dominus noster J. C. te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis), et interdicti, in quantum possum et tu indiges; *deinde:* Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. — Passio Domini nostri J. C., merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen ». — Elevatur manus a verbo *Indulgentiam*, usque ad verbum *Passio Domini;* et fit signum crucis in poenitentem dicendo: *In nomine Patris...* Vox *suspensionis* omittitur pro laicis. Est pia consuetudo, ut confessarius ante confessionem, dum poenitentem benedicit, dicat: « Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua », vel similem orationem recitet. Sed hoc sub obligationem non cadit.

Verba *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Dominus noster*, *Passio*, etc. « communiter dd. dicunt, posse omitti sine ullo peccato... Hocque videtur verius, dum Trid. S. 14. C. 3. dicit, quod hae preces tantum *laudabiliter adiunguntur*, verbum enim *laudabiliter* nullum utique videtur importare praeceptum. Nemo tamen dubitat quin convenientius sit... huiusmodi preces adiicere, maxime illas, quae sequuntur, *Passio Domini*, etc., cum probabile sit, quod per verba illa elevantur omnia bona opera poenitentis ad satisfactionem sacramentalem ». L. 430. 507., S. Th. Quodl. 3. a. 28. — Rubr. ait: « in confessionis frequentioribus satis erit dicere: *Dominus noster*, etc. usque ad *Passio Domini* », exclusive. S. R. C. 27. Febr. 1847. — Vox *deinde* diverso charactere in Rit. scribitur, quod indicare videtur, eam non pertinere ad ipsam absolutionis formulam, sed ad ordinem rerum dicendarum. — Elevatio manus et formatio signi crucis ad *validitatem* formae essentialis certo non requiritur. Flor. Decr. pro Arm., Trid. l. c. Communiter asseritur omitti posse sine gravi peccato, et plures doctique auctores asserunt omitti posse sine ullo peccato. Idemque dicunt de aperitione capitis. L. 425.

Absolutionem a peccatis praecedit absolutio a censuris, *Dominus noster*. etc. Absolutio haec valet, si dicatur *ab omni vinculo censurarum*,

vel *a censuris.* Absolutio a censuris *valide* dari potest eadem forma, qua absolvitur a peccatis: *te absolvo a peccatis tuis,* quia haec verba involvunt absolutionem a quocumque vinculo, orto ex peccatis, et nihil obstat, quominus confessarius dirigere possit intentionem ad utramque absolutionem, a censuris et a peccatis. Id tamen non excusatur a culpa veniali, cum sit contra usum Ecclesiae. Probabiliter vero id omnino excusatur, si nulla adsit probabilis suspicio, quod poenitens aliquam censuram incurrerit. Ceterum peccaret mortaliter sacerdos, qui contra prohibitionem Ecclesiae vellet poenitentem absolvere prius a peccatis et deinde *a censuris. A censuris,* nempe *excommunicationis. Suspensio* enim et *Interdictum* per se non privant receptione sacramenti poenitentiae. *Valide* vero poenitens absolveretur a peccatis, si esset in bona fide, non praemissa absolutione e censuris. Ratio, quia prohibitio Ecclesiae nequit invalidare sacramentum, cuius valor pendet a iure divino, cum omnia ad illud requisita essentialia concurrant. — L. 430., La-Croix 1567.

Absolutio a peccatis essentialiter et certo in *verbis* consistit. Nutu data vel scriptura, aliisque signis invalida est. Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 14. C. 3., Pr. d. a Clem. VIII. 20. Jun. 1602., Paul. V. 14. Jul. 1605., L. 428., S. Th. 3. p. q. 84. a. 3. ad 3. — Hinc essentialiter requiritur, ut poenitens absolvendus sit moraliter praesens. Pr. cit. d. a Clem. VIII. et a Paulo V. Confessarius dum formam profert cum poenitente ipso loqui videtur. Hinc praedicta moralis praesentia reputatur illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent. Talis praesentia extenditur ad 20. circiter passus, praesertim ubi poenitens nondum est egressus ab aspectu confessarii. Sed revocandus est poenitens, quando omnimode revocari potest. Ceterum sine scrupulo absolvi potest poenitens, qui recessit e confessionali, si certo scitur esse adhuc intra paucos passus. Satis vero non est ad praesentiam moralem, si sacerdos videat poenitentem, aut alio sensu percipiat; praesentia enim pro absolutione maiorem propinquitatem requirit, quam pro audienda concione, vel missa. Unde, si quis aliquando non posset, nisi a longe absolvi, puta si rueret e tecto, tunc absolutio sub conditione danda esset. — L. 429.

Absolutio a peccatis continetur verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Certum omnino est debitam formam non esse deprecatoriam, sed indicativam: *ego te absolvo,* etc. Trid. S. 14. C. 3. Certum item est verba, *te absolvo,* ad essentiam formae pertinere. — Si dicatur: *absolvo a peccatis tuis,* probabilius valet, quia pronomen *te* satis exprimitur pronomine *tuis.* Sed communissime negant, et quia sententia haec probabilis etiam est, in praxi haec omnino sequenda est, ex pr. 2.ª d. ab Innoc. XI. — Si vero dicatur: *ego te absolvo,* omittendo, *a peccatis tuis,* communissime dicunt valere ex Catech. Rom. n. 14., et ex S. Th. 3. p. q. 84. a. 3.; esse tamen grave peccatum, cum sit contra consuetudinem Ecclesiae. Alii vero tenent ipsa pertinere ad essentiam ex verbis Christi: « *Quorum remiseritis peccata* ». Et haec opinio etiam probabilis est, et ideo in praxi ab ea non est recedendum. Si tandem *absolvo* tantum dicatur, invalida erit forma, quia nullum habet determinatum sensum et in nullum cadit determinatum subiectum. — Verba autem, *in nomine.* etc. communis et vera sententia negat pertinere ad essentiam formae. In institutione enim huius sacramenti nullam Christus mentionem fecit Trinitatis, ut in baptismo. Eorum omissionem alii putant

esse mortale, alii nullum esse peccatum, alii melius, fere communiter, dicunt esse veniale, cum sit praedicta invocatio iuxta consuetudinem Ecclesiae. — L. 430.

Opus non est, ut poenitens verba absolutionis audiat, et tanto minus ut eadem intelligat. Sufficit ut sacerdos vere illa proferat, et consultum est, ut in praesentia aliorum, ad sacretum servandum, submisse dicantur. — Quamvis quatenus est *sententia* diutius differri possit, etiam post hebdomadam e. g. possit dari, quatenus vero est *forma* ultra horam differri non potest. Ceterum et die alia dari potest, si poenitens accusationem renovet: *iterum me accuso de his quae heri, quae nudius tertius, etc. confessus sum.* — L. 9. 429., E. M.

749. *An quando confessarius absolvit, necesse sit quod peccatorum accusatorum recordetur?* — Absolutio sententia est. Quare necesse est, ut, quando confessarius eam dat, notitiam saltem confusam habeat eorum, quae poenitens confessus est, et quorum iam ipse habuit distinctam notitiam. Secus vix non incognita causâ sententiam ferre videtur. — Quare si confessarius *singula peccata* memoriter non retineat, quia fuit prolixa et implicata confessio, quia distulit absolutionem, quia hactenus poenitens invalide confessus est, et antea reticito peccato nunc accusato, vel dolore concepto, quo caruerat, absolutionem petit; sufficit, quod « recordetur *in confuso* status poenitentis, vel resumat (si non recordetur) notitiam eius in confuso, et poenitens in communi se accuset de omnibus prius confessis ». L. 502. — Sed, si alias poenitens extra confessionem peccata narraverat confessario, quasi amico, utrum et in isto casu sufficiat eorum notitiam in confuso resumere, disputatur. Affirmant Lugo D. 16. n. 638., aliique; nam si sufficit confusa illa notitia in praecedentibus casibus, etiam in hoc sufficere debet. Sed S. Alph. aliique longe plures negant; quia in praecedentibus casibus non defuit sacramentalis omnium et singularium peccatorum confessio, quam requirit Trid., in hoc vero prorsus desideratur. L. 502.

750. *An valida et licita sit absolutio conditionata?* — Certum est, *validam* esse in omni casu absolutionem sub conditione de *praesenti*, vel *praeterito*, impertitam; modo adsint alia requisita ad sacramenti validitatem: conditio enim nullo modo mutat sensum formae sacramentalis, quam nullatenus afficit; sed afficit tantum voluntatem confessarii, qui non intendit absolvere, nisi impleatur apposita conditio: hac autem impleta, forma evadit absoluta; et proinde nihil reperitur, quod eius validitati officere possit. — Certum pariter est, absolutionem conditionatam esse quandoque *licitam;* si enim valida sit, etiam licita esse debet, *urgente necessitate. Urgente necessitate;* hinc reiicienda est, ut plane laxa, doctrina nonnullorum, qui tenent, conditionatam absolutionem impertiri posse *levi qualibet ex causa*, etiamsi de sufficienti dispositione poenitentis, mortalibus quoque peccatis gravati, quomodocumque dubitetur. Confessarius siquidem iam non esset prudens dispensator sacramentorum, sed proiiceret margaritas ante porcos; et hac ab solvendi facilitate efficeret, ut poenitentes in peccatis tabescerent. — Verum non magis admittenda est doctrina eorum, qui tenent, non esse impertiendam absolutionem sub conditione, nisi *in extrema necessitate,* seu in extremo vitae periculo; huiusmodi enim doctrina summe noxia est poenitentibus, qui difficile

ad confessarium reverti possunt, et dimissi absque absolutione periculum aeternae damnationis incurrunt. — L. 431. 432.

751. *In quanam necessitate impertiri possit aut debeat absolutio sub conditione?* — Absolutio dari *potest et debet* sub conditione, quoties absolute concessa exponeret sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata exponeret poenitentem periculo gravis damni spiritualis. — Etiamsi eiusmodi necessitas non urgeat, dari tamen absolutio *potest* sub conditione, quoties absolute concessa exponeret sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata privaret poenitentem aliquo bono spirituali notabili, licet non necessario. — Sacramenta enim propter homines quidem sunt; sed sancta res sunt. Quare utrique est consulendum et hominum utilitati et sacramenti sanctitati.

752. *Resolves:* 1.° Absolvendus est *sub conditione* poenitens in mortali constitutus, quoties prudenter dubitatur de impertita, aut rite data absolutione: nec potest de hoc facile certitudo haberi. — 2.° Item poenitens dubie dispositus, qui versatur in gravi mortis periculo, v. g., mulier in partu difficili, nauta aut alius quivis longam navigationem suscepturus, miles ante praelium, infirmus ante operationem chirurgicam valde laboriosam, et a fortiori reus capite plectendus. — 3.° Absolvi possunt sub conditione pueri et semifatui in dubio de usu rationis, aut sufficientis dispositionis, praemissa seria diligentia ad eos, quantum fieri potest, disponendos, in sequentibus praecipue casibus: si versentur in periculo mortis; si urgeat praeceptum annuae confessionis; si confessi sint aliquod peccatum mortale. Ratio est, quia exponuntur periculo proximae damnationis, si mors urgeat, vel periculo remanendi diu in peccato mortali. Aliunde non est via et spes, quod dilata absolutione brevi dispositi redeant, et securius absolvantur, sicut de aliis forte sperari potest. Immo absolvi poterunt conditionate pluries in anno, etiamsi afferant tantum levia, ne tamdiu gratia sacramentali priventur, aut remaneant in peccato mortali, si forte in illo versentur. — 4.° Probabiliter etiam absolvi possunt sub conditione sponsi dubie dispositi, proxime matrimonium contracturi: quia secus illud sacramentum sunt certo profanaturi, et animo deiecti ob denegatam absolutionem, ad confitendum non redibunt, et in peccatis contabescent. — 5.° Absolvi etiam conditionate probabiliter possunt aliquando poenitentes pii, in dubio an materiam sufficientem clavibus subiiciant. Verum multo magis praestat, ut materiam certam ex vita anteacta praebeant, et sic gratia sacramenti non priventur. — 6.° Absolvi potest sub conditione peccator recidivus, de cuius sufficientibus dispositionibus dubitetur, « si prudenter timeatur, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet ». — L. 432. 442., La-Croix 1797.

753. *Quid speciatim quoad moribundos?* — Absolvi *potest et debet,* et quidem *absolute,* quilibet moribundus qui aliquo modo, voce vel signo confitetur, vel absolutionem petit. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad sacramentum, et ad confessionem formaliter integram. — Absolvi *potest et debet,* saltem *conditionate,* quilibet moribundus, in quo attritio et confessio praesumi possunt aliquo modo, quantumvis infime probabili; quia in casu extremae necessitatis etiam in sacramentorum administratione

licet uti opinione etiam parum fundata. — Absolvi *nullo modo potest* moribundus, qui omnino recusat sacramentum poenitentiae, vel qui nullo modo praesumi potest attritus. Ratio luculentissime patet. — L. 480. 482., E. M.

754. *Resolves:* 1.° Absolvendi sunt omnes moribundi nondum sensibus destituti et in absolutionem consentientes, mandatisque confessarii obtemperantes: absolute quidem, si confessionem ultro requirant, aut si libenti animo confiteri proponant; conditionate vero, si aegre vix ad aliqualem confessionem inducantur, aut si de ipsorum sufficienti dispositione prudenter dubitetur. — 2.° Absolvendi sunt, saltem conditionate, omnes moribundi sensibus destituti, qui ante sensuum privationem expresse confessionis desiderium ostenderunt, v. g., iubendo advocari sacerdotem, etc. Ratio est, quia censentur vere confiteri per testimonium adstantium. Constat ex Conciliis et ex Rit. Rom. — 3.° Absolvendi sunt sub conditione moribundi omnes sensibus omnino destituti, qui christiane vixerunt, etsi tunc nec doloris, nec desiderii confessionis signum ullum dederint. Ratio est, quia cum in istis praesumi possit dolor et desiderium absolutionis, praesumi etiam potest aliquo modo confessio. — 4.° Absolvendi sunt conditionate etiam alii moribundi sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt; quia adhuc in ipsis praesumi aliquo modo potest poenitentia et confessio. — 5.° Potest probabiliter sub conditione absolvi moribundus destitutus sensibus in actu ipso peccati, v. g., in duello, adulterio, furto, etc. Ratio est, quia etiam ille sufficienter dispositus esse potest. Id praesertim locum habet pro illo, qui ad peccatum fortasse fuit adductus timore, respectu humano, etc. — L. 481.-483., La-Croix 1162., Elbel 208. 211.

VIII. — DE CONFESSARII APPROBATIONE

755. *Quaenam requirantur ad potestatem adaequatam ministri poenitentiae?* — Tria, scilicet potestas ordinis; potestas iurisdictionis; approbatio. Requiritur *potestas ordinis,* idest quae ministro competit vi ordinationis, et est characteri sacerdotali intrinsece annexa. Ratio est, quia solis sacerdotibus dictum est a Christo: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Joan. 20., 22. Constat aliunde multiplici Ecclesiae definitione. Trid. S. 14. C. 6. c. 3. 9. 10. — Requiritur *potestas iurisdictionis*, idest potestas, qua sacerdos ut iudex potest in aliquos utpote subditos suos ferre sententiam. Trid. S. 14. C. 7. — Requiritur *approbatio* ad confessiones tum licite tum valide excipiendas, seu publicum iudicium de idoneitate sacerdotis ad confessiones excipiendas. Trid. S. 23. C. 15. de R. — L. 539. 540., E. M.

756. *Quid sit approbatio?* — *Approbatio* definiri potest: iuridicum praelati iudicium de idoneitate sacerdotis ad audiendas confessiones. Hinc ad concedendam approbationem non requiritur essentialiter *examen*: iudicium enim prudens de idoneitate etiam sine examine haberi potest, quando de hoc aliunde constet. Hoc autem iudicium debet esse adaequatum, scilicet tum ex parte intellectus quoad scientiam et prudentiam, tum ex parte voluntatis quoad morum sanctitatem, vicario Christi in hoc

ministerio congruam. Haec tamen ad essentiam non pertinent. Quocirca Ordinarius illicite quidem, valide tamen eum approbaret, qui hisce dotibus forte destituatur. « Et quamvis episcopus interne reprobet, valet externa approbatio ad iurisdictionem conferendam ». L. 545. — L. 542.

757. *Utrum approbatio requiratur tantum ad liceitatem, an etiam ad validitatem?* — Requiritur approbatio ad confessiones tum *licite*, tum *valide* excipiendas. Constat ex Trid. S. 23. C. 15. de R., ubi sic statuitur: « *Nullum* (sacerdotem) *etiam regularem*, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari: *nisi aut parochiale beneficium*, aut ab episcopis, per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, *approbationem*, quae gratis detur, *obtineat* ». — *Nullum* (sacerdotem) *etiam regularem*, intellige etiam praelatum regularem, « licet non deceat, ut doctores et licentiati, vel lectores in theologia examinentur, modo legerint Moralem ». L. 542. *Nisi aut parochiale beneficium*, actu nempe habeat; adeoque canonici, qui *habitu* tantum habent curam animarum absque approbatione episcopi licite et valide confessiones audire non possunt. S. C. C. 1. Apr. 1876. — *Nisi approbationem obtineat.* « An confessio venialium facta *simplici sacerdoti* sit *illicita* et *invalida?* Quod sit *illicita* hodie certum est ex Decr. Innoc. XI. de Comm. quotid. 12. Febr. 1679... Utrum autem... sit *invalida?* prima sententia communissima negat..., secunda vero sententia affirmat, et hanc *satis probabilem* puto ». L. 543. — L. 541. 546. 549., E. M.

758. *Quisnam possit approbare?* — Approbare potest *solus episcopus*. Ratio est, quia ad solos Ecclesiae praelatos pertinet iudicare de idoneitate ministrorum ad audiendas confessiones deputandorum. Constat etiam ex Trid. cit. Potest autem episcopus approbare sive per se sive per alium a se delegatum; quia approbatio est actus iurisdictionis; iurisdictio autem ordinaria potest delegari. — « Porro nomine *episcopi* etiam intelliguntur praelati habentes iurisdictionem episcopalem, ut quidam abbates, et Capitulum, Sede vacante, non autem Provinciales aut Generales Ordinum. Episcopus confirmatus, etsi nondum consecratus, recte potest approbare, quia iam habet iurisdictionem. Secus, si sit tantum electus, et non confirmatus; vel qui episcopatum renunciavit, quia tunc iurisdictione caret ». L. 547. — *Advertendum*, quod iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, una cum *approbatione* etiam *iurisdictio* a praelato sacerdotibus conferri solet, ac proinde usu communi *approbationis* nomine etiam *iurisdictio* comprehenditur. Olim vero, ante Tridentinum scilicet, cum approbatio episcopi necessaria non esset, iurisdictio communiter a parochis concedebatur; quae quidem facultas modo in parochis vix exercitium habet, cum vix reperiri nunc possit sacerdos, qui simul cum approbatione non etiam iurisdictionem ab episcopo iam acceperit. — Bertagna de Casuum Reservatione P. 1. c. 1. Nota, Ferraris v. *Approbatio* a. 1. n. 15., L. 550. 558., E. M.

759. *A quonam episcopo habenda sit approbatio?* — Approbatio tribui debet ab episcopo dioecesis, *in qua confessiones excipiendae sunt;* unde non sufficit approbatio sive episcopi poenitentium, sive episcopi sacerdotum. Constat ex B. Innoc. XII. 19. Apr. a. 1700., ubi sancitum est: « Confessarios, tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, *in vim*

Bullae Cruciatae nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione *episcopi loci,* in quo ipsi poenitentes degunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum dioecesium obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui tales confessarios approbassent, subditi sint ». Deinde declarat Pontifex nullas « confessiones, quae fiunt *sine approbatione episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt.* Quid clarius? Si autem adhuc cum privilegio Bullae Cruciatae requiritur approbatio *ab episcopo loci,* quanto magis sine privilegio. Verum Salm.... dicunt oppositam sententiam non esse hac Bulla damnatam, si quis privilegium haberet generis diversi, quam Cruciatae, puta Iubilaei, vel simile. Sed huic obstat Bulla Bened. XIV., quae incipit *Benedictus Deus,* ubi dicitur, quod datur facultas in Iubilaeo tam saecularibus, quam regularibus eligendi sibi confessarium, modo sit ex approbatis *ab Ordinario loci,* moniales vero ex eadem possunt sibi eligere confessarium, sed non nisi ex approbatis ad confessiones monialium illo loco, quamvis pro aliis monasteriis ». L. 548. Obstat praeterea Const. *Apostolica Indulta* 5. Aug. 1744. eiusdem Bened. XIV., qui statuit ac declaravit, ea, quae Praedecessores Rom. Pontifices Innoc. XII., Innoc. XIII., et Bened. XIII. decreverant « circa intelligentiam et usum indulti Bullae Cruciatae, etiam in reliquis eiusdem generis indultis pariformiter valere atque obtinere debere ». — L. 548. 549., E. M.

760. *An sufficiat approbatio praesumpta de futuro, seu interpretativa?* — R. Negative. Ratio est, quia ex Trid. requiritur approbatio *actu* et *absolute exsistens,* et *iam obtenta.* Ad eiusmodi autem approbationem requiritur consensus actualis, signo aliquo declaratus. — Immo nec licet incipere confessiones antequam consensus ille, per litteras petitus, receptus fuerit, etsi certo obtentus videatur. — Neque vero valet *ratihabitio approbationis,* etiam prudenter praesumpta: quia ratihabitio actum invalidum, qui amplius non est, absolutionis nempe formam, quae *in verbis* consistit, validum efficere non potest. — Idemque valet ad assistendum matrimoniis. — Gousset 478., L. 570., l. 3. n. 700., Lugo D. 19. S. 2., Sanch. de Matr. l. 3. D. 35. n. 18. seqq., D. 36. n. 6. seqq., Barbosa de Offic. paroch. P. 2. c. 21. n. 75.

761. *An episcopus possit valide et licite limitare approbationem quoad certum tempus, locum et personas?* — R. Affirmative quoad *validitatem,* etiam sine causa. Ratio est, quia est actus omnino dependens a voluntate episcopi ut superioris. Hinc sicut *valide* approbationem, licet *iniuste,* recusare potest, sic eam potest solum *cum restrictione* concedere. Id constat etiam ex pr. 13.ª ab Alex. VII. d. Constat etiam ex Trid. S. 23. C. 15., ubi dicitur: *Nisi approbationem obtineat.* At vero qui eam obtinet cum restrictione, simpliciter non obtinet pro casibus exclusis. — Quoad *liceitatem,* potest quidem episcopus restringere aut etiam omnino negare approbationem iusta de causa, ut patet; quia in hunc finem inducta est necessitas approbationis, ut idonei a non idoneis secernantur. Secus vero, si id absque iusta causa agat. — Bened. XIV. C. *Apostolica indulta* 5. Aug. 1744. § 3., L. 542. 550. 552., Lugo D. 21. n. 51.

762. *Quaenam sint iustae causae approbationem limitandi ad tempus?* — Sunt ut plurimum sequentes: 1.° Si nunc sit necessitas ha-

bendi plures confessarios, quae postea cesset. 2.° Si approbandus habeat quidem sufficientem scientiam, sed merito maior desideretur ad approbationem perpetuam. 3.° Si prudenter timeatur, ne post habitam semel approbationem perpetuam, studium negligat. 4.° Ad experiendum, quomodo se gerat in excipiendis confessionibus. — Lugo D. 21. n. 58.

763. *An possit episcopus valide et licite revocare approbationem concessam?* — R. Affirmative ratione *validitatis*, etiam sine iusta causa. Ratio est, primo quia talis revocatio fit in re episcopo ita subiecta, ut ab illo tantum provenire queat. Insuper quia approbatio, etiam iniuste revocata, iam non exsistit, seu non potest dici simpliciter habita seu obtenta. — Ratione *liceitatis*, potest quidem episcopus iustis de causis revocare approbationem etiam illimitate concessam; hoc enim sequitur ex necessitate approbationis, quae postulat, ut quisquis cessat esse idoneus, ab officio removeatur. Non potest vero approbationem revocare sine iusta causa. Etenim ex dictis non potest episcopus approbationem denegare sine causa: ergo a fortiori non potest sine causa concessam revocare; siquidem ex effato: *Turpius eiicitur, quam non admittitur hospes.*

Verum non desunt, qui existimant non posse episcopum *nec licite nec valide* approbationem concessam revocare sine iusta causa. Ratio est, quia approbatio semel concessa, *praevio examine,* non est actus gratiosus et favor dependens ex liberalitate et beneplacito episcopi; sed est actus iustitiae et ius acquisitum ex iuridica sententia, adeoque ex iustitia debitum, posita aptitudine. Ergo, ex mero beneplacito, neque licite neque valide cessare potest. Ita tenent Suarez D. 28. S. 8. n. 7., Lugo D. 21. n. 64., Castro-Palao Tr. 23. p. 18. n. 6., Salm. c. 11. p. 6. n. 107., etc. Hanc opinionem valde probabilem dicit Casajoana in Annotationibus ad P. Gury n. 543. Ed. 2.ª hispana; sed vix in praxi probabilem censet S. Alph. 551.; qui vero eandem implicite censet probabilem, ubi evidens esset iniustitia, et quodcumque abesset hallucinationis periculum. Sed et illud addendum est, quoad praxim, quod nullum adsit scandalum. Unde praestat appellare ad Metropolitanum, vel ad S. Congr. — L. 551., Billuart Diss. 6. a. 5., E. M.

764. *An episcopus sacerdotem extraneum approbare possit.* — Episcopus approbare potest quemlibet idoneum in sua dioecesi actu exsistentem, etsi transeuntem tantum. Constat ex praxi universali et sententia communi theologorum. Ratio est, quia delegatio sive mandatum committi potest cuivis, dummodo capax sit.

IX. — DE CONFESSARII IURISDICTIONE

765. *An ad licite et valide confessiones audiendas iurisdictio requiratur?* — Iurisdictio generatim sumpta est quaedam potestas moralis regendi subditos. Iurisdictio ecclesiastica duplex est: alia in foro externo, et est potestas ferendi leges, infligendi poenas, etc.; alia in foro interno, et potestas est absolvendi, vel ligandi in tribunali Poenitentiae. Haec autem est vel *ordinaria,* quae alicui competit ratione officii habentis annexam curam animarum; vel *delegata,* quae alteri datur ab habente ordinariam. — Potestas *iurisdictionis* ad confessiones excipiendas necessaria est, nec sufficit potestas *ordinis.* Ratio, quia absolutio est sen-

tentia iudiciaria, quae ferri nequit nisi in subditos. Confessario igitur assignari subditi debent; hoc autem ad eum pertinet qui auctoritate in eos subditos pollet. Id ad rectum Ecclesiae regimen omnino requiritur. Idque constat ex Trid. S. 14. C. 7., declarante, « *nullius momenti* absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem *ordinariam* aut *subdelegatam* non habet *iurisdictionem* ». — L. 557.

766. *Quibusnam competat iurisdictio?* — Iurisdictio *ordinaria* competit: Papae pro tota Ecclesia in utroque foro; siquidem Primatum habet iurisdictionis. Conc. Vatic. C. *Pastor aeternus*. Eius vices in pluribus gerit maior Poenitentiarius. — Episcopo pro sua dioecesi, in utroque etiam foro, cum haec ideo sit ipsi commissa, ut eam regat ac dirigat; itemque archiepiscopo erga subditos suorum episcoporum, tunc tantum quando actu visitat; et, secundum communiorem et veriorem sententiam, vicario generali; cum unum tribunal faciat cum episcopo. C. *Non putamus* 2. *de Consuetud.* in 6.°, C. *Romana* 3. *de Appellat.* in 6.° Mortuo autem episcopo, cessat vicarii iurisdictio, non quia eius iurisdictio non sit ordinaria; sed quia, deficiente episcopo, desinit ipse esse vicarius. — Parochis pro subditis in foro interno, Trid. S. 23. C. 15. de R., et canonico poenitentiario in propria dioecesi, iisque omnibus, qui beneficium vel officium habent, cui adnexa est obligatio audiendi confessiones. — Abbatibus et praelatis regularium pro suis subditis; ex pluribus privilegiis, a Summis Pontificibus ipsis concessis.

Iurisdictio *delegata* conceditur ab Ecclesia cuilibet sacerdoti in casu extremae necessitatis, seu in articulo mortis. Trid. S. 14. C. 7. In *articulo mortis*, h. e. sive *in articulo*, sive *in periculo mortis*; quia eadem fere est poenitentis necessitas in periculo atque in articulo mortis; et quia in hac materia pro uno eodemque accipitur articulus et periculum, C. *Si quis suadente* 29. can. 17. q. 4. Et sane *periculum* et *articulus* mortis vel pro uno eodemque sumuntur apud dd., vel si distinguantur, ea distinctio ita se habet, ut *articulus* mortem designet, *proxime instantem, moraliter certam*, et fere *inevitabilem*; *periculum* autem *quando est probabile dubium, et frequenter* solet in tali *casu mors accidere*. Suarez in 3. p. T. 4. D. 26. S. 4. n. 2., Lugo de Poen. D. 18. n. 20., Ithur. Cas. 49. n. 1.-3. 10.-16., Giraldi Expos. Iur. Pont. P. 2. S. 39. par. *Verum*, L. 561. — Tale autem periculum censetur adesse in praelio, in longa et periculosa navigatione, in difficili partu, in morbo periculoso, in periculo probabili incidendi in amentiam, in exigua spe libertatis pro captivis apud infideles, si credantur nullos alios sacerdotes habituri, etc., sive nempe *ab intrinseco*, sive *ab extrinseco* mors immineat. — L. 557. 558. 559. 561.

767. *An iurisdictio delegata subdelegari possit?* — R. Negative, generatim loquendo, videlicet nisi accedat specialis concessio delegantis; et tunc nomine ipsius delegantis subdelegari censetur. Ratio, quia delegatus eam solam potestatem habet, quae ei conceditur; at conceditur ei sola potestas exercendi iurisdictionem, non vero eam alteri committendi, nisi aliud exprimatur. Excipe: 1.° Si *iurisdictio* alicui *delegetur*, velut privilegium perpetuo annexum suo officio, aut dignitati; tunc enim talis iurisdictio reputatur tanquam ordinaria, prout est facultas impertita episcopis a Trid. C. *Liceat* 6. S. 24. 2.° Si *committatur* alicui *officium*, cui annexa est iurisdictio; idque currit etiamsi officium non sit proprium,

sed vicarii, v. g. viceparochi, seu vicerectoris pro parocho absente, aut nondum sacerdote. Huiusmodi vicarius bene potest iurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed partem, pro una nempe vel altera causa. Ratio, quia tunc non tantum huic est commissum exercitium parochi, sed etiam parochi officium, cui competit non solus usus, sed adhuc delegatio iurisdictionis. — L. 566., S. Th. Quodl. 12. a. 31.

768. *An iurisdictio delegata audiendi confessiones expiret morte, aut amotione ab officio concedentis?* — Duplex est sententia: Prima, quam Thomas Sanchez dicit esse satis probabilem, affirmat. Secunda vero, quam ut probabiliorem tenet idem Sanchez, negat, sive ea licentia concessa sit ab episcopo, sive a quovis alio Ordinario, qui potest eam concedere. Ratio est 1.° « quia omnia iura decidentia potestatem iurisdictionis delegatae perire morte delegantis, *re integra*, agunt de potestate contentiosa, qualis non est haec... 2.° Quia, etsi licentia audiendi confessiones sit in poenitentium favorem, computatur merito inter *gratias factas*. Quia, cum non concedatur respectu personae determinatae in peculiarem illius favorem ad ipsiusve petitionem, reputatur potius *gratia facta* ipsismet sacerdotibus, utpote quae in maximum eorum favorem redundat, et, statim ac ipsis conceditur, est perfecte concessa, a nulliusque exsecutione dependens. Quae *gratiae factae* definitio est. At *gratia facta* non expirat concedentis morte, etsi res integra sit. 3.° Quia ita ipsa praxis testatur. Quippe, mortuo episcopo, solent confessarii quicumque ab ipso expositi audire confessiones, donec licentia a Capitulo aut ab episcopo successore revocetur ». Sanchez de Matr. l. 8. D. 28. n. 71. 72., qui haec praeterea addit, quae ad pleniorem rei praesentis cognitionem faciunt: 1.° « Quando tamen licentia esset concessa sacerdoti audiendi confessiones poenitentis determinati, in illius poenitentis favorem, expiraret facultas morte concedentis, *re integra*, i. e. quoad confessionem nondum antea coeptam. Quia, cum illa gratia sit in illius poenitentis favorem et nondum sit perfecta, sed per confessarium exsequenda, non habet *gratiae factae* rationem, sed *faciendae*, quam morte concedentis *re integra*, expirare diximus... 2.° Licentia concessa ab episcopo vel alio praelato eligendi confessarii... verius... non expirat morte concedentis etiam *re integra*, vel amotione ab officio..., quia haec facultas non tanquam delegatio, sed tanquam *gratia facta* est censenda », l. c. n. 73. 74. — Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 20.

« Certum est, ait Bouix, de Iur. Reg. V. 2. p. 247., per mortem concedentis non expirare licentiam *illimitatam;* et de hoc nullum est dubium. Item certum est licentiam *ad tempus determinatum*, non expirare per obitum concedentis, sed perseverare usque ad expirationem praefixi termini; quod pariter extra controversiam est. De licentiis *ad beneplacitum*, asserit quidem Clericatus, post Dianam, eas morte concedentis expirare. Sed in contrarium est *communis* doctorum sententia, quam sic exponit Ferraris, v. *approbatio* a. 1. n. 10., etc. ». Cf. S. Alph. 551. 552. 558. 559., ubi S. D. affirmat, expirare morte concedentis facultatem datam hoc modo: « usque ad *beneplacitum nostrum*, vel ad *arbitrium nostrae voluntatis*, et simili ». Sed l. 1. App. 2. n. 13. contrariam sententiam probabilem putat. Cessationi favet C. *Si gratiose* 5. *de Rescr.* in 6.°, Durationi vero S. C. EE. et RR. 17. Jun. 1866., et C. 16. de R. I. in 6.° — E. M.

769. *An Ecclesia suppleat iurisdictionem, quando poenitentes ipsius defectum invincibiliter ignorant?* — Advertendum prius est, defectum iurisdictionis in diversis rerum adiunctis evenire posse. Etenim error esse potest vel *communis* inter fideles, vel *privatus* tantum alicuius personae. Rursum sacerdos iurisdictione carens potest habere titulum *coloratum*, vel solum *existimatum*. Titulus causam significat, adeoque titulus est, quo ius aliquod nobis acquiritur. Titulus autem *coloratus* est titulus in se quidem falsus, sed tamen vere collatus a superiore, et ideo prae se ferens speciem veri tituli, licet ex aliqua causa vitio occulto nullitatis laboret. Sic sacerdos, qui simoniace renuntiatur parochus, invalidum sortitur titulum ex Iure canonico; et, si a legitimo episcopo fuerit in paroecia constitutus, titulum habet *coloratum*. Cf. C. *Statuimus* 107. cau. 1. q. 1. Titulus vero mere existimatus ille est, qui a fidelibus adesse reputatur, licet non exsistat.

Ecclesia *certo* supplet, si error sit *communis* inter fideles, et simul cum titulo *colorato* coniunctus. Ratio eruitur ex communi theologorum interpretatione diversis locis Iuris innixa. Ut enim aiunt, Ecclesia velut pia mater ad bonum animarum iurisdictionem supplere merito censetur, cum id possit. Hoc aeque valet sive ordinariam, sive delegatam quis habeat iurisdictionem. Valet insuper, etiamsi confessarius cognoscat, se iurisdictionem non habere, v. g., qui sciat elapsum sibi esse tempus approbationis, aut se, vi sententiae secreto sibi intimatae, ab audiendis confessionibus suspensum. L. 572.

Probabilius etiam supplet Ecclesia, si adsit error *communis*, seu *iure publicus*, sine *titulo colorato*, sed cum titulo tantum *existimato* seu *ficto*. Eadem enim urget ratio ac in casu praecedenti, cum etiam in hac hypothesi innumerae animae perire possint; praesertim, cum titulus, hic, nec peti nec exhiberi soleat, cum quis accipit potestatem a superiore excipiendi confessiones vel absolvendi a reservatis. Ita plures et graves dd.; et hoc putat probabile S. Lig. l. c. — Idque valet sive agatur de simplici peccatorum absolutione, sive de absolutione a reservatis. Cum in utroque casu eadem sit ratio, nempe *animarum bonum et necessitas*.

Non censetur Ecclesia supplere iurisdictionem, si error sit *privatus*, v. g., si sit unius aut paucorum. Ratio est, quia Ecclesia non censetur supplere, nisi ratione boni communis, ad instar scilicet provisoris seu gubernatoris generalis, qui ad solum bonum generale societatis attendit, et bonum privatorum curae provisorum particularium relinquit. — Ithur. Cas. 33. Cas. 47. n. 9. 13., E. M.

770. *An liceat absolvere cum iurisdictione dubia, dubio facti, an adsit?* — *Dubia;* agitur de *dubio negativo*, quo nempe mens anceps et suspensa manet, quin determinetur ad iudicium, ad *positivum* nempe iudicium, licet tantum *probabile. An adsit;* e. g., an definitum approbationis tempus perduret; an sit intra territorium delegantis et approbantis; an tale peccatum contineatur in catalogo reservatorum, etc. Quare agitur *de dubio facti, particularis* nempe seu *privati facti.* — R. Negative, nisi aliqua urgeat *necessitas*. Nam sacramentum obiicitur periculo nullitatis; et sic poenitens gravi exponitur damno. In necessitate vero proximo subveniendum est meliori quo fieri potest modo. *Necessitas* adest, 1.° si urgeat praeceptum annuae confessionis; 2.° si poenitens debeat missam celebrare,

vel communicare et alias notam infamiae incurreret; 3.° si sacerdos ex obligatione celebrare teneatur. Verum ob sacramenti reverentiam absolutio sub conditione danda est, et de dubio validae absolutionis, poenitens monendus, ut eius saluti cautum sit, qui consequenter et a confessario ad contritionem est excitandus et alteri deinde iurisdictionem habenti confiteri debet sua peccata, quia certe clavibus subiici debent. — Castro Palaus Tr. 23. P. 14. n. 25., L. 571. 432.

771. *An liceat absolvere cum iurisdictione speculative probabili; seu positivo dubio iuris?* — *Dubium* proprie dictum dubium negativum est. *Dubium positivum*, improprie dictum dubium est, ratione nempe tantum formidinis, qua iudicium feratur, quamvis determinate iudicium feratur, incertum tamen, iudicium nempe *probabile*, in quo latitudo et varietas est, quia iudicari potest utraque pars aeque probabilis; altera probabilis, altera probabilior; vel una tantum probabilis, quia neque evidens neque certum eius motivum est, quamvis opposita fundamentum non habeat probabilitatis. *Iurisdictio speculative probabilis, seu dubium positivum iuris* est, e. g., quod error communis sine titulo colorato tribuat iurisdictionem, quod non approbatus absolvat moribundum praesente approbato; quod valide etiam non approbatus a venialibus absolvat, etc. Quare *dubium iuris* reincidit *in dubium facti*, haud sane particularis, sed *universalis;* seu dubium est circa *communem quaestionem iuris*, non privati facti.

Porro S. Alph. 573., « sententia communis, inquit, docet, licitum esse absolvere cum probabili iurisdictione, modo opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate. Ita Sanchez, Lugo, qui putat tutissimam, etc...., et eam vocant moraliter certam Sanchez, Tamb., Carden., ac Dicast., Illsung, Gormaz, Stoz, etc. apud Croix l. 6. P. 1. n. 117. ». Aliam vero, quam sequi se dicit, sententiam sic proponit idem S. D.: « Licitum quidem esse ministrare hoc sacramentum poenitentiae cum iurisdictione probabili, sed non nisi quando adest causa gravis necessitatis, aut magnae utilitatis,... vel causa rationabilis... Ratio huius limitationis est, quia licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit iurisdictionem supplere, tamen non praesumitur, nulla iusta causa accedente, velle connivere merae libertati sacerdotum ». — Verum huius sententiae infirmitas ostenditur ex ipsa prioris sententiae ratione, quam sic exponit et probat ipse S. Alph.: « In Ecclesia adest universalis consuetudo fere omnium confessariorum absolvendi cum iurisdictione probabili, ut testantur communiter Suarez, Lugo, etc. et omnes alii auctores citati pro hac sententia. Communis autem sententia doctorum fundat moralem certitudinem de praefata consuetudine. Et licet *contrarii* illicitum putent absolvere cum iurisdictione probabili, praescindunt tamen, *nec possunt* negare, hanc consuetudinem adesse saltem apud partem longe maiorem confessariorum. Posita igitur ut certa hac consuetudine, *certum est*, licitum esse sacramentum ministrare cum iurisdictione probabili, cum ipsa consuetudo iurisdictionem praebeat, prout docent Suarez, Navarrus, etc.; idque probant ex C. *Cum contingat* 13. *de Foro compet*.... Iurisdictio bene ab Ecclesia suppleri potest, et moraliter certo praesumitur suppleri in hoc casu ob bonum animarum. Unde confessarius absolvendo, non absolveret cum sola opinione probabili, sed moraliter certa, non directa, sed reflexa ». — Haec *de dubio positivo* seu *probabilitate iuris*. Quid vero

de dubio positivo seu *probabilitate facti?* Idem affirmant plures, inter quos D'Annib. Ed. 3.ª P. 1. n. 80. nota 78.; sed alii communiter negant. — La-Croix l. 6. P. 1. n. 118. 120., Lugo D. 19. n. 20. 28. seqq., L. 571. 573., D'Annib. P. 3. n. 321.

772. *An haeretici, schismatici, excommunicati vitandi, etc. valide absolvant in periculo mortis, alio sacerdote deficiente?* — R. Affirmative. Ratio, quia *omnes sacerdotes* in periculo mortis absolvere possunt. Trid. S. 14. C. 7., L. 560.

773. *An possit simplex sacerdos valide absolvere moribundum, etiam praesente confessario approbato?* — Negat S. Alph. 562. ob auctoritatem Rit. Rom. *de Sacr. poenit.* sub init., ubi sic dicitur: « Sed si periculum mortis immineat, *approbatusque desit* confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere ». Hanc sententiam plures et graves tenent theologi. Sed alii etiam plures et graves theologi affirmant. Validissimum sane argumentum praesto est ex Trid. S. 14. C. 7., ubi ea facultas absolute et universaliter *omnibus sacerdotibus*, pro *quibuslibet poenitentibus, et quibuscumque peccatis et censuris*, datur; et ratio adsignatur universalissima, *ne aliquis pereat.* Quare ubi ius non distinguit neque nos distinguere debemus, nisi ab ipso iure exceptio fiat, ut pro casu sacerdotis complicis in peccato turpi, ut suo in loco explicatur, ex qua etiam exceptione, ubi de mera *validitate* agatur, praesens doctrina confirmatur. Cf. 1282. Insuper ratio a Conc. adducta, *ne aliquis pereat,* omnimodam amplitudinem hac in re demonstrat, ea enim seclusa, aliquis profecto perire aliquando posset ob defectum libertatis; et illud praeterea additur, quod, *in eadem Ecclesia Dei, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis,* ubi autem nulla reservatio, frustra quaeritur, qui in reservata potestatem habeat. Demum ante Trid. nulla opus erat approbatione episcopi ad confessiones audiendas, vetus ergo ius, quoad mortis articulum, non solum non est derogatum, sed confirmatum, cum Conc. ad ipsum vetus ius appellet, cum ait, quod *in eadem,* etc. Confirmatur ex Resp. S. O. 29. Jul. 1891. — Ithur. Cas. 12. 42., Lugo D. 18. n. 23., L. 560., E. M.

774. *An absolvere quis possit proprium subditum in aliena dioecesi sine approbatione Ordinarii loci?* — R. Affirmative, *si* confessarius *sit proprius* illius poenitentis *parochus.* Ratio, quia parochi eximuntur a Conc. Trid. ab ea approbationis lege. Quare extra propriam paroeciam vel etiam dioecesim a nullo approbari debent, ut confessionem audiant proprii parochiani. — Negative, *si non sit proprius parochus.* Ratio, quia ex Trid. parochi tantum eximuntur. Quare alii omnes delegatam habentes iurisdictionem approbatione indigent episcopi loci. — Non desunt tamen graves theologi, idem hac in re existimantes esse ius habentis ordinariam et delegatam potestatem. Delegatus enim delegantis utitur iurisdictione. Verum difficultas non est in praesenti quaestione de *iurisdictione*, sed de *approbatione.* Quare, si tantum de absolutione *a censuris* ageretur, pro qua *approbatio* non est requisita, utique absolute posset; *absolute,* nisi nempe iurisdictionem ad proprium territorium delegatione restrictam accepisset. Idemque esset de matrimonio, cui extra dioecesim valide assisteret tum proprius parochus, tum ab eodem parocho sacerdos deputatus. — L. 548., D'Annib. P. 1. n. 336. Ed. 3.ª, Cf. 783.

775. *An parochus possit advocare parochum eiusdem vel diversae dioecesis ad confessiones in sua parochia audiendas?* — Quoad parochum *eiusdem dioecesis,* licet hic vi officii sui iurisdictionem specialem habeat tantum pro paroecia sua, tamen ex consuetudine fere universali confessiones etiam in universa dioecesi audire potest, nisi episcopus aliter decernat. Consulendae tamen sunt consuetudines locorum propriae. — Quoad parochum *diversae dioecesis,* variae feruntur opiniones, ut inquit Bened. XIV. Instit. 86. n. 7. Qui affirmant, arguunt ex Trid. quod parochiale beneficium inserviat pro approbatione universali. Alii negant, quibus adhaeret S. Lig. 544. Huic sententiae favent Declarationes S. C. C. apud eund. S. D. Prima sententia admitti potest in iis locis, ubi adest talis consuetudo.

776. *An sacerdos approbatus ab episcopo possit audire confessiones fidelium sine venia parochi?* — R. Negative *quoad liceitatem,* si confessiones excipiantur in Ecclesia parocho subiecta. Ratio est, quia debitus ordo omnino requirit, ut cum parochus superior immediatus sit in sua Ecclesia, ab ipso venia inibi exercendi sacra ministeria petatur. Non tamen requiritur venia parochi ad audiendas confessiones in sacello regularium vel monialium, sed venia superioris vel superiorissae loci sufficit. — *Quoad validitatem* vero certum est iuxta omnes, non requiri licentiam parochi extra casum annuae confessionis. Immo nec requiritur pro annua confessione, saltem *per se,* seu de iure communi. Constat ex communi doctrina theologum contra quosdam, necnon ex praesenti consuetudine et praxi universali Ecclesiae, ut testatur Bened. XIV. Inst. 18. — L. 574.

777. *An sacerdos in aliquo loco approbatus excipere valeat confessiones peregrinorum eo advenientium?* — R. Affirmative absolute quoad *confessarios regulares,* qui speciale hoc privilegium a S. Sede Apostolica habent. C. *Inter cunctas* Pauli III., C. *Superna* Clement. X. — Affirmative etiam *quoad sacerdotes saeculares;* ratio, quia talis est consuetudo universalis, quae initio originem habens ex tacito Ordinariorum consensu, nunc longo usu firmata praescripta est, atque vim legis universalis obtinet. — L. 569.

778. *An episcopus possit sub poena invaliditatis prohibere, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim?* — R. Negative, si pergant ad confitendum extra dioecesim apud confessarios regulares, qui habent privilegium audiendi confessiones omnium fidelium undequaque venientium. Suarez de Relig. Tr. 10. l. 9. n. 19. 20., Reiff. Tr. 14. Dist. 8. q. 1. n. 11., Laym. l. 5. Tr. 6. c. 10. Confirmatur Declaratione S. C. apud Fagnan. in cap. *Omnis utriusque sexus* n. 79., ubi haec habet: « S. Congregatio declaravit regulares intra dioecesim episcopi approbantis posse etiam absolvere poenitentes alterius dioecesis, *cum habeant iurisdictionem a Papa...,* cuius iurisdictio non restringitur ad limites alicuius territorii, sed universus orbis est sua dioecesis ». — Negative etiam quoad confessarios saeculares. Plura extant SS. CC. decreta, quibus reprobantur huiusmodi prohibitiones. Cf. Collectan. S. C. de P. F. n. 928. seqq. Ratio est, quia non potest episcopus universim, et seclusis casibus particularibus, prohibere id quod consuetudine universali legitime praescripta, seu lege

universali Ecclesiae permittitur. Neque obstat quod obiicitur, nempe repugnare iuri divino, ut quis eligat sibi confessarium sine licentia proprii Pastoris. Id enim ultro conceditur: verum, qui, Summo Pontifice per consuetudinem universalem permittente, confessarium sibi eligit, non eum eligit sine licentia *proprii Pastoris.* « Consuetudo, ait S. Th. S. q. 20. a. 2., dat, vel aufert in talibus potestatem ». Quodl. 1. a. 12., L. 564., E. M.

779. *An delegatus valide et licite absolvat elapso termino delegationis quotannis renovandae, v. g., si turba poenitentium affluat ad aliquam magnam solemnitatem?* — *Invalide* absolvit, *per se*, seu ratione iurisdictionis, quia de facto nullam habet. Attamen valide absolvit *probabilius*, saltem plerumque, ratione erroris communis, ob quem Ecclesia supplere censetur pro bono animarum. — *Peccat* vero *graviter, per se,* sacerdos si hoc scienter agat; ratio, quia exercet munus confessarii sine legitima auctoritate; et licet tunc suppleat Ecclesia, reus est tamen, quod ipse indebite eam ad supplendum cogit.

780. *An cappellani militum eos ubique sine approbatione episcopi loci absolvere possint?* — R. Affirmative, si specialiter sint delegati a Summo Pontifice ad curam spiritualem militum, aut a cappellano maiori a Papa approbato. — Si vero hac speciali delegatione careant, possunt quidem audire confessiones in dioecesi episcopi approbantis, et etiam extra illam in itinere et in castris, ex tacito consensu episcoporum, ut patet ex consuetudine universali; non possunt tamen valide absolvere in stationibus nec in praesidiis sine licentia episcopi loci, quia nullam habent iurisdictionem. Constat ex variis Declarationibus S. C. 6. Mart. 1694., 29. Jan. 1707. A. S. S. V. 1. p. 681., Zacharia apud La-Croix 1518., L. 577., E. M.

781. *An parochi, episcopi, cardinales confessarium sibi eligere possint?* — R. ad 1.um Negative ex pr. 16.a d. ab. Alex. VII. — Ad 2.um Affirmative ex C. *Ne pro dilatione* fin. *de Poenit. et rem.* Sed declaravit S. C. apud Fagn. in d. c. n. 62. id tantum intelligi, quod episcopi extra dioecesim possint eligere sacerdotem sibi subditum. — Ad 3.um Affirmative, sed Romae tantum, tam vero pro se, quam pro sua familia, et, quem elegerint in Urbe, secum extra Urbem conducere possunt. Fagn. l. c. n. 53. 65. 66. — L. 565., de Priv. 65., Lugo D. 20. n. 64., E. M.

X. — DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS

782. *A quonam regulares iurisdictionem et approbationem obtineant?* — Regulares ad audiendas *suorum* confessiones *approbationem* accipiunt a superioribus sui monasterii, provinciae vel ordinis; *iurisdictionem* vero ipsis *delegatur* a suis superioribus; idque intelligitur non tantum *de professis,* sed etiam de *novitiis,* nec non de *famulis saecularibus, qui sunt vere* de *familia,* et *continui commensales;* quales non sunt qui tantum ipsis deserviunt; sed qui diu noctuque in domo religiosorum remanent, ibique nutriuntur, et sub eorum vivunt obedientia, licet non ratione voti. — Quoad *saecularium* confessiones religiosi omnes mendicantes, et qui eorum privilegia participant, iurisdictionem habent *immediate a Papa.* Cf. 784. 778. Approbationem vero accipere debent *ab episcopo loci, ubi*

confessiones excipiendae sunt; quae approbatio non tantum ad *liceitatem* sed etiam ad absolutionis *validitatem* requiritur; idque intelligendum etiam *de monialibus,* quamvis sint eiusdem ordinis, et ipsis subiectae, pro quibus *specialis* adhuc *approbatio episcopi loci* requiritur. — Constat ex Privilegiis Regularibus concessis a Summis Pontificibus, Clem. *Dudum de Sepulturis* etc., ex Trid. S. 23. C. 15., ex C. *Superna* Clementis X., ex communi dd. sententia. — L. 549. 552., Ferraris. v. *Approbatio* a. 1. n. 64. seq., E. M.

783. *Nota:* « Religiosos ab episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia dioecesi eas absque episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius episcopi, a quo ipsi religiosi iam fuerant approbati ». C. *Superna.*

784. *An valide absolvat saeculares religiosus, inscio vel invito superiore, ex sola facultate episcopi loci?* — R. Affirmative. Ratio, quia episcopus bene potest iurisdictionem religioso, non secus ac sacerdoti saeculari extraneo in proprias oves conferre. Quisquis enim iurisdictione ordinaria gaudet, eam cuilibet sacerdoti delegare potest. Religiosus insuper ut constat ex Pontificiis Bullis, Cf. Br. Pauli III. *Cum inter* 3. Jun. 1545. etc., iurisdictionem directe accipit a Summo Pontifice, sed cum subordinatione ad approbationem episcopi, cum Summi Pontifices *ipsis religiosis* sua suprema potestate iurisdictionem conferant, et, omnibus abrogatis privilegiis, episcopi approbatio requiratur ex Conc. Trid. Idque totidem verbis habetur in Br. Leonis XII. *Plura inter* 11. Jul. 1826. Unde superioris ignorantia vel prohibitio actum illicitum graviter vel leviter reddit; minime vero invalidum. A. S. S. V. 1. p. 680. 683. Confirmatur ex Declaratione S. C. EE. et RR. 2. Mart. 1866. E. M.

785. *An convictores collegiorum aut seminariorum a regularibus absolvi possint, absque episcopi approbatione, utpote de familia?* — Prima sententia negat, quia huiusmodi convictores non sunt *de familia,* ut *famuli.* Hi enim per famulatum domo et familiae quasi incorporantur; unde *domestici* et *familiares* dicuntur. Convictores personae sunt *extraneae* familiae, quae pecuniam solvunt, ut victum, doctrinam, et educationem a magistris accipiant. — Secunda sententia affirmat. Ratio est, 1.° quia nihil in ipsis desideratur, quominus sint *vere de familia et continui commensales.* 2.° Quia *si vere de familia, et continui commensales* sunt famuli, quia a regularibus dependent ob materialem famulatum; quanto magis habendi sunt de familia convictores, qui sub perfecta dependentia et obedientia degunt regularium. 3.° Quia pluribus ordinibus, et congregationibus privilegium competit familiaritatis pro ipsorum convictoribus; quod ob privilegiorum communicationem aliis etiam competit. 4.° Ex praxi et consuetudine eadem doctrina confirmatur. Ita Pichler, Pellizarius, Schmalz., aliique quam plures. — Lugo Resp. Mor. l. 3. D. 33., Bouix p. 204. seqq., p. 626., A. S. S. V. 3. p. 47. seqq., Lucidi Ed. 3.ª p. 370. seqq., Bizzarri Collect. Ed. 1885. p. 563. seqq., E. M.

786. *An episcopus approbationem regularibus denegare possit?* — *Potest episcopus* 1.° praevium examen omittere vel exigere ad approbationem, etiamsi quis ab eius antecessore, vel etiam ab eius vicario generali fuerit approbatus. 2.° Ad examen revocare post approbationem,

etiam simpliciter concessam, sed sine praevio examine. 3.° Approbationem dare cum limitatione temporis, personarum, locorum, casuum, vel etiam denegare, *si non censeantur universaliter idonei.* 4.° Eos, qui cum limitatione approbati fuerint, novo subiicere examini, et eam facultatem limitatam restringere, vel omnino adimere, etiam absque nova causa confessiones concernente. — Prob. ex C. *Superna* et variis Declarationibus S. C. Bouix p. 221. seq., L. 552. 792.

Non potest Episcopus 1.° sine causa approbationem generatim denegare regularibus. 2.° Approbationem revocare omnibus regularibus eiusdem communitatis, aut saltem confessarios regulares restringere ad duos pro qualibet ecclesia. 3.° Examen denegare regulari, absolutam pro confessionibus approbationem postulanti, et vel nullam vel limitatam dumtaxat approbationem concedere; nisi tamen *certo* constet Ordinario regularem non esse generaliter idoneum. 4.° Cum limitatione approbare, qui ad confessiones audiendas, praevio examine, *idonei generaliter* reperti fuerint. 5.° *Concessas licentias* revocare, aut limitare, aut denuo examinare, si quis praevio examine absque limitatione fuerit *ab ipso episcopo* approbatus, propterea quod universaliter idoneus fuerit repertus, nisi *ex scandalo*, aut *aliquo delicto*, aut *alia nova superveniente causa, quae confessiones concernat.* 6.° Regulares approbando, etiam cum limitatione, eos prohibere, quominus confessiones tempore paschali excipiant; aut infirmorum et moribundorum confessionem excipiant, de qua tamen informari debet parochus sive viva voce, sive scripto apud aegrotum retento, ut ultima sacramenta tuto ministrare possit. Ubi notandum est ad infirmorum confessiones audiendas nullo pacto parochi licentiam requiri. — Prob. item ex C. *Superna*, et variis Declarationibus S. C. — Bened. XIV. C. *Apostolicum* 30. Maii 1753. § 9., C. *Apostolica Indulta* 5. Aug. 1744. § 3., Lugo D. 21. n. 54., L. 550. 552. 792., Pignatelli Cons. Can. T. 4. C. 163., Bouix p. 252., de Episc. V. 2. p. 249. seqq., Bizzarri p. 326. seqq. Ed. 1885., E. M.

787. *An, Sede vacante, possit vicarius capitularis regulares, a defuncto episcopo, praevio examine, approbatos, examinare, ac si minus idoneos repererit, facultatem pro confessionibus eis adimere?* — Si regulares obtinuerunt licentiam *illimitatam,* certum est neutrum posse. Idem probabiliter dicendum, si licentiam obtinuerant *ad tempus determinatum*, quamdiu nempe tempus illud non expiravit. Idem ex communi sententia dicendum, si licentiam obtinuerant *ad beneplacitum.* Triplex haec assertio constat ex C. *Exigentibus* Clementis IV., C. S. Pii V. *Romani Pontificis*, C. Clem. X. *Superna*, Decis. S. C. EE. et RR. 19. Jun. 1806. *Praevio examine*, si enim, nullo praevio examine, fuerint approbati, ac imperiti deprehendantur, et gignantur scandala, tunc vicarius capitularis potest eos ad examen vocare, et approbare quos idoneos repererit, quos indignos reprobare. S. C. C. 5. Febr. 1688. — L. 552., Bouix p. 246. seqq., E. M.

788. *An regularis semel approbatus in aliqua dioecesi, nova approbatione indigeat, si, mutata habitatione, eodem redeat?* — R. Negative. Ratio est, quia approbatus indefinite et illimitate remanet approbatus saltem usque ad implicitam approbationis revocationem; porro in casu praesenti nulla intervenit revocatio, ne implicita quidem. La-Croix 1541., Lugo D. 21. n. 44. 91.

789. *An regularis approbatus in aliqua dioecesi, nova approbatione indigeat ad valide absolvendum, si, mutato loco, per eandem dioecesim transeat?* — R. Negative, quia approbatio indefinite et illimitate concessa, perdurat usque ad revocationem. La-Croix 1541.

790. *An regulares confessarium libere sibi eligere possint?* — Regulares *in conventu* degentes confiteri debent sacerdotibus ordinis a superiore designatis, nec ab aliis quibuslibet sive intra, sive extra domum valide absolvi absque superioris licentia possunt. — « Non licet superioribus regularium confessionem subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint ». Decr. Clem. VIII. 25. Maii 1594. — « Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numero maiori vel minori, iique sint docti, prudentes, ac caritate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicaverit ». Decr. Clem. VIII. — In itinere si socium eiusdem Ordinis idoneum habeant, illi confiteri debent. Si vero desit socius *idoneus*, confiteri possunt cuilibet sacerdoti sive regulari, sive saeculari, sive approbato, sive non, nisi obstent particulares ordinis Constitutiones. Haec autem facultas locum non habet respectu casuum reservatorum. *Idoneus* est socius, si nec excommunicatus, suspensus, irregularis sit, nec sufficienti careat scientia. — Nomine autem *regularium* hic non comprehenduntur religiosi recentiorum congregationum, quae non sunt religiones stricte dictae, neque habent canonicam institutionem et approbationem, nisi speciale hac in re privilegium habeant. — L. 574. 575., App. de priv. 111., La-Croix l. 6. P. 2. n. 1524., Lugo D. 20. n. 66. 67., E. M.

791. *An monialium confessarii indigeant speciali approbatione, et confessarium sibi moniales libere eligere possint?* — Ad moniales non pertinet sibi *confessarium eligere*, nisi hoc ius habeant ex fundatione vel consuetudine, quo casu electus ab ipsis confessarius debet ab Ordinario approbari. — Si moniales non sint exemptae, vel si sint exemptae et Sedi Apostolicae immediate subiectae, confessarii deputatio ad episcopum spectat. Si moniales sint exemptae et praelatis regularibus subiectae, confessarii, eiusdem tamen ordinis, deputatio pertinet ad praelatum regularem. Sed necesse est ut episcopus eum approbet, et quidem *specialiter* pro monialium confessionibus; immo et pro tali conventu; ita ut non sufficiat eum approbatum iam fuisse ab episcopo pro alio conventu. Et approbari debet toties quoties ad id muneris deputatur.

S. C. EE. et RR. 2. Maii 1617., 7. Jun. 1620., 2. Sept. 1642. etc. statuit confessarios monialium debere esse in aetate supra quadraginta annos; et *ordinarios confessarios* singulis trienniis mutari debere. Idque tamen, non ubique servatur; et, nisi fiat, absolutionis invaliditatem non importat. S. C. EE. RR. 20. Jul. 1875. Collectan. S. C. de P. F. n. 436. — Porro confessarius tenetur accedere ad audiendas monialium confessiones, toties quoties vocatus fuerit. Ceterum caveat, ne se tanquam superiorem monasterii gerat, cum ipsi talis auctoritas nullo modo competat.

Extraordinarii confessarii deputatio ad eum pertinet, ad quem pertinet deputatio ordinarii, et saltem bis aut ter in anno offerendi sunt unus

vel plures. Trid. S. 25. C. 10. de Reg. — Etiam ex sola ratione spiritualis consolationis et profectus, extraordinarie concedi debet moniali peculiaris confessor quem expostulat, dummodo et ex parte monialis, et ex parte confessarii, quem sibi deposcit, nihil appareat, ex quo dictus profectus spiritualis sperandus non sit. — Si praelatus regularis negligat dare confessarium extraordinarium, supplet eius negligentiam episcopus. Si episcopus ipse negligit dare confessarium extraordinarium, nihil aliud monialibus conceditur, quam ad maiorem Poenitentiarium recurrere. — Praescribitur autem ut confessarius extraordinarius saltem semel in anno sit vel saecularis, vel alterius ordinis, et eo tempore ordinarius nullius, neque abbatissae, neque novitiarum audiat confessiones. — Moniales omnes tenentur se sistere confessario extraordinario, ut omnium libertati consulatur, eidem tamen confiteri non tenentur.

Decreto S. C. EE. et RR. 17. Dec. 1890. art. IV., « Sanctitas Sua Praesules superioresque admonet, *ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur*, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus *mulierum communitates* exsistunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant ». Id autem, ut patet, non eo usque progreditur, ut ad extraordinarium confessarium constanter recurrant, quin unquam adeant confessarium ordinarium. Hinc declaratum est, « Dispositiones art. IV. Decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere *pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis*, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Conc. Trid. et a Const. Bened. XIV. *Pastoralis curae praescriptum* habetur ». S. C. EE. et RR. 1. Febr. 1892.

In articulo mortis cuilibet moniali postulanti concedatur ab episcopo confessarius particularis; et si monasterium sit exemptum, non concedente praelato regulari, assignetur ab episcopo, vel recusante etiam episcopo, a Poenitentiario maiori, si tempus suppetat. Si autem non suppetat, provisum est a Conc. Trid. S. 14. C. 7.

Nomine *monialium* intelliguntur hic propriae solae mulieres sub regula in *claustro* viventes; non vero illae, quae rigorosam clausuram servare non tenentur. — Sed cit. Decr. *Quemadmodum* S. C. EE. et RR. 17. Dec. 1890. respicit etiam recentiores moniales simplicium tantum votorum et sine papali clausura. — Gregor. XV. C. *Inscrutabili*, Clem. X. C. *Superna*, Bened. XIV. C. *Pastoralis curae*, Ithur. Cas. 16., Bouix de Episc. V. 2. p. 253., de Iure Reg. V. 2. p. 332., L. 576. 577., E. M.

792. *An absolvi possint a quolibet confessario moniales claustratae, dum casu extra monasterium versantur?* — R. Affirmative. Ratio, quia Constitutiones Gregor. XV. *Inscrutabili*, et aliorum SS. Pontificum, quae prohibent, ne moniales confiteantur alteri sacerdoti quam *specialiter ab episcopo pro monialibus approbato*, non sunt intelligendae nisi de *monialibus in monasteriis degentibus:* supponunt enim quod moniales semper intra claustrum versentur. Quilibet igitur confessarii, licet pro monialibus non approbati, absolvere possunt moniales *per accidens* ad se venientes. Praeterea nimium incommodum plerumque esset, si moniales pe-

regrinae solis confessariis specialiter approbatis confiteri deberent: saepe enim carere deberent sacramentis poenitentiae et eucharistiae. — La-Croix 1527., E. M.

793. *Quid dicendum de confessariis recentiorum Institutorum monialium?* — Quoad *specialem approbationem episcopi* in confessario, haec *ex generali iure* requisita non est. Ius enim loquitur de *monialibus,* stricte talibus. Verum ea requisita est ex particulari dispositione S. Sedis in approbandis Constitutionibus harum Congregationum, et ex particulari dispositione episcoporum, qui, *non nisi exceptis monialibus,* approbationem concedere solent, comprehendendo etiam recentiores moniales. — Quoad *confessarium extraordinarium,* pluries in anno ab episcopo constituendum, ad id episcopus iterum stricte non obligatur *ex generali iure*, propter eandem rationem. Verum ad id obligatur, et sub gravi, ex naturali lege caritatis et iustitiae, qua debet prospicere bono spirituali suorum subditorum; et praeterea ex ipsa ratione, qua recentiores Constitutiones approbantur; siquidem S. C. praescribere solet, ut quoad confessarios observetur C. Bened. XIV. *Pastoralis curae. Admonitio* praeterea habetur cit. Decr. *Quemadmodum,* iam supra n. 791. relata. — Porro, quae de *monialibus* constituta sunt, Bened. XIV. in his quoque servari cupit, quae canonicam clausuram non habent; immo in quibuscumque mulierum et puellarum una viventium coetibus seu conservatoriis, quae unicum ordinarium confessarium ab Ordinario loci designatum habent. — Quem idcirco singulis trienniis renovandum esse censuit S. C. EE. et RR. 27. Sept. 1861. Huic autem licet vel extra conservatorium aut monasterium confiteri. Ead. S. C. 22. Jan. 1847. — At vero, ubi moniales aut mulieres huiusmodi in ecclesiis confiteri solent, cuivis alias approbato confiteri possunt, quod consuetudine est introductum, et constat ex S. C. de P. F. 20. Febr. 1877. Collectan. n. 437., quamvis ordinarium confessorem habeant ab episcopo designatum. — Ferraris v. *Moniales* a. 5. n. 19., E. M.

XI. — DE RESERVATIONE

794. *Quid sit reservatio?* — Reservatio *causarum* generatim est avocatio iudicii alicuius causae ab inferiore iudice ad superiorem; unde fit, quod, remanente in inferiore iudice ordinaria sua potestate, adimatur ipsi potestas quoad alias graviores causas diiudicandas. *Reservatio* igitur casuum in re nostra, reservatio nempe *peccatorum* seu *censurarum,* in ordine ad absolutionem dandam et recipiendam, est restrictio seu limitatio iurisdictionis, i. e. negatio potestatis absolvendi a certis peccatis et censuris, salva potestate absolvendi ab aliis. Quare *in reservatis* nihil potest simplex confessarius; *in reservatis,* non in poenitente reservatis obstricto. Poenitens potest ab aliis absolvi, a reservatis non potest. Licet haec bona fide poenitens confiteatur, et confessarius absolvat, non nisi *indirecte* tunc remittuntur. — Trid. S. 14. C. 7. c. 11., Lugo de Euch. D. 14. n. 87. 96., L. 265. 578. 579. 596., S. Th. S. q. 20. a. 2.

795. *Quinam casus reservare possint; et quosnam de facto qui possunt reservaverint?* — *Summus Pontifex,* pro sua in totam Ecclesiam iuris-

dictione, casus in tota Ecclesiae reservare potest. Casus vero de facto Summo Pontifici reservati, alii reservati sunt cum censura, alii sine censura. Casus papales cum censura reservati continentur in C. Pii IX. *Apostolicae Sedis* de censuris, quibus pauci alii deinde additi sunt. Casus papales sine censura reservati sunt calumniosa sollicitationis accusatio, et acceptio munerum a Regularibus, nisi donis non restitutis. Cf. 285. 1279.

Episcopi, pro sua in propriam dioecesim iurisdictione, casus in eadem reservare possunt. Casus episcopales alii sunt reservati ab ipso iure communi, alii ab ipsis episcopis. Priores continentur laud. Const. *Apostolicae Sedis*. Posteriores vero ab ipsis episcopis sibi reservati varii sunt pro variis dioecesibus, et in propriis catalogis continentur. — Iam vero non possunt Ordinarii sibi reservare casus, quos Summus Pontifex sibi reservavit. S. C. EE. et RR. 26. Nov. 1602. Cf. Suarez. D. 31. S. 4. n. 25., Lugo D. 20. n. 149. 151. — Faciles praeterea esse non debent in reservandis sibi maxime frequentioribus peccatis, puta contra castitatem; sed monentur, ut faciles e contra sint in concedenda, praesertim confessariis in locis ab episcopali civitate longe positis, facultate absolvendi. Hinc monentur etiam constituere poenitentiarios aliosque sacerdotes in dioecesi, qui possint ipsi absolvere, et aliis absolvendi facultatem dare. S. C. EE. et RR. 26. Nov. 1602. — Reservationes tandem episcopales, *extra synodum factae*, cum saltem de facto non habeantur ut leges perpetuae, sive consulto sive inconsulto capitulo, cessant cessantibus ab officio, vel defunctis Ordinariis.

Parochi etiam, licet praelati superiores non sint, et ex hoc capite non videretur quod ipsi casus possint reservare, absolute tamen possunt, quia ordinariam habent iurisdictionem. De facto vero nulla est parochorum reservatio, siquidem fere inutilis esset.

Praelati regulares reservare possunt, si velint, undecim casus designatos Decr. Clem. VIII. 26. Maii 1593. Peccata alia vel censuras reservare nullatenus possunt sine matura discussione et consensu capituli generalis in toto ordine, aut provincialis in provincia. — *Moniales* vero subiacent reservationi episcopi, si non sint exemptae; secus vero, si sint exemptae. Verum moniales regularibus subiectae subiacent etiam reservationi episcopi in materia clare spectante ad iurisdictionem delegatam. E. M. 565., L. 580.-583. 600. 602., Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 5., E. M.

796. *Quaenam de facto sint conditiones peccatorum reservatorum?* — Ecclesia reservare non solet nisi *graviora et externa peccata*. Quare reservatio non incurritur nisi peccatum fuerit *grave* actu *simul* interno et externo, eoque consummato. Neque item incurritur sive *in dubio* iuris, sive *in dubio* facti de ipso peccato, licet post receptam absolutionem certa reservatio appareat. — *An aetas, metus, ignorantia excusent a reservatione?* — Excusant sane, quando reservatio rationem habet, *poenae*, ut *in censurarum reservatione*. Hinc *ignorantia* a reservatione excusat *in casibus papalibus*, quia, duobus exceptis, Cf. 795., ceteri omnes reservantur propter censuram, a qua ignorantia excusat. Proinde, sublata censura, nulla remanet reservatio. *Pro casibus episcopalibus*, si reservatio censurae coniungitur, dissentiunt theologi; sed idem plures et graves theologi tradunt pro istis ac pro papalibus; siquidem nulla in Iure distinctio reperitur inter papales et episcopales censuras. Non pauci

vero discrimen statuunt inter casus episcopales et papales, ita ut in illis, censura cessante, e. g. quia ignoratur, maneat adhuc reservatio; siquidem peccatum reservatum est et ratione censurae, et ratione sui. Sed consideranda sunt verba reservationis, consuetudo, potestas reservantis, ut res definiatur. Suarez D. 29. S. 2. n. 7. — Excusant etiam *in reservatione peccatorum,* quando legislator positive declarat reservationem in poenam criminis constituere; tunc enim certe *poenalis* est. An vero excusent etiam quando *peccatum simpliciter reservatur?* Sunt qui affirmant, quia reservatio natura sua poena est vindicativa, vel saltem medicinalis, vel quia talis saltem rationabiliter praesumitur legislatoris voluntas. Sententia haec probabilis est multis, et pluribus etiam ex illis, qui ei repugnant, qui consequenter concludunt licere ea uti, dummodo confessarius poenitentem de reservatione certiorem faciat, ut si postea iterum in reservata inciderit, reservatione teneatur. Sed longe communius et verius doctores negant. Ratio, quia reservatio natura sua poena non est; sed mere restrictio iurisdictionis quoad maiores causas, quas superior iudex per seipsum diiudicandas sibi avocat suoque iudicio exclusive submittit. Neque vero rationabiliter legislatoris voluntas praesumitur, quandoquidem haec neque ex ipsa reservationis intrinseca natura, neque ex extrinsecis legis verbis aliisque circumstantiis desumi potest. Et certe nulla admittenda excusatio, si explicite legislator declaret, velle se in reservatione comprehendere, et pueros, et metum patientes, et ignorantes. — L. 580.-583. 596. 600.

797. *Quinam a reservatis absolvere possint et quando?* — Praeter Rom. Pontificem et Maiorem Poenitentiarium absolvere possunt iure ordinario ipsi reservantes, quique eorum vices gerunt. Quare *a casibus episcopalibus* absolvunt episcopi, eorumque vicarii generales, C. *Non putamus* 2. *de Consuet.* in 6.°, in propria quisque dioecesi; non item canonici poenitentiarii. L. 599. — *A casibus reservatis regularium* absolvunt eorum superiores. Nequeunt vero in praesenti regulares absolvere a casibus papalibus, ex C. *Apostolicae Sedis* Pii IX. de censuris; neque absolvere possunt a reservatis episcopalibus ex pr. 12.ª d. ab Alex. VII. Verum absolvere possunt a reservatis ab ipso iure communi episcopis. Siquidem haec facultas nullibi reperitur revocata. L. 599., S. O. 22. Mart. 1881. — Itemque a reservatis absolvunt *omnes, qui delegatam accipiunt specialem iurisdictionem super reservatis.* — Potestas absolvendi a reservatis data simpliciter pro casibus papalibus, vel data *etiam* pro papalibus, non valet quoad casus ab Ordinariis reservatos. Bened. XIV. C. *Pias Christi.*, L. 594. Potestas, data ab Ordinario pro reservatis absolvendis, pro papalibus casibus non valet. Utraque vero simpliciter data non valet pro *specialiter* seu *speciali modo* reservatis. C. *Si episcopus* 2. *de Poenit.* in 6.°

Cum *peregrini* ex communi consuetudine confiteantur et absolvantur, *tamquam incolae loci,* in quo degunt, absolvi non possunt a reservatis, in loco confessionis, a simplici confessario; absolvi vero possunt a reservatis in patria, nisi eo venerint *in fraudem reservationis,* et agatur *de censuris ab homine reservatis.* Clem. X. C. *Superna* 21. Jun. 1670., S. C. C. 16. Sept. 1649. ap. Bened. XIV. de Syn. l. 5. c. 8., S. C. C. 12. Nov. 1612., S. Poenit. 21. Nov. 1873. *In fraudem reservationis* ille venit, qui ob hunc principalem finem venit, vitandi iudicium proprii pastoris, et absolutionem a reservatis obtinendi. Quare, si venit, ut tractet alia sua negotia, et deinde

confiteatur, vel etiam ut melius confiteatur, iure utitur suo. *De censuris ab homine reservatis;* pro his enim invocari non potest universalis consuetudo, ut pro censuris, licet reservatis, *a iure* latis, quod alii tamen negant. D'Annib. 346. V. 1. Ed. 3.ª, L. 573. 574. 587. 592. 593., Fillucc. Tr. 7. c. 10. n. 284., Gury Dumas, Gury Baller. 582. — *In articulo mortis* omnes absolvere possunt a peccatis et censuris reservatis, quia nulla tunc est reservatio ex Trid. S. 14. C. 7. Quare ad absolvendum a casibus papalibus nulla opus est episcopi venia, et quilibet absolvere potest a reservatis, praesente etiam superiore, vel alio potestatem habente. Cf. 773.

Superior, qui ordinariam habet iurisdictionem, reservationem extra confessionem tollere potest; et poenitens tunc a quolibet confessario absolvi potest. Qui vero delegatam habet iurisdictionem, cum ea principaliter detur pro peccatis absolvendis, non nisi in sacramentali confessione a reservatis absolvere potest. Suarez de Censur. D. 7. S. 5. n. 36., Lugo D. 20. n. 74. — « An autem possit superior absolvere poenitentem a reservatis, et pro aliis eum remittere ad inferiorem? Alii universe affirmant... Alii dicunt id tantum licere in casu gravis necessitatis, puta si superior non posset se expedire ab aliquo gravissimo negotio, et contra necessarium iudicaret personaliter audire peccatum reservatum. Idque admittunt Lugo D. 20. n. 78., Salm., etc. Sed in casu rarissimo, addito quod poenitens esset in necessitate communicandi, et nollet eadem peccata bis confiteri. Hoc ultimum non videtur improbabile, posito casu cum omnibus his conditionibus ». L. 595. — « Qui a superiore absolutus est a reservatis, potest ab iisdem postea absolvi a quovis: quia non sunt amplius materia necessaria confessionis ». L. 596. — E. M.

798. *Nota:* Superior non debet difficulter dare veniam absolvendi a reservatis, « ne alioquin cedat in destructionem, quod debebat in aedificationem ». L. 578., S. Th. 4. D. 17. q. 3. a. 3. q. 4. ad 6., Opusc. contr. impugn. Relig. C. 1. Quare, *regulariter,* graviter peccat, si ex negatione grave subditi detrimentum timeatur. L. 586. *Regulariter,* nisi nempe grave scandalum, et grave damnum communitatis impendat, cui non nisi superior, re cognita, remedium afferre posset. — L. 586., Suarez D. 30. S. 4. n. 8. 9., E. M.

799. *An absolutus a reservatis in articulo mortis ab inferiori teneatur se sistere superiori, si convalescat?* — R. Negative, si sermo sit *de peccatis* mere *reservatis.* Nam ex Trid. S. 14. C. 7. in articulo mortis nulla est reservatio. Ergo nullum etiam reservationis onus, nisi aliunde probetur. — Si sermo sit generatim *de censuris reservatis,* prima sententia absolute affirmat ex C. *Eos qui* 22. *de Sent. exc.* in 6°; secunda sententia distinguit quoad papales censuras; affirmat de censuris papalibus, *speciali modo* reservatis, negat de aliis. Ratio, *quia* in C. *Apostolicae Sedis* de prioribus dicitur, quod *firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae si convaluerint,* de ceteris vero nihil dicitur. Tertia sententia absolute negat etiam de praedictis censuris *speciali modo* reservatis; quia per C. *Apostolicae Sedis* correctum non est Tridentinum, et illa clausula neque ex Iure Decretalium, neque ex auctoritate theologorum necessario significat *obligationem sistendi se superiori;* dummodo tamen si convaluerit poenitens ea praestet, quae superior exacturus ab eo fuisset, res notoria non fuerit, neque ad forum contentiosum deducta. Cf. cit. C.

Eos qui. Tridentinum enim illam sustulit obligationem, sine ulla verborum ambiguitate declarando, quod in articulo mortis *nulla sit reservatio,* deinde statim confirmans obligationem accedendi ad superiorem *extra articulum mortis,* S. 14. C. 7. Atque hoc argumentum, ex Trid. desumptum, confirmatur ex ipsa C. *Apostolicae Sedis,* siquidem si excipiendi sunt casus *speciali modo reservati,* hoc ideo est, quia in eadem Const. expresse excipiuntur vi praedictae clausulae, dum de aliis simpliciter reservatis nulla fere movetur amplius quaestio. — Porro ex S. O. declaratum est, *obligationem standi mandatis Ecclesiae* importare onus sive per se, sive per confessarium ad Summ. Pontificem recurrendi, eiusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi *a censuris,* Summo Pontifici *speciali modo reservatis.* Atque haec obligatio sub poena reincidentiae est. Eadem vero obligatio non urget pro aliis casibus *simpliciter reservatis.* S. O. 19. Aug. 1891., 13. Jan. 1892., 30. Mart. 1892.

800. *An stante impedimento adeundi superiorem, posset quis absolvi per simplicem confessarium a casibus reservatis?* — *Ex antiquo Decretalium Iure:* Episcopi possunt, in praedicto casu, per se, vel per alios specialiter a se delegatos, absolvere in utroque foro ab omnibus casibus et censuris, *utcumque* Apostolicae Sedi reservatis. Constat 1.° ex C. 2. 3. 6. 11. 13. 17. 24. 33. 37. 50. *de Sent. exc.,* etc., 2.° ex communi theologorum sententia. Unde effatum: *Casus papalis, superveniente impedimento, fit episcopalis.* L. 584. 599.

Quamvis nullo expresso iure, ex communi tamen doctrina triplex distinguitur impedimentum, ad *breve* tempus, ad *longum* tempus, *perpetuum. Si impedimentum sit ad breve tempus,* h. e. non usque ad annum vel sex menses, tunc innodatus peccato reservato vel censura reservata non potest ab alio absolvi, *nisi adsit gravis causa. Gravis causa* est nedum praeceptum paschale, vel necessitas communicandi vel celebrandi, sed etiam, si poenitens alias manere deberet in peccato mortali diu, i. e. ultra biduum. L. 585., l. 7. n. 84. 86. 88. In tali casu communis et recepta opinio habet, quod *a peccato reservato* quis non nisi *indirecte absolvatur;* adeoque tenetur poenitens *directe* postea *absolvi* ab habente potestatem. L. 585. 596. *A peccato reservato;* nempe sive peccatum sit sine censura, sive cum censura reservatum; a censura enim nonnisi *directe* quis *absolvi* potest; stante autem *gravi illa causa,* censura a sacramentali absolutione non prohibet. — Verum plures adsunt et graves doctores, qui tenent absolutionem etiam in hoc casu *directe dari* a peccato reservato, sive sine censura sive cum censura reservato. Ubi agatur de censuris reservatis Ius non distinguit inter longum et breve tempus, C. *Nuper* 29. *de Sent. excomm.,* C. *De cetero* 11. e. t., C. *Quamvis* 58. ib., C. *Eos qui* 22. e. t. in 6.°, etc. Ergo, si valet arguere a facultate positive facta a Iure, quando casus est reservatus cum censura, idem iterum *consequenter* dicendum, si casus est sine censura reservatus. Et huic quidem opinioni favet Decretum S. O. 23. Jun. 1886. et S. Poenit. 7. Nov. 1888. Verum in hac etiam opinione poenitens procul dubio, cessante impedimento, tenetur se sistere superiori, quod in ipso Iure cautum est pro casibus cum censura reservatis; pro casibus vero sine censura reservatis, quia vi reservationis poenitens tenetur *per se* superioris iudicium subire quandocumque poterit, quare impedimentum

praeteritum non potuit *per se* absolute eximere poenitentem ab hoc onere, licet potuerit ipse inferiori confessario confiteri *ex legitima quadam interpretatione.* Enimvero, si Ius eam absolvendi potestatem facit, quando casus est gravior nempe cum censura reservatus, videtur implicite eamdem facere potestatem quando casus minus gravis est et sine censura est reservatus. Debet autem poenitens sic directe absolutus in utroque casu se sistere superiori, nou ut ei iterum confiteatur, et iterum absolvatur ab eo, cum iam sit directe absolutus, sed « mandatum ipsius recepturus, et satisfacturus prout iustitia suadebat ». C. *Eos qui* 22. *de Sent. exc.* in 6.°, C. *Quamvis* 58. e. t. etc.

Si impedimentum sit ad longum tempus, h. e. ad annum vel sex menses, *et peccatum sit cum censura reservatum*, absolutio *directe* quidem datur, ex communi sententia, cui iterum favet praedictum S. O. Decretum 23. Jun. 1886; sed prius onere imposito se sistendi superiori, ubi impedimentum cessaverit. Omittens autem se praesentare reincidit in eandem excommunicationem; quae reincidentia ostendit eum a censura fuisse absolutum, secus reincidentiae locus non esset. Absolutus autem a censura reservata, a peccato iam directe absolvitur; siquidem, cessante censura, reservatum iam amplius non est peccatum. C. *De cetero* 11. *de Sent. exc.*, C. *Quamvis* e. t., C. *Eos qui* 22. e. t. in 6.° — Reincidentiam hanc plures sustinent etiam post C. *Apostolicae Sedis* Pii IX., censuras limitantem; quia, aiunt, ad ipsam naturam censurae pertinet, quam praedicta Const. non immutat. Alii reincidentiam limitant tantum ad casus *speciali modo reservatos* in praedicta Const., siquidem pro his tantum constituitur, inquiunt, reincidentia pro articulo mortis; ergo et in casu impedimenti reincidentia pariter admittenda est pro iisdem casibus; secus reincidentia haberetur, quando reservatio cessat *per se*, nempe in articulo mortis; minime vero haberetur quando cessat *per accidens*, nimirum in casu impedimenti. Alii tandem reincidentiam sublatam censent per cit. Const., quia renovata non legitur in ipsa, ex qua *censurae* in praesenti desumendae sunt. Ac eadem Const., si quando in peculiari casu voluit manutenere censuram, expressit, ut in art. 4.° excommunicationum S. P. simpliciter reservatarum. Et ideo sublata dicenda est reincidentia in casu impedimenti, quia reincidentia intrinseca non est ipsi naturae censurae, et sic, nisi eam addidisset Bonif. VIII.. nemo, uti antea, reincidentiam incurrisset. In praesenti censurae aestimandae sunt ex Const. *Apostolicae Sedis* « non secus ac si primum ab ea editae fuerint ». Cum ergo in ea non habeatur, affirmanda non est. Haec quantum est ex vi ipsius Constitutionis, siquidem reincidentia affirmatur in cit. Decr. S. O. 23. Jun. 1886. — *Si vero peccatum sit sine censura reservatum*, ex communi sententia nullum imponitur onus sistendi se superiori. Ratio, quia ut pro censuris reservatis id Iure praescribitur, ita pro peccatis mere reservatis, id praescriptum non est. Verum onus hoc affirmandum videtur eadem ratione, ac in casu praecedenti, et confirmatur citt. Decretis S. O. 23. Jun. 1886., S. Poenit. 7. Nov. 1888.

Si impedimentum sit perpetuum, h. e. ad decennium vel quinquennium, *absolutio directe datur* a peccato sive cum censura, sive sine censura reservato, et in utroque casu non imponitur onus sistendi se superiori; in hoc enim casu simpliciter cessat reservatio; et illud onus incompossibile est cum impedimento *perpetuo*. C. *Eos qui* 22. *de Sent. excomm.* in 6.° Ita ex communi et recepta sententia. L. 585.

Perpetuo impediti censentur filiifamilias, regulares, senes, etiam sexagenarii, servi, pauperes, carceribus vel triremibus perpetuo damnati, infirmi, scilicet laborantes longa et gravi infirmitate licet non mortifera, obstricti cura alendi sive administrandi familiam, vel publicum gerendi officium, quod non possit relinqui sine publico impedimento, mulieres omnes, et non solum moniales, nisi exceptio habeatur, ut pro monialibus clausuram violantibus, impuberes, etiamsi post pubertatem absolutionem petant; quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali vel temporali suo vel suorum. C. 2. 11. 26. 32. 37. *de Sent. excomm.*, L. 594., l. 7. n. 84. seqq.

Impediti adire Romam in persona non tenentur mittere epistolam, aut procuratorem, aut scribere ad S. Poenitentiariam, aut delegatum adire, quamvis possint. Ius enim non obligat reum, nisi ut personaliter superiorem adeat. S. O. 18. Jul. 1860., C. *Cum desideres* 15., C. *Quod de his de Sent. excomm.* cc. ab eadem S. C., L. l. 7. n. 85.-93., Schmalz. n. 262. 246., Sanchez In Decalog. l. 2. c. 13. n. 30., Roncaglia tr. 4. cap. 6. q. 4. R. 2. Et licet alii aliter opinati sint, et opinentur, favet tamen huic opinioni ipsum Decretum S. O. 23. Jun. 1886., quod ceteroquin obligationem nunc imponit per epistolam recurrendi: siquidem praedictum Decretum in immutatis conditionibus innititur.

Impediti adhuc episcopum adire pro his casibus et censuris Romano Pontifici reservatis, a quocumque confessario absolvi possunt. L. 585. Ita ex C. *Nuper* 29. *de Sent. excomm.*, « ubi videtur indifferenter concedi facultas absolvendi episcopo et proprio sacerdoti, cuilibet nempe confessario ». Roncaglia l. c. R. 3. Hinc probabilis etiam sententia est, quam plures et graves tenent theologi, absolutionem casuum et censurarum, stante impedimento Romanum Pontificem adeundi, non ad solum episcopum, sed ad quemlibet confessarium indistincte spectare. « Quoad censuras reservatas, ait Roncaglia..., moneo, in iure *bene fundatam* eam sententiam, quae asserit temporaliter impeditum adire Papam, posse a simplici confessario absolvi, nec necesse habere episcopum adire pro absolutione a casu Papae reservato ». Tr. 19. cap. 3. q. 3. et l. c. R. 3. Id sane eruitur ex C. *Eos qui* 22. *de Sent. excomm.* in 6.°, ex C. *Quamvis* 58. *de Sent. excomm.*, et clare habetur C. *Nuper* 29. e. t. Unde opposita opinio, quae communior evasit, potius theologorum auctoritate, quam claro aliquo Iuris textu innititur. Theologi autem condendi leges potestatem non habent. Et hoc tam verum est, ut D'Annib., qui oppositae adhaeret opinioni, hanc tamen fateatur, P. 1. n. 349. Edit. 3.ª, « verbis canonis *optime* cohaerere ». Ceterum favet huic opinioni C. *Apostolicae Sedis* Pii IX. de censuris; siquidem facillimum fuisset Legislatori ceteris casibus reservatis episcopis, hunc etiam addere, qui e contra praetermissus est. Quod vero in hac quaestione potissimum nunc est, favet huic opinioni laud. Decr. S. O. 23. Jun. 1886., cui in praesenti standum est.

Si agatur *de casibus et censuris episcopalibus*, negant S. Alph. 585., l. 7. n. 92. aliique plures, posse a reservatis absolvere simplicem confessarium; sed certe probabilis, immo forte probabilior est sententia asserens, quod illi, *qui impediti sunt episcopum adire*, possunt ab ipsis absolvi per quemcumque confessarium. Et manifeste habetur C. *Nuper* 29. *de Sent. excomm.*, C. *Eos qui* 22. e. t. in 6.°, ubi de quocumque superiore agitur et non tantum de Rom. Pont. D'Annib. P. 1. n. 349. Edit. 3.ª

Post Decreta S. O. 23. Jun. 1886., 17. Jun. 1891., 19. Aug. 1891., 30. Mart. 1892., 16. Jun. 1897., S. Poenit. 7. Nov. 1888., in casibus et censuris papalibus, sive simpliciter, sive *speciali modo* reservatis, per litteras recurrendum est ad S. Poenitentiariam, stante impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem. Quivis tamen simplex confessarius *directe* absolvere ab iis potest, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, quin imo in casu, in quo nec infamia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, iniunctis de iure iniungendis, et *sub poena reincidentiae* in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. Idque valet etiam pro casu, quo poenitens fuerit perpetuo impeditus Romam proficisci. Atque haec omnino obligant et praxis contraria toleranda non est. — Decretum hoc praxi innititur S. Poenitentiariae, et ad episcopales casus non spectat. Cum nullum prodierit circa eos novum Decretum, immota permanet antiqua doctrina antiquo Decretalium Iure innixa usquedum aliud definiatur. Quare poenitens habens casus reservatos, si legitime impeditus sit *se sistere superiori*, absolvi quidem ab alio poterit; sed, impedimento cessante, superiori debet se praesentare eius mandata recepturus, et pro rei exigentia satisfacturus. C. *Nuper*, C. *Eos qui* citt., etc. — E. M.

801. *An episcopi absolvere possint a casibus et censuris papalibus occultis?* — R. Affirmative ex facultate ipsis concessa per Trid. S. 24. C. 6., exceptis tamen casibus et censuris *speciali modo* Romano Pontifici reservatis, ut constat ex C. *Apostolicae Sedis* Pii IX. Possunt item a pluribus casibus et censuris papalibus absolvere vi quinquennalium facultatum. Cf. formul. har. facult. Idem etiam possunt confessarii approbati habentes pagellam S. Poenit. Cf. hanc pagell. — L. 593. 594. 599.

802. *An reservatione ligatus in necessitate communicandi, aut celebrandi, teneatur confiteri et integre confiteri confessario simplici, alio deficiente?* — R. Affirmative, sive habeat tantum peccata reservata, sive habeat praeterea non reservata, secundum opinionem, quod confessarius simplex in tali necessitate *directe* a reservatis absolvat. Ratio, quia nulla adest ratio pro omissione confessionis et *integrae* confessionis. — Secundum aliam opinionem, quod simplex confessarius in tali casu non nisi *indirecte* absolvat, distinguendum est. Etenim, si nullum aliud mortale peccatum habeat, nisi reservatum, conveniunt dd. non teneri ad confessionem, sed sufficere ut conteratur. Ratio, quia confessarius non habens iurisdictionem, perinde est ac si abesset. Si vero mortalia simul habeat reservata et non reservata, communis sententia tenet hunc omnino teneri ad confessionem. Ratio, quia urget praeceptum confessionis; et confessarius licet *in reservatis* iurisdictionem non habeat, habet tamen iurisdictionem in poenitentem reservatis obstrictum, eumque saltem a non reservatis absolvere potest. Plures tamen sunt dd. qui negant. — An autem debeat quis in tali casu accusare etiam peccata reservata? longe probabilior sententia negat. Ratio est defectus iurisdictionis in reservata. Excipiendus tamen est casus, quo illa peccatorum reservatorum cognitio necessaria

esset ad recte iudicandum de dispositione actuali poenitentis et ad opportuna remedia illi praescribenda, ut relapsus vitetur. — Secundum Decr. S. O. 23. Jun. 1886., Cf. 800., confessio eaque integra etiam casuum, Summo Pontifici reservatorum, peragenda est. — L. 265. Cf. 577.

803. *An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud cognoscat ut certum?* — R. Affirmative. Ratio, quia, cum peccatum dubie reservatum sit confessus, iam directe est absolutus, ac proinde manet directe ablata reservatio. — L. 600. Cf. 674.

804. *An absolvi possit a reservatis, qui peccavit in confidentiam licentiae obtinendae?* — R. Affirmative, siquidem concessa facultas hunc casum non excludit. L. 601.

805. *An concessa facultas a reservatis absolvendi, extendatur etiam ad reservata commissa post ipsam?* — R. Negative, si mere pro casibus praeteritis fuerit concessa; Affirmative, si fuerit concessa indefinite, pro tali poenitente, *hac vice*, dummodo non interponatur magna distantia inter facultatis concessionem et nova reservata commissa, puta non ultra mensem; illa enim facultas pro *praesenti* confessione datur. L. 601.

806. *An auferatur reservatio in confessione superiori facta, invalida, sacrilega, vel qua nullatenus reservata quis accusaverit?* — R. Ad 1.um et ad 2.um Affirmative probabilius et ex communi sententia; nam peccata, licet confessione *invalida* et *sacrilega*, superiori accusata, superioris iudicium subierunt. — Ad 3.um Affirmative saltem probabiliter, et ex sententia, quam S. Alph. communissimam dicit, si peccata reservata inculpabiliter quis omiserit, nam ubi non constet de voluntate contraria superioris, is profecto absolvit *quantum ipse potest, et poenitens indiget.* Negative, si ex malitia praetermittantur, vel inculpabiliter quidem praetermittantur in confessione aliunde sacrilega. Ratio, quia superior in hoc casu *non vult* reapse absolvere: siquidem revera *non vult* sacrilegum absolvere, neque vult saltem eum a vinculo reservationis absolvere, cum peccatum reservatum eius iudicium non subierit. — L. 558. 597. 598.

XII. — DE VARIIS MINISTRI OFFICIIS

807. *Quid de officio patris?* — Confessarius est *pater spiritualis*, qui spiritualem vitam poenitenti tribuit, aut reficit et fovet; in tribunali enim poenitentiae vices gerit optimi omnium parentis, nempe ipsius Christi, et ideo a poenitentibus dulcissimo *Patris* nomine appellatur. Illud autem quod in vero patris nomine imprimis eminet, est insignis et inexhausta caritas. Quaenam enim dilectio patris dilectione fortior? Quaenam verior, purior, castior, constantior, sollicitudine plenior et a proprio commodo magis aliena, immo et ad omne privationum et incommodorum genus paratior et promptior? Talis igitur esse debet confessarii caritas, ita ut indutus viscera misericordiae Christi Jesu, qui non venit vocare iustos, sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum peccatoribus agere. Leo XII. in B. pro Iubilaeo magno anni 1825. Sic bonus pater pro

filiis spiritualibus omnia sustinebit: *Caritas enim patiens..., omnia suffert..., omnia sustinet.* 2. Cor. 15., 4.

Confessarius debet esse caritate plenus erga poenitentes, *tum in principio, tum in decursu, tum in fine confessionis.* — *In principio*, benigne omnes excipiendo. Quare maxime improbandi sunt, qui posthabitis viris, praesertim rudibus, et matribusfamilias, non nisi adolescentularum et devotarum feminarum confessiones audiunt. Scilicet hi confessiones audiunt, non ut placeant Deo, sed ut genio indulgeant. L. Prax. 120. — *In decursu*, poenitentem quantum potest adiuvando, ut bonam et salutarem confessionem perficiat. Quare, si poenitentes non videantur sufficienter instructi, confessarius ordinarie ipsemet eos examinare etiam debet, quia hi sibi solis relicti non melius se examinabunt, et si dimittantur, nunquam magis dispositi redibunt; immo absterriti difficultate examinandae conscientiae facile a confessione abstinebunt. Ac si multum temporis confessario impendendum sit, in disponendo poenitente, impendat sane, nec ei curae esse debet, quod alii poenitentes expectent. — *In fine*, poenitentem efficaciter excitando ad sincerum dolorem et propositum. Ac si poenitens non videatur sat dispositus, tenetur confessarius excitare in ipso dolorem et propositum, quia absolvens indispositum exponit sacramentum periculo frustrationis, si vero illum dimittat sine absolutione, ipsum exponit forte periculo diu remanendi in statu peccati mortalis, aut etiam non amplius redeundi. — L. 607. 608., Prax. 4. 120.

Haec autem confessarii *caritas a prudentia* seiuncta esse non debet. Quare « summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum..., ipse regulariter in confessionario cum iunioribus sit potius rigidus quam suavis ». L. Prax. 119. Idem magis adhuc servandum est cum personis spiritualibus, « cum quibus est periculum maioris adhaesionis ». L. ib. S. Augustinus apud S. Th. Opusc. 64. de Famil. dom. etc. ait: « sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendae, quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt ». Et S. Th. addit: « licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, ipsis tamen magis perniciosa, quando conversantur cum persona, quae spiritualis videtur; nam quamvis principium videtur purum, tamen frequens familiaritas domesticum est periculum, quae quidem familiaritas quanto plus crescit, infirmatur principale motivum, et puritas maculatur ».

Quam autem late pateat haec confessarii caritas ab ipso confessionis fine, qui spiritualis *poenitentis* salus est, desumendum est. Quare *a confessario* aliena sunt negotia temporalia ipsius poenitentis; aliena etiam sunt spiritualia et temporalia aliorum negotia. His autem se immiscere non solum aliquando est inconsultum, sed sacramentum etiam odiosum reddere potest. — C. Leonis XII. *Caritate Christi* 25. Dec. 1825., Salvatori Istruz. Prat. pei Confess. novelli., L. 421. 452. 478.

808. *Quid de officio medici?* — Confessarius est verus animarum medicus, cum ipsas variis peccati morbis eripere, pravis passionum affectibus adimere, et divinae gratiae restituere debeat. Confessarius igitur, ut peritus medicus, debet *causam mali cognoscere; illud sanare; relapsum praecavere.* — *Causam morbi cognoscere.* « Confessario, ut sui poenitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo et causa

omnium eius spiritualium morborum. Nonnulli praeter species et numerum peccatorum nihil aliud inquirunt; si poenitentem dispositum vident, statim eum absolvunt; sin minus, quin unum verbum impendant illico dimittunt, oculo retorto dicentes: Discede a me, quia te absolvere non possum. Aliter procedunt boni confessarii: hi enim prius investigant morbi originem et gravitatem, interrogando de peccati consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis cum quibus, quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt poenitentes corrigere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adiungere ». L. Prax. 6. — *Morbum sanare.* « Cognita morbi origine et gravitate, confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas. Et quamvis ipse debeat tanquam pater cum caritate poenitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur, quantum opus est, eos monere et corrigere, eos praesertim, qui, multis mortalibus gravati, ad poenitentiae sacramentum raro accedunt ». L. ib. 7. 10. — *Relapsum praecavere.* Relapsum praecavebit confessarius, assignando poenitenti remedia morbi convenientia. Remedia autem vel generalia sunt, vel particularia.

Remedia generalia sunt: oratio pia et amor erga Deum; invocatio frequens B. Mariae Virginis, sancti Angeli custodis et Sancti protectoris; frequentia sacramentorum et confessio statim ac mortale aliquod commissum fuerit; consideratio veritatum aeternarum, praesertim mortis et finis ultimi, iuxta illud: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis,* Eccli. 7., 40.; recordatio Dei praesentis, cum urget tentatio, dicendo: Deus me videt; examen conscientiae vespertinum cum animi dolore et proposito; oratio mentalis et piae lectiones, praesertim pro sacerdotibus. — *Remedia particularia* assignabuntur pro vitiorum diversitate: v. g., illi, qui aliquo odio tenetur, *insinuetur,* si id prudenter credatur profuturum, ut quotidie commendet Deo illum, quem odit, recitando pro ipso Orationem Dominicalem, etc. Et cum turbatur memoria iniuriae, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. Illi, qui in peccata turpia lapsus est, iniungatur ut otium vitet, malos socios et pravas occasiones fugiat. Illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, praescribatur, ut non solum vitet occasiones proximas, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili sunt tanquam proximae. Potissimum autem curet confessarius, ut hic frequenter communicet; quia eucharistia dicitur: *Vinum germinans virgines.* Alia remedia assignabit aliis confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, etc. Prudentia enim est praecipua qualitas, quae in medico eminere debet. — L. ib. 15.

809. *Quid de habituatis, de occasionariis, de recidivis? Quid de absolutione eis danda, deneganda, differenda? — Animae morbi sunt habitus, occasiones, relapsus,* unde *habituati* seu *consuetudinarii, occasionarii, recidivi. Habituati* seu *consuetudinarii* hi sunt, qui peccandi habitum seu consuetudinem peccati contraxerunt, in quod tamen nondum post confessionem sint relapsi. Habitum autem seu consuetudinem contraxisse dicuntur, si quinquies regulariter per mensem, immo vel semel in eadem peccata relabi soleant. *Recidivus* dicitur ille, qui *post confessionem,* licet admonitus, sine ulla vel fere ulla emendatione in eadem peccata relabitur. *Occasionarius* dicitur ille, qui reperitur in aliqua externa circumstantia,

quae sive ex natura sua, sive ex fragilitate hominis, qui in illa reperitur, ad peccandum allicit seu inducit. Occasio alia est *necessaria*, alia *voluntaria;* alia *praesens* seu *in esse*, quam quis secum habet, v. g., si domi quis teneat concubinam, aliam *absens* seu *non in esse*, quam quis non habet, sed eam quaerens reperit, v. g., si concubina sit in vicina vel dissita domo; alia est *absoluta* respectu omnium, alia *relativa* respectu talis personae; alia tandem est *proxima*, in qua homines communiter ut plurimum peccant, alia *remota*, in qua communiter homines ut plurimum non peccant.

Neque *habitus*, neque *relapsus*, neque *occasiones*, peccandi *necessitatem* important, sed peccandi tantum continent *periculum*. Hinc quaestio movetur, *an absolvi possint et debeant*, *et quando et quoties*, antequam habitum ii emendaverint, relapsum praecaverint, occasionem removerint. Ratio difficultatis est *dubium*, quod ex ipso habitu, relapsu, occasione exoritur *sinceritatis doloris et propositi.* — *Rigidi* volunt eos non esse absolvendos ante habitum emendatum, relapsum vitatum, occasionem ablatam. *Laxi* volunt eos posse absolvi semper ac ipsi dicant ex corde dolere. *Moderati* mediam incedunt viam, quae lata est. Horum plures quasi mathematice vices constituunt, nempe semel, bis, ter, quater, sed non ultra, si afferant signa tantum *ordinaria* poenitentiae, secus vero si afferant signa *extraordinaria.* Omnes vero conveniunt dari posse prima vice absolutionem, et facilius absolvendos eos, qui ex fragilitate ipsa naturae peccant, et qui in occasione necessaria reperiuntur. Alii vero, et his adhaeremus, rem totam inquiunt in prudenti esse aestimatione confessarii, eamque perpendendam et diiudicandam ex variis peccatorum, personarum, locorum, temporum, causarum circumstantiis. Sequentes regulae constitui possunt. — Salm. C. 5. n. 68., L. 452. seqq., 459. seqq.

Potest confessarius absolutionem tuto dare, semper ac prudenter iudicet, poenitentem esse sufficienter dispositum, h. e. « neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse ». Cat. Rom. P. 2. n. 60. Scholarum catholicarum doctrina *certa* est, *quemlibet poenitentem* absolvi posse, si sufficientia verae poenitentiae indicia praebeat. *Prudens iudicium* de sufficienti dispositione non necessario debet esse iudicium *certum*, sed sufficit tantum *probabile.* Ratio est, quia sacramentum poenitentiae fere certius eiusmodi iudicium non admittit. S. Th. 1. 2. q. 91. a. 3., 2. 2. q. 47. a. 9. ad 2., 3. p. q. 68. a. 4. ad 2. Hoc autem prudens iudicium de sufficienti poenitentis dispositione ex ipsa poenitentis assertione, ex eius confessione, ex confessionis modo, aliisque circumstantiis eiusdem confessionis efformandum est; neque profecto aliunde desumi potest. — S. Th. 4. Dist. 17. q. 5. a. 3. q. 6. ad 2., Opusc. 12. Quodl. 1. a. 12., L. 459. 460. 461.

Confessarius absolutionem tuto differre potest, quando poenitens, licet sit sufficienter dispositus, non est tamen invitus, et dilatio potius sit ei profutura, quam absolutio statim data. Ratio 1.[i] est, quia ex una parte poenitentes sufficienter dispositus habet ius ad absolutionem, ex altera vero, si invitus sit, dilatio, *per se loquendo*, vel illi nullo pacto proderit, vel certe non magis proderit quam absolutio statim data. Enimvero, si poenitens desiderium habet absolutionis recipiendae, ex dilatione offenditur, et maxime verendum est, ne amplius redeat. Si item desiderium habet absolutionis recipiendae, cum ista sit valde bona voluntas, melius

profecto sperandum erit ex tali voluntate adiuta ex gratia sacramentali, quam si hac destituatur. Ratio 2.[i] est, quia secus nulla ratione sufficienti privabitur poenitens gratia sacramentali, quae valet et ad remittenda et ad praecavenda peccata.

Posse autem *absolute poenitenti*, licet sufficienter disposito, et etiam absque eius consensu, *absolutionem differri*, constat primo ratione, quia nempe licet poenitens, sufficienter dispositus, habeat ius ad absolutionem, non tamen ius habet ad eam statim obtinendam; praesertim si retardatio utilis esse videatur ad maiorem horrorem de commissis peccatis concipiendum, et ad magis magisque firmandam constantiam seriae non amplius peccandi voluntatis. Etenim *confessarii tanquam iudicis* est definire quando et quomodo absolutionis sententia sit proferenda. Confessarius autem non solum est iudex, sed pater, doctor, medicus. Et ideo potest ante absolutionem *tanquam pater*, praemittere monitionem et spiritualem exhortationem, qua poenitentem adversus tentationes instruat et armet. Potest item *tanquam doctor*, ante absolutionem docere poenitentem, quem videt multa involutum ignorantia, quae de cetero posset ipsum in plura peccata inducere. Potest pariter *tanquam medicus*, absolutionem differre, quando merito timet poenitentem nunc absolutum facile relapsurum statim in eadem crimina, nisi ipsa difficultate, et dilatione absolutionis poenitens melius cognoscat gravitatem peccati, et necessitatem emendationis, et magis cautus reddatur, et in proposito non peccandi confirmetur. Cui adstipulatur experientia multorum poenitentium debilium, qui, hoc remedio prudenter adhibito, brevi tempore solent curari; et pro recidivis ac pro occasionariis videtur magis necessarium et utile: quia hoc modo melius concipiunt necessitatem perseverantiae in proposito non peccandi. Accedit theologorum auctoritas; *utilitatem* enim differendi *aliquando* absolutionem docent quam plures et graves theologi.

Utilitas requisita ad absolutionem differendam poenitenti, ceteroquin sufficienter disposito, *notabilis esse debet;* et *ad breve tempus* tantum *debet* consequenter *absolutio differri. Ad breve tempus*, h. e. ad aliquot horas, ad diem, ad duos vel tres dies, ad hebdomadam, ad summum ad quindecim dies. Ratio est, quia grave omnino est manere in statu peccati mortalis etiam per paucos dies; et *per se loquendo* magis prodest absolutio statim data, quam eius dilatio. — At hoc *absolutionis differendae remedium* non tantum *utile*, sed simpliciter *necessarium est*, et illud non tantum *potest*, sed etiam *debet* confessarius *adhibere*, quando necessarium est ad explorandum sincerum dolorem et propositum poenitentis, *de quo non satis constat*, et de cuius sufficienti dispositione dubitatur. — Salm. c. 5. p. 4. n. 68., L. 461.-464., S. Th. S. q. 25. a. 1. ad 4.

Semper ac poenitens est sufficienter dispositus, neque ulla adest notabilis utilitas ex dilatione absolutionis; hanc tenetur confessarius absolute et statim dare. Semper ac ex denegata vel dilata absolutione grave poenitentis damnum sequetur, absolutio conditionate eidem danda est, si dubie sit dispositus. Ratio 1.[i] est, quia absolutio concedi debet ex iustitia, et sub gravi omni poenitenti rite confesso et disposito. Neque vero ulla adest dilationis ratio, quae alia esse non posset nisi utilitatis ipsius poenitentis, quae in casu ex absolutione potius statim data habetur. « Dicunt Suar., Sanch., etc. negare absolutionem de materia levi non excedere veniale ». L. H. A. Tr. 16. n. 118. Ratio 2.[i] est vulgare axioma: Sacramenta

propter homines. Stante necessitate, providetur hominis saluti, meliori quo fieri potest modo; neque inde ulla in sacramentum irreverentia aut aliud habetur incommodum. — L. 431. 432. 462., l. 3. n. 682., S. Th. S. q. 18. a. 4.

Quando poenitens nolit implere gravem, quam habet, obligationem, quando peccatorum commissorum sincerum dolorem non habet, neque propositum habet non peccandi de cetero, confessarius tenetur tunc absolutionem denegare. His quidem, et his *solis*, deneganda absolute est absolutio. Ratio clara est, quia *hi, et hi soli,* absolutione indigni sunt. Peccatum remitti non potest ei, qui vult in peccato perseverare. — Leo XII. Enc. Litt. *Caritate Christi,* Rit. Rom. *de Sacram. poenit.*

Ad recidivos quod attinet, non est *alia specialis doctrina,* diversa a praecedenti, quae generalis est, et omnes casus complectitur. Quare, si confessarius ex omnibus circumstantiis confessionis poenitentem *prudenter iudicat* rite dispositum, eum absolvere potest; neque hic et nunc necesse est, ut iudicet eum amplius non relapsurum, secus quam plurimi absolvi non possent, de quibus profecto confessarius, dum eos absolvit, non potest hoc iudicium efformare, quod *de cetero,* nempe toto tempore futurae vitae, *non sint amplius graviter peccaturi.* Non *emendatio futura,* sed *praesens dolor* et *propositum* sunt necessariae dispositiones ad absolutionem. Si hactenus poenitens fidem fefellit, ratio haec non est, cur in praesenti non possit absolvi, si prudenter iudicetur rite dispositus; tantum ratio esse potest sufficiens, cur confessarius vel dubitet de legitima poenitentis dispositione, vel etiam persuadeatur eum reapse carere praedicta dispositione. Atque in hoc recidivorum casu, quamvis *dispositi appareant,* maxime *utilis certe* esse potest *aliquando* absolutionis dilatio, ut iam dictum est, quibus ceteroquin etiam maxime utilis *per se* est frequens accessus ad sacramenta, si rite nempe ad ea disponantur. Et sic in Rit. Rom. *de Sacram. poenit.* dicitur: « In peccata *facile recidentibus* utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur, et, si expediat, COMMUNICENT ». Semper autem ac poenitens exhibeat etiam post relapsum *extraordinaria signa* doloris tuto absolvi potest. Ratio est, quia tunc, ordinarie saltem loquendo, magis expedit ut absolutio non differatur. Absolvi item tuto potest, si absolutio facile differri non possit, ne diu in statu peccati mortalis permaneat. Sed confessarius antequam talem absolvat, curam adhibebit, ut eum ad absolutionem recipiendam certius et fructuosius disponat. Si vero *dubie tantum dispositus* appareat, tunc non tantum *utile* sed *necessarium* erit absolutionem differre; nisi gravis urgeat ratio, quo in casu absolutio conditionate tantum dari potest. — Tolet. l. 5. c. 13., Suarez D. 32. S. 2., L. 459.-464., S. Th. S. q. 25. a. 1. ad 4.

Idem de occasionariis consequenter *dicendum est.* Regula communis et universalis est, eum qui est in occasione solum *remota* posse absolvi: si nempe sit aliunde rite dispositus, non vero eum, qui est in occasione *proxima libera,* quam non vult relinquere. Ratio 1.ª est, quia alioquin deberemus omnes de mundo exire. Ratio 2.ª est, quia ille qui vult manere in illo periculo morali labendi non videtur habere propositum efficax non peccandi; nisi habeat *extraordinarium* dolorem et propositum; vel proponat adhibere alia remedia; quibus occasio ex *proxima* fiat *remota.* Lugo D. 14. n. 151. — Quando occasio esset *necessaria,* et relinqui non potest absque scandalo, gravi infamia, vel detrimento magno spirituali vel temporali, tunc licite manet in periculo quod est necessarium,

dummodo interim sit paratus uti mediis praescriptis, et potest sperare divinum auxilium ad resistendum. Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile, sive physice, sive moraliter, et aliunde occasio peccati non est *per se* peccatum, nec in necessitate peccandi hominem constituit, et, in casu, voluntas adhibendi praescripta media remotam eam reddit. Ita communiter doctores, L. 455., et hanc sententiam S. D. 456. *probabilissimam* vocat. Suarez D. 32. S. 2. n. 4., Lugo D. 13. n. 160.

Si ille, qui absolutus est *in occasione voluntaria*, quia sincere promiserat se eam ablaturum, vel *in occasione necessaria*, quia sincere promiserat se adhibiturum remedia a confessario praescripta, *in eadem* deinde *reinciderit peccata*, practice loquendo, absolvendus iterum non est, antequam conatum reapse exerceat et auferendi occasionem in priori casu, et reapse adhibendi in altero praescripta a confessario remedia; non quia *absolute non possit* etiam in praesenti *habere sincerum dolorem et propositum*, sed quia facile inde confessarius *prudenter devenire potest in suspicionem sinceritatis doloris et propositi*, L. 505. in fine; et quia prudentia exigit, ut, licet sincerus sit dolor, sincerum propositum, infirma poenitentis voluntas, praesertim si occasio sit *in esse*, etiam hoc medio adiuvetur dilationis absolutionis, quod in casu valde utile esse poterit, et de facto saepe est. Excipe, nisi poenitens *extraordinaria* det *signa* doloris, vel urgens adsit causa, v. g. nota infamiae in omittenda communione, si ad eumdem confessarium redire non possit, vel non nisi post diuturnum tempus. Et in hoc casu si *praesens* dispositio moraliter *certa* appareat, absolutio absolute danda est, si vero *dubia*, non nisi conditionate dari potest. — Suarez D. 32. S. 2., L. 452.-458., Elbel de Actib. human. 193. seqq. E. M.

810. *Quid de officio doctoris?* — Officium doctoris duo complectitur, scientiam ipsius confessarii, obligationem docendi poenitentem.

811. *Quid de scientia confessarii?* — Confessarius tenetur sub gravi scire ea omnia, quae ad munus suum rite obeundum requiruntur. Ratio est, quia secus huiusmodi confessarius se exponit evidenti periculo male fungendi tam gravi munere cum iniuria sacramenti, et magno animarum detrimento. — Confessarius tamen non tenetur adeo perfectam scientiam habere, ut possit semper statim et per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere; sed sufficit, ut id possit in casibus communiter contingentibus, et de difficilioribus sciat saltem dubitare. Maior enim scientia difficilius haberi potest, cum nec ipsi doctiores statim omnes casus solvere queant. Nec etiam tenetur confessarius de singulis peccatis accusatis discernere an sint mortalia, necne; siquidem hoc saepe impossibile est; sed sufficit ut singula audiat prout gesta sunt, et de illis iudicet, *in sensu obvio et naturali*, tum iuxta principia communia, tum iuxta rerum adiuncta a poenitente exposita, et remedium idoneum apponere noverit. « Recte notant Salm., etc., quod confessarius non tenetur de singulis peccatis certum formare iudicium, sed tantum de obviis et claris ». L. 500. — Lugo D. 21. n. 70. 71., L. 626. 627.

812. *Resolves:* — 1.° Confessarius quilibet tenetur scire ea omnia, quae spectant ad valorem, substantiam, integritatem et effectum sacramenti poenitentiae, et quae ad licitam eius administrationem, tum ex

parte sui, tum ex parte poenitentis, requiruntur. — 2.° Scire debet etiam obligationes communes et proprias statuum, varias peccatorum species, ipsorum adiuncta speciem mutantia, principia discernendi inter mortalia et venialia, et quaenam sint mortalia et venialia in singulis praeceptis, saltem iuxta principia generalia et communem theologorum sententiam. Item quinam sint actus validi et liciti. Ratio patet, quia illud cognoscat, oportet, de quo iudicare debet; alioquin aequum iudicium ferre non poterit. — 3.° Cognoscere debet casus reservatos, et censuras vigentes, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, varias causas restitutionis, radices et occasiones peccatorum, remedia ipsis afferenda, satisfactiones salutares et convenientes imponendas. — 4.° Peccat igitur confessarius, qui praedictam scientiam sibi deesse noverit, etiamsi ex sola caritate et obedientia confessiones excipiat. Nec eam per se excusat approbatio episcopi; haec enim non dat scientiam ex natura rei debitam, nec eius defectum supplet. Excipe casum necessitatis. — 5.° Peccat etiam superior, qui ignaro confessario veniam dat confessiones excipiendi, quia eius peccato consentit atque cooperatur. Excipe iterum necessitatis casum. — 6.° Peccat et ipse poenitens, qui scienter eligit confessarium respectu sui ignarum; quia non vult, sicuti oportet, dirigi in via salutis, et sic grave damnum spirituale subit. Si tamen poenitens sit in bona fide, valida erit confessio; quia ex parte poenitentis intervenit integra peccatorum declaratio et debita animi dispositio; ex parte confessarii intervenit saltem cognitio peccatorum sub ratione confusa peccati, quod ad materiam sacramenti sufficit. Excipe pariter, nisi talis sit poenitens, qui sua doctrina supplere possit inscitiam confessarii. — 7.° Experientia non potest supplere scientiam, sed solum eam iuvat. Confessarius igitur quilibet sedulo theologiae moralis studio incumbere tenetur; et, ut asserit S. Lig. H. A. 100., « *Nunquam studium illud intermittere debet* ». — Lugo D. 21. n. 70. seqq., L. 627. 628., H. A. 100.

813. *Quid de obligatione docendi poenitentes?* — Tenetur confessarius poenitentes docere ea omnia, quae pertinent ad sacramentum hic et nunc rite suscipiendum. Ratio, quia cum sacerdos sit minister sacramenti, debet procurare eius validam et licitam susceptionem, atque adeo tradere instructionem hic et nunc necessariam. — Debet docere poenitentes, ubi advertat quempiam aliquid ex iis ignorare, quae necessaria sunt ad christiane vivendum, cuiusmodi sunt, v. g., obligationes eius propriae. — Non tamen, *per se et stricte*, illos instruere tenetur de omnibus, quae ipsi scire debent, et aliunde discere possunt. Ratio est, quia munus doctoris in confessario de se pertinet tantum ad rectam administrationem sacramenti poenitentiae. *Per accidens* tamen posset adesse obligatio ex caritate, quando difficillime hanc scientiam aut per se, aut per alium, poenitens comparare sibi posset. — Haec caritatis obligatio non est specialis confessariorum, sed communis omnium, qui noscant proximi necessitatem, et sine gravi incommodo possint ipsi prospicere. Specialis obligatio inest parentibus, magistris, parochis, qui id ex officio debent. — L. 607.

814. *An confessarius poenitentem monere debeat, si hic in ignorantia versetur?* — R. Affirmative, *si ignorantia videatur vincibilis*, i. e. si confessarius animadvertat, poenitentem ita dubitare, ut iam desit bona fides. Ratio, quia in admonitione facienda nullum imminet periculum; alioquin

vero poenitens, cum eo dubio operans, non immunis est a peccato. — *Si ignorantia sit invincibilis*, distinguendum est. Facienda monitio est, si agatur de re necessaria necessitate medii; secus enim poenitens certe indispositus est. Si agatur de aliis rebus, affirmative, si monitio sit profutura. Ratio, quia id exigitur ex generali praecepto caritatis, et ex officio doctoris, quod habet confessarius. Si monitio non sit profutura, quamvis agatur de damno tertiae privatae personae reparando, e. g., de restitutione debiti, vel simpliciter omittenda vel differenda in meliorem occasionem. Ratio, quia esset inutilis creditori et poenitenti nociva. — Si agatur de damno publico, *per se loquendo*, facienda est monitio. Ratio est, quia bonum publicum praeferendum est bono privato poenitentis, et mali confirmatio et propagatio impedienda est, ne alii nempe putent id licere, quod non corrigitur, idque et ipsi faciant, « cum quis arbitretur ea sibi licere, quae ab his qui Ecclesiae sacramenta frequentant impune exerceri animadvertit ». Bened. XIV. *Enc. Apostolica Constitutio* 26. Jun. 1749. § 20. Spes praeterea adest, quod, Dei iuvante gratia, facta monitio sit publico bono profutura, etiam quantum est ex parte ipsius poenitentis, si sinceram ipse affert voluntatem, ut poenitentiae sacramentum recipiat, si non statim, forte post aliquod tempus, postquam rem serio cogitaverit. *Per se loquendo*, quia si forte maius damnum timeretur ex facta monitione, et privatum et publicum; quia, e. g., poenitens non multum fervens et pius omnino ab Ecclesia esset ideo avertendus, et ob ipsius influxum maius in Ecclesiam damnum illaturus esset, prudentiae erit dissimulare, minus malum permittendo, ut maius vitetur. Illud profecto tunc valet, quod S. Alph. 610. *validissimam rationem* appellat, « quod scilicet de duobus malis minus est permittendum, ut maius evitetur ». — L. 609. 614. 615. 694., l. 3. n. 682., Lugo D. 22. n. 29. 30.

815. *Resolves:* Monendus itaque est poenitens: Quoties ipse interrogat de malitia alicuius rei, quia cum de rei liceitate dubitet, in ignorantia invincibili iam non versatur. — Quoties silentium confessarii eum obfirmaret in proposito rei malae peragendae; errorem ita tacite approbando. — Quoties eius ignorantia versatur circa primaria principia iuris naturalis, aut circa conclusiones eorum proximas; quia talis ignorantia, si possibilis est, diu invincibilis esse non potest. — Quoties, monitione omissa, poenitens in occasione proxima formaliter peccandi remansurus esset. — Lugo D. 22. n. 29. 37., Sanchez de Matr. l. 2. D. 38. n. 11., L. 609. 615. 616., Ithur. Cas. 31.

816. *An monitio facienda sit in dubio, utrum profutura sit an obfutura?* — Quod praeponderat eligendum in casu, ut communiter traditur. Quare: Affirmative, si probabilius profutura sit, secus si probabilius obfutura. *In dubio* ex utraque parte aequali, generatim loquendo, potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia. Hinc regulariter tacere oportet, quando periculosum est loqui. — La-Croix 1759., Lugo D. 23. n. 31., L. 614. 916.

817. *An coniux monendus sit de invaliditate matrimonii ob occultum impedimentum, quod detegit confessarius?* — R. Negative, generatim loquendo, nisi dispensatio statim et facile obtineri possit a Papa vel episcopo. Ratio est, quia plerumque maxima inde sequerentur incommoda,

v. g., periculum infamiae, scandali, rixarum, incontinentiae etc., et proinde fornicatio materialis evaderet formalis. — An vero possit confessarius obligare coniugem impedimenti ignarum, et negantem debitum ad illud reddendum? R. Affirmative. Ratio est, quia, stante persuasione coniugis quod matrimonium sit validum, tenetur ille debitum reddere, ut dictamen conscientiae sequatur. — Elbel 471., Sanchez de Matr. l. 2. D. 38. n. 8., L. 611.

818. *An poenitens, contracturus matrimonium, de impedimento ignorato monendus sit?* — Generatim loquendo facienda est monitio. Ratio est, quia post matrimonium ignorantia cessare haud aegre potest, v. g., ex eo quod detegatur adesse inter coniuges consanguinitas, affinitas, etc.; et tunc facile adest periculum peccandi formaliter, atque gravissima incommoda inde sequi possunt, nempe scandala, rixae et forte etiam coniugum separatio etc. — Excipe tamen probabiliter casum, in quo nullus omnino speretur fructus ex monitione, nec facile possit detegi impedimentum; quia melius est permittere peccatum materiale, donec dispensatio obtineatur, quam praebere occasionem certi peccati formalis. — La-Croix l. 6. p. 2. n. 540., L. 612.

819. *Quid de officio iudicis?* — Cum sacramentum poenitentiae institutum sit *per modum iudicii;* ut poenitens in hoc iudicio reus et simul testis est, unde est, quod ei *pro se et contra se* regulariter credendum sit; ita confessarius iudex est, et hoc *principale* et *proprium* confessarii munus est. Hinc eius est sententiam ferre, et causam ante instruere. — *Ad sententiam ferendam* quod attinet, quandonam absolutio danda sit, differenda, deneganda iam dictum est. Cf. 809. — *Ad causam instruendam* quod spectat, confessarius tenetur interrogare poenitentes de specie, numero et circumstantiis speciem mutantibus, de causis peccatorum, de habitu et occasionibus proximis, quoties rationabiliter praesumit, vel prudenter dubitat, ista non sufficienter declarari. Ratio est, quia confessarius, ut minister sacramenti, debet procurare eius integritatem, et ut iudex debet sibi comparare cognitionem necessariam ad aequum iudicium ferendum. Constat etiam ex Conc. Later. IV., necnon ex Rit. Rom. — Confessarius tamen non tenetur interrogare poenitentem, nisi cum quapiam diligentia ordinaria. Ratio est, quia poenitens ipse non tenetur summa, sed tantum mediocri, id est ordinaria diligentia se examinare. Nequit autem esse gravior obligatio confessarii quam poenitentis, cum confessarius non teneatur examinare poenitentem nisi secundario, seu in illius defectu. — Confessarius item non tenetur interrogare poenitentes, qui licet rudes, videntur sufficienter instructi pro sua conditione, diligentes in confitendo peccata cum circumstantiis iuxta statum et capacitatem suam. *A fortiori* necesse non est examinare eos, qui saepe confitentur et raro peccant graviter, ut sunt personae devotae, religiosi, ecclesiastici, nisi videatur ab eis omitti aliquid necessario explicandum. — L. 607. 617. 629., H. A. 103., Prax. 19. 20.

820. *Nota:* Confessarius, quatenus *iudex,* quaelibet poenitenti *praecipiendi auctoritatem* non habet; sed *praecipiendi* habet *auctoritatem* dumtaxat quoad *satisfactionem iniungendam.* Quare obedientia debetur in aliis confessario, quatenus ea ipse poenitenti praescribit, quae lex quaedam sive naturalis, sive positiva, aliunde exigit. Quatenus *iudex,* confessarius

de causa dumtaxat *cognoscit*, ut pro causae merito *absolutionem deneget, impertiatur vel differat, et convenientem imponat satisfactionem.* — Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 28. n. 5., de Poenit. D. 14. n. 171., L. 604. par. *Ratio autem.*

821. *Quid de praxi interrogandi?* — Interrogatio debet esse *moderata*, ut modo dictum est, Cf. 819.; adeoque confessarius cavere debet, ne sit nimis anxius in interrogando. Secus enim tum sibi, tum praesertim poenitenti gravis et onerosa erit interrogatio, et proinde etiam ipsa confessio. — Interrogatio debet praeterea esse *discreta,* id est confessarius debet interrogare cum magna prudentia, sedulo cavendo, ne interroget de peccatis, quae verosimiliter non fuerunt commissa, spectata poenitentis conditione et capacitate, etc.; ne interroget de iis, ex quibus poenitens discat peccare, aut scandalum pati possit; neve interroget curiosius aut levius etiam in iis, de quibus est interrogandum. — Insuper interrogatio debet esse *opportuna*, id est, fieri tempore et modo, quo convenit. Quaedam interrogationes, si quando faciendae videantur, faciendae sunt ante confessionem, videlicet, a quo tempore non sit confessus? an absolutus fuerit? an poenitentiam impleverit? an circa vitam praeteritam sit quietus? Quaestiones aliae circa conditionem, statum, aetatem, etc., convenientius, data occasione, in decursu confessionis fient; sic ex una parte omnis suspicio curiositatis et levitatis vitabitur, et ex altera facilius respondebit poenitens, cum ipsius fiducia in confessarium magis adaucta fuerit. — Rit. Rom., L. 607. 629., Prax. 21., Lugo D. 16. n. 589. seqq.

822. *Resolves:* Valde cautus esse debet confessarius interrogando de materia luxuriae, praesertim cum mulieribus, adolescentibus et pueris, qui multo facilius scandalum pati possunt. Hinc servanda est sedulo regula ab omnibus admissa: In materia luxuriae multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis. In dubio igitur, an in tali casu interrogare possis vel debeas, pro parte negativa semper standum erit; minus enim malum est deesse integritati confessionis, quam incurrere animae perdendae periculum. — Errant autem confessarii, qui volunt semper iudicium certum facere de peccati qualitate, sitne grave an leve, et contorquent poenitentes, ut sciant, quali animo aut quali conscientia hoc fecerint; hi enim multoties respondebunt quidquid casu in buccam venerit, ita ut paulo post interrogati de eadem re, sint negaturi, quod antea affirmaverant. Secus tamen, si videantur sufficienter instructi, aut si dubitetur de pleno consensu tentationi praestito. Generatim, nisi circumstantiae aliud suadeant, praesumi potest, quod poenitens obiectum peccati, ut secundum se malum est, apprehenderit.

823. *Quid agere debeat confessarius in dubio de sinceritate poenitentis?* — Est regula communis, et velut axioma receptum: *Credendum est poenitenti, tam pro se, quam contra se dicenti.* Ratio est, quia poenitens in sacro tribunali reus simul et testis, sui accusator et advocatus est, et aliunde in dubio verax semper praesumendus est. Quapropter post opportunas interrogationes confessarius poenitentem negantem absolvere debet. — L. 630. 631.

824. *Quid agere debeat confessarius, si cognoscat certo, peccatum aliquod a poenitente reticeri aut negari?* — Si novit *extra confessionem,*

per se debet poenitentem negantem absolvere, quia poenitenti pro se et contra se dicenti credendum est; nec *per se* relatio alterius maiorem fidem facere potest, quam declaratio ipsius poenitentis; nec proinde magis aliis, quam ipsi, confessarius credere tenetur. Etenim, si poenitens peccatum illud commisit, praesumere debet confessarius, illum aut sui peccati oblitum esse, aut alteri confessum, vel iustam habere causam illud reticendi, aut relatores potius deceptos fuisse.

Si illud novit *ex confessione alterius*, debet, ne confessionis sigillum violetur, tantum generatim interrogare, sicut alias fecisset aut facere debuisset; si vero poenitens interrogatus negaverit, nihil reponat, sed, si id possit citra suspicionem, hortetur dumtaxat generaliter ad conscientiam cum omni fiducia aperiendam. Utrum vero debeat confessarius talem poenitentem absolvere, controvertitur. S. Lig., relatis aliorum sententiis, ita concludit: « Melius, meo iudicio sentit La-Croix, quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis ». Suarez de Poenit. D. 32. S. 3. n. 9. generatim docet: « *Quantumcumque* confessor sciat peccatum poenitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere ipsi poenitenti propter rationem factam ». Et generatim etiam idem docet S. Th., qui praeterea discrimen notat inter loquentem in confessione *de se*, et *de aliis*. Opusc. 7. al. 12. q. 6.: « In confessione est credendum peccatori confitenti et pro se et contra se; sed contra alium nullo modo est ei credendum; alioquin daretur multis occasio fictae confessionis, et fraudulentae infamationis ». Contra vero, cum *de se* loquitur poenitens, sic S. D. in 4. D. 17. q. 3. a. 3. q. 5. ad 2.: « Quantum ad hanc cognitionem (scilicet per confessionis manifestationem) non potest (sacerdos) MAIOREM CERTITUDINEM accipere, quam ut subdito credat, QUIA HOC EST AD SUBVENIENDUM CONSCIENTIAE IPSIUS; unde in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se ». Et sane eadem omnino valet ratio in hoc casu, ac in praecedenti; nec consequenter relatio alterius potest *per se* maiorem vim facere, quam declaratio ipsius poenitentis. — *Per se*, nam si confessarius *certo evidenter* cognoscat peccatum poenitentis, e. g., quia vidit, « non tenetur ita stare dictis poenitentis, ut non possit uti scientia sua ad convincendum et redarguendum ipsum poenitentem ». Suarez l. c. Praesumptio quidem cedere debet manifestae veritati.

825. *Quid de officio ministri post confessionem?* — Duplex est obligatio confessarii post confessionem: Prima *per accidens*, quoad defectus commissos reparandos. Altera *per se*, quoad sigillum servandum. L. 618. 634.

826. *Quid de obligatione corrigendi defectus circa valorem sacramenti in confessione commissos?* — Huiusmodi error *cum gravi culpa* commissus, et supposito *gravi poenitentis damno*, reparandus est, etiam cum gravi incommodo confessarii, petita prius licentia a poenitente. Ratio est, quia confessarius ex officio et ex quasi contractu, inito cum poenitente, tenetur rite ei administrare sacramentum. — Ob sacramentale autem sigillum sine poenitentis venia confessarius poenitentem monere non potest, si nempe gravis poenitentis offensio sequeretur. Enimvero in casu absolutionis aut nullo modo aut invalide impartitae, nihil reapse contra sigillum haberetur, si confessarius dicat: errorem intercessisse, opus esse, ut iterum absolvat, etc. — Si autem error fuerit *inculpabilis*, vel leviter

culpabilis, confessarius obligatur quidem ex iustitia ad poenitentis damnum reparandum et impediendum, sed cum minore incommodo. Verum in gravissimo poenitentis damno, v. g., si sit in articulo mortis, vel in gravi periculo non amplius confitendi, neque eucharistiam suscipiendi, vel extremam unctionem, ex iustitia item tenetur confessarius, etiam notabili suo incommodo, poenitentem monere et errorem reparare, ratione gravissimae et extremae necessitatis, in qua poenitens versatur. — L. 619. 622.

827. *Quid de corrigendis erroribus circa accidentia sacramenti?* — Talis error non est reparandus extra confessionem, si confessarius in hoc *negative* tantum, etsi culpabiliter, se habuerit: ratio, quia, si de confessionis integritate agatur, obligatio integritatis confessionis directe afficit poenitentem, non confessarium, unde licet confessarius teneatur procurare integritatem sacramenti et utilitatem poenitentis, in confessione, ut minister sacramenti et spiritualis medicus, ad id tamen non amplius tenetur, finita confessione. Neque consequenter confessarius est *causa,* quod poenitens forte non confiteatur ea peccata; siquidem nihil dixit, nihil fecit, quo moveatur poenitens ad ea omittenda, sed causa est unice poenitentis oblivio aut imperitia. Minus autem adhuc urget obligatio docendi extra confessionem ignorantem, ne sequatur materialis violatio legis. Grave autem per se est poenitenti, ut extra confessionem sermo de ea instituatur. — Reparandus vero est etiam extra confessionem error, si *positive* poenitentem in errorem induxerit; quia, ex iure naturali, quisque debet tollere causam mali, quam positive et voluntarie posuit. Quaerenda tamen est poenitentis venia, quam si poenitens deneget, confessarius ad nihil tenetur. — An autem error reparandus sit, sive in confessione, sive extra confessionem, venia prius a poenitente petita, etiam cum gravi incommodo, vel non nisi cum levi incommodo, vel citra quodlibet incommodum, pendet a gravi vel levi vel nulla confessarii culpa in eo errore, a gravi vel levi vel nullo poenitentis ex eo errore detrimento, a gravamine ipsius poenitentis in sermone de confessione instaurando. Quae omnia hinc inde pensanda sunt. — L. 620., Lugo D. 22. n. 63. 75. 76.

828. *Ad quid teneatur confessarius, qui indebite poenitentem a restitutione facienda solvit, vel e contrario ad eam obligavit?* — Si *ex malitia* vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia solverit indebite poenitentem, tenetur errorem corrigere; quod si non corrigat, vel poenitens, qui secus restituisset, interea factus sit impotens ad restituendum, confessarius ipse eius loco restituere tenetur, quia ius creditoris violavit, impediendo scilicet restitutionem ei debitam. — Item si *ex malitia* aut ignorantia vel negligentia gravi obligavit poenitentem ad restitutionem indebitam, tenetur ex iustitia errorem retractare; et si poenitens iam restituit, tenetur ipsi damnum resarcire. — Si *inculpabiliter* aut ex levi negligentia poenitentem indebite obligavit, vel ab obligatione solvit, tenetur ex iustitia errorem corrigere, non tamen cum tam gravi incommodo. Ratio est, quia ex una parte quisque tenetur ex iustitia impedire, ne sua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum, quod facile praecavere potest; et aliunde ex culpa levi, aut tantum materiali, ordinarie non oritur obligatio cum gravi incommodo. Si vero negligat monere, si possit sine gravi suo incommodo, tenetur consequenter ad restitutionem. — L. 621.

829. *Ad quid teneatur confessarius, qui omisit monere poenitentem de restitutione facienda?* — Tenetur monere poenitentem intra confessionem de obligatione cum aliquo incommodo, si nulla aut levis tantum culpa intervenerit, saltem ratione caritatis; maiori autem cum incommodo, si in omissione graviter peccaverit. In utroque autem casu *incommodum hoc* pensandum est gravi alterius damno. — Probabilius non tenetur restituere, etiamsi monitionem omittendo graviter peccaverit; ratio, quia confessarius non tenetur ex iustitia impedire damnum eius, cui debetur restitutio. — L. 621., Lugo D. 22. n. 67.

830. *An confessarius, sine poenitentis licentia, possit extra confessionem cum eo loqui de defectu commisso in confessione?* — R. Negative, si poenitens iam discesserit; ratio, quia monitio illa extra confessionem onerosa est poenitenti. Aliunde post absolutionem completum est iudicium: nec refert, quod monitio fiat ad reparandum eiusdem confessionis defectum. Attamen confessarius, etiam non petita licentia, posset ex abrupto errorem suum aperire, dicendo, v. g., se non absolvisse; qua ratione sane nec sigillum frangitur, nec rationabilis adesse potest poenitentis offensio. — La-Croix 1776., L. 622.

831. *Quid de obligatione sigilli confessionis?* — Sigillum confessionis est religiosa obligatio servandi secretum circa ea, quae *ex confessione sacramentali* cognita sunt. — Datur *strictissima obligatio* inviolabiliter servandi sigillum confessionis. Constat 1.° *Ex iure naturali,* et quidem triplici titulo, nempe ex caritate, ex iustitia, ex religione. 2.° *Ex iure divino positivo,* saltem implicito; nam ex institutione Christi confessio secreta esse debet: ergo eo ipso a Christo imposita est confessariis obligatio sigilli servandi. 3.° *Ex iure ecclesiastico,* Conc. Lateran. IV. C. 21. *Omnis utriusque sexus,* etc. — Obligatio sigilli confessionis *semper in omni casu* urget, ita ut *in nullo casu possibili* liceat revelare quidquam in confessione auditum et acceptum. Ratio manifeste patet; quia si aliqua posset dari exceptio, semper homines timerent, ne tale peccatum foret illa causa frangendi licite sigillum, et proinde odiosum evaderet sacramentum poenitentiae. Porro nulla causa boni assequendi, vel mali fugiendi, istud malum odii sacramenti compensare potest. — Obligatio sigilli oritur *ex omni et sola confessione sacramentali*, quae nempe fiat cum animo se accusandi et absolutionem obtinendi. *Ex omni,* quia tunc adest tota ratio praecepti; et hoc valet, etiamsi non collata esset absolutio quacumque de causa, cum confessio fiat in ordine ad recipiendam aliquando absolutionem. *Ex sola,* quia sola confessio sacramentalis inducit sigilli obligationem, cum alia manifestatio quaelibet nullam relationem cum sacramento poenitentiae habeat. — L. 634. 636., E. M.

832. *Resolves:* 1.° Confessio, quae scienter fit laico vel sacerdoti iurisdictione carenti. non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis. Secus dicendum esset, si sacerdos credatur approbatus; quia confessio ex parte poenitentis vere est sacramentalis. — 2.° Si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, aliquid ab eo extorquendi, non se accusat in ordine ad sacramentum, et proinde nulla est obligatio sigilli sacramentalis. — 3.° Si quis conscientiam confessario aperiat sine voluntate absolutionem suscipiendi, sed ut consilium

obtineat, vel ut mandato superioris aliquo modo satisfaciat, urget tantummodo obligatio secreti naturalis, quia hoc non fit in ordine ad absolutionem. — L. 640.

833. *An detur parvitas materiae in sigilli violatione?* — R. Negative, *saltem in revelatione directa.* Ratio est, quia materia, etiam levissima, includit totam rationem praecepti. *Saltem in revelatione directa;* quia si periculum indirectae revelationis sit valde remotum seu parum probabile, dari potest materiae levitas. Revelatio enim, si aliqua forte tunc sequeretur, casu et per accidens subsequi censenda foret. — L. 635. 640., Lugo D. 23. n. 71.

834. *An liceat uti opinione probabili in materia sigilli?* — R. Negative quoad probabilitatem *facti,* et quoad probabilitatem *iuris.* Ratio, quia non licet uti opinione probabili in praeiudicium *iuris certi,* quod alter possidet. Confessarius igitur ad sigillum tenetur, in dubio, an aliquid dictum sit a poenitente in ordine ad confessionem; et ubi speculative probabile tantum sit non violari sigillum, hoc vel illud revelando, in confessione a poenitente manifestatum. — S. Lig. 633. haec habet: « Ante omnia... videndum, an in hac materia sigilli sacramentalis liceat uti opinionibus probabilibus... Viva... ait, neminem posse uti scientia habita ex confessione, nisi certum sit moraliter (aut saltem certe probabilissimum) quod ex tali usu nulla eveniat confessionis revelatio, et nullum poenitenti gravamen. Ratio..., quia aliter probabile gravamen poenitenti inferretur, ob quod confessio odiosa ei redderetur... Et haec ratio valde urget... Puto omnino dicendum, non licere uti opinionibus, ex quarum usu certum non sit moraliter, nullum poenitenti gravamen inferri ». Et 637.: « In dubio an aliquid sit dictum a poenitente in ordine ad confessionem, confessarius tenetur ad sigillum... Ratio, quia alias redderetur odiosa confessio, dum alioquin plura peccata, revera in confessione audita, ob defectum memoriae, et hallucinationem confessarii, possent impune manifestari ». — Diana tom. 1. Tr. 8. init., Ithur. Cas. 37. n. 35., La-Croix 1946.

835. *An saltem post mortem poenitentis confessarius uti possit scientia per confessionem acquisita?* — « Obligatio huius sigilli strictissima est, ut *nullo unquam casu,* ullius boni consequendi, aut mali vitandi causa, *quodvis* vel minimum peccatum, aut *si quid* aliud sub sigillum confessionis cadit, *directe* vel *indirecte, ante* et *post* mortem confitentis, sine mortali sacrilegio revelari possit ». Laym. l. 5. Tr. 6. c. 14. n. 2. Et Busemb. 634.: « Sigillum hoc est obligatio ad tacendum etiam *post* mortem poenitentis ».

836. *An confessarius interrogatus de peccato poenitentis possit dicere: illud nescire, etiam cum iuramento?* — R. Affirmative, etiamsi instantia fiat, ut loquatur sine restrictione mentali, vel tanquam confessarius. Ratio, quia reapse nescit scientia humano commercio permissa. Unde semper dicere poterit, et iurare etiam se nescire, se id dicere absque aequivocatione, vel id affirmare etiam tanquam confessarium. Attamen melior semper responsio erit importunum interrogantem obiurgare: Quaenam interrogatio est ista, quam facis? Nam aliquando fieri posset, ut omnes intelligerent confessarium reapse ignorare rem, et sic deducerent confessionem non fuisse integram. — L. 645. 646., H. A. 148., S. Th. 4. D. 21. q. 3. a. 1. ad 3.

837. *Quinam ad sigillum teneantur?* — Tenetur *primario* ad sigillum confessarius quilibet, sive verus, sive fictus, et per errorem legitimus existimatus, et proinde etiam laicus, qui se sacerdotem fingeret, et confessionem exciperet. Ratio est, quia quoties quis confitetur in ordine ad sacramentum, quisquis eum audit, contrahit eo ipso sigilli obligationem; secus enim odium sacramenti inde sequeretur. — Tenentur *secundario*, qui confessionis fiunt participes seu ii omnes ad quos notitia confessionis quomodocumque pervenit, sive *ex ipsa confessione*, sive *ex mediis*, ad illam ordinatis. *Ex ipsa confessione;* nam res accusata ad eorum notitiam pervenit eadem occasione seu causa, propter quam obligatio sigilli datur, scilicet, ne odium in sacramentum creetur. *Ex mediis;* nam odium mediorum in finem ipsum redundat. — L. 645. 647.

838. *Resolves:* Ad sigillum tenentur: 1.° Interpretes adhibiti in confessione peragenda. 2.° Superiores, a quibus extra sacramentum petitur facultas absolvendi vel recipiendi absolutionem a casu reservato. 3.° Qui peccatum, dum quis confitetur, sive de industria, sive etiam inculpabiliter audiant, et pariter si qui ab istis illud forte audirent. 4.° Qui scribunt confessionem rudium, vel ignorantium linguam confessarii, praesertim si alio modo confessio peragi non possit. 5.° Doctores a confessario consulti de licentia poenitentis. 6.° Ii omnes, quibus confessarius vel alius sacrilege vel imprudenter peccata in confessione audita manifestasset. Unde de illis ne inter se colloqui possunt. — L. 638. 647. 648., S. Th. 4. D. 21. q. 3. a. 1. q. 3. et a. 2. ad 4.

839. *An poenitens quoque obligetur sigillo respectu confessarii?* — Non tenetur *ad sigillum sacramentale*, quia obligatio sigilli est tantum in favorem poenitentis. — Tenetur autem *ad secretum naturale* circa ea, quae revelare nequit sine iniusto confessarii damno, aut contra rationabilem eius voluntatem, vel sine iniuria et contemptu sacramenti. — L. 647.

840. *An confessarius possit loqui cum poenitente de ipsius confessione?* — Potest loqui *in confessione* de omnibus confessionibus praeteritis. Ratio, quia saepe pertinet ad munera iudicis et medici, quae habet confessarius, recolere peccata prioris confessionis. — Potest etiam loqui post absolutionem antequam poenitens discedat, vel si postea redeat. Ratio est, quia licet completum sit sacramentum, tamen iudicium adhuc moraliter perseverat. — *Extra sacrum tribunal* ne ullum quidem verbum facere poenitenti potest circa ea, quae ad eius confessionem pertinent, sine ipsius licentia. Excipe, nisi ipse poenitens prior de sua conscientia loquatur. — L. 647. 651.-653.

841. *An teneatur ad sigillum, qui legit chartam in qua poenitens confessionem scripsit?* — R. Negative *per se.* Ratio est, quia hoc non est medium de se ordinatum ad confessionem. Usquedum ergo ex ea confessio fiat, nondum habetur actus, quo quis se subiicit potestati clavium in ordine ad absolutionem; et proinde non infert per se obligationem sigilli sacramentalis, sed tantum secreti naturalis; sub gravi tamen per se urget, nisi de levissimis culpis agatur. — *Per se;* nam *per accidens* potest adesse obligatio sigilli, si charta esset aut fuisset medium necessarium ad confessionem, v. g., si scripta esset a muto, vel directa ad superiorem alicuius reservationis causa; item si charta iam tradita esset sacerdoti; maxime

vero si quis eam legeret, dum est in manu confessarii, aut in actu confessionis, aut amissa esset et in confessionali relicta, quia in his casibus ad confessionem pertinet: siquidem confessio permanens esse videtur. — L. 650.

842. *An teneatur ad sigillum confessionis doctor consultus ab ipso poenitente?* — R. Negative saltem probabilius, si consulatur circa confessionem alteri faciendam; sed tenetur tantum ad secretum naturale. Ratio est, quia obligatio sigilli oritur ex sola confessione sacramentali, in qua poenitens manifestat peccata in ordine ad absolutionem. *Si consulatur circa confessionem alteri faciendam;* quia si poenitens eum consulat circa confessionem ipsimet faciendam, sigillo tenetur, cum haec consultatio velut inchoata confessio habenda sit. — Suarez D. 33. S. 4., Billuart Diss. 8. a. 3., L. 549., S. Th. 4. D. 21. q. 3. a. 1. q. 2. par. *Sed contra.*

843. *Nota: Licentia* poenitentis requisita, ut confessarius loqui possit de rebus, quae confessionis sigillum exigunt, esse debet *formalis* et *expressa, libera* ac *spontanea,* neque *revocata.* Dari autem potest verbo, vel scripto, vel facto ipso, si, e. g., poenitens ipse extra confessionem incipiat loqui cum confessario de rebus in confessione dictis. L. 651. — Circa hanc quaestionem de locutione cum facultate poenitentis duo, inquit eximius Doctor, sunt distinguenda: «Aliud enim est, quod poenitens res semel dictas in confessione, iterum extra confessionem dicat; aliud vero, quod *servato eodem sigillo* et *eadem scientia,* det facultatem loquendi ex illa... Differentia inter hunc modum et priorem... primo est, quia facultas *semper est revocabilis:* pendet enim ex voluntate dantis, quia nec contulit novam notitiam, neque transtulit in alium aliquod ius irrevocabile. At vero, si semel extra confessionem dixit, quae prius in confessione dixerat, iam illa notitia irrevocabilis est, nec potest facere poenitens, ut postea confessor tantum in confessione sciat. Secunda, quando confessor hoc posteriori modo loquitur ex facultate, potest et debet dicere, se scire in confessione, et loqui ex licentia poenitentis, ut alter debito modo recipiat; at vero in priori modo non potest dicere se audivisse in confessione, quia non loquitur ex illa notitia, neque ex facultate respectu illius, sed ex nova scientia. Tertia, quia tunc is qui audit obligatur sigillo, si confessor solum loquatur ex propria facultate..., non vero si loquatur ex nova notitia iuxta priorem modum. Quarta, quia ille prior modus fieri potest ex mera voluntate, sine causa, quae ad sacramentum vel pietatem pertineat, quia est res mere extrinseca sacramento; at vero alia facultas danda non est, neque est illa utendum, nisi ex gravi causa vel utilitate rationabili». De Poenit. D. 33. S. 5., Laymann l. 5. Tr. 6. c. 14. n. 16., La-Croix l. 6. P. 2. n. 1960.

844. *Quodnam est sigilli obiectum?* — Obiectum sigilli sunt *omnia peccata confessa,* et omnia quae ad individuam peccatorum explicationem pertinent. Ratio est, quia non tantum pro peccatis, sed etiam pro iis omnibus, quae iuvant ad ea explicanda, urget ratio sigilli, et aliunde haec cum peccatis quid unum constituunt. — Obiectum sigilli est etiam quidquid in confessione, *ratione ipsius confessionis,* manifestatum est, cuius *revelatio* cederet *in gravamen poenitentis* et *in odium sacramenti;* quia sigillum inductum est, ne ex metu revelationis fideles a sacramento poenitentiae retrahantur. — L. 640.

845. *Resolves:* Sub sigillo confessionis cadunt: 1.° *Omnes* peccatorum *circumstantiae*, etiam post absolutionem declaratae; nam unum moraliter sunt cum peccatis iam accusatis; etiam per meram ignorantiam declaratae; secus valde difficilis redderetur confessio iis praesertim, qui nesciunt discernere quae sint omnino necessaria, et quae possint et debeant omitti, in confessione proprii peccati. Immo idem dicendum, etiam si dubium esset, utrum circumstantiae in ordine ad confessionem declaratae fuerint, necne. Et sic « si aliquis confiteatur, se petiisse debitum ab uxore, licet haberet votum castitatis, non potest sine violatione sigilli dici, quod ille habeat votum castitatis ». Lugo D. 23. n. 52. *Omnes circumstantiae*, intellige eas quarum manifestatione unum ex tribus praedictis incommodis exoriri posset, nempe *revelatio* confessionis, *gravamen* poenitentis, *odium* sacramenti. Multa enim dicuntur etiam ad explicanda peccata, quae *per se* non videntur cadere sub sigillo, e. g., quod quis sit coniugatus, paterfamilias, artifex, mercator, sacris initiatus, parochus, gubernator, etc. Lugo l. c. n. 57. — 2.° Peccata complicis, etsi absque necessitate cum peccato essent revelata, quia ex intrinseca confessionis occasione dicta sunt. Itemque *obiectum* peccati, si, v. g., frater confiteatur non corripuisse fratrem ob commissum furtum. Excipe, si nullum adsit *revelationis* periculum, nullum poenitentis *gravamen*, nullum *odium* in sacramentum, e. g., si poenitens confiteatur se gavisum de homicidio in publica platea commisso. — 3.° Poenitentiae impositae, nisi forte sint valde leves, seu ex iis, quae pro levissimis culpis imponi solent. — 4.° Defectus manifestati per confessionem ad explicandam peccati rationem, v. g., si poenitens dicat se sacros ordines cum irregularitate suscepisse, eo quod sit illegitimus, etc. — Lugo D. 23. n. 59. 68., L. 640. 641., Suarez D. 3. S. 3. n. 5. 10.

846. *An cadant sub sigillo defectus mere civiles, e. g., paupertatis; naturales, e. g., surditatis, caecitatis; morales, e. g., ignorantiae, scrupulositatis?* — S. Alph. existimat hos omnes defectus cadere sub sigillo, si eos defectus poenitens manifestet ad explicanda peccata; immo etiamsi nihil conferant ad explicanda peccata; sed ad suam conscientiam plenius explicandam; immo etiamsi innotescant confessario ex actionibus ipsius poenitentis, sive ex modo confitendi; immo etiamsi ita referantur a poenitente, ut ex adiunctis colligatur eos esse communiter notos. Ratio horum omnium est, quia in primo casu ea explicatio ingreditur ipsam naturam peccati explicandam; in aliis vero casibus, quia cum tales defectus, per se loquendo, sint odiosi, semper redderet eorum manifestatio aliquo modo odiosam confessionem, ac gravamen semper aliquo modo resultaret pro poenitentibus, qui ideo a confessione retardarentur. — Hinc non cadunt sub sigillo: 1.° Si tales defectus, *incidenter* sive *impertinenter* omnino ad confessionem ultro detegantur; sine ullo nempe ordine ad peccata explicanda, ad conscientiam melius patefaciendam, neque ex ipsa ratione confitendi cognoscantur. Ratio est, quia tunc ad confessionem nihil omnino pertinent. 2.° Si sint defectus omnino noti et publici, et tales, quorum manifestatio poenitenti ex se gravamen et ruborem afferre nequit, ut est esse mendicantem, caecum, etc., neque odium in sacramentum afferat, fideles ab ea avertendo vel retardando.

« Dicit autem Ronc. quod, si aliquis poenitens *communiter dignoscatur* esse valde prolixus, inquietus, etc., in aliquo exponendo, tunc quia clare

appareret confessarium fugere, ne ab ipsius naturali prolixitate, inquietudine, etc., taedio afficiatur, in talibus circumstantiis fugere non esset fractio sigilli. Hoc probabiliter admitti potest, si communiter pateat aliis, poenitentem illum esse timoratae conscientiae, ita ut moraliter certo reputent immunem esse a gravioribus culpis». L. 644. 641.-643. E contra, si confessarius noverit, ex praecedentibus confessionibus aliquem solitum esse multa peccata, vel tenuem dispositionem afferre, non potest se celare, vel excusari ab eo audiendo, etiam ex aliquo praetextu apparenter iusto. Ratio, quia licet tunc «fuga illa ex praetextu apparenter iusto non redderet confessionem odiosam tali poenitenti, redderet tamen odiosam generaliter Reipublicae Christianae». L. 659.

847. *An cadant sub sigillo virtutes et revelationes?* — «Distinguendum credo: aliquando enim praedicta dicuntur ad habendam instructionem a confessario, vel ad manifestandum integre conscientiae statum; et tunc non pertinent ad materiam confessionis, nec pertinent ad sigillum, sed ad secretum naturale. Aliquando vero dici possunt ad declarandum melius aliquod peccatum, v. g., ingratitudinem erga Deum post haec, et illa dona, et beneficia Dei, vel inconstantiam in bono post tale propositum firmum procurandae perfectionis, et similia; et tunc credo, quod pertineant ad sigillum, cum iam sint, saltem in obliquo, materia confessionis, et aliunde apparet, quod poenitens non vult illa extra confessionem manifestare, sed retinere illa sub sigillo arctissimo confessionis». Lugo D. 23. n. 58., L. 641.

848. *An violet sigillum confessionis confessarius inquiens de determinata quadam persona, sibi confessam esse sua peccata; vel venialia tantum esse confessam; vel se absolvisse; vel simpliciter confessam esse?* — Si ita *in genere* dicat sibi talem personam *confessam esse sua peccata, vel venialia, per se loquendo,* non violat sigillum confessionis. Nam nihil dicitur quod ipse poenitens non manifestaverit publice et aliis et ipsi confessario actu ipso accedendi ad sacramentalem confessionem: confessione enim peccata manifestantur, saltem venialia, quibus vel iusti et sancti quotidie non carent. Quare neque ex ea manifestatione confessio fit odiosa, neque ullum obvenit gravamen poenitenti. Sigillum vero confessionis non frangitur nisi vel 1.° quatenus poenitentis *peccatum,* reapse *manifestetur* sive directe, sive indirecte, vel 2.° quatenus *sacramentum poenitentiae odiosum fiat,* vel 3.° quatenus aliquod *poenitenti gravamen obveniat.* Dicitur vero de venialibus, *per se loquendo;* nam non liceret certe dicere tibi confessum esse venialia, si talibus dicas circumstantiis, ex quibus colligi possit alios esse nocentes vel confessos mortalia, vel alias, aut hac eadem vice fuisse ipsum poenitentem etiam mortalia confessum, vel intelligeretur quodnam in specie veniale peccatum declaravit; ubi notandum, quod dicendo de aliquo, quod non nisi levia afferat exclusive, potest etiam revelari confessio, si, e. g., postea cognoscatur fecisse secreto plura peccata, quae consequenter nunc agnoscitur ipsum tacuisse in confessione. L. 638. 640., Lugo D. 23. n. 50., La-Croix 1972. — Si dicat, talem poenitentem confessum esse *plura venialia,* vel aperiat *aliquod veniale in particulari,* iam confessionis sigillum violat. Idque constat ex doctrina communi theologorum, quia in violatione directa sigilli non admittitur parvitas materiae. L. 640. — Laymann n. 6. aperte inquit, non violari sigillum, si confessarius dicat, *bene confessum absolvisse;* modo

non ita loquatur ut coniici possit esse magnum peccatorem; adde, vel etiam alias ipsum non fuisse absolutum, vel alios absolutionem non recepisse, vel periculum sit quod serius appareat eius confessionem fuisse sacrilegam. — « Non frangitur sigillum..., si dicas *N. tibi esse confessum*, etsi in certis circumstantiis hoc quoque periculosum sit. Immo si poenitens verbo, vel facto, v. g., clam accedendo significaverit, se nolle sciri quod sit confessus, confessarium revelare sigillum volunt Reg., Navarr., etc. et recte consentiunt Sporer, etc., quia poenitens confitendo confessario extraordinario veniret in suspicionem gravioris criminis ». L. 638.

849. *An cadant sub sigillo peccata commissa in ipsa confessione, v. g., impatientiae, contumeliae in confessarium?* — R. Negative, rigorose *per se*, quia culpas illas poenitens non confitetur, ut patet. — Affirmative tamen plerumque, quamvis *per accidens* tantum; quia licet peccata illa non sint per se materia sigilli, saepe tamen per accidens revelationis periculum aliquo modo involvunt: indicium enim probabile praebent, quod confessarius vel poenitentem noluerit absolvere, vel propter culpam graviorem eum severius reprehenderit. — Non caderet autem sub sigillo furtum a poenitente in damnum ipsius confessarii tempore confessionis commissum. Immo si constaret, furem ad confitendum venisse, ut furandi occasionem haberet, peccata ab ipso accusata non forent materia confessionis; siquidem talis confessio non vera, sed simulata tantum esset. — Lugo D. 23. n. 60., L. 643.

850. *Quomodo sigillum violetur?* — Duplici modo violari potest: 1.° *directe*, revelando expresse aliquid ex sola confessione cognitum, v. g., si dicatur: Titius hoc fecit, etc.; 2.° *indirecte*, aliquid dicendo aut faciendo, aut non dicendo, non faciendo, vi sacramentalis confessionis, ex quo quis argumentando cognoscere aut suspicari possit peccatum vel defectum poenitentis vi solius confessionis cognitum, aut ex quo poenitenti vel aliis, v. g., complicibus, possit oriri pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen; aut odium in sacramentum, unde generatim fideles a confessione averti aut retardari possent.

851. *Resolves:* Secretum confessionis sive *indirecte* sive *directe* violat: 1.° Qui unum prae aliis, quos audivit, laudans, dicit eum sola venialia commisisse, quia alii inde facile in suspicionem culpae mortalis adducuntur. — Item qui peccata ex confessione cognita ita narrat, ut audientes possint ratione aliqua coniicere vel suspicari, quinam ea commiserint.

2.° Qui loquitur cum alio confessario de peccatis alicuius poenitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit. — Qui de peccato poenitentis, per solam confessionem cognito, loquitur cum aliis, qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant, illud ex confessione acceptum esse; si nempe de eo loquatur ut de re, *cuius ipse notitiam habet*, minime vero si de eo loquatur, ut communiter solent homines loqui de re, *quae sibi primum narratur, eamque primum addiscunt.* Quin immo studiosum confessarii silentium suspicionem aliquando ingerere posset adversus poenitentem. — Qui narrans alicuius personae peccata, quae extra confessionem cognovit, addit aliquam circumstantiam cognitam ex sola confessione, vel qui utitur notitia confessionis ad rem magis determinandam aut confirmandam.

3.° Qui dicit, se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse, vel nondum expletam esse confessionem; quia longa confessio denotat ordinarie multa peccata, aut indispositionem poenitentis. — Item qui de Titio, cognito ut fure, dicit, eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse. — Qui alta voce, aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit poenitentem; hoc enim et grave est poenitenti, et aliis suspicionem ingerit, illum gravia peccata confessum esse; a fortiori autem, si nimis vocem extollendo repeteret peccata poenitentis, aut de eorum circumstantiis interrogaret.

4.° Qui, *auditis paucorum confessionibus*, dicit, se tale peccatum audivisse, licet celet personam; singuli enim ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. — Qui diceret, se *in tali monasterio* audivisse peccatum grave, etiamsi non nominaret personam; quia singuli religiosi illius conventus detrimentum patiuntur. — A fortiori violaret sigillum qui diceret, in conventu illo *talia peccata committi.* Secus autem si diceret, se audivisse peccatum grave alicuius religiosi in genere, quin nominaret ipsius ordinem, quia neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen poenitentis, nec alicuius ordinis, cum inter varios ordines non desint aliqui minus boni religiosi.

5.° Qui poenitentem post confessionem oculo torvo aspicit, non eum alloquitur, sicut prius facere solebat, et ostendit verbis durioribus, gestibus, aut tota agendi ratione, se recordari de eius peccatis, de iis actu cogitare, et eum minoris quam antea facere. — L. 654. 655. 657.

852. *An violet sigillum confessarius, qui poenitenti indisposito schedulam confessionis denegat?* — R. Affirmative, quoties denegat schedulam poenitenti *extra confessionem* eam petenti. Ratio est, quia utitur notitia confessionis ad exterius agendum, et quidem cum magno poenitentis gravamine. — Si poenitens indispositus schedulam *intra confessionem* petat, quando solet dari, vel a superioribus poenitentis exigitur, negat Lugo cum aliis, quia confessarius nihil dicit, sed solum non approbat positivo testimonio illam confessionem, ad quod non tenetur. D. 23. n. 87. Sed probabilius et communius affirmant dd., quia ex denegatione schedulae notum aliis fit, poenitentem non esse rite confessum nec absolutum, ideoque erit indirecta sigilli violatio. Elbel 492., Sporer 839., L. 639. — Negative autem, si poenitens petat schedulam *in confessione* extra praefatas circumstantias, seu quando non solet omnibus dari, vel a superioribus non exigitur. Ratio est, quia tunc confessarius nihil dicens, se habet mere negative, et non approbat illam confessionem testimonio positivo, ad quod non tenetur. Aliunde poenitens non compellitur necessitate declarandi aliis, se non fuisse absolutum; unde si hoc dicat, ipse suam indispositionem patefacit, non vero confessarius. Lugo D. 23. n. 87. — Interdum tamen potest confessarius etiam poenitenti indisposito dare schedulam confessionis ob varia incommoda, quae ex eius denegatione sequerentur; nec tunc cooperabitur sacrilegio poenitentis, qui forte hoc confessionis testimonio utetur ad sacramentum vivorum, v. g., eucharistiam vel matrimonium in statu peccati recipiendum; ratio, quia id suae malitiae poenitens tribuere debebit. Elbel 492. — Negative etiam quoties poenitens simulatam confessionem fecit, v. g., ad poenam fugiendam, infamiam vitandam. Non enim frangitur sigillum, sive schedula denegetur intra, sive

extra confessionem. Ratio est, quia sigillum oritur ex sola confessione sacramentali, quae hic nullo modo habetur. Nec generatim potest confessarius talibus schedulam concedere, quia sine ratione sufficienti eorum futuro sacrilegio cooperaretur. Praeterea falsum assereret, nempe ipsos fuisse confessos, quod verum non est. Lugo D. 23. n. 87., Elbel 494.

853. *Quid agere debeat confessarius detegens poenitentem esse surdum?* — Si surditatem advertat *in principio confessionis*, imponere poenitenti debet, ut tempore et loco opportuno redeat. — Si *in decursu confessionis* id deprehendat, generatim non potest alta voce poenitenti imponere ut redeat, ne aliis ingerat suspicionem, illum de materia gravi confessum fuisse; sed audiat peccata, quo meliori modo potest, et, praetermissis interrogationibus, impertiatur poenitenti absolutionem modo absoluto, si eum dispositum iudicet, vel conditionatam, si de dispositione dubitet; et poenitentiam levem ei imponat, ne alii eum graviter peccasse existiment.— L. 644.

854. *An possit confessarius monere complicem de licentia poenitentis, vel alium ad complicem corrigendum?* — R. Affirmative. Ratio est, quia complex ex confessione alterius complicis nullum ius acquirit ad sigillum sacramentale; hoc enim sigillum institutum est in favorem poenitentium tantum; et proinde ius secreti acquiritur illi soli, qui illud committit. — Ordinarie tamen non expedit, ut confessarius talem licentiam petat; sed satius erit, poenitentem inducere ad id extra confessionem sibi aperiendum; immo melius etiam erit, ut ipse poenitens rem deferat alteri, qui malo remedium afferre queat. — L. 640. 641., S. Th. Opusc. 12. q. 6.

855. *An possit confessarius communionem negare poenitenti, cui prius absolutionem negavit, si hic ad sacram mensam accedat?* — R. Negative, etiamsi occulte petat, quia confessarius notitia confessionis ad agendum externe contra poenitentem uti nequit. « Haec sententia hodie omnino tenenda est ex Decr. Innoc. XI. ». L. 658.

856. *An frangat sigillum, qui dicit tale vitium regnare in civitate vel pago, aut ibi gravia crimina committi?* — R. Affirmative, *si locus sit satis angustus*, v. g., si non constet tribus hominum millibus circiter. « Ratio, quia licet tunc non reveletur persona; tamen cum revelatio emanet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen poenitentis, qui illius communitatis est membrum, et ideo ex tali revelatione redderetur ei odiosa confessio ». L. 654. Secus, si oppidum sit amplum, et crimina publica saepius ibi patrentur. L. 654.

857. *An praedicatores uti possint notitia confessionis ad loquendum de iis, de quibus non cogitassent, nisi confessiones audivissent?* — R. Affirmative, secluso revelationis periculo, et poenitentium gravamine. Ratio est, quia nulla tunc habetur sigilli violatio. Sed, ut patet, generatim tantum et indeterminate id facere possunt, neque addendo se audiisse in confessionibus. Quare cavendum omnino est, ne loquantur publice de peccatis omnino particularibus unius vel alterius poenitentis, praesertim si sermonem habeant coram aliqua parva communitate, v. g., in monasterio monialium; quia tunc facile exoriri revelatio, et gravamen induci posset. — Elbel 525., L. 654.

858. *An sacerdos, qui ex confessione novit sibi parari insidias, possit fugere, aut alio modo damnum praecavere?* — R. Affirmative, si ex tali

cautione minime manifestetur aliis peccatum accusatum, nec ullum gravamen poenitenti afferatur. — Si fugere nequeat, quin aliquo modo manifestet peccatum aliquod accusatum fuisse a poenitente, tunc plures adhuc affirmant; quia revelare *confessionem* peccati non est revelare *peccatum:* et quidem in hoc casu apertum est, non oriri *ex confessione* notitiam peccati; sed e contra *e certa notitia peccati* cognitionem procedere confessionis peccati. Castro Pal. Tr. 23. P. 19. § 3. n. 18. Sed alii, quorum sententiam *sequor,* ait S. L., negant, et omnino negandum videtur. Ratio est, quia positis talibus circumstantiis, nempe scientiae aliorum criminis, et confessionis poenitentis, fuga illa esset vera revelatio, licet indirecta, non solum confessionis factae, sed etiam *peccati confessi;* et licet confessarius fugam simularet ex aliquo praetextu, semper tamen rationabilem suspicionem peccati declarati praeberet. — Ad ea ergo pericula effugienda, vel ex licentia poenitentis, vel aliis modis obviari debet absque ea indirecta sigilli fractione. — Lugo D. 23. n. 108. seqq., L. 659.

859. *An superiores uti possint notitia confessionis ad gubernationem externam, si nullo modo appareat quod ex illa notitia se dirigant?* — R. Negative. Ratio est, quia evidenter hoc cederet in gravamen poenitentium. Insuper, si fideles nossent talem doctrinam passim doceri, a confessione retraherentur. Constat etiam ex variis Decretis SS. Pontificum, praesertim Clem. VIII. 26. Maii 1594. pro regularibus. Quamvis autem hoc Decretum latum fuerit pro regularibus, ad omnes superiores extendi debet, cum eadem ratio, quae urget pro regularibus, etiam pro saecularibus valeat. Constat etiam ex Decr. S. I. C. edito auctoritate Innocentii XI. anni 1682. — L. 656. 657. 670., Lugo D. 23. n. 98., La-Croix 1977., E. M.

860. *An saltem quandoque, vel quandonam confessarius uti possit notitia confessionis?* — Iuxta omnes theologos id potest in sequentibus casibus: 1.° ad orandum pro poenitente, vel benignius erga ipsum agendum; 2.° ad consulendos libros, vel sapientes, prudenter tamen, secluso revelationis periculo; 3.° ad se dirigendum per experientiam ex confessionibus acquisitam, v. g., ad rigorem temperandum, et ad se dirigendum ex confessione unius ad alios prudenter interrogandos, vel instruendos, nullam dando prioris confessionis suspicionem; 4.° ad reformandos proprios mores, ad corrigendos proprios defectus, aut ad melius fungendum suo officio, v. g., ad socordiam exuendam, vigilantius *generatim* in subditos invigilandum, seclusa tamen *in particulari casu* revelationis suspicione, et quolibet poenitentis gravamine ac odio in confessionem, quia quisque tenetur *defectus suos* corrigere statim ac ad eos advertit; nec potest ullus poenitens rationabiliter offendi, quod confessarius ob audita in confessione *vitam suam* in melius mutet; cum nullo omnino eius incommodo et gravamine. 5.° Idem quidem licet in aliis similibus casibus, cum iisdem semper restrictionibus, quod nulla habeatur *confessionis revelatio,* nullum *poenitentis gravamen,* nullum *odium in confessionem.* — L. 657.

DE EXTREMA UNCTIONE

DE NATURA MATERIA ET FORMA MINISTRO ET SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS

861. *Quid sit extrema unctio?* — Extrema Unctio sic dicta est, quia omnium sacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiae suae commendavit, ultima administranda sit. Cat. Rom. 3. — Extrema unctio est sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo Apost. promulgatum, quo per olei unctionem et sacerdotis orationem confertur adultis aegrotis, vita periclitantibus, salus animae, et aliquando etiam sanitas corporis. Jac. Ep. 14., 15., Trid. S. 7. c. 1., S. 14. de E. U. C. 1. c. 1. 2., Flor. Decr. pro Arm., L. 706., S. Th. S. q. 29. a. 1. 3., 4. D. 23. q. 1. a 1., E. M.

862. *Quinam sint effectus extremae unctionis?* — *Conferre gratiam.* — *Remittere peccata* venialia, et etiam mortalia, si adsint, eorumque habeatur saltem attritio, si nec conteri nec confiteri quis possit. Sacramentum hoc complementum est poenitentiae: est enim praecipue institutum ad abstergendas peccatorum reliquias. « Sed quia, cum in anima reperitur peccatum, non possunt tolli reliquiae, nisi prius tollatur peccatum: ideoque ex consequenti hoc sacramentum peccatum aufert ». L. 731. Unde sacramentum est primario *vivorum*, secundario *mortuorum*. Quare confessio vel contritio praecedere, *per se*, debet, si infirmus in mortali versetur. — *Peccati reliquias abstergere et aegroti animam alleviare et confirmare.* Peccati reliquiae sunt non solum poenae peccatis debitae, sed etiam animi anxietas et timor, languor et torpor ad bonum. — *Sanitatem corporis* interdum, ubi saluti animae expedierit, *restituere*. Errant ergo, qui hoc sacramentum non recipiunt, nisi cum morbus ita invaluit, ut citra miraculum sanari non possint. — Jac. l. c., Trid. S. 14. de E. U. C. 2. c. 2., Flor. Decr. pro Arm., Cat. Rom. n. 5.-7. 9. 12. 14.-16., L. 716. 731., Billuart art. 7., S. Th. S. q. 29. a. 1. ad 2. ad 3., a. 2., q. 30., q. 32.

863. *An extrema unctio gratiam conferat in singulis unctionibus, vel non nisi omnibus absolutis?* — Controvertitur, et utraque sententia S. Alphonso probabilis est. Ratio est, quia unaquaequae unctio sua materia et forma absolvitur: ex omnibus vero una tandem unctio coalescit. L. 707., H. A. Tr. 17. n. 3. Sed S. Th. S. q. 30. a. 1. ad 3. « in ultima unctione, ait, gratia confertur ». — Verum « certum est hoc sacramentum unum esse; licet enim plures sint unctiones, omnes tamen pertinent ad unam significationem interioris medelae ». L. 706. — S. Th. S. q. 29. a. 2., Cat. Rom. n. 4.

864. *Quaenam sit extremae unctionis materia?* — *Materia remota* huius sacramenti necessario est oleum olivarum, quod non tantum ad liceitatem, sed etiam ad validitatem *ab episcopo benedictum* esse debet, extrema etiam urgente necessitate. Trid. S. 14. C. 1., Flor. Decr. pro Arm., S. I. C. 13. Jan. 1665., 14. Sept. 1842., 10. Jan. 1850., 15. Maii 1878. *Ab episcopo,* nempe a dioecesano, vel, Sede Vacante, ab alio episcopo vicino, in

Coena Domini oleum infirmorum, sicut oleum catechumenorum et chrisma, est singulis annis renovandum, non tamen ad validitatem sacramenti, ex Clement. VIII. praecepto, et ex Rit. Rom. *de Extr. Unct.* Idque probabilius grave est. Attamen, si novum oleum haberi non possit, antiquo uti licitum est. L. 708. Si forte autem intra annum oleum benedictum deficere videatur, neque aliud benedictum haberi possit, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest. Rit. Rom. Idque pluries, licet in fine maior fuerit addita quantitas, quam fuerit illa ab episcopo benedicta, quae erat ab initio. *Benedictum;* an debeat esse benedictum in ordine ad extremam unctionem, controvertitur. Alii probabiliter negant, quia Ecclesia nihil aliud exigit nisi ut sit ab episcopo benedictum. Alii probabiliter affirmant, quia speciali benedictione deputandum est ad extremae unctionis sacramentum. In praxi tamen tutius tenendum, excepto necessitatis casu, in quo postquam aliud oleum catechumenorum, vel chrisma fuerit adhibitum, quod in sacramento confirmationis et in caeremoniis baptismi adhibetur, si postea oleum infirmorum haberi possit, sacramentum est iterandum.

Materia proxima est unctio, quinque praecipue corporis partium, videlicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum, vel, si quis aliquo eorum careat, partis ei proximae, licet eo a nativitate careat. An autem omnes istae unctiones necessariae sint, necessitate sacramenti, an unius tantum sufficiat controvertitur, et utraque sententia probabilis est; sed in praxi pro sententia standum est affirmante omnium necessitatem. Attamen neque ordo inter varias partium unctiones; neque in sensibus geminis unctio utriusque necessaria est ad sacramentum; sed tantum ex praecepto servanda est extra necessitatis casum. Praeterea, nisi aliud ferat usus loci, ungendi sunt pedes et renes; sed renes tantum virorum, modo commode possint moveri. Alicubi omittitur in viris religiosis unctio renum. Ubi tamen non est in usu, introducatur, si fieri potest. S. R. C. 14. Aug. 1858. Graeci ungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus et pedes. — Trid. S. 14. C. 1. c. 3., Flor. Decr. pro Arm., Rit. Rom. *de Sacr. Extr. Unct.*, Cat. Rom. n. 5. 10., Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 3., L. 707.-710. 732., S. Th. S. q. 29. a. 4.-6., q. 32. a. 5.-7., E. M.

865. *Quaenam sit extremae unctionis forma?* — Forma est: « Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, sive auditum, etc. deliquisti. Amen ». Rit. Rom. *de Sacr. extr. unct.*, Flor. Decr. pro. Arm. Essentialia certo sunt: *Per istam unctionem*, quibus actio sacramentalis significatur; *Indulgeat tibi Dominus*, quibus generaliter exprimitur effectus sacramentalis; verius etiam, *Quidquid per visum*, etc. *deliquisti*, quibus specialis huius sacramenti effectus continetur. Essentialia e contra verius non sunt: *Per suam misericordiam;* nam verbo, *Indulgeat tibi Deus*, tacite comprehenduntur; nec certo illa: *Sanctam*, *Piissimam*, *Amen*, quae neque actionem neque effectum sacramentalem significant. Essentialia omittere grave est, accidentalia leve vel grave prout omissio levis vel notabilis sit. Forma E. U. deprecatoria essentialiter est. Rit. Rom. l. c. Quare, si indicativo vel imperativo modo proferatur, ex communiori sententia irrita est. — Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 14. *de E. U.* C. 1., Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 17., L. 710. 711., S. Th. S. q. 29. a. 7. 8. 9., Cat. Rom. n. 6.

866. *Quisnam sit minister extremae unctionis?* — Minister E. U. est sacerdos. Quivis sacerdos *valide* eam confert; *licite* solus parochus loci in quo quis infirmatur; qui eam confert etiam clericis, non tamen regularibus, et qui regularium privilegiis fruuntur. Regularibus enim confert proprius praelatus. S. Pius V. C. *Immarcescibilem* a. 1567. Episcopus eligit ipse a quo malit ungi, sive Sacristam, i. e. maiorem Capituli sui Dignitatem, sive Curatum. Caerem. Episc. C. 38. § 4., S. C. C. 7. Jun. 1760., 24. Mart. 1873., A. S. S. V. 8. p. 202. seqq. — Quilibet vero sacerdos probabilius potest *licite* etiam hoc sacramentum ministrare ex consensu parochi rationabiliter praesumpto. Non videtur enim cum tanto rigore procedendum, ubi agatur de mera delegatione ad liceitatem, et nullo modo ad validitatem sacramenti. — *Valide* eam conferunt sive unus sacerdos sive plures; et isti sive simul varias perficiant unctiones, unus unam partem, alius aliam inungendo et pronunciando formam illi unctioni respondentem, sive successive, si nempe unus incipiat unctiones et alter eas prosequatur; sed grave est extra casum necessitatis, nempe vel infirmi mox morituri, vel quia, unctionibus inceptis et nondum absolutis, minister deficiat. Quod si contingat, alter minister unctiones nondum peractas perficere debet, peractas vero neque sub conditione repetere, nisi notabilis intercedat mora, nempe horae quadrantis; quare post quadrantem sub conditione repeti debent. — In Ecclesia autem Graeca septem vel tres saltem sacerdotes ungunt infirmum. Bened. XIV. de Syn. l. 8. C. 4. n. 8. — Jac. Ep. Cath. 5., 14., Trid. S. 14. C. 1. 3. c. 4., Flor. Decr. pro Arm., L. 722. 723. 724., S. Th. S. q. 29. a. 2. ad 3., q. 31., Cat. Rom. n. 13., E. M.

867. *Quomodo peragendae sint unctiones?* — Ad *validitatem* quod spectat, pars debet esse vere uncta, ungere autem est oleo linire, quare si oleum tantum distilletur unctio nulla est; utrum vero sufficiat una olei gutta controvertitur. Ceterum sufficit intingere in oleo, in singulis unctionibus, extremum digiti et ungere. L. 709. — Omnes sensus inungendi sunt et quidem continue. Ratio, quia probabile est ex omnibus unam unctionem coalescere, et omnibus absolutis gratiam conferri; longiori vero mora interiecta inter unam et aliam unctionem iam moralis unio non servatur et sacramentum dubium evadit. — Ad *liceitatem* quod attinet, unctio fieri debet pollice, et leve est, non alio digito; nec virgula vel penicillo, etsi id usus habeat, nisi ex iusta causa, si, v. g., infirmus contagioso morbo laboret. S. R. C. 9. Maii 1857., Bened. XIV. de Syn. l. 13. C. 19., L. 710. — Unctiones fieri debent in figuram crucis, et iterum leve est, L. 728.; debito ordine, quod grave putant, L. 710.; et in sensibus geminis, a dextero incipiendum, neque forma absolvenda est antequam huiusmodi paria membra sint peruncta, quod leve videtur. Rit. Rom. *de Sacr. extr. unct.*, L. 711., S. Th. S. q. 29. a. 2., q. 32. a. 5., E. M.

868. *Nota:* 1.° Incipit unctio ab oculis. Ut commode inungantur, debent claudi, et unctio fieri super ambas palpebras. Si claudi non possint, unctio fiat in superciliis, iuxta angulos oculorum, ut habet perantiquum Rituale Catalanense. — 2.° Veniunt aures, quae unguntur in lobulo vel ima auricula; non in helice vel alveolo eiusdem, idque ut facilius tergi possint. — 3.° Nares; ungantur narices foris, quae sunt nasi alae laterales, ad evitandam sternutationem, quae aliter faciendo facile oriretur. — 4.° Os, compressis labiis; hic una debet esse unctio, atque ideo sunt

labia unienda ut facilius fieri possit; sed, si hoc non posset obtineri, satis erit, ut labium inferius vel superius ungatur; sunt tamen qui adhuc utrumque inungunt. — 5.° Manus; fit unctio in media palma utriusque manus, vel in alia parte viciniori, si aliter non possit, interius tamen; nam in exteriori manus parte soli sacerdotes et episcopi ungi debent. — 6.° Pedes; fit unctio ad metatarsum (vulgo *collo del piede*), iuxta S. Carolum fit in plantis, quia nimirum iis utimur ad ambulandum. Ceterum satis erit si ea pars ungatur pedum, quae commode potest; nec refert, si ambo ungi non possint causa morbi, vel difficultatis, vel quia unus est obtruncatus; nam haec unctio est tantum pars integrans. Et sane pedes cadunt sub sensu tactus. — 7.° Renum unctio licet omittatur, salva tamen remanet sacramenti essentia. Renes enim sub aliis omnibus quinque sensibus cadunt, qui ex S. Th. S. q. 32. a. 6. sunt uti principia agendi, ita principia peccandi. — 8.° Quaelibet pars bombacii vel rei similis praeparatae ad abstergendas partes inunctas inservit pro utroque membro inuncto. Sacerdos digitum pollicem quo unxit, medulla panis bene fricat, et aqua abluit in aliquo vase ad id parato, tum manutergio abstergit; ablutionem autem aquae cum micis et floccis bombacii ad abstergendum adhibitis refert in Sacrarium. Aliqui tamen solent haec omnia ad comburendum tradere in ipsa domo infirmi, et solum ad Sacrarium deferre bombacium aut stuppam perunctam. — Trid. S. 14. c. 3., L. 711. 730., E. M.

869. *An liceat aliquando extremam unctionem ministrare unica forma et unica unctione?* — *Si periculum adsit imminentis mortis,* licet unctiones omnes peragere sub unica formula: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid *deliquisti* per visum (dum inungit oculos), auditum (dum inungit aures) », etc., praemittendo verbum *deliquisti,* ne eo postposito, si interim infirmus moriatur, irritae prorsus fuerint peractae unctiones. Quin immo, mox imminente morte, satis erit unica unctio in fronte, vel pectore vel scapulis his verbis: *quidquid* PER SENSUS *deliquisti;* vel melius exprimendo sensus sic: *Per istam S. U.* etc., *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum.* Sed, cessante periculo, debent in hoc casu unctiones omnes de more sub conditione iterari. — L. 710.

870. *Quid de variis caeremoniis et precibus praescriptis?* — Grave est, sine urgente necessitate, omittere *orationes* a Rit. Rom. praescriptas; et si omissae fuerint ob periculum instantis mortis, postea, si tempus suppetat, dicendae erunt. *Orationes,* quae praecedunt unctiones; *Psalmi* et *Litaniae* non a ministro, sed *ab adstantibus* dicenda sunt. — Grave item est, citra necessitatem, sacramentum hoc sine superpelliceo et stola ministrare. — Leve vero est ipsum ministrare sine lumine, sine ministro, vel foemina ministrante. Iuxta plures tamen neque leve est ministrare sine lumine, vel nullum adhibere ministrum. — Si clericus aut laicus inveniri facile nequeat, sacerdos solus omnes peragat caeremonias, et orationibus ipsemet respondeat. — Rit. Rom. h. t., L. 724.-728., E. M.

871. *Quisnam sit subiectum extremae unctionis?* — Subiectum E. U. est homo baptizatus, qui ad usum pervenerit rationis, et *aegrotus* in *probabili* mortis periculo, ex morbo, partu difficili, vulnere accepto, veneno, senio, licet nondum communicaverit, licet sit mutus, surdus, caecus a na-

tivitate; licet sit amens, si habeat lucida intervalla, licet sit delirans, vel sensibus destitutus, si antea sacramentum petierit vel petiturus fuisset, si de hoc cogitasset, et omnis abest in sacramentum irreverentia. — Quare *invalide* datur sanis praelium inituris, capite damnatis; infantibus nondum rationis usum adeptis, vel quasi infantibus, nempe idiotis et amentibus a nativitate; aegrotis extra praedictum periculum. — Semel autem tantum danda est in eadem infirmitate et periculo; si infirmitas sit diuturna, et periculum saltem *probabiliter* evaserit, novo instante periculo, iterum dari potest; et debet, si *certum* sit novum periculum. — Trid. S. 14. Doctr. de Sacr. E. U. C. 3., Decr. pro Arm., Rit. Rom. *de Sacr. E. U.*, Bened. XIV. C. *Ex quo primum,* de Syn. l. 7 c. 20. 21. 23., l. 8. c. 5.-8., Suarez D. 4. S. 2., L. 713.-721. 732., S. Th. 4. D. 23. q. 2. a. 4. q. 2., S. q. 32., q. 33., Cat. Rom. n. 9. 11., E. M.

872. *An adsit gravis obligatio recipiendi extremam unctionem?* — Nullum adest de hac re praeceptum. Quare remoto contemptu, scandalo, periculo certaminis cum daemone, qui eam non recipit, graviter non peccat. L. 733., S. Th. 3. p. q. 65. a. 4. Verum parochus proprius tenetur nihilominus ex officio ministrare, et consequenter graviter peccat, nisi gravi aliqua causa excusetur, petentibus eam non conferens, vel differens usquedum infirmus, desperata valetudine, sensibus destituatur. Sic enim infirmus caret uberiori fructu, quem percepisset, privatur spiritualibus viribus ad resistendum daemoni, et ad perferenda morbi incommoda; si in mortali esset, attritionem concipiens gratiam assequutus esset; et si tempore congruo data fuisset, potuisset etiam consequi corporalem sanitatem. — Datur ex consuetudine post Viaticum, sed ante illud dare aut nullum peccatum est, aut vix leve est. — Rit. Rom. *de Sacr. E. U.*, Cat. Rom. 9., La-Croix 2120., L. 714.-716. 728. 729.

DE ORDINE

I. — DE NATURA MATERIA ET FORMA ORDINIS.

873. *Quid sit Ordo?* — Ordo dupliciter sumi potest, pro *ordinatione,* seu illa actione, per quam sacra potestas tribuitur, et pro ipso *ordine,* seu sacra potestate, ordinationis effectu. « Nomen ordinis, ait S. Th. S. q. 34. a. 2. ad 4., dupliciter accipitur. Quandoque enim significat ipsam relationem; et sic est tam in inferiori quam in superiori..., et sic non accipitur hic. Quandoque autem accipitur pro ipso gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit. Et quia ratio ordinis invenitur, ubi primo aliquid superius altero occurrit; ideo hic gradus eminens per potestatem spiritualem ordo nominatur ». — Ordo, sive *ordinatio,* est sacramentum N. L., quo traditur spiritualis potestas, in ordine ad eucharistiam, et confertur gratia ad munera ecclesiastica rite obeunda. Ordo vero, effectus sacramenti, est praedicta spiritualis potestas, quae tribuitur ordinato. Varii quidem sunt ordines, sed per omnes in sacerdotium, adeoque in altaris ministerium tenditur. Quare una est omnium potestas, cuius pars singulis

tribuitur, et unum inde ex omnibus habetur sacramentum. « Tota enim *plenitudo* sacramenti huius est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis... Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum ». S. Th. S. q. 37. a. 1. ad 2. — Trid. S. 23. C. 2. 3. c. 2. 3., L. 744. 745., S. Th. S. q. 34. a. 1.-3., q. 35. a. 2., q. 36. a. 3., q. 37. a. 1., E.M.

874. *Quinam sit huius sacramenti effectus? — Gratia sanctificans; gratia sacramentalis* ad ministerium rite obeundum; *impressio characteris.* Trid. S. 23. C. 3. 4. c. 4., S. Th. S. q. 35. a. 1. 2. — *Character* autem imprimitur non tantum in sacerdotio, S. Th. S. q. 37. a. 5., q. 38. a. 1. ad 1.; verum etiam in diaconatu, S. Th. ib. ad 5.; in subdiaconatu, S. Th. q. 38. a. 1. ad 2.; in acolytatu, S. Th. S. q. 37. a. 5. ad 5., q. 38. a. 1. ad 2.; aliisque minoribus ordinibus, minime vero in prima tonsura, S. Th. q. 40. a. 2. ad 2. Sed Cf. 880. Secundum autem S. D. S. q. 40. a. 5. ad 2. in episcopatu novus character non imprimitur; communius vero asseritur distinctum characterem in episcopatu etiam imprimi. Cf. 878. Pont. Rom. *de Ordin. confer.*, Cat. Rom. 34., L. 378.

875. *Quot sint ordines; quaenam eorum divisio; qualis institutio?— In Ecclesia Latina* sunt *septem*, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium, quod in Presbyteratum et Episcopatum distinguitur. « Ordinum multitudo, ait S. Th. S. q. 37. a. 1., inducta est in Ecclesia propter tria..., propter Dei sapientiam commendandam..., ad subveniendum humanae infirmitati..., ut via proficiendi hominibus amplior detur ». Ordinis autem sacramentum ad sacramentum eucharistiae ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum. « Et ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam ». S. Th. S. q. 37. a. 2. Unde convenienter non nisi septem ordines recensentur. Enimvero « potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc sacramentum eucharistiae. Si primo modo, sic est ordo sacerdotum... Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo sic est tripliciter, 1.° enim est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem..., et hoc pertinet ad diaconum...; 2.° est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti, et hoc pertinet ad subdiaconos...; 3.° est ministerium ordinatum ad praesentandam materiam sacramenti; et hoc competit acolytho... Ministerium ad praeparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos, quia qui mundi sunt, iam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum... Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes, et hi totaliter etiam a visione divinorum et coetu fidelium arcendi sunt: et hoc pertinet ad ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni; et ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum: et ideo prima rudimenta doctrinae fidei, scilicet Vetus Testamentum eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles instructi, sed impedimentum habentes ex daemonis potestate, scilicet energumeni; et ad hoc ministerium est ordo exorcistarum ». S. Th. l. c. — « In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus erant omnes praedictae potestates,

sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis ». S. Th. l. c. ad 2., Trid. S. 23. C. 2., ib. C. 17. de R.

In Ecclesia Graeca multis abhinc saeculis *quatuor* tantum sunt ordines, nempe Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Lectoratus. Munera ostiarii et acolythi partim lectori partim subdiacono tribuuntur. Quem vero graeci non habent verum ordinem est exorcistatus. Bened. XIV. C. *Etsi pastoralis* 26. Maii 1742. § 7. n. 7. Utrum vero plures olim habuerit, disputant eruditi. Cf. Theol. Wirceb. n. 54.

Septem ordines *sic dividuntur in Ecclesia Latina,* ut quatuor primi ordines *minores* et *non sacri,* tres posteriores *maiores* et *sacri* appellentur, quia remotius illi, propius isti accedunt ad eucharistiam finem omnium ordinum. Trid. S. 23. C. 2. c. 2. — Iam vero ordo denominari potest *sacer, communi* quadam ratione, et hoc modo omnes ordines sunt *sacri,* utpote non profanam seu saecularem, sed sacram seu ecclesiasticam dicunt potestatem. Denominari potest *sacer* etiam *proprie,* secundum quod significat specialem quamdam praerogativam, non omnibus ordinibus convenientem. — Si hoc modo ordo *sacer* sumatur, triplicem habet acceptionem. 1.° Ratione ipsius *potestatis* per ordinationem collatae, et sic dicitur *sacer ordo,* quatenus spiritualem tribuit potestatem in sacrificio altaris propius inserviendi. Hoc sensu sacerdotium, diaconatus, et subdiaconatus semper videntur fuisse *ordines sacri.* Trid. enim S. 23. C. 2. ait, *uniuscuiusque* septem ordinum, nomina et *propria ministeria ab ipso Ecclesiae initio in usu fuisse.* 2.° Ratione solemnis voti *castitatis* ordini annexi, et hoc sensu *subdiaconatus* non semper fuit ordo *sacer.* 3.° Ratione hierarchicae *praelationis* seu *principatus,* et hoc modo in ordine sacro collocantur a Patribus solummodo sacerdotes et diaconi, quippe ceterum ordinum clerici non praesunt plebi, sed solummodo sacerdotibus et diaconis ministrant. Trid. S. 23. C. 4. c. 6., S. Th. S. q. 37. a. 3.

Ut *subdiaconatus* non fuit semper habitus *ut ordo sacer,* ita etiam non semper habitus est *ut ordo maior,* speciali ratione, ut constat ex C. *A multis* 9. *de Aetat.* etc. *praeficiend.*, ubi Innocentius III. ex eo quod subdiaconatus inter *sacros* ordines iam computaretur, *ratione servandae castitatis,* statuit, « *ut subdiaconus in episcopum valeat libere eligi,* sicut diaconus vel sacerdos ». Hinc subdiaconatus, qui antea *minoribus* ordinibus accensebatur, inter *maiores* recenseri coepit. *Libere;* siquidem antea, nisi utilitatis causa, et tunc etiam nisi de permissione Metropolitani vel Romani Pontificis non poterat electio celebrari. Insuper et illud hic notandum est, quod, ut constat ex C. *Non oportet* 26. Dist. 23., C. *Nullus* 4. Dist. 60., neque licentiam subdiaconi antea habebant Sacrarium ingredi et contingere Vasa Dominica, quod deinceps ipsis concessum est.

Quod attinet *ad institutionem praedictorum ordinum* sacerdotio inferiorum, fide certum est: Institutionem *ministrorum ut sic,* quatenus hoc nomine veniunt illi qui *sacerdotio subserviunt,* abstrahendo a diversis gradibus, qui in ipsis inveniri queunt, esse iuris divini: hoc enim expresse definitum habetur in Trid. S. 23. C. 2. c. 6. Institutionem vero *singulorum* ordinum, quos enumeravimus, esse *disiunctive* vel iuris simpliciter seu *immediate* divini, vel saltem iuris *mediate* divini, videlicet ex potestate divinitus concessa Ecclesiae: hoc enim evidenter habetur ex c. 2. — Quod autem *singuli* immediate a Christo Domino fuerint instituti, non

convenit apud auctores quoad subdiaconatus et minores ordines. Sed responsio *affirmativa* magna cum probabilitate dari potest ex c. 6. Trid. collato cum c. 2., et De R. C. 17. — E. M.

876. *Quid singuli ordines; quaenam singulorum officia?* — *Ostiariatus* est ordo, quo confertur alicui specialis potestas aperiendi et claudendi ianuam ecclesiae, ac admittendi dignos excludendique indignos. « Et ideo dicendum quod suscipit potestatem, ut *ex officio* hoc agere possit; quamvis etiam ab aliis fieri possit, sed non ex officio. Et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possint per alios licite fieri, quamvis illi ad hoc non habeant aliquod officium, sicut etiam in domo non consecrata potest dici missa, quamvis consecratio ecclesiae ad hoc ordinatur, ut in ea missa dicatur ». S. Th. S. q. 37. a. 4. ad 9. Ostiarii praeterea est percutere cymbalum et campanam ad populum convocandum ad Ecclesiam; librum aperire ei qui praedicat; missae sacrificio assistere, curans ne quis propius, quam par sit, ad sacram aram accedat, et sacerdotem rem divinam facientem interpellet, Templi claves, ianuam et res quae intra Ecclesiam sunt custodire. Pont. Rom. *de Ordin. ostiar.*, Cat. Rom. 15.

Lectoratus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas legendi ex pulpito in ecclesia novi et veteris Testamenti libros, praesertim vero eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent. Eius quoque est prima christianae Religionis rudimenta fidelibus tradere, sed non praedicare. Insuper lectoris est benedicere panem et omnes fructus novos. Pontif. Rom. *de Ordin. lect.*, Cat. Rom. 16., S. Th. S. q. 36. a. 2. ad 3., q. 37. a. 4. ad 8.

Exorcistatus est ordo, quo alicui confertur specialis potestas eiiciendi daemonia ab energumenis, sive baptizatis, sive catechumenis. S. Th. S. q. 37. a. 4. ad 8. Attamen facultas exorcizandi solis reservatur presbyteris, qui ea tantum de licentia Ordinarii uti possunt. Exorcistae est etiam dicere populo, ut qui non communicat det locum, et aquam in ministerio fundere. Pont. Rom. *de Ordin. exorc.*, Cat. Rom. 17.

Acolytatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas accendendi luminaria Ecclesiae, praeparandi et porrigendi ad eucharistiam ampullas vini et aquae. S. Th. q. 37. a. 4. ad 6. ad 7. ad 8., a. 5. ad 6., q. 38. a. 1. ad 2. Eius munus ergo est ipsi sacerdoti ministrare in missa privata, et in missa solemni ministros maiores, subdiaconos et diaconos, in altaris ministerio assectari, eisque operam dare. Praeterea lumina defert et asservat, cum missae sacrificium celebratur, praecipue vero cum Evangelium legitur, ex quo Ceroferarius alio nomine vocatus est. Pont. Rom. *de Ordin. acol.*, Cat. Rom. 18.

Subdiaconatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni inserviendi diacono et solemniter canendi Epistolam. S. Th. S. q. 37. a. 4. ad 3. ad 4. ad 6., a. 5. ad 5., q. 38. a. 1. ad 2. Sacra enim lintea, vasa, panem et vinum ad sacrificii usum necessaria parare debet; calicem et patenam in usum sacrificii diacono offerre; episcopo et sacerdoti aquam praebere cum manus in missae sacrificio abluunt. Tanquam testis ad sacrum assistit; prohibetque, ne sacerdos sacra faciens a quopiam perturbari possit. Eius etiam est pallas, corporalia et purificatoria abluere. Pont. Rom. *de Ordin. subd.*, Cat. Rom. 19.

Diaconatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni immediate assistendi presbytero et solemniter canendi evangelium. S. Th. S. q. 37. a. 4. ad 3. ad 4. ad 6., a. 5., ad 5. q. 38. a. 1. ad 2. Diaconi est etiam ex commissione praedicare, baptizare, communionem distribuere. Utrum vero diaconus, ut aliquando praedicet speciali licentia episcopi indigeat, vel licentia parochi, vel rectoris ecclesiae sufficiat, ex statutis particularibus vel consuetudine definiendum videtur. — « Ad eum pertinet episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique et sacerdoti sacra facienti, vel alia sacramenta administranti praesto esse, et in missae sacrificio Evangelium legere. Olim vero fidelium animos saepius excitabat, ut sacra attenderent; sanguinem etiam Domini ministrabat, in quibus Ecclesiis ea consuetudo erat, ut fideles eucharistiam sub utraque specie sumerent. Diacono praeterea ecclesiasticorum bonorum dispensatio commissa erat, ut unicuique ad victum necessaria subministraret. — Ad diaconum etiam pertinet, tanquam episcopi oculum pervestigare, quinam in urbe pie et religiose, quive secus vitam traducant; qui ad sacrificium et concionem statis temporibus conveniant, qui rursus non conveniant... Cathecumenorum etiam nomina recitare debet, et eos, qui ordinis sacramento initiandi sunt, ante episcopum statuere. — Licet ei praeterea, si absit episcopus et sacerdos, Evangelium explanare, non tamen e superiori loco, ut intelligatur hoc eius proprium munus non esse ». Cat. Rom. 20., Pont. Rom. *de Ordin. diac.*

Presbyteratus sive sacerdotium est ordo, quo confertur alicui specialis potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, nec non peccata dimittendi et retinendi. — « Et quia in proxima dispositione ad eucharistiam fit aliquis per hoc quod a peccatis purgatur; ideo omnium sacramentorum, quae sunt instituta principaliter ad purgationem peccatorum est minister proprius sacerdos, scilicet baptismi, poenitentiae et extremae unctionis ». S. Th. S. q. 37. a. 4. ad 1. — Sacerdotis est etiam varias benedictiones efficere, verbo et exemplo Christifidelium plebem pascere. Trid. S. 23. C. 1. c. 1., Pont. Rom. *de Ordin. presb.*, Cat. Rom. 25.

Episcopatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas confirmandi fideles et ordinandi ministros sacramentorum, nec non consecrandi res ad divinum cultum pertinentes. *Ministros sacramentorum*, latiori sensu, nempe non solum eos qui sacramenta conficiunt, sed etiam eos, qui conficientibus ex officio ministrant. Ad Episcopos etiam spectat Ecclesiam Dei regere. Trid. S. 23. C. 4. c. 6. 7., Pont. Rom. *de Consecr. episc.* — L. 736. 747. 805., S. Th. S. q. 37. a. 2.

877. *Nota:* « Cum consecratio, quae fit in ordinis sacramento ordinetur ad sacramentum eucharistiae, ille est principalis actus uniuscuiusque ordinis, secundum quem magis proxime ordinatur ad eucharistiae sacramentum. Et secundum hoc etiam unus ordo est alio eminentior, secundum quod unus actus magis de proximo ad praedictum sacramentum ordinatur. Sed quia ad eucharistiae sacramentum quasi dignissimum multa ordinantur, ideo non est inconveniens, ut praeter principalem actum, etiam multos actus unus ordo habeat, et tanto plures, quanto est eminentior, quia virtus, quanto est superior, tanto ad plura se extendit ». S. Th. S. q. 37. a. 4.

878. *An episcopatus sit ordo distinctus a presbyteratu?* — « Negant S. Th., S. Bonav. et alii, qui dicunt esse extensionem ordinis presbyteratus. Sed communius affirmant Bellarm., Tourn., etc., tum quia in ipso traditur distinctus character, et specialis potestas ad eucharistiam, nempe constituendi huius sacramenti ministros; tum quia ordo episcopatus confertur per manuum impositionem, et per formam, *Accipe Spiritum Sanctum,* etc. Nec valet dicere, quod si episcopatus esset distinctus ordo, posset episcopus valide saltem ordinari, licet non esset sacerdos; nam respondetur, quod hoc ordinatione divina requiritur, sicut requiritur, ut sit baptizatus, qui vult confirmari, aut ordinari ». L. 378. — Secundum primam opinionem S. Th., quemadmodum in ordinatione sacerdotis, in ultima manus impositione et per verba, *Accipe Spiritum Sanctum* etc., non haberetur novus distinctus ordo, novum distinctum sacramentum, novus distinctus character; ita episcopatus et sacerdotium non sunt duo numero ordines, sed unus numero ordo, nec duo numero sacramenta, sed unum numero sacramentum. Unde per ordinationem episcopi extenditur potestas sacerdotalis, quae est principalis, et sic etiam extenditur character sacerdotalis, qui est principalis; adeoque non tam confertur novus character, quam quaedam perfectio et extensio characteris sacerdotalis; siquidem altera potestas alterius completiva et perfectiva est. — Bened. XIV. C. *In postremo* § 10. 17., S. Th. S. q. 40. a. 5., q. 35. a. 1. coll. q. 38. a. 1. et Lect. 3. ep. 2. ad Tim., Sylvester Maurus Opus Theol. T. 3. q. 265. n. 29.

879. *Quid prima tonsura et quomodo confertur?* — Prima tonsura non est ordo, nisi late, sed tantum dispositio ad ordines, per quam quis fit *clericus,* a statu nempe laicali in sortem Domini transfertur, ac ad divinum cultum deputatur; et capax fit beneficii ecclesiastici ac clericalium privilegiorum. Trid. S. 23. C. 2. — Confertur autem tonsione capillorum vel comae adscititiae, S. R. C. 25. Sept. 1846., et verbis, *Dominus pars,* etc., per idoneum ministrum, ex institutione Ecclesiae. L. 734. 735., S. Th. S. q. 40. a. 2., Pont. Rom. *de Cler. fac.,* Cat. Rom. n. 13. 14.

880. *An singuli ordines sint sacramenta?* — Quod *presbyteratus* sit sacramentum aperte constat ex Trid. can. 1. 2. 3. 6. simul coll. — Quoad *diaconatum* et *episcopatum* id eruitur ex eodem Trid.; siquidem ex c. 6. habetur divina institutio *episcoporum* et *ministrorum,* adeoque saltem diaconorum; ex c. 4. vero habetur episcopatus et diaconatus collationi annexam esse gratiam. Illa enim verba, *Accipe Spiritum Sanctum,* quae ex Trid. sunt veraciter significativa et collativa gratiae, pronuntiat episcopus non solum in ordinatione presbyteri, sed etiam in ordinatione diaconi et in consecratione episcopi. — Tandem quod *subdiaconatus* valde probabiliter, et *minores ordines* etiam sint singuli probabilius sacramenta deducitur ex Flor. Decr. pro Arm., ubi aeque sub *Sacramento ordinis* omnes ordines recensentur; materia et forma *sacramenti* pro omnibus assignatur, et minister indicatur eiusdem *sacramenti* ordinis, *ordinarius* et *extraordinarius,* qui minister extraordinarius de solis ordinibus minoribus et subdiaconatu affirmari potest. Simile argumentum confici potest ex Trid.; nam C. 3. et c. 3. indefinite ait, ordinem sive sacram ordinationem esse sacramentum. Praeterea in sensu obvio et naturali praedicto C. 3. et c. 3. agitur de ordine seu sacra ordinatione, de qua sermo fuit C. 1. et 2., c. 1. et 2. Atqui ibi agitur de ordine prout complectitur non

tantum presbyteratum, sed etiam alios ordines. Cf. etiam can. 6. et cap. 2. ac 4. simul. Confirmatur autem ex charactere, qui tum in subdiaconatu tum in minoribus ordinibus imprimitur secundum quod deducitur ex Pont. Rom. *de Ordin. confer.*, et Cat. Rom. n. 34. — Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 9.

S. Alph. 736. 737. 755. tenet *probabile* esse omnes ordines esse sacramenta, *probabilius* vero presbyteratum tantum et diaconatum esse sacramenta, et *valde probabiliter* episcopatum etiam esse verum sacramentum distinctum a presbyteratu. S. Thomas vero clare docet S. q. 37. a. 2. ad 1. et a. 3. esse sacramenta. « Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet, quod in omnibus (ordinibus) character imprimatur; cuius etiam signum est, quod perpetuo manent, et nunquam iterantur. Et haec est tertia opinio, quae communior est »; S. q. 35. a. 2.

881. *Quaenam sit ordinationis materia?* — Varia est pro variis ordinibus. — *In ordinibus minoribus* materia est sola instrumentorum traditio; instrumenta nempe materia remota, eorumdem traditio materia proxima. Quare necesse est, quod ea ordinans praebeat ordinando, eaque ordinandus accipiat aut manu tangat; prout suadent Ecclesiae praxis, et verba formae. S. Th. 3. p. q. 34. a. 5. ad 3. Porro ostiariatus instrumenta *Ecclesiae clavibus* consistunt, sufficit tamen qualemcumque clavem adhibere; Lectoratus *codice* Sacrarum Lectionum, h. e. Missali, Breviario, vel Volumine Sacrae Scripturae, vel Scripturarum libro; Exorcistatus *Exorcismorum libro*, cuius loco tradi potest Pontificale vel Missale; Acolytatus *urceolis vacuis*, vel saltem *uno urceolo vacuo*, et, probabilius, *candelabro cum cereo extincto*.

Ordinum maiorum materia est in subdiaconatu *sola* instrumentorum traditio, nempe *calicis vacui cum patena vacua, superposita*, tum ex praecepto tum, probabiliter, ex necessitate sacramenti, *consecratis*, et, probabilius, *libri epistolarum;* in diaconatu *dexterae manus impositio*, et, probabilius, *liber* etiam *evangeliorum;* in presbyteratu *manuum impositio* et *calix cum vino, et patena superposita cum hostia*, adeoque simul tradenda propter unitatem sacrificii. Sed utra sit essentialis, an sola traditio instrumentorum, ex Flor. Decr. pro Arm., an sola manuum impositio, qua sola utitur Ecclesia Graeca, an utraque, qua utitur Ecclesia Latina, disputatur. Hinc S. Alph. 741. probabilius ait Latinum valide ordinari per materiam Graecis assignatam, nempe per solam manuum impositionem, et e converso; probabiliter vero invalide. Quare in praxi tutior omnino sententia est eligenda. Episcopatus tandem materia est *impositio manuum*, et, probabiliter, impositio *libri evangeliorum*. 1. Tim. 4., 14.; 2. Tim. 1., 6.; Conc. Carth. can. 2., Pont. Rom. *de Consecr. episc.* Traditio vero libri evangeliorum essentialis non videtur; nam cum electo traditur liber, is iam in Pontif. *consecratus* vocatur. — Trid. S. 23. C. 3. c. 4., Flor. Decr. pro Arm., Pont. Rom., L. 739. 745.-749., S. Th. S. q. 34. a. 5., q. 37. a. 2. 4. 5., q. 38. a. 1. ad 1. ad 2., Theol. Wirceb. 108., Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 10., E. M.

882. *Quaenam sit ordinis forma?* — Ut de materia ita de forma sacramenti dd. inter se non consentiunt. Pro varia materia, quae assignatur, alii consequenter volunt formam consistere in verbis, quae ab episcopo in impositione manuum recitantur, alii in verbis, quae episcopus profert in traditione instrumentorum, alii in utrisque verbis. — Verba

autem illa sunt, quae instrumentorum traditionem et manuum impositionem comitantur ex Pontif. Rom. — S. Th. S. q. 34. a. 4., E. M.

883. *Nota:* « 1.° In Ordinibus sacris conferendis requiritur, ut ab eodem episcopo, qui formam profert, materia tradatur, quia cum talis sit usus Ecclesiae sic censetur Christus instituisse: ita D. Th. S. q. 38. a. 1. ad 2..... Secus vero esse docet in collatione ordinum minorum. — Si conferantur ordines ab episcopo, alio tamen celebrante missam pro ipso, valida erit ordinatio, sed illicita, prout declaravit S. Congr. a. 1715. coram Clemente XI. et confirmavit Innocentius XIII. in Congr. habita 5. Febr. 1722. ». L. 744., Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 12. n. 7.

2.° In ordinatione subdiaconorum, super duos aut tres, manu dextera tangentes calicem cum patena, potest ab episcopo proferri forma: *Videte,* etc. In ordinatione vero presbyterorum cuilibet tradendus est calix cum vino et aqua et patena cum hostia, et cuilibet forma repetenda in singulari. S. R. C. 12. Nov. 1831.

3.° In ordinatione presbyteratus episcopus ter manus imponit: 1.° quando manus imponit nihil dicens; 2.° quando una cum presbyteris extendit manum super initiandos et fundit preces; 3.° quando post communionem dicit: *Accipe Spiritum Sanctum,* etc. Porro manus impositio necessaria non est prima, ut certum est apud omnes, ait S. Lig. 748., sed vel secunda, quando episcopus extendit manus cum presbyteris, vel tertia, vel utraque.

Illi, qui contendunt solam manuum impositionem esse presbyteratus materiam, argumentum desumunt ex Graecis, qui sola manuum impositione ordinantur: et stant pro secunda manuum impositione, nam post eam et ante tertiam manuum impositionem, ordinati iam consecrant eucharistiam simul cum episcopo: eaque vero aiunt simul traditur potestas in Corpus Christi reale et mysticum, in eucharistiam nempe conficiendam et in peccata absolvenda. Illi qui stant pro traditione instrumentorum et manuum impositione, arguunt ex Flor. Decr. pro Arm. et ex Trid. S. 23. c. 4. et antiqua ac constanti Ecclesiae praxi quoad manuum impositionem. Iuxta hanc opinionem traditione instrumentorum traditur potestas in Corpus Christi reale, et tertia manuum impositione traditur potestas in Corpus Christi mysticum.

Hinc alia est opinio, eaque practice saltem consequenter tenenda, utramque manuum impositionem secundam et tertiam simul cum instrumentorum traditione esse materiam necessariam huius sacramenti. Varietas vero Ecclesiae Latinae et Grecae explicatur ex eo quod Christus instituerit materiam et formam huius sacramenti in genere, et reliquerit Ecclesiae potestatem eam determinandi in specie, ac iustis de causis immutandi, modo adhibeat res et verba exprimentia illam potestatis traditionem, huius sacramenti effectum. Secunda manuum impositione simul cum instrumentorum traditione traditur potestas in Corpus Christi reale; tertia vero traditur potestas in Corpus Christi mysticum, et utraque considerari potest per modum *unius moralis,* tanquam una nempe moraliter loquendo, manuum impositio in duas partes distributa.

Quin immo prima etiam manuum impositio necessaria videtur, et unam adhuc manuum impositionem simul cum secunda constituere. Ratio est, quia si in prima manuum impositione desideratur *forma,* in secunda manuum impositione *corporalis tactus* desideratur. Verum, si dicatur primam

manuum impositionem constituere simul cum secunda manuum impositione, quae prioris continuatio est, unam manuum impositionem, iam omnis evanescit difficultas, et utrumque habetur, corporalis tactus, et forma.

Utrum vero «in ordinatione presbyteri extensio manus tam episcopi quam sacerdotum praescripta a Pontif. fieri debeat non tantum intra haec verba: *Oremus, fratres dilectissimi,* usque ad *Flectamus genua:* sed etiam post genuflexionem intra Orationem, quae incipit: *Exaudi nos* usque ad Praefationem, ita ut genuflexio interrumpat tantummodo, non autem cessare faciat illam? R. In ordinatione presbyterorum praxim servandam esse Ecclesiae Romanae, quae *manus ordinandis imponit in prima tantum oratione:* OREMUS, FRATRES CARISSIMI». S. R. C. 18. Febr. 1843.

4.° Episcopus non potest valide ordinari, nisi ab alio episcopo. Ad talem autem ordinationem plura hoc ordine concurrunt: nempe impositio libri Evangeliorum super cervicem et scapulas ordinati, impositio manuum trium episcoporum cum forma, quae ex Wirceb. 108. utrique respondet: *Accipe Spiritum Sanctum.* Sequitur unctio capitis seu coronae ordinati, unctio manuum ordinati, post quam *electus* in Pontif. *consecratus* vocatur. Deinde vero habetur traditio baculi, annuli et libri Evangeliorum. — «Utrum vero ad valorem exigatur trium episcoporum assistentia, extra casum necessitatis? Certum est 1.° quod haec requiritur ex necessitate praecepti ex Nicaen. 1. c. 4. et ex Carthag. 2. c. 7. Certum 2.° videtur, ex commissione Pontificis in casu necessitatis valide fieri ordinationem ab uno episcopo... Ad quaesitum autem alii dicunt tres omnino requiri..., sic enim scripsit Damasus Papa in Epist. 4. contra Chorep. *Quod enim episcopi non sint, qui minus quam a tribus sint ordinati episcopis, omnibus patet.* Alii tamen negant... Ratio, quia in Pontificali Rom. unus tantum episcoporum dicitur consecrator, alii vero assistentes; in aliis enim sacramentis unus tantum minister requiritur... Utraque sententia est probabilis, unde in praxi omnino prima sequenda est». L. 755., Br. Pii IV. 11. Aug. 1562., Br. Leon. XIII. *Trans oceanum* 18. Apr. 1897., S. O. 13. Mart. 1669., A. S. S. V. 25. p. 580., V. 29. p. 661., Collectan. S. C. de P. F. n. 1207. 1208., Decr. Auth. S. R. C. n. 186., Bened. XIV. C. *Qua sollicitudine* 21 Febr. 1725., de Syn. l. 13. c. 13. — E. M.

884. *An ad valorem ordinationis requiratur contactus physicus instrumentorum?* — R. Affirmative secundum communiorem et probabiliorem sententiam, omnino in praxi tenendam. «Merito autem dicit Escob. n. 184. sufficere quoad valorem, quod materia *una manu* tangatur. Et pariter merito cum communi censent idem Escob. l. c. ac Pal. P. 4. n. 20., etc. sufficere tactum *mediatum* nempe si contingatur calix, patena, aut liber medio aliquo velo, vel chirotheca; qui enim sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur». L. 743., La-Croix 2155. «Ipsa verba formae, ait S. Th. S. q. 34. a. 5. ad 3., videntur ostendere, quod tactus materiae sit de essentia sacramenti, quia dicitur: *Accipe* hoc vel illud». Pro contactu morali Responsum affertur S. R. C. 3. Dec. 1661. «*ad scrupulum* Fratris Ephrem Chasteau..., nempe se non tetigisse *tactu physico calicem* in sua ordinatione ad presbyteratum». Etenim S. C. respondit: «posse continuare celebrationem SS. Sacrificii *absque ullo scrupulo,* ac tuta prorsus conscientia». Verum in hac Decisione nulla fit *patenae* mentio, et praeterea agitur de *scrupulo.* — E. M.

885. *An sit valida ordinatio presbyteri, qui acceperit patenam cum hostia, sed calicem sine vino et aqua?* — Non desunt theologi, qui saltem speculative probabilem esse existimant valorem talis ordinationis. Verum probabilius videtur oppositum; nam potestas ad sacrificium offerendum, quod utriusque speciei oblationem includit, una et indivisibilis est. Nequit ergo tradi potestas ad consecrandam unam speciem sine potestate ad consecrandam aliam. Atqui nequit in casu tradi potestas ad consecrandam speciem vini, cum haec desit. Ergo. Hinc talis ordinatio omnino est repetenda sub conditione, prout de facto repetitam esse affirmat, huiusmodi casu occurrente, C. De Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 30. — L. 750.

886. *An valide ordinetur, qui solum calicem immediate tangit, sed non patenam?* — Prima sententia affirmat, quia calix et patena tunc moraliter faciunt unum. Secunda sententia negat, quia in Pont. Rom. praescribitur tactus tam calicis quam patenae; itemque quia tunc tactus patenae potius esset moralis quam physicus. S. Alph. 753. primam sententiam dicit *probabiliorem,* secundam sententiam vero non improbabilem, « et ideo in praxi tenendam: quapropter sub conditione talem clericum esse reordinandum ». Attamen S. O. 17. Mart. 1897. declaravit valere ordinationem presbyteri, qui tetigit patenam cum hostia, sed non tetigit calicem, quamvis illum tangere digito conaretur, et 8. Mart. 1895. presbyteri, qui dubitabat an calicem tetigerit. — E. M.

887. *An valide ordinetur, qui tangit hostiam, non autem patenam; et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam?* — R. Ad 1.um Affirmative cum sententia communi, quae *probabilissima videtur* ex S. Alph. 751. Ratio est, quia hostia et vinum sunt materia substantialis ordinis, quibus principaliter significatur potestas in Corpus Christi, et propter solam decentiam ex praecepto Ecclesiae usurpatur calix et patena. Praeterea tangendo hostiam iam saltem mediate tangit patenam, et tactus physicus mediatus *certo* sufficit. Quare practice bene potest quis *acquiescere,* S. O. 2. Jul. 1892. — Ad 2.um etiam Affirmative cum sententia communi et veriori. Ratio est, 1.° quia tunc tangitur hostia mediante patena; non autem praescribitur ab Ecclesia tactus immediatus hostiae, sed tantum patenae, ut patet ex Pontificali; 2.° quia vinum in calice nunquam tangitur immediate: ergo nec requiritur, ut hostia immediate tangatur. Haec sententia ex eodem S. D. 752. *bene dici potest moraliter certa.* — La-Croix 2152. 2153. Collectan. S. C. de P. F. n. 2178.

888. *An valida sit ordinatio sacerdotis, qui non tetigit calicem et patenam dum forma proferebatur, sed immediate post.* — R. Affirmative, ratio est quia licet non habeatur unio physica habetur tamen unio moralis; stante autem morali unione, tota ratio signi sacramentalis subsistit. Confirmatur ex thth. communi auctoritate; etenim quamvis opposita sententia habeat pro se nonnullos auctores; est tamen iam adeo communiter derelicta, ut videatur omni probabilitate carere. Cf. 322., S. O. 17. Mart. 1897. D'Annib. Ed. 3.a P. 3.a n. 253., Busemb. 757., De Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 33.

889. *An sit valide ordinatus, cui in subdiaconatu non datus fuit calix vacuus, sed plenus vino et aqua?* — Illa ordinatio est probabiliter valida. Nam licet calix fuerit plenus vino et aqua, ex intentione tamen episcopi ordinantis ipsum in subdiaconum sufficienter limitabatur, ut solum da-

retur calix secundum se, ut contradistinctus a quolibet contento. Calix ergo licet plenus, ut substans illi intentioni, et ita traditus significabat adhuc diminutionem potestatis, quam subdiaconus accipit in sua ordinatione, quam calix vacuus melius significat. Ex defectu ergo vacuitatis non potest certo argui defectus ordinationis validae, sed tantum illicitae, si defectus ille culpabiliter contigerit. — Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 30. n. 5., E. M.

890. *An et quomodo supplendi sint defectus commissi in ordinatione?* — Si defectus est *circa accidentalia*, e. g., si defuerit unctio manuum presbyteri initiandi, tunc quam primum suppleri debet ab eodem episcopo, si fieri potest, secus ab alio, et occulte supplendus, si fuerit occultus, ad vitandum scandalum et turbationem aliorum. Si ita ordinatus non curaret huiusmodi defectum suppleri, vel ante suppletionem in ordine suscepto ministraret, peccaret, graviter vel leviter, prout gravis vel levis est defectus.

Si defectus est *circa essentialia*, nempe circa materiam et formam, sub gravi omnino defectus supplendus est. Si sacramentum constet duplici materia et forma, ut in ordinatione sacerdotii, iuxta probabilem saltem plurium sententiam, tunc si defectus est in parte antecedenti nimirum in traditione calicis et patenae, vel in secunda manuum impositione, utique totum sacramentum est iterandum, quia potestas supra Corpus Christi mysticum fundatur in potestate supra Corpus Christi reale; secus vero si defectus est in parte posteriori, nimirum in ultima manuum impositione, quia potestas ad Corpus Christi verum iam tradita est independenter a parte subsequenti. Et sic etiam in ordinatione diaconi, si omissa fuerit porrectio libri Evangeliorum, supplenda ea est.

Dicunt autem Salm. C. 2. n. 32. hoc quidem tenendum in ordinatione presbyteratus et episcopatus, non autem aliorum ordinum; quia in eis si adest probabilitas pro valore ordinis suscepti, non requiritur supplere defectum, cum in sacerdotio postea suscipiendo omnis illorum potestas recipiatur. Sed hoc non admittendum saltem pro ordine diaconatus; nam C. *Presbyter de Sacram. non iterand.* loquens Pontifex de ordinatione diaconorum dicit, quod si impositio manuum est omissa omnino est repetenda; etsi probabile sit solam traditionem libri esse de essentia.

Haec S. Th. S. q. 35. a. 5.: « Dicendum, quod non est de necessitate superiorum ordinum, quod aliquis minores ordines prius habeat, quia potestates sunt distinctae, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subiecto. Et ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant; et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est, quod ad maiores ordines se non ingerat, qui prius minoribus officiis se non humiliavit. Et inde est, quod qui ordinantur per saltum secundum canones (cap. *Tuae litterae de Cler. per salt. promoto*) non reordinantur, sed id, quod omissum fuerat de praecedentibus ordinibus, eis confertur ».

Ex praedicto C. *Tuae litterae* in diaconum praecipitur ordinari presbyter, qui per saltum ex subdiacono presbyter factus est. Ac, stante

dubio ordinationis cuiusdam sacerdotis in diaconum, *sub conditione* ea ordinatio iteranda definivit in eo sacerdote S. O. 28. Jan. 1875., 26. Jan. 1898. Itemque, stante dubio ordinationis subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus, eas omnes *sub conditione* reiterandas decrevit idem S. O. 1. Aug. 1697.

Defectus *circa valorem sacramenti* supplendus est tempore ab Ecclesia statuto ex cit. C. *Presbyter.* Secus vero dicendum, si esset defectus accidentalis. Probabiliter vero dicunt Tamb. l. 7. c. 5. § 2. n. 13., La-Croix 2200., aliique, quod si ob solum dubium iteretur ordo sub conditione, vel caeremonia aliqua, poterit iterari quovis die et a quovis episcopo. Ac, huiusmodi dubiis occurrentibus, solet reapse concedi, ut a quocumque catholico episcopo, secreto, quocumque anni tempore, et in sacello privato ordinationis iteratio sub conditione fieri possit. — L. 757.-759., La-Croix 2220. seqq., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 30. n. 2., E. M.

891. *An carens ordine licite et valide exerceat actus ordinis?* — « Carens ordine sacerdotii, vel episcopatus invalide exerceret eorum munera. Carentes autem aliis ordinibus, licite eos exercent, si ordines sint minores: illicite si maiores. Hinc graviter peccat clericus, qui sine ordine officium diaconi, vel subdiaconi solemniter exercet, et incurrit ipso facto irregularitatem, et excommunicationem, sed hanc ferendae sententiae ex C. 1. et 2. *de Cleric. non ordin. min.* ». L. 754. — E. M.

II. — DE MINISTRO ET SUBIECTO ORDINIS

892. *Quisnam sit ordinis minister?* — Trid. S. 23. c. 7. definitum est solos episcopos esse *ordinarios* sacramenti ordinis ministros. Episcopus tantum electus et confirmatus, licet possit praebere licentiam subditis, ut ab alio episcopo ordinentur, nequit tamen ordinare, nisi sit etiam consecratus. Episcopus autem consecratus, etiamsi sit degradatus et episcopatum renunciaverit, valide ordinare potest. L. 761., S. Th. S. q. 38. a. 1.

Potest S. Pontifex praebere simplici sacerdoti facultatem tonsuram et ordines minores conferendi. Et haec facultas reapse concessa est Cardinalibus presbyteris erga clericos sui tituli, et Abbatibus, qui tamen ea licite uti non possunt, nisi cum regularibus sibi subditis, et probabilius etiam novitiis. Trid. S. 23. C. 10. de R., S. C. C. 26. Jun. 1655., Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 11., Suarez de Rel. T. 4. l. 2. c. 29., Bizzarri Collect. Ed. 1885. p. 128.

Negant tamen hoc communiter de presbyteratu, tanquam de ministerio excellentissimo, quod a solo Principe Ecclesiae, supremam facultatem habente, prout est episcopus, debet impertiri. S. Th. S. q. 38. a. 1.

Quaestio igitur est de diaconatu et subdiaconatu; alii affirmant, alii negant, alii vero probabiliter negant de diaconatu, cuius ministerium est immediate ad Corpus Christi tangendum, illud fidelibus distribuendo, affirmant autem de subdiaconatu, quia eius munus non habet relationem tam immediatam ad Christi Corpus. Neque huic doctrinae obstare videtur S. Th. S. q. 38. a. 1. ad 3. S. D. ibi excludit ordines maiores, qui semper in Ecclesia pro sacris habiti sunt, ut infertur ex ipsius verbis; siquidem loquitur de ordinibus, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi. Sed notum est, quod ordo subdiaconatus non fuit computatus

inter sacros, nisi saeculo XI. ab Urbano II., ut habetur C. *A multis de aetate et qualitate praefic.*, neque vero subdiaconatus immediatam habet relationem ad Corpus Christi, ut loquitur S. Th.; soli enim sacerdotes possunt eucharistiam conficere et soli diaconi eam deferre aut ministrare. — L. 760.-766., Giraldi P. 1. S. 105., E. M.

893. *An quilibet episcopus licite ordines conferre possit?* — Ad licite ordines *conferendos* et *suscipiendos* requiritur, ut initiandus, etiam prima tonsura, ordinetur a proprio episcopo, vel ab alieno, sed de eius licentia. Quare episcopus non potest licite ordinare nisi subditos, vel ratione *originis*, vel ratione *domicilii*, vel ratione *beneficii*, vel ratione *familiaritatis*. C. *Cum nullus* 3. *de Temporum ordin.* in 6.°, C. *Eos qui* 2. e. t., Trid. S. 23. C. 3. 8. 9. de R., L. 760. 769. 771.

Ratione originis, si scilicet in eius dioecesi sint nati. Qui vero fortuito nascitur alicubi debet ordinari ab episcopo domicilii patris, nisi pater postea ibidem, ubi natus est initiandus, contraxerit domicilium; vel ab episcopo loci, ubi pater natus est, si pater tempore nativitatis filii nullibi habebat domicilium. Si vero filius sit illegitimus, neque legitimatus, domicilium attenditur matris. — Honorante Praxis Secr. Urb. Vic. C. 1. not. 9., Schmalz. l. 1. p. 3. tit. 11. n. 37. 38., Giraldi P. 2. S. 96., L. 760. 770. 772. 773.

Ratione domicilii ille tantum *quoad ordines* censendus est subditus, qui aliquo venit animo perpetuo ibi manendi, et hunc animum probet vel per habitationem decennii, vel per aedificationem domus cum asportatione maioris partis bonorum, manendo simul ibi per aliquod notabile tempus, debetque iurare hunc animum tunc habere. Innoc. XII. C. *Speculatores* 4. Nov. 1694., L. 760. 770. 773. 778., Lucidi Visit. sacr. lim. C. 2. n. 88. 91.

Ratione beneficii non sufficit, quod quis statim ab aliquo episcopo beneficium sit accepturus, ut ab eo ordinari possit, vel primam tonsuram accipere; sed requiritur ut beneficium actu possideatur, et de se sufficiat ad congruam sustentationem sine supplemento patrimonii. Qui in duabus dioecesibus beneficium habet, in utraque ordinari potest. C. *Cum nullus de Temp. ord.* in 6.°, L. 760. 770. 774. 776. 777.

Ratione familiaritatis, ut possit episcopus, at non *titularis* tantum, aliquem ordinare, requiritur, ut per triennium eum aluerit secum in suo actuali servitio, eidemque infra mensem conferat beneficium, sufficiens ad congruam sustentationem, ut nempe ordinandus, cessante familiaritate, habeat unde vivere possit. Quare parum refert in quanam dioecesi beneficium positum sit; et, si ordinandus beneficium aut patrimonium habeat, haec obligatio conferendi ei beneficium cessat; etsi in aedibus episcopi non habitet, modo degat in loco, ubi est episcopus vel prope. — Trid. S. 14. C. 2. de R., S. 23. C. 9. de R., Innoc. XII. C. *Speculatores*, L. 760. 770. 778. 780., Giraldi P. 1. S. 97.

Potest ordinandus inter varios hos episcopos eligere quem velit, et in unoquoque ordine deinde variare. Verum is qui eligitur ordinare eum non potest sine *litteris testimonialibus* episcopi originis, domicilii et eius loci, in quo forte quis ea aetate, et tanto tempore moratus sit, nempe sex circiter mensibus, ut canonicum impedimentum contrahere potuerit. L. 789. Verum, si agatur de promovendis, militari servitio antea addictis, litterae

testimoniales sunt necessariae, quoties in aliqua dioecesi *saltem per trimestre* immorati sint. S. C. C. 9. Sept. 1893., 26 Jan. 1895., S. C. Disc. Reg. 27. Nov. 1892. *Testimonialibus* nempe non generatim, sed ad ordines suscipiendos datis; adeoque testimonium perhibere debent de requisitis ad ordines suscipiendos, de natalibus, de aetate, de moribus, de absentia cuiusvis canonici impedimenti. Ordinandi ab episcopo beneficii, si in suam dioecesim reversuri sunt, ab episcopo domicilii debent examinari ante concessionem litterarum testimonialium. Trid. S. 23. C. 8. de R., Innoc. XIII. C. *Apostolici ministerii* § 5., Bened. XIII. C. *In supremo*, S. C. C. 8. Aug. 1733.

Grave est conferre ordines vel tonsuram alieno subdito, sine *expresso consensu*, vel sine *litteris dimissoriis* sui episcopi, Trid. S. 7. C. 10. 11. de R., S. 14. C. 2. de R., S. 23. C. 10. de R., vel eius vicarii generalis, episcopo diu in remotis agente, C. 3. *de Temp. ordin.* in 6.°, vel vicarii capitularis post annum vacationis, vel infra annum, sed non nisi arctatis. Cf. Trid. S. 21. C. 2. de R., Lucidi C. 2. n. 72. Episcopus tenetur *per seipsum* subditis suis ordines conferre, iusta tamen intercedente causa, aegritudinis, aliaque simili, e. g. absentiae, licet ei ipsos ad alium dimittere episcopum. Exprimenda autem est *in dimissoriis litteris* causa, cur episcopus proprius non ordinet. Trid. S. 7. C. 11. de R., S. 23. C. 3. Dari autem possunt cuivis catholico episcopo, S. C. C. 16. Mart. 1624., praeterquam ei qui episcopatui renuntiavit, si et loco et dignitati cessit, C. 1. *de Ordin. ab episcopo, qui renunt.* Et si uni nominatim datae fuerint in gratiam ordinandi, huic integrum est, eo praetermisso alium adire. L. 788. Habentur autem instar *gratiae factae*, ideo non expirant, resoluto iure dantis, L. 787., neque suspenduntur, eo suspenso, nisi in tempus definitum datae, vel revocatae fuerint. — E. M.

894. *Quid de regularibus?* — Ea quae praecedunt locum habent etiam in piis Congregationibus, in quibus vota simplicia dumtaxat nuncupantur. S. C. EE. et RR. 6. Maii 1864. A. S. S. V. 1. p. 366. — Regulares solemnium votorum ex C. *Cum nullus* 3. § fin. *de Temp. ord.* in 6.° debent suscipere ordines ab episcopo, in cuius dioecesi est monasterium, ubi tunc morantur. S. C. de mandato Clementis VIII. decrevit, quod si ille episcopus non habeat ordinationem, tunc superior poterit subditis dimissorias dare ad quemcumque alium episcopum; praecipitur tamen ibi regularibus, ne ex industria differant ordinationes suorum subditorum in id tempus, quo episcopus dioecesanus non est habiturus ordinationem, vel abfuturus est. Benedictus XIV. statuit, quod si episcopus dioecesanus fuerit absens vel non habuerit ordinationem, non potest religiosus ab alio ordinari, nisi ostendat attestationem vicarii generalis, cancellarii aut secretarii eiusdem episcopi; alias tam ordinans, quam sic ordinatus incurrunt censuras et poenas quas incurrunt, qui ab aliquo episcopo ordinantur sine dimissoriis. Item statuit, quod talis regularis examinari debeat ab episcopo ordinante; et quod privilegia alicuius Ordinis, ut eius religiosi ordinentur a quocumque episcopo, debeant esse nominatim non vero per communicationem. Sede Vacante, « regularibus infra annum, afferentibus dimissorias suorum superiorum, bene potest Capitulum licentiam concedere, ut ordinentur ab aliquo episcopo ». L. 788. Episcopus tamen potest sine formali examine religiosos ordinare, acquiescendo testimonio suorum praelatorum, sed bene etiam potest, si velit, eos examinare, nisi speciale habeant privilegium.

An autem novitii debeant ordinari ab episcopo loci Novitiatus, an vero originis aut domicilii? Suarez et Henr. tenent ordinandos esse ab episcopo originis vel domicilii. Sanchez et Delbene censent bene posse ordinari ab episcopo loci, ubi est Novitiatus. « Utraque sententia est probabilis...., modo novitius per notabile tempus iam manserit in Novitiatu; et iuramentum praestet ibi, in quantum in se est, perpetuo manendi ». L. 765. — Quare regulares ordinum religiosorum, in quibus solemnia vota emittuntur, durante triennio votorum simplicium, possunt ab Ordinario loci ordinari, quo tamen triennio post tyrocinium et ante solemnem professionem non licet eis concedere dimissorias nisi ad primam tonsuram et minores ordines. S. C. EE. et RR. 20. Jan. 1860., A. S. S. V. 1. p. 358. seqq. — Benedictus XIII. C. *In suprema* 23. Sept. 1724., Bened. XIV. C. *Impositi nobis* a. 1747., Bened. XIV. Inst. 23. n. 8., L. 768. 788. 792., A. S. S. V. 23. p. 629. seqq., E. M.

895. *An possit episcopus extra dioecesim suis subditis conferre ordines, vel saltem primam tonsuram?* — R. Negative quoad ordines, nisi de licentia Ordinarii loci. Quoad tonsuram prima sententia negat, quia ex Trid. vetitum est episcopis exercere pontificalia in aliena dioecesi sine licentia eius Ordinarii. Secunda sententia affirmat, quia cum sit sententia communior et probabilior inter theologos, quod tonsura non sit ordo; ideo bene potest et solet conferri privatim sine pontificalibus, ad quod non requiritur licentia episcopi loci. L. 756.

896. *Quid requiratur ad valide ordines recipiendos?* — Ad validam ordinationem recipiendam requiritur et sufficit, ut quis sit mas baptizatus. Quare incapax ordinum est foemina, et hermaphroditus, in quo foemineus sexus praevaleat, itemque non baptizatus. Valide e contra ordinantur infantes, perpetuo amentes, caeci, muti, privati manibus, etc., etsi sint iure naturali irregulares. Dicit tamen S. Th., quod pueri ante usum rationis non possunt valide suscipere episcopatum. — C. *Tuae litterae* un. *de Cler. per salt. prom.*, Bened. XIV. C. *Eo quamvis* § 20., L. 781. 782., S. Th. S. q. 35. a. 3., q. 39. a. 1. 2., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 31., E. M.

897. *Quid requiratur ad licitam ordinum susceptionem?* — *Requiritur* 1.° *divina vocatio et probitas vitae.* Cf. 166. 168. « Cum in quolibet ordine, ait S. Th. S. q. 36. a. 1., aliquis constituatur dux aliis, in rebus divinis, quasi praesumptuosus mortaliter peccat, qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accedit. Et ideo sanctitas vitae requiritur ad ordinem de necessitate praecepti, sed non necessitate sacramenti. Unde si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato..... Debent (ordinati) bona conscientia nitere quoad Deum, et bona fama quoad homines ». Etenim per sacrum ministerium efficiuntur medii inter Deum et plebem. Hinc consequenter indignum promovens graviter peccat, « praecipue cum hoc in detrimentum Ecclesiae vergat et honoris divini ». S. Th. S. q. 36. a. 4. — Quare convenienter omnino ordinibus suscipiendis praemittenda sunt Exercitia Spiritualia. Innoc. XI. 9. Oct. 1682., Bened. XIV. Not. 104. — Ac, ut constet de hac vitae probitate, praeter *litteras testimoniales*, Cf. n. 893., publice in Ecclesia proponenda sunt ordinandorum nomina. Trid. S. 23. C. 5. de R., E. M.

898. *Requiritur* 2.°, *ut ordinandus non sit neophytus*, servus seu mancipium, mutilatus aliquo membro, notabilis infamiae, vel quod ordinis exse-

cutionem impediat, hermaphroditus, illegitime natus, homicida, infamis vel utcumque irregularis, suspensus, excommunicatus. — 1. ad Tim. 3., 6., L. 782. 784., S. Th. S. q. 39. a. 3.-6.

899. *Quandonam coniugatus possit sacris ordinibus initiari?* — Certum est, quod sine licentia uxoris non licet uxorato ordines sacros suscipere, nec etiam primam tonsuram. C. *Nullus* ult. *de Temp. ord.* in 6.°, Extrav. *Antiquae de Voto.* Licite autem potest coniugatus ad sacros ordines promoveri, si ex iusta causa perpetuum fecerit divortium ab uxore, ex iudicis sententia, C. *Agathosa* cau. 27. q. 2., vel ex licentia uxoris, modo ipsa castitatem voveat, C. *Coniugatus de Convers. coniugat.*, et modo licentia sit expressa et omnino spontanea. C. *Consuluit* e. t. Verius autem non tenetur uxor Religionem profiteri, C. *Coniugatus* cit., nisi vir ad episcopatum assumatur, tunc enim uxor omnino debet Religionem ingredi, C. *Sane* 6. *de Convers. coniug.*; itemque nisi vir fieret religiosus, et uxor esset iuvenis, vel de incontinentia suspecta, C. *Cum sis* e. t. — An autem mulier huius viri *ad ordines sacros promoti,* si emiserit simplex castitatis votum, valide contrahat matrimonium post mortem viri? Prima sententia negat, ex C. *Quia sunt* 10. D. 28., ubi dicitur de tali matrimonio: *Qui male sociati sunt disiungantur.* Secunda sententia affirmat; nam licet praecipiatur separatio praefatorum coniugum in poenam admissi criminis, non tamen declaratur matrimonium esse nullum. — L. 812. 827. 969., S. Th. S. q. 53. a. 4., Schmalz. l. 3. t. 32. n. 19. seqq.

900. *Requiritur* 3.° *animus clericandi.* Trid. S. 23. C. 4. de R. Certum et commune est non peccare graviter, qui suscipiat ordines maiores et non intendat suscipere sacerdotium. Trid. S. 23. C. 4. de R., et probabile est nullum esse peccatum, quia nullo iure praescribitur ad superiores ordines ascendere. C. *Is qui de Fil. presb.* in 6.° — Peccaret vero, qui primam tonsuram aut minores ordines susciperet animo effugiendi forum laicale, et postea, cessante metu laicalis iudicii, redeundi ad saeculum. — L. 783. 785., Sanch. Tr. 9. C. 2. n. 88.

901. *Requiritur* 4.°, *ut sit confirmatus.* Trid. S. 23. C. 4. de R. An autem requiratur sub gravi praecepto? Alii affirmant, alii censent hoc non esse de praecepto, sed de consilio, alii communiter et probabilius dicunt requiri sub levi propter levem deordinationem. L. 786. « De congruitate, ait S. Th. S. q. 35. a. 4., character ordinis characterem confirmationis praesupponit, et non de necessitate ». Attamen S. C. C. 27. Sept. 1601. declaravit, initiatum prima tonsura et minoribus ordinibus ante confirmationem susceptam fuisse « male promotum..., beneficia minus legitime acquisivisse atque egere nova provisione..., neque posse ad sacros ordines ascendere, nisi praevia Sedis Apostolicae dispensatione ». Bened. XIV. C. *Eo quamvis tempore* § 19. — E. M.

902. *Requiritur* 5.°, *ut, praeter litteras testimoniales,* Cf. 893., *litteras dimissorias habeat proprii episcopi,* si non a proprio episcopo, sed ab alio quis, stante iusta causa, ordinetur, Trid. S. 14. C. 1. 2. de R., L. 787. 789. Regulares exempti debent habere dimissorias a Praelatis suis, scilicet Generalibus aut Provincialibus. L. 788., E. M.

903. *Requiritur* 6.° *examen scientiae convenientis, secundum ordinem, qui suscipitur.* Episcopus tenetur per se vel per alios examinare ordi-

nandos, licet eos ad alium episcopum ordinandos dimittat; nisi aliunde sit certus de eorum idoneitate. Reg. 31. Iur. in 6.°, Trid. S. 7. C. 11. de R., S. 14. C. 3. de R., S. 23. C. 3. 7. 12. 14. de R., L. 790. 792. Si missi fuerint ordinandi alieno episcopo, si ab alio episcopo, ordinans *potest*, si a Praelato regulari, *debet* eos iterum examinare. S. C. C. 16. Jan. 1595., L. 787., Lucidi n. 75. seq., Bened. XIV. Not. 23. n. 8.

Ex Trid. S. 23. CC. 4. 5. 11. 13. 14. 15. de R. *pro prima Tonsura* requiritur ut sciant fidei rudimenta, item legere et scribere; *pro ordinibus minoribus* ut saltem linguam latinam intelligant; *pro subdiaconatu et diaconatu*, ut sint « litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent instructi »; *pro sacerdotio,* ut « ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligente examine praecedente, idonei comprobentur ». Quare presbyterandi scire debent ea quae pertinent ad sacrificium, ad fidelium communionem et viaticum, ad baptismum, ad extremam unctionem, quorum sunt ministri. Circa vero poenitentiae sacramentum non requiritur tanta scientia ut in confessario, *sed debent* saltem habere aliqualem scientiam circa materias magis obvias pro casibus necessitatis, in quibus confessiones excipere tenentur. L. 791., S. Th. 4. D. 24. q. 1. a. 3. q. 2. — Non prohibetur vero episcopo, quominus a suis subditis maiorem exigat scientiam, quam a Trid. assignetur. L. 792. — Benignius agendum cum iis, qui Religionem professi sunt vitae mere contemplativae. L. 791., S. Th. l. c. ad 1. — Maior e contra scientia requiritur in presbyteris, qui curam animarum sunt habituri, siquidem « talis scientia requiritur in eo qui debet ad ordines promoveri... plus vel minus, secundum quod ad plura vel pauciora se eius officium extendit ». S. Th. S. q. 36. a. 2. Longe adhuc maior scientia requiritur in episcopis. Nam « ad superiores sacerdotes, scilicet episcopos, pertinet ut etiam ea, quae difficultatem facere possunt sciant, et tanto magis quanto in maiori gradu collocantur ». S. Th. S. q. 36. a. 2.

« Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». S. C. EE. et RR. 4. Nov. 1892.

904. *Requiritur* 7.°, *ut ordinetur quis per debita temporum interstitia.* Licet probabilius conferre primam tonsuram cum aliquo ordine minore, cum prima tonsura non sit ordo; excepta Roma. Lucidi C. 2. n. 119. Inter unum ordinem minorem et alium aliquod requiritur tempus, quod a Trid. S. 23. C. 11. de R. non fuit determinatum, et in hoc bene potest episcopus dispensare, *si aliud ipsi expedire videatur* ex aliqua causa. A minoribus ordinibus ad subdiaconatum requiritur sub gravi spatium unius anni, *nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas, iudicio episcopi, aliud exposcat.* Trid. ib. *Ecclesiae,* cui clericus est adscriptus. A subdiaconatu ad diaconatum etiam requiritur spatium anni, ad quod tamen dispensandum sufficit iudicio episcopi quaevis rationabilis causa. Trid. S. 23. C. 13. A diaconatu ad sacerdotium ad minus requiritur spatium anni, *nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur.* Trid. S. 23.

C. 14. Quae verba S. C. C. declaravit intelligenda esse disiunctive, ita ut vel sola *utilitas* satis sit episcopi iudicio. Multo magis autem grave est duos ordines sacros recipere una eademque die, Trid. S. 23. C. 13., vel ordines minores una cum subdiaconatu. C. *Cum* 2., C. *Innotuit* 3. *de Eo qui furtive.* — L. 775. 780. 789., De Priv. 59., A. S. S. V. 25. p. 587., E. M.

905. *Requiritur* 8.° *sub gravi, ut prima tonsura ante ordines minores, et inferior ordo ante superiorem suscipiatur.* C. *Tuae* un. *de Cler. per salt. ord.* Si quis vero susciperet episcopatum ante sacerdotium, invalide etiam illum susciperet. — L. 793., Trid. S. 23. de R. C. 11., Pius VI. B. *Auctorem fidei* n. 51., E. M.

906. *Requiritur* 9.° *ut quis ordinetur tempore debito. Ordines maiores* conferri possunt tantum in sabbatis Quatuor temporum, sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto; et infra missam sub gravi sunt conferendi. Ex iusta causa ordinans permittitur partem ordinationis differre in Dominicam sequentem, continuato ab ipso et ab ordinandis sabbati ieiunio. C. *Litteras* 13. 15. *de Temp. ord.* — *Ordines minores* dari possunt in quolibet festo de praecepto, si conferantur uni vel duobus, vel etiam pluribus, modo generalis ordinatio fieri non videatur. Pont. Rom., C. *De eo* 3. e. t., S. R. C. 23. Maii 1836. Ordines minores conferri possunt etiam publice feria VI. ante sabbatum generalis ordinationis, et etiam feria IV. generalis ordinationis, quatuor temporum, modo adsit consuetudo, quam Palaus, Salm., Barbosa, cum aliis testantur iam esse receptam. In missa conferre eos decet; et ante meridiem oportet eos conferre, Pont. Rom., nisi contraria adsit immemorialis consuetudo. S. C. C. 13. Apr. 1720. — *Episcopi consecratio* potest fieri quovis die dominico, C. *Ordinationes* l. 5., C. *Quod die* Dist. 75., et natalitiis Apostolorum vel aliis festis de praecepto, Pont. Rom.: ac hora diei tertia. — *Prima tonsura* quolibet die et hora, etiam vespertina, et quolibet loco conferri potest.

Possunt *Regulares*, ex licentia suorum praelatorum, *extra tempora* ordinari vi privilegii ipsis concessi a Gregorio XIII., Clemente VIII., Urbano VIII., Bened. XIII. Conc. Rom. t. 5. C. 2., Bened. XIV. Notif. 23. n. 5. — *Extra tempora*, nimirum die dominica vel festiva de praecepto; *de praecepto* ante reductionem. S. C. C. 15. Jan. 1689., S. R. C. 16. Mart. 1833. Cf. Bened. XIV. C. *Impositi nobis* § 12. — Societas Jesu speciatim hac in re privilegium habet, quod Bened. XIV. l. c. affirmat non valere pro aliis, quibus directe concessum non est, ut quin teneantur eius alumni ab episcopo dioecesano ordines suscipere, possint ad quemlibet catholicum episcopum mitti; itemque, ut sacros ordines *extra tempora et non servatis interstitiis*, tribus etiam continuis dominicis aut festis diebus sacros possint ordines recipere. — L. 794. 797., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 34., Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 11. n. 3.-7., Notif. 23., Honorante Prax. Secr. cap. 12. Cf. V. 1. n. 275., E. M.

907. *An autem regulares, cum ordinantur extra tempora, possint ordinari in quovis festo duplici, esto non sit de praecepto?* — Duae sunt sententiae. Prima affirmat, quia Alexander VI. loquens de initiandis per hoc privilegium dixit posse ordinari *tribus diebus dominicis, sive duplicibus.* Secunda sententia negat, quia Gregorius XIII., loquens de hoc

eodem privilegio, dixit *diebus dominicis et festivis diebus*. S. Alph. 797. ait: «Haec secunda sententia est tutior, et videtur probabilior; sed primam non audeo reprobare, et dico standum esse consuetudini, quae est optima legum interpres». Porro consuetudo pro secunda stat sententia.

908. *Requiritur* 10.° *debitus locus*. — Ex Trid. S. 23. C. 8. ordines conferendi sunt in Cathedrali Ecclesia; vel, si in alio loco conferantur, in digniori, quantum fieri potest, loci Ecclesia. Verum ex S. C. C. 20 Nov. 1592. si ordinatio non sit generalis potest ubique episcopus eam habere, etiam in capella sua privata. Ordines autem extra dioecesim conferri non possunt sine venia Ordinarii loci, et tunc episcopus tum alienos tum proprios subditos ordinare potest. Trid. S. 6. C. 5., L. 798.

909. *Requiritur* 11.° *debita aetas*. — Pro prima Tonsura requiritur ut initiandus polleat usu rationis, et ideo saltem sit septennis. Bened. XIV. C. *Inter sollicitas* a. 1745. § 19. — Pro ordinibus minoribus nulla in Iure assignatur aetas; solent tamen conferri ab anno 7.° ad 14.um Bened. XIV. ib. — Pro subdiaconatu statuitur annus 22.us, pro diaconatu annus 23.us, pro sacerdotio annus 25.us Trid. S. 23. C. 13. de R. Sufficit autem ut annus praescriptus sit inceptus. Trid. S. 24. C. 12. de R. — Pro episcopatu requiritur annus 30.us et idem dicitur pro Cardinalatu, quamvis ex concessione Sixti V. C. *Postquam* 1586. Cardinales Diaconi possint esse aetatis suae ann. 22. — Pro beneficiatis autem requiritur a. 14.us ex Trid. S. 23. C. 6. de R. Sed, si beneficium sit curatum requiritur annus 25.us, saltem inceptus. Trid. S. 24. C. 12. Pro canonicatu in Cathedralibus requiritur annus 22.us incoeptus. Trid. S. 22. C. 4. In Collegiatis vero sufficit annus 14.us, cum in iure nihil pro eo sit statutum. — «Certum est autem quod episcopi nullo modo possunt in aetate dispensare». L. 800. — L. 783. 799. 800., S. Th. S. q. 39. a. 2.

910. *Requiritur* 12.° *ut initiandus exercuerit ordinem prius susceptum in Ecclesia*, ubi est adscriptus ex Trid. S. 23. C. 11. 13. Sed putant Salm. C. 4. n. 74. hoc non esse de praecepto gravi, cum verba Conc. magis sint consultiva quam praeceptiva. L. 801.

911. *Requiritur* 13.° prout praescribit Pontificale, *ut ordinandi eucharistiam recipiant*, sed hoc non sub mortali, ut ait La-Croix 2225. Immo nec sub levi tenentur communicare initiandi ad ordines minores. Presbyteri autem verius tenentur communicare sub mortali, cum ipsi vere celebrent cum episcopo. S. Th. 3. p. q. 82. a. 2., L. 801.

912. *Requiritur* 14.°, *quoad sacros ordines recipiendos, titulus honestae sustentationis*, Trid. S. 21. C. 2., aliter episcopus ordinans vel dimissorias concedens tenetur ipse ordinatum in sacris alere usque dum iste titulum habeat. C. *Cum secundum de Praeb.*, *C. Recepimus de Aetate et qualit. ordin.* — Titulus ordinarius, *ecclesiasticus*, sustentationis potest esse vel *paupertatis* vel *beneficii* sufficientis ad sustentationem, iuxta synodalem taxam suae dioeceseos. — Titulo *paupertatis* soli regulares *professi* ordinantur, non autem novitii. S. Pius V. C. *Romanus Pontifex*. Excipiuntur religiosi Soc. Jesu, qui post vota simplicia ordinari possunt: et si deinde a religione dimittantur, Societas eos alere minime tenetur. — Quoad titulum *beneficii*, requiritur quod beneficium pacifice iam possideatur.

Nomine beneficii potest etiam aliquis ordinari ad titulum coadiutoriae perpetuae, vel quotidianarum distributionum, vel capellaniae, vel pensionis, vel praestimonii perpetui; minime vero sufficiunt ad titulum missarum stipendia, cum incerta sint.

Praeter *ecclesiasticum* titulum *beneficialem* ac *paupertatis*, titulus etiam adest *patrimonialis*, qui extraordinarius est. — Quoad titulum *patrimonii*, non possunt omnes hoc titulo ordinari, sed tantum ii, *quos episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum*. Trid. S. 21. C. 2. Patrimonium autem debet esse iuris forma constitutum, super re certa et immobili, ac de sua natura frugifera, vel quasi immobili ut in publicis versuris, S. C. C. 29. Jun. 1704., pacifice possessa, nec aere alieno, aut hypotheca gravata. Sufficit tamen census perpetuus, etiam redimibilis; modo, si redimatur, in aliam censuum vel praediorum emptionem applicetur. Sufficit etiam, si quis de suis reditibus tot annuos aureos ad sustentationem sufficientes per instrumentum donet. Sufficit, ut aliquis Comes aut Communitas obliget sua bona ad clericum alendum. Non sufficit titulus suae industriae. Patrimonium vero sine episcopi venia renunciari non potest, etiam post assecutionem beneficii ad sustentationem sufficientis. — L. 813.-824., Bened. XIV. Notif. 26.

Alii tituli adsunt extraordinarii, pro quibus peculiari opus est Indulto Apostolicae Sedis. Quoad regulares titulus habetur *mensae communis*, pro illis nempe regularibus, qui aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum. Pro clericis saecularibus, titulus etiam habetur *servitii Ecclesiae*, et titulus *Missionis*.

Titulus quidem amitti potest, sed alius tunc amisso titulo est omnino substituendus. Ac regulares votorum solemnium vel simplicium in sacris ordinibus constituti, expulsi vel dimissi, perpetuo suspensi manent, « donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ». Qui vero sponte dimissionem obtinuerint, vel a simplicibus votis fuerint dispensati, vel ab ipsis liberi sint, propter elapsum temporalium votorum tempus, « ex claustro non exeant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum ». S. C. EE. et RR. 4 Nov. 1892. — E. M.

913. *Requiritur* 15.°, ex Decr. S. O. 9. Sept. 1875., ut clerici sacris ordinibus initiandi militari activo servitio, cui sint obnoxii, prius satisfecerint. Item ex Decr. S. C. EE. et RR. 27. Nov. 1892. non possunt regulares emittere *solemnem professionem*, neque sacros ordines suscipere, quin prius satisfecerint militari activo servitio, cui subiacent. — E. M.

914. *Requiritur* 16.° quoad regulares Ordinum Religiosorum, sacris ordinibus initiandos, ut solemnium votorum professionem emiserint. Regulares vero Institutorum votorum simplicium sacros ordines recipere non possunt, nisi « vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio Instituto, stabiliter aggregati fuerint; vel saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae ultra triennium perpetuam differunt professionem », Indultis omnibus ac privilegiis, antea concessis, revocatis. Causa vero legitima occurrente, dispensatio ab Apostolica Sede peti potest, « ut clericus vota solemnia nuncu-

pare possit, quamvis non expleverit triennium » votorum simplicium, quoad Ordines Regulares; « quoad Instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum ». S. C. EE. et RR. 4. Nov. 1892. — E. M.

915. *An vel quomodo peccet ordinatus, qui omittit recitationem precum, quae post ordinationem per modum poenitentiae ab episcopo imponuntur: quaenam illae preces sint?* — Quoad *omissionem* non consentiunt dd. Alii enim dicunt, eum peccare graviter, quia materia praecepti est gravis. Alii tenent, illum minime peccare, quia episcopus praeceptum non imponit. Alii tandem censent, huiusmodi omissionem non vacare quidem culpa, sed venialem non excedere. Haec sententia probabilior videtur. Cf. S. Lig. 289. — Quoad *preces* haec habet S. C. R. Declaratio in Granatensi 11. Aug. 1860.: « Verba Pontificalis Romani *Nocturnum talis diei* intellige de unico Nocturno in feriali, vel de primo Dominicae, ut in Psalterio, id est duodecim Psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quando vero episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum est Nocturnum feriae, quae respondeat illi diei, in quo facta est ordinatio ».

916. *An vel quomodo neo-sacerdotes tres missas ab episcopo praescriptas legere teneantur?* — Non tenentur eas applicare ad episcopi intentionem, et proinde stipendium pro illis accipere possunt. — Nec apparet obligatio gravis eas missas celebrandi: neque prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti, cum missae votivae esse debeant. — L. ib., E. M.

917. *Ad quid teneantur sacerdotes vi obedientiae, quam episcopo in ordinatione promiserunt?* — Sic illam explicat Benedict. XIV. in Epist. *Ex quo dilectus:* « Agnoscimus, presbyterum huiusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia episcopi ». L. 828. — Monitore Ecclesiastico Conversano V. 7. P. 2. p. 49. 50. 217. 218.

918. *An peccet clericus, qui initiatus in minoribus uxorem ducit?* — Per se loquendo, certum est non peccare graviter, immo nec etiam leviter, si ob iustam causam hoc facit, puta ad sedandas inimicitias aut tentationes carnis, ad subveniendum foeminae pauperi, etc., alias non excusabitur a veniali. Pont. Rom. *de Ordin. subd.*, C. *Clerici de Cler. coni.* in 6.°, Trid. S. 23. C. 6. de R., L. 785. 783.

DE MATRIMONIO

I. — DE SPONSALIBUS ET DE BANNIS

919. *Quid sint sponsalia?* — Sponsalia sunt promissio voluntaria, deliberata, et mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas iure habiles. — *Promissio*, vera, non ficta; non propositum, hoc

enim nullam inducit obligationem. — *Voluntaria* et *deliberata*, scilicet voluntate et deliberatione sufficienti ad peccatum grave, cum sponsalia sub gravi obligent. — *Mutua*, sponsalia enim contractus sunt onerosus, conditionem involvens: si tu repromiseris. Attamen si promittens sponte velit se obligare independenter ab alterius promissione, et hoc sit certum, non haberentur sponsalia, neque consequenter impedimentum publicae honestatis, sed mera promissio gratuita unam tantum partem obligans, vi merae fidelitatis. Dicitur, *et hoc sit certum*, quia regulariter nunquam sponsi intendunt gratis se obligare sine conditione, quod alter etiam se obliget. Acceptatio autem promissionis, repromissionem de se non includit; quia potest quisque acceptare obligationem alterius, quin seipsum obliget. — *Signo sensibili expressa*, nam ad quemlibet contractum, non sufficit consensus internus, sed requiritur consensus externe expressus aut verbis aut signis. Unde non sufficit ad sponsalia taciturnitas. Valerent tamen sponsalia, si *parentes ea* contraherent, praesente filio, qui tacet, modo filius interne et positive consentiat. Cum enim parentes prae magno amore erga filios praesumuntur ipsis bene consulere, merito censentur filii consentire ipsorum promissioni, adeoque per ipsorum promissionem suum exprimere consensum. Si filius vero interne dissentiat, « certe ad sponsalia illa a parentibus contracta non obligatur. Et idem omnino dicendum puto, si filius negative se habuerit non dissentendo neque consentiendo ». Idemque dicendum, si *parentes sponsalia* contrahant pro filiis absentibus, et isti, certiores facti sponsalium a parentibus, non contradicant, si nempe vere tacite sponsalia ratificent. *Parentes*, non alii; *sponsalia*, non etiam matrimonium. Cum hac in re speciale sit Ius, illud non est extendendum. C. *Si infantes* un. *de Desp. imp.* in 6.°, R. I. 28.ª in 6.° — Schmalz. 61. seqq., S. Th. 4. D. 27. q. 2. a. 2. ad 1., S. q. 43. a. 2. ad 1., L. 831. 836.-839.

Inter habiles, i. e. qui nullo impedimento a matrimonio prohibentur. Quare nulla erunt sponsalia si matrimonio obstet aliquod impedimentum. Stante enim impedimento dirimente, res promissa vel non subsistit, vel non est in propria potestate, adeoque nulla esse potest eius promissio. Stante vero impedimento impediente, res promissa illicita est, et nulla esse potest promissio rei malae. Excipe, nisi promissio, non sit *absoluta*, sed *conditionata*, si nempe dispensatio obtineatur, vel referatur ad futurum tempus, quo impedimentum cesset, ut impuberum sponsalia, vel sponsalia, invitis parentibus, ubi cesset eorum dissensus. — Nulla vero Iuris solemnitas requiritur ad eorum validitatem, eamque neque civilis potestas, neque Ordinarii locorum apponere possunt. S. C. C. 8. Jul. 1865., 23. Mart. 1878. — *Futuri matrimonii*, ubi ergo Decr. Trid. viget de matrimonio coram parocho et testibus contrahendo, contractus *de praesenti* neque matrimonium est, quia deest forma Trid., neque sponsalia constituit, quia *promissio* tunc neque virtualiter habetur *futuri matrimonii*. Ut autem valet matrimonium per procuratorem et per litteras contractum, ita etiam valent sponsalia. L. *In sponsalibus* 18. ff. *de Sponsal.* — S. Th. S. q. 43. a. 1. 2., q. 55. a. 4., Schmalz. l. 4. tit. 1. n. 73.-77. 247., Cf. 923., E. M.

920. *An teneatur matrimonium contrahere, qui ficte promisit sponsalia alteri vere repromittenti?* — R. Negative. Etenim 1.° cum *ficta promissio* fuerit, nequit teneri *vi promissionis*, etiamsi fuerit iuramento firmata. S. Th. 3. D. 39. q. 1. a. 3. q. 3. — 2.° « Esto ficte promittens peccaverit

contra iustitiam, alteram partem decipiendo, non tenebatur tamen ex iustitia ponere verum consensum, cum nulla ei aderat obligatio contractum ineundi, et contra alter nullum acquisierit ius in eum ex suo consensu; ideo tenetur quidem postea *ratione deceptionis damna resarcire*, sed non tenetur *ratione promissionis* verum consensum ponere, et matrimonium contrahere. Secus vero dicendum, si intervenerit defloratio, quia tunc deflorans omnino tenetur ad matrimonium, cum non possit tunc alia via sat aequivalenter damnum resarcire ». L. 833. 847., l. 3. n. 642. — Hinc, si vir mulierem inducat ad peccatum, sub ea conditione, quod eam in matrimonium sit ducturus, si votis annuerit, crimine patrato, si non *vi contractus*, saltem *vi damnificationis iniustae*, iuxta communissimam sententiam eam ducere tenetur, si potest; secus enim sufficiet, si ei de nuptiis provideat. Ratio est, « quia aliter, si deflorator virginem deceptam non ducat, nunquam ei reddet aequale, nec damnum adaequandum reficiet ». L. l. 3. n. 642. Idque valet etiamsi vir voverit religionem, ordines vel castitatem, et postea mulierem cognovit sub promissione vera vel ficta matrimonii. Votum enim non obligat, cum notabilis omnino facta sit mutatio, et gravissima iustitiae obligatio supervenerit. L. l. 6. n. 833. 874. Attamen S. D. aliique communiter excipiunt: 1.° Si ex matrimonio timeatur pessimus exitus, ut discordiae, rixae, scandala, etc. 2.° Si vir cognoverit foeminam, putans eam esse virginem, sed corruptam invenerit; vel si ea rem deinde habuerit cum alio; si hoc enim in matrimonio sufficit, ut fiat separatio, multo magis matrimonio non contracto. Sporer 538. seqq. 3.° Si futurum sit familiae dedecus. L. 849. 851. 4.° Si vir conditionem mulieris notabiliter antecellat, ob eandem rationem dedecoris familiae. — L. l. 3. n. 642.-650., l. 6. n. 851., S. Th. S. q. 46. a. 2. ad 4., C. B. 1300. Cf. 928.

921. *An sint irrita sponsalia contracta per dolum dantem causam contractui, etsi circa qualitatem, v. g., divitias, qualitates corporis, animi?* — Controvertitur. Prima sententia *satis probabilis* affirmat. Hoc enim sponsalium *proprium* est, quia matrimonia mutua benevolentia sponte iniri necesse est. Secunda sententia *probabilior* negat. Etenim hoc *commune* est cuilibet contractui, ut irritus non sit, nisi defectu consensus vel obiecti. « Habet vero tunc deceptus actionem irritandi contractum propter iniuriam et defectum consensus, idque currit, etiamsi deceptio provenerit ab alio tertio, parte ignorante ». L. 835. « Probabiliter dicunt Lessius, etc. quod si res integra est, ut evenit in simplicibus sponsalibus, et error sit invincibilis, in conscientia deceptus non tenetur stare contractui, ne iudicis quidem post sententiam ». L. H. A. Tr. 18. n. 2.

922. *An sponsalia per metum inita sint ipso iure invalida?* — *Si metus sit gravis*, controvertitur. Prima sententia affirmat; si metus sit ab extrinseco et iniustus: valida enim essent, si metus foret *ab intrinseco*, puta si quis promitteret, timens ne cogeretur ad solvendum debitum; vel *iustus*, tunc enim pars contrahens irrationabiliter esset invita. Ratio, quia metus dirimit matrimonium et sponsalia sunt via ad matrimonium. Secunda sententia negat; addit tamen ea posse rescindi a metum passo; si vero iuramentum adfuerit, debere ipsum servari donec relaxetur. Ratio, quia neque invalida sunt iure positivo, quod nihil habet de sponsalibus; neque invalida iure naturali: metus enim *per se* consensum non tollit. — « Utraque sententia est probabilis, sed prima mihi videtur probabi-

lior..., quia nemo potest obligari ad exsequendum actum per se nullum, et cui ius resistit, qualis esset matrimonium durante tali metu contrahendum... Ex his infertur, quod ex huiusmodi sponsalibus minime oriatur impedimentum publicae honestatis ». L. 844. — *Si metus sit levis*, qui causam dederit contractui, prima sententia affirmat, quam multo probabiliorem dicit Ballerin.; secunda vero communior et S. Alphonso probabilior negat. Ratio, quia non censetur alter veram iniuriam intulisse, cum metus levis facile repelli possit. — An autem in tali casu possit metum passus sponsalia in conscientia rescindere, prima sententia satis probabilis negat propter rationem modo allatam; secunda vero sententia communior et probabilior affirmat. « Ratio, quia cum metus dederit causam contractui, ita ut alias initus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum rescindere, unde sicut ille tenetur relaxare fidem iniuste per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare ». L. 844. — Sanch. l. 1. D. 14., l. 4. D. 16.

923. *An verba de praesenti inter impuberes apta ad matrimonium, cum hoc ex iure positivo sit nullum, habeant vim sponsalium?* — R. Affirmative ex C. *Si infantes* un. *de Desp. imp.* in 6.°, C. *Tuae nobis* fin. e. t. Ratio, quia, quum actus non valent eo modo quo fiunt, ex virtuali contrahentium voluntate, valent meliori modo quo possunt, nisi quis expresse dissentiat. Sponsalia autem virtualiter continentur in matrimonio, nisi reipsa *tantum* expresse intendatur matrimonii vinculo sese constringere. Sponsalia enim non habentur, nisi mera iuris praesumptione, Sanch. l. 1. D. 21. n. 3. 5., Schmalz. l. 4. tit. 2. n. 63., Pignatelli Cons. Tom. 9. C. 133. n. 46. — Hinc plures idem dicebant, si puberes matrimonium clandestine, i. e. sine parocho et testibus contrahant, in loco ubi Trid. est promulgatum. Sed hoc negandum omnino est. S. C. C. 8. Jun. 1595., Ferrar. v. *Matrimonium* art. 2. n. 2., Bened. XIV. Quaest. can. 291. par. *Ultimum*. « Ratio, quia cum actus est nullus non iam ex parte contrahentium, sed ex parte sui ipsius, eo quod est contra bonos mores, et ius illi resistit, Trid. S. 24. C. 1., tunc talis actus nullam parit obligationem ». L. 841. Excipe, e contra, nisi clandestine contrahentes matrimonium expresse intendant se obligare eo modo, quo possent. Sanch. l. c. n. 6. — Si vero agatur de *matrimonio civili*, ex Declaratione Leonis XIII. 17. Mart. 1879., ubi Decretum Trid. S. 24. C. 1. de R. promulgatum est, sive matrimonium intendatur *de praesenti*, sive *de futuro* « impedimentum iustitiae publicae honestatis non producitur »; adeoque neutrum est. — E. M.

924. *An valida sint sponsalia, quae malitia, i. e. rationis advertentia supplente aetatem, ante septennium ineantur?* — R. Affirmative, « quia nimirum LL. septennium praescribentes stricte fundantur in praesumptione, quod non nisi septennio expleto lumen rationis illucescit... C. *Si infantes* un. *de Despons. impub.* in 6.° ». Ithur. Cas. 39. n. 25. Quare sponsalia licite inire possunt omnes, qui licite matrimonium inter se inire possunt, et praeterea impuberes. C. *A. nobis* 8. *de Despons. impub.* — S. Th. S. q. 43. a. 2., Ferraris v. *Sponsalia* n. 15., C. *Litteras de Desp. imp.*, C. *Ad dissolvendum* 13. e. t., C. *Accessit* 5. e. t., L. 14. *ff. de Sponsal.*

925. *An sponsalia contracta inter habentes impedimentum dirimens sub expressa conditione: si Papa dispensaverit, impleta conditione, va-*

lida sint sine novo consensu? — R. Affirmative. Consensus enim perseverat *per se* usque ad impletionem conditionis. Est praeterea talis consensus *in se* honestus et licitus. Quare nulla est ratio, cur consensus sit renovandus. L. 843. 859., l. 3. n. 650. Verum ante conditionem impletam neque sponsalia sunt, neque inducunt impedimentum publicae honestatis. Obligant tamen ad petendam dispensationem, si Papa soleat in tali impedimento dispensare. Quare peccaret sponsus, si cum sorore sponsae matrimonium contraheret, non expectato eventu conditionis. Sponsalia vero cum eadem contracta essent nulla, cum esset promissio illicita de re iniusta, quae non obligat. Si R. Pont. dispensare non soleat, sponsalia omnino illicita essent, adeoque nullius momenti, nullamque inducerent obligationem. L. ll. cc. Cf. A. S. S. V. 1. p. 79. seqq. — Haec S. Th. generatim de sponsalibus sub conditione: « Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguenda est; quia aut est conditio honesta, ut cum dicitur: *accipiam te, si parentibus placeat,* et tunc, stante conditione, stat promissio, et non stante non stat: aut est inhonesta, et hoc dupliciter; quia aut est contraria bonis matrimonii ut si dicam: *accipiam te, si venena sterilitatis procures,* et tunc non contrahuntur sponsalia; aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicam: *accipiam te, si furtis meis consentias,* et tunc stat promissio, sed tollenda est conditio ». S. q. 43. a. 1.

926. *Quae et quanta sit obligatio sponsalium?* — Sponsalia obligant ad ineundum matrimonium sub peccato mortali. Sunt enim *contractus onerosus* in re gravi. Si terminus non sit praefixus, sufficiet si promittens impleat pro more regionis, vel quando a promissario requiratur. Ubi notandum est, quod « si altera pars ex oblivione, timore, verecundia vel simili causa non peteret, ut praecipue in foeminis evenit, tenetur tunc sponsus de se sine petitione matrimonium contrahere, cum commode possit... Quod si altera pars, cum possit commode petere, tacet, tunc ipsa videtur dilationi assentire ». L. 845. Quare resiliens cogi potest ad matrimonium, etiam a iudice per censuras: quod tamen raro expedit ob periculum infelicis exitus. C. *Requisivit* 17. *de Sponsal.*, L. 846., S. Th. S. q. 43. a. 1. ad 2.

Nihil de sponsalibus habetur C. G. — Verum C. I. 53. 54., C. H. 43. 44., C. A. 45. 46., C. B. 1297. sponsalibus denegatur *legalis* obligatio matrimonii contrahendi. Si tamen promissio *rite* constet, resiliens sine iusta causa tenetur alterum compensare pro damno ex C. A. et ex C. B. 1298.; ex C. I. et C. H. pro expensis, quas propter promissum matrimonium fecerit. Oportet autem ex C. I. et C. H. compensationem petere intra annum a die, quo promissio implenda erat. — Iure Romano is qui sponsalibus obligatus est, permittitur conditioni seu pacto renuntiare, et postea cum alia contrahere. L. *Alii* 1. C. h. t. Si vero absque praevia renuntiatione, aut sponsus aut sponsa alii nupserit, infamia notatur. L. *Quid ergo* § 3. *de his qui notantur infamia.* — Iure canonico obligatio habetur non tantum ex fidelitate, verum etiam ex iustitia matrimonium contrahendi, et impedimentum habetur, *impediens* matrimonium cum alia, et *dirimens* matrimonium cum consanguineis in primo gradu. — E. M.

927. *An valida sint sponsalia posteriora, contra priorem fidem inita, et prae illa sint adimplenda?* — « Certum est, quod si secunda sponsa fuerit *conscia* priorum sponsalium matrimonium cum prima debet con-

trahi ». — Si illa fuerit *ignara,* « prima sententia dicit, sponsum teneri contrahere cum secunda, si cum hac copulam habuit..., secunda sententia vero communior et probabilior dicit, sponsum teneri contrahere cum prima, etiamsi adfuerit copula cum secunda... Ratio, quia promissio facta secundae sponsae semper est *nulla,* utpote *de re illicita,* cum fuerit priori sponsae promissa: nec iniuria illata alteri ius huic adimit. Et hoc etiamsi secunda promissio fuerit iuramento firmata ». L. 848. — Neque vero tenetur prior sponsa iuri suo cedere, etiamsi altera grave damnum ex defloratione patiatur, quia haec debet suo crimini imputare quod tale damnum patiatur. — Grave quidem peccatum est post inita sponsalia, alia attentare sponsalia, quae utpote illicita, *irrita* etiam sunt; nulla enim esse potest vis illicitae promissionis, quamvis intercedant et iuramentum et copula. Nam illud nequit esse vinculum iniquitatis. Haec ius quaesitum alteri adimere non potest. — Sponsalia autem iniens cum alia aut alio, iure suo cadit quoad priora sponsalia. — Idemque ferendum iudicium, si vel *meram* futuri matrimonii *promissionem* alteri faciat. — L. ib., Sporer 237., Bened. XIV. Notif. 46.

928. *An peccent filiifamilias sponsalia et matrimonium contrahentes absque parentum consensu; et an haec in casu valida sint?* — *Ad validitatem* quod spectat, certum est, *matrimonium* esse omnino validum, licet sine parentum consensu, iique omnino dissentiant. Trid. S. 24. C. 1. de R. M. — Quoad vero *sponsalia* insciis parentibus, iisque etiam invitis, nunquam haec *ea tantum de causa* invalida sunt; siquidem inde *generatim* et *necessario* non habetur, quod illicita sint. Consensus enim parentum necessarius non est *per se* seu *ex natura rei;* neque *ex lege positiva.* Ratio 1.ⁱ est, quia quilibet homo in eligendo statu et individua vitae societate sui iuris est et libertatis. Ratio 2.ⁱ est, quia ex Trid. l. c. validum est matrimonium sine consensu parentum. Atqui eadem est ratio pro sponsalibus, quae via sunt ad matrimonium; quia nempe homo hac in re sui iuris est. S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5., S. Bonavent. 4. D. 29. a. 1. q. 3. *Ea tantum de causa;* nam alia de causa, *ratione* etiam *parentum,* sponsalia esse possunt illicita et consequenter invalida, ut mox patebit ex dicendis.

Illicite quidem contrahunt, si parentes sint *rationabiliter inviti,* puta si tale matrimonium redundaret in *dedecus* familiae, vel ex eo gravia *scandala* aut *dissessiones* sint exoritura. « Casu autem, quo filius non posset sine peccato tale matrimonium inire, dicunt dd. quod ad illud non obligetur, etiamsi cum iuramento sponsalia contraxisset; quia cum haec promissio esset de re illicita, iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis... Idem dicendum putant communiter aa., scilicet non teneri sponsum ad implenda huiusmodi sponsalia cum gravi parentum iniuria, etiamsi virginem defloravit, sed sufficere quod eam dotet... Ratio, quia virtus iustitiae nequit obligare ad actum, qui sine peccato impleri non potest... Conveniunt autem dd. filios excusari saltem a mortali, si absque consensu parentum nuptias contrahunt *ex iustis causis*... Si pater impediat filium ab aliquo matrimonio *sine iusta causa;* tunc filius non tenetur obedire, et pater graviter peccat impediendo ». L. 849.

Difficultas praecipua, propter quam parentes saepe inviti sunt, et dubitatur, tum utrum parentes *iuste* dissentiant, tum utrum ipsi sponsi facta promissione obligentur, practice est *ex disparitate conditionis utrius-*

que contrahentis. « Certum est, quod si contrahentes tempore sponsalium non fuerint disparitatis conscii, sponsalia sunt nulla, dummodo ignorantia fuerit antecedens; valida tamen, si fuerit concomitans... Si iam conscii fuerint, communiter dd. dicunt teneri ad matrimonium ». L. 851. Excipe tamen 1.° si ratione *disparitatis in nobilitate* ex illo matrimonio eveniat *dedecus* familiae. « Ratio, quia promissio est nulla, cum sit de re graviter illicita, utpote quae impleri non potest, nisi cum magno familiae detrimento ». L. 851. *Iustitia* sane obligat, ne hoc detrimentum familiae inferatur. Non sufficit autem « qualiscumque disparitas, sed requiritur notabilis, puta si vir nobilis desponsaverit filiam artificis mechanici, vel agricolae ». L. 851. Excipe 2.° si ratione *disparitatis in divitiis* probabiliter timeatur *scandalum*, v. g., odia propinquorum, etc., « quia eo casu graviter peccaret sponsus contra *caritatem*, et ideo cum matrimonium illud contrahere, tunc esset res illicita, non potest promissio facta ad illam obligare. Et ob eandem rationem dicit Sanch. etc., hoc dicendum etiamsi sponsa deflorationem passa fuerit. Et etiamsi, ut addit Sanchez,... nulla sit inter contrahentes disparitas. Fateor quidem hanc esse communem sententiam, et per se loquendo veram, quando filius commode huiusmodi scandala vitare posset; sed si non posset sine gravi suo incommodo, rationi adductae videtur obstare, quod *caritas* non obliget cum gravi incommodo... Fortene sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur matrimonium cum puella, quacum credit quietam se ducturum vitam, ob vehementem amoris passionem, qua se sentit affectum erga illam? Grave quidem incommodum existimant hoc omnes dd. illi, etc... Tanto magis quod huiusmodi scandala... inito matrimonio facile evanescunt et animi conciliantur ». L. 851. — Si vero nulla timeantur scandala ratione disparitatis notabilis *in divitiis*, quia tamen huiusmodi promissio est *prodiga*, putat adhuc S. Alph. l. c. sponsum ad matrimonium non teneri. Sed, ex communi hominum sensu, illicitum profecto non est, quod dives cum paupere matrimonium contrahat. Salm. C. 1. n. 82., Sanch. l. 1. D. 14. n. 2. « Verumtamen, addit idem S. D., cum culpa prodigalitatis non sit plus quam venialis, quaevis mediocris iusta causa vitium prodigalitatis auferre potest ». Hinc, subdit S. Alph., « vix casum accidere posse, quod sponsum eam ducere non teneatur, quia rarissime deerit aliqua ex his causis ».

Ex C. I. 63., C. G. 148. Filii contrahere nequeunt matrimonium sine consensu parentum, nondum completo anno 25.°, si masculi; anno 21.° si foeminae sint. Ex C. H. 45.-47. 320. matrimonium prohibetur minori, nempe ante 23.um annum aetatis, sine consensu patris, vel eius defectu matris, maiori vero sine consilio patris, vel eius defectu matris. Ex C. A. 49. minores et etiam maiores qui per se valide obligari non possunt, neque possunt matrimonium contrahere *valide* sine consensu patris, vel eo deficiente tutoris, vel curatoris et iudicis. Ex C. B. 1304. 1305. 1331. qui habet restrictam contrahendi capacitatem indiget consensu sui repraesentantis legalis; filius ante annum 21.um indiget consensu patris. Loco patris succedit mater, cuius tamen consensu non indiget filius declaratus legitimus. Ex defectu huiusmodi consensus peti potest matrimonii irritatio. — Sed ubi vere agatur de ipsa matrimonii *validitate* nullius roboris sunt huiusmodi civilis legis dispositiones, Trid. S. 24. C. 1. de R. M. — L. 849. 850. 851. 877., l. 3. n. 335., S. Th. S. q. 47. a. 6., Ithur. Cas. 14. n. 7. seqq.

929. *Quomodo dissolvantur sponsalia?* — Sponsalia dissolvuntur *per mutuum consensum,* sicut quivis contractus, cuius obligatio, quoad eius stabilitatem ab alia lege non pendet, nempe divina vel humana, uti, e. g. in matrimonio, et professione religiosa. L. 854., S. Th. S. q. 43. a. 3. ad 5. — « Inter puberes per mutuum consensum solvuntur sponsalia, etiam iuramento firmata, non solum *valide,* sed etiam *licite,* si adsit rationabilis causa; nam alias esset saltem veniale..., quia iuramentum in favorem tertii, quamvis principaliter fiat in honorem Dei, semper conditionem includit, si alter acceptet, vel si non remittat ». L. 855. — « Inter impuberes vero non solvuntur sponsalia, nisi ipsi fiant puberes ex C. *De illis* 7. *de Despons. impub....* Dicunt autem Sanch., etc. quod si alter sponsorum ante pubertatem dissenserit, et in tali dissensu perseveraverit, solvantur sponsalia, cum ille ad pubertatem pervenit. Si tamen interne tantum dissenserit, censent Sanch., etc. posse etiam resilire in conscientia; sed probabilius id negant Conc., etc., tum quia hoc beneficium resiliendi non conceditur a iure nisi reclamantibus, quod certe intelligitur externe, tum quia sicut ad ineundum contractum non sufficit solus consensus internus, ita ad contractum solvendum nec sufficit solus internus dissensus ». L. 856., Schmalz. l. 4. tit. 2. n. 32. 40.-43. — Sponsalia item dissolvuntur, *si notabilis mutatio accidat* vel *detegatur,* quae si esset praevisa, sponsalia non fuissent contracta, vel quae si superveniret, iam esset sufficiens ad illa rescindenda. Ratio, quia sponsi sub hac conditione subintellecta obligari censentur. Huiusmodi mutatio haberetur, si superveniret, vel detegeretur gravis inimicitia vel odium inter ipsos sponsos, vel parentes aut consanguineos; gravis infirmitas, v. g. lepra, phtysis, morbus gallicus, etc.; magna debita vel grave periculum fortunae, famae, etc. L. 863. 865., S. Th. S. q. 43. a. 3. ad 3. — Dissolvuntur pariter sponsalia, *si alter perfectiorem vitae statum inire maluerit.* S. Th. l. c. Hac enim etiam tacita conditione contracta censentur. Si autem religiosa professio ipsum matrimonium ratum dissolvit, multo magis sponsalia. — Dissolvuntur tandem sponsalia *per auctoritatem S. Pontificis,* iusta interveniente causa, ut ex ipsa praxi Ecclesiae constat. A. S. S. V. 15. p. 587. — E. M.

930. *An pars laborans occulto defectu sufficienti ad solvenda sponsalia, teneatur illum manifestare ante sponsalia, vel, eis contractis, ante matrimonium?* — Si defectus redderet nuptias *perniciosas,* ut esset infamia, lepra, morbus gallicus, etc., tenetur manifestare vel a nuptiis desistere. Idemque dicendum, si sponsa ex concubitu habito cum alio sit praegnans, quia tunc periculum adest damni sponsi, quod nempe alere debeat prolem alienam, eaque inter proprios haeredes connumeretur. — Si vero defectus nuptias tantum redderet *minus appetibiles,* uti, e. g., quod sponsa non sit virgo, sed corrupta, tunc, esto ipsa non possit virum decipere fingendo se immunem a tali defectu, si vir ostendat se aliter nolle eam ducere; secus tamen potest etiam interrogata dissimulare, aequivoce respondendo. Ratio 1.[i] est, quia est contra iustitiam. Ratio 2.[i], quia nemo tenetur propalare proprium defectum cum propria infamia, si non laedat ius alterius. — L. 863.-865., La-Croix l. 6. P. 3. n. 183.

931. *An per alterius crimen sponsalia dissolvantur?* — Per atrox crimen alterius sponsi solvuntur sponsalia *ex parte innocentis.* Atrox crimen censetur haeresis, furtum grave, homicidium vel simile, quod grave dam-

num vel infamiam pariat. Ratio, quia notabilis prorsus adest mutatio rerum. *Ex parte innocentis;* nemo enim ex proprio delicto commodum reportare debet. — L. 860., C. B. 1299.

932. *An fornicatio sit causa sufficiens sponsalia dissolvendi?* — « Si fornicatio fuerit *ante sponsalia*, certum est apud omnes posse virum, cognita fornicatione sponsae post sponsalia, eam relinquere. E converso non potest mulier rescindere sponsalia ob fornicationem sponsi cum alia ante habitam..., nisi vir insuper prolem ex alia habuerit, vel etiam nisi ipse noscatur fuisse deditus huic vitio cum pluribus foeminis se commiscendo ». L. 861. Ratio asserti est, quia sponsa notabiliter inde vilior redditur, non item sponsus. Ratio vero exceptionis est, quia merito tunc timeri potest, ne sponsus sponsae sit fidem servaturus. — Attamen S. Th. absolute ait: « quod quamvis nondum dederint sibi *mutuo* potestatem corporis sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi *invicem* suspecti de non servanda fide in futurum : *et ideo potest sibi praecavere unus contra alium, sponsalia dirimendo* ». S. q. 43. a. 3. ad 6. Adde, resilire etiam posse sponsam, si sponsalium tempore, non fuisset ipsa consensum praebitura, si sponsum cognovisset esse fornicarium; tunc enim error adesset, dans causam contractui, adeoque consensus deesset. Ac, si sponsa vere *honesta virgo* sit, haud aeque intendit nubere impudico quam pudico. — « Si vero fornicatio fuerit *post sponsalia*, certum est, posse sponsum mulierem relinquere, si ipsa voluntarie fornicata sit... Si sponsa violenter fuerit fornicationem passa..., communius et verius affirmant ». L. l. c. Si vero sponsus esset post sponsalia fornicatus, communius et probabilius dicunt, sponsam non posse recedere, multoque minus, si vir metu fuerit coactus. Ratio est eadem. Verum quoad fidem datam servandam pari iure sive vir sive mulier censentur. Quare, altera parte voluntarie fornicante, verius videtur posse alteram resilire. Praeterea, licet turpior habeatur lapsus sponsae quam sponsi; nihilominus lapsus sponsi notabilem status mutationem producit. Qualem posthac fidelitatem a tali sponso potest sponsa sperare? — *Utroque sponso fornicante*, prima sententia tenet, quod utrique liceat resilire; quia uterque in servanda fide eodem iure censetur; secunda sententia, quod neutri id liceat; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur; « tertia sententia, probabilior et communis..., docet sponsum bene posse resilire, non vero sponsam. Ratio, quia in hoc non daretur aequa compensatio, cum longe turpior sit fornicatio sponsae, quam sponsi ». L. 861. 862., H. A. tr. 18. n. 18., Diana Tom. 2. Tr. 6. R. 14.

933. *An per impedimentum superveniens sponsalia dissolvantur?* — « Si impedimentum sit *impediens*, communissime et probabilius... negant sponsalia dissolvi, nisi impedimentum proveniat ex voto religionis, et valde probabiliter etiam castitatis... Ratio, quia alia impedimenta hodie non vigent ». — « Si vero impedimentum sit *dirimens*, certum est apud omnes dissolvi *ex parte innocentis*... Sufficit autem sola fama huiusmodi impedimenti..., quando adest opinio impedimenti apud maiorem partem viciniae... An tunc solvantur etiam ex parte nocentis affirmat Dic., et probabile putant Salm., quia supposito tali impedimento iam factum est impossibile matrimonium. Negant vero communius et probabilius, etc., qui dicunt tunc suspendi obligationem sponsalium, donec tollatur impe-

dimentum; quia aequum non est, ut delinquens commodum ex suo crimine reportet». L. 857., S. Th. S. q. 43. a. 3. ad 4.

934. *An qui impedimentum apposuit teneatur dispensationem obtinere, vel ipsam oblatam acceptare?* — «Alii, ut Fill. etc., dicunt non teneri, etiamsi sponsalia fuerint iurata, nisi ad hoc obligetur ratione damni illati, nempe deflorationis, vel famae deturpatae, quia promissio intelligitur facta, rebus in eodem statu manentibus... Alii, ut Ronc. etc., dicunt teneri, adhuc praeciso damno illato, ad procurandam dispensationem una cum expensis..., etiamsi essent magnae. Ratio, quia tenetur quisque modo quo potest resarcire ius alterius, quod ipse iniuste laesit... Alii demum probabilius, ut Sanch. etc., dicunt, teneri quidem, etiam secluso damno illato, si dispensatio facile possit impetrari; secus si ad eam requirerentur magnae expensae et longa mora; quia obligatio orta ex sponsalibus urget sponsum ad apponenda media tantum ordinaria et facilia, non autem difficilia et extraordinaria. Excipit tamen Spor. etc., nisi esset reparandum damnum deflorationis vel famae: quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare; sed non tanta, ut cogeretur a suo statu decidere». L. 858.

935. *An per matrimonium subsequens non solum cesset obligatio sponsalium durante matrimonio, uti certum est; verum etiam omnino illa dissolvantur; ita ut mortuo coniuge, priorum sponsalium obligatio amplius non urgeat?* — Prima sententia affirmat, quia obligatio semel extincta nunquam reviviscit. Porro, quando res servituti seu obligationi prius obnoxia in alium transit statum, qui, non ex accidentali impotentia, illius obligationis excusationem afferat, sed suapte natura repugnet obligationi illi seu servituti, haec tunc non solum suspenditur, sed prorsus extinguitur. Atqui matrimonium ex natura sua est indissolubile, ac per illud coniux in perpetuum se in alterius potestatem tradit. Ergo. Secunda sententia, quam sibi S. Alph. 875. *absolute probabiliorem* dicit, negat; quia neque iure positivo, neque naturali constat, quod sponsalia per matrimonium subsequens omnino irritentur, « prout patet in eo, qui post votum religionis matrimonium consummaret, hic enim, mortuo coniuge, teneretur quidem votum adimplere ».

936. *An per ordinum susceptionem sponsalia dissolvantur?* — « Per susceptionem *ordinum sacrorum* certum est etiam dissolvi sponsalia, non autem matrimonium ratum. Ita omnes..., et patet ex Extrav. *Antiquae de Voto* ». L. 871. — *An autem peccet qui ordines sacros suscipit, inscia vel invita sponsa?* « Prima sententia affirmat peccare graviter, et hanc tenent Sanch., Pal., etc. Ratio, quia nullo iure concessum est ordini sacro sponsalia dirimere, sicut est datum statui religioso... Secunda sententia vero non minus probabilis negat, eamque tenent Pont., Nav., etc. Ratio, quia in promissione sponsalium imbibita semper est conditio, nisi melior status eligatur ». L. 871. — Utrum etiam per susceptionem *ordinum minorum* dissolvantur sponsalia? « Prima sententia affirmat..., quia talis est mutatio sponsi..., ut merito iudicetur noluisse sponsa se obligare ad nuptias cum eo contrahendas... Secunda sententia communior et verior negat... Ratio, quia revera status ordinum minorum per se non est incompossibilis cum matrimonio..., ut patet ex C. 1. et 2. *de Cler. coniug.* ». L. 872. Sed hoc evincit sponsalia non dissolvi ex parte initiati minoribus

ordinibus, minime vero non dissolvi ex parte sponsae, cui merito grave esse poterit matrimonium cum tali viro contrahere.

937. *An per ingressum in religionem unius sponsi solvantur sponsalia contracta ante professionem?* — Adsunt tres sententiae. Prima asserit ex neutra parte dissolvi. De ea S. Alph. ait: « non videtur satis probabilis ». Secunda, quam tenent Bus., Sanch. aliique, dicit dissolvi ex parte utriusque. Eam S. D. ostendit non satis suaderi. Tertia, quae S. Alphonso « absolute probabilior videtur », dicit dissolvi tantum ex parte manentis in saeculo, quia ex eius parte tunc accedit notabilis mutatio, cum dedecori aestimetur, nubere cum eo, qui religionem deseruit. Alter vero per ingressum inhabilis non fit ad contrahendum matrimonium, adeoque, si egrediatur, promissis stare debet. — « Teneretur sponsus *ante ingressum* nuptias celebrare, si hoc necessarium esset ad prolem legitimandam, scandalum reparandum, vel honori sponsae providendum, si alio modo non posset occurri. Et hoc casu nec etiam permittitur sponso post celebrationem matrimonii ingredi religionem, illudque non consummatum relinquere; nequit enim tunc deserere uxorem, quae propter infamiam non posset alias nuptias invenire ». L. 870.

938. *Quid quoad votum ingrediendi religionem, vel suscipiendi ordines sacros, vel castitatis servandae?* — « Certum est 1.° quod vovens ingredi religionem licite voveat et debeat ingredi, nec tenetur stare sponsalibus, si vere vult fieri religiosus... Certum est 2.°... quod per huiusmodi tria vota solvantur sponsalia ex parte non voventis, cum merito censetur per ipsa vovens sponsalibus renuntiare. Certum est 3.° quod si quis post sponsalia emittit votum non solum ingrediendi, sed etiam profitendi religionem, tunc sponsalia ex parte utriusque dissolvantur; quia vovens tunc fit omnino inhabilis ad matrimonium contrahendum ». L. 873.

939. *An per votum servandae castitatis, vel suscipiendi ordines sacros solvantur sponsalia etiam ex parte voventis?* — « Si votum *antecedat* sponsalia, certum est ipsa esse irrita, quia ipsorum promissio, cum sit de re illicita, non obligat ». — Si *subsequatur*, prima sententia negat, eamque plures et graves theologi tenent. « Ratio, quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissae, et ab eo acceptatae, nec ullo iure habetur, quod sponsalia per haec vota dirimantur ». Secunda sententia vero affirmat, eamque quam plures et graves dd. tenent ap. S. Alph. et Sanch., « qui vocat probabilissimam, et communiter probabilem vocant et tutam Salm., etc., eamque absolute docet S. Th. S. q. 52. a. 1. ad 1.... Ratio, quam communius tradunt, est, quia promissio sponsalium censetur semper facta sub conditione, nisi melior status eligatur. Idque valere dicunt, etiamsi sponsalia fuerint iurata, quia iuramentum sequitur naturam actus ». L. 873. Confirmatur Decisione S. C. C. 15. Mart. 1705. ubi dictum est: votum castitatis aut suscipiendi ordines sacros per electionem melioris status irritare sponsalia, etiam iuramento firmata. — Excipe vero, « si sponsus votum ederet, ut sponsam eluderet... Item probabilius..., etiamsi sine animo eludendi sponsus voverit castitatem, si postea obtineat dispensationem voti non poterit aliam ducere... Sed non omnino improbabiliter Bon. et Sanch. id negant ». L. ib. — De Angelis Praelect. Iur. Can. l. 4. t. 6. n. 6.

940. *An dissensus parentum sit causa dissolvendi sponsalia?* — « Censeo dicendum, ait S. Alph. 877., quod, si pater *iniuste* dissentiat a tali matrimonio, filius non possit a sponsalibus recedere, et tam ipse quam pater peccarent, si vellent ea dissolvere. Secus vero, si pater *iuste* contradicat, nempe si matrimonium vergeret in *dedecus* familiae; tunc enim sponsalia illa non obligant, cum nemo possit obligari ad exsequendam rem *iniustam* ». Et idem dicunt Laym. et Sanch. « cum aliis communiter, si ex tali matrimonio magna *scandala* sint oritura inter propinquos ». Atque hinc patet, dissensum parentum non esse verum impedimentum *impediens* matrimonium. L. ib.

941. *An possit sponsus sponsalia rescindere, si ipsi adveniat pinguis haereditas?* — Negant *communissime* dd., quia sponsus « non est deceptus in conditione sponsae, in qua nulla facta est mutatio ». Mutatio quidem in sponso facta est, sed in re extrinseca huiusmodi contractui. Plures vero probabiliter affirmant, « eo quod in tali casu iam accedit notabilis rerum mutatio ». Idem consequenter dicendum videretur, si quis contraxerit sponsalia cum una et postea offeratur ei coniugium cum altera conditionis excedenter melioris. Quod « non auderem, ait S. Alph. 876., omnino damnare »; subdit tamen: « a contraria sententia abscedere nec unquam ego consulere auderem ».

942. *An possit sponsa resilire a sponsalibus, si sponsus alio proficiscatur?* — « Certum est, quod si sponsus alio transfert suum domicilium, vel si *in longinquam regionem* abeat, etsi cum animo redeundi, poterit sponsa statim ad alias nuptias transire; hoc est expressum in C. *De illis* 5. *de Sponsal*.... — Si vero sponsus discessit *in propinquum locum*..., exspectandum est donec redeat; vel requiri debet sponsus, ut intra certum tempus accedat ad contrahendum matrimonium, quod si ille requisitus reditum *iusta ex causa* differat vel erit exspectandum ad prudentis arbitrium..., vel, quod securius est, causa est remittenda arbitrio iudicis... Haec autem procedunt, si in sponsalibus nullum fuerit tempus praefixum ad nuptias ineundas... — *Cum terminus sponsalibus apponitur*, spectandum est, an apponatur ad sollicitandam, sive ad non differendam obligationem contrahendi matrimonium, vel an ad obligationem finiendam. Tunc apponitur ad sollicitandum, quando partes ideo praefigunt terminum, ut neutra ante illum possit alteram cogere ad implendum contractum. Tunc autem ad finiendum, quando terminus apponitur, ut eo elapso, nulla remaneat obligatio... — *An, elapso termino ex defectu, v. g., sponsi, possit sponsa resilire, si inculpabiliter omiserit ille nuptias inire, iusto detentus impedimento?* Prima sententia negat... Ratio, quia non est aequum, ut privetur iure suo *qui* ex iusta causa impeditur a promissis adimplendis... Secunda sententia communior et probabilior affirmat.... Ratio, quia terminus ad hoc apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis, alias frustra tempus praefigeretur. Haec autem sententia clare probatur ex C. *Sicut* 22. *de Sponsal*.... — *An, elapso termino, remaneat libera etiam pars, quae culpabilem apposuit dilationem?* Prima sententia communior negat... Ratio, quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare... Secunda sententia affirmat... et hanc expresse etiam tenet D. Th. in 4. D. 27. q. 2. a. 3. ad 2..., Ratio videtur esse, quia cum terminus sit appositus ad obligationem finiendam, illo elapso, cessat obligatio... Prima sententia est

quidem longe communior, et mihi longe probabilior; sed secunda sua probabilitate non caret ». L. 866.-868. — S. Th. S. q. 43. a. 3. ad 2., L. 17. *de Sponsal.* ff., L. 2. e. t. C.

943. *An resiliens a sponsalibus teneatur arrhas restituere?* — Sponsalia contrahi posse datis arrhis, nullum est dubium. Arrhae enim sunt pignus *datum* implendi rem promissam. Si res promissa, ut hic, licita est, licite datur pignus ad eam implendam. — Resiliens culpabiliter a sponsalibus perdit suas arrhas, et tenetur ad eas alterius partis reddendas, ac ad restitutionem, quanti eius intererat talem contractum impleri. Cf. 926. — L. 852., Sanch. l. 1. D. 30. 35., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 126. seqq., L. 5. *de Sponsal.* C., C. B. 1301.

944. *An iuste resiliens a sponsalibus teneatur solvere poenam promissam?* — « Si poena generaliter apponatur in eum qui *iuste* resiliat, certum est apud omnes promissionem poenae non obligare ». L. 853. Est enim contra libertatem matrimonii. — Si adiiciatur in *iniuste* resilientem, « prima sententia satis probabilis negat..., quia adhuc libertas laederetur...; secunda sententia vero probabilior affirmat... Ratio, quia talis adiectio poenae non est neque contra ius naturale, neque positivum ». L. 853., l. 3. n. 949. — Ex C. B. 1297. promissio poenae, si matrimonium non contrahatur, *est nulla.* — S. Th. S. q. 43. a. 1. ad 4., Sanch. l. 1. D. 30. seqq., L. *Titia* 134. C. *de Verborum obligationibus*, C. *Gemma de Sponsal.*

945. *An ad sponsalia solvenda iudicis auctoritas requiratur?* — « In supradictis causis, quando manifestae sunt, non requiritur auctoritas iudicis ad dissolvenda sponsalia; alioquin requiritur. Quod si sponsus, cognito suo iure resiliendi, nihilominus carnaliter cognoverit sponsam, censetur tacite suo iuri renuntiasse, et sponsalia ratificasse... Laym. et Pal. aiunt, quod, stante probabili timore infelicis exitus, licite potest vir a sponsalibus recedere ». L. 878.

946. *Quid de osculis et amplexibus sponsorum inter se?* — Oscula, amplexus, aliique similes actus *turpes*, vel *minus honesti* eodem plane modo ac aliis, ita sponsis illiciti sunt. Ratio est, quia sponsalia nullum sponsis tribuunt speciale ius in copula et venerea delectatione, adeoque nec in istis actibus, qui periculum continent magis vel minus proximum venereae delectationis. — Oscula, amplexus, aliique actus *honesti* ex suo *obiecto*, et *modo* eos peragendi sponsis permittuntur. Ratio est, quia isti actus liciti in se sunt, adeoque, ut aliis solutis, ita etiam sponsis permittuntur. De sponsis autem potius quam de aliis movetur speciatim quaestio, tum quia ex una parte facilius ipsis isti actus permitti possunt *ob specialem rationem*, quae pro ipsis viget, ad benevolentiam nempe mutuo fovendam, quae ipsis omnino necessaria est ad futurum matrimonium, tum quia ex altera parte *speciale* etiam adest peccati *periculum*, unde generatim consilium dandum ipsis est, ut ab hisce etiam actibus abstineant, quantum fieri potest. — Billuart Diss. 6. art. 16., L. 854.

947. *Quid de istis sponsorum actibus, ceteroquin in se honestis et licitis, sentiendum, si ad actus venereos ciendos conferant?* — Valet hic generalis regula: tunc solum hos actus esse culpabiles, cum vel *mala* est *causa*, vel subest *periculum proximum* consensus. — *Quid si sponso vel*

sponsae constet, alterum in istis actibus peccare ob pravum affectum? Si actus illi *coram aliis fiant*, licite potest alter illos actus permittere, ne infametur, vel sui suspicionem ingerat, et ne alii scandalizentur. Si actus illi *fiant clam*, et certum sit malitiose fieri, ubi de aliis ac de sponsis agatur, communiter dd. docent teneri repellere illos actus. Verum, si de sponsis agatur, pro quibus saepe hac in re notabile incommodum adesse posset, quia alter certo a matrimonio recedet, adhibenda videtur generalis regula de scandalo accepto, posse nempe istud permitti, si citra grave incommodum impediri nequeat: impediendum vero, si absque notabili incommodo id fieri possit. — *Quid de iisdem hisce actibus sentiendum, quando ex lapsuum frequentia periculum consentiendi in subsecuturam veneream delectationem tanquam proxima peccandi occasio haberi debet?* Haec quaestio, uti praecedentes, de ipsis etiam aspectibus et colloquiis fieri potest, quae iustissimam habent causam, ut per se patet; unde parentes licite omnino tales aspectus et colloquia permittere possunt: quamvis magna semper cautio et prudentia sit in his adhibenda. Valet autem hic regula generalis de occasione *proxima, necessaria;* moraliter enim impossibile est, ut sponsus *serio* cogitans de matrimonio ineundo sponsam non invisat, aspiciat, alloquatur, eique iuxta morem exhibeat alia benevolentiae signa, quae mutuum eius amorem manifestent. Media igitur confessarius suggeret non modo generalia, sed etiam specialia: ut debita servetur moderatio, neque necessitas in iis signis exhibendis excedatur; tum vero ut nunquam solus cum sola agat. Curandum item, ne matrimonium diu differatur. Quod si ista et alia remedia fructum non obtineant, hoc unum superest, ut cum ipsis non secus ac cum aliis occasionariis et recidivis agatur. — Reuter Neo-confess. 112.

948. *An sit adulterium copula habita cum desponsata per verba de futuro?* — « Probabilius negatur cum Sanchez de Matr. l. 1. D. 2. n. 2., Salm., Ronc. Censent autem Ronc. et Salm., quod si unus ex sponsis cum alia persona fornicetur, debeat aperire in confessione circumstantiam sponsalium, tanquam mutantem speciem ratione iniuriae alteri illatae. Probabile vero satis est cum Trull., Pont., Dian., Covarr., Lug., Sanch. et Laym. esse tantum circumstantiam aggravantem, cum sponsus per sponsalia nullum acquirat ius in corpus alterius ». L. l. 3. n. 447., l. 6. n. 647., Billuart Diss. 6. App. 1. *Petes* 3.°, Ithur. Cas. 6. n. 16., Lugo de Poenit. D. 16. n. 177. 178.

949. *An matrimonio banna sint praemittenda?* — Matrimonium *licite* contrahi non potest, *etsi valide*, sine praeviis eiusdem proclamationibus, et grave est. Trid. S. 24. C. 1. 5. de R. M., C. *Cum inhibitio* 3. § 1. *de Clandest. desp.* — Omnes contracturi proclamationis legi subiiciuntur. Ex usu tamen excipiuntur Principes, quia eorum genus satis notum est, et ordinarie satis publica sunt connubia. Excipitur etiam urgentis necessitatis casus, v. g., si quis morti proximus concubinam ducere vellet ad prolem legitimandam, et periculum esset in mora. — Parochus denuntiationes omittens, etiamsi sciat nullum adesse impedimentum, graviter peccat. Lex enim obligat, etiamsi in particulari casu ratio eiusdem cesset: et gravissimum semper adest periculum, si res ista iudicio parochorum relinquatur. *An autem peccet graviter parochus, si unam tantum proclamationem sine dispensatione omittat?* Controvertitur. Alii affirmant, quia una procla-

matio e tribus gravis pars totius praecepti habenda est. Alii probabiliter negant, ob oppositam rationem. Omittere autem duas denuntiationes probabilius grave est. L. 991. — *Ex iusta causa* episcopus eiusque vicarius generalis a lege bannorum dispensare possunt, facilius ab una vel altera denuntiatione, quam ab omnibus. Trid. S. 24. C. 1. de R. M. Dispensatio autem ab utroque episcopo obtinenda est, si sponsi ad diversas dioeceses pertineant. Si enim ex una parte et uno in loco non detegantur impedimenta, non sequitur non posse detegi ex altera parte et altero in loco. Attamen non desunt auctores, qui dicunt alterutrius Ordinarium posse cum ambobus dispensare, et probare videtur S. Alph. 1006. — Communiter docent dd., quod episcopus non solum potest, sed etiam *tenetur* aliquando dispensare, nempe ad vitandum grave damnum commune vel privatum, spirituale vel temporale; quin etiam ob notabile bonum spirituale aut temporale communitatis vel alterius privati. — L. 389.-391. 1005.-1007., C. I. 70. seqq., C. B. 1316., E. M.

950. *Nota:* Si gravi de causa omissae fuerint denuntiationes ante matrimonium, ne, e. g., malitiose impediatur, « deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, *ut si aliqua subsunt impedimenta facilius detegantur* ». Trid. S. 24. C. 1. de R. M. Ergo, si constet nullum esse impedimentum, consummando non delinquent graviter coniuges contra Decretum. Immo Trid. mox addit, remitti posse denuntiationes *prudentia et iudicio* episcopi.

951. *Quonam in loco debeant fieri denuntiationes?* — « Certum est faciendas esse in parochia utriusque contrahentis..., quia sic fert consuetudo. Excipiunt Laym. etc., nisi parochiae essent valde propinquae... Si alter sponsorum de brevi moratur in aliquo loco, Pont. putat sufficere, si fiant in loco, ubi ille actu degit. Sed longe probabilius Sanch. etc. ex declar. S. C. dicunt omnino fieri debere in parochia unde discessit, quia denuntiationes, ideo fiunt, ut impedimenta manifestentur, ac propterea oportet eas fieri ubi sponsi diutius sunt commorati. Et hic notandum, quod si alter sponsorum sit externus, parochus non debet facere denuntiationes, nisi postquam ipse per fidem authenticam probaverit *statum liberum* coram Ordinario, ut habetur ex Instruct. S. C. S. O.... *Quoad vagos* autem Trid. S. 24. C. 7. de R. M. praecipit parochis non assistere eorum matrimoniis, nisi post diligentem inquisitionem adhibitam, et nisi prius ab Ordinario licentiam assistendi obtinuerint. Hinc recte ait Ronc., quod graviter peccaret parochus, si tale praeceptum non servaret ». L. 991. Hinc si sponsi, ubi nunc sunt, a semestri devenerint, ibi denunciationes faciendae sunt, secus vero in loco *etiam* unde discesserunt. « Generatim enim satisfit Decreto Tridentino, si matrimonia denuntientur ubi contracturi matrimonium tempore denuntiationum sunt parochiani ». Schmalz. l. 4. t. 3. n. 14. Satis autem est quoad locum originis et prioris domicilii, vel ubi diutus fuerint commorati, testimonium quaerere *status liberi.* Si vero unus aut uterque sponsus in duobus locis aequale habeat domicilium, vel domicilium in uno loco, in alio quasi-domicilium, in utroque banna sunt proclamanda. Plures autem dd. aiunt proclamationes fieri posse extra ecclesiam in loco magni concursus, quia sic obtinetur finis Concilii. — L. 991., E. M.

952. *Quandonam proclamationes fieri debeant?* — Fieri debent *diebus festivis de praecepto, continuis, inter missarum solemnia.* Trid. S. 24. C. 1. de R. M. *Diebus festivis de praecepto,* saltem in loco proclamationum. Plures docent posse fieri etiam die feriali, si quapiam ex causa magnus populi concursus ad Ecclesiam habeatur. Schmalz. l. 4. t. 1. n. 24. *Continuis,* i. e. nullo die festo omisso a prima proclamatione ad tertiam. Probabile putat S. Alph. 992. non graviter peccari, si dies festi, uno alterove interiecto, non sint continui, praesertim si agatur de festis praeter dominicam. Leve enim periculum est, ne populus obliviscatur. An vero possint fieri proclamationes diebus festis *immediate sibi succedentibus,* si occurrant? Controvertitur, et duplex est probabilis sententia. *Inter missarum solemnia,* i. e. in missa parochiali, vel conventuali. DD. addunt probabiliter, ex iusta causa fieri posse in concione, vel occasione processionis, cum congregatus est populus. Fieri non possunt in missis privatis, neque in vesperis. Si tamen parochus oblitus fuerit proclamationem ultimam facere in missa, et nuptiae urgeant, eam supplere poterit in vesperis. Factis proclamationibus, statim contrahere licet etiam eadem die. Si vero factis proclamationibus, matrimonium intra duos menses non sequatur, probabilius repetendae sunt proclamationes, nisi aliter episcopo videatur. Rit. Rom. Et trimestri elapso novo etiam testimonio status liberi opus est, nisi iterum aliud episcopo videatur. S. I. C. 24. Febr. 1847. ad 4. — L. 991. 992. 993., E. M.

953. *An revelari debeant cognita matrimonii impedimenta?* — Datur *per se gravis obligatio* impedimenta matrimonii revelandi. Ratio eruitur ex motivo religionis et caritatis, et ex ipso bannorum praecepto. — Obligatio haec spectat *ad omnes* cuiuscumque sexus, aetatis, parochiae, dioeceseos, etiam amicos et consanguineos; eaque quam primum *moraliter* implenda est, ne forte, dispensatione ab una aut altera proclamatione obtenta, matrimonium statim sequatur. Matrimonio autem secuto, lex quidem positiva cessat; sed lex naturalis pro circumstantiis revelationem exigere potest. — Praedicta adest obligatio, quantumvis impedimenta sint *occulta,* eaque quis noscat sub secreto naturali, etiam simpliciter commisso vel promisso, etiam iurato. Huiusmodi enim secretum non obligat cum grave imminet damnum communitati vel particulari personae. Probabilius vero revelationis non adest obligatio, si sit secretum commissum consilii petendi causa, v. g., advocato, medico, parocho, etc. Id commune bonum exigere videtur. Sed illi, qui sic norunt impedimenta matrimonii, debent saltem monere sponsos, ut a matrimonio desistant. — Tenetur quis impedimenta revelare, licet ea *solus* quis cognoscat nec probare possit, cum hic unius testimonium sufficiat. Ipsique contrahentes tenentur revelare, siquidem non agitur de poena subeunda, sed de peccato et scandalo vitando. — Non tenetur vero, ut alias, quis revelare *cum gravi suo damno,* si grave inde aliorum scandalum sequeretur, si revelatio esset inutilis vel potius bona fide contrahentibus obfutura, si obtenta iam esset dispensatio, etc. — L. 994.-1002.

954. *An parochus possit aliquando dispensare in denuntiationibus?* — R. Negative, quia nullam habet iurisdictionem in foro externo. « Valde probabiliter tamen dicunt Sanch., Laym., etc..., quod in casibus, in quibus episcopus dispensare tenetur, et adiri non possit, periculumque sit in

mora, poterit declarare praeceptum proclamationum non obligare, modo certus sit nullum adesse impedimentum. Immo in huiusmodi casibus censent Bus., Pont., etc. posse ipsos sponsos, si certi sint non esse impeditos, nuptias inire sine denuntiationibus ». L. 1007.

955. *Quid parocho sit agendum, si sponsi iam sint in Ecclesia ad matrimonium contrahendum, et ex eorum confessione impedimentum adesse deprehendat?* — Si nuptiae differri nequeant sine periculo infamiae, aut aliis gravissimis incommodis, et poenitens versetur *in* impedimenti *ignorantia invincibili*, omittenda est monitio, et permittenda est matrimonii celebratio, donec dispensatio obtineatur. — Si poenitens sit *in ignorantia vincibili*, aut si aperte cognoscat impedimentum, nec sine infamia aut scandalo differri possit matrimonium, ne ad dispensationem quidem ab episcopo obtinendam, tunc maxima est difficultas. Iuxta S. Lig. et alios, posset confessarius, seu parochus, declarare, legem Ecclesiae de impedimentis non obligare in tantis angustiis infamiae et scandali, et ad matrimonii celebrationem procedere. Omnis quidem potestas in aedificationem data est, non in destructionem. Attamen quamprimum, saltem ad cautelam, dispensationem postulare deberet. Iuxta alios permitti posset simulatio contractus matrimonii cum proposito quamprimum dispensationem ab impedimento petendi. Non potest autem, aiunt, cessare naturaliter impedimentum; lex enim irritans nunquam cessat ob incommodum particulare, quodcumque illud sit. Quoties vero adiri potest episcopus, adeundus est, quia, iuxta sententiam communem, in eo casu, ab impedimentis ecclesiasticis dispensare potest. — C. *Ubi* 2. *de Desp. impub.*, L. 613. 1122., E. M.

Verum in praesenti omnis fere evanescit difficultas. Nam episcopi facultatem habent, inter quinquennales, « dispensandi super impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, *dispensandique facultatem subdelegandi*, etiam habitualiter parochis propriae dioecesis ». Form. Facult. 5. Maii 1896. Cf. etiam 1044.

II. — DE NATURA ET PROPRIETATIBUS MATRIMONII

956. *Quid sit matrimonium?* — 1.° Matrimonium bifariam spectari potest, scilicet ut *contractus*, et ut *sacramentum;* siquidem utrumque est. Matrimonium ut *contractus*, est conventio, qua vir et mulier sibi invicem legitime tradunt dominium in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et se obligant ad individuam vitae societatem. Matrimonium ut *sacramentum* definitur: sacramentum novae legis, gratiam conferens ad legitimam viri et mulieris coniunctionem sanctificandam, et ad prolem pie suscipiendam, sancteque educandam. Trid. S. 24. *Doctr. de sacr. matr.*, c. 1., L. 879. 880., S. Th. S. q. 42., q. 44.

957. *Resolves:* Matrimonium ergo *licitum* est; et licitus *eius usus* est. Non est tamen singulis necessarium; siquidem necessarium ex sua intrinseca natura est tantum ad perfectionem multitudinis, et non ad perfectionem uniuscuiusque. S. Th. S. q. 41. a. 2. 3., E. M.

958. *Quaenam sit matrimonii divisio?* — Matrimonium spectari potest tum quoad *coniunctionem* viri et mulieris, tum quoad *vinculum* quod ex

ea oritur. Hinc dicitur primo *in fieri* vel *in facto esse.* Matrimonium *in fieri* dicitur ipse actualis contractus, qui mutuo consensu viri et mulieris perficitur. Vocatur autem *in facto esse* connubium perseverans in vinculo, quod ex matrimoniali contractu provenit.

Insuper distinguitur matrimonium *legitimum, ratum* et *consummatum.* Matrimonium *legitimum* dicitur, quod contrahitur iuxta normam *legis naturalis et civilis,* non tamen Ecclesiae ratificationem aut rationem sacramenti habet, quale olim in lege naturae ac mosaica, et etiam nunc inter iudaeos ac gentiles initur. — Matrimonium *ratum* est, quod contrahitur inter christianos nullo impedimento irretitos, inter quos tamen post contractum nondum intercessit commercium coniugale. *Ratum,* quia non solum natura et ius civile, sed etiam *Ecclesia* illud approbat et ratum habet. C. *Quanto* 7. *de Divort.* — Matrimonium *consummatum* dicitur, quod copula coniugum completum est; quod intelligi non modo de *rato,* sed etiam de mere *legitimo* debet. Ut possit matrimonium dici *consummatum* duo requiruntur: 1.° ut coniunctio carnalis perfecta sit et sufficiens ad generationem, adeo ut, prout habetur in C. *Verum* 2. *de Conv. coniug.*, coniuges *effecti simul fuerint una caro.* Non ea ergo sufficeret, ex qua, licet adempta mulieri foret corporalis virginitatis integritas, deficiente tamen apta virilis seminis effusione, generatio sequi non posset. 2.° Ut eiusmodi coniunctioni praecesserit *legitimus consensus* vel *matrimonium ratum.* Copula ergo ante contractum matrimonialem habita non efficit, ut contractum dein matrimonium consummatum censeatur, atque adeo neque indissolubilitatem neque alios consummati matrimonii effectus operabitur. Unde concludes, eum, qui voto religionis obstrictus, mulierem vitiaverit, posse eam ducere, et dein, nisi alia causa obstet, religionem votam ingredi, si postquam duxit, eam rursus non cognovit. — Schmalz. l. 4. t. 1. n. 227. 228.

Alia praeterea est matrimonii distinctio in *verum, praesumptum* et *putatitium.* — *Verum* dicitur, quod reapse et valide contractum est, atque ut tale probatur quopiam ex iis argumentis, quibus et cetera negotia probari solent, cuiusmodi est parochi vel aliorum testimonium, liber matrimoniorum, confessio coniugum, diuturna honestae foeminae cohabitatio. Leviores probationes sufficiunt cum agitur de matrimonio *sustinendo,* quam cum res est de eo *dissolvendo.* — Schmalz. l. 4. t. 1. n. 233.

Praesumptum dicitur, quod *a iure* praesumitur; quae quidem *iuris praesumptio* maxime in triplici casu locum habet. Ac 1.° quando in locis, ubi decretum Trid. de forma matrimonii non viget, post sponsalia absolute inita inter duas personas habiles, secuta est inter eas carnalis copula; tunc enim consensus de futuro praesumitur transiisse in consensum de praesenti, et copula praesumitur admissa affectu coniugali. Schmalz. l. 4. t. 1. n. 115. seqq., Pirhing e. t. n. 27., Barbosa in Cap. *Is qui* e. t. n. 3. seqq., S. Th. S. q. 46. a. 2. — 2.° Quando post sponsalia inita *sub conditione,* ante eiusdem eventum intercessit carnale inter sponsos commercium; Ecclesia enim, praecisione facta a praedicto Trid. Decr. de forma, tunc praesumit, sponsos a conditione recessisse, adeoque voluisse pure et absolute matrimonium contrahere. Patet ex C. *Per tuas* 6. *de Cond. apposit.* — 3.° Quando post sponsalia *de praesenti* ab impuberibus, in quibus malitia aetatem non suppleat, invalide contracta, inter eosdem, ubi adepti pubertatem fuerint, signa interveniunt ratificati con-

sensus, cuiusmodi sunt non tantum carnalis copula, sed etiam oscula, amplexus, cohabitatio, etc. Patet ex C. unic. § *idem quoque de Desp. impub.* in 6.° Qui tamen casus et ipse locum habere potest solum ubi praedictum Trid. Decr. non viget. Cf. Schmalz. l. 4. t. 1. n. 234.

Verum Decr. Leonis XIII. 15. Febr. 1892. *praesumptio* haec *iuris*, quae simul *praesumptio* erat *de iure*, quae nullam contrariam probationem admitteret, abrogata est. Abrogatur quidem hoc Decr. explicite praesumptio ex carnali copula. Verum consequenter et implicite abrogata censenda est praesumptio ex aliis signis, quae minoris roboris sunt. Abrogatur autem *praesumptio*. Quare, si copula, vel alia signa *consensum* reapse exprimant *de praesenti* ex reali contrahentium intentione, matrimonium validum adhuc erit in locis, ubi Trid. Decr. non viget. — C. H. 83.

Putatitium denique matrimonium dicitur, quod legitime contractum existimatur, cum tamen a parte rei ob latens aliquod impedimentum sit nullum. De quo ideo inquirunt dd., ut constet, quandonam vim legitimandi prolem inde susceptam, aliosque iuris effectus habeat. Duo porro ad id sunt necessaria: 1.° ut contractum sit bona fide saltem ab alterutro coniugum, qui nescius impedimenti fuerit. Ita in C. *Ex tenore* 14. *Qui filii legit.* Quam quidem bonam fidem nec error iuris, nec dubitatio de valore matrimonii excludit, ut probat Covarruvias de Spons. P. 2. c. 8. § 1. n. 9. In dubio autem bona haec fides praesumitur. 2.° Ut matrimonium contractum publice fuerit et in facie Ecclesiae, idest coram parocho et testibus, et praemissis, vel saltem dispensatis, denuntiationibus. Cf. C. fin. *de Clandest. desp.* § 1.

Memoranda est et alia matrimonii distinctio in *canonicum, politicum* seu *civile*, et *conscientiae*. — *Canonicum* dicunt, in quo omnia concurrunt, quaecumque a sacris canonibus ad matrimonium praescripta sunt. — *Politicum* seu *civile* illud dicunt, in quo concurrunt ea quoque, quae iure civili exiguntur, quaedam scilicet solemnitates, pacta dotalia, etc.; sine quibus matrimonium *canonice* quidem validum est, illegitimum tamen *civiliter* reputatur, atque adeo *civilibus* caret *effectibus*, e. g., quoad patriam viri et uxoris potestatem, quoad filiorum successionem, quoad mulieris dotem, etc. — Matrimonium *conscientiae*, seu *morganaticum*, dicitur legitima coniunctio viri cum foemina inferioris conditionis eo pacto inita, ut uxor et liberi inde nati dono nuptiali vel alia certa portione, tempore sponsalium destinata, contenti sint, et a ceteris bonis avitis ac paternis, una cum titulis, dignitatibus et insignibus abstineant. Schmalz. l. 4. t. 1. n. 236. seqq. — Matrimonium autem *conscientiae* seu *occultum* dicitur quod clam contrahitur coram parocho, vel alio sacerdote ab Ordinario deputato, et duobus testibus familiaribus, qui ad secretum servandum tenentur. Huiusmodi matrimonia, et baptismus filiis enatis collatus in secreto matrimoniorum et baptizatorum libro adnotantur. Cavendum in ipsis est, ne matrimonium, quod occultum est, habeatur cum scandalo tanquam turpis concubinatus, ne filii illegitimi censeantur, et legitima portione destituantur, eorumque educatio negligatur. Quare sine episcopi facultate fieri non potest. Bened. XIV. C. *Satis vobis.*, 17. Nov. 1741. E. M.

959. *Quaenam sint essentialia matrimonii, quatenus contractus?* — Ut omnes contractus, ita matrimonium constat *re*, *causa* et *consensu*. — *Res* est quod mutuo datur et accipitur, *potestas* seu *ius* in corpus, *ad*

coeundum, in ordine ad generationem. Ipsa ergo commixtio ad essentiam non pertinet, sed ad eius tantum consummationem. Hinc coniuges licite abstinere possunt ab usu coniugii, et optare ne plures nascantur filii, quam possint alere; dummodo eos positive non impediant, nec abortum procurent.

Causa est sobolis procreatio et educatio, finis primarius matrimonii, et mutuum vitae adiutorium, finis matrimonii secundarius, Gen. 1., 28. Post Adae peccatum, remedium etiam concupiscentiae, alius matrimonii secundarius finis est, 1. Cor. 7., 2. 5. 9. Et hi omnes, fines sunt matrimonii *intrinseci.* Hinc *licite* matrimonium contrahitur in remedium concupiscentiae, modo proles positive non impediatur. Idque asserendum de ipso usu coniugii ad concupiscentiam sedandam. Contrarium opinatur S. Th. S. q. 49. a. 5. ad 2. Sed ab eo recedit S. Alph. 882., et iure, siquidem id *magis propria interpretatione* eruitur ex textu S. Pauli l. c. *Licitum* item est, matrimonium contrahere propter finem extrinsecum honestum, e. g., ob pacem familiarum conciliandam, amorem conservandum inter consanguineos, honorem familiae conservandum, sanitatem tuendam, etc. Ratio, quia « haec non est deordinatio, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis prae fine primario, modo iste non excludatur. Secus vero, si finis non sit honestus, nempe si sit voluptatis, vel cupiditatis divitiarum, vel vani honoris ». L. 883.

Consensu tandem perficitur, vera nempe voluntate utriusque super *eadem re,* i. e. *iure coeundi,* quo ultro citroque tradendo, matrimonium contrahitur. Et quia matrimonium *perpetuum* est, si uni eorum propositum sit illud ad *tempus* tantum contrahere, ex defectu legitimae voluntatis, licet externe non manifestatae, nihil erit actum. Quare dari quidem potest matrimonium sine *bono prolis* et sine *bono fidei,* seu fidelitatis, quia haec duo matrimonii bona spectant ad usum matrimonii et esse rei ab usu suo non dependet; sed dari non potest matrimonium sine *bono sacramenti* seu inseparabilitate; nam haec « pertinet ad ipsum matrimonium *secundum se,* quia ex hoc ipso, quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari non possunt, et inde est, quod matrimonium nunquam invenitur *sine inseparabilitate* ». S. Th. S. q. 49. a. 3. — L. 879.-883., S. Th. S. q. 41. a. 1., q. 42. a. 2. 4., q. 44. a. 1., q. 45. a. 1., q. 48. a. 1., q. 49., q. 54. a. 3., q. 58. a. 1. ad 3., 4. D. 2. q. un. a. 4., D. 26. q. 2. a. 4., Comment. in 1. ad Cor. Lect. 1., C. G. 146., C. B. 1325., E. M.

960. *Qualis consensus esse debeat?* — Consensus debet esse: 1.° *Mutuus;* consistit enim matrimonium in contractu, qui est essentialiter consensus duorum, seu consensus mutuus. Unde si ex una parte deficiat, nullum erit. — 2.° *De praesenti;* quia per promissionem *de futuro* fiunt tantum sponsalia, non vero matrimonium. Deducitur etiam ex C. *Si inter* 31. *de Spons. et matrim.* — 3.° *Deliberatus et voluntarius;* quia est contractus de re gravi, gravem propterea obligationem inducens; nemo autem censetur obligationem gravem sibi imponere, nisi libere ac plene consentiat. Constat ex Iure canonico, quod invalidat matrimonia ex metu gravi contracta. — 4.° *Manifestatus signis externis;* quia omnis conventio inter homines aliquo signo externo cognosci debet: conventio enim mutuam acceptationem inter contrahentes necessario supponit. — S. Th. S. q. 45., E. M.

961. *An consensus verbis exprimi debeat?* — R. Negative quoad *validitatem*, quia de iure naturali in contractu sufficit, ut consensus certo aliquo signo exprimatur. C. un. § fin. *de Despons. impub.* in 6.°, C. *Is qui fidem de Spons.*, C. *Tuae fraternitati* 25. *de Spons.* Quare sufficit, ut consensus externe manifestetur, e. g., annuli traditione et acceptatione, et quoad mulierem etiam silentio. L. 882. 887., S. Th. S. q. 45. a. 2., q. 47. a. 3. — Affirmative quoad *liceitatem*, quia alias ageretur contra Rubricam et Ecclesiae consuetudinem. Attamen non videtur excedere veniale, si verba non adhibeantur; immo ab omni culpa verecundia aut alia rationabilis causa excusaret. L. 888.

962. *Quid agendum, si quis dicat se ficte consensisse?* — Quoad *forum externum* fides ei non adhibetur, nisi ex circumstantiis pateat, illum aut dolo fuisse deceptum aut gravi metu inductum ad contrahendum; supponi enim nequit eum, qui libere matrimonium iniit, ficte consensisse. — Quoad *forum internum*, qui asserit se *ficte* consensisse, obligandus est ad abstinendum a debito petendo et reddendo, donec vere consenserit, et *ordinarie* etiam ad consensum verum ponendum, ut sic iniuriam comparti illatam reparet. *Ordinarie*, quia si compars separationi consentiat, vel ipse ad contrahendum coactus fuerit, consensum supplere non tenetur. — Sufficit autem, ut consensus alterius consensui praecedenti, et non revocato, accedat. Quare, si quis coram parocho et testibus non vere consenserit, satisfacit consentiendo postea. — Ceterum coniux, qui verum assensum posuit, non obligatur credere alteri asserenti, se ficte consensisse, nisi id iuramento firmaret; ideoque licite debitum peteret, donec defectus consensus evidenter probaretur. S. C. C. 24. Feb. 1720., S. Th. S. q. 45. a. 4. ad 2. — Obligatio autem ineundi *vero consensu* matrimonium *gravissimam* se facile prodit, non modo quia secus graviter peccatur contra reverentiam sacramento debitam, sed quia per iniuriam gravissimum alteri parti damnum infertur. Quippe cum in foro externo difficillime probari fictio queat, deceptae parti non permittuntur aliae nuptiae, ideoque hoc unum illi superest, ut aut Religionem ingrediatur, aut in saeculo maneat innupta. — L. 887. 1113. 1114., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 265. seqq

963. *An sufficiat consensus per procuratorem?* — R. Affirmative, quoad *validitatem*, modo adsint *conditiones requisitae*, quia matrimonium habet totam rationem contractus naturalis. Contractus autem quilibet per procuratorem fieri potest. — *Conditiones* vero ad matrimonium hoc modo contrahendum sunt: 1.° ut procurator habeat *speciale* mandatum; ut mandatum sit de contrahendo *cum determinata persona*; ut mandatum exsequatur *per seipsum*, C. fin. *de Proc.* in 6.°; 2.° ut mandans mandatum *non revocaverit* neque mentaliter tantum, neque etiam tacite, celebrando, e. g., sponsalia cum alia; 3.° ut procurator ostendat mandatum parocho et testibus: verum sufficit etiam, ut mandatum oretenus detur; 4.° ut matrimonium contrahat coram eisdem *iuxta formam Trid.*; 5.° ut *limites mandati non excedat*, si, e. g., conditio requisita a mandante sit, ut contrahatur tali dote, tali tempore, etc. — Negative quoad *liceitatem*, nisi causa valde gravis urgeat. Ratio, quia iste modus contrahendi est contrarius praxi ordinariae Ecclesiae, et vix inter alios, quam inter Principes et Magnates sic matrimonia fiunt. Hinc parochus non debet propria

auctoritate matrimoniis huiusmodi benedicere, ut ex praxi Ecclesiae et Ritualibus constat. — L. 885. 886. 889., Sanch. l. 5. D. 8. n. 24.

964. *An sit validum matrimonium sub conditione initum?* — Certum est, esse validum, si conditio sit *de praeterito* vel *de praesenti*, et verificatur. Ratio est, quia consensus ille conditionatus statim transit in absolutum, et proinde nihil deest valori sacramenti. — Si adiiciatur conditio *honesta* et *possibilis de futuro*, non perficitur matrimonium, donec conditio impleatur; quia contractus transferre debet ius mutuum in corpora *de praesenti*. Impleta autem conditione, valet *sine novo consensu* matrimonium; siquidem contractus conditionatus, adimpleta conditione, transit in absolutum, et eo ipso valet ratione sacramenti, quia inter christianos contractus matrimonii a sacramento disiungi nequit. *Sine novo consensu*, cum tamen id multi negent, et ex S. Alph. 895. probabiliter, tutius est, consensum renovare. — Quamvis validum sit matrimonium, etsi contrahentes ignorent impletam esse conditionem, quia conditionis exsistentia non ab eius notitia dependet, uti tamen matrimonio non possunt ante acceptam illius adimpletionis notitiam, secus voluntate saltem et intentione fornicationem committerent. — Conditio *impossibilis* ex natura rei, vel de facto tantum, pro non adiecta habetur *in foro externo*, quia in re tam gravi praesumitur non fuisse serio appositam. C. fin. 7. *de Condit. apposit.* Sed quia praesumptio cedit veritati, et pro *foro externo* et pro *foro interno* casus illi excipiendi sunt, in quibus veritas *certo* praesumptioni adversatur et praevaleat. Si vero *dubium* sit, conditio tunc pro *utroque foro* pro non adiecta habetur, ne forte separentur illi qui legitime sunt coniuncti, et aliis illegitime coniungantur. — 5.° « Si autem sit conditio *de futuro necessaria*, sicut solem oriri cras, tunc *est matrimonium;* quia talia futura iam sunt praesentia in suis causis ». S. Th. 4. D. 29. q. un. a. 3. q. 3., L. *Si pupillus* 9. § 1. ff. *de Novationib.* — L. 890. 892. 895., S. Th. S. q. 47. a. 5., Schmalz. l. 4. t. 5. n. 37. 60. seqq.

965. *An sit licitum contrahere cum consensu conditionato?* — R. Negative. Talis modus contrahendi est illicitus, praesertim si conditio sit *de futuro*, nisi forte, ut habet S. Lig. 892., adsit urgentissima causa. Ratio est, quia multa ac gravia incommoda ex tali modo contrahendi subsequi facile possunt, nempe, ambages, difficultates, et inde iurgia et scandala.

966. *An sit validum matrimonium initum sub conditione turpi?* — Si conditio turpis *non repugnet substantiae matrimonii*, validum censetur matrimonium *in foro externo;* in eo enim conditio pro non adiecta habetur. C. fin. *de Condit. appos.* Quia tamen hoc praesumptioni innititur; hinc si aliunde *certo* constet, serio fuisse adiectam, et consensum reipsa non fuisse praestitum nisi sub eius eventu, tunc sane in *neutro foro* matrimonium validum censebitur, nisi evenerit conditio. Verificata autem conditione, quoad *forum internum* controvertitur, sicut in ceteris contractibus. Ordinarie tamen non censetur conditio *sine qua non*, sed merum propositum aut promissio a contractu matrimoniali independens, ac proinde consensus non iudicatur tali conditione suspensus, nisi de hoc *omnino constet.* Ceterum in dubio pro matrimonio semper iudicandum est. L. 891. — Invalidum vero censetur matrimonium *in foro interno*, si conditio haec *repugnet substantiae seu essentiae matrimonii*, triplici nempe eiusdem

bono, idest 1.° bono *sacramenti;* 2.° bono *fidei;* 3.° bono *prolis;* quod fieret, si sponsi contrahendo matrimonium, *fidelitatem* in coniugio, aut *perpetuitatem* in matrimonio, aut *generationem* prolis positive excluderent. Ratio est, quia tali conditione, sive interius tantum in intentione unius aut utriusque contrahentis, sive exterius tantum, apposita, aut non habetur aut saltem exterius non exprimitur consensus in verum matrimonium, cum ipsa substantia seu essentia matrimonii vi talis conditionis tollatur. Verum *in foro externo,* nisi conditio *in expressum pactum* deducatur, praesumptio est pro valore matrimonii, cum causa sit favorabilis, et communis boni. — *A fortiori* invalidum est matrimonium, si talis conditio repugnans substantiae matrimonii *expresse* apponatur et *in pactum* deducatur, *in utroque foro,* etiamsi interior adesset consensus, quia consensus exterior sufficiens deesset. C. *Si conditiones* 7. *de Cond. appos.* — Si conditio turpis non sit *de futuro;* sed *de praesenti,* vel *de praeterito,* ex communiori sententia matrimonium valet, verificata conditione, non valet ea non verificata. Ratio, quia talis conditio, proprie conditio non est, L. *Institutio* 10. § ff. *de Condition. institution.* — L. 881. 882. 891., S. Th. 4. D. 29. q. un. a. 3. q. 3., D. 31. q. 1. a. 3., Schmalz. l. 4. t. 5. n. 90. seqq., Lugo de Sacr. D. 8. n. 129., E. M.

967. *Resolves:* 1.° Si *conditio turpis* non afficiat ipsum *contractum,* sed afficiat tantum *exsecutionem* contractus; quia matrimonio quidem volunt ligari, sed matrimonii officia adimplere nolunt, tunc graviter peccant, sed matrimonium valet. — 2.° In locis, ubi lex adest divortii, si legis notitia se habet *antecedenter* quoad consensum, h. e., si ideo contrahunt, quia norunt id sibi licere, et aliter non contraherent, invalidum est matrimonium; si vero se habet *concomitanter,* quia generalem habent voluntatem contrahendi, ita ut aeque contraherent sine tali notitia, matrimonium validum est. *In foro externo* generalis voluntas contrahendi semper praesumitur, nisi contrarium probetur, ut docet Bened. XIV. de Syn. l. 13. C. 22. n. 7., et declaravit Pius VI. Litt. ad Archiep. Pragens. 11. Jul. 1789. — 3.° Si matrimonium initum quidem sit sub conditione, excludente bonum prolis, sed quae *honesta* sit, sub conditione nempe *castitatis servandae,* matrimonium valet: nam adhuc habentur consensus et obiectum, quae contractui omnino essentialia sunt; obiectum enim est mutua *traditio* et *potestas* in proprium corpus. Id tamen alii negant. — L. 881. 882., Lugo de Sacr. D. 8. n. 131. 132., Collectan. S. C. de P. F. n. 1291. 1292. 1299. 1301. 1302.

968. « *Notandum* hic, quod differt *conditio* a *demonstratione, causa, modo, die,* quia *demonstratio,* sive *causa* adiecta, puta si quis dicat, *duco te, quae es virgo,* vel *quia es virgo,* non vitiat, nec suspendit matrimonium, esto causa sit falsa aut turpis, etiam contra substantiam matrimonii, ut Sanch. l. 5. D. 19. n. 2. Nam licet ille non contraheret, si sciret eam non esse virginem, praebet tamen tunc absolute consensum, qui non impeditur, nisi ab errore circa substantiam, sive circa conditiones substantiales matrimonii. Neque suspendit *modus,* si dicatur, v. g., *duco te, ut mihi inservias...,* etiamsi modus sit de re turpi aut impossibili, *duco te, ut occidas,* etc. Ratio, quia consensus non pendet *a modo,* sicut pendet *a conditione.* Et etiamsi, ait Viva cum Pal., *modus* sit contra substantiam matrimonii, scilicet *duco te, ut adulterium facias,* etc. Sed probabilius con-

tradicunt huic Salm. cum Sanch., quia non videtur habere animum contrahendi, qui intentionem habet contractui oppositam. Utrum autem *dies* appositus suspendat contractum, puta si dicatur: *duco te post tres dies?* Negat Sanch. Sed probabilius affirmant Viva cum Con. etc., quia contrahens tunc non intendit ponere perfectum consensum, nisi post tertium diem ». L. 896. — S. Th. S. q. 48. a. 2., Schmalz. l. 4. t. 5. n. 136. seqq., Sanch. l. 5. D. 19. n. 2. 3.

969. *Quaenam sint essentialia matrimonii quatenus sacramentum est?* — Sacramentum matrimonii non est quid distinctum ab ipso contractu matrimonii, sed est ipsemet *matrimonii contractus,* elevatus a Christo D. N. *ad esse sacramenti.* Pius IX. Alloc. 27. Sept. 1853., Pr. 67.ª 73.ª Syll. d. a Pio IX. — Unde patet quod ipsi contrahentes sunt *ministri* et *subiecta* huius sacramenti. Flor. Decr. pro Arm., Trid. S. 24. C. 1. de R. M. *Materia* autem et *forma* ipso contractu continetur. *Materia remota* sunt ipsa corpora seu ius in corpora sponsorum, in contractu matrimonii invicem tradenda in ordine ad generationem. *Materia* autem *proxima* est mutua traditio corporum, quae per verba aut signa consensum in contractu exprimentia perficitur; et *forma* est mutua contrahentium acceptatio verbis aut signis expressa. — Quare *inter christianos, nullo impedimento* sive naturali, sive divino, sive canonico *laborantes*, haberi non potest *contractus matrimonii*, quin simul *matrimonii sacramentum* habeatur, et vice versa *sacramentum* sine *contractu* esse non potest. *Inter christianos*, nam homines non baptizati non sunt capaces sacramentorum. *Nullo impedimento* etc., licet enim *per se* omnis homo baptizatus sit subiectum capax sacramenti matrimonii, *per accidens* tamen plures a matrimonio valide contrahendo arcentur propter varia impedimenta. — Ex praedicta vero mutua acceptatione et traditione, *vinculum* matrimonii exoritur, nempe ius et obligatio mutua in corpora in ordine ad generationem, adeoque coniunctio viri et uxoris ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesticam. — L. 879. 880. 897.-899., S. Th. 4. D. 26. q. 2. a. 1. ad 1., D. 28. q. 1. a. 3., S. q. 44. a. 1., q. 45. a. 1. 2., q. 48. a. 1., E. M.

970. *Resolves:* 1.° Matrimonium infidelium, licet sit validum in ratione contractus, non tamen est sacramentum. S. Th. S. q. 59. a. 2. An sacramentum sit, matrimonium fidelis cum infideli, accedente Papae dispensatione, alii negant, alii affirmant. Matrimonium vero ab infidelibus contractum, quando ambo coniuges ad fidem convertuntur, susceptione baptismi, in sacramentum transit. — 2.° Haeretici et schismatici, qui ineundo matrimonium, Ecclesiae leges quoad matrimonii substantiam servant, valide contrahunt et sacramento muniuntur. — 3.° Christiani omnes, qui nolunt *omnino* sacramentum recipere, neque *valide contrahunt*, etsi velint matrimonium contrahere; et si matrimonium *vere contrahere* volunt, etiam *sacramentum* recipiunt, etsi nolint sacramentum facere. — Lugo de Sacr. D. 8. n. 120.-130., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 302.-304., t. 19. n. 164.-176., Ferraris v. *Matrimonium* a. 1. n. 19., Clericat. de Matr. Decis. 4. n. 25.

971. *Utrum matrimonium civili an ecclesiastica auctoritate regatur?* — Cum *inter christianos* contractus ipse matrimonii sit sacramentum; nequit matrimonium quatenus *contractus* regi potestate civili, quatenus *sa-*

cramentum potestate ecclesiastica; neque simul, quatenus *contractus* et *sacramentum* est, regi ab utraque potestate civili et ecclesiastica; sed exclusive regi debet qua *contractus* et qua *sacramentum* ab auctoritate Ecclesiae. Quare ad *solam* Ecclesiam pertinet statuere ea *praecipue*, quae spectant ad substantiam huius contractus, et quoad *inhabilitatem* personarum et quoad *formam* et *solemnitatem* constituendam, quoad *impedimenta* nempe *dirimentia* statuenda. Itemque ad Ecclesiam solam pertinent causae matrimoniales et sponsalium aliorumque *impedimentorum directe impedientium*. Trid. S. 24. c. 4. 12., Bened. XIV. C. *Singulari* §§ 7. 9., Syll. pr. 74.ª — Cum autem familiae membra sint Societatis Civilis, hinc matrimonium in Societate Civili civilia parit iura et obligationes, quae *civiles* matrimonii *effectus* nuncupantur. Si quid igitur possunt civiles Principes super matrimoniis, ea *tantum* spectat, quae *in genere civili versantur*. Leo XIII. Enc. *Arcanum*, et Epist. d. 8. Febr. 1893. — Verum matrimonium *civilis* quidam contractus non est, sed maxime *naturalis*. Matrimonii contractus ab ipso Deo, mundi exordio, institutus est, Gen. 2., 18.; et praeterea *res sacra* semper fuit et est. Trid. S. 24. Doctr. de Sacr. M., Leo XIII. Enc. cit. Hinc, matrimonium, *quoad infideles*, et qua *contractus naturalis* et qua *res sacra*, a civili Principum potestate et iurisdictione minime dependet quoad impedimenta ipsum dirimentia, secundum plurium et gravium dd. sententiam. Sed alii sunt dd., qui infidelium matrimonia, cum non sint sacramenta, nec ideo iure canonico regi possint, ne contrahentes in re tam gravi sint exleges, Principum sive fidelium sive infidelium potestate et iurisdictione regi arbitrantur. Huic secundae sententiae adhaerere videtur S. Th. 4. D. 39. q. 1. a. 2. ad 3.; siquidem « ea quae pertinent ad legem naturae sunt determinabilia per ius positivum; et ideo *si prohibentur* ab aliquo iure positivo apud eos infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, disparitas cultus *impedit* matrimonium inter eos ». — S. Th. S. q. 42. a. 2., 4. D. 34. q. 1. a. 1., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 360. seqq., t. 18. n. 2.-8. — Collectan. S. C. de P. F. n. 1289., E. M.

972. *Resolves: Impedimenta* ergo matrimonium *dirimentia* ex Iure Canonico desumenda sunt, minime vero ex Iure Civili, nisi quatenus accesserit huic Ecclesiae approbatio et confirmatio, vel quatenus Ius Civile conforme sit hac in re Iuri Canonico; ex hoc, ubi difforme sit, corrigendum. — Trid. S. 24. Decr. de R. M. etc., C. I. 56 seqq., C. G. 161. seqq., C. H. 83. seqq., C. A. 47. seqq., C. B. 1303. seqq.

973. *Nota:* Cum praesenti Iure Civili Ital., Gall., Germ. matrimonium non admittatur nisi *civile*, initum nempe secundum civile ius, hinc, eo praetermisso, plura sequi possunt *gravia damna* et spiritualia et temporalia. *Spiritualia*, quia integrum erit alteri ab altero discedere et aliud inire civile matrimonium. *Temporalia*, quia vir lege non cogitur uxorem alere, et filii, tanquam *legitimi* minime a lege *recogniti*, in paternam haereditatem, *vi civilis legis*, in foro externo, non succedunt. Quare praetermittendae non sunt civiles caeremoniae. Ac, si civili iure sponsus et sponsa a matrimonio prohibeantur, eos matrimonio coniungere non licet iniussu Episcopi. S. Poenit. 15. Jan. 1866. Cf. C. I. 70. seqq. 93. seqq. 721., C. G. 165. seqq. 723., C. B. 1317. 1324. — Secus vero est ex C. A. 69. seqq.

75. seqq., et ex C. H. 42. seqq. 75. seqq. — Cf. V. 1. n. 223. 680., Collectan. S. C. de P. F. n. 1390., E. M.

974. *An status gratiae ad sacramentum matrimonii requiratur?* — Sponsi matrimonium contrahentes, in statu gratiae versari debent, quia matrimonium est sacramentum *vivorum*. Qui contrahunt in peccato mortali, rei sacrilegii evadunt, nec gratias sacramentales percipiunt. Probabiliter tamen illae gratiae sunt tantum suspensae, et, remoto obice seu peccato mortali, animae applicantur. — Si nullus fructus ex monitione speretur, melius erit indignum non monere de sacrilegio, ut saltem sic minus peccet; et potius inducendus erit, ut saltem quam primum ad confitendum accedat. — L. 884.

975. *An parochus exigere debeat, ut libellus confessionis a sponsis exhibeatur?* — Non potest *per se* id exigere, nisi lex seu praeceptum episcopi illud statuat. Ratio est, quia quamvis requiratur status gratiae ad hoc sacramentum suscipiendum, non tamen requiritur necessario confessio, cum contritio absolute sufficere possit etiam iis, qui in statu peccati mortalis versantur. Aliunde parocho plerumque non innotescit, sponsos in statu gratiae non versari. — Ubi *lex particularis exsistit*, parochus exigere debet confessionis testimonium. Possunt tamen occurrere casus, in quibus haec lex exceptionem admittat, uti si matrimonium iam sit civiliter contractum, et una pars testimonium confessionis requisitum exhibeat, etc. Ac, si sponsus non sit publicus peccator, nec de eius indignitate constet, rationes etiam minus graves sufficiunt. Cf. 372. seq.

976. *An in Ecclesia celebrandum sit matrimonium, et in missa a parocho benedicendum?* — Matrimonium *in Ecclesia* decet celebrari et sponsi *hortandi sunt*, ut recipiant *benedictionem nuptialem*. Si eam omittunt, aut omni vacant culpa, aut certe gravi. Matrimonium celebrari potest quovis tempore, etiam feriato, vel interdicti. — Benedictio nuptialis datur tantum *in missa*, et dari potest etiam postquam matrimonium est celebratum, etiam si sponsa praegnans accedat. Datur autem a solo episcopo vel parocho proprio, in eorum tantum proprio territorio, et extra tempus *feriatum* et interdicti. *In missa*, nempe si fieri potest *votiva* pro sponso et sponsa; quae ideo quavis die permittitur, praeter dupl. 1. et 2. cl., dies festos de praecepto, et vigiliam Pentecostes, sed in his addenda est missae praescriptae commemoratio pro sponso et sponsa; et insuper post *Orationem dominicam* et *Ite Missa est* Orationes adduntur, quae ad hoc in Missa *pro sponsis* habentur. Semel autem data sive viro sive mulieri, iterum in secundis nuptiis dari non potest. Verum cum foeminam ea benedictio praecipue respiciat, si mulier eam nunquam acceperit, dari poterit, sive tunc primum, sive tunc iterum nubat. — C. 1. 3. *de Secund nupt.*, Trid. S. 24. C. 1. de R. M., Rit. Rom. h. t., Bened. XIV. Instr. 80. n. 8., L. 984. 988., Collectan. S. C. de P. F. n. 1536. 1537. 1559., E. M.

977. *Quid de unitate matrimonii?* — Unitas matrimonii in eo sita est, quod matrimonium sit coniunctio unius viri cum una foemina. — Certum est, *polyandriam*, seu coniunctionem simultaneam plurium virorum cum una foemina, pugnare cum lege naturali, quia praecipuis matrimonii finibus adversatur, nempe generationi prolis et bonae eius educationi. — Certum est, *polygamiam simultaneam* seu simultaneam coniunctionem

plurium foeminarum cum uno viro, esse in omni casu prohibitam, saltem de iure positivo divino Novae Legis, ut constat ex Luc. 16., 18.: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur.* Constat pariter ex Trid. S. 24. *Doctr. de sacr. matr.*, c. 2. — Certum est, secundas nuptias et ulteriores esse licitas tam viro quam mulieri etiam sub lege Evangelica. Constat ex auctoritate et praxi Ecclesiae, nec non ex Scriptura sacra, 1. Cor. 7., 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat; tantum in Domino.* — S. Th. S. q. 63., q. 65., E. M.

978. *Quid de firmitate matrimonii, quatenus spectat vinculum?* — Matrimonium est indissolubile, i. e. matrimonio semel contracto, divortium *quoad vinculum* fieri nequit, saltem de lege positiva divina. De fide est. Prob. 1.° Ex verbis Christi, Matth. 19., 6.: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* 2.° Ex verbis S. Pauli 1. Cor. 7., 10. 11.: *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* 3.° Ex Trid. S. 24. c. 5. 7. Licet ergo etiam ante consummatum matrimonium casus incidat, quo stante non potuisset matrimonium iniri, e. g., si vir impotens, si mulier amens fiat; matrimonii vinculum perseverat. C. 25. cau. 32. — L. 955., S. Th. S. q. 67., Collectan. S. C. de P. F. n. 1295., C. B. 1348., E. M.

979. *An exceptio detur, quoad praedictam matrimonii firmitatem?* — *Triplex casus est excipiendus.* 1.° Dissolvi potest matrimonium *ratum et non consummatum Christianorum*, gravi de causa, *per dispensationem* Papae, ex potestate divinitus ipsi concessa. Patet ex eo quod SS. Pontifices iam multoties hac potestate usi sint, uti S. Gregorius VII., Paulus III., etc., Bened. XIV. C. *Dei miseratione.* Cf. Perrone de Matr. t. 3. S. 2. C. 6. a. 4. Extendenda autem haec facultas est *ad matrimonia consummata in infidelitate*, si coniuges post baptismum, quo coniugium fit *ratum*, rursus illud nondum consummaverint; itemque *ad matrimonia consummata in infidelitate*, cum coniux conversus et baptizatus permittitur, Apostolica Auctoritate, remanere cum uxore, quae cum ipso conversa et baptizata fuerit, tanquam cum legitima uxore, aliis dimissis; licet haec prima eius uxor non sit; vel cum, quia coniux infidelis absens moneri non possit, permittitur, Apostolica Auctoritate, ut coniux conversus ad fidem et baptizatus cum quavis fideli matrimonium contrahat. Enimvero hoc matrimonium validum et firmum est, etiamsi postea innotescat coniugem priorem infidelem suam voluntatem *iuste impeditum* declarare non potuisse, et *ad fidem* etiam, *tempore transacti secundi matrimonii, conversum fuisse.* Id quidem luculentissime constat ex Litteris S. Pii V. 2. Aug. 1571., Gregorii XIII. 25. Jan. 1585., Urbani VIII. 20. Octobris 1624., 17. Septembris 1627. — *Non consummatum*, actu nempe per se idoneo ad effectum generationis; et, ex S. Alph. 1036., S. Th. 4. D. 41. q. 1. a. 1. q. 4. ad 2., actu ex utraque parte perfecto. — *Consummatum Christianorum* nullo modo dirimi potest, Matth. 19., 6.; Trid. S. 24. c. 7. de M., et idem dicendum, si matrimonium a fideli cum infideli ex Rom. Pont. dispensatione contrahatur. Clemens XIII. 2. Aug. 1759., S. O. 1. Aug. 1753. — L. 955. 956. 959., Collectan. S. C. de P. F. n. 1308.

2.° Dissolvi potest matrimonium *ratum* et *non consummatum* per *solemnem professionem religiosam* unius coniugum, atque hoc ex privilegio speciali a Christo concesso et ab Ecclesia declarato. C. *Verum*, C. *Ex parte de Convers. coniugat.*. Trid. S. 24. c. 6. — *Solemnem*, i. e., non *simplicium* votorum, etiam in Soc. Jesu, sed *solemnium*. — *Professionem*, non merum in Religionem ingressum. — Ut autem sponsi de huius privilegii usu deliberent, ab ipso iure duos menses post nuptias sibi concessos habent, quo tempore non tenentur reddere debitum. C. *Verum*, C. *Ex publico de Convers. coniug.* Ac « quilibet coniugum licite potest intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi Religionem, quia utitur iure suo ». L. 956. Immo post illud quoque bimense, si matrimonium etiam per illicitam debiti negationem consummatum non fuerit, hoc privilegium manet. Neque illud impedit fornicatio habita inter sponsos ante matrimonii celebrationem, nisi matrimonium necessarium sit ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut sponsae honorem. Si intra bimestre violentia adhibeatur, et matrimonium ita consummetur, dum sponsa reipsa de religione capessenda cogitabat, licet iam indissolubile sit matrimonium, potest tamen sponsa etiam in hoc casu Religionem ingredi. Peccat vero ille, qui matrimonium cum intentione Religionem ingrediendi contrahit, quin compartem moneat. — L. 870. 958., S. Th. S. q. 61. a. 2. 3., Schmalz. l. 3. t. 32. n. 11. seqq.

3.° Dissolvi potest *matrimonium* etiam *consummatum infidelium* ex concessione divina, quando alteruter coniugum convertitur *ad Fidem christianam*, licet non catholicam, sed haereticam, *per susceptionem baptismi*, et alter recusat cum eo pacifice cohabitare, vel non cohabitat, nisi cum *iniuria Creatoris*, et Religionis christianae contemptu, aut conatum adhibet, ut partem fidelem ad peccatum mortale pertrahat. Concessio haec divina eruitur ex verbis Apostoli 1. Cor. 7., 12.-15., ubi ait: *Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam...; quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.* Eandem fusius explicat Innocentius III. in C. *Quanto* 7. *de Divortiis.* — L. 955. 956., S. Th. S. q. 59. a. 3.-6., E. M.

980. *Nota:* 1.° Non statim dissolvitur matrimonium per susceptionem baptismi; *Crimina in baptismo solvuntur, non coniugia*, C. *Gaudemus* 8. *de Divortiis*, C. *Si quis* 28. q. 2.: sed quando coniux conversus et baptizatus novum init coniugium. Quando autem coniux conversus ad alias transit nuptias, cum iam dissolutum sit prius matrimonium, etiam coniux, qui manet in infidelitate valide et licite aliud contrahere potest matrimonium. — Regulariter ex praescripto Iuris C. *Quanto* 7. *de Divortiis*, privilegium Paulinum, *Quod si infidelis discedit, discedat*, interpretantis, pars conversa ad alia vota transire nequit, priusquam infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum ea cohabitare, aut noluerit saltem cohabitare sine contumelia Creatoris. — Si non possit infidelis interpellari, propterea quod longe absit et fugerit, vel latitet, plures censent apud Sanchez l. 7. D. 74. n. 13-15. omitti posse interpellationem, quia nulla impossibilium obligatio; neque ea opus esse, quippe iam morali constat certitudine, infidelem coniugem nolle converti, nec velle pacifice habitare. Alii, quibus adstipulatur Bened. XIV. de Syn. l. 6. C. 4. n. 3., putant ne-

cessariam esse dispensationem pontificiam; et huic sententiae adhaesit S. C. C. 17. Jan. 1722. apud eundem Bened. XIV. l. c. et S. O. 16. Sept. 1824. Cf. Collectan. S. C. de P. F. n. 1328. — Quando, in aliquibus locis, lege vel consuetudine ad removendum peculiare perversionis periculum, prohibetur, ne pars conversa cum infideli cohabitet, nisi haec etiam velit ad fidem converti, non solum interpellari debet infidelis, an pacifice cohabitare consentiat, sed etiam an velit fidem christianam amplecti. Si autem, elapso tempore per legem vel consuetudinem praefixo, se nolle converti ad fidem declaraverit, quamvis aliunde vellet pacifice cohabitare, recuperat coniux conversus libertatem, eique permittitur, ut ad novas nuptias convolet. — Privilegio Paulino, non conceditur parti conversae ut novum matrimonium inire possit cum alio infideli, aut etiam cum catechumeno vel catechumena, sed cum fideli solum baptizato. S. C. de P. F. 16. Jan. 1683., 7. Aug. 1891. Collectan. cit. n. 2183., L. 956. 957., S. Th. S. q. 59. a. 3.-6., Bened. XIV. de Syn. l. 13. C. 21., Sanch. l. 7. D. 73., E. M.

2.° Quando alter coniugum infidelium ad fidem convertitur, altero manente in infidelitate, potest conversus sacros ordines recipere vel religionem profiteri. In primo casu matrimonium non solvitur, adeoque si alter coniux convertatur non potest novum contrahere matrimonium. Sanch. l. 7. D. 76. n. 11. In altero vero casu, « omnino tenendum est, ait Sanch. l. c. n. 9., dissolvi prius matrimonium consummatum per professionem, sicut dissolveretur per subsequens coniugium ».

981. *Quid et quotuplex sit divortium, et quanam causa et auctoritate licite fiat?* — Divortium separatio et disiunctio est. Triplex est: quoad vinculum, quoad habitationem, quoad torum. — Divortium quoad *vinculum* illud est, quo vinculum ipsum matrimonii dissolvitur, ita ut priores coniuges aliud possint licite et valide matrimonium inire, quod in tribus casibus, praec. num. expositis, verificatur. — Divortium quoad *habitationem* separatio est mere quoad cohabitationem, manente matrimonii vinculo. Divortium quoad *torum* separatio est respiciens ipsum matrimonii usum et coniugale debitum, manente iterum matrimonii vinculo.

Coniux a coniuge divertere potest quoad habitationem et torum: 1.° Ex mutuo consensu, quod per se constat; dummodo absit incontinentiae periculum; sive ad tempus, negotiorum causa, sive in perpetuum ob vitae perfectioris desiderium. 2.° Ob adulterium coniugis, propter violatam fidem, Matth. 5., 32.; 19., 9.; 1. ad Cor. 7., 11.; C. 4. 5. 8. *de Divort.* Ob *adulterium*, nempe moraliter certum, non condonatum sive expresse, sive implicite per actum coniugalem, non mutuum, quia tunc exsisteret compensatio, voluntarium, non vero ex illata violentia patratum, perfectum et consummatum. Utrum etiam ob sodomiam et bestialitatem? Communis sententia affirmat, a qua ait S. Alph. 362. non esse recedendum, sed eam revera non probari. S. Th. 4. D. 39. q. 1. a. 1. ad 4. 3.° Ob supervenientem haeresim. C. *de illa de Divort.* 4.° Ob quodvis grave periculum *corporis* et *animae.* Can. 28. cau. 1., C. 8. 13. *de Rest. spol.*, Trid. S. 24. c. 8., e. g., si immineat periculum vitae, mutilationis, enormium aut frequentium saevitiarum; vel periculum perversionis.

Praedictum divortium *a toro* propter adulterium certo fieri potest propria auctoritate, item *a toro et habitatione,* dummodo, si delictum sit occultum, scandalum absit, quod vix abesse potest; et verius etiam propter

haeresim; et propter praedictum periculum, si proximum et clarum sit — Nemo vero *per se* tenetur divortium facere; siquidem neque ad id quis tenetur ex iustitia, ut indubium est; neque ex caritate, quae non urget cum gravi incommodo, quod ordinarie divortiis inest; consulitur praeterea propriae et alterius incontinentiae, et maiora scandala praecaventur.

Divortium aliud est *perpetuum*, aliud *temporaneum*. Perpetuum *per se* est divortium factum *ob adulterium*, vel *iudicis auctoritate*. Perpetuo divortio facto, potest adhuc coniux innocens, in cuius favorem est, coniugem quando velit ad se revocare, non cogitur tamen eum admittere, cum hoc non sit sine gravi incommodo, licet conversus fuerit alter coniux ad bonam frugem, vel, probabilius, ipsemet in idem inciderit postea delictum, v. g., adulterii, sive propria, sive, verius, iudicis auctoritate, factum fuerit divortium. Si vero divortium temporaneum sit, cogitur coniux coniugem, ad fidem reversum, C. 6. *de Divort.*, vel amoto iam periculo, ob quod divertit, recipere. — L. 960.-977., S. Th. S. q. 59. a. 3. 6., q. 62., Sanch. l. 10., Schmalz. l. 4. t. 19., E. M.

982. *Quid de filiis educandis, facto divortio?* — DD. unanimiter statuunt filios educandos apud partem innocentem. Sed quando alter coniux est infidelis vel haereticus proles semper educanda est apud fidelem, quamvis hic reus sit, idque in favorem fidei, ex C. fin. *de Conv. infid.* Expensae vero pro educanda prole a patre sunt faciendae, si hic sit in culpa, Auth. *Si pater* ap. L. 976. Si vero mater sit in culpa, nihil lex statuit; aequum tamen censet Sanch. l. 10. D. 20. n. 8., ut id quod est statutum pro patre, etiam pro matre intelligatur. Verum, si facto divortio vir dotem retineat, iam satis videretur uxor ad prolis educationem concurrere. Haec secundum Ius Romanum. Consulendae vero sunt nunc recentiores variorum locorum leges. C. I. 148. seqq., C. G. 229. seqq., C. H. 104. seqq., C. A. 103. seqq., C. B. 1585. 1635. 1636. 1685. — Schmalz. l. c. n. 181.-183.

983. *Quid de sententia divortii a vinculo, a iudice laico proferenda?* — Ubi civilis lex viget divortii non solum a toro et ab habitatione; sed etiam *a vinculo* ipsius matrimonii, coniuges non possunt, ulla ratione, iudicis sententiam petere, neque eam consequenter petere et defendere possunt advocati, neque iudices ipsam ferre ullo modo possunt, sententiam nempe *quae naturali, divino et ecclesiastico iuri repugnet* de indissolubili matrimonii vinculo. Agitur enim de re *intrinsece illicita*. Quod si per summum nefas coniuges petierint et obtinuerint a iudice huiusmodi sententiam divortii ab ipso matrimonii vinculo, non potest syndicus ullo modo hos coniuges ad aliud civile matrimonium admittere, et sua praesentia auctorizare. Nam tunc sua auctoritate eos non admitteret nisi ad publicum et legale adulterium, quod ipso favore legis protegeretur. Hinc summam inferret iniuriam in praeexsistens matrimonium, et capaces civilium matrimonii effectuum auctoritative eos declararet, qui, priore matrimonio adhuc permanente, horum effectuum incapaces omnino sunt. — C. B. 1564. seqq., E. M.

III. — DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

984. *Quid et quotuplex sit matrimonii impedimentum; quonam iure constituatur, et a quonam superiore; quosnam afficiat?* — Matrimonii impedimenta sunt quaedam conditiones vel circumstantiae *a iure* constitutae, quae a matrimonio contrahendo prohibent. *A iure*, nam particulare praeceptum seu prohibitio facta alicui vel aliquibus *impedimentum* dici non solet. — Impedimenta, quae matrimonium *licite inire* vetant *impedientia* dicuntur, quae arcent a matrimonio *valide contrahendo dirimentia* appellantur. *Contrahendo*, nam contractum iam, si forte superveniant, minime irritum reddunt. Impedimenta dirimentia in leges inhabilitantes et irritantes reincidunt. Quare regulariter nec ignorantia nec vis nec metus etiam mortis ab eis incurrendis excusat. — Impedimenta dirimentia omnia vel iure naturali, vel iure divino, vel iure canonico constant. Neque ea episcopi constituere possunt, sed solum Romanus Pontifex. Impedimenta a Christianis Principibus introducta neque sunt dirimentia, neque proprie impedientia, et ideo in conscientia non obligant, nisi mere *per accidens*, ex damno, eis non servatis, obventuro. — Impedimenta iuris naturalis et divini omnes obligant, etiam *infideles*. Impedimenta iuris canonici obligant tantum christianos, C. 4. *de Consang.*, C. 8. *de Divort.*, nempe *catholicos* et *haereticos*, et sic S. Sedes matrimonia *mixta* catholicorum et acatholicorum permittens, si quod adsit impedimentum dirimens, illud prius dispensat. Ac si matrimonium ineatur a fideli cum infideli, impedimentum ecclesiastici iuris infidelem certe directe non afficit; afficit tamen directe fidelem, et quia matrimonium contractus est, et contractus inter duos est et non potest ex una parte esse invalidum, validum ex altera, indirecte impedimentum infidelem etiam afficit, ut videre est in impedimento *disparitatis cultus, criminis*, etc. C. 1. *de Conv. infid.* — Trid. S. 24. c. 3. 4., Sanch. l. 7. D. 5., D. 78. n. 3., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 375., t. 7. n. 46., La-Croix l. 6. P. 3. n. 525., Bened. XIV. de Syn. l. 8. C. 14. n. 5., l. 13. n. 23., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 45. n. 4., E. M.

985. *Resolves:* Hinc, si contracto matrimonio mulier certo detegat impedimentum dirimens, vi cuius nullum fuerit matrimonium, debitum petere non potest, nec reddere, etiamsi ad id comminatione mortis cogeretur, quia coniunctio fornicaria esset, quae in nullo casu licita est. Excipe probabiliter, nisi mulier mere passive se haberet, ita ut omnino materialiter tali actui cooperaretur, *si metu mortis ad id cogatur*, secluso semper consensus periculo.

986. *Quot et quaenam sint impedimenta impedientia?* — Numerantur hodie quatuor: *Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.* Olim sex enumerabantur. Aderant enim impedimenta etiam *catechismi* et *criminis.* Sed haec duo impedimenta ex omnium tum theologorum, tum canonistarum consensu, uti obsoleta modo habentur. — Contrahebatur *catechismi* impedimentum ab eo, qui respondebat pro infante, in professione fidei quae praecedit collationem baptismi, et constituebat impedimentum impediens in iisdem gradibus, ac cum patrino baptismi et confirmationis. — Impedimentum *criminis* poena quaedam erat ex veteri iure quibusdam gravioribus criminibus imposita, qua nempe reus prohibebatur a quovis

matrimonio cum quavis persona contrahendo vel omnino, si caelebs esset, vel post coniugis mortem, si coniugatus. — Schmalz. l. 4. t. 11. n. 59. seqq., t. 13. n. 3. 27.-29., t. 16., Sanch. l. 7. D. 15.

987. *Quid Ecclesiae vetitum?* — Est *prohibitio* sive *generalis*, sive *particularis*, ab Ecclesia facta aut aliquo superiore ecclesiastico, ne aliquod matrimonium celebretur. — *Prohibitio particularis* habetur, quando *iusta et speciali de causa* matrimonium alicui interdicitur, sive a parocho, sive ab episcopo, sive a Papa, qui ultimus prohibitioni etiam *irritationem* addere potest. C. *Tua* 4. *de Sponsa duorum.* Possunt praeterea Papa et episcopus prohibitioni censuram adnectere. C. ult. *de Matr. contracto contra interd.* — *Causae iustae*, propter quas ex communi dd. sententia interdici matrimonium potest, tres praecipue enumerantur: 1.° reclamatio de sponsalibus, quibus alteruter sponsorum prius se cum alia persona obstrinxerit; 2.° suspicio non vana latentis impedimenti, coniugium inter eos aut dirimentis aut etiam mere impedientis; 3.° timor non inanis, ne ex eo matrimonio graves rixae, inimicitiae, scandala, aliave incommoda subsequantur.— *Prohibitio generalis*, quae nempe *speciatim* matrimonium spectat, habetur: 1.° ne matrimonium contrahatur sine consensu parentum, Cf. 928. 940.; 2.° sine bannis, Cf. 949. seqq.; 3.° clandestine, Cf. 1026.; 4.° cum acatholico, Cf. 1010. — Schmalz. l. 4. t. 16. n. 1., Pirhing. l. 4. t. 16. n. 1.

988. *Quid tempus?* — Est determinatum aliquod per anni decursum tempus, quod *feriatum* dicitur, et quo Ecclesia *solemnitates nuptiarum* vetat. Trid. S. 23. c. 11. C. 10. de R. M. Tale autem *nunc* est tempus, quod fluit a prima dominica Adventus usque ad Epiphaniam inclusive, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschatis item inclusive. — *Nunc;* nam ante Tridentinam Synodum feriatum tempus erat 1.° a dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam; 2.° a dominica Septuagesimae usque ad Octavam Paschatis; 3.° a feria secunda Rogationum usque ad Octavam Pentecostes; 4.° duabus aut tribus hebdomadis ante Nativitatem S. Joannis Baptistae. Ceterum Trid. solas *nuptiarum solemnitates* praefato tempore prohibet, nimirum *sponsos benedicere*, simul cum *missa pro sponso et sponsa*, in qua illa habetur solemnis benedictio, *sponsam cum strepitu domum deducere, convivia nuptialia solemniora instruere.* Non autem vetat parocho proclamationes facere, vel etiam sponsos privatim coniungere, licet variis in locis *propter consuetudinem* id etiam prohibeatur. *Consuetudo* nimirum quorumdam locorum habet, non quidem ne fiant proclamationes, aut ne celebretur contractus matrimonii, neve hoc consummetur per *tempora feriata*, sed *ne celebrentur nuptiae, nisi aut urgente aliqua necessitate, aut obtenta Ordinarii licentia, etiam, si fieri possit, in casu necessitatis:* cui consuetudini utique par est, ut parochi sese accommodent. Neque vero, secundum *antiquos canones*, abstinendum est a matrimonii consummatione, sive ex praecepto sive ex consilio. Nam canones illi solum de solemni sponsae traductione loquuntur, non vero de matrimonii consummatione, atque ita necesse non est eos explicare *de mero consilio*, et non *de praecepto;* nam solemnis illa traductio reipsa *praecepto* interdicitur. — Rit. Rom. *de Matr.*, Schmalz. l. 4. t. 16. n. 27. 31.-41., Bened. XIV Instr. 80., L. 983. 984., S. Th. S. q. 64. a. 10.

989. *Quid sponsalia?* — Sponsalia quaelibet, sive *ecclesiastica*, sive *privata*, serio contracta, nisi aut mutuo contrahentium consensu, aut alia iusta de causa legitime dissoluta fuerint, sunt impedimentum matrimonium impediens. Patet ex iure naturali; exsistit enim gravis obligatio iustitiae pactum ex oneroso contractu servandi. Si quis autem, non obstante illo impedimento, nuptias contrahat, validum quidem erit matrimonium, cum impedimentum hoc sit tantum impediens, non tamen licitum. C. *Duobus* 1. *de sponsa duor.*

990. *Quid votum?* — Quadruplex distinguitur votum matrimonium impediens, nempe *votum castitatis; votum non nubendi; votum ingrediendi Religionem; votum ordines sacros suscipiendi.*

Votum castitatis. — Qui tale votum emisit, peccat graviter matrimonium iniens cum intentione illud consummandi, quia votum infringit. — Peccat etiam graviter, seclusa hac intentione, quia exponit se periculo vel votum vel ius alterius coniugis violandi.— Contracto matrimonio, nec petere nec reddere potest debitum, *labente primo bimestri*, quia ex privilegio divino coniuges hoc tempore ab obligatione coniugalis debiti eximuntur. Elapso autem hoc tempore, potest quidem debitum reddere, et alterius iuri satisfacere, non tamen petere sine dispensatione a voto, aut sine suspensione seu indirecta voti irritatione ab altero coniuge facta. — Debet omnino abstinere, si alter consentiat, vel ius petendi amiserit, v. g., ob adulterium vel incestum. Quod si aegre abstinere potest, dispensationem quamprimum postulare aut praedictam irritationem ab alio coniuge quaerere debet. — Si alter coniux moriatur, ad novas nuptias convolare nequit, nisi dispensationem a voto suo etiam ad hunc effectum impetraverit. — La-Croix l. 3. n. 564.

Votum non nubendi, seu votum virginitatis. — Qui voto isto emisso matrimonium contrahit, graviter peccat, ut manifestum est. — Contracto matrimonio, reddere atque etiam petere potest debitum, quia iam impossibilis facta est voti observatio. — Ob eandem rationem, mortuo coniuge, novum matrimonium saltem probabiliter contrahere potest. — In praxi dubium est quandoque, an quis *virginitatem* seu *caelibatum*, vel potius *castitatem* voverit. Interrogandus erit poenitens, utrum intentione se ab *oneribus* matrimonii liberandi sanctiusque Deo serviendi ductus fuerit, an *unice amore et affectu puritatis:* in primo casu *caelibatum* et *virginitatem*, in secundo autem vere *castitatem* vovisse censendus est. — La-Croix 357.

Votum ingrediendi Religionem. — Qui tale votum emisit, peccat graviter matrimonium ineundo, tum quia alterum decipit, tum quia se exponit periculo votum violandi. — Ante matrimonii consummationem tenetur Religionem ingredi; ideoque mortaliter peccat, quando prima vice sive petendo sive reddendo debitum, matrimonium consummat; quia votum adimplere debet, quando potest. Illud autem adimplere potest non consummando matrimonium *in primo bimestri*, cum tunc ex privilegio divino possit quilibet Religionem ingredi, et altera pars, coniuge solemniter profitente, a vinculo matrimonii liberetur. — Post consummatum matrimonium potest petere et reddere debitum, quia exsecutio voti facta est impossibilis, et petitio actus coniugalis non est contra illius votum, cum non voverit *castitatem*, sed *Religionem.* — Etiam consummato ma-

trimonio per se tenetur Religionem ingredi, quoties illaeso compartis iure id potest, v. g., si alter consentiat, vel ius petendi debitum amittat in perpetuum, aut si matrimonium per mortem solvatur; quia obligatio voti semper subsistit. In praxi autem in hisce casibus *magis expedit*, ut ad dispensationem recurratur. *Magis expedit;* nam in praxi circumstantiae ratione *aetatis*, *prolis forte ex matrimonio susceptae*, *status fortunarum*, *habilitatis quoque ad munia religiosa* ita sunt immutatae, ut propter materiae mutationem voti obligatio fere per se cesset, nec opus sit dispensatione.

Votum suscipiendi ordines. — Qui votum illud emisit, peccat graviter matrimonium ineundo, ut in comperto est. — Tenetur ordines suscipere, si possit, v. g., si obtineat consensum alterius. — Iuxta plures tenetur Religionem ingredi ante matrimonii consummationem, etiam invito altero, ut votum adimplere possit. Sed alii probabilius hoc negant. — Inito matrimonio, potest illud consummare, si votum amplius adimplere nequeat. — Mortua uxore, vel separatione legitime facta, tenetur sacros ordines suscipere, nisi dispensetur. Votum enim non cessat. — S. Th. S. q. 53.

991. *Quinam dispensare valeant in impedimentis impedientibus?* — Nemo dispensare potest, praeter Summum Pontificem et ex iusta causa, ab impedimento ex validis sponsalibus orto, cum hac in re de stricto iustitiae debito agatur, quod nullus praeter supremum Principem auferre potest. Idem dicendum de necessitate consensus parentum, quae a iure naturali repetenda est; haec tamen naturaliter cessat, si parentes iniuste dissentiant. — Episcopi, seu ordinarii animarum Pastores, iurisdictione plena in foro externo gaudentes, *dispensare possunt* 1.° in obligatione bannorum; 2.° quoad contractum per tempus feriatum, ubi consuetudo hunc quoque interdicat; 3.° in voto castitatis temporaneae, et virginitatis seu non nubendi. — *Nequeunt* autem *dispensare* 1.° quoad votum perpetuae castitatis; 2.° quoad votum ingrediendi Religionem; 3.° quoad impedimentum disparitatis cultus inter catholicos et haereticos; 4.° quoad clandestinitatem, seu matrimonium in facie Ecclesiae contrahendum; 5.° quoad solemnitates nuptiarum, S. R. C. 14. Aug. 1858.; 6.° quoad probationem status liberi. Haec enim impedimenta Papae reservata sunt. — Regulares ex suis privilegiis dispensare valent mere pro foro interno in voto virginitatis, seu non nubendi; nam eandem habent potestatem dispensandi a votis in foro interno, quae competit episcopis, iure ordinario, secundum communem dd. sententiam. — L. 987. 1119. 1128., Bened. XIV. Inst. 80. n. 15., Sanch. l. 1. D. 61.

992. *Nota:* Episcopus, *urgente necessitate,* nempe cum periculum est in mora, dispensare potest in voto castitatis ad matrimonium contrahendum. Itemque, contracto matrimonio, episcopus dispensare potest, *urgente necessitate,* in eodem castitatis voto, ad debitum petendum; idque etiam *absolute* potest episcopus vi facultatum quinquennalium, et confessarius habens pagellam S. Poenit. Cf. respectivas formulas. — Idem potest episcopus in voto continentiae, quo alteruter coniugum post contractum matrimonium se obligaverit. Cum enim vi huius voti exigere quidem debitum prohibeatur, illud tamen reddere possit, immo et debeat, non est votum perfectae castitatis, atque adeo non est Summo Pontifici reservatum. Secus

dicendum, si ex communi consensu coniux uterque perpetuam continentiam vovisset. — L. 986. 987. 1126.

993. *Quot et quaenam sint impedimenta matrimonii dirimentia?* — *Viginti* hodie absolute enumerantur impedimenta dirimentia. — Quinque ex parte *consensus* et *libertatis*, 1.° *error* personae, 2.° *error* conditionis servilis, 3.° *furia* et amentia, 4.° *vis*, 5.° *raptus*. — Quatuordecim ex parte *personarum* contrahentium. Si simpliciter quis impediatur a contrahendo cum *qualibet persona*, erit impedimentum 6.° vel *impotentiae*, 7.° vel *aetatis*, quia *omnino* non potest, sive *in perpetuum*, sive *ad tempus tantum*; vel quia non potest *ex officio suscepto*, et est impedimentum 8.° *ordinis*; vel quia non potest *ex voto emisso*, et impedimentum habetur 9.° *voti*. Si vero quis impediatur a contrahendo tantum cum *determinata persona*, vel hoc est *propter obligationem ad alterum*, et est 10.° impedimentum *ligaminis*, vel *propter nimiam distantiam ad ipsam*, et est 11.° *disparitas cultus*, vel *propter nimiam propinquitatem*, et est 12.° *consanguinitas*, 13.° *cognatio spiritualis*, 14.° *cognatio legalis*, 15.° *affinitas*, 16.° *honestas publica*, vel *propter indebitam coniunctionem ad ipsam*, et sic est *crimen*, nempe 17.° *adulterium*, 18.° *homicidium*, 19.° *utrumque simul*. — Tandem unum est ex parte extrinsecae solemnitatis, et impedimentum est 20.° *clandestinitatis*. — S. Th. S. q. 50. a. 1.

Praedicta impedimenta sequentibus versiculis Laur. Rocci S. I. continentur. Primus complectitur quinque impedimenta *ex parte consensus*; quatuor sequentes quatuordecim continent impedimenta *ex parte personarum contrahentium*; ultimus impedimentum continet *ex parte formae*.

1. *Error*, 2. *Conditio*, 3. *Demens*, 4. *Violentia*, 5. *Raptus*;
6. *Non potis*, 7. *aut Aetas*, 8. *Ordo*, 9. *Votumque*, 10. *Ligamen*,
11. *Disparitas cultus*, 12. *Sanguis*, 13. *Cognatio sacra*,
14. *Ortave adoptando*, 15. *Affinis*, 16. *Popularis honestas*,
17. *Insultans thalamo*, 18. *Perimens*, 19. *vel Crimen utrumque*;
20. *Si Clandestinus: Dirimunt bis dena relata.*

994. *Quid impedimentum impotentiae et aetatis?* — Ad matrimonium contrahendum essentialiter requiritur *res* ad contrahendum habilis: substantialia enim contractus sunt *res, causa, consensus*. *Res* est ius *coeundi* ultro citroque tradendum acceptandum. *Impotentia* ergo *ad coeundum*, ita ut vir et mulier fieri non possint una caro, impedimentum matrimonii dirimens constituit, quod dicitur *impotentiae*. C. 1. § 1. *de Frigid.*, Sanch. l. 7. D. 92. n. 7. — Impotentia alia est *naturalis*, alia *accidentalis*. Prima est, quae naturaliter inest, ut *viri frigiditas*, qua omnino perfici nequit copula *per se* apta ad generationem; vel *nimia caliditas*, qua vir semper seminat extra vas, antequam penetrare possit. Altera est, quae ex accidenti est, e. g., ex abominatione viri erga mulierem, ex morbo, ex abscissione, ex maleficio. Itemque alia est *temporanea*, alia *perpetua*. Si tolli potest vel aliquo *licito* remedio *absque vitae periculo*, vel progressu annorum, temporanea est; secus perpetua. C. 1. *de Frigid.*, S. Th. 4. D. 24. a. 2. Et sic temporanea est impotentia nimiae caliditatis, et impotentia aegroti etiam in mortis periculo. Perpetua impotentia alia est *absoluta*, si nempe impotentia sit coeundi quoad omnes, alia est *relativa*, si tantum alicui commisceri prohibeat.

Sola impotentia *perpetua*, si sit matrimonium *antecedens*, sive *absoluta*, sive *relativa*, matrimonium dirimit, idque naturali iure; adeoque

etiam ignorata; *temporanea* vero matrimonio non obest. C. 1. 2. 3. 6. *de Frigid.,* Sanch. l. 7. D. 92. n. 6., D. 97. n. 2. — Quare nullum est matrimonium contractum cum castrato seu spadone, carente utroque testiculo, qui verum semen non habet, Sixtus V. C. *Cum frequenter,* Sanchez l. 7. D. 92. n. 20., cum frigido, vel morbo aut senio ita confecto, ut nulla sit vis ad opus coniugale, secus enim quis vel extrema senectute a matrimonio minime prohibetur. Nullum item est matrimonium contractum cum ea, a qua quis cohibetur sive maleficio, sive naturali repugnantia, sive ob nimiam arctitudinem. C. 4. c. 33., C. 5. 6. *de Frigid.* — Si matrimonium nullum sit ob impedimentum impotentiae coniuges ecclesiastici iudicis auctoritate separantur, et potenti aliud permittitur matrimonium, C. 5. 6. 7. *de Frigid.* — Plures et graves doctores asserunt satis esse, si vir semen ad vaginae os ingressumque effundere possit, et illud mulier possit intra se recipere; hoc enim ad generationem sufficere ipsa constat experientia. Gur. Baller. 855., D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 431. Alii tamen id negant. Et sic La-Croix l. 6. P. 3. n. 793. ait: « Si vir vas femineum penetrare non possit, quamvis in illius introitu semen effundat..., censeri debet impotentia, quia talis seminatio non sufficit per se, ut tales coniuges modo naturali censeantur fieri una caro ». Cf. Sanch. l. 2. D. 21. n. 2. 5., S. Th. Quodl. 6. a. 18., A. S. S. V. 26. p. 534. seq. — Impedimentum hoc impotentiae, *iuris naturalis et divini*, irrationabiliter omnino et iniuste non admittitur C. G. Illud admittit C. I. 107., C. H. 83., C. A. 60. Implicite vero et limitate tantum habetur C. B. 1333. 1334.

Positivo tantum *iure* invalidum est matrimonium *impuberum,* quia *praesumuntur* impotentia quadam naturali, licet tantum temporanea, laborare. Pubertas habetur ex eodem iure canonico pro maribus anno 14.° expleto, pro feminis anno 12.° expleto, quia proxima potentia generandi citius in feminis quam in masculis incipere et desinere solet. — Quare *valet* matrimonium impuberum, si iam *coire possint,* et *onus coniugalis vinculi* satis *intelligunt;* et matrimonium impuberis, qui iam possit, cum pubere, qui nondum coire possit. Itemque *valet* matrimonium impuberum, qui rationis usum habent, *inter infideles,* qui legibus Ecclesiae non subduntur. C. 2. 6. 7. 9. 10. 11. 14. *de Despons. impub.*, Bened. XIV. *C. Magnae nobis* 29. Jun. 1748., Sanch. l. 7. D. 104. n. 9., Schmalz. l. 4. t. 2. n. 48.-60. Potest ex iusta causa summus Pontifex cum fidelibus in hoc impedimento dispensare, et aliquando de facto dispensavit. Schmalz. l. 4. t. 2. n. 50.-52., Navar. Cons. 4. 5. tit. de Despons. impub., de Iustis l. 8. n. 55. — Iuri canonico quoad requisitam aetatem consentiunt C. A. 48., C. H. 83. Verum cum plena et perfecta pubertas habeatur quoad virum anno 18.°, quoad feminam anno 14.°, hinc alii recentiores Codices requirunt annum 18.ᵘᵐ in viro, 15.ᵘᵐ in feminis, C. I. 55., C. G. 144. Ex C. B. 1303. vir ante maioritatem, femina ante 16.ᵘᵐ annum matrimonium contrahere non possunt. — L. 1064.-1066. 1095.-1104., S. Th. S. q. 58., E. M.

995. *Nota:* 1.° In dubio *de impotentia antecedenti,* standum est pro valore matrimonii, et coniugibus copulam experiri permittendum est. Immo ad hoc triennium ipsis a iure canonico conceditur, non obstante maiori probabilitate pro impotentia perpetua. C. *Laudabilem de Frig. et malef.* — 2.° In dubio *de impotentia consequenti,* licet pariter coniugibus copulam experiri, usquedum *certi* sint eam perfici *nullo modo* posse, « licet saepe

aut semper semen extra vas effundant». L. 1103. — 3.° *Impotentia* non est confundenda cum *sterilitate*. Sterilitas ad *effectum* coniugalis actus, non ad ipsum *coniugalem actum* spectat. Hinc steriles cum non sint *ad actum coniugalem impotentes,* licite coire possunt; immo etiam matrimonium inire. Licet *per accidens* generatio non sequatur; copula tamen rite perfecta, actus adhuc *per se* aptus est ad generationem. Et sic valide contrahunt senes, qui matrimonium consummare valent; item mulieres, quae possunt semen excipere, etsi illud non retineant, Gousset 791., L. 1095.; et mulieres ovario carentes, E. M. — 4.° «Caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum». S. Th. S. q. 58. a. 1. ad 2. «Probabiliter censent Contin. Tournely et Cabassut., quod huiusmodi coniuges, si sint iuvenes, non sunt separandi, quia processu temporis fervor ille deficit, et sic possunt fieri habiles». L. 1096.

996. *Quid impedimentum ligaminis?* — Ex parte *rei* aliud habetur impedimentum *ligaminis:* si nempe ius in proprium corpus amplius non habeatur; quia alteri iam praeexsistente matrimonio traditum sit; unde in alium nullo modo transferri potest; et impedimentum dirimens est. Quare *ligamen* est *vinculum prioris matrimonii*, quod vi *unitatis* et *indissolubilitatis* aliud impedit matrimonium, donec ipsum perduret praecedens matrimonium. C. G. 147. 184., C. B. 1309. 1326. Cf. ib. a. 1348. Si vero ius in proprium corpus alteri tantum *sponsalibus* promissum sit; impedimentum tunc tantum *impediens* habetur, siquidem, citra alterius iniuriam, coeundi ius in alium transferri non potest; excepto casu quod agatur de consanguineis sponsae in primo gradu; nam tunc *impedimentum* habetur *dirimens publicae honestatis.* Cf. 1014. — Hinc si dubium habeatur circa mortem prioris coniugis, tunc non licet matrimonium contrahere; quia cum *certo* constet praecedens matrimonium, alterum iniri non potest cum praeiudicio prioris coniugis, si forte mortuus non fuerit; sed de eius morte *moraliter certo* constare debet. C. *Dominus* 2. *de Secund. nupt.*, C. *In praesentia* 19. *de Sponsal.*, L. 901. 902., S. O. 6. Maii 1891. — Ex C. B. 13. seqq. *absens* mortuus potest declarari post aliquot annos ipsa lege determinatos. Sed haec non est nisi mera quaedam legis praesumptio. — S. Th. S. q. 62. a. 5., q. 65., q. 67., Schmalz. l. 4. t. 21. n. 4. seqq., E. M.

997. *Quid impedimentum consanguinitatis?* — *Res* in matrimonio contrahendo non tantum debet esse *possibilis,* unde impedimenta *impotentiae* et *ligaminis* exoriuntur; verum etiam esse debet *honesta,* unde propter coniunctarum personarum reverentiam impedimenta exsurgunt *consanguinitatis, affinitatis, honestatis publicae,* propter religionis reverentiam impedimenta habentur *ordinis* et *voti.* — Porro impedimenta haec partim iure naturali, partim iure canonico constant. Quae iure canonico constituuntur infideles non attingunt. Verum, si ad fidem conversi matrimonium inire velint, tunc naturale vinculum, consanguinitatis et affinitatis, quod erat ante baptismum, post baptismum profecto perdurans, matrimonio obstat. — C. ult. *de Divort.*, S. Th. 4. D. 41. q. 1. a. 1. q. 1., Sanchez l. 7. D. 65. n. 4.

Consanguinitas est vinculum quarundam personarum inter se ex eo quod ab uno eodemque communi stipite proximo per carnalem generationem descendant, adeoque quod exsurgit ex unitate et participatione eiusdem sanguinis. Tria sunt in consanguinitate distinguenda, scilicet 1.° *stipes,*

seu persona, ex qua aliae ducunt originem; 2.° *gradus,* seu mensura distantiae unius personae ab altera; 3.° *linea,* seu series personarum ab eodem stipite descendentium. *Linea* duplex est; alia *recta,* et alia *collateralis* seu *transversalis.* Prior est series personarum, quarum aliae ab aliis descendunt, vel *immediate,* ut filii a parentibus, vel *mediate,* ut nepotes ab avis, vel a proavis, etc. Posterior vero est series personarum, quae licet stipitem communem habeant, aliae tamen ab aliis non descendunt, ut sunt fratres, consobrini, etc. Linea collateralis est *aequalis* vel *inaequalis,* prout consanguinei aequaliter vel inaequaliter a communi stipite distant, ut infra explicabitur. Cf. 998.

Consanguinitas matrimonium dirimit, *in linea recta,* indefinite, Nicolaus I. ad Bulgaros C. 37. 39., et naturali iure, *saltem* in primo gradu. *Saltem,* nam de aliis gradibus disputatur; L. 470. 1029., Sanch. l. 7. D. 51. n. 7., Schmalz. l. 4. t. 14. n. 30. *In linea collaterali,* usque ad quartum gradum. C. 8. *Non debet de Consanguin.* An autem iure naturae matrimonium dirimatur saltem in primo gradu, nempe inter fratrem et sororem, controvertitur. Verius tamen videtur nonnisi canonico iure dirimi ex Genes. 20., 12. Illud vero certum est nunquam in hoc gradu Ecclesiam dispensasse. Bened. XIV. C. *Aestas anni* 11. Oct. 1757., Schmalz. l. 4. t. 14. n. 45.-48., L. 470., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 40. n. 9. Quoad alios gradus iuxta omnes non nisi ecclesiastico iure matrimonium dirimitur. — Consanguinitas matrimonium dirimit etiam inter eos, qui tantum vel ex eodem patre, vel ex eadem matre nati sunt; seu inter consanguineos tantum per lineam masculinam, vel tantum per lineam femininam; uti etiam inter consanguineos ex illegitimis natalibus genitos. Ratio est, quia diversitas patris aut matris, i. e. quod communis stipes sit tantum pater vel tantum mater, vel natalium illegitimitas, non impedit, quin carnalis consanguinitas revera exsistat. C. *Per tuas de Probat.* — Consanguinitas inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri potest, et tunc est duplex vel multiplex propinquitas, seu impedimentum in petitione dispensationis aperiendum. Id contingit ex eo quod ex propinquis ascendentibus consanguineis, vel aliqui inter se coniugia contraxerunt, vel consanguinei ex uno stipite contraxerunt cum consanguineis alterius stipitis. Et sic, v. g., si duo fratres duas sorores ducant, liberi ex utroque matrimonio provenientes, dupliciter inter se consanguinei erunt, et haec circumstantia necessario declaranda est. Cf. De Iustis de Dispens. matrim. l. 2. C. 3. n. 31. seqq. — Advertendum vero est multiplicitatem cognationis non ex eo causari, quod duo sint ex iisdem patre et matre. Aliud enim est esse *fratres* vel *patrueles,* aliud *dupliciter consanguineos.* — Distinguendum igitur est inter *qualitatem* et *quantitatem* seu *multitudinem* graduum cognationis. *Qualitas* est primus, secundus, tertius, quartus gradus; gradus purus aut mixtus. *Quantitas* est, gradus simplex, duplex, triplex, etc. — Trid. S. 24. c. 3., L. 1029., S. Th. S. q. 54., E. M.

Sunt qui tenent non esse habendam rationem in consanguinitate nisi *proximi stipitis,* Gallo Suppetiae Evang. Praecon. V. 4. p. 149. seq. Alii vero tenent *remotioris* etiam stipitis rationem habendam esse, quando matrimonium intercessit in gradibus superioribus; siquidem tunc, si matrimonium hoc non intercessisset, adhuc consanguinei essent ex remotiori stipite. Et sic, e. g., Caius Nepos et Caia Neptis Titii Avi, sunt consanguinei inter se in 2.° gradu in linea collaterali. Hi matrimonium

inter se ineunt. Horum Nepos et Neptis Sempronius et Sempronia sunt consanguinei item inter se in 2.° gradu a proximiori stipite Caio et Caia; et consanguinei etiam sunt in 4.° gradu, a remotiori stipite Titio, eoque duplici per lineam nempe paternam et maternam, nempe per Caium et Caiam. Hanc secundam sententiam probavit S. O. 11. Mart. 1896., et decrevit, tria esse declaranda impedimenta, impedimentum nempe proveniens ex stipite proximiori, et duo impedimenta provenientia a remotiori stipite per lineas in stipite intermedio coniunctas. — E. M.

998. *Quaenam sint regulae ad gradus consanguinitatis computandos?* — Tres ex *Iure Canonico* assignantur regulae. — *1.ª Regula.* In linea recta *tot numerantur gradus quot personae, stipite dempto,* seu tot sunt gradus, quot sunt generationes. Hinc inter *patrem et filium* unicus est gradus, quia unica est generatio, seu unica filii persona, secluso patre utpote stipite. Inter *nepotem* et *avum* duo gradus numerantur, quia duae sunt generationes, licet tres interveniant personae, nempe avus, pater, et eius filius, seu nepos respectu avi. Ponas pariter proavum vel abavum, et tres vel quatuor gradus habebis. — *2.ª Regula.* In linea collaterali aequali *tot sunt gradus quot sunt personae in una parte, stipite dempto.* Hinc *frater et soror* sunt in primo gradu: quia si stipes communis seu pater seponatur, remanet unica persona ex utraque parte; et cum singuli distent uno gradu a stipite, etiam unico gradu inter se distant. Pariter *patrueles* seu filii fratrum, et *consobrini* seu filii sororum distant singuli duobus gradibus a stipite communi, seu ab avo, et proinde consanguinei sunt inter se in secundo gradu. Sic etiam de aliis dicendum est. — *3.ª Regula.* In linea collaterali inaequali *tot sunt gradus quot personae in parte remotiori,* semper stipite dempto. Hinc, si unus distet a communi stipite duobus gradibus, et eius consanguineus tribus, erunt inter se consanguinei in tertio gradu, iuxta effatum: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Igitur Bertha consanguinea erit in secundo gradu cum *patruo,* seu fratre patris sui, quia distat duobus gradibus a stipite communi, nempe ab avo suo, licet patruus ipse unico gradu ab eodem stipite separetur, cum sit stipitis filius, seu frater patris Bertae. Sic etiam de aliis quibuscumque statuendum. C. *Vir qui* fin. *de Consang. et affin.,* S. Pius V. C. *Sanctissimus* 20. Mart. 1566., Bened. XIV. C. *Etsi pastoralis* 30. Sept. 1755.

Regula ex Iure civili unica est. Ad gradus iuxta *Ius Civile Romanum* computandos, desumitur numerus, seu summa omnium personarum in qualibet linea, stipite dempto. Proinde in linea recta, eodem modo computantur ac gradus canonici: in linea collaterali aequali, gradus canonici duplicantur; in linea collaterali inaequali duplicatur linea minor et additur excessus maioris. — C. 2. c. 35. q. 5., L. 1029., S. Th. S. q. 54. a. 2., Schmalz. l. 4. t. 14. n. 15. 19. 60. 107.

Advertendum hic quod *in linea transversali inaequali* in Supplicatione dispensationis tam ex una, quam ex altera parte debet exprimi gradus propinquior et remotior. Proximiori reticito, « matrimonia sunt quidem valida, sed illicita, dummodo dispensationes *non attingant primum gradum;* adeoque donec litterae declaratoriae, seu ut vocant *perinde valere,* expediantur, coniuges debent separari ». S. O. 12. Dec. 1748. *Excepto primo gradu,* quia in eo primo gradu Papa non intendit dispen-

sare, nisi exprimatur. S. Pius V. C. *Sanctissimus* 20. Aug. 1566., L. 1031., Bened. XIV. Quaest. Can. 183., De Iustis l. 1. c. 4. n. 121. seqq.

Advertendum item ex C. A. 41. 65. gradus computari ut in Iure Romano; matrimonium vero non prohibetur secundum omnes gradus constitutos a Iure Canonico, cui standum est. — C. H. 84. 915. sequitur etiam Ius Romanum quoad gradus consanguinitatis computandos, excepto matrimonio, in quo quoad impedimenta matrimonii sequitur Ius Canonicum, nisi quod impedimentum consanguinitatis ex copula illegitima restringat ad secundum gradum in linea collaterali. Quare standum hac etiam in re est Iuri Canonico. Trid. enim nihil immutavit quoad hoc impedimentum circa Ius antiquum, quamvis affinitatem contraxerit, ad secundum gradum. Schmalz. l. 4. t. 16. n. 9. — Eandem Iuris Romani regulam in computandis consanguinitatis gradibus servant C. G. 161.-164. 735. seqq., et C. I. 48. seqq. 59. 68. Quoad impedimenta vero matrimonii a Canonico Iure recedunt, ut ab eo recedit etiam C. B. 1310. 1327. 1589. Sed hac in re Ius Can. unice observandum est. Idque dictum sit pro aliis etiam impedimentis.

999. *Quid intelligatur per cognatum et agnatum?* — *Cognatio* est propinquitas inter personas diversae familiae, *per lineam femininam* sibi invicem coniunctas. *Agnatio* est propinquitas inter personas eidem familiae adnatas, coniunctas proinde sibi invicem *per lineam masculinam*. Quare *cognati* dicuntur coniuncti, si descendunt per lineam femininam; *agnati* dicuntur coniuncti, si per masculinam descendunt. « Quia qui nascuntur patris non matris familiam sequuntur ». Inst. l. 1. t. 15. § 1., Schmalz l. 4. t. 14. n. 10.

1000. *Quinam sint consanguinei in linea recta?* — Sistendo intra quatuor tantum gradus, supra *patrem* et infra *filium*, sunt sequentes, hoc ordine, incipiendo a quarto gradu superiori: 1.° *Abavus* (trisavolo); 2.° *proavus* (bisavolo); 3.° *avus* (nonno); 4.° *pater* (padre); 1.° *filius* (figlio); 2.° *nepos, neptis* (nipote); 3.° *pronepos, proneptis* (pronipote); 4.° *abnepos, abneptis* (terzo nipote, terza nipote).

1001. *Quinam sint consanguinei in linea transversa, seu collaterales?* — Consanguinei collaterales ex parte *patris* sunt 1.° *Propatruus* (terzo zio paterno), frater proavi; *Proamita* (terza zia paterna) soror proavi; 2.° *Patruus magnus* (prozio paterno) frater avi; *amita magna* (prozia paterna), soror avi; 3.° *patruus* (zio paterno), frater patris; *amita* (zia paterna), soror patris; 4.° *frater, soror.* Fratres dicuntur *consanguinei,* si communem habent solum patrem, diversam vero matrem; *uterini,* si matrem tantum communem habent, et diversum patrem; *germani,* si patrem et matrem communem habent; 5.° *Patrueles* (cugini paterni), filii vel filiae fratris patris; 6.° *Sobrini* (secondi cugini paterni), filii vel filiae patruelum; 7.° *Sobrinorum filii* (terzi cugini paterni).

Collaterales consanguinei ex parte matris: 1.° *Proavunculus* (terzo zio materno) frater proaviae; *promatertera* (terza zia materna), soror proaviae; 2.° *Avunculus magnus* (secondo zio materno), frater aviae; *matertera magna* (seconda zia materna), soror aviae; 3.° *Avunculus* (zio materno); matertera (zia materna), soror matris; 4.° *Frater et soror;* 5.° *Consobrinus* (cugino materno), filius sororis matris; *amitini* (cugini paterni e materni), duo filii quorum unus ex fratre alter ex sorore natus est; 6.° *Sobrini*

(secondi cugini materni), consobrinorum filii; 7.° *Sobrinorum filii* (terzi cugini materni). — Inst. l. 3. t. 6.

Sequenti consanguinitatis schemate varios gradus, et lineas videre est. Personae, quae tractu coniunguntur, sunt inter se in *linea recta;* cum caeteris in *linea collaterali.* Ex parte dextera, in qua collocatur *frater,* collocantur consanguinei mares, et per sexum masculinum coniunctae feminae. Ex sinistra, in qua ponitur *soror* consanguineae feminae, et per sexum femineum coniuncti mares. Cellula vacua cum littera N. est persona de cuius cognatione quaeritur, quaeque matrimonium cum alia vult contrahere. Videndum est in quanam alia cellula sit haec persona reponenda, et, cellula propria ei assignata, ascendendum est usque ad cellulam, in qua lineae coniunguntur, ibi enim stipes habetur. Numerus autem in cellula inscriptus gradus consanguinitatis indicat, et semper gradum remotiorem designat respectu N.



1002. *Quid impedimentum affinitatis? — Affinitas* est propinquitas, quam quis contrahit cum consanguineis personae, cum qua carnale commercium habet, seu est propinquitas quae exsurgit ex carnali copula inter alterum et alterius consanguineos, e. g., inter virum et consanguineos uxoris, et viceversa. — Affinitas *ex copula licita* matrimonium dirimit *in linea transversa* usque ad quartum gradum; et ulterius etiam *in linea*

recta, C. *Non debet* 8. *de Consanguin.: ex copula illicita* usque ad secundum, Trid. S. 24. C. 4. de R. M., adeoque ex publico concubinatu et ex matrimonio mere civili ultra secundum gradum, non extenditur. An etiam *ex matrimonio nullo?* Alii affirmant, sive bona sive mala fide vir et mulier coierint. Carrière de Matr. p. 163. Secundum alios, si vir et mulier bona fide coierint extenditur usque ad quartum, sin mala fide, iuxta plures, ait Scav. Mediol. 1874. Ed. 12.ª l. 3. n. 794., extenditur usque ad quartum, iuxta alios usque ad secundum. Et hoc verius videtur secundum Trid. — *Gradus* et *lineae* affinitatis accipiuntur ex consanguinitate, et sicut in consanguinitate; ita ut qui est, e. g., uxoris consanguineus in primo gradu, sive rectae, sive transversae lineae, is sit affinis marito in eodem gradu lineae rectae vel transversae; ac ut in consanguinitate ita in affinitate distantia a remotiori gradu sumitur. Proinde nulla est opus dispensatione ex affinitate ob copulam illicitam, quando alter primo alter tertio gradu a stipite distat. — C. B. 1310. 1327. 1590.

Ex certa omnium sententia affinitas matrimonium dirimit solo *iure ecclesiastico* in linea collaterali, et multo probabilius in linea recta, si primus gradus forte excipiatur. De primo gradu lineae rectae controvertitur, Schmalz. l. 4. t. 14. n. 82.-84. 101.-105., Bened. XIV. Epist. *Aestas anni* 11. Oct. 1757., de Syn. l. 9. c. 13. Ecclesia tamen nunquam dispensavit in affinitate orta ex legitimo matrimonio, licet dispensaverit in affinitate orta ex illicito commercio, v. g., si quis ducat uxorem, postquam cum huius filia aut matre fornicatus fuerit. Affinitas enim, ex copula fornicaria, ob corporum tantum unionem oritur; ex legitimo matrimonio consummato, oritur tum ob carnalem copulam tum ob coniugalem societatem in communem et individuam vitam. S. Th. 4. D. 41. q. 1. a. 1. q. 3., q. 4. ad 2., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 40. 43. Cum tamen res certa non sit, si duo infideles, in primo gradu lineae rectae affines ex legitimo matrimonio, contracto inter se legitimo matrimonio, ad fidem converterentur sine Pontificia dispensatione separari non possent.

Affinitas ex matrimonio sive sit impedimentum dirimens ex iure naturae, sive ex iure ecclesiastico, affinitas certe est *naturalis.* Quare infidelis ad fidem conversus contrahere non potest cum filia, cum matre, cum sorore illius uxoris, quam tempore infidelitatis legitime habuit. Ratio, quia naturale vinculum etiam inter infideles exoritur ex matrimonio, et quia post baptismum perseverat, iam obnoxium fit legi irritanti Ecclesiae. — An etiam *ex copula illicita* praedictum *naturale* vinculum exoriatur? Negant Sanch. l. 7. D. 65. n. 9., Lugo l. c. aliique, sed verius affirmant alii plures et graves dd. ex S. Th. 4. D. 41. q. 1. a. 1. q. 3.; nam si vir et mulier, quamvis illicite coeuntes, fiunt tamen *necessario* et *naturaliter* una caro, necessario et naturaliter alter alterius cognationis *fines* ingreditur, eiusque consanguineis coniungitur. Quare infidelis ad fidem conversus sine dispensatione matrimonium inire non potest cum matre vel filia, vel sorore eius, quam antea fornicarie cognoverat. Idque constat etiam ex Resp. S. O. 26. Aug. 1891.

Affinitas quoque *multiplex* esse potest, nempe si quis carnale habuerit commercium cum pluribus consanguineis; minime vero si pluries cum eadem consanguinea. Affinitas enim non ex actibus, sed ex personis multiplicatur. Sanch. l. 8. D. 24. n. 4. 5. — L. 1067. 1069., S. Th. S. q. 55., Schmalz. l. 4. t. 14. n. 67. seqq., E. M.

1003. *Nota:* 1.° Quando de eo agitur, qui filiam ducere velit, postquam cum matre fornicatus fuerit, in dispensatione addi conditio solet, *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae,* ut scilicet caveatur periculum, ne quis propriam filiam in matrimonium ducat. At satis impleta conditio censeri potest, si copula cum matre eo tempore praecesserit, ut illud periculum prorsus absit.

2.° Ad contrahendam affinitatem certum est requiri seminationem viri; an autem requiratur seminatio etiam feminae? Negant Pont., aliique, quia ad generationem non est necessarium semen femineum. Affirmant S. Bonav., aliique « tum quia iuxta aliorum plurium sententiam etiam semen feminae requiritur ad generationem, tum quia, et haec ratio fortius urget, non contrahitur affinitas, nisi coeuntes fiant una caro; at non fiunt una caro nisi semina commisceantur. Et haec sententia valde firmatur ex auctoritate D. Th... In dubio praesumendum est pro copula perfecta (viri), quia ex communiter contingentibus haec prudenter adfuisse praesumitur... Et sic etiam, semper praesumitur seminatio mulieris, quando ipsa in coitu magnam senserit voluptatem, esto seminationem non adverterit. Immo, in foro externo, ubi constat de coitu semper pronunciandum pro impedimento affinitatis contracto, et sic etiam iudicandum in foro interno, quod praesumptioni fori externi conformari debet semper, ac non constat hanc esse falsam ». L. 1075., Schmalz. l. 4. t. 14. n. 71.-73. Haec S. Th. 4. D. 41. q. 1. a. 1. q. 4. ad 2.: « Vir et femina efficiuntur una caro per mixtionem seminum. Unde quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas ».

3.° Affinitas inter coniuges contracta matrimonium ipsorum dirimere nequit, cum huic indissolubiliter iam contracto superveniat; eiusdem tamen usum impedit in poenam coniugis adulteri et incestuosi. C. *Si quis de Eo qui cognovit,* etc. Haec autem utpote ex copula illicita, vi Decr. Trid. S. 24. C. 4. de R. M. non contrahitur, nisi ex copula cum consanguineis alterius in primo et secundo gradu. Confirmatur ex Declaratione expressa Gregor. XIII. apud S. Lig. 1070.

4.° C. I. 52., C. G. 162., C. A. 40. non videntur agnoscere aliam affinitatem, nisi ex matrimonio, unde sub ea et vinculum *publicae honestatis* comprehenditur. Secus vero est ex C. H. 84. recte distinguente affinitatem *legitimam* a mere naturali; et sub illa *honestas publica* etiam comprehenditur. Ad Ius Romanum quod spectat, Cf. Schmalz. l. 4. t. 14. n. 70.

1004. *Resolves:* 1.° Personae, quae carnaliter coniunguntur, non sunt proprie inter se affines, sed sunt principium affinitatis, et quasi stipitis locum tenent. — 2.° Affinitas esse non potest inter duas personas, quarum neutra copulam habuerit cum consanguinea alterius; idcirco consanguinei unius coniugis nullam habent affinitatem cum consanguineis alterius. — 3.° Nemo prohibetur, sua uxore mortua, fratris eius viduam ducere; vel successive ducere uxores duorum fratrum viduas. Duo fratres ducere possunt duas sorores; pater et filius ducere possunt matrem et filiam; immo filius potest ducere matrem, et pater eiusdem filiam. Hinc axioma: *Affinitas non parit affinitatem.* C. *Non debet* 8. *de Consang.*, Schmalz. l. 4. t. 14. n. 74. 75. — 4.° Qui peccavit cum duabus sororibus, aut consobrinis germanis, aut cum matre et filia, nullam harum ducere potest. — 5.° Vir, qui peccavit cum sorore vel consobrina, vel amita compartis suae,

debitum petenti reddere tenetur, quamvis petere ipse nequeat. Ratio est, quia cum agatur de lege mere prohibente, innocens ex culpa nocentis pati non debet. — 6.° Non privatur iure petendi debitum, qui cum propriis consanguineis peccat, quia nullam affinitatem inde cum uxore contrahit.— 7.° Si uterque coniux per incestum affinitatem cum altero contraxerit, neuter tenetur, immo nec potest debitum alteri reddere. — L. 1068. 1069., S. Th. S. q. 55., E. M.

1005. *An uxor, vi aut metu cognita a consanguineo viri, ius debitum petendi amiserit?* — R. Negative, si vis fuerit absoluta: impedimentum enim illud petendi debiti, quoad coniuges incestuosos, poenae tantum rationem habet; poena autem nulla esse potest, ubi nulla est culpa. — Negative etiam quando uxor, quae vim aut metum passa est, graviter non deliquerit; quia poena gravis cum culpa levi proportionem non habet. — Immo probabilius etiam negandum videtur, si uxor illa graviter peccaverit, quia metus gravis excusat a legibus humanis, etsi a lege naturali excusare non valeat; ergo cum in nostro casu excuset a lege, prout est ecclesiastica, a poena etiam per eam legem inflicta excusare debet. — Schmalz. l. 5. t. 39. n. 79., L. 1071.

1006. *An ignorantia excuset ab impedimento petendi debiti?* — R. Probabilius affirmative, si adsit ignorantia *iuris*, nempe humanae legis id prohibentis. Ratio, quia ut ignorantia excusat a transgressione humanae legis; ita etiam a poena. — Si adsit ignorantia *facti*, nempe hanc esse consanguineam uxoris, commune est non incurri impedimentum. Ratio, quia ubi deest incestus culpa, deest etiam poena. Patet etiam ex C. *Si quis* 1. *de Eo qui cognovit*, etc., ubi hoc imponitur impedimentum *scienter* peccanti. — Satis probabiliter excusat etiam ignorantia *poenae*, cum sit poena extraordinaria. — L. 1072.-1074.

1007. *Quis possit in hoc impedimento debitum petendi dispensare?* — « Communissime docent semper et absolute posse episcopum dispensare... Ratio, quia dato quod episcopus id non posset ex dispositione Iuris, bene tamen id potest ratione consuetudinis. Hanc autem facultatem dispensandi bene potest alteri delegare non solum in particulari, sed etiam in generali. Insuper possunt etiam in hoc impedimento dispensare omnes confessarii regulares mendicantes, a provinciali ad hoc munus deputati, ex pluribus privilegiis ». L. 1076. — Id sane possunt episcopi vi facultatum quinquennalium, necnon confessarii approbati habentes pagellam S. Poenit. Cf. hanc pagellam.

1008. *Quinam sint affines?* — Affines praecipui ratione copulae licitae sunt sequentes: 1.° *Socer*, *Socerus*, pater mariti, cui *nurus* respondet, uxor filii. *Socer magnus*, avus mariti, cui *pronurus* respondet, uxor nepotis. — *Socer* est etiam uxoris pater, cui *gener* respondet, maritus filiae; *Socer magnus* vel *Prosocer* est item avus uxoris, cui *progener* respondet, maritus neptis. — *Socrus*, mater mariti, cui *nurus* consequenter respondet, seu uxor filii. *Socrus magna*, mariti avia, cui *pronurus* respondet. — *Socrus* est etiam mater uxoris, cui *gener* respondet. *Socrus magna* vel *prosocrus*, avia uxoris, cui respondet *progener*. — 2.° *Vitricus*, maritus matris, *Noverca*, uxor patris, quibus respondet *privignus*, *privigna*, filius, filia ex primo matrimonio patris aut matris. — 3.° *Levir*, frater uxoris,

frater mariti; *Glos*, soror uxoris, soror mariti; *Fratria*, uxor fratris; *Sororius*, maritus sororis.

1009. *Quid cognatio spiritualis?* — *Spiritualis cognatio* est propinquitas quaedam personarum, quae ex baptismate et confirmatione exoritur. Dirimit matrimonium *de iure ecclesiastico* 1.° inter ministrum sacramenti et subiectum, huiusque genitores; 2.° inter patrinum vel matrinam et filiolam vel filiolum, eorumque genitores. Trid. S. 24. C. 2. de R. M. Quare nec a coniuge baptizantis, nec a coniuge patrini contrahitur, S. Pius V. *Cum illius vicem*, nec inter ipsos patrinos. Unde patrinus et matrina matrimonium inter se inire possunt. — Ad cognationem contrahendam *baptismus* est conditio necessaria *quoad omnes:* proinde si vel baptizans, vel parentes baptizati sint infideles, licet catechumeni, cognatio ab iis non contrahitur. Quocirca tam fidelis, qui baptizavit prolem infidelis, tam qui eam a sacro fonte suscepit, possent matrimonium contrahere non quidem cum prole baptizata, sed cum eius parentibus postquam ad fidem conversi essent. Schmalz. l. 4. t. 11. n. 32.-35. — Certum est autem, hanc cognationem contrahi etiam *ab haeretico,* tum si baptizet, tum si teneat in sacro fonte, tum si prolem illius alius baptizatus sive haereticus sive catholicus, vel baptizet vel teneat. Ratio, quia quisquis characterem baptismalem habet, est capax huius cognationis, et legibus Ecclesiae subditur. Sanchez l. 7. D. 60. n. 2., Pirhing l. 4. t. 11. n. 40. — Haec quoque cognatio *multiplex* esse potest. Multiplicatur *ex sacramentis,* v. g., si quis Caium in baptismo et confirmatione, non item si plures Titii filios in baptismo vel confirmatione tenuerit. S. O. 29 Apr. 1894. Itemque multiplicatur *ex personis,* si duo invicem alter alterius filios tenuerint, etc. Reiff. l. 4. t. 21. App. de Disp. n. 201., Schmalz. l. 4. t. 16. n. 208., Sanch. l. 7. D. 54. n. 17., De Iust. l. 1. c. 4. n. 170., Corrad. l. 8. c. 8. n. 16. — S. Th. S. q. 56. Cf. 442. seqq., E. M.

1010. *Nota:* Parentes baptizantes filios in necessitate vel bona fide nullam contrahunt spiritualem cognationem, *qua ab usu coniugii prohibeantur:* haec enim prohibitio rationem habet poenae, quae sine culpa non incurritur. Immo probabiliter nec videntur *eandem* cognationem contrahere, etiamsi ex industria, seclusa necessitate, prolem baptizarent. Enimvero dissentiunt dd., et alii affirmant, alii negant. — La-Croix l. 6. P. 1. n. 358.— L. 150., Schmalz. l. 4. t. 11. n. 38. 39. 43., seqq., E. M.

1011. *Quid cognatio legalis?* — Cognatio *legalis* est propinquitas personarum, quae oritur ex *adoptione legali.* Adoptio actus legitimus est, per quem is, qui natura non est, assumitur in filium aut nepotem. Duplex distinguitur adoptio Iure communi: 1.° *Perfecta,* quae et *arrogatio* dicitur, et illa est, qua persona extranea sui iuris, rescripto principis, transit in potestatem et familiam adoptantis et omnia filii legitimi iura acquirit, et haeres evadit necessarius. 2.° *Imperfecta,* quae dicitur *simplex,* illa est, qua persona extranea, quae sui iuris non est, sed in potestate manet et familia patris vel avi sui naturalis, cuiusvis competentis iudicis auctoritate, assumitur in filium vel nepotem, non tamen transit in adoptantis familiam et potestatem, et propterea non fit huius haeres necessarius ex testamento, licet ei succedat ab intestato. Cf. V. 1. n. 663.

Cognatio *legalis,* nempe *perfecta* adoptio, constituit impedimentum dirimens *de iure ecclesiastico,* Ius Romanum approbante, per quod prius

impedimentum hoc inductum fuit. Eruitur ex Resp. Nicolai I. et Paschalis II. C. *Ita diligere* 1. c. 30. q. 3., C. *Post susceptum* 5. l. c., C. un. *de Cogn. leg.* Et ratio est, quia cognatio obstat nuptiis propter pericula cohabitationis. S. Th. 4. D. 42. q. 2. a. 3. ad 2. Hinc viget hoc impedimentum, ubi adoptio servatur *Romano Iure,* non *recentiori,* quo adoptatus in familiam adoptantis et sub eius patriam potestatem non transit. Ita Gur. 809., D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 433., aliique contra alios, qui tenent adoptionem quoque imperfectam, adeoque recentiori etiam iure, matrimonium dirimere. « Probabilius dicunt, ait S. Alph. 1027., S. Th. S. q. 57. a. 2., Sanch. l. 7. D. 73. n. 9., Salm. n. 41. cum aliis (cognationem legalem) oriri tantum *ex adoptione perfecta* ». Ita quidem ex L. *Adoptivus* 14. ff. *de Adoptionib.,* L. *Si paterfamilias* 15. ib., L. *Quin etiam* § 2. ff. *de Ritu nuptiarum,* etc. — Ut autem adoptione canonicum impedimentum habeatur, ea esse debet *legitime inita,* S. Poenit. 16. Maii 1826. Adoptio privatim inita, nulla iuris solemnitate, nullum parit impedimentum. S. O. 16. Apr. 1761.

Cognatio *legalis* ad similitudinem cognationis naturalis ex Iure Romano matrimonium dirimit inter sequentes personas: 1.° Quasi *in linea recta* inter adoptantem et adoptatum et eius filios, dum sunt sub paterna potestate constituti; 2.° inter adoptatum et filios adoptantis, quasi *in linea collaterali,* dum huius filii sub paterna potestate versantur, nec sunt emancipati; 3.° inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, quasi *in linea recta per modum affinitatis,* ut constat ex declaratione S. C. C. in Hortana 25. Sept. 1734.

Differunt inter se istae cognationes (et consequenter etiam impedimentum ex iis ortum), quod prima et postrema sint *perpetuae;* quocirca adoptans, v. g., ducere nequit filiam aut neptem adoptivam in uxorem, etiamsi per emancipationem adoptio fuerit soluta, nec privignus aut nurus (intellige adoptivos) iungi matrimonio possunt cum noverca aut socero, licet adoptio aut per emancipationem aut per mortem adoptantis cessaverit. Requireretur igitur dispensatio Sedis Apostolicae, quae tamen etiam in postremo casu difficillime conceditur. Secunda vero in linea collaterali durat dumtaxat, quamdiu durat adoptio. Lugo de Poenit. D. 16. n. 327.

Sex autem modis ex Iure Romano solvitur adoptio: 1.° morte naturali adoptantis; 2.° morte eiusdem civili; 3.° ob nuptias incestuosas; 4.° ob dignitatem, v. g., episcopalem; 5.° per sententiam; 6.° per emancipationem.

Cum impedimentum hoc sit iuris communis, solus Summus Pontifex potest dispensare. In linea recta et in affinitate legali difficillime dispensat et ex gravi causa. In linea transversali raro dispensatio petitur, siquidem emancipatione tollitur hoc impedimentum, et sic citra ullam dispensationem matrimonium adoptatus contrahere potest cum filia carnali adoptantis. Schmalz. l. 4. t. 12. n. 37.

C. I. 213. etc., C. G. 353. etc., C. A. 181., C. H. 178. 179., adoptio fit interventu publici magistratus, aliisque servatis praescriptionibus legis. C. I. 211., C. G. 349, parentes adoptivi tenentur procurare, si opus est, educationem adoptati eique subsidia et alimenta necessaria subministrare. Eadem vero obligatione quoad alimenta tenetur adoptatus erga adoptantem. Idem quoad alimenta statuit C. H. 176. — C. I. 737. 806., C. G. 350., C. A. 183. 755., adoptatus cum suis descendentibus haeres est adoptantis una cum filiis legitimis, eique ab intestato succedit. Nullum tamen ius

habet in bona consanguineorum aut cognatorum adoptantis. C. H. 177. nullum adoptatus acquirit ius ad haereditatem praeter testamentum, vel specialem conventionem. — C. I. 210., C. G. 347., C. H. 175., C. A. 182. nomen familiae adoptantis confertur adoptato, qui illud addit nomini suae familiae. — C. I. 210. 212., C. G. 348. 349. adoptatus manet in sua naturali familia, et in ea omnia sua servat iura, et suas obligationes. Quare non transit adoptatus in adoptantis familiam, neque eius subest patriae potestati, ut in adoptione perfecta, seu *arrogatione* Iuris Romani. C. A. 183., C. H. 177. adoptatus servat quidem sua iura in propria sua familia, sed transit sub patriam potestatem adoptantis, soluta priori patria potestate. — Nihil de solutione adoptionis habetur C. I. et C. G., adeoque videtur usque ad mortem perpetuo durare. Ex C. A. 185. solvi potest adoptio. Ex C. H. 180. minor adoptatus impugnare potest adoptionem intra quatuor annos post adeptam maiorem aetatem. — C. I. 60., C. G. 348., coniugium vetitum est inter adoptantem et adoptatum, huiusque descendentes: inter adoptantem et coniugem adoptati; inter adoptatum et coniugem adoptantis: inter adoptatum et filios adoptantis, qui post adoptionem nascantur; inter filios adoptivos eiusdem personae. C. H. 84. matrimonium contrahere non possunt tamquam incapaces pater vel mater adoptans et adoptatus: coniux patris vel matris adoptantis et adoptatus: pater vel mater adoptans et coniux adoptati: descendentes legitimi adoptantis et adoptatus, adoptione permanente. C. B. 1311. adoptans matrimonium contrahere non potest cum adoptato eiusque descendentibus, usque dum perdurat adoptio.

Ex C. I. et ex C. G. adoptio non habetur, nisi imperfecta, cum adoptatus non transeat in familiam adoptantis, neque constituatur sub huius patria potestate. Hinc *probabilius* non habetur inde impedimentum dirimens; donec Ecclesia huiusmodi adoptionem certo recenseat inter impedimenta dirimentia, uti perfectam adoptionem seu arrogationem Iuris Romani recensuit. *Probabilius* enim sola *adoptio perfecta* seu *arrogatio* Romanorum ex Iure Canonico impedimentum dirimens est. — E contra ob oppositam rationem impedimentum dirimens videtur adoptio ex C. H. et C. A. Ac ad Austriam quod attinet in Instructione Card. Von Rauscher, a Pronuntio commendata, dicitur § 29.: « Adoptio Imperii Austriaci..... matrimonium dirimit, quoties adoptatus *paternae adoptantis potestati* subiicitur, vel in eiusdem domum *filiorumfamilias ad instar* cohabitaturus recipiatur ». — Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 10., Schmalz. l. 4. t. 12, n. 3. 10. 26. seq., L. 1027., S. Th. S. q. 57., E. M.

1012. *An cognatio legalis matrimonium dirimat usque ad quartum gradum inter adoptantem et descendentes adoptati aut viceversa?* — Certo restringitur ad primum gradum quoad adoptatum et descendentes adoptantis. Ex Iure Canonico constat. — Controvertitur quoad adoptantem et descendentes adoptati. Probabiliter cognatio non extenditur ultra primum gradum, seu ultra adoptatum, nisi habeat descendentes sub potestate sua constitutos. Etenim secundum communiorem Sanchesii sententiam, l. 7. D. 63. n. 34., ex Romano Iure impedimentum se ad eos extendit, qui simul cum patrefamilias adoptato transeunt in potestatem adoptantis. — L. 1027.

1013. *Resolves:* Durante itaque adoptione, potest matrimonium consistere 1.° inter adoptantem et matrem ac sororem adoptati; — 2.° inter

adoptantem et filiam adoptivae; quia haec non est in potestate matris, ideoque non transit in potestatem adoptantis; — 3.° inter adoptantem et filiam illegitimam adoptati, quia scilicet filii illegitimi non sunt in patris potestate, atque adeo filia adoptati in casu in potestatem adoptantis non transit; — 4.° eadem de causa consistet matrimonium inter filium illegitimum adoptantis, et huius filiam adoptivam; — 5.° inter filium et filiam duorum fratrum adoptivorum, quia isti nullo cognationis vinculo inter se vinciuntur; — 6.° inter duos adoptivos unius adoptantis; nam nullo id iure vetitum est; — 7.° inter adoptatum et sororem aut matrem adoptantis. — Schmalz. l. 4. t. 12. n. 31. seqq., L. 1027., S. Th. 4. D. 42. q. 1. a. 2. ad 5.

1014. *Quid publica honestas?* — *Publica honestas* exoritur 1.° *ex sponsalibus validis et certis*, minime vero ex invalidis et incertis, C. un. *de Spons.* in 6.° Trid. 24. C. 3. de R. M. licet occultis, S. O. 11. Aug. 1852., S. Poenit. 10. Sept. 1834., A. S. S. V. 2. p. 381., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 108. Si sponsalia inita fuerint *sub conditione resolutiva*, cum illico valeant, impedimentum exsurgit et perseverat publicae honestatis, licet resolvantur; si vero inita fuerint *sub conditione suspensiva*, ea pendente, neque sponsalia sunt, neque impedimentum est: ea vero impleta, si consensus non fuerit revocatus, sine novo consensu valent, et impedimentum pariunt. Contrahitur autem inter sponsum et consanguineas sponsae, inter sponsam et consanguineos sponsi sive legitimos sive illegitimos, C. 8. *de Spons. et matr.*, in primo tantum gradu lineae tum rectae tum obliquae, Trid. ib.

Exoritur 2.° *ex matrimonio rato*, etiam *invalido*, ob aliquod nempe impedimentum dirimens, e. g., impotentiae, cognationis, disparitatis cultus, criminis, ligaminis, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, ex errore, ex metu, ex ficto consensu, licet defectus sit occultus; neque ex priore impedimento publicae honestatis ex sponsalibus, valide contractis. Non habetur explicitus textus iuris; sed deducitur *a fortiori;* nam vinculum matrimonii rati fortius est, quam quod oritur ex sponsalibus, C. un. *de Spons.* in 6.°, S. Pius V. C. *Ad Romanum Pontificem* § 35., Schmalz. l. c. n. 101. 104.-106. Hinc si Titius, v. g., initis sponsalibus cum Bertha, ea relicta, eius sororem ducat, ad primam redire potest et debet, nec indiget dispensatione, nisi matrimonium consummaverit. *Rato;* nam eo consummato, transit in perfectam affinitatem, et aliud non parit impedimentum. Publica enim honestas, inchoata quaedam affinitas est. Bened. XIV. de Syn. l. 9. C. 13. n. 3. *Ex matrimonio rato*, non *ex matrimonio civili*, in locis ubi Decr. Trid. de matrimonio coram parocho et testibus contrahendo est promulgatum. Leo XIII. 17. Mart. 1879. An neque etiam ex matrimoniis *clandestinis?* Ita existimavit Sanchez l. 7. D. 70. n. 13., contra vero opinatus est Pontius l. 7. c. 35. n. 5. Plures quidem adstipulati sunt Sanchesio, longe plures Pontio. Attamen post cit. Leonis XIII. Decretum, Sanchesii sententia omnino praeferenda consequenter est. Et utriusque ratio est, quia matrimonium *civile*, ubi promulgatum est Trid., et matrimonium *clandestinum* formam matrimonii non habent, et forma dat *esse rei;* unde nihil omnino sunt *in esse matrimonii*, adeoque ex illis tanquam *ex matrimonio invalido* impedimentum publicae honestatis exoriri non potest.

Impedimentum hoc, ex matrimonio sive *rato*, sive *invalido*, exortum, usque ad quartum gradum progreditur lineae rectae et collateralis. C. un.

de Spons. in 6.°, L. 1061. — Atque hoc impedimentum publicae honestatis, semel contractum *perpetuum* est, et perdurat *sponsalibus et matrimonio solutis. Nullum* autem pro fundamento habet *naturale vinculum, nullam naturalem cognationem,* ex sponsalibus et ex matrimonio rato, sive invalido, sive valido, in infidelitate contractis. Quare eo non tenentur infideles ad fidem conversi. L. 1061.-1064., Mansella de Impedim. etc. p. 66., E. M.

1015. *Quid impedimentum voti et ordinis? — Votum dirimens matrimonium* est solum votum *solemne castitatis,* per professionem in religione approbata emissum, C. 10. *de Conv. coniug.*, C. un. *de Voto* in 6.° *Castitatis,* non vero votum *religiosum,* quia ideo et eatenus professio religiosa matrimonium dirimit, quatenus solemne votum castitatis includit. Non dirimunt ergo matrimonium vota, licet solemnia, quorundam Ordinum Equestrium, qui profitentur tantummodo *castitatem coniugalem.* Schmalz. l. 4. t. 6. n. 45. *Solemne,* votum enim *simplex* castitatis, etiam perfectae et perpetuae, etiam emissum in religiosis Congregationibus virorum et mulierum, matrimonium non dirimit, sed tantum impedit. Ex speciali privilegio Gregorii XIII. sunt excipienda vota simplicia, quae post biennium tyrocinii emittuntur in Societate Iesu.

Ordo matrimonium dirimens est *ordo sacer,* nempe presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus. C. *De diacono* 1., C. *Ex Litterarum* 2. *Qui cler. vel vov.*, Extrav. *Antiqua de Voto,* Trid. S. 24. c. 9. *Ordo sacer* etiam apud Graecos et Italo-Graecos, Ruthenos et Maronitas matrimonium dirimit. Sed eadem non est pro omnibus certitudo. Nam pro Italo-Graecis irritum declaravit huiusmodi matrimonium a subdiaconis, diaconis et presbyteris attentatum Bened. XIV. Pro Ruthenis Synodus Tamascensis ann. 1720., approbata *in forma specifica* ab Apostolica Sede, pro Maronitis Synodus Libanensis ann. 1736., approbata pariter ab Apostolica Sede, irritum declararunt matrimonium illa presbyteri, ista diaconi, presbyteri et episcopi. Quoad alios Graecos nondum habetur expressa Apostolicae Sedis definitio; sed sententia est consona tum opinioni Tribunalium Urbis, tum ipsi antiquo Iuri Ecclesiae Orientalis. Bened. XIV. C. *Eo quamvis tempore* § 38. 39., C. *Anno vertente* § 13., C. *Etsi pastoralis* § VII. n. 27., S. C. de P. F. 24. Mart. 1858.

Porro quoad *votum,* debet esse emissum 1.° voluntarie et deliberate; 2.° cum vera intentione se obligandi; secus enim votum validum non foret. Quoad *ordinem,* requiritur 1.° ut sit susceptus valide; 2.° ut sit susceptus voluntarie; adeoque non ex gravi metu.

Impedimentum *ordinis* iuxta sententiam communem dirimit tantum *iure ecclesiastico.* Ratio est, quia ex una parte ordo *per se* non repugnat cum statu coniugali; nec adest ex altera parte prohibitio ulla divina, quae in Scripturis aut in traditione inveniatur. L. 1059. Cum autem *solemnitas voti* sit iuris ecclesiastici, eo ipso Papa dispensare potest, dummodo adsit causa sufficiens, idest rei gravitati proportionata. Posse Pontificem ab hoc impedimento dispensare, sententia est receptissima dd., quos longa serie allegat Sanchez de Matr. l. 8. D. 8. n. 7.; et quidem concessae huius dispensationis exempla passim suppetunt, ut videre est apud Schmalz. l. 3. t. 35. n. 48., Albit. de Inconst. in Fide C. 36. n. 132. seqq. Confirmatur ex Decr. S. O. 20. Febr. 1888., quo Leo XIII. concessit episcopis facultatem dispensandi, « sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevi-

sam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis, quantumvis publicis, matrimonium *iure ecclesiastico* dirimentibus, *excepto sacro presbyteratus ordine* et *affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente* ». — Bened. XIV. de Syn. l. 2., L. 808. 1025. 1026. 1059., l. 3. n. 256., Mansella de Impedim. etc. p. 92. seqq., S. Th. 2. 2. q. 88. a. 11., S. q. 53., E. M.

Moderna sunt Iura, quae etiam *ordinatos in sacris* ad matrimonium admittunt. Nulla quidem lex est id vetans C. I. et C. G. Hinc liberam viam sinunt huiusmodi personis turpissimi et sacrilegi concubinatus. Secus vero est C. A. 63., C. H. 83.

1016. *Quid impedimentum disparitatis cultus?* — Si *causa* matrimonii consideretur, matrimonium institutum est ad mutuum vitae adiutorium. Ne inde potius coniugibus periculum sit pertimescendum *religionis* et *vitae*, utrique periculo cautum est impedimento *disparitatis cultus* et *criminis*, arcendo catholicos a nuptiis cum non catholicis, et coniugem criminosum, coniuge mortuo, a nuptiis cum criminis socio.

Disparitas cultus alia est inter catholicum et acatholicum, alia inter christianum et infidelem. — *Prima* matrimonium *impedit* sed *non dirimit*. Bened. XIV. C. *Singulari nobis.* Sanctae Sedis tantum est *mixtas* permittere nuptias catholicorum cum acatholicis, Pius VII. Litt. *Vix nova* 17. Febr. 1809. ad episcopos Galliae, quas *non nisi gravi de causa permittit, dummodo nihil metuendum sit fidei coniugis catholici, procuret hic pro viribus acatholici conversionem, et hac expressa conditione, quod uterque coniux promittant se filios omnes nascituros in catholica Religione educaturos.* Greg. XVI. Ad Archiep. Friburgens. 23. Maii 1846. — Si pars haeretica, obtenta dispensatione, nolit deinde acquiescere, ut filii in catholica religione educentur, matrimonium valet, quia inde impedimenti mere impedientis natura non mutatur. — Si vero catholicus mixtas contrahat nuptias vel non impetrata dispensatione, vel non servata praedicta dispensationis lege, a sacramentis arcetur, quoad promiserit confessario educaturum se liberos in catholica Religione, et reparaturum scandalum aliis fidelibus datum. Pius VI. Epist. ad Card. De Frankenberg 23. Jul. 1782. — Dispensatione obtenta cum solitis clausulis, parochus assistere potest huic matrimonio, S. O. 20. Dec. 1838., *bannis omissis,* nisi necessaria et opportuna videantur iudicio Ordinarii, pro detegendis impedimentis, et omissa in iis mentione religionis eorum, qui nuptias sint contracturi. S. C. de P. F. 11. Maii 1871. Celebratio huius matrimonii fieri debet coram parocho et duobus testibus iuxta praescriptum Trid., *extra* tamen *Ecclesiam,* sub qua Sacristia comprehenditur, et *sine parochi benedictione.* S. O. 25. Nov. 1838. Unde patet sacerdotem non posse tunc deferre stolam et superpelliceum. Attamen, ubi graviora adessent mala, episcoporum arbitrio committitur, ut, aliis servatis necessariis cautionibus, « iudicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis *extra Ecclesiam et absque parochi benedictione* impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis *tolerari* queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, *exclusa tamen semper missae celebratione*». Pius IX. Instr. 15. Nov. 1858. — Collectan. S. C. de P. F. n. 1444.

Matrimonio assistere non potest parochus: 1.° Si non obtenta dispensatione, *mixtae* nuptiae contrahantur, quamvis lex eius assistentiam praescribat, nisi parochus tanquam *magistratus politicus* interveniat. S. O. 20. Dec. 1838. Attamen SS. Pontifices huiusmodi assistentiam permittere solent, ubi necessitas id exigit, prius alioquin omnino requisita utriusque partis promissione de prole in Catholicismo educanda. Ita Pius VII. concessit facultatem parochis qui in Russia et Germania versantur, assistendi, si cogerentur, matrimoniis mixtis absque obtenta dispensatione initis. Praesentia tamen parochi non impedit, quominus sponsi sic contrahentes graviter peccent. Hoc confirmavit Gregorius XVI. — 2.° Si uterque coniux nolit consentire in catholicam educationem prolis, sed pars haeretica prorsus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectetur. S. O. 17. Jun. 1829. Verum in instructione, quae addita est Litteris Gregorii XVI. ad Primatem et Episcopos Hungariae 20. Apr. 1841. haec habentur: « Tolerari posse (Sua Sanctitas) declaravit, ut, quoties ex temporum, locorum, ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper Ecclesiae utilitati, communique bono expedire videatur, si illud, quamvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur, idem catholicus parochus, aliusve sacerdos eius vice fungens, matrimonio ipsi, *materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit,* perinde ac si partes unice agat *meri testis*, ut aiunt, *qualificati* seu *authorizabilis*, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre ». Apud Roskovani Tom. 2. pag. 818. — 3.° Si sponsi ante vel post matrimonium contrahant etiam in Ecclesia protestantica, ritu protestantico. S. O. 21. Apr. 1847.

Altera cultus disparitas, quae est inter baptizatum et infidelem, matrimonium dirimit, non ex lege scripta, sed ex consuetudine vim universalis legis habente. Quare omnes tenet, qui in Ecclesiam recipiuntur, etiamsi in illis locis sint, in quibus primum Christiana Religio praedicatur. Bened. XIV. C. *Singulari nobis* § 10., Sanchez l. 7. D. 71., Schmalz. l. 4. t. 6. n. 121.-124. Dirimit autem matrimonium quamvis baptizatus ducat catechumenam, vel non baptizatus apostatam, vel haereticam. Bened. XIV. C. *Singulari nobis.* 9. Febr. 1749. — Conditiones autem servandae in dispensationibus quoad matrimonia inter christianos et infideles ex pluribus S. C. de P. F. Instructionibus hae praescriptae reperiuntur: 1.° Ut cohabitatio cum infideli non adducat aut contumeliam creatoris, aut periculum perversionis. 2.° Ut proles instituatur in christiana religione. 3.° Ut dispensetur solum in locis (intellige Provinciam, Vicariatum, etc. non vero pagum, in quo forte plures essent christiani), ubi plures essent infideles, quam christiani. 4.° Ut dispensatio gravibus tantum de causis concedatur, adeo ut potius dispensetur in impedimentis consanguinitatis seu affinitatis, si hoc pacto vitarentur matrimonia cum infidelibus. 5.° Additur aliquando, ut adsit probabilis spes de conversione contrahentis infidelis. Collectan. cit. n. 1261. 1263. 1270. 1301. — Longe difficilius dispensatio haec cum Iudaeis conceditur. — Valida vero sunt sponsalia inter baptizatum, et adhuc catechumenam, uti valent sponsalia impuberum. Sponsalia enim

sunt de futuro, et in futuro potest inter eos matrimonium consistere. Schmalz. l. 4. t. 6. n. 130.-131. — Lugo de Poenit. D. 16. n. 336. 343., S. Th. S. q. 59. a. 1., E. M.

1017. *Quid impedimentum criminis?* — Crimen matrimonium dirimens triplex est, scilicet: 1.° adulterium, 2.° homicidium coniugis, 3.° utrumque simul, modo certae concurrant conditiones, quas subiicimus. Impedimentum hoc est impedimentum iuris tantum ecclesiastici.

1018. *Quid requiratur ad adulterium solum?* — Ad impedimentum ex hoc capite incurrendum requiritur: 1.° Ut adulterium sit *verum, formale, consummatum. Verum,* id est, ut saltem alteruter fornicator matrimonio non mere *putatitio,* sed legitimo ac valido, etiamsi forte non consummato, sit coniunctus. *Formale,* et quidem ex utraque parte, id est, ut uterque cognoscat, alterutrum esse coniugatum. Sufficit igitur, ut quis scienter accedat ad foeminam coniugatam, nec necessarium est, ut ista coniugata sciat, etiam eum, quocum adulterat, coniugatum esse. *Formale* adulterium non adest, etiamsi solum ex ignorantia culpabili et crassa complex ignoret alterum esse coniugatum, dummodo ignorantia non fuerit affectata. Ad formale enim adulterium *dolus* requiritur. *Consummatum,* intercedente nempe copula carnali perfecta. In foro externo id semper praesumitur, si vir intra vas seminaverit. In foro vero interno difficile erit aliud definire in casu; consummatio enim matrimonii habetur per mixtionem seminum, S. Th. 4. D. 41. q. 1. a. 1. q. 4. ad 2. — Schmalz. l. 4. t. 7. n. 55., L. 1036.

2.° Ut adsit *promissio* matrimonii facta ab uno adultero et ab altero saltem aliquo signo acceptata, sive haec promissio praecedat, aut comitetur, aut sequatur adulterium; sed si praecedat, requiritur, ut retractata ante adulterium non fuerit. Tum promissio tum acceptatio debet esse *vera,* et ideo non sufficit *ficta.* L. 1039., Schmalz. l. 4. t. 7. n. 22.-24., qui id confirmat ex C. *Significasti* 6. *de Eo qui duxit,* etc. Insuper non sufficit *conditionata* promissio aut acceptatio, quousque conditio nondum extat. Secus dicendum, si adiecta conditio purificetur ante mortem coniugis, ac multo magis si ante patratum adulterium. Schmalz. l. c. n. 25.-28. Quia autem opus est formali iniuria ad impedimentum incurrendum, ideo necesse est notitiam habere coniugii utriusque partis vel saltem alterutrius; et ignorantia excusat, dummodo crassa aut supina non fuerit. C. 2. *de Constit.* in 6.° Utrumque ergo, et adulterium et promissio, *formaliter* intelligendum est. Quare non valet adulterium *ignoranter* admissum, licet postea promissio scienter secuta fuerit, nec admissum scienter post promissionem *ignoranter* factam, quamdiu promissor ratam eam non habuerit, quae verior sententia est. Aliud existimant Sanch. l. 7. D. 79. n. 34., Schmalz. l. 4. t. 7. n. 13., aliique, putantes, prout matrimonium (de quo statim dicendum), ita et promissionem, ignoranter initam, tacite confirmari adulterio postea scienter admisso. Sed non est par ratio, et ceu turpis promissio non est facile praesumenda, ita nec turpis ratihabitio. Quin imo nec ratihabitio sufficit, si facta fuerit, altero inscio. — Probabilius autem non requiritur repromissio. C. 6. *de Eo qui duxit.* Verumtamen cum sua oppositae quoque sententiae non desit probabilitas, Schmalz. l. 4. t. 7. n. 30., in dubio an repromissio accesserit, impedimentum ut mere probabile, atque adeo incertum, quod perinde est ac nullum, censeri potest.

3.° Ut tum promissio matrimonii, tum adulterium fiant vivente priore coniuge, seu constante *eodem matrimonio*. Nimirum tum adulterium tum matrimonii promissio cedere in iniuriam debent unius eiusdemque coniugis: quod non contingeret, si Bertha, v. g., vivente primo marito, promitteret matrimonium Titio; cum eodem vero adulterium committeret, quando post primi mariti mortem Caio nupsisset.

Adulterium ex Iure matrimonium dirimit, non modo quando accedit promissio *matrimonii futuri*, contrahendi scilicet *post mortem coniugis*, nam si promitteretur matrimonium contrahendum, *alio coniuge adhuc vivente*, impedimenti ratio cessaret, ut cum dd. advertit Schmalz. l. 4. t. 7. n. 9.; sed etiam si adulter, adhuc *vivente coniuge, matrimonium de praesenti* cum adultera contrahat, seu potius vere et ex animo, non ficte, *attentet;* id patet ex C. *Cum haberet* 5. *de Eo qui duxit*, etc. Nec refert, utrum attentent matrimonium contrahere coram parocho ac testibus, an clandestine. In statuendo enim hoc impedimento non attenditur valor matrimonii aut sponsalium, si sola promissio intercedat, quae invalide, uti patet, contrahuntur, sed ratio criminis. — Quod si complex *ignoraverit* legitimum alterius coniugium, quando cum eo inivit matrimonium; vel comperto alterius coniugio, adulterium, *non retractans matrimonium,* committit, *et sic impedimentum inducitur;* quia si post scientiam acceptam in matrimonio perseverat, et adulterium deinde addit, matrimonium ratum habet, quod cum adulterio coniunctum non minus provocat ad captandam alterius mortem, quam si scienter contractum ab initio fuisset; vel *matrimonium retractat ante adulterium*, aut etiam ab adulterio, quod *materiale* prius extitisset, et non *formale,* cessat, statim ac coniugium alterius comperit, *et sic ratio impedimenti abest.* Schmalz. l. c. n. 12. 15. — C. *Si quis vivente* c. 31. q. 1., C. 1.-8. *de Eo qui duxit* etc., L. 1031. seqq., E. M.

C. B. 1312. 1328. matrimonium contrahi nequit a coniuge per divortium iuridice separato *propter adulterium,* cum persona cum qua adulterium commissum fuit. Huiusmodi matrimonium *est nullum.*

1019. *Quid requiratur ad homicidium solum?* — Tres conditiones requiruntur, ut ex hoc adsit impedimentum: 1.° *Mutua conspiratio*, mandato, consilio, etc., unde non sufficit, ut coniux coniugem suum occidat, si persona, quacum matrimonium initurus est, hanc actionem ignoret, aut contradicat. Neque sufficit, quod quis, audiens coniugis occisionem, eam approbet, ac ratam habeat. Neque videtur sufficere solus consensus, quia Iura machinationem requirunt. C. *Laudabilem* 1. *de Conv. infidel.*, L. 1033. — 2.° *Intentio matrimonii.* Ita communiter, quamvis in Iure non sit expressum. Ratio est, quia finis legis est, ne quis spe matrimonii proprium vel alterius coniugem occidat. Non requiritur intentio haec ex utraque parte, sed verius, ut intentio illa aliquo modo fuerit alteri manifestata. Sufficere autem, ait S. Lig. 1034., ut indicia quaedam huius intentionis praecesserint, v. g., familiaritates, epistolae amatoriae, etc. Quare impedimentum non adest, si Titius, Caia cooperante, uxorem occidat, ut liberius Caia fruatur, vel eius filiam ducat. — 3.° *Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali alterutrius complicis. — C. 1. 3. 6. *de Eo qui duxit,* C. 1. *de Conv. infid.,* L. 1031. seqq., E. M.

1020. *Quid requiratur ad utrumque simul?* — Quando crimina adulterii et coniugicidii reperiuntur coniuncta, non requiritur *mutua conspi-*

ratio ad coniugicidium, nec *promissio* matrimonii, sed haec sufficiunt: 1.° *Adulterium*, quale supra expositum est. *Praecedere* autem debet *coniugicidio;* non tamen necesse est, ut praecedat mortis machinationi. *Praecedere coniugicidio;* nam si praecedat mors coniugis, adulterium, quod consistit in copula cum coniuge alterius, locum habere amplius non poterit. Requiritur enim, ut adsit adulterium materiale simul et formale respectu coniugis interfecti. Schmalz. l. 4. t. 7. n. 49. 51., Sanch. l. 7. D. 18. n. 12. — 2.° *Machinatio mortis* ab uno adulterorum ex intentione matrimonii. Sufficit autem, ut haec intentio ab uno habeatur. Gousset 824., Carrière 739. S. Lig. insuper requirit probabilius, ut haec intentio alteri manifestetur. — 3.° *Mors ex machinatione unius adulterorum secuta,* eodem modo ac supra dictum est de solo homicidio. L. 1036. — 4.° Adulterium et coniugicidium *eodem constante matrimonio* admissum. — Hoc impedimentum quod propter duplex crimen unitum vocatur *utrumque simul,* unicum constituit impedimentum. Contra vero si et adulterium et homicidium suas proprias conditiones separatim habeant, uti expositae sunt, duplex inferunt impedimentum. — C. 1. 3. 6. *de Eo qui duxit,* C. 5. c. 31. q. 1., L. 1031. seqq.

1021. *Nota:* 1.° Impedimentum *criminis, impedimentum* est et *poena.* — Quatenus *impedimentum,* cum impedimentum sit Iuris ecclesiastici, locum non habet *inter infideles,* etiamsi dein ad fidem veniant. Baptismum omnia delet crimina. Quod idem dicendum, quoad *solum adulterium,* si alterutrum, aut adulterium scilicet, aut promissio tantum facta sit post baptismum, Schmalz. l. 4. t. 7. n. 3.: itemque, si fidelis non fuit particeps caedis, quam infidelis patravit; tunc enim impedimentum non incurrit ex *solo homicidio:* vel si neque caedem patravit ipse, sed infidelis, qui expers est talis impedimenti, licet adulterium ipse commiserit, quia adulterium sine homicidio impedimentum non inducit *utrumque simul.* Schmalz. ibid. n. 46. Contra vero si fidelis, promisso matrimonio, adulterat cum infideli, itemque si fidelis particeps machinationis seu caedis fuit, vel cum adulterio caedem etiam patravit, impedimentum incurrit, quo consequenter, licet indirecte, ligatur et infidelis, non secus ac in impedimento disparitatis cultus contingit. Immo id locum habet, etiamsi uxor fidelis hoc ideo fecerit, ut vir infidelis, inito postea cum ipsa matrimonio, ad fidem convertatur, prouti diserte habetur in C. *Laudabilem* 1. *de Convers. infid.*, ubi Pontifex hanc reddit rationem, quod tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. Schmalz. l. c. n. 46.-48., E. M.

2.° Quatenus *poena,* cum certe poena sit extraordinaria, probabilius ignorantia impedimenti ab impedimento excusat. Communius tamen id negant, « sed principiis nec certis nec evidentibus ». D'Annib. Ed. 3.ª P. 3.ª n. 442., Gur. Baller. 788., Krimer in Decretal. l. 4. n. 1011.-1029., Sanch. l. 9. D. 32. n. 17. 21. Attamen non abs re negari potest, impedimentum hoc constitutum esse *in poenam criminis;* sed quia publico moralitatis sensu indecens et inhonestum est, quod matrimonium contrahatur inter hasce criminosas personas. Schmalz. l. 4. t. 7. n. 61.

3.° Impedimentum hoc *multiplex* esse potest, adeoque tunc in supplici dispensationis libello exponendum. Multiplex est ratione *adulterii,* si utraque pars sit coniugata; ratione *homicidii,* si ab utroque coniux oc-

cidatur; ratione utriusque simul, si modo commemoratae circumstantiae una concurrant.

4.° Benedictus XIV. Epist. *Aestas anni* ait, « nullo exemplo constare Pontificem dispensare in impedimento huiusmodi *publico*... Si impedimentum sit *occultum*, maior Poenitentiarius dispensat in matrimoniis, tum contractis tum contrahendis, pro foro interno, commisso adulterio, sed neutro machinante: verum si impedimentum oriatur ex adulterio, utroque vel alterutro machinante, sitque *occultum*, habet quidem maior Poenitentiarius facultatem dispensandi, raro tamen et semper pro foro tantum interno, his quoque servatis, ut gravis occurrat necessitas, aut grave immineat periculum, et casu in plena Congregatione aut Poenitentiariae signatura proposito ». — Facultatem dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, habent etiam episcopi vi facultatum quinquennalium et confessarii approbati vi facultatum S. Poenit., quas confer in respectivis formulis.

1022. *Quid impedimentum erroris, conditionis, furiae?* — Quantum est ex parte *consensus* impedimenta matrimonii habentur *erroris*, *conditionis, furiae, metus, raptus.* — *Error* dirimit matrimonium, *de iure naturali*, si sit *circa personam*, siquidem error substantialis, in praesenti materia, est, licet sit crassus et concomitans, e. g., si dum Titius falso existimans ducere Caiam, dicat intra se: ducerem hanc, etsi Caia non esset, secus vero si diceret: volo hanc ducere, etsi forte Caia non sit. — Error *circa qualitates* personae, vel circa naturam et proprietates matrimonii, dummodo non sit circa ipsam *rem* contractus, matrimonium non dirimit. Publico enim bono valde interest matrimonia non dirimi propter ullum alium errorem praeter substantialem, e. g., si quis matrimonium contrahat cum errore *facti*, existimans, e. g., ducere virginem, sanam, nobilem, et e contra ducat scortum, leprosam, trivio natam, quamvis erret efficaci compartis dolo, et noluisset certe cum tali foemina contrahere; siquidem voluntas est haec interpretativa, quae, cum non *sit*, nihil potest efficere. Idem dicatur, si quis erret errore *iuris*, putans, e. g., matrimonium posse dissolvi.

Triplex excipiendus est *error accidentalis*, qui matrimonium dirimit. — Primus casus est, quando qualitas est *conditio*, *sub qua* praestatur consensus; manifestum est enim, conditione deficiente, etiam conditionatum, idest consensum deficere.

Alter casus est, quando qualitas est *determinativa personae*, quacum quis contrahere intendit; seu quando personam, cum qua contrahit, non cognoscit, nec determinat, nisi ex indicio et nota illius qualitatis. Qua de re Pirhing l. 4. t. 1. n. 163: « Si per qualitatem, in qua erratur, certa et individua persona designetur, animoque concipiatur, quae visu prius ignota est, tunc error redundat in errorem personae ». Item sat clare Sanchez l. 7. D. 18. n. 38.: « Ad explicandum, quando error circa qualitatem redundet in errorem personae matrimonium dirimentem, dico breviter, tunc id accidere, quando erratur circa qualitatem, quae certam personam designat, quae contrahenti prius nota non erat absque illa qualitate (scilicet nisi ex illa qualitate): nec constat, mentem contrahentis fuisse in personam sibi praesentem, quaecumque illa sit, consentire ».

Tertius casus est error circa *conditionem servilem* compartis, qui dirimit matrimonium *de Iure ecclesiastico*, ut constat ex lib. 4. Decretalium,

t. 9. Hoc impedimentum locum non habet amplius in Europa, non quia cessat ius, sed quia communiter deest occasio, nisi forte in partibus turcici imperii, aut si quae personae, servituti adhuc mancipatae, in alias Europae partes aliunde adveniant. Error autem hac in re ex communi dd. sententia matrimonium dirimit, etiamsi crassus fuerit. L. 1019., Schmalz. l. 4. t. 9. n. 29.-31. Quod si contrahens sciat conditionem alterius servilem, aut coniugium ignoranter contractum, deinde, cognito errore, ratum habeat, ex omnium sententia certum est, matrimonium esse validum. Ex dispositione autem Iuris Canonici, C. *Si viduam* 15. D. 34., scienter contrahens cum ancilla fit irregularis, L. 1018., Schmalz. l. c. n. 15.-18.; et in secundo casu renovandus esset consensus coram parocho ac testibus, nisi forte nullitas praecedentis contractus ita omnino occulta esset, ut probari non posset: tunc enim sufficeret consensus denuo a parte libera emissus. Schmalz. l. 4. t. 3. n. 121., et t. 9. n. 18. Hoc porro impedimentum, uti patet, valet solum quoad matrimonium liberi cum servo: nam (et haec sedulo notanda pro locis, in quibus adhuc servitus viget) coniugia inter servos extra controversiam, Schmalz. l. c. n. 7., valida habenda sunt, Cf. C. 2. q. 2. c. 29., et S. Th. 2. 2. q. 104. art. 5., etiamsi contrahantur sine heri consensu, C. *Dignum* 1. *de Coniug. serv.*, Schmalz. l. c. n. 10.; quocirca sicut servus licite, etiam hero suo invito, matrimonium contrahit, sic herus graviter contra iustitiam peccat, si servum aut positive a matrimonio impediat, aut illum, postquam contraxit, durius hac de causa tractet. — Leo XIII. Litt. 5. Maii 1888., Sanchez l. 7. D. 21. n. 15., Schmalz. l. c. n. 13. 14. — C. I. 105., C. G. 180., C. A. 57.-59., C. B. 1332.-1334.

3.° « Dicendum quod *furia* aut praecedit matrimonium, aut sequitur. Si sequitur, nullo modo dirimit ipsum; si autem praecedit, tunc aut furiosus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc quamvis, dum est in illo intervallo, non sit tutum quod matrimonium contrahat, quia nesciret prolem educare; tamen si contrahit, est matrimonium. Si autem non habet, vel si quando non habet, contrahit; tunc quia non potest esse contractus ubi deest rationis usus, non erit verum mâtrimonium ». S. Th. S. q. 58. a. 3. — C. B. 1325., L. 1009. seqq., S. Th. S. q. 51., q. 52.

1023. *Quid impedimentum vis seu metus?* — Metus *levis,* etiam iniustus, matrimonium non dirimit. Ratio est 1.° quia metus levis non censetur graviter et efficaciter in consensum influere; 2.° quia ex iure positivo solus metus gravis irritum facit matrimonium; 3.° quia secus innumera matrimonia fierent irrita cum maximo societatis detrimento. — Metus vero *gravis* dirimit certo matrimonium *de iure ecclesiastico.* Requiruntur tamen sequentes conditiones, scilicet, ut metus incutiatur 1.° a causa externa et libera; 2.° iniuste; 3.° ad finem contrahendi matrimonii. C. 10. 14. 15. 18. 28. *de Spons.*, C. 2. *de Eo qui duxit.* — *De iure ecclesiastico,* an etiam de iure naturali? Disputata res est inter dd. — Trid. S. 24. C. 1. 2. de R. M., S. Th. S. q. 47. a. 3. 4., Sanch. l. 4. D. 12. n. 3., Lugo de Iust. et Iur. D. 22. n. 175. seqq., Schmalz. l. 4. t. 1. n. 399., L. 1050., C. I. 105., C. G. 180., C. A. 55., C. B. 1335.

Utrolibet iure dirimi dicas, hoc impedimentum *dispensationem non admittit,* sed necesse est, ut causa metus tollatur. C. *Cum locum* 1. *de Spons. et matr.* Idcirco, perseverante causa metus, nec per copulam, nec per cohabitationem (haec alias praesumuntur metu extorta) matrimo-

nium convalidatur; durante enim metu, sicut matrimonium non potest valide contrahi, sic nec convalidari contractum invalide. Secus dicendum, si prorsus libere et affectu maritali admittatur copula, ut habent communiter dd. post S. Th. 4. D. 29. q. 1. a. 3. q. 2. ad 2., vel etiam spontanea sit cohabitatio, quae, C. *Ad id* 21. *de Spons. et matr.*, pro consensus ratificatione accipitur. Quo in casu, si occultum impedimentum extitit, necesse sane non erit rursus coram parocho consensum renovare ex generali doctrina, quam ex S. Poenitentiariae decretis, S. Pii V. auctoritate latis, et S. C. C. Declarationibus, atque S. Rotae praxi confirmat Bened. XIV. Instruct. 87. n. 62. — Sanch. l. 2. D. 36. n. 2.

Neque vero necessarium est, ut et alter coniux, qui nesciverit impedimentum, de ipso certior fiat, quando novo consensu matrimonium convalidandum est. Nam licet id forte probabilius requiratur quando utriusque contrahentis consensus invalidus est propter impedimentum, quo uterque ipso iure inhabilis est ad contrahendum, Sanchez l. c., L. 895.; oppositum tamen dicendum videtur de casu praesenti, quando res est de *solo defectu consensus*, prout etiam fit quando alteruter contrahentium *ficte* consentiat. Rationem ita exponit Sanchez de Matr. l. 4. D. 18. n. 2.: « Secundo supponendum est, si post matrimonium metu extortum accedat copula sponte habita affectu coniugali, ratificari prius matrimonium, et ex tunc incipere valere, si alter, qui absque metu consenserat, in pristino consensu perseverat. Et ratio est, quia cum non oporteat consensus esse simul, et consensus illius, qui metum passus non est, fuerit legitimus, solum desiderabatur ad matrimonium consensus spontaneus illius, qui metu consenserat, ut dixi l. 4. D. 15. n. 2. Sed hic consensus sufficienter exprimitur per copulam, etc., ex C. *Is qui* 30. *de Spons.* Ergo ea secuta ratificatur prius matrimonium ». Et eodem modo paulo post ib. n. 3. ratiocinatur de consensu per diuturnam, mutuam ac spontaneam cohabitationem expresso, id confirmans ex iuris explicita definitione in C. *Ad id* 21. *de Spons. et matrim.*

In dubio an metus censendus sit *gravis*, communis doctrina est, iudicandum pro valore matrimonii, tum quia matrimonii causa favorabilis est, tum propter reverentiam sacramenti. Laymann l. 5. Tr. 10. P. 2. c. 5. n. 4. Quo spectat illud Innocentii III. C. *Licet* 47. *de Test. et attest.* « Tolerabilius est, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare ». Schmalz. l. 4. t. 1. n. 432.

Dissidium autem dd. de metus *reverentialis* sufficientia facile conciliatur, si reputes, hunc quoque metum pro adiunctorum varietate modo *levem*, modo *gravem* merito censeri. Ita cum aliis Laymann l. c. n. 3., qui simili ratione iudicandum censet quoad preces importunas, quibus pro diversis personarum circumstantiis facile aut difficillime contradicere liceat, ut notant etiam Sanchez l. 4. D. 7. n. 7., Konink, Lessius, etc.

Quando matrimonium ex gravi metu contractum fuit, non tenetur quis in foro conscientiae, *per se loquendo*, illud perficere, et potest, altero invito, resilire. Idque valet etiam de illo, qui liber a metu fuit, etiamsi ab ipso seu eius culpa illatus fuerit. Ita Sanch. aliique, et probabile est S. Alph. 1057. — *Per se loquendo,* i. e. nisi illatum damnum non nisi per matrimonium posset reparari. — L. 1045. seqq., E. M.

1024. *Quid impedimentum raptus?* — *Raptus* est violenta abductio mulieris de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detineatur, matrimonii ineundi causa. Raptus dirimit matrimonium de iure ecclesiastico inter raptorem et raptam. Trid. S. 24. C. 6. de R. M.

Triplex requiritur conditio ad hoc impedimentum incurrendum, nempe 1.° ut *mulier rapta abducatur de loco in locum. Mulier*, quaecumque ipsa sit. An etiam *sponsa?* Affirmandum, quia lex non distinguit. Alii tamen negant, quia sponsa cogi potest ad nuptias, nisi forte iustam habeat causam a sponsalibus recedendi. *Mulier rapta*, non incurrit impedimentum, si mulier rapiat virum, quia Trid. loquitur tantum de viro raptore. *Abducatur*, non si invita retineatur in loco, quo sponte accesserat, siquidem hic stricta opus est interpretatione. Idem autem est, sive raptor per se, sive per alios raptum exsequatur; itemque sive per se et penes se, sive per alios ac penes alios raptam personam in sua retineat potestate. S. C. C. 25. Jun. 1864., A. S. S. V. 1. p. 15.-24. Impedimentum autem incurrit qui pro se rapit, non vero qui rapiunt pro alio, quamquam hi alias poenas tum civili tum canonico iure in raptores decretas incurrere possunt. Schmalz. l. 5. t. 17. n. 20. *De loco in locum*, non contrahitur impedimentum, si abducatur de cubiculo in cubiculum eiusdem domus, quia sic proprie sub raptoris potestate non constituitur. — 2.° Ut foemina *rapiatur* tantum *matrimonii causa;* quare impedimentum non incurritur, si mulier abducatur alia de causa, v. g., libidinis explendae. Trid. enim nihil aliud intendit, nisi libertati matrimonii favere. Neque incurritur impedimentum, si matrimonium contrahatur raptorem inter et raptam, postquam haec a potestate raptoris fuerit liberata. Ex Trid. textu hoc clare apparet. Durat e contra hoc impedimentum *quamdiu* mulier rapta est *in potestate raptoris*, etiamsi libere consentiat. — 3.° Ut *raptus* fiat, *muliere repugnante*, seu *omnino invita*, vi illata aut metu incusso. Hinc impedimentum non habetur, si mulier abductioni consentiat, tunc enim non *raptus* sed *fuga* habetur, quamvis inviti sint ii, sub quorum est potestate; et e contra impedimentum adest, si his consentientibus invita ipsa abducatur. *Raptus seductionis*, uti appellatur, blanditiis sive muneribus mulierem inducendo ad se sequendum; impedimentum non constituit; quia nulla vis, nulla fraus adhibita abductae, nec iniuria parentibus illata. Si vero mulier *dolo* circumducta in potestatem molientis rapinam inscia deveniat, raptus adhuc habetur, et matrimonium dirimitur. S. C. C. 24. Apr. 1868., 25. Jun., 27. Aug. 1864., A. S. S. V. 1. p. 23., Riganti ad Cancell. Reg. 49. n. 79. seqq. — L. 1107. seq., S. Th. 2. 2. q. 154. a. 7. ad 4., Schmalz. l. 5. t. 17. n. 37.-40.

1025. *An valeant sponsalia contracta, dum mulier rapta sub potestate raptoris versatur?* — Duplex datur sententia probabilis. Prima sententia negat, quia sponsalia libertatem requirunt, sicut ipsum matrimonium; lex enim poenalis extenditur, ubi eadem ratio militat. Secunda sententia affirmat, et hanc probabiliorem dicit S. Lig. cum La-Croix, etc. Ratio huius sententiae est, quia sponsalia, utpote quae semper sunt rescindibilia, minorem libertatem, quam matrimonium, requirunt. — L. 1107.

1026. *Quid clandestinitas matrimonii?* — Praeter *rem, causam* et *consensum*, in matrimonio consideranda sunt eius *solemnia*, illa nempe extrinseca matrimonii forma, qua matrimonium tanquam contractus *valide*

conficitur, qua sacramentum *sancte* initur. Hinc aliud exsurgit matrimonii impedimentum, nempe *clandestinitatis.*

Matrimonium *clandestinum* dicitur illud, quod contrahitur sine solemnitate ab Ecclesia requisita, nempe *sine assistentia proprii parochi et duorum saltem testium.* Impedimentum istud est de solo Iure ecclesiastico, cum fuerit a Trid. constitutum. S. 24. C. 1. de R. M.

Parochus proprius hic est parochus domicilii vel quasi-domicilii, Bened. XIV. C. *Paucis abhinc,* Collectan. S. C. de P. F. n. 1409., non item originis, nisi forte ibidem quis domicilium habeat, et quoad *vagos* parochus loci in quo versantur, licet alter tantum ex sponsis sit vagus. L. 1089. Si quis duobus in locis domicilium habet, vel in uno domicilium, in alio quasi-domicilium, coram quolibet eorum contrahere potest. Parochus autem *proprius* est, sive sponsi sive sponsae in propria paroecia. Quin immo « *sufficit parochus viri etiam in parochia mulieris;* quia matrimonia voluntariae iurisdictionis sunt, et quia Conc. nihil de loco expressit, et quia videtur Conc. voluisse praesentiam parochi et testium ad tollendam solam clandestinitatem, ad quod sufficit unus parochus sive viri sive mulieris ». S. C. ap. Fagnan. in C. *Quod nobis de Clandest. despons.* n. 33., Barbosa de Offic. Parochi P. 2. c. 21. n. 45., Bened. XIV. Notif. 33. n. 5. seqq., Quaest. Can. 182., L. 1087. — *Parochus;* matrimonium aeque valet, si coram episcopo vel eius vicario generali contrahatur, Bened. XIV. Quaest. Can. 182., vel, Sede Vacante, coram vicario capitulari. Facultatem assistendi matrimoniis habent etiam Cardinales in suo quisque Titulo, et Pontificii Legati in Provinciis sibi concreditis. Cardinales enim in suis Titulis Ordinarii sunt et iurisdictionem habent episcopalem; itemque Legati Pontificii, sive ordinarii, sive extraordinarii, sive *a latere,* sive mere *missi,* aut etiam nati, iurisdictionem habent ordinariam in provinciis sibi concreditis. Ferraris v. *Matrimonium* a. 3. n. 12. 20. 45., v. *Cardinales* a. 3. n. 12. 20., v. *Legatus* n. 12. 45. *Parochus;* valide etiam assistit *proparochus,* seu vicarius, qui ab Ordinario, vel ab ipso parocho habeat in parochia absolutam, plenam, et absque ulla restrictione potestatem. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 23. n. 1.

Cum *parochus* adsit, quasi *testis qualificatus, auctorizatus,* nulla opus est potestate ordinis seu iurisdictionis. Quare licite adest, etsi clericus tantum sit; valide vero etsi sit suspensus, irregularis, excommunicatus, vitandus vel acatholicus, schismaticus, etsi episcopus id ei prohibuerit. Quod idem dicendum est de vicario generali, si contra episcopi prohibitionem, vel ipse matrimonio assistat, vel cuipiam sacerdoti facultatem dederit assistendi. Valide item parochus adest, licet falso parochus sit, sed habeat titulum coloratum, et communi errore parochus reputetur, et probabilius etiamsi adsit solus communis error, sine titulo colorato. Parochus adest valide etiam in alieno territorio, invito etiam huius loci parocho vel Ordinario, licet matrimonium solemniter benedicere non possit. Alium item delegare potest, dummodo *sacerdotem* deleget, *non diaconum,* et valide sacerdotem *quemcumque,* etiam vitandum. *Non diaconum,* nisi *forte* is errore communi ut sacerdos habeatur. Sanch. l. 3. D. 22. n. 61. *Generalis* etiam delegatio, etiam tacita, aut metu extorta, sed non praesumpta, sufficit, e. g., ad exercenda parochialia munia. Delegare autem alium potest etiam vicecuratus, cum sit ipse delegatus ad universalitatem causarum, Ferraris v. *Matrimonium* a. 2. n. 179.-181.

Nihil refert, etsi parochus et testes adsint casu, dolo, aut vi inducti. Sufficit enim, quod *sciant* quid fiat, sive ex verbis, si caeci sint, et contrahentium voces agnoscant, sive ex signis, si sint surdi, sive per interpretem, si sint ignari idiomatis. Quare valet matrimonium, etsi parochus fingat se non audire, obstruendo sibi digitis aures, non videre, oculos claudendo, neque intelligere, dummodo revera ex actibus antecedentibus et consequentibus perceperit consensum partium; si, e. g., vocem sponsae vel sponsi minime audierit, sed viderit sponsum manu sponsam tenentem, S. C. C. 12. Jan. 1715., vel ei tradentem annulum, S. C. C. 28. Nov. 1671. Sufficit enim quod sint omnes moraliter praesentes sicut testes, qui de re peracta testimonium perhibere debent. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 23., L. 899. Ad matrimonii validitatem testes quilibet sufficiunt, sive mares sive foeminae, etiam parentes, moniales, infideles, sive aetate maiores, sive minores, modo rationis usum habeant, et de contracto matrimonio testari valeant.

Domicilium et quasi-domicilium hic censendum est Iure Canonico non Civili, animo nempe habitandi in loco perpetuo vel per maiorem anni partem; neque vero opus est ipso habitationis facto praedicto tempore, sed statim ac eum in locum quis advenerit, domicilium, vel quasi-domicilium acquirit et valide contrahit. — Declaratum vero est pro Statibus Foederatis Americae, sufficere habitationem per spatium saltem unius mensis, quin inquisitio facienda sit de animo permanendi in loco per maiorem anni partem. S. O. 6. Maii 1886. — Quoad scholasticos, ephebos, puellas in collegiis et monasteriis, expositos, infirmos in hospitalibus, si eo in loco mansuri sint per maiorem anni partem, parochus proprius quasi-domicilii non est collegii, monasterii, hospitalis rector, confessarius, cappellanus, sed parochus in cuius paroecia situm est collegium, monasterium, hospitale. Itemque quoad famulos, parochus proprius est parochus, in cuius paroecia domicilium habent heri quibus famulantur, licet in eadem forte civitate vel oppido, domum ac domicilium iidem habeant. In carceribus detenti, quorum causa nondum expedita est, et carcer tantum *locus custodiae* est, a parocho proprii domicilii vel quasi-domicilii in matrimonium coniungi debent. Si vero eorum causa expedita sit, et damnati sint in perpetuum vel ad tempus determinatum, et carcer *locus poenae* est, tunc eorum proprius parochus est ille, in cuius paroecia carcer situs est. — Bened. XIV. Not. 33. 88., Ferrar. v. *Moniales* a. 1. n. 36.

Matrimonia *clandestina* sunt omnino *invalida* in omnibus locis, ubi Concilii Decretum fuit promulgatum, et, in dubio, ubi fuerit aliquo tempore in parochia tanquam Decretum Concilii observatum. S. C. C. 18. Jan. 1663. Quin Trid. clandestine contrahentes *ad sic*, i. e. sine parocho et testibus, deinceps *contrahendum* inhabiles reddit. Quare invalide ibi contrahunt illi etiam, qui domicilium vel quasi-domicilium habent uterque vel unus tantum sponsorum in locis ubi Trid. non viget. *Invalida* vero non sunt in locis, ubi haec promulgatio sive culpabiliter sive inculpabiliter omissa fuit; vel in desuetudinem Decretum abiit, licet unus tantum sponsorum domicilium vel quasi-domicilium ibi habeat; alter vero domicilium vel quasi-domicilium habeat in loco ubi Trid. viget propter individuitatem contractus. Bened. XIV. de Syn. l. 6. c. 6. n. 12., Clemens XIII. 1767. ad Archiep. Mechlin., Collectan. cit. n. 1400. Quare hisce in locis ratum est matrimonium, quod dicitur civile, et matrimonium valet eorum,

qui domicilium vel quasi-domicilium habent in loco ubi Trid. viget, nisi eo loci venerint *in fraudem*, i. e. *solo animo* matrimonium sine parocho et testibus contrahendi; minime vero, si ibidem domicilium vel quasi-domicilium prius acquisierint. S. C. C. 5. Sept. 1626., Urbanus VIII. Br. ad Archiep. Colonien. 14. Aug. 1627., Bened. XIV. C. *Paucis abhinc annis*, Not. 33. Quin immo communior sententia tenet validum etiam esse matrimonium eorum, qui habentes domicilium vel quasi-domicilium in loco ubi Trid. viget, veniunt in alium locum, ubi Trid. non viget, sine intentione quidem acquirendi domicilium vel quasi-domicilium, at simul sine intentione clandestine contrahendi, si deinde ibidem clandestine contrahant. Contrariae tamen videntur plures S. C. Decisiones. Sanch. l. 3. § 13. n. 27. 28. 35., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 36., Pont. l. 5. c. 9. n. 2. 7., Engel l. 4. t. 3. n. 20. *Dico 3.°*, Barbosa de Offic. Episc. P. 2. Alleg. 32. n. 153., Reiffenst. l. 4. t. 3. n. 123., Verricelli Tr. de Apost. Miss. tit. 15. q. 251.

Matrimonia *clandestina* sunt ubique *illicita*, et sub gravi prohibita. Ecclesia enim ea semper detestata est, ut declarat Trid. et evidenter ostendit Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 12. n. 4. — S. Th. S. q. 45. a. 5.

Agnoscitur ut receptum Tridentini Decretum in Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Hollandia, Belgio, Hybernia, Bavaria, etc. Non autem receptum est in Anglia, Svecia, Saxonia, Dania, Borussia, et pluribus foederatis Helvetiae Provinciis, etc. Cf. Perrone de Matr. l. 2. S. 1. c. 6., Collectan. S. C. de P. F. n. 1387. 1392. 1399. 1402. 1408. 1412.

Postremo Bened. XIV. edidit Declarationem ann. 1741., in qua statuit, matrimonia clandestina, inita vel ineunda *in Hollandia* et in foederatis *Belgii* Provinciis inter haereticos, vel inter unam partem haereticam et alteram catholicam, esse *valida*. Nihil autem statuit circa matrimonia catholicorum inter se. Immo Benedictus XIV. expresse declaravit, ad catholicos eam dispositionem haudquaquam spectare. « Sciant, inquit, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se neque coram Deo, neque coram Ecclesia, veros et legitimos coniuges fore ». Litt. 17. Sept. 1746. ad Simonem in Hollandia Missionarium § 3. Bullar. Tom. 3. Supplem. n. III. Vide etiam de Syn. l. 6. c. 7. — L. 1078. seqq., Pont. l. 5., A. S. S. V. 23. p. 751., E. M.

1027. *Nota:* Benedictina Declaratio ad alias provincias vel Dioeceses extendi non potest sine S. Sedis iudicio. Pius VII. Ad Vicar. Dioeces. Trevir. 23. Apr. 1817. Illa enim Declaratio facta non est, ratione *iuris*, quia ea matrimonia erant *matrimonia haereticorum*, et haeretici sunt a Decr. Trid. exempti: sed speciali ratione *facti*, quia nempe valde dubitabatur in illis provinciis de promulgatione Trid. Decr., et simul huiusmodi matrimonia valida censebantur. Quare praedicta Declaratione nullo pacto quaestio dirimitur: *utrum haereticorum matrimonia et mixta*, inita sine parocho et testibus, *sint valida vel invalida* in locis, in quibus Trid. fuit promulgatum, et in quibus, haereticis in haereticalem societatem coeuntibus, paroeciae haereticae subintrarunt in locum catholicarum. De his enim tantum quaestio esse potest: siquidem ubi haeretici simul convivunt cum catholicis, et separatam societatem non efforment, sive habeant statum civilem, propria templa et ministros, sive non, tridentina forma tenentur, et matrimonium coram catholico parocho et testibus contrahere debent, ubi Trid. Decr. viget. Iis vero locis, in quibus haeretici

iam tempore publicationis decreti Tridentini in separatam et per se consistentem communitatem seu quasi-paroeciam coaluerant, decreto in paroeciis catholicis publicato non comprehendebantur. S. O. 18. Mart. 1884., Cf. Collectan. cit. n. 1388. 1399. 1404. 1424., E. M.

1028. *An excuset ab impedimento clandestinitatis impotentia ad proprium parochum vel episcopum recurrendi?* — R. Affirmative, si illa impotentia sit *communis* in aliqua provincia, v. g., durante perturbatione aliqua politica et religiosa, et diuturna, i. e. saltem per unum mensem. Ratio est, quia si lex obligaret in tali casu, esset bono communi nociva, et in detrimentum societatis vergeret. Praeterea id evincitur ex pluribus Declarationibus S. Sedis. S. O. 15. Jan. 1874., Bened. XIV. de Syn. l. 12. c. 5. n. 5. — Negative, si impotentia *casus particulares* respicit, quia lex irritans non cessat ob incommodum privatum, in casu particulari, v. g., si parochus lateat, vel fugiat, ne assistat matrimonio, cui obstant parentes, cui obstat lex civilis, etc. — L. 1079., E. M.

1029. *An fideles coram alio sacerdote contrahere debeant, quando nequeant recurrere ad proprium parochum?* — Debent petere licentiam parochi vel episcopi per litteras, si facile fieri possit, ut aliquis sacerdos ad adsistendum matrimonio delegetur. — Si non possint hanc facultatem requirere vel obtinere, valide contrahere possunt, *coram duobus tamen testibus,* etiam sine ulla sacerdotis adsistentia. Ratio est, quia simplex sacerdos, itemque alius parochus, qui saltem alterius contrahentium proprius non sit, nihil ad valorem actus conferre potest. Constat etiam ex responsione S. C. 22. Apr. 1795. a Pio VI. approbata. Respondit enim, ut in iis adiunctis tantummodo benedictio a catholico aliquo sacerdote recipiatur. — Collectan. cit. n. 1388. 1396. 1400.

1030. *An coniuges, qui deficiente parocho, clandestine contraxerunt, ad benedictionem, data opportunitate, accipiendam teneantur?* — Non tenentur quidem, sed ad hoc adhortandi sunt. Sacerdotes autem coniugibus declarare debent, huiusmodi benedictionem ad matrimonii validitatem minime pertinere. S. O. 6. Jul. 1817., 15. Jan. 1874., Collectan. cit. n. 1394., A. S. S. V. 26. p. 254. seqq.

1031. *An liceat matrimonium contrahere cum impedimento dubio?* — Duplex distinguendum est dubium, *facti* et *iuris.* — *Dubium facti* habetur, quando dubium versatur circa peculiare factum, ex quo impedimentum exsurgit, e. g., si dubium sit de ipso *facto* adoptionis, muneris patrini, carnalis copulae, etc. — *Dubium iuris* habetur, quando dubium est impedimentum, quod ex tali vel tali facto, aliunde certo, nascatur, e. g., constat de imperfecta adoptione, constat de munere patrini exercito in baptismo privato; sed utrum inde enascatur impedimentum, disputatur inter dd.

Si dubium sit iuris, licet matrimonium contrahere cum impedimento dubio *iuris ecclesiastici.* Ratio est, quia, in casu dubii *iuris,* si forte impedimentum reipsa adesset, Ecclesia supplere censetur defectum contractus de iure canonico irriti, sicut et iurisdictionis defectum supplet, quoties communiter dd. tenent eam supplere iurisdictionem in sacramento poenitentiae, ubi communis error intercedit. Porro opinio docens, Ecclesiam supplere etiam in praesenti casu de dubio impedimento, generaliter ut

probabilis recepta est ab innumeris doctoribus, qui ei suffragantur. In casu autem veri dubii *facti*, insolubilis nempe dubii, tunc possessio stat pro libertate. Attamen, *in dubio facti*, communius non admittitur licere tunc absque dispensatione contrahere; et, quia communius id dd. non tenent, non censetur tunc Ecclesia supplere. La-Croix 534.535., L. 901. 902.

Si vero, *in dubio iuris sive facti*, agatur de impedimento *iuris naturalis* et *divini*, videlicet ligaminis, cognationis, impotentiae; in primo casu dubii ligaminis, seu praeexsistentis matrimonii, utrum valide fuerit contractum, utrum coniux vere mortuus fuerit, matrimonium aliud inire non licet, nisi moraliter certo constet de invaliditate prioris matrimonii, vel de eius dissolutione. Ratio est, quia pro variis casibus vel est *certum* ius quaesitum tertii, quo eum spoliare non licet propter merum dubium; vel certe res de se gravi scandalo publico est obnoxia. C. *Dominus* 2. *de Secund. nupt.*, C. *In praesentia de Sponsal.* In altero casu cognationis, non licet item propter publicum scandalum, quia publice scandalum affert commisceri forte filiae vel sorori; vel certe periculum adest publici scandali, si deinde filiam vel sororem esse certo detegatur. In tertio casu impotentiae licet matrimonium contrahere, quia gravissimum esset propter dubium matrimonio quempiam privare, et possidet certum ius ad ipsum, nisi impotentia probetur, vel certe favet ei praesumptio, quod sit naturaliter potens. « Deberet tamen, ait S. Alph. 1102., ante matrimonium *monere coniugem* de tali dubio. Ceterum, praecisis circumstantiis et experientiis, quisque *praesumitur habilis*, etiamsi castissime vixerit ». L. 1102. 902.

Haec, *per se loquendo:* « nam urgente gravissima causa poterit matrimonium contrahi, modo accedat declaratio Summi Pontificis, tanquam unici interpretis *legis divinae* ». L. 902. — « Ceterum probabiliter dicunt..., quod in impedimentis dubiis bene potest episcopus dispensare. Et idem dicunt communissime dd., generice loquendo, de omnibus casibus sive impedimentis Pontifici reservatis, quando dubitatur, an indigeant dispensatione... Ratio, quia ex una parte, licet dispensatio huiusmodi impedimentorum sit Papae reservata, tamen cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, et restringenda tantum ad casus certos..., tum quia, cum in casibus, qui frequenter occurrunt, possit inferior dispensare in lege superioris, bene poterit episcopus in impedimentis dubiis dispensare, eo quod in iis frequenter contingit dubitare de indigentia dispensationis ». L. 902. Sed haec intelligenda sunt de casibus, in quibus Summus Pontifex solet dispensare; minime vero de aliis. — Zitelli de Dispensationibus Matr. c. 2. § 1. par. *Secundam* Nota.

1032. *An liceat coniugibus uti matrimonio, si post nuptias initas dubium de aliquo impedimento oriatur?* — R. Negative, donec facta fuerit inquisitio sufficiens de veritate. Si tamen unus tantum dubitet, quamvis non possit debitum petere, debet tamen illud reddere alteri in bona fide petenti. — Affirmative, si adhibita seria diligentia ad veritatem detegendam, dubium adhuc remaneat, quia in dubio melior est conditio possidentis; in dubio standum est pro valore actus; in causa favorabili, ut est matrimonium, inclinandum est in favorem eius. — C. *Inquisitioni* 44. *de Sent. exc.*, C. *Dominus* 2. *de Secund. nupt.*, L. 903.-908. 1102., E. M.

1033. *An valeat matrimonium contractum cum impedimento putato, sed non exsistente?* — Si contrahens non sit omnino certus de impedimento, sed aliquo modo dubitet de illo, validum est matrimonium. Ita communiter cum La-Croix 525. Ratio est, quia contrahit saltem conditionate, nempe *in quantum possum*, quamvis ad conditionem illam non reflectat: ergo, non exsistente impedimento, consensus iam adest absolutus. — Si contrahat cum certitudine impedimenti, quod parvi pendet, ita ut statuat vivere in concubinatu, certum est, invalidum esse matrimonium. Ratio est, quia tunc voluntas contrahendi matrimonium non est praedominans. — Si contrahat quidem cum certitudine impedimenti, sed dolens de impedimento, et non audens illud aperire, ne impediatur matrimonium, vel ne infametur, aut ex inadvertentia aliqua, aut cum aliquali dubitatione, quae admisceri solet putatae certitudini, controvertitur. Probabilius valet matrimonium ob voluntatem praedominantem illud contrahendi. Ita La-Croix ib. Attamen ad cautelam in praxi inducendus foret ad consensum renovandum. — Sanchez l. 2. D. 33., Pontius l. 4. c. 23., Cf. V. 1. n. 9.

1034. *Quid agendum si post matrimonium contractum de impedimento certo constet?* — Si impedimentum publicum sit, separatio facienda est, ad scandalum vitandum. Cf. L. 111. — Si sit occultum, et coniuges sint in bona fide, in ea sunt regulariter relinquendi, praesertim si periculum adesset separationis vel fornicationis, ratione scandali, quod ordinarie non abest. C. *Quia circa* 6. *de Consang.*, Bened. XIV. Not. 87., Sanch. l. 2. D. 38. — Si sit occultum, et coniuges illud non ignorant, vel petenda est statim dispensatio, et interim neque petere neque reddere possunt, C. *Consultationi* 4. *de Frig.*, vel omnino separandi sunt etiam quoad cohabitationem, *officio iudicis*, si scandala secus exorirentur, C. *Porro* 3. *de Divort.*, nisi malint cohabitare, quasi frater et soror, C. 4. cit. *de Frig.*, remoto quovis incontinentiae periculo, quod difficultate non caret. Verum alias nuptias inire non possunt, nisi post legitimam iudicis sententiam, quae nunquam transit in rem iudicatam. Bened. XIV. C. *Dei miseratione.* — Si alteruter tantum impedimentum cognoscat, is neque petere neque reddere potest, C. *Dominus* 2. *de Secund. nupt.*; et vel petenda statim dispensatio, vel separatio etiam quoad habitationem facienda est. — E. M.

IV. — DE IMPEDIMENTORUM DISPENSATIONE ET MATRIMONII REVALIDATIONE

1035. *An omnia impedimenta possint dispensari, et dispensentur?* — Non omnia impedimenta *possunt* dispensari, ut impedimenta *impotentiae, ligaminis, consanguinitatis* in primo gradu lineae rectae. Non omnia item *solent* dispensari, ut *consanguinitas in primo gradu lineae collateralis, affinitas et honestas publica ex copula licita in primo gradu lineae rectae, crimen publicum; spiritualis paternitas et filiatio, affinitas ex copula illicita, in primo gradu lineae rectae, votum solemne, ordo sacer, cultus disparitas, aetas.* Horum autem aliqua *nunquam*, ut quatuor priora, aliqua nonnisi *rarissime* et *gravissima* de causa dispensantur, ut sex posteriora. — De spirituali paternitate et filiatione Cf. De Iustis de Dispens. Matr. l. 2.

c. 5. n. 7., Schmalz. l. 4. t. 11. n. 57., t. 16. n. 144. De affinitate Cf. Collectan. S. C. de P. F. n. 1242. De honestate publica Cf. Ferraris Suppl. hac v. De voto solemni et ordine sacro Cf. Bened. XIV. Quaest. Can. 200. — Non omnia vero indigent dispensatione, *raptus, clandestinitas, defectus* seu *vitium consensus.* — Alia quae possunt et solent dispensari, ut *consanguinitas, affinitas, honestas publica,* praeter gradus iam exceptos, *crimen occultum,* sine *gravi causa* dispensari non solent. Trid. S. 24. C. 5. De R. Hinc ad *validitatem* dispensationis obtinendae requiritur, ut nulla sit *obreptio* vel *subreptio* cadens in causam *motivam.* Superior enim non censetur dispensare, nisi sub tacita conditione, si preces veritate nitantur. *Motivam;* nam si falsitas efferatur, vel veritas taceatur tantum circa causam *impulsivam,* dispensatio valet. C. *Super litteris de Rescript.* — L. 1118.-1120. 1129., E. M.

1036. *Quaenam sint causae iustae, ut dispensetur in impedimentis dirimentibus?* — Causae aliae sunt *honestae,* aliae *famosae* ad scandala vitanda. *Honestae* sunt: 1.° *Aetas puellae,* quae, 24. aetatis annum iam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. 2.° *Defectus dotis,* si puella nullam habeat, aut non sufficientem, ut viro paris conditionis nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. 3.° *Angustia loci,* i. e. si mulier in loco originis, vel domicilii, ratione oratricis tantum, paris conditionis virum invenire non possit. 4.° *Graves inimicitiae* sedandae inter consanguineos et affines. 5.° *Lites* dirimendae super rebus magni momenti ortae inter virum et mulierem, vel inter eorum parentes. 6.° *Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onerata. 7.° *Praerogativa dignitatis regiae.* 8.° *Conservatio illustris familiae.* 9.° *Conservatio bonorum in eadem familia.* 10.° *Excellentia meritorum erga Ecclesiam.* 11.° *Virtutes christianae,* quae in altero viro probabiliter non invenirentur. 12.° *Largior eleemosyna* in pia opera refundenda. — Causae *famosae* sunt 1.° *Copula* secuta inter contrahere volentes, et legitimatio prolis. 2.° *Nimia familiaritas,* suspecta et periculosa, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non potest. 3.° *Infamia mulieris,* sive ex vera sive ex falsa suspicione orta, unde mulier cogitur remanere diffamata vel innupta, vel disparis conditionis viro nubere. 4.° *Periculum matrimonii civilis.* 5.° *Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro.* 6.° *Periculum incestuosi concubinatus.* 7.° *Cessatio publici concubinatus.* 8.° *Remotio gravium scandalorum,* ne iterum fornicentur, ne inimicitiae exardescant. 9.° *Revalidatio matrimonii.* — Bened. XIV. Resp. ad Archiep. Turon. 26. Sept. 1754., A. S. S. V. 2. p. 62., Instr. S. C. de P. F. 9. Maii 1877., L. 1129. 1130., E. M.

Dispensatio dicitur *sine causa,* quando nulla ex his causis adest, quae allegari solent ut *canonicae:* vel quando, nulla propria causa allegata, dispensatio solet peti et concedi *ex certis et rationabilibus causis;* et tunc causa adest extrinseca, *Componendae,* seu copiosioris eleemosynae, quam oratores solvunt ad piam causam; adeoque pro causa tunc est bonum publicum Ecclesiae, quod promovetur per maiorem compositionem seu eleemosynam. Causae *canonicae* illae dicuntur, quae ex stilo et consuetudine probata Curiae admitti solent pro dispensationibus matrimonialibus. Minime vero prohibetur, alias quoque causas exponere, quibus: aliae roborentur, e. g., deformitas, infirmitas, etc. E. M.

1037. *Quaenam sint in supplici libello exprimenda ad dispensationis validitatem?* — 1.° Oratorum nomina, cognomina et dioecesis, vel dioeceses, unde originem habent, vel actualis domicilii. Error in nomine vel cognomine oratorum probabilius validitati dispensationis non officit, si sit verisimilis error et de persona constet. — Haec exprimenda sunt cum dispensatio petitur a Dataria. « Quando vero petitur a S. Poenit. tacentur nomina et alia, sed tantum exprimitur persona et locus, quo litterae sunt dirigendae ». L. 1146. — 2.° Species impedimenti seu impedimentorum infima, eorumque numerus, si plura sint. — 3.° Causa motiva dispensationis. — Causa allata debetne esse vera, tum tempore quo rescriptum Roma expeditur, tum tempore quo exsecutioni dispensatio mandatur? Satis est, quod causa exsistat, quo tempore delegatus dispensationem ipsam exsequitur; quia Pontifex negotium committere videtur secundum ea adiuncta, quae delegatus reperiet. L. 1132. Cf. V. 1. n. 283., hic 1045. — Necesse vero non est, ut dispensandi causa concessionem eiusdem praecedat, sed sufficit, quod per ipsam dispensationem, huiusque modum causa ipsa consummetur. « Nam quando datur dispensatio *sine causa*, imponitur aliqua satisfactio vel mulcta in pium opus vel in aliam utilitatem Ecclesiae communem; per quod opus consurgit causa dispensationis, quae tunc fit per modum commutationis, sicut etiam in concessione Indulgentiarum fieri diximus ». Suarez de Leg. l. 6. c. 18. n. 26., L. 1130. — 4.° Cetera, quae *ex iure*, vel *ex consuetudine*, aut *ex stylo Curiae* exponenda sunt, ne petitio sit subreptitia. Et sic exponendum est, utrum contractum iam fuerit matrimonium nullum, sive scienter, sive etiam ignoranter, requisitis solemnitatibus neglectis, Trid. S. 24. C. 5. de R. M., C. *Cum inhibitio* fin. *de Clandest. despons.* — Pius VII. C. *Expositum nobis* 18. Jun. 1816., Bened. XIV. C. *Magnae nobis*, Sanch. l. 8. D. 21., Reiffenst. l. 4. t. 21. App. n. 210. seqq., L. 1131., E. M.

1038. *Resolves:* 1.° Exprimendum non est unum impedimentum pro alio, quamvis maius, v. g., consanguinitas pro affinitate.

2.° In *voto* exprimendum est, utrum sit perpetuae castitatis, an non nubendi, an intrandi in religionem. — *In crimine*, utrum sit adulterium, an homicidium, an utrumque simul. Itemque in adulterio, an adfuerit matrimonium de facto initum, vivente adhuc alterius coniuge, siquidem longe difficilius dispensari solet.

3.° *In publica honestate*, si sit in primo gradu, an ex matrimonio, an ex sponsalibus. Sive autem ex matrimonio sive ex sponsalibus sit, exprimenda est *linea*, et si ex matrimonio *gradus*. Hinc explicandum est. utrum publica honestas proveniat ex sponsalibus a sponso initis cum matre desponsandae; quia difficultas maior est quam si ageretur de sponsalibus initis cum sorore desponsandae; cum maior sit inhonestas; impedimentum enim in primo casu est in linea recta, in altero in linea obliqua. In gradu vero inaequali sufficit exprimere remotiorem. C. *Vir.* ult. *de Consang.* Addendum praeterea est priora sponsalia *soluta fuisse;* nam alias dispensatio a Dataria non datur; a S. Poenitent. vero datur, sed sub conditione, *dummodo priora sponsalia mutuo consensu fuerint resoluta.*

4.° *In Cognatione legali* necessarium est exprimere tantum lineam et gradum. — *In Cognatione spirituali*, exprimendum, utrum sit paternitas seu maternitas, an fraternitas; et, tutius, utrum ex baptismo an ex confirmatione. Sanch. l. 8. D. 24. n. 15., Corrad. l. 8. c. 8. n. 15.

5.° *In Cognatione naturali* exprimendum 1.° est, utrum sit consanguinitas, an affinitas, et si affinitas utrum ex copula licita vel illicita, si intra secundum gradum contineatur. 2.° Exprimenda est *linea* et *gradus*, et si vicinior pro remotiore expositus fuerit dispensatio valet. Si cognatio non sit *simplex*, sed *mixta* ex consanguinitate et affinitate, hoc etiam exprimendum erit; ac, si gradus sint inaequales, uterque exprimendus est tum in consanguinitate, tum, verius, in affinitate. Et si propinquior sit primus, dispensatio secus non valet. Itemque, si cognatio sit *multiplex*, id etiam ad validitatem exprimendum est. S. Pius V. C. *Sanctissimus* 20. Aug. 1566., Bened. XIV. C. *Etsi matrimonialis* 27. Sept. 1755., S. O. 12. Dec. 1748. Cf. Sanch. l. 8. D. 24. n. 12. 13., Schmalz. l. 4. t. 16. n. 190. 192. « Praeterea recte advertit Tourn. quod in gradu *mixto* exprimi debet sexus, qui est in primo gradu, quia difficilius conceditur, ut nepos ducat amitam, quam patruus ducat neptem; maior enim perversio est ordinis, ut nepos constituatur suae amitae caput ». L. 1136. Neque vero ad validitatem exprimenda est « *copula incestuosa*, vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi... super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, nec non publicae honestatis ». Leo XIII. 25. Jun. 1885. Litt. Circ. S. O. *Copula incestuosa*, inter eos, nempe consanguineos, affines, etc. habita, *qui matrimonium inter se* contrahere volunt; et quae *antea* erat necessario exprimenda. Neque item est necessarium dicere in petitione, quoties copula habita sit cum consanguinea sponsae; quia ex variis copulis exsurgit unica affinitas; debet tamen exprimi copula habita cum variis consanguineis sponsae; quia ex iis tot diversae affinitates contrahuntur; et licet haec impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Manifestum est ex Declaratione Bened. XIV., L. 1138.

6.° Si quis duplici laboret impedimento exponere debet simul in libello supplici utrumque impedimentum, si disparata non sint, sed plura numero in eadem specie, vel diversa specie infima, inter se affinia, e. g., duplex consanguinitas, tam ex parte patris, quam ex parte matris, duplex affinitas, consanguinitas et affinitas, votum castitatis et ingrediendi Religionem. Ac si unum sit publicum, alterum occultum, dispensatio prioris a S. Dataria petenda est, utriusque vero simul dispensatio a S. Poenitentiaria est deinde impetranda; siquidem prior dispensatio subreptionem continet, adeoque revalidanda. Bened. XIV. C. *Pastor bonus* § 41., Collectan. S. C. de P. F. n. 1470., Suarez de Leg. l. 6. c. 24., Sanch. l. 8. D. 23. n. 1., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 43., L. 1139.

7.° Si aliam dispensationem quis antea impetraverit, eaque usus fuerit, debet illius mentionem facere, quum agitur vel de eodem castitatis *voto*, quia posterior dispensatio est quasi extensio prioris, vel de *eodem crimine*, quia remissionem veniae crimina, nisi semel commissa, non habent. Suarez de Leg. l. 9. c. 23., Sanch. l. 8. D. 22. n. 2. 20. Itemque manifestandum est, si vir *rapuit* mulierem, quamvis raptum iam purgaverit, Reg. 49. Canc. Apost., De Iustis l. 2. c. 18. n. 30 seqq.

8.° Si dispensatio concedenda sit ad ineundum matrimonium propter illicitum commercium, exprimendum est, an ab uno vel utroque, *sub spe dispensationis facilius obtinendae*, commercium illud habitum sit. Si dispensatio concedenda sit *post initum matrimonium*, exprimendum est, utrum *scienter*, et mala fide saltem unius partis, fuerit contractum ma-

trimonium nullum, utrum clandestine, et utrum deinde fuerit consummatum; utrum e contrario contractum fuerit *ignoranter*, et bona fide saltem unius partis, utrum neglectis denunciationibus, et fuerit deinde iterum consummatum post cognitam nullitatem; utrum haec facta fuerint, *sub spe facilius dispensationem obtinendi.* Trid. S. 24. C. 5. de R. M., Paul. IV. C. *Ab ea ipsa die*, Clem. un. *de Consang.*, S. C. de P. F. 9. Maii 1877. — Sanch. l. 8. D. 25. n. 21., l. 3. D. 42. n. 7., Schmalz. l. 4. t. 3. n. 85.

9.° Si revalidatio petatur dispensationis nullae ob occultum subreptionis vitium in gradibus 2.° et 3.°, vel 2.° et 1.°, exprimendum erit utrum dispensatio expedita fuerit *in forma pauperum.* Bened. XIV. C. *Pastor bonus* § 41. — L. 1131. seqq., E. M.

1039. *Nota:* 1.° In casu dubiae dispensationis, valida censenda est; quia in dubio standum est pro valore actus. L. 1133. — 2.° Cessante causa motiva dispensationis, e. g., si mortua fuerit proles legitimanda, antequam dispensatio expediatur, aut fiat ab episcopo vel ab alio, cui a Pontifice commissa fuerit, dispensatio invalida est. L. 1132. — 3.° Si causa motiva cesset, dispensatione iam expedita et a delegato supplicantibus communicata, valet dispensatio, etiamsi ea causa cesset ante matrimonii celebrationem, quia per dispensationem iam impedimentum sublatum est. L. ib.

1040. *An, qui obtenta dispensatione ab impedimento affinitatis ex copula illicita, v. g., cum consanguinea sponsae, iterum cum eadem ante matrimonium peccat, nova indigeat dispensatione?* — R. Negative, si dispensatio *nondum fuerit exsecutioni mandata a delegato;* quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die *expeditionis,* sed a tempore *exsecutionis.* — Immo Negative etiam, licet dispensatio *exsecutioni mandata fuerit.* Ratio est, quia impedimentum affinitatis iam sublatum est per dispensationem quoad effectum contrahendi matrimonium. — Si autem, *contracto matrimonio*, rursus peccaverit cum eadem consanguinea uxoris, privatur iure petendi debitum, quia dispensatio, iuxta stylum Curiae, concessa fuit *ad effectum contrahendi matrimonium,*-non vero ad liberius peccandum. — Indigeret vero *nova dispensatione*, si peccaret cum alia sponsae consanguinea ante matrimonium, etiam post expeditam dispensationem, quia nova affinitas contraheretur. — L. 1140., E. M.

1041. *A quonam impedimentorum dirimentium dispensatio petenda sit?* — A solo Romano Pontifice per se petenda est; siquidem ad eum solum proprie pertinet haec facultas. Dispensat S. Pontifex per *Datariam Apostolicam* potissimum quoad *forum externum,* adeoque ab impedimentis natura sua *publicis*, e. g., consanguinitatis, affinitatis ex matrimonio, cognationis spiritualis, etc. Dispensat autem per *S. Poenitentiariam, in foro interno*, et in impedimentis *occultis* quoad matrimonia ineunda et inita, itemque etiam quoad *forum externum*, in impedimentis *publicis*, ex quavis rationabili causa *quoad pauperes.* Dispensat tandem per S. Officium in impedimentis ex publico delicto, disparitatis cultus et mixtae religionis; et per S. C. de P. F. pro locis eidem Congr. subiectis. — Trid. S. 24. c. 3., Innoc. XII. C. *Romanus Pontifex* 3. Apr. 1692., Bened. XIV. C. *Pastor bonus* 13. Apr. 1744., A. S. S. V. 7. p. 423. seqq., L. 1118. 1144.

Dispensatio a Dataria semper per episcopum petenda est. Dispensatio autem a Poenitentiaria immediate ab oratore, vel ab alio, eius loco,

peti potest. Securius tamen et facilius ista quoque mediante episcopo et tacito nomine oratoris postulatur. Nulla est determinata formula necessario adhibenda.

Prohibetur *sub poena nullitatis* post aditam unam Congregationem pro dispensatione obtinenda, aliam adire; et, dispensatione negata ab Apostolica Sede, eadem allegata causa, eam petere ab Ordinario. Zitelli de Dispens. Matr. Romae 1887. p. 70.

Ex S. O. 11. Aug. 1887. dispensationes matrimoniales *pro foro externo* omnes committuntur vel *oratorum Ordinario* vel *Ordinario* loci. *Pro foro conscientiae* litterae diriguntur confessario ex approbatis ab Ordinario, eligendo vel designato ab oratoribus. — Zitelli de Dispens. Matr. p. 100., E. M.

1042. *Nota:* A. Dataria dispensat vel *in forma communi*, exigendo nempe constitutam taxam, quae *componenda* solet appellari, quia ex variis impedimentis et oratoribus varie definitur; vel *in forma pauperum*, cum nempe gratis dispensat. S. Poenitentiaria vero nunc dispensat, modica tantum taxa imposita, nunc gratis omnino. « Vere *pauperes* non alii existimantur quam qui adeo *miserabiles* sunt, ut labore manuum et industria tantum vivant... Illi etiam *pauperes* merito dici possunt, qui... bona in capitali possideant valoris scutorum 300 monetae romanae, si ipsi citra montes degunt, vel si ultra montes valoris ducatorum auri de Camera 300, summam attingentium scutorum 525 dictae monetae. Quod si bona habeant ad quantitatem usque scutorum vel respective ducatorum 1000 auri de Camera, dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna scutorum quatuor pro quolibet centenario ». S. C. de P. F. 7. Jun. 1869. Ut vero dispensatio obtineatur *in forma pauperum*, necesse est, ut paupertas Ordinarii testimonio constet. Instr. Urbani VIII. 6. Oct. 1671., Collect. S. C. de P. F. n. 1477., Reiffenst. l. 4. t. 21. App. n. 398. 402., Schmalz. t. 16. n. 232. seqq., A. S. S. V. 1. p. 383. 446.

1043. *An valeat dispensatio* in forma pauperum, *cum oratores pauperes non sint?* — *Illicita* sane est, et graviter, ut per se patet; *valida* tamen, si a Dataria obtineatur, quia cum paupertas dispensationis causa motiva non sit, ea neque obreptionis neque subreptionis vitio laborat. Sed oratores eam solvere Datariae Apostolicae adhuc tenentur, nisi remissio obtineatur. S. Poenit. 1. Dec. 1852. Si vero obtineatur a S. Poenitentiaria controversa res est, eaque S. C. C. pluries proposita, nondum est definita. Alii affirmant, quia S. Poenitentiaria dispensat loco S. Datariae, ad quam huiusmodi dispensationes proprie pertinent. Alii negant, quia S. Poenitentiaria dispensat ex peculiari facultate a S. Pontifice concessa dispensandi in foro externo in omnibus casibus, in quibus « concurrat vera oratorum paupertas per authenticam Ordinariorum attestationem comprobandam ». Ergo non habet certo intentionem dispensandi ultra acceptum mandatum. A. S. S. V. 7. p. 423., L. H. A. 87., E. M.

1044. *An etiam ab episcopo, saltem aliquando, peti possit dispensatio impedimentorum?* — Peti potest ab episcopo, si hanc habeat facultatem *ex speciali indulto* et delegatione Romani Pontificis. Et tunc episcopus limites mandati excedere non potest, secus invalide agit. S. C. C. 26. Apr. 1873., A. S. S. V. 7. p. 297. Cf. Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 43., Sanch. l. 8. D. 2. n. 27. 28., D. 23. n. 10., D. 24. n. 10. — Porro episcopi vi facultatum quin-

quennalium in pluribus impedimentis dispensare possunt. Idemque possunt etiam confessarii approbati habentes pagellam S. Poenit. Cf. respectivas formulas. — An autem, si sponsi sint *diversae dioecesis*, sufficiat *unius episcopi* dispensatio, vel ea obtinenda sit *ab utroque episcopo*, si uterque ex indulto speciali facultate dispensandi gaudeat? Controvertitur. Alii affirmant, et hanc opinionem probabilem dicit S. Lig. 1142., eique favet S. Poenit. 4. Sept. 1839.; quia si unus sponsorum habilis fit ad contrahendum cum altero, iste saltem indirecte habilis quoque fit ad contrahendum illo; alii negant, quia episcopus unius iurisdictionem non habet in subditum alterius; et huic opinioni favet S. C. de P. F. 21. Jun. 1828. tanquam in praxi *tutiori*. — Peti item potest ab episcopo *in impedimentis occultis, urgentissimo necessitatis casu*, quae moram non patiatur adeundi Romanum Pontificem, vel eius delegatum, neque per epistolam, sive in matrimoniis contrahendis, si celebratio matrimonii differri non possit sine gravi periculo infamiae et scandali, Cf. 955., sive in matrimoniis contractis, si vel separatio sine gravi damno fieri non possit, vel dispensatio differri non possit sine periculo incontinentiae, dummodo matrimonium initum fuerit *non scienter*, i. e. inscio impedimenti uno saltem ex sponsis, neque *spretis* publicationibus. C. *Ubi* 2. *de Despons. impub.*, Trid. S. 24. C. 5. de R. M., L. 611. 613. 1121. seqq., Sanch. l. 2. D. 40., De Iust. l. 2. c. 2. n. 182. seqq., Reiffenst. l. 4. t. 21. App. n. 65. 509. — Quin immo peti etiam potest *in impedimentis publicis quoad aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos*, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, secundum potestatem locorum Ordinariis factam a Leone XIII. per Decr. S. O. 20. Febr. 1888. Cf. 1015. — Peti etiam potest dispensatio ab episcopo *in impedimentis dubiis*, in quibus quamvis, tunc non sit necessaria, ubi agatur *de dubio iuris*, quia lex dubia non obligat; attamen dispensatio impedimentum, si revera sit, tollit. Quare, si deinde appareat vere impedimentum, nova opus non est dispensatione; secus dispensatio nihil prorsus ageret. — Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 2., Corrad. l. 8. c. 4. n. 34. seqq., L. 613. 1103. 1121.-1125. 1129., de Priv. 54. seqq., E. M.

1045. *Quomodo sit expedienda dispensatio?* — Dispensatio concedi solet *in forma commissaria*, nempe non dispensatur, sed committitur potestas dispensandi *Ordinario*, in foro externo, Trid. S. 22. C. 5. de R., vel confessario, ab episcopo approbato, in foro interno.

Quoad dispensationem *S. Poenitentiariae*, fiat post absolutionem his verbis, aut similibus: *Auctoritate apostolica dispenso tecum super impedimentum N., quod incurristi, ut matrimonium inire* (vel *initum perficere*) *valeas et legitimam reddo prolem susceptam* (vel *suscipiendam*). *In nomine Patris*, etc. Si vero dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine*, etc. Nulla formula sub poena nullitatis, immo nec sub praecepto praescribitur; nulla enim in Rit. Romano habetur. — Si confessarius prolem legitimare omisisset, hanc omissionem reparare posset; tunc enim causam sibi commissam et nondum absolutam continuaret. — Si impedimentum sit utrique contrahenti notum et commune, uterque a respectivo confessario dispensandus est. S. Poenit. 15. Nov. 1748. Idem Rescriptum duobus confessariis inservire potest, et dilacerandum est ab eo,

qui posterius cum suo poenitente illud exsequitur. Si vero impedimentum uni tantum notum sit, unica exsecutio requiritur.

Quoad dispensationem *Datariae:* 1.° Delegatus ad dispensandum debet inquirere de veritate causarum; probabilius tamen haec informatio ad validitatem non requiritur. Etenim ex S. O. 28. Aug. 1885. in praesenti loco verborum, *si per informationem preces veritate niti repereris*, quae olim apponebantur in Rescripto, verba ponuntur: *si vera sint exposita.* Cf. V. 1. n. 285. Sufficit, ut parochus vel alius delegetur ad verificationem causarum; sed « dispensatio et legitimatio prolis ab ipso tantum exsecutore effici potest ». S. Poenit. 27. Apr. 1886. — 2.° Debet declarare coram partibus et testibus, tolli impedimentum matrimonii, et iubere ut attestatio huius dispensationis scribatur in registris dioecesis. — 3.° Debet transmittere Rescriptum Datariae ad parochum alterutrius partis cum licentia, ut matrimonio assistere possit. — 4.° Expedit omnino dispensationem dare expressis verbis, *Dispensamus*, in scriptis, et Auctoritate Apostolica. Si data fuerit, et sponsi, mutato consilio, aliud inierint matrimonium, vidui facti, adhuc ea uti possunt. — 5.° Quamvis autem nulla praevideatur censura ab oratoribus fuisse contracta, Ordinarius tamen vel confessarius, qui vi Indulti matrimonialem dispensationem concedit, « absolutionem a censuris laudabiliter praemittit ». S. Poenit. 2. Jul. 1891. Si vero censura oratores sint innodati absolutio ad validitatem dispensationis omnino est praemittenda. S. O. 18. Dec. 1872. A. S. S. V. 26. p. 517. — De Iustis l. 1. c. 6., L. l. 1. n. 197. in fin. 1131. 1146., Bened. XIV. Inst. 87. n. 34., E. M.

Si dispensatio concedatur *in forma gratiosa*, h. e. si Summus Pontifex *directe dispenset* et delegato *mera exsecutio* dispensationis communicandae committatur, delegatus exsequi potest Apostolicas Litteras, si interim Summus Pontifex moriatur; quia est *gratia facta.* Si vero dispensatio concedatur *in forma commissaria*, et interim Summus Pontifex emoriatur, delegatus adhuc Apostolicas Litteras exsequi potest, si sit *exsecutor necessarius*, est enim etiam *gratia facta.* Nam Summus Pontifex tunc petitioni *annuens*, dat *mandatum* delegato dispensandi, seu *dispensationem exsequendi.* Non enim tunc ipse dispensat, sed post certarum conditionum cognitionem S. Sedis exsequitur dispensationem, quae prius conditionata, postea, eadem manens, absoluta tunc evadit. Eas vero exsequi non potest, si sit *exsecutor voluntarius*, est enim *gratia facienda.* Nam Summus Pontifex tunc simpliciter potestatem ei confert dispensandi; adeoque dispensatio revera *directe* non habetur, nisi *a delegato*, cui talis facta est potestas, et quando a delegato dispensatur. Cf. V. 1. n. 251. 255. 283.

1046. *Quaenam sint praecipue clausulae, quae in dispensationibus apponi soleant?* — Notandum primo est, quod ex variis clausulis, quae in apostolico rescripto continentur, aliae continent veras *conditiones* ad validitatem dispensationis spectantes, aliae continent tantum praecepta et monitiones ad liceitatem tantum dispensationis pertinentes. — Porro praecipuae clausulae sunt sequentes: 1.° *Si ita sit, si preces veritate nitantur.* Haec ad ea tantum pertinet, quae dispensationem *subreptitiam* vel *obreptitiam* redderent. Fides autem, quoad confessarium, poenitenti adhibenda est, nisi certe sciat oppositum ex notitia extra confessionem.

2.° *Audita prius sacramentali confessione,* idque requiritur ad valide dispensandum, licet poenitens alteri iam fuerit antea confessus. Sufficit unum tantum ex sponsis confessum fuisse, nisi aliud clare exprimatur, quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. De R. I. in 6.° In solo poenitentiae tribunali, audita poenitentis confessione, exsequi potest confessarius rescriptum S. Poenit. pro foro interno. Exsecutio vero valet, licet poenitens invalide ac sacrilege confiteatur. Dispensatio autem ante absolutionem manifestanda est, et concedi potest, etsi differatur absolutio. S. Poenit. 19. Maii 1834. Ac eadem S. Poenit. 4. Jan. 1839. declaravit: « In exsequendis S. Poenit. rescriptis curandum quidem est, ut poenitens ad peccatorum absolutionem disponatur: nihilominus *validas* fore absolutiones a censuris, dummodo saltem praecesserit accusatio, seu confessio peccatorum, quae sacramentalis sit ».

3.° *Sublata prius occasione peccandi,* nempe proxima et voluntaria; si vero sit necessaria, sufficit ut animo auferatur, reddendo illam ex proxima remotam per debita media.

4.° *Remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem, si fieri potest.* « Separationem praeferri aliis modis reparationis scandali; si haec fieri nequeat, scandalum esse reparandum, sed modum scandali reparandi remitti prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii, iuxta cuiusque casus exigentias ». S. Poenit. 12. Apr. 1889.

5.° *Dummodo impedimentum sit occultum,* nempe si notum sit in oppido quinque vel sex solis personis, in civitate septem vel octo tantum, et ex circumstantiis prudenter coniiciatur illud non fore divulgandum. — L. l. 1. App. 2. n. 33., l. 6. n. 593. 1111., l. 7. n. 76. 78. 141., D'Annib. Ed. 3.ª P. 1. n. 242.

6.° *Cum gravi et diuturna poenitentia salutari; cum gravi poenitentia salutari.* « In praefinienda poenitentiae qualitate, gravitate, duratione, etc., quae dispensantis aut delegati arbitrio iuri conformi remittuntur, neque severitatis, neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus, etc. eorum, quibus poena irrogari iniungitur ». S. Poenit. 8. Apr. 1890. Imponenda igitur est poenitentia, eaque acceptanda, et implenda sub gravi. — De Iustis l. 1. c. 7. n. 137. seqq., Reiffenst. l. 4. t. 21. n. 409.

7.° *Erogata aliqua eleemosyna, iudicio Ordinarii.* « Non observantia huius clausulae, quae apponi solet in dispensationibus, secum non fert nullitatem dispensationis ». S. Poenit. 10. Jun. 1876.

8.° *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii;* ita tamen, ut oratoris delictum non sit manifestandum. Duo autem importat haec clausula, nempe 1.° ut altera pars consensum renovet; 2.° ut fiat consequenter certior de prioris consensus nullitate.

9.° *Et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.* Varii autem traduntur modi. Hi sunt praecipui a variis auctoribus assignati: 1.° Si coniux simpliciter dicat: *Nullum est matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum,* vel: *Dixit mihi confessarius nullum esse..., ideoque renovemus consensum.* 2.° Si dicat coniux: *Non habui verum consensum, quando matrimonium contraxi; novum nunc praestare volo, vis et tu praestare?* Hic modus communiter admittitur ab auctoribus, et recte adhiberi potest sine mendacio, cum consensus nullus non sit *verus consensus;*

et aliunde coniux ignarus impedimenti satis sic cognoscit matrimonii nullitatem. 3.° Si dicat: *Angor scrupulis de valore nostri matrimonii, ideoque renovemus consensum.* Admitti potest hic modus iuxta communiorem sententiam cum S. Lig. 1117. Sufficit enim, ut altera pars ponat consensum a priori independentem; ad hoc autem satis est, ut dubitet prudenter de valore primi matrimonii. 4.° Exhibentur etiam varii alii modi a pluribus theologis, v. g., si coniux comparti dicat: *Dic, quaeso, si nullum esset nostrum matrimonium, nonne iterum contrahere velles?* Vel: *Si non mihi nupsisses, nonne nunc nubere velles?* etc. Sed merito isti modi reiiciuntur; quia sic incertum est, num altera pars intendat consensum iterare in praecedens matrimonium, an vero in novum consentire. L. 1117.

10.° *Praesentibus laceratis, sub poena excommunicationis latae sententiae.* Haec laceratio statim facienda est, sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem exsecutam. Si autem in litteris non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed huiusmodi dispensatio debet a parocho caute annotari in libro, qui non possit a quopiam alio aspici, quo ipse scilicet, ubi opus fuerit, fidem facere de dispensatione impetrata possit. — L. 1143., Schmalz. l. 4. t. 16. n. 242. seqq., Bened. XIV. Not. 87., A. S. S. V. 28. p. 512., E. M.

1047. *Quid sit matrimonii revalidatio?* — Est illud ex invalido ob essentialem defectum, validum reddere, praedictum defectum auferendo. Hic autem defectus provenire potest *ex consensu, ex forma, ex personarum inhabilitate* ad contrahendum.

1048. *Quid de revalidatione ob defectum consensus?* — Consensus tamdiu habitualiter, et hic virtualiter etiam, permanet, quamdiu semel rite positus, non fuerit revocatus. — Quare 1.° *si unus e contrahentibus consensum non praestitit,* illum praestare omnino debet, etiam altera parte inscia, et hoc tantum sufficit; secus enim nunquam habebitur matrimonium, neque alia via et modo consensus suppleri potest. Significatur autem huiusmodi consensus cohabitatione aliisque actibus coniugalibus. Atque ita utrumque habetur, et interior consensus, et exterior eius significatio, quae necessario in verbis non consistit. Neque vero ad matrimonii validitatem aliud per se in casu desideratur. Scire tamen debet ille, qui consensum renovat, priorem consensum fuisse nullum, et nullum matrimonium, quia secus reapse non consentit, cum nihil volitum quin praecognitum. Et sic omnino praestandus est consensus, si nunquam adfuit, vel nonnisi simulatus, erroneus, coactus, postquam error et metus cessaverit. Id valet, si defectus sit occultus, licet parochus et testes conscii fuerint impedimenti. Ratio est, quia assistentia parochi et testium requiritur tantum, ut testentur *celebrationem matrimonii,* ut impediatur, ne coniuges aliud contrahant matrimonium; non ut testentur *matrimonii validitatem.* Si vero defectus fuerit publicus, matrimonium tunc iterum coram parocho et testibus est contrahendum, ubi Trid. viget, secus ubi non viget. Neque autem necessarium per se est, ut etiam alter contrahens consensum renovet. — L. 1114., A. S. S. V. 11. p. 346. seq.

2.° *Si defuit utriusque contrahentis consensus,* necesse est, ut uterque consentiat. An autem necesse sit consensum *mutuo* ponere, vel sufficiat

ut *seorsim* ponatur? Controvertitur; alii tenent sufficere si *seorsim* ponatur, quia semel posito unius consensu, huic alterius consensus accedere potest: alii *mutuo* aiunt ponendum, quia secus deficit contractus. « Certum est, ait S. Alph. 1114., quod in contractu matrimonii non requiritur simultas physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, nempe si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius ». Ac renovandus quidem iterum est coram parocho et testibus, si praedictus defectus fuerit publicus, secus vero si occultus, ut in praecedenti casu.

3.° Verum, si defectus in utroque casu praecedenti licet occultus, talis est, *ut in foro externo sit dispensandus, et probari possit,* necesse omnino est matrimonium secreto coram parocho et testibus revalidari, secus enim, si impedimentum forte manifestum fiet, coniuges divortium possent instituere. — C. *Insuper* 4. *Qui matrim. accusa.*, C. *Proposuit* 1. *de Ec qui dux.*, C. *Ad id* 21. *de Sponsal.*, Sanch. l. 2. D. 32., L. 1109.-1114., S. Th. S. q. 47. a. 4. ad 2.

1049. *Quid de revalidatione ob defectum formae?* — Certum est matrimonium invalidum *ratione clandestinitatis* ineundum esse coram parocho et testibus secundum legem Trid., a qua raro dispensatur. — Si ambo coniuges non renuant se sistere coram parocho et testibus, matrimonium *publice* vel *occulte* contrahendum est, prout eius nullitas publica vel occulta sit. Ratio, quia in primo casu scandalum est auferendum, in altero praecavendum, et integra servanda sponsorum fama.

Si una pars vel utraque *renuat ad Ecclesiam pergere* coniungendi sunt in sua ipsorum domo vel alio loco ab ipsis electo, dummodo adsint testes graves, quorum ope convalidatio huius matrimonii fieri possit publica, si hoc ad tollendum scandalum sit necessarium, scilicet si invaliditas prioris coniunctionis sit notoria. — Si unus renuat contrahere coram parocho, et renuentia oriatur ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiae circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens debita cum prudentia et in caritate instruatur. Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiae convalidare, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui eius nomine matrimonium contrahat de more; aut saltem, expresso consensu de praesenti per epistolam directam proprio parocho vel alteri sacerdoti Ordinarii aut parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur. — Si pars indisposita ne per procuratorem quidem velit contrahere, ad dispensationem in radice matrimonii, seu ad matrimonii sanationem in radice deveniri potest, ita ut saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animae saluti provideri possit. — Instr. Card. Caprara Legati *a latere* in Galliis.

1050. *Quid de revalidatione ob defectum inhabilitatis personae?* — Si matrimonium revalidandum sit *ob personae inhabilitatem,* ratione alicuius impedimenti dirimentis, quod dispensetur, dispensatio sane ab eodem impedimento petenda est. — Si uterque coniux sit conscius impedimenti, uterque tenetur consensum renovare, obtenta dispensatione ad matrimonium revalidandum. Ratio est, quia scientia nullitatis matrimonii, ob notum impedimentum dirimens, verum consensum in praecedenti matrimonii contractu *facile* excluserat. Cf. 1033. — Si una tantum pars im-

pedimentum cognoverit, illa tenetur consensum suum renovare, saltem sola seorsim. Sequitur ex modo dictis. — Pars ignara impedimenti non deberet necessario renovare consensum ad matrimonii validitatem, si impedimentum alteram tantum partem respiceret. Ratio est, quia consensus illius fuit ab initio validus, et proinde perseverat; ergo sufficeret renovatio consensus partis inhabilis. Hinc, si fidelis duxisset non baptizatam, quae ignorat impedimentum, sufficeret, ut cessante infidelitate vel obtenta dispensatione, fidelis renovaret consensum; quia consensus infidelis fuit validus, cum Ecclesia non potuerit ei imprimere inhabilitatem personalem. L. 1114., S. Th. S. q. 47. a. 4. ad 2. — An autem renovandus sit consensus etiam a parte ignara impedimenti, cum hoc utramque attingat? Duplex datur sententia. — Prima sententia affirmat. Ratio est, quia impedimentum tollit efficaciam consensus a principio; ergo remanet inefficax, et proinde nullum effectum producere potest, cum perseveret eodem modo, quo datus est: dispensatio autem simplex non sanat vitium, quod praecessit, sed partes reddit solummodo capaces ad consentiendum in posterum. — Secunda sententia negat. Ratio est, quia prior consensus, licet effectu suo caruerit ob impedimentum a iure positivo appositum, tamen de iure naturae fuit validus, cum fuerit praestitus a persona de iure naturae habili erga personam de iure naturae habilem ad contrahendum. Ergo, sublato impedimento, sufficit prior consensus, qui virtualiter in effectu, per copulam coniugalem, cohabitationem, aut per alia signa externa, perseverat. Ergo, accedente consensu interno coniugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia signa externa, utriusque consensus unitur, et matrimonium convalidatur. — Verum *practice* consensus renovandus omnino est propter clausulam, quae in *simplici* dispensatione continetur: *altera parte de nullitate prioris consensus certiorata,* quae clausula non *monitionem,* sed probabilius *conditionem* continet. L. 1115. 1116. 1117. 895. 1145., A. S. S. V. 26. p. 421. seq. — Consensus autem *publice* renovandus est coram parocho et testibus, si impedimentum sit publicum; *private* vero, si sit occultum. Ratio est, quia non posset secus sufficienter matrimonium probari coram Ecclesia; ac in primo casu scandalum est removendum; in altero vero impediendum est scandalum et partium diffamatio. S. C. C. 8. Jun. 1610., S. Poenit. Ferraris v. *Matrimonium* a. 8. n. 9., L. 1899. Cf. 1048.

Si periculum sit, *ne alter nullitatem matrimonii cognoscens consensum nolit renovari;* vel, cum *uterque coniux impedimentum ignoret, idem adsit periculum,* et alia essent gravia diffamationis incommoda, tunc adeunda est Apostolica Sedes, ut a praedicta conditione renovationis consensus dispenset, et *dispensationem* concedat, quae dicitur *in radice.* Ea assurgens usque ad originem, seu *radicem* matrimonii, et *personam reddit habilem* ad contrahendum, et *sanat ipsum vitium consensus,* initio praestiti. *Radix* enim matrimonii est consensus, et radix, quae sanatur, est consensus in matrimonium naturaliter validus; adeoque matrimonium incipit *ex nunc* esse validum. Matrimonium ipsum praeterea sanatur *quoad effectus,* et quoad legitimationem prolis, *ex tunc,* i. e. quasi *ab initio* fuisset validum. Scilicet relaxatur in tali casu illa conditio renovandi consensum, qua sublata, et sublata etiam personae inhabilitate per dispensationem, ille consensus, naturali iure validus, suam exerit moralem vim, et matrimonium perficitur. Verum, uti patet, opus est, ut

consensus in matrimonium vere adfuerit et perseveret, et matrimonium vere contractum fuerit, et bona fide utriusque vel saltem ex una parte, et speciem matrimonii habuerit et adhuc retineat. Quare haec dispensatio applicatur alterutra parte vel utraque etiam parte illius ignara. — Dispensatio *in radice* exsequenda est eodem modo, ac dispensatio simplex, addendo in formula verba *in radice.* Sic, e. g.: « *Ego, auctoritate apostolica mihi concessa, matrimonium a te contractum cum N., in radice eius sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* ». Sed nulla formula in *Rit. Rom.* habetur. — Sanch. l. 2. D. 35. 36. 37., l. 8. D. 7., Bened. XIV. C. *Etsi*, Not. 68. 80. 87., de Syn. l. 13. c. 21., L. 1109. 1115. seqq., E. M.

V. — DE USU MATRIMONII

1051. *An licitus et debitus sit matrimonii usus?* — R. Affirmative. Idque de fide est ex 1. Cor. 7., 3. *Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.* Ratio patet ex ipsa natura contractus matrimonii, quam ipse Apostolus deinde exprimit l. c. *Debitus*, i. e. invicem debitus, si nempe saltem tacite petatur, quia non tenentur *per se* necessario uti iure suo; sed tantum aliquando per accidens, v. g., ad avertendum periculum incontinentiae imminens coniugi. *Debitus*, adeoque post bimestre, et si compars ius petendi non amiserit per adulterium, vel per incestum. — L. 900. 938., S. Th. S. q. 44. a. 5. 6.

1052. *Resolves:* 1.° Tenentur coniuges ad cohabitationem, nec potest unus diutius abesse sine alterius consensu, aut sine necessitate; haec quippe obligatio sequitur ex ipsa obligatione debitum reddendi. Causae autem iustae abeundi ad longum tempus sunt bonum publicum, familia alenda vel tuenda, damnum ab inimicis vitandum, etc. Debet tunc vir, qui alibi diu manere debet, uxorem eo ducere, si commode possit, ut secum cohabitet. C. *Pervenit de Conv. lepros.*, S. Th. S. q. 64. a. 6. ad 1., Quodl. 4. a. 11. Cf. V. 1. n. 675. — 2.° Graviter peccat coniux negans debitum, quoties est periculum incontinentiae, vel gravis molestiae in altera parte. Item, si neget alteri *serio* petenti. Secus autem, si compars benevole remittat, aut remisse petat, aut immoderate, v. g., post tertiam vel quartam vicem eadem nocte; nec si differat ad breve tempus, nempe ad noctem, vel si a nocte differat ad tempus matutinum, secluso tamen semper incontinentiae periculo. — 3.° Peccat item graviter vir vel mulier, si se impotentem reddat, etiam mediis alias licitis, invita comparte. S. Th. S. q. 64. a. 1. ad 3., a. 6. ad 4. — 4.° Possunt quidem coniuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo *per accidens* sequatur effusio seminis; peccant tamen, si in usu matrimonii faciant aliquid, quo *per se* vel semen extra vas effundatur, vel receptum reiiciatur. Hinc illicita est *artificialis* mulieris *foecundatio.* S. O. 24. Mart. 1897. *Artificialis foecundatio*, qua nempe ars naturae substituatur, non qua natura arte mere adiuvetur. Peccant item, si aliquid faciant, quo *per se* generatio impediatur. — 5.° « Certum est, esse illicitum habere copulam propter *solam* voluptatem, ut patet ex pr. 9.ª d. ab Innoc. XI... Commune tamen est apud omnes, id non esse mortale, sed tamen veniale peccatum... Nullum autem erit peccatum, si coniux

principaliter intendat procreationem prolis et utatur voluptate, eam moderate intendens, ut se excitet ad copulam; sicut pariter minime peccat, qui intendit moderatam delectationem in comedendo, ad praestandum corporis conveniens alimentum ». L. 912. 938. 940. 942. 954., Sanch. l. 9. D. 11., E. M.

1053. « *An liceat coniugibus copulari, si ob senectutem, vel aliam dispositionem plerumque accidat, quod semen extra vas effundatur?* — Affirmant probabiliter Bossius, etc., *modo adsit spes probabilis* seminandi intra vas, quia semper ac adest *talis spes*, ius habent ad copulam, et si semen effunditur, hoc *per accidens* evenit ». L. 954.

1054. *An licitus sit sterilibus usus matrimonii?* — R. Affirmative, tum quia nulla adest positiva lex id prohibens, tum quia steriles per se idonei sunt ad actum coniugalem perficiendum. Si autem nulla ex eo sequitur generatio, hoc per accidens est, et *a natura est*, omnino independens ab eo actu rite perfecto, prout *a coniugibus est.* Alii praeterea adsunt etiam honesti actus coniugalis fines praeter generationem. — E. M.

1055. « *An aliquando vir teneatur petere?* — *Per se* loquendo, non tenetur petere; tenetur vero per accidens, nimirum si uxor tacite exigat, puta si ostendat aliquod indicium, quo tacitam petitionem significet; quia in mulieribus, ob innatam etiam verecundiam, talia signa habentur pro vera petitione. Ita communiter... ex D. Th. S. q. 64. a. 5. ad 2. E converso recte dicit Sanch., etc., ex eodem D. Th. 4. D. 32. q. un. a. 3. ad 2. non teneri mulierem reddere viro, nisi hic expresse petat; cum enim non pudeat viros expresse exigere, bene possunt uxores praesumere, quod viri expresse non petentes nolint ipsas obligare ad petendum ». L. 928. Id sane valet item *per se* et ordinarie loquendo. L. ib., S. Th. S. q. 64. a. 5. ad 2., a. 6. ad 3.

1056. « *An uxor teneatur aliquando petere debitum?* — Certum est 1.° ordinarie non teneri..., quia hoc est mulieribus notabiliter inverecundum. — Certum est 2.° in periculo incontinentiae, quod, cum alter coniux est in periculo incontinentiae, tam vir quam uxor tenetur petere ad liberandum alterum a periculo... — 3.° Sed dubium fit, an teneatur uxor tunc petere ex caritate vel ex iustitia? Prima sententia... dicit teneri ex iustitia. Ratio..., tunc potius est redditio quam petitio debiti... Et huic sententiae videtur adhaerere D. Th. S. q. 49. a. 5. ad 2... Secunda sententia, quae videtur probabilior..., dicit teneri tantum ex caritate. Ratio, quia ubi nulla est petitio alterius coniugis expressa vel tacita, nulla adest obligatio iustitiae ad reddendum... Ideo a D. Th. huiusmodi petitio non dicitur absolute redditio, sed *quaedam redditio debiti*... Ex hac sententia infertur, quod coniux, cum non teneatur ex iustitia, sed tantum ex caritate eo casu ad petendum, non tenetur petere cum magno incommodo; hinc probabiliter tunc excusatur uxor a petendo, si in hoc magnam verecundiam subire deberet ». L. 929. Cf. S. Th. q. 64. a. 5. ad 2., a. 6. ad 3.

1057. « *An si vir se retrahat post seminationem, sed ante seminationem mulieris, possit ipsa statim tactibus se excitare, ut seminet?* — Negant auctor addit. ad Wigandt, etc. Ratio, quia semen mulieris non est necessarium ad generationem; item quia effusio illa mulieris, utpote sepa-

rata, non fit una caro cum viro. Communius vero affirmant Wigandt, Less., etc. Ratio, tum quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum coniugalem, qui consistit in seminatione utriusque coniugis; unde sicut potest uxor tactibus se praeparare ad copulam, ita etiam potest actum copulae perficere..., tum quia, ut plures sentiunt, seminatio mulieris est necessaria, vel saltem multum confert ad generationem, nihil enim a natura frustraneum agitur. Omnes autem concedunt uxoribus, quae frigidioris sunt naturae, posse tactibus se excitare ante copulam, *ut seminent in congressu maritali statim habendo* ». L. 919. — « Non est necesse, ait Sanch. l. 9. D. 17. n. 9., utrumque coniugem seminare simul ».

1058. « *An peccent mortaliter coniuges, si incepta copula cohibeant seminationem? — Si coniuges ambo in hoc consentiant*, nec adsit periculum seminandi extra vas, id, *per se loquendo*, non est mortale; illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter coniuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis. Ita communiter... *Si ambo consentiant*, nam si alter se retrahit sine alterius consensu certe graviter peccat... *Per se loquendo*, nam sapienter advertit Sanch. id *ordinarie esse mortale*, quia *ordinarie adest periculum* ex tali retractione *effundendi semen*, nisi coniuges *experti sint oppositum;* quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari saltem a veniali...; si vero femina iam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, non potest quidem vir data opera a seminatione se retrahere, sine gravi culpa, quia tunc ipse est causa, ut semen uxoris prodigatur... Si autem vir iam seminaverit, dubium fit, an femina mortaliter peccet, si se retrahat a seminando. Prima sententia affirmat... Ratio, quia, ut aiunt, etiam semen mulieris active concurrit ad generationem..., saltem semen mulieris iuxta omnes valde confert prolis confectioni, cum ad hoc saltem fuerit a natura institutum. Secunda sententia communior negat... Hi contrario nituntur fundamento, nempe quod semen mulieris non est necessarium ad generationem... Nec obstare... quod semen feminae conferat perfectioni prolis; nam respondent, quod non tenentur coniuges ad convenientiorem modum generandi, sed satis est si generationi non obstent ». L. 918, 954., E. M.

1059. « *An peccet mortaliter vir inchoando copulam in vase praepostero, ut postea in vase debito eam consummet?* — Communiter et verius affirmant... Ratio, quia huiusmodi coitus, etsi absque seminatione, est vera sodomia, quamvis non consummata; sicut ipsa copula in vase naturali mulieris alienae est vera fornicatio licet non adsit seminatio ». L. 916. Idem S. D. ib. affirmat de simplici tactu, « quia saltem talis tactus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico ».

1060. *An liceat in coniugali actu aliam personam cogitare de eaque delectari?* — « Excusant a mortali Sanch. et Spor. coniugem, qui se excitaret ad copulam delectando de pulchritudine alterius personae, sed absque affectu turpi; at merito dicunt hoc esse valde periculosum, et non permittendum. Sicut nec etiam permittendum puto, se excitare ad coitum, respiciendo ad imagines diversi sexus; maxime si essent sacrae, quod recte aiunt La-Croix et Spor. esse mortale propter gravem irreverentiam. An autem liceat marito delectari de copula aliena (ab aliis nempe habita)

cogitata, ut se excitet ad coitum cum uxore? Ex una parte videtur negandum, cum obiectum, de quo delectatur, sit per se turpe. Ex alia non videtur damnandum talem coniugem... Illud autem... se (maritum) delectari de copula cogitata inter ipsum et alienam, dico omnino reiiciendum, cum talis delectatio sit de obiecto intrinsece malo, et ipsi coniugi omnino vetito ». L. 913. 914.

1061. « *An liceat petere cum periculo sanitatis, nempe si alteruter coniugum laboret lepra, morbo gallico, phtisi, aut alio morbo contagioso?* — *Per se* loquendo non licet, cum nemo sit dominus suae vitae aut salutis. Attamen probabiliter Busemb., etc., dicunt, quod si morbus esset diuturnus, et non proxime tendens ad mortem, nempe quod non soleat de brevi et facili mortem inferre..., tunc non erit illicitum sano petere, si aderit iusta causa..., quia alias esset valde onerosum tamdiu abstinere ab usu coniugii, quod vix poterit esse sine periculo incontinentiae. Advertendum tamen quod coniux infectus morbo gallico, aut simili contagioso, non poterit petere ab altero inscio, nisi vitium suum illi manifestet, et manifestando possit alter remediis occurrere morbo; immo nec etiam poterit reddere, nisi certiore facto sano... Ceterum vero non tenetur manifestare, quia non tenetur cum tanto detrimento suae famae coniugale debitum praestare. In omnibus enim contractibus gravissimum incommodum in solutione excusat a debito reddendo ». L. 909. 910. 950. « Hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet; et hic est etiam ordo caritatis, quae naturam perficit. Et ideo cum uxor in viro potestatem non habeat, nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quae sunt de conservatione individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his quae ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personae incolumitate ». S. Th. S. q. 64. a. 1. — C. *Quoniam de Coniug. lepros.*

1062. *Resolves:* 1.° « Commune est non teneri uxorem reddere debitum, si experta sit, non posse parere sine probabili periculo mortis, quia solutio debiti non obligat cum tanto detrimento ». L. 953. — 2.° Neque reddere coniux tenetur, si possit rationabiliter timere damnum, vel periculum grave sanitatis, quia non censentur coniuges se obligasse ad debitum cum tanto incommodo reddendum. S. Th. S. q. 64. a. 6. ad 4. Actus coniugalis tempore morbi saltem plerumque neque sub gravi neque sub levi est illicitus, quia crebro nullum inde accidit damnum coniugibus; labor autem, qui actum comitatur, in morbum saltem communiter loquendo admodum influere nequit. Attamen ob notabilem corporis debilitatem excusantur a reddendo debito laborantes febri valida, aut alio morbo gravi. — 3.° Non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria partus, graviditatis, aut nutritionis incommoda, nec ob dolores graves quidem, sed tempore breves, nec ob dolores diuturnos sed moderatos, v. g., capitis per plures menses post partum, nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; quia haec omnia conditioni matrimoniali adnexa sunt; secus autem si periculum vitae, aut morbi gravis ex iudicio medici vere prudentis pertimescendum esset. L. 952.

1063. *An coniux possit et teneatur reddere, quando timetur damnum prolis nasciturae?* — Communiter et verius affirmant D. Th. 4. D. 32. q.

un. a. 1. ad 4... Ratio assignatur a D. Th.: « Uxor tenetur viro leproso reddere debitum, et quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse ». L. 951. — Quid si mater experta sit filios parere mortuos? Hoc casu Laym. dicit, quod bene poterit uxor reddere immo et petere, quia illa mors foetus *per accidens* evenit. Attamen Bossius aliique tenent eam non posse neque reddere neque petere, quia mater ex morte prolis exponitur magno periculo vitae. Secluso ergo huiusmodi periculo, illicitum *per se* non apparet reddere et petere, licet coniux hac ratione excusari posset a reddendo. Et si adesset periculum incontinentiae, ut de facto adest, fere communiter consentiunt, quod tunc licitum sit reddere et petere, et ipse S. Alph. omnino consentire videtur. L. 952. 953.

1064. « *An sit iusta causa negandi debitum, si plures nascantur filii, quam coniuges possint alere?* — Prima sententia negat... Ratio, tum quia procreatio prolis spectat ad praecipuum finem matrimonii..., tum quia exponeret alterum periculo incontinentiae... Secunda vero sententia affirmat... Ratio, tum quia multiplicitas prolium futurarum cederet in nocumentum filiorum iam genitorum, tum quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione ». L. 941. Prima sententia magis arridet S. D. propter periculum incontinentiae, quod revera vix non aderit.

1065. *Utrum liceat reddere illicite petenti cum peccato mortali?* — R. Negative, si culpa se tenet *ex parte actus*, e. g. si alter petat in loco sacro, vel publico. Ipse enim actus tunc illicitus est et petenti et reddenti. — Affirmative, si culpa se teneat *ex parte* tantum *personae*, e. g., si petat ex pravo fine, quia actus manet in se honestus, et alter non ideo amittit ius ad actum. Quare, *per se loquendo*, et potest et debet tunc coniux reddere. *Per se loquendo*, nam si potest facile alterius peccatum impedire, ex caritate id facere tenetur, vel eum saltem monere debet, si tamen id facere possit citra grave incommodum, quod ut plurimum adesse dicunt. Si vero compars ius amiserit per incestum, tunc alter coniux potest quidem *per se* reddere, sed non tenetur. — L. 944.-946., l. 2. n. 61., S. Th. q. 64. a. 6.

1066. « *An liceat uxori reddere debitum vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam inceptam?* — Prima sententia affirmat..., quia cum mulier reddit aut petit dat operam rei licitae, nec ipsa propter malitiam viri debet suo iure privari. — Secunda sententia dicit, uxorem non posse nec petere nec reddere, nisi adsit gravis causa, quae ipsam excuset in permittendo peccatum viri, et in cooperando ad materiale peccati illius, alias tenetur ex caritate, cum possit sine gravi incommodo, viri peccatum impedire. Ego tamen distinguendum puto. Si agatur de reddendo debito, dico uxorem *probabiliter* posse et teneri negare debitum, si possit sine gravi incommodo, quia abusurus re sibi debita non habet ius ad rem sibi vindicandam, sed *probabilius* videtur uxor non solum posse reddere, sed etiam teneri. Ratio, quia quando culpa se tenet ex parte personae petentis, cum ipse habeat ius ad copulam, nequit alter sine iniustitia debitum negare, si non possit monendo a tali culpa illum avertere, et tunc patet, quod reddens ne materialiter quidem cooperatur seminationi extra vas, sed tantum copulae inceptae, quae per se omnino

utrique est licita. Si vero agatur de petitione debiti, dico uxorem non posse petere, si non adsit iuxta et gravis causa. Tunc enim revera tenetur ex caritate impedire peccatum viri. Iustam autem causam habebit petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si deberet alias privari suo iure petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo, an ei sit grave incommodum, vel ne, tunc se continere ». L. 947. Cf. l. 2. n. 53. par. *Si vero.* S. Poenit. 16. Nov. 1816., 1. Febr. 1823., 8. Jun. 1842., E. M.

1067. *Resolves:* 1.° Peccatum viri in praecedenti casu onanismus communiter appellatur. Nomen suum sortitur ab *Onan*, secundo filio patriarchae Judae, qui post defunctum fratrem suum Her iuxta morem coactus est viduam eius Thamar ducere, ut suscitaret semen fratri suo; sed *introiens ad uxorem fratris sui semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Gen. 38., 9. 10. Onanismus voluntarius est semper peccatum mortale, utpote contra naturam; ideoque nunquam coniugibus licitus esse potest. — 2.° Uxor a peccato excusari potest, si gravi de causa viro onanistae debitum reddat, modo interius ipsius peccato non assentiatur, exteriusque repugnantiam suam seriis admonitionibus, aliisve displicentiae signis ostendat. — 3.° Non peccat uxor consensum internum voluptati praebendo, quando actum coniugalem viro onanistae permittere potest, modo assensum peccato viri non praebeat. Ratio est, quia cum minime peccet actum huiusmodi permittendo, neque peccat voluptatem ex ea provenientem admittendo, quamvis praesciat, virum copulam non esse perfecturum; actus enim ille est in se honestus et licitus mulieri, et per eam non stat, quominus debito modo perficiatur.

1068. « *An coniux prohibitus a petendo ratione voti, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis post matrimonium contractae, possit quandoque licite exigere debitum?* — Id admittunt communiter dd. si adsit periculum incontinentiae in altero coniuge. Immo dicunt tunc teneri petere, quia haec obligatio oritur ex ipsa institutione matrimonii. Item admittunt etiam communiter S. Th. 4. D. 38. q. 1. a. 3. q. 2. ad 4., etc., posse coniugem impeditum petere, si alter interpretative petat, nempe quando mulier, ut ait D. Th., verecunda est, et vir sentit eius voluntatem de debiti redditione. Tunc enim potest coniux impeditus se offerre, quia tunc potius est reddere quam petere ». L. 930. Attamen quoad coniugem, qui praeter necessitatem prolem suam baptizavit, satis probabilis est sententia, quae negat eum debitum petere prohiberi, eamque tenent plures et graves dd., ut ait idem S. D. 150. Quoad votum vero, potest illud a coniuge directe vel indirecte irritari; immo post matrimonium factum, absque coniugis consensu, cuius coarctetur libertas petendi, illicitum censetur.

1069. « *An autem liceat petere coniugi impedito, si ipse sit in periculo incontinentiae?* — Affirmant Viguerius, etc., maxime si ille esset impeditus ratione affinitatis vel cognationis spiritualis, et commode non posset haberi dispensatio, essetque periculum in mora, quia lex ecclesiastica in tanto discrimine non obligat. Negant vero Sanch., etc., quia periculum incontinentiae est iusta causa dispensandi, non autem coeundi. Sed prima sententia respectu ad impedimentum ab Ecclesia impositum, mihi non videtur improbabilis, si revera dispensatio brevi obtineri nequeat, et magnum periculum sit in mora ». L. 930. De cognatione Cf. 1068.

1070. « *An liceat coniugi excommunicato (licet vitando) petere debitum, et an petere ab excommunicato (quamvis vitando)?* — Quod liceat coniugi petere ab excommunicato certum est ex C. *Quoniam multos* 103. Caus. 11. q. 3. An autem liceat excommunicato etiam petere?... Communiter et verius affirmant... Ratio, quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto periculo, in quo esset quidem excommunicatus, si ipse non posset separari ab altero coniuge, ut revera non potest, et non posset petere ». L. 931., C. *Inter alia de Sent. exc.*

1071. « *An coniux teneatur reddere debitum amenti vel ebrio?* — Negant communissime et probabilius Busemb., etc. Ratio, quia licet isti dominium retineant, sunt tamen incapaces usus dominii... Quamvis autem non sit obligatio reddendi coniugi amenti, vel ebrio, licitum est tamen ei reddere, ut communiter dicunt, cum usus matrimonii sit per se licitus, et proles educari possit a coniuge sanae mentis, modo absit periculum scandali vel abortus. Unde non licet coire cum uxore amente furiosa, nisi ipsa experta sit sterilis ». L. 948.

1072. « *An et quomodo peccent coniuges coeundo situ innaturali?* — Situs naturalis est, ut mulier sit succuba, et vir incubus; hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis et receptioni in vas femineum ad prolem procreandam. Situs autem innaturalis est, si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel praepostere more pecudum, vel si vir sit succubus, et mulier incuba... Communiter dicunt omnes istos modos non excedere culpam venialem. Ratio, quia, licet adsit aliqua inordinatio..., mutatio situs generationem non impedit ». L. 917., S. Th. 4. D. 31. in fin. in exp. litt. Atque, ut habet idem S. Alph. et S. Th. ll. cc., id etiam sine ullo fit peccato, si ex iuxta causa fiat; et e contra peccatum grave est si experientia constaret, quod mutato naturali situ nihil seminis femina retineret.

1073. *Nota:* Cavendum est prudenti confessario, ne de variis congrediendi modis faciat quaestiones, quae non solum inutiles sunt, sed scandali etiam plenae. Hinc, si poenitens dubium de his iniiciat, confessario satis erit nosse, an completa fuerit pollutio extra vas debitum. *Si dubium iniiciat*, aut etiam dubitandi occasionem poenitens suppeditet; nemo enim non videt, eiusmodi interrogationes, in re tam lubrica, nisi manifesta adsit necessitas, nunquam esse faciendas. L. 917.

1074. « *An liceat coire coniugibus tempore praegnationis?* — Commune est id non esse mortale, nisi adsit periculum abortus... D. Th. 4. D. 81. in fin. in expos. litt.... Communiter non adest tale periculum... Et ideo non esse vexandos coniuges importunis interrogationibus... Utrum autem, secluso periculo abortus, sit culpa venialis? Affirmant D. Antonin. etc. Negant vero Sanch. etc., quia nullibi habetur id per se vetitum... Ut coitus sit licitus in matrimonio, sufficit, ut per se actus sit ad generationem idoneus; quod autem ipsa non eveniat, per accidens se habet. Ceterum mihi arridet sententia, quam tenent Pont. etc., nempe quod coitus cum praegnante non potest excusari a culpa veniali, nisi adsit periculum incontinentiae, vel alia honesta causa ». L. 924. Quare agitur saltem de *incerta* obligatione. Causa vero honesta vix unquam abesse potest.

1075. « *An sit illicitum coire tempore purgationis post partum?* — Triplex adest sententia. Prima dicit esse mortale ex C. fin. Dist. 5. Secunda sententia dicit nullum esse peccatum... Quia, ut aiunt, huiusmodi immunditia est tantum materialis, non moralis. Tertia sententia probabilior et communior... dicit esse veniale, non autem per se mortale. Est veniale, quia talis coitus continet aliquam indecentiam. Unde, nisi excuset causa honesta, nempe periculum incontinentiae, vel dissidii, vel alia similis, nequit ab omni culpa excusari. Non autem est mortale per se loquendo, quia talis indecentia non videtur tanta, ut mortalem culpam inducat... *Per se,* nam poterit aliquando esse mortale, si ex concubitu gravis morbus vel notabilis aggravatio morbi immineret ». L. 926. Dispositio autem cit. C. fin. vel obsolevit, vel de congruitate est, non de praecepto. Sed et levis culpa non nisi opinio est. Illud vero notandum, quod duabus primis hebdomadis potest identidem feminae non leviter officere. Quare ratio habenda est probabilis damni.

1076. « *An liceat debitum petere tempore lactationis?* — Communissime affirmant... Ratio, quia non extat lex prohibens ». L. 911.

1077. « *An licitum sit coniugibus coire tempore menstrui?* — Tempore fluxus extraordinarii certum est licere tam reddere quam petere... ex D. Th. 4. D. 32. q. un. a. 2. q. 2.... Tempore autem fluxus naturalis adsunt tres sententiae. Prima damnat de mortali, et hanc tenet idem D. Th. l. c. q. 3. ad 1.... Secunda sententia dicit omni culpa carere... Ratio, quia hodie id nullo iure prohibetur... Licet sit facile periculum eo tempore frustrandi semen; tamen ad coitum cohonestandum non requiritur, ut ex eo sequatur generatio, sed sufficit, quod coitus ille per se sit aptus generationi, esto per accidens semen dispergatur, ut accidit in accessu ad mulierem praegnantem aut sterilem... Tertia sententia communissima et probabilior dicit coitum tempore menstrui non esse mortale, sed non excusari a veniali. Quod non sit mortale probat ratio adducta pro secunda sententia. Quod autem sit veniale probatur, quia talis concubitus.... involvit quandam turpitudinem et deordinationem, cum... coitus tunc minus convenit fini generationis. Conveniunt autem Nav., Pal., etc., quod nullum sit peccatum coire tali tempore, si adsit aliqua causa turpitudinem illam cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentiam, in se vel in altero, aut alia similia... An autem casu, *quo nulla adsit causa,* uxor menstruata possit et teneatur debitum reddere, si maritus monitus nolit desistere? Affirmant Pal., etc. Verum probabilius negandum... Ratio, quia cum culpa etiam venialis se teneat ex parte actus probabilius non tenetur coniux, neque potest licite debitum reddere ». L. 925. Sed practice, marito petente, vix aut ne vix quidem pro uxore causa abest, qua possit. Ac ipse S. Th. S. q. 44. a. 4. ait: « Si vir non desistit a petitione, debet (uxor) debitum reddere poscenti ». Ratio autem a S. D. adducta pro tertia sententia, recentioribus physiologicae scientiae placitis refragatur, siquidem tempore menstrui mulier aptior est ad generationem. Id quod S. D. asserit de tempore menstrui, potius de tempore subsequente dicendum est. Nam generatio difficilior est a quartodecimo die post incepta menstrua usque ad sequentem menstruorum recursum. Ultimis vero diebus, tribus vel quatuor, ante proximam menstruationem, secundum plures dd., praegnationis probabilitas augetur. — E. M.

1078. « *An in diebus festivis vel ieiunii aut Rogationum sit illicitus actus coniugalis?* — Commune est non esse vetitum tunc debitum reddere cum D. Th. S. q. 64. a. 9.... An autem sit vetitum petere? Prima sententia affirmat, et hanc tenent D. Th. l. c. a. 7., etc. Hoc tamen sub culpa veniali, ut ait D. Th. ib. a. 8. cum aliis, non vero sub mortali, ut aliqui improbabiliter tenent... Secunda vero communior negat esse illicitum... Ratio, quia id non habetur vetitum ullo iure ». L. 923. Hinc etiam deducitur non esse cur huiusmodi usus tempore Adventus vel Quadragesimae prohibeatur. Cf. 603.

1079. « *An sint mortales tactus et aspectus turpes inter coniuges propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam?* — Negat sententia communis et verior... Ratio, quia status coniugalis sicut cohonestat copulam, ita etiam huiusmodi tactus et aspectus... Sicut autem delectatio quaesita in copula culpam venialem non excedit, ita etiam in his tactibus et aspectibus ». L. 933. Enimvero cum huiusmodi actus incompleti sint de se referibiles ad actum completum et perfectum, cum hic sit licitus coniugibus, non possunt illi *per se* esse iisdem illiciti. L. 932. 933. *A fortiori* culpa *per se* vacant huiusmodi actus, sive sint minus honesti, sive sint simpliciter inhonesti, si ad copulam immediate referantur. Tunc enim sunt quaedam copulae praeparatio et inchoatio. Quare, secluso voluntariae extra vas pollutionis aut sodomiae crimine, nihil fit *contra* bonum matrimonii. Levis autem culpa, quae in huiusmodi actibus inesse potest, facile ob fines ipsi matrimonio intrinsecos aut alios extrinsecos excusatur, v. g., quia ad fovendum affectum, vel ad sedandam concupiscentiam idonei sunt.

1080. *Quid si coniuges ex his turpibus actibus praevideant pollutionem secuturam in se vel in altero?* — Resolutio pendet ex intrinseca natura actus, ex modo, quo exercetur, ex causa aliisque circumstantiis. Agitur enim de voluntario in causa; quare si actus talis sit vel saltem tali modo exerceatur, *ut per se proxime influat in pollutionem*, nullaque iusta fiat causa, grave certe peccatum habetur. Secus vero, si actus talis est, et tali modo exercetur, adhibendo debitam cautelam ad illam impediendam, ut pollutio, si sequatur, *non nisi per accidens sequatur,* et iusta fit causa. — Sanch. l. 9. D. 45., L. 934, l. 3. n. 483. 484.

1081. « *An sit semper mortale, si vir immittat pudenda in os uxoris?* — Verius affirmant Sporer, etc., tum quia in hoc actu... adest proximum periculum pollutionis, tum quia haec per se videtur nova species luxuriae contra naturam, dicta ab aliquibus *irrumatio*. Semper enim ac quaeritur a viro aliud vas praeter vas naturale ad copulam institutum, videtur nova species luxuriae ». L. 935.

1082. « *An sint mortalia tactus turpes, quos coniux habet cum seipso, altero absente, et secluso periculo pollutionis?* — Prima sententia negat... Ratio, quia huiusmodi tactus ab ipso statu coniugali cohonestantur, cum de natura sua ordinentur ad copulam; et ideo, secluso periculo pollutionis, non possunt esse in coniuge graviter illiciti, etsi copulam de praesenti ipse non posset consummare. Secunda vero sententia probabilior, et in praxi omnino *suadenda,* affirmat... Ratio, tum quia coniux non habet ius per se in proprium corpus, sed tantum per accidens, nempe tantum

ut possit se disponere ad copulam..., tum quia tactus pudendorum, quando fiunt morose, et cum commotione spirituum, per se tendunt ad pollutionem, suntque proxime connexi cum eius periculo ». L. 936. Atque ex ipsa ratione secundae sententiae probabilior profecto apparet prima potius sententia.

1083. « *An sit mortalis delectatio morosa in coniuge de copula habita vel habenda, quae tamen non posset haberi de praesenti?* — Prima sententia affirmat... Ratio, quia talis delectatio est quasi inchoata pollutio... Secunda vero sententia communior... dicit talem delectationem non esse mortalem, si absit periculum pollutionis, sed tantum venialem. Est venialis, quia ipsa caret debito fine, cum non possit ordinari ad copulam praesentem. Non autem est mortalis, quia delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab obiecto, et cum copula sit licita coniugatis, non potest esse graviter illicita illius delectatio. Et huic expresse favet D. Th. de Malo q. 12. a. 2. ad 17.... Idque admittit Sporer, *etiamsi habeatur delectatio venerea,* orta ex commotione spirituum. Tertia demum sententia... distinguit et dicit, quod si delectatio sit absque commotione spirituum non erit mortalis; secus si cum commotione et titillatione partium ». L. 937. — Grave utique est peccatum, si illa delectatio sit proxime coniuncta cum periculo pollutionis; secus vero si illi delectationi proxime coniunctum non sit periculum pollutionis. Hoc autem proximum pollutionis periculum, per se loquendo, non habetur secundum S. D. ex quacumque commotione spirituum et partium alteratione; sed ex vehementi et graviori commotione spirituum. — S. Th. vero l. a S. Alph. c., ait: « Delectationes in bonitate et malitia consequuntur operationes delectabiles; et ideo, sicut carnalis commixtio non est peccatum mortale coniugato, est autem peccatum mortale non coniugato; similis etiam differentia est de delectatione et de consensu in delectationem. Non enim potest esse gravius peccatum consensus in delectationem, quam consensus in actum, ut patet per Augustinum ». At vero hoc argumentum probat, non modo consensum in delectationem (nam hoc dicit morosa delectatio) non esse mortale, sed ne veniale quidem esse peccatum. Scilicet non potest esse illicitum delectari de re licita, delectari nempe *rationali delectatione*, et similiter nec desiderium de copula futura, nec approbatio de praeterita, sunt *per se* illicita; quia approbatio et desiderium rei licitae illicita esse non possunt. — L. l. 5. n. 23. 24. 25.

DE CENSURIS

I. — DE NATURA CENSURAE

1084. *Quid sit censura?* — Est *poena spiritualis medicinalis, qua homo baptizatus, delinquens, et contumax per potestatem ecclesiasticam quorundam bonorum spiritualium usu privatur.* — *Poena;* i. e. potissimum fori exterioris. Quare illi soli censuram ferre possunt, qui in foro exte-

riori iurisdictionem habent. — *Spiritualis;* quia in quadam spiritualium bonorum subtractione consistit; a potestate est spirituali seu ecclesiastica; propter bonum spirituale; et in conscientia obligans. — *Medicinalis;* nam ad hunc *proprie* finem imponitur, tanquam medicina ad praecavenda peccata nondum admissa, eaque admissa curanda, ut nempe quis non peccet, et si peccaverit ad meliorem frugem redeat. C. *Cum medicinalis* 1. *de Sent. exc.* in 6.° Hinc, ut censura revera feratur per modum *censurae,* et non generatim per modum *poenae,* necesse est, ut non feratur in perpetuum, nec in tempus determinatum, nec ad arbitrium ferentis, sed simpliciter ferenda est, ita ut statim ac reus se emendaverit, absolvi possit; cessante enim morbo, medicina cessat. — *Homo baptizatus;* qui enim baptizatus non est Ecclesiae potestati non subditur. Debet autem esse rationis capax et subditus: nam qui incapax est culpae, et poenae non est obnoxius; potestas autem iurisdictionis, cuius actus censura est, non nisi in subditos exercetur. Debet etiam esse determinata quaedam persona, et non persona moralis, quae *privari* quidem potest iuribus quibus gaudeat, sed plecti non potest poenis et *censuris,* ut resipiscat, cum non nisi moralem habeat exsistentiam. Singulae tamen personae corporis moralis, *censuris* puniri possunt. Cf. Schmalz. n. 44.-46. Censuris vero ab ipso *iure* latis obnoxii non sunt cardinales et episcopi, nisi expresse comprehendantur, excepta excommunicatione; itemque impuberes, excepto casu violationis clausurae monialium. C. *Apostolicae Sedis.* Speciali autem privilegio, decursu temporis legitime introducto, reges et reginae nequeunt censura ligari nisi a Papa. — *Per potestatem ecclesiasticam;* poena enim non nisi ab habente potestatem imponi potest, et poena spiritualis ad potestatem pertinet spiritualem. — *Quorundam spiritualium bonorum usu;* censurae ergo non ipsa bona, neque potestatem, seu iura ad ea, sed eorum tantum usum adimunt reo, donec ad meliorem frugem redierit. C. *Ex litteris* 11. *de Const.* Usu autem privat eorum bonorum, quae sunt in potestate Ecclesiae, uti sunt preces publicae, sacramentorum administratio, sacrificii oblatio, ecclesiastica sepultura, etc. Quare non privat bonis mere internis, v. g., charactere sacramentali, potestate ordinis, nec bonis propriis ac privatis, v. g., fide, spe, caritate, etc. Ac, si interdum privat humano convictu, id tantum fit secundario. — E. M.

1085. *Quaenam sit censurarum divisio?* — Pro variis bonis, quorum usu censura privat, triplex ea est, nempe *excommunicatio, suspensio* et *interdictum.* Excommunicatio et interdictum omnes, suspensio non nisi *clericos* attingit. Excommunicatio vim habet solius *censurae*, seu poenae *medicinalis.* Quare ferri non potest *in personam moralem.* C. *Romana* 5. *de Sent. exc.* in 6.°, Suarez D. 18. S. 2. n. 3. Suspensio vero et interdictum ferri possunt per modum etiam merae *poenae*, seu in vindictam *culpae,* et per modum merae *privationis,* quae etiam sine *culpa* tenet, adeoque et nocentes et innocentes. Hinc suspensio et interdictum ferri possunt propter delictum mere praeteritum, quod nullum habeat tractum successivum, nulla praevia comminatione seu monitione, nulla causa expressa, in perpetuum, seu in determinatum tempus, vel ad beneplacitum eius, qui eam irrogavit. Ferri item possunt in personas morales, v. g., capitulum, civitatem, etc., et quoad innocentes rationem habent merae *privationis.* Violatio censurae, latae per modum *censurae* infert irregularitatem, *si*

clericus eam violet *ordinem exercendo*, non item latae per modum *poenae*, nisi aliud speciatim Iure cautum sit.

Censurae aliae sunt latae *a iure*, aliae *ab homine*. Priores feruntur per modum *legis*, posteriores per modum *mandati* seu *sententiae*. Exemplum prioris generis sunt censurae contentae in C. *Apostolicae Sedis*, censurae contentae in statutis episcopalibus. Exemplum posterioris est, si episcopus mandatum vel iudex sententiam ferat contra raptorem, ut raptam intra triduum libertati reddat, secus in excommunicationem incidat. Suarez D. 3. S. 1. n. 2. Censura lata *a iure*, mortuo auctore, adhuc perseverat, non item lata *ab homine;* qui tamen hanc incurrit ea tenetur ubique locorum, donec ab ea absolvatur. Censurae episcopales in synodo latae habentur ut censurae per modum *legis*, et, mortuo episcopo, perdurant; extra synodum vero latae habentur, ut censurae per modum simplicis *statuti*, et, mortuo episcopo, cessant. L. 6.

Censurae item aliae sunt *latae sententiae;* aliae *ferendae sententiae*. Sunt latae sententiae, si incurrendae statuuntur *ipso facto*, quo quis contra legem agit. Sunt ferendae sententiae, si per iudicis sententiam sunt infligendae. Quare censurae sunt ferendae sententiae, si verba legis iudicis ministerium, seu alterius actionem requirunt ad censuram incurrendam, e. g., si dicatur: praecipitur sub poena excommunicationis, excommunicatus erit, etc. Sunt vero latae sententiae, si verba legis sententiam condemnatoriam, vel saltem criminis declaratoriam, non includant, e. g., talia agens *ipso facto*, *ipso iure* excommunicatur.

1086. *Quid requiratur ex parte peccati, ad censuras incurrendas?* — Requiritur ut sit *mortale*, censura enim gravissima poena est, quae consequenter mortalem culpam praesupponit. Unde *sobrie et magna circumspectione ferendae sunt*. Trid. S. 25. C. 3. de R., Bened. XIV. de Syn. l. 10. c. 2. Quare, nisi agatur de levi quadam censura, vel saltem *ad breve tempus*, quae propter culpam levem feratur, censurae excommunicationis, suspensionis et interdicti, prout ordinarie feruntur, pro levibus culpis ferri nullo modo possunt. L. 30., Schmalz. l. 5. t. 39. n. 59., Suarez D. 4. S. 6. n. 12., Lugo de Iust. et Iur. D. 16. n. 61., Lessius l. 2. c. 12. n. 54., Sanch. in Decal. l. 7. c. 21. n. 28. 29. — Peccatum esse debet *externum;* nam Ecclesia iudicat in foro externo, ad quod censurae pertinent, non vero in foro interno. Non solum exterius debet esse peccatum, sed etiam grave in ratione actus externi. Quare qui a gravi culpa excusatur sive quoad actum internum, sive saltem quoad actum externum, a censura quoque excusatur. — Debet esse peccatum *opere consummatum*, quia leges poenales strictae sunt interpretationis. Debet nempe peccatum esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in praecepto seu lege continentur. Schmalz. l. c. n. 64. — Requiritur ut peccatum non sit *mere praeteritum*, quia censura est poena medicinalis, quae proinde ferri non potest in eos, qui iam ad meliorem frugem sese receperunt. *Mere praeteritum*, si enim praeteritum delictum, ut furtum, detractio, etc. *successivum tractum* habeat, potest propter ipsum censura ferri, ea prius reo denunciata, nisi mandato pareat, ablatum intra definitum tempus restituendi, famam reparandi, etc. *Mere praeteritum*, si nempe censura revera imponatur per modum *censurae*, seu poenae *medicinalis*, et non per modum merae poenae *vindicativae*. Quare superior, qui vult peccatum

aliquod *censura* punire, hanc prius *comminari* debet. L. 54. — *Contumacia* tandem requiritur. Per censuras enim punitur contumacia contra legem Ecclesiae, et quidem Ecclesiae comminantis contumaci censuram. C. *Pia* 1. *de Except.* in 6.°, C. *Statuimus* 3. *de Sent. exc.* in 6.° Contumacia a contemnendo est, hinc contemptus censurae est. Quare ad censuram incurrendam necesse est, ut censura prius fuerit iam lata, vel per modum legis generalis, vel per particulare praeceptum saltem incurrenda denunciata, nisi praecepto pareatur. Hinc, si quis *a contumacia recedat*, antequam censuram, effectu secuto incurrendam, reapse incurrat, eam deinde secuto effectu minime incurrit. *A contumacia recedat*, nempe confessione, vel dolore, vel voluntatis retractatione, et modo quo possit conetur effectum impedire, licet revocatio innotescere non possit ei, cui forte mandatum, vel consilium dedit. L. 31. 39. 40., l. 7. n. 368. 373.

1087. *An ad incurrendam censuram monitio praerequiratur?* — R. Affirmative. Ratio est, quia censura fertur ob contumaciam et inobedientiam actualem. Atqui ille qui monitus non est a ferente censuram ipsi rebellis et inobediens non est. Ergo. Quare inter dd. communiter receptum est, *censuram*, nulla prorsus monitione praemissa, regulariter nullam esse. Iam age quoad censuram a *Iure* latam per modum *legis*, vel latam *ab homine* per modum *mandati*, ipsa lex et ipsum mandatum monet. Si vero censura non comprehendatur lege sive mandato, tunc opus est eam comminare, seu reum necesse est monere, et quidem trina opus est monitione, quamvis hoc non spectet ad validitatem, vel una pro tribus, servato inter ipsas saltem duorum dierum spatio, vel inter hanc et sententiam spatio saltem sex dierum. Fieri autem monitio debet reo coram testibus, et fieri solet scripto, sed viva voce valet. Quamvis autem censura sine scriptis lata valeat; nihilominus, quia hoc grave est, si oretenus lata fuerit, magis *poena* praesumitur, quam *censura*. Si censura iam lege fuerit comminata, siquidem de censura agatur *ferendae sententiae*, an nova opus sit monitione disputatur, alii affirmant, et aequius est, quia huiusmodi censurae plerumque ignorantur, alii negant et est probabilius, quia lex ipsa satis monet. — L. 22. 51. 65. 317., S. Th. S. q. 21. a. 3.

1088. *Quinam censuras ferre possint?* — Censuram *de iure ordinario* ferre potest omnis ac solus superior ecclesiasticus, habens *in foro externo* seu contentioso *ecclesiasticam iurisdictionem*, sive ordinariam, sive delegatam, nempe Papa et Concilium Generale respectu omnium fidelium; cardinales in Ecclesiis sui tituli; primates, archiepiscopi, tum in dioecesibus propriis, tum in dioecesibus suffraganeorum, tempore visitationis, nec non cum agitur de causa ad eorum tribunal delata, quia tunc iurisdictione in suffraganeos pollent; episcopi in suis dioecesibus, modo electi ac confirmati sint, esto non consecrati; legati Sedis Apostolicae in provinciis suae legationis; vicarii generales episcoporum, nam cum ipsis episcopis unum tribunal constituunt; capitulum, sede vacante, et ante electionem vicarii capitularis, qui deinde tali potestate exclusive gaudet; ordinum religiosorum abbates, generales, provinciales, rectores, priores conventuales, guardiani, etc. respectu religiosorum sibi subditorum, iique omnes, quibus specialiter a praedictis ea potestas *ex delegatione* committitur. — Quare ab hac potestate, tum *ordinaria*, tum *delegata* excluduntur iure communi tum *laici*, tum *mulieres* omnes, etiam *abbatissae*.

Parochi item, cum iurisdictionem non habeant in foro externo ordinariam, sed tantum administrationem ad rectum parochiae ordinem, hanc facultatem non habent. — Ad potestatem delegatam quod spectat, haec cessat morte delegantis, cum agatur *de causa iustitiae,* nisi causa a delegato iam fuerit incepta saltem per citationem. Delegatus vero ad censuras ferendas non potest alterum subdelegare, nisi expressam habuerit licentiam a delegante, vel nisi saltem sit delegatus ad quascumque causas, vel a Rom. Pont. — CC. *Perniciosa* 1., *Cum ab Ecclesiarum* 3., *Pastoralis* 11. § *Praeterea*, *Conquerente* 16., *Grave gerimus* 19., *de Off. iud. ord.*, C. *Cum episcopus* 7. e. t. in 6.°, C. *Transmissam* 15. *de Elect.*, C. *Si pro debilitate de Off. Deleg.*, CC. *Cum in Ecclesiis* 10., *His quae* 11. *de Maior. et obed.*, C. *Ea quae* fin. *de Statu Monach.*, C. *Quaerenti* 20. *de Verbor. signific.*, C. *Cum medicinalis* 1. *de Sent. exc.* in 6.°, S. Th. S. q. 22. a. 1. 2., Schmalz. n. 3. 12.-21. 40., Engel n. 12.-15., Pichler Ius Canon. l. 5. t. 39. n. 4. 5., E. M.

1089. *Quid requiratur, ut ecclesiasticus superior possit censuras ferre?* — Requiritur: 1.° Ut sit compos rationis, immo animum habeat ligandi eum, contra quem fert censuram. Ratio, quia ferre censuram est actus iurisdictionis, qui ab interiori voluntate totum suum vigorem habet. — 2.° Ut habeat iurisdictionem expeditam quoad usum. Hinc episcopus excommunicatus, suspensus, haereticus aut schismaticus nequit ferre censuras: idem de eius vicario dicatur. Attamen *occultus haereticus* aut *excommunicatus* valide, etsi illicite, fert censuras, quia propter publicum bonum, nisi sit vitandus, Ecclesia illi conservat iurisdictionem. Immo non desunt, et videtur hodie communis opinio, qui tenent etiam « publice excommunicatum valide ferre censuras, si non sit *nominatim denuntiatus*, vel *publicus clerici percussor* ex Extr. Martini V. *Ad evitanda,* ubi sancitur excommunicatum toleratum in iis, quae pertinent ad publicum officium, non esse vitandum, nec etiam ab illis, qui id sciunt ». L. 12., S. Th. S. q. 22. a. 3. — 3.° Ut censuram ferens libere agat, non coacte. An autem censura lata *ex metu gravi* sit valida, alii negant, alii verius affirmant: quia actus metu gravi factus de se est validus, nisi speciali iure positivo irritetur. Atqui iure positivo non irritatur censura ex metu lata. Ergo. Schmalz. n. 23., L. 12. — E. M.

1090. *An episcopus possit ferre censuras, si sit extra dioecesim?* — R. Negative. Nemo enim potest in alieno territorio iurisdictionem contentiosam exercere. Excipiuntur tamen sequentes casus: 1.° Si censura feratur non per modum *sententiae,* sed per modum *praecepti,* aut *statuti,* ad futura crimina praecavenda. 2.° Si censura feratur per modum *sententiae,* quae tamen non indigeat cognitione causae et strepitu iudiciali, vel quia est contumacia manifesta, vel quia causa iam cognita est in proprio territorio. Si strepitu iudiciali indigeat, opus est, quod venia fiat ab Ordinario loci, et partes consentiant: nemo enim invitus trahi potest extra territorium suum. 3.° Si episcopus sit iniuste expulsus a proprio territorio, tunc enim sufficit venia petita ab Ordinario loci, licet non obtenta. C. *Novit* 7. *de Off. leg.*, Clem. *un. de For. comp.*

1091. *An episcopus in sua dioecesi exsistens possit ferre censuram in subditum extra dioecesim exsistentem?* — Episcopus, in sua dioecesi exsi-

stens, censuris *per sententiam* ligare potest subditum, in aliena dioecesi exsistentem, tum pro crimine in propria commisso, tum etiam, si subditus extra dioecesim delinquat; sed de re, quae in illa sit, agatur, prout si excommunicentur clerici, qui ad synodum non accedunt. Neque vero obstat, quod citatio extra territorium fieri nequeat; tunc enim sufficit, quod reus in propria domo citetur, aut in loco publico. Si item episcopus per *speciale praeceptum* alicui sub censura prohibuit delictum, hanc absens incurrit. Praeceptum enim personale est. Cum ergo subditus extra territorium ligetur praecepto, ligatur etiam censura. Ita S. Alph. n. 23., qui sententiam negantem *probabilem* dicit, cum quis delinquat *extra territorium ius dicentis,* et addit: Certum autem est, ex C. *Ut animarum* 2. *de Const.* in 6.°, quod si episcopus nullum subdito antea dederit praeceptum sub poena censurae, nequit eum censura punire, si delinquat in aliena dioecesi. Et idem dicendum, si delinquat in loco exempto, quia in eo manet, ac si esset in loco extra dioecesim, ex C. *Cum episcopus* 7. *de Off. ord.* in 6.°, C. *Volentes* 1. *de Priv.* ib., Clem. *Archiepiscopo* 2. e. t. *Per sententiam* vel *speciale praeceptum:* nam si prohibitio facta sit per *statutum territoriale*, censura in delinquentes lata non afficit exsistentem extra territorium statuentis censuram, ut expresse deciditur in C. *Ut animarum* 2. *de Const.* in 6.° Praelati vero regulares possunt suos subditos censuris ligare, quocumque loco exsistentes; quia eorum iurisdictio est magis personalis, quam territorialis. L. 20., Engel n. 31. — La-Croix l. 7. n. 28., Pichler Ius Can. l. 7. t. 39. n. 6.

1092. *An episcopus possit censura ligare subditum alienum in sua dioecesi delinquentem?* — Peregrini et advenae probabiliter, iuxta Lugonem et alios, non incurrunt censuras latas *speciali iure* alicuius loci; ab ipsa enim obligatione servandi leges istius loci eximuntur. Si vero sermo sit de censuris *ab homine per sententiam* latis, possunt quidem ab episcopo loci censuris ligari postquam ipsi deliquerint in eo loco, *communem legem* violando, et non tantum eius dioecesis, et postquam eos episcopus citaverit; si tamen *communis illa lex* aliquid praecipiat, vel prohibeat *sub excommunicatione et aliis poenis a iudice ecclesiastico infligendis:* tunc enim ratione delicti sortitur peregrinus forum episcopi illius loci, in quo deliquit. Si vero episcopus ipse excommunicationem propria auctoritate minetur violanti legem communem, e. g., furanti, non restituenti, etc., excommunicatio nulla est. Nam delictum immediatum, ob quod fertur excommunicatio, est contumacia et inobedientia subditi inobedientis episcopo, prohibenti furtum vel praecipienti restitutionem. Porro episcopus neque praecipere potest peregrino *non subdito,* neque consequenter specialem sententiam in eum *non subditum* ferre potest. Alii tamen cum Engel et La-Croix huic sententiae contradicunt; quia sicuti possunt ferri leges, quibus obligantur peregrini, v. g., de non gestandis armis, ita illis legibus potest addi censura, et talis peregrinus ratione delicti fit subditus tali episcopo. C. *fin. de For. comp.* — La-Croix l. 7. n. 32., Engel n. 35. 112., Schmalz. n. 47. 48., L. 19. 26. 27., l. 6. n. 591., Lugo Resp. Mor. l. 6. D. 22., Laymann c. 4. n. 5. 6.

1093. *An episcopi censuras ferre possint in regulares?* — R. Affirmative, *si non sint exempti;* tunc enim legibus ac censuris episcopalibus subiiciuntur eodem plane modo ac alii clerici. Insuper, si episcopum

habeant tanquam proprium praelatum, censuris ligari ab ipso poterunt aeque ac reliqui regulares a propriis superioribus. Sanch. in Dec. l. 6. c. 1. n. 11., Schmalz. l. 3. t. 35. n. 61. 62. — Affirmative, *si sint exempti*, et delinquant circa ea, in quibus vi canonum et Constitutionum *subiiciuntur episcoporum iurisdictioni.* Ac in tali casu episcopi non ordinaria, sed delegata potestate procedunt., S. C. C. 17. Febr. 1632., Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 16. n. 5., l. 7. c. 41. n. 5., Barbosa de Off. et Potest. Episc. P. 3. Alleg. 105. n. 14. seq. — Negative, si sermo sit de illis regularibus, qui hac in re gaudent *speciali exemptione.* Duplex enim distinguenda est regularium exemptio, seu immunitas ab episcoporum censuris. Prima inde provenit, quod regulares in quibusdam exempti sint ab Ordinariorum iurisdictione, ideoque quoad haec neque censuris neque aliis poenis puniri possunt. Cum tamen in aliis sint subiecti episcopis, delinquentes in hisce rebus possunt ab ipsis, etiam censuris, puniri. Altera vero inde provenit, quod *speciali privilegio* gaudeant regulares quidam, nempe Mendicantes et Religiosi Societatis Jesu, ut non possint ab episcopis puniri *censuris,* quamvis puniri possint aliis poenis, si in illis ipsis rebus delinquant, in quibus Ordinariis locorum subiiciuntur. Excipitur casus ex C. *Inscrutabili* Gregorii XV., nempe « si in alienis ecclesiis, quae suorum ordinum non sunt, absque episcopi licentia; et in ecclesiis suis aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, vel ipso contradicente, praedicare praesumpserint ». Innoc. X. Br. *Cum sicut accepimus* 14. Maii 1653. alium, *declarando* cit. Const. *Inscrutabili* Gregorii XV., addidit casum, nempe confessionum audiendarum. Tertius etiam addendus est casus circa formam et habitum sacrarum imaginum ex C. Urbani VIII. *Sacrosancta* 15. Mart. 1642.

1094. *An ignorantia a censura incurrenda excuset?* — Ignorantia *invincibilis*, sive *facti*, sive *iuris*, sive *poenae*, i. e. appositae censurae, ab ea incurrenda excusat. Deest enim contumacia. Idem ac ignorantia operatur hic oblivio et inadvertentia. — Ignorantia *vincibilis* leviter culpabilis, vel etiam graviter culpabilis, si non sit *crassa* aut *supina*, a censura etiam incurrenda excusat, secus si *crassa* et *supina* sit, ex C. fin. *de Const.* in 6.°, ubi dicitur, « ligari nolumus *ignorantes*, dum tamen eorum ignorantia *crassa* aut *supina* non fuerit ». An autem revera detur ignorantia *graviter culpabilis*, quae tamen *crassa* aut *supina* non sit, disputatur. Communiter negant: plures tamen affirmant, quia ad ignorantiam crassam summa quaedam negligentia requiritur, et dari potest negligentia graviter culpabilis, licet non sit summa. *A fortiori* non excusat a censura incurrenda ignorantia *affectata*, sive *facti*, sive *iuris*, sive *poenae*. — Ignorantia *vincibilis* graviter culpabilis, sive sit *crassa* aut *supina*, sive, probabiliter, etiam *affectata* a censura incurrenda excusat, si in Decreto clausula sit: *qui hoc fecerit scienter, consulto, temere, qui hoc facere praesumpserit*, etc. Nam qui cum ignorantia qualicumque agit, *scienter* profecto non agit. Et sane ex S. O. 12. Jan. 1870. per haec verba, *ausu temerario*, vel *ex praesumptione*, etc., significatur, quod quis non coactus aut ignorans, sed *prudens sciens* deliquerit, *quem porro omnis excusationis expertem censurae subiacere mirum esse non debet.* — L. 43.-45. 48.

1095. *An metus gravis a censura excuset?* — R. Affirmative; nisi tamen legis observatio necessaria sit pro publico bono conservando, aut eius violatio cedat in contemptum fidei, vel legis, vel potestatis ecclesiasticae. Ratio responsionis est, quia ex metu delinquens, ex naturae infirmitate potius, quam ex contumacia, peccat. Ratio exceptionis est, quia in praedictis casibus humanae etiam legis obligatio non cessat.

1096. *An appellatio legitime interposita a censura excuset?* — R. Affirmative, si nempe interposita fuerit *ante sententiam,* vel post eam quidem latam, sed *pendente die ex qua,* vel *conditione sub qua* lata fuit. Itemque cessat, si die aut conditione pendentibus alter desinat esse superior, alter desinat esse subditus. Si vero absolute iam lata sit censura, eam appellatio non suspendit, unde canonistae dicunt appellationem esse *in devolutivo,* non *in suspensivo.* Semper vero recursus ad S. Sedem datur contra ipsius iniustitiam. — L. 63.-65., Suarez D. 3. S. 4. n. 10. seqq., S. 5. n. 2., S. 15. n. 18. seqq.

1097. *An iudicandus sit incurrisse censuram, qui dubitat, an eam incurrerit?* — In dubio *facti,* et in dubio *exsistentiae iuris* excusatur quis a censura incurrenda, non item in dubio *iustitiae iuris,* an nempe iusta sit censura. Ratio 1.[i] est, quia in dubio melior est possidentis conditio. Atqui qui dubitat, an suo facto incurrerit censuram, possidet ius spiritualibus bonis utendi. Ergo non est suo iure privandus. Ergo. Ratio 2.[i], quia favores sunt ampliandi, et odia restringenda. Ergo ius, inducens poenam dubiam, in benigniorem partem est accipiendum: poena enim odiosa est. Ergo. Ratio 3.[ii], nam in dubio iustitiae praesumptio favet superiori. — Cum quis dubitat, *an a censura,* quam incurrit, *sit absolutus,* in foro externo pro censura, seu ligamine iudicandum ex *C. Sicut* 39. *de Sent. exc.,* adeoque absolutio petenda. In foro item interno petenda absolutio est, ne forte bonorum Ecclesiae expers quis fiat. — Sanch. in Dec. l. 1. c. 10. n. 55. 56., S. Th. Quodl. 4. a. 14., L. 32. 39. 67. 68.

1098. *An censura ligatur, qui eam manifeste iniustam esse noscit?* — Censura non ligatur, qui eam *certo* iniustam esse noscit, sive ob falsam praesumptionem facti, sive ob omissas legales formas, sive ob limites iurisdictionis excessos. Quare eam publice servare non tenetur, nisi ratione scandali, si adsit. — L. 68., S. Th. S. q. 21. a. 4., Laymann c. 6 n. 2.-4., Schmalz. n. 80.-84., Engel n. 103.-113., Lugo de Iust. et Iur. D. 37. n. 188.

1099. *An possit quis ligari pluribus censuris simul?* — Propter unum idemque delictum una tantum incurritur censura, ex pluribus ab uno eodemque legislatore forte latis, illa nempe, qua aliae eminenter comprehendantur. Sic, e. g., usurpantes bona ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum pertinentia sola excommunicatione innodantur R. P. reservata, et non etiam Tridentina excommunicatione. Propter unum idemque delictum plures quidem incurrere quis potest censuras a diversis legislatoribus latas, ab episcopo beneficii et ab episcopo domicilii, a Romano Pontifice et ab Ordinario loci; v. g., si clerici monialium clausuram violantes suspensione puniantur episcopali Statuto, qui excommunicationi R. P. simpliciter reservatae per C. *Apost. Sed. obnoxii* etiam essent. Propter idem delictum iteratum, propter diversa delicta, potest

quis plures censuras incurrere, pluries nempe eandem, et plures diversas, eiusdem vel diversae rationis. Atque hic notandum est, quod si censura sit reservata Pontifici, per hanc reservationem videtur tunc subtracta inferioribus Praelatis facultas sibi eandem censuram reservandi.

1100. *Quid de absolutione generatim censurarum?* — « *Absolutio* significat actum iustitiae, in quo causa aliqua, seu iudicium terminatur in favorem rei... *Dispensatio* autem est actus gratiae seu misericordiae..., qua aliquid relaxatur a communi lege in favorem alicuius ». Thesaurus de Poenis P. 1. c. 20. Ad censuram solvendam necessaria est *absolutio* a iudice seu superiore legitimo impertita, licet praestita fuerit iam satisfactio, si debebatur, et secuta fuerit emendatio, exceptis censuris in definitum tempus latis; eo enim finito, cessant, et quae latae sunt ad beneplacitum eas irrogantis, hoc enim mortuo, vel huius resoluto iure, cessant. Constat ex C. *Qua fronte* 25. *de Appell.*, C. *Ex litteris* 11. *de Const.*, C. *Cum desideres* 15. *de Sent. exc.*, C. *Relatum* 37. ib., ex pr. 44.ª ab Alex. VII. d. L. 122. — Huiusmodi absolutio dari potest a superiore ecclesiastico, vel ab eius delegato, etsi non sit sacerdos. Et quamvis censurae poenae in primis sint fori externi, absolutio tamen ab ipsis dari potest in foro interno conscientiae, quamdiu ad externum forum non fuerint deductae, quod communi constat doctrina et praxi. — Absolutio a censuris, quasi removens prohibens, prius sub gravi danda est, quam absolutio a peccatis; si tamen posterius detur, valet; et, si poenitens hanc recipiens graviter non peccaverit, valet quoque absolutio a peccatis. Cum vero non constet poenitentem censura ligari non nisi *ad cautelam* praemittitur. Atque ex his patet absolutionem a censuris penitus distinctam esse ab absolutione a peccatis, et unam sine alia stare posse. S. Th. S. q. 24. a. 2. ad 2., Laymann c. 7. n. 1., Schmalz. n. 107. 111. — E. M. 942.

1101. *Quinam a variis censuris absolvere possint?* — *A censura, tum ab homine per modum praecepti, vel per sententiam particularem, tum a iure reservata*, absolvere tantum possunt 1.° qui censuram tulit; 2.° eius superior; 3.° eius successor; 4.° alius ab horum quopiam delegatus. Ratio est, quia eius est absolvere, cuius est ligare. L. 69., Laymann c. 7., Schmalz. n. 85.-93. 97., S. Th. S. q. 24. a. 1. *Censura ab homine per modum praecepti, vel per sententiam particularem lata*; nam censurae *ab homine* latae, sed *per modum statuti, sive generalis sententiae*, iuxta *probabiliorem* opinionem aequiparantur latis *a iure*, quae non sint reservatae. L. 73., Schmalz. n. 94., Engel n. 124. A censuris, quae minus proprie tales sunt, nempe ad certum diem latis, in perpetuum, vel ad superioris beneplacitum, ab eo tantum vel ab alio specialem habente facultatem absolvi possunt: siquidem licet expresse non sint reservatae, *implicite* tamen *reservatae sunt*, ex ipsa earum natura. Cf. Suarez D. 29. S. 1. n. 16. Quilibet confessarius absolvere potest a censuris, *a iure latis*, Papae vel episcopo minime reservatis, tum pro foro interno, tum pro foro externo. C. *Nuper* 29. *de Sent. exc.*, Formula absolutionis Rit. Rom., Struggl. n. 29., S. Th. S. q. 24. a. 1., L. 69.-71. 126. 322. 339., l. 1. n. 191., Schmalz. n. 95. 96. — « Attamen ut possit quis *publice absolutione uti*, necesse est, ut de illa *publice constet*... Ut autem publice constare censeatur, satis est, quod publice constet, illum fuisse confessum... habenti potestatem..., dummodo satisfactio, quae necessaria fuerit, publice sit etiam exhibita ». Suarez

D. 7. S. 5. n. 29. Id enim requiritur, quamvis censura iuridice denuntiata non fuerit, ad scandalum praecavendum, et ut constet eum a sua contumacia recessisse, et ad obedientiam Ecclesiae rediisse.

Ex Trid. S. 24. C. *Liceat* 6., et ex C. *Apostolicae Sedis* par. *Firmam*, possunt episcopi absolvere a casibus et censuris Summo Pontifici reservatis, iis exceptis, quae *speciali modo sunt reservatae.* — Hac potestate gaudet etiam vicarius capitularis, S. C. C. 3. Dec. 1632. — Possunt episcopi etiam generaliter delegare alicui sacerdoti hanc Trid. facultatem, modo illam expresse specificent; specialis enim ex Trid. requiritur deputatio. Et possunt absolvere etiam peregrinos, cum fiant subditi, se in foro conscientiae submittendo, L. l. 1. App. II. n. 29. seqq. — Ex hac vero facultate episcopi absolvere non possunt a casibus occultis, reservatis ab aliis episcopis. S. C. C. 24. Jan. 1711., 20. Nov. 1712., Bened. XIV. C. *Pias Christi* 21. Aug. 1752., L. l. c. n. 34., l. 6. n. 294. — Illi autem casus reputantur *occulti*, qui in iudicio non fuerunt probati, et aliqua ratione celari adhuc possunt in vicinia, uti si paucis, v. g., quinque aut sex personis discretis, innotescant tantum, aut si factum appareat dubium. Probabiliter crimen in uno loco publicum absolvi potest ab episcopo in alio loco, ubi est occultum; dummodo non sit timor quod facile publicetur ubi est occultum. Absolvi item potest ab episcopo crimen occultum, sive occultum sit materialiter, quia publice ignoratur commissum delictum, sive occultum sit *formaliter*, nempe, quia licet notum sit crimen, ignoratur tamen ei adnexam esse censuram. — L. 76. 78.

Praelatos regulares vi suorum privilegiorum suos subditos a censuris per C. *Apost. Sed.* latis, sive speciali modo, sive simpliciter Romano Pontifici reservatis 1.° non posse absolvere; at 2.° posse absolvere a censuris episcopis reservatis etsi occultis; et 3.° quantum ad eorundem praelatorum facultatem subditos suos absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis non contentis in praedicta Constitutione, et pertinentibus ad internum regimen, nihil esse per eandem Constitutionem innovatum; 4.° regulares impeditos adire Romam non posse absolvi per suos superiores regulares a censuris contentis in ea Constitutione et Summo Pontifici reservatis; sed recurrere debere ad S. Sedem pro necessariis facultatibus, declaratum fuit in S. O. d. 22. Mart. 1881. Synod. Dioeces. Ostiens. et Velit. Romae 1892. pag. 122.

Quinam tandem et quomodo a casibus et censuris papalibus absolvere possint *in articulo mortis*, et *in casu impedimenti Romam adeundi*, Cf. 773. 797. 799. 800.

1102. *Quaenam sint notandae speciales absolutionis a censuris circumstantiae?* — *Variae absolutionis a censuris notandae circumstantiae* seqq. propositionibus declarantur. — *A censuris absolvi potest absens et invitus.* Absolutio enim a censuris non est sacramentalis; sed mera relaxatio vinculi ab Ecclesia impositi, quae potest etiam in absentes et invitos pronuntiari. Id vero non licet sine gravi causa. L. 117. 130., S. Th. S. q. 24. a. 2. — *Is qui pluribus censuris est adstrictus potest absolvi ab una relictis aliis,* quia inter eas non est necessaria connexio. C. *Cum pro causa* 27. *de Sent. exc.* L. 118. 131., S. Th. q. 24. a. 3. — *Absolutio vi aut metu gravi, iniuste incusso, extorta, non valet,* ex C. unic. *de His quae vi,* etc. in 6.°, L. 119. — *Idem dicatur, si per errorem circa causam*

motivam detur. C. *Offic.* 42. *de Sent. exc.* — Schmalz. n. 99. 100. 102., Thesaurus de poenis. P. 1. c. 22.-24.

1103. *Absolutio dari nequit, nisi prius, ubi opus fuerit, scandalum absolvendus reparaverit, partem laesae satisfecerit,* vel si nequeat, cautionem idoneam praestiterit, vel nisi iuraverit aut promiserit se satisfacturum, quum primum poterit, et, si crimen sit de atrocioribus, aut de clericorum percussione agatur, se nunquam in illud relapsurum. Verum *iuramentum et cautio pignoratitia* ad externum forum pertinent. Quoad forum internum sufficit simplex et sincera promissio de satisfaciendo, de stando mandatis Ecclesiae, etc. C. *Porro* 7. *de Sent. exc.*, C. *Per tuas* 40. 10. 11. ib., C. *Qua fronte* 25. *de Appell.*, C. *Odoardus* 3. *de Solut.*, C. *Ex parte* 23. *de Verb. sign.*, S. Poenit. 5. Jul. 1857. — An autem quum Pontifex dat facultatem absolvendi, *satisfacta parte,* clausula haec apponatur semper tamquam conditio *sine qua non,* alii probabiliter affirmant, alii probabiliter negant. L. 121. 129., Schmalz. n. 100. 101. — Rit. Rom. *de Absol. ab excomm.*

1104. *Absolutio dari potest, tum absolute, tum conditionate. Absolutio item dari potest ad reincidentiam,* i. e. ut absolutus, nisi aliquid praestet, puta nisi post tale tempus restituerit, in eandem reincidat censuram *ipso facto.* Reincidentia vel est *a iure* vel est *ab homine. Ab homine* tunc tantum est, cum expressa voluntate superioris adiiciatur; *a iure* vero cum claro *iure* contineatur. Sumus enim in odiosis. Porro censura, in quam absolutus est recasurus *nova* numero est censura, licet eiusdem speciei. Quare reincidentia addi nequit absolutioni, nisi ab eo, qui potestatem habet ferendi censuram, eaque non incurritur sine nova culpa et contumacia. L. 86. 87. 123.-125., Laymann c. 7. n. 8., Lugo de Poenit. D. 20. n. 213. 214.

1105. *Ad valide absolvendum a censuris, nulla in iure praescribitur determinata formula.* Quare sufficit superioris voluntas signo sensibili manifestata, ut alteri nota fiat. Schmalz. n. 98. Ac quamvis *ipso facto* dari possit, per se loquendo; ex Iure tamen non videtur praesumendum sic datam esse. Cf. Clement. *Si summus* 4. *de Sent. exc.*, C. *Si aliquando* 41. e. t., C. *In praesentia* 46. ib., Schmalz. n. 77. 389., S. Raymund. De Peniafort Summ. l. 3. de Sententiis Praecepti etc. § 36. — *Ad licite absolvendum in foro sacramentali formula adhibenda est,* quae habetur in ipsa formula sacramentalis absolutionis, eademque adhibetur in foro *interno conscientiae* extra sacramentum. In foro vero externo formula adhibenda est in Rituali et Pontificali Romano, et C. *A nobis* 28. *de Sent. exc.*, praescripta. — *Ad solemnem et publicam absolutionem,* prout in Rituali describitur, opus est mandato episcopi, qui id tantum praecipere solet, quum totius communitatis scandalum adfuit, aliaeque servandae sunt Iuris solemnitates; et sic, si sermo sit de crimine enormi, ante absolutionem, delinquens iurare debet, nisi forte sit impuber, in tale crimen non amplius relapsurum. C. *Ex tenore* 10., C. *De cetero* 11. *de Sent. exc.*, Rit. Rom. *de Absol. ab excomm.* — Qui potestatem habet absolvendi *in foro conscientiae* a censura potest id facere etiam *extra confessionem,* praeter quam in iubilaeo, in quo danda est in foro sacramentali. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 63. — Absolutio data *in foro externo, in*

interno etiam prodest; data *in foro interno* prodest toleratis etiam *in externo,* sed non impedit, quominus agi possit contra ipsos ad normam Juris; non item vitandis, quando id liceat, ut in Iubilaeo et in articulo mortis. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 61. — L. 70. 116. 126.-129., l. 6. n. 536., Laymann P. 2. c. 6., Pichler l. 5. t. 39. n. 13., Rit. Rom. *de Absol. ab excomm.*

II. — DE EXCOMMUNICATIONE

1106. *Quid et quotuplex sit excommunicatio?* — Excommunicatio est censura, per quam quis privatur *communione Ecclesiae.* « Est poena, quam Ecclesia infligere potest, gravissima, ac virtute in se continet censuras alias suspensionis et interdicti, utpote quae non ita plene, sed tantum partialiter privant bonis Ecclesiae, seu illorum usu ». Pichler l. 4. t. 39. n. 23. — Duplex est, alia *minor,* alia *maior.* Haec maior excommunicatio dupliciter patet. Alia enim est qua quis est excommunicatus *toleratus,* quem fideles non tenentur vitare; alia est, qua quis est excommunicatus non toleratus, quem *vitare* tenentur.

1107. *Quid de excommunicato tolerato?* — Quoad excommunicatum *toleratum,* cuicumque, etiam clam excommunicato, canonico iure interdictum est cum aliis communicare tam in divinis quam in humanis. At fideles cum illo communicare possunt tam in humanis quam in divinis, etiam sine necessitate, quamvis non teneantur. Hinc licite spiritualia, velut sacramenta, dari possunt excommunicato, itemque licite peti possunt sacramenta ab excommunicato, etiam absque necessitate, *praecise vi excommunicationis;* nam si ille in peccato mortali est, causa iusta requiritur. Quare indirecte indultum est etiam excommunicato, ut communicare valeat sine peccato cum iis a quibus rogatur. Idem dicatur de suspenso et interdicto. C. Martini V. in Conc. Constant. *Ad evitanda,* Schmalz. n. 121.-125., L. 135. 138.-140. 160.

1108. *Quid de excommunicato vitando?* — Excommunicati *vitandi* duo tantum recensentur. — Primus est quivis *nominatim* excommunicatus, qui simul sit *specialiter* ac *publice denunciatus. Nominatim,* i. e. nomine expresso per verba aut signa indubitata, ita ut non possit cum alio confundi. Hinc non tenemur vitare haereticos, v. g., etiamsi publice notum sit eos esse a Iure excommunicatos. *Specialiter denuntiatus,* i. e. non generaliter denuntiatus, sed *nominatim* etiam denuntiatus. Hinc si dicatur: Excommunicamus Petrum incendiarium, et eius complices, Petrus tantum est vitandus, non vero alii, licet publice noti sint; nam sententia quoad illos est tantum generalis, et non specialis contra certam personam. *Publice denuntiatus,* i. e. fieri debet denuntiatio in loco publico, iuxta usum regionis. Hic autem notandum est, quod licet sufficiat, ut excommunicatus *a iure* denuntietur tantum tamquam *talis,* ut iam sit vitandus; non sufficit tamen, si *reus* sententia declaretur tantum, quod nempe *commiserit crimen,* cui annexa est excommunicatio; sed ipsamet *excommunicatio* debet a iudice denuntiari. — Secundus est *notorius clerici percussor. Notorius,* i. e., secundum S. Alph. non solum *notorietate iuris,* sed

notorietate etiam *facti*, communiter seu ordinarie saltem loquendo. *Notorietate iuris*, quod nempe notum sit vel per sententiam iudicis, vel per confessionem rei in iudicio, vel per sufficientem depositionem iudicialem. *Notorietate facti*, quod nempe pluribus reapse notum sit, ita ut factum iam non possit aliqua tergiversatione celari. Secus enim semper poterit factum *aliquo suffragio excusari.* Hinc probabiliter, percussor clerici, notorius in uno loco, vitandus non est in alio, ubi non est notorius. Et idem dicatur de priori casu, i. e. de nominatim excommunicato, publice iam in aliquo loco denuntiato, qui sit in alio loco omnino ignotus. Ac « nisi saltem (publice) constet facto (ipso) quod percussor advertenter voluerit (cognoverit et contempserit) censuram incurrere, probabiliter nunquam est vitandus » ante ipsam sententiam iudicis specialiter eum denuntiantis. L. 144. Constat ex C. Conc. Constant. *Ad evitanda.* — L. 134. 146., Diana T. 5., Tr. 1. de Excommunic. Res. 50. n. 4. 5., Lugo Resp. Mor. l. 2. D. 5., Laymann c. 4., Ferraris Bibl. v. *Excomm.* art. 9. n. 5. 7.

1109. *Quid de excommunicatione minori?* — *Excommunicatio minor* privat *per se* tantum usu passivo seu receptione sacramentorum, et *consequenter* electione passiva ad beneficia et dignitates Ecclesiae. C. *Si quem 59. de Sent. exc.*, C. *A nobis* 2. *de Except.*, C. *Si celebrat 10. de Cler. exc. min.* — Ea ob unicam tantum causam incurrebatur, si quis nimirum cum excommunicato *vitando* communicaret, et a quolibet confessario absolvi poterat. C. *Nuper 29. de Sent. exc.* Cf. S. Th. S. q. 23. a. 1. 2., L. 147.-156., Suarez D. 24., Laymann c. 3. n. 4.-6., Schmalz. n. 198.-211. — Excommunicatio minor hodie per C. *Apostolicae Sedis* sublata est. Ita S. O. 5. Dec. 1883., adprobante ac plene confirmante Leone XIII. Hoc tamen non impedit, « quominus episcopus (etiam in praesenti) in poenam alicuius criminis possit nominatim alicui interdicere usum passivum sacramentorum, vel saltem communionis ». L. 148. — Verum ob communicationem cum excommunicato, in quibusdam peculiaribus casibus incurritur nunc excommunicatio maior, suspensio, interdictum. C. *Apostolicae Sedis* art. 16. et 17. Excommunicationum R. P. simpliciter reservatarum, art. 1. Excommunicationum nemini reservatarum, art. 6. Suspensionum, et art. 2. Interdictorum. — Synod. Dioeces. Albanen. an. 1886. Append. N. 10. § XI. n. 3., Pichler n. 34. 35., E. M.

1110. *Quid de excommunicatione maiori?* — Excommunicatio maior sequentes habet effectus: *Privat susceptione et usu passivo sacramentorum.* C. *A nobis 28. de Sent. exc.*, C. *Cum illorum* 32. ib., C. *Sacris*, 38. ib., C. *Si quem* 59. ib., C. fin. *de Cler. excomm. ministr.* Hinc « *nullus excommunicatus*, sive toleretur sive non, potest ea *licite* (*valide* vero recipit, excepta poenitentia, nisi in bona fide accedat) recipere sub mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiae, iacturae bonorum, etc., quia censura non obligat cum tanto rigore ». L. 158. — Schmalz. n. 140.-153., Pichler n. 29., Coninck Dub. 5.

1111. *Privat, saltem non toleratos, communibus Ecclesiae suffragiis et orationibus*, quae nempe nomine Ecclesiae fiunt ab eius ministris; itemque *fructu privat indulgentiarum.* — *Communibus suffragiis et orationibus;* quare non privat *suffragiis et orationibus privatis*, quae nempe nomine proprio fiunt. « Unde non tantum quivis privatus, sed etiam sa-

cerdos potest tamquam persona privata pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus et sacro: immo actionem sacrificandi prout pendet a merito privato operantis offerre, vel eius in *Memento* in particulari meminisse. Hoc est certum cum S. Thoma ». L. 162. — *Saltem non toleratos,* quia, ut docet idem S. D., probabiliter pro excommunicato tolerato offerri possunt sacrificia etc., etiam nomine Ecclesiae. « Ratio, quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendae sunt; dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre; nam communicare id etiam importat, etc. ». L. 164. — CC. cc., Schmalz. n. 126. 134.-139., Pichler n. 29. 33., Coninck Dub. 6., Engel n. 38., Laymann c. 1. n. 4., S. Th. 3. p. q. 82. a. 7. ad 3., S. q. 21. a. 1. ad 2., a. 3. Cf. 610.

1112. *Privat usu activo seu administratione sacramentorum.* C. *Latores 4. de Cler. excomm. ministr.*, C. *fin.* ib. *Administratio* haec *non tolerato* illicita omnino est, praeter quam in casu extremae necessitatis aut gravis incommodi; *valide* tamen sacramenta confert, praeter poenitentiam, quae iurisdictionem requirit, et qua caret, nisi communis adsit error facti, vel de mortis articulo agatur. Excommunicato vero *tolerato* quandoque est licita, si nempe non ipse se ingerat, sed fideles exigant et petant; et sic potest celebrare, si sit pastor, cuius subditi teneantur audire sacrum, nec sit alius qui celebret: in gratiam enim fidelium tolerantur, non in ipsorum favorem. Hinc valide etiam poenitentiam ministrat, cum non privetur iurisdictione: hoc enim expedit ad fidelium utilitatem. — L. 165.-170., S. Th. 3. p. q. 64. a. 9., Schmalz. n. 144.-146., Laymann c. 2. n. 5., Ithur. Cas. 42.

1113. *Privat usu divinorum officiorum,* ita ut excommunicatus sive *vitandus* sive *toleratus* non tantum careat eorum *fructu*, sed etiam sub mortali ea nequeat *celebrare*, iisque *interesse*, parte notabili, ita ut moraliter censeatur *cum aliis communicare*, nisi excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandali. Licet eadem sit lex pro vitandis et toleratis; ad hos tamen quod spectat, cum hodie vix adsit confessarius, qui excommunicatum arceat a divinis officiis, et nullus sit excommunicatus, qui existimet a divinis officiis sibi esse abstinendum, rigor iuris hac in re temperatus quibusdam videtur. Similiter peccant alii, qui cum excommunicato vitando participant, cum illo divinis assistendo, v. g., *eidem* missae: ac licet peccatum hoc ex genere suo sit mortale, ex parvitate tamen materiae veniale est, ut si exigua pars missae, v. g., usque ad evangelium tantum, cum illo audiatur.

1114. Porro *per divina officia* intelliguntur sacrificium missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarum, et cetera annexa ordini clericali ex institutione Christi, vel Ecclesiae, quae publice et solemniter fiunt, cum propriis ornamentis, excepta concione. L. n. 177. Hinc excommunicatus, sive toleratus sive vitandus, potest etiam tempore, quo non celebrantur divina, ecclesiam ingredi ad orandum privatim, et seorsim ab aliis in distincto sacello, et in eodem etiam sacello, ubi alii orant, privatim orare, quia privatim orando minime cum aliis communicat. Immo, quamvis ex *C. Excommunicatos* 17. q. 3. c. 11. interdicatur excommunicato communicare cum aliis etiam in ora-

tione privata; secluso tamen scandalo et contemptu, non videtur materia gravis uti socio ad recitandum officium privatim, sicut ad dicendum Rosarium. Obligatus ad horas canonicas ab illis recitandis liber non est. Eas vero recitando non debet dicere *Dominus vobiscum*, sed *Domine, exaudi orationem meam*, quia illa formula importat quamdam ad populum salutationem, unde secus peccaret venialiter. L. 173.-178., Schmalz. n. 131.-133. 178., Pichler l. c.

1115. Iam vero, *si excommunicatus assistat divinis officiis*, et sit *vitandus*, neque monitus velit ab Ecclesia recedere, tenentur clerici eum expellere, si possunt, aut si non possunt, aut gravius incommodum timetur, ab officio cessare, alias graviter peccant. Si missae sacrificium celebretur, celebrans, nondum inchoato canone, debet abrumpere missam; si inchoavit, potest, ceteris abeuntibus, sacrum prosequi vel abrumpere, ob sententiae utriusque probabilitatem; si consecravit, debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusive; et reliqua perficere in sacristia, vel alio decenti loco. Expelli autem debet excommunicatus opera laicorum, si adsint, si vero desint, etiam clerici eum expellere debent. Ad assistentes vero quod attinet, alii probabilius dicunt eos etiam graviter peccare, nisi excuset aliqua necessitas, aut parvitas materiae; alii non improbabiliter aiunt hanc communicationem adstantium culpam venialem non excedere, quia talis communicatio videtur nimis remota et accidentalis, nisi ipsi causa etiam sint ut excommunicatus intersit. Communis autem doctrina est, quod si adstantes audiant aliam missam diversam ab illa, quam audit excommunicatus, tunc nec ipsi, nec celebrans tenentur recedere, quia tunc nulla est formalis communicatio. C. *Veniens* 16., C. *Significavit* 18., C. *Nuper* 29., C. *Responso* 43. *de Sent. exc.*, Clem. *Gravis* 2. e. t., Laymann c. 2. n. 6., Engel n. 57.-59., Pichler n. 33.

1116. *Privat collatione beneficii, aut dignitatis ecclesiasticae iurisdictionem habentis; eaque facta excommunicato*, uti praesentatio, electio, institutio, confirmatio, *nulla est*, idque licet ignoretur excommunicatio; nam ignorantia licet possit excusare a culpa, non supplet tamen defectum conditionis requisitae ad valorem actus. Beneficium enim datur propter officium. Excommunicatus autem, sive vitandus, sive toleratus, inhabilis est officio exercendo; non potest enim in officio communicare. C. *Postulastis* 7., C. *ult. de Cler. exc.* Hinc nequit facere fructus suos. Beneficio autem alio iam obtento non privatur, neque tenetur ante sententiam iudicis fructus restituere, si per se, vel per alium, onera eiusdem implevit. Poenae enim requirentes actionem ex parte delinquentis indigent semper sententia iudicis, saltem declaratoria. L. 179.-183., l. 1. n. 148. 149., Schmalz. n. 147.-162., Engel n. 60. 61. — *Privat etiam Apostolicis Rescriptis.* Excommunicatus est *inhabilis* ipso iure ad obtinenda haec *rescripta* tam gratiae, quam iustitiae, quae consequenter *nulla erunt.* C. *Dilectus* 26. *de Rescriptis*, C. *Ipso iure* 1. e. t. in 6.° Excipe nisi fuerint concessa *scienter*, *motu proprio*, vel praemissa, uti assolet, absolutione a censuris; quod etiam intelligendum erit *de collatione beneficii*, si in concessione clausula adsit absolutionis a censuris. Pichler n. 29., Coninck Dub. 9. 10., L. 180. 182., Laymann c. 2. n. 7.-12.

1117. *Privat communicatione forensi,* seu omni actu ad iudicium pertinente in foro tum ecclesiastico, tum etiam civili. C. *Decernimus* 8.

de Sent. exc. in 6.° Hinc excommunicatus nequit esse iudex, advocatus, procurator, actor, tabellio, testis, tutor, curator aut exsecutor testamenti, etc. Verum distinguendum est inter excommunicatum *toleratum* et *vitandum*. Excommunicatus toleratus nulla forensi communicatione ipso facto privatur, unde *valide* agit, si ea utatur; et *licite* etiam si requiratur. Sed iuridice repelli potest per exceptionem, tum ab adversariis, tum a iudice. Excommunicatus vero *vitandus* illicite agit; potest tamen excipere, appellare et seipsum defendere. Praeterea sententia iudicis vitandi non solum est *illicita*, sed *invalida*, cum careat iurisdictione. C. *Ad probandum* 24. *de Sent. et re iud.*, C. *Cum inter* 5. *de Except.*, C. *Pia consideratione* 1. ib. Insuper nec potest licite inire contractus, nec testari, etsi faciat valide, etiam cum excommunicatum instituit haeredem.

1118. *Privat ecclesiastica iurisdictione.* C. *Ad probandum* 24. *de Sent. et re iud.*, C. *Romana* 1. *de Suppl. negl. praelat.* in 6.°, C. *Romana* 1. *de Offic. vicar.* in 6.°, C. *Si is cui* 10. *de Off. deleg.* in 6.° Ratio autem est, quia iurisdictionis exercitium est praecipua cum fidelibus communicatio. Hinc excommunicatus *vitandus* et *illicite* et *invalide* absolveret, eligeret ad beneficia, etc. Excommunicatus vero *toleratus*, etiam *notorius, valide* iurisdictionem exercet, sed *illicite* agit, nisi vel ex gravi causa, vel rogatus iurisdictionis actus exerceat; quibus in casibus a mortali peccato excusatur etiam sacramenta ministrans. L. 185., Ithur. Cas. 42., Laymann c. 2. n. 13., Schmalz. n. 163.-166., Pichler l. c., Coninck Dub. 10., Lugo de Iust. et Iur. D. 37. n 6. seqq.

1119. *Privat ecclesiastica sepultura,* quae nempe fit in loco sacro, ad sepulturam fidelium destinato. Hinc excommunicatus *vitandus* et *toleratus* nequeunt in loco sacro sepeliri, et si in loco sacro sepulti fuerint, inde sunt extrahendi. Hoc autem intercedit discrimen inter *vitandum* et *toleratum,* quod 1.° si uterque dederit moriens signa poenitentiae, *toleratus* potest sepeliri in loco sacro, quamvis *deceat* eum prius ab excommunicatione absolvere; *vitandus* vero sepeliri in loco sacro non potest, nisi prius absolvatur. 2.° Si excommunicatus *vitandus* sepultus sit in loco sacro, locus iste tali contactu censetur pollutus, et est expiandus; si vero excommunicatus *toleratus* in loco sacro fuerit sepultus, locus sacer non censetur pollutus, nec proinde expiatione indiget. — C. *Sacris* 12. *de Sepult.*, Pichler n. 29., Coninck Dub. 8., L. 186. 187.

1120. *Privat societate civili,* quae quinque involvit, *os, orare, vale, communio, mensa.* Privatio civilis huius consortii intelligenda est tantum pro *vitandis;* nam *tolerati* ex hodierna consuetudine amplius non peccant *in civilibus* communicando cum fidelibus, etsi ab ipsis non requisiti. S. Poenit. 5. Iul. 1867. *In civilibus,* nam *in divinis,* non nisi requisiti, communicare possunt. Pichler l. c.

1121. *Insuper dantur causae graves, in quibus licet aliquando etiam cum non tolerato communicare.* C. *Si vere* 34. *de Sent. exc.* Hae causae sunt: 1.° *Utile,* i. e. utilitas sive spiritualis sive temporalis, tum ipsius excommunicati, tum alterius. 2.° *Lex,* i. e. coniunctio matrimonialis, nisi coniuges sint per divortium separati; aut excommunicatio lata sit propter dubium valoris matrimonii; aut etiam alter coniugum sit ob haeresim excommunicatus. An autem quis possit communicare etiam *in divinis*

cum coniuge excommunicato, duplex est sententia. Prima affirmat; secunda verior negat. 3.° *Humile,* i. e. status subiectionis. Hinc filii, etiam emancipati et adoptivi, nepotes, pronepotes, et in eodem genere affines, communicare possunt cum parente. Itemque communicare possunt servi et ancillae cum domino, si ante excommunicationem fuerint in servitio; religiosi cum praelato; milites cum duce excommunicato. Et e contra parentes, mariti, domini communicare possunt cum filiis, uxoribus et famulis excommunicatis. Haec autem communicatio non extenditur etiam *in divinis,* nisi ea communicatio necessaria sit ad praestandum obsequium debitum. Hinc famuli licite comitantur dominum ad missam, ac licite iussi ministrant excommunicato celebranti, aut cum eo officium recitant, si ad id vi famulatus teneantur. 4.° *Res ignorata,* i. e. ignorantia sive iuris sive facti, tum invincibilis, tum etiam satis probabiliter vincibilis et crassa. 5.° *Necesse,* i. e. necessitas gravis sive animae, sive corporis, sive bonorum temporalium; sive communicantis, sive excommunicati, sive aliorum. Nam Ecclesiae leges de se non obligant cum gravi incommodo. — C. *Responsio* 43. *de Sent. exc.,* C. *Inter alia* 31. ib., C. *Si vere* 35. ib., C. *Cum voluntate* 54. ib., C. *Quoniam multos* 103. c. 11. q. 3., Schmalz. n. 183.-194., Pichler n. 32., S. Th. S. q. 23. a. 1., Engel n. 47.-52., L. 200.-206.

1122. Iam vero *Os* sunt colloquia, litterae, et generatim signa benevolentiae, uti sunt dona mittere vel acceptare, etc. An autem signa urbanitatis excommunicato exhibere liceat, prima sententia negat, et ea probabilis est; secunda sententia etiam probabilis affirmat, modo ea signa, ut est assurgere, aperire caput, cedere locum, fiant ut vitetur nota inurbanitatis, vel indignatio excommunicati, neque exhibeantur tamquam signa amicitiae aut communicationis. — *Orare* est quaelibet communicatio in divinis, v. g., assistere missae, vel officiis publicis ecclesiae, de qua supra. — *Vale* comprehendit salutationes omnes verbo aut alio signo exhibitas honoris causa, nisi haec fiant ad vitandum damnum et indignationem ipsius excommunicati. Hinc probabiliter licet excommunicatum resalutare; resalutatio enim, non honoris exhibitio, sed potius debiti solutio et mere actus urbanitatis est. Probabilius vero videtur non licere, excommunicato rescribere, secundum S. Alphonsum, qui non valet acquiescere sententiae oppositae; « quia rescriptio videtur vera communicatio ». — *Communio* comprehendit omnem contractum, qui tamen validus est, si fiat, omnemque societatem, adeoque cohabitationem et cooperationem. — *Mensa* comprehendit convivia per modum tamen societatis et commercii, quale non habetur certe, si casu incidas in idem iter, hospitium, mensam, immo lectum. — L. 188.-195., S. Th. S. q. 21. a. 1., Laymann c. 2. 16. 17., Schmalz. n. 177., Pichler l. c. n. 31., Coninck Dub. 12.

1123. *An grave sit excommunicationem violare?* — *Communicatio in divinis* censetur mortale, nisi excuset parvitas materiae, vel damnum grave, vel consuetudo, vel privatim tantum communicent. Cf. 1114. 1120. Quamvis vero peccent, nullam tamen poenam incurrunt, excommunicatus communicans cum aliis, et alii communicantes cum ipso, nisi in casibus iam indicatis, Cf. 1109. — *Communicatio in civilibus*, secluso contemptu, sed sine iusta causa, est tantum veniale. Id autem intelligitur, per se loquendo, et praecisione facta a contraria consuetudine, quae toleratos ab omni excusat peccato. An autem frequenter et continuate in civilibus

communicare sit iterum, per se loquendo, mortale; duplex adest sententia probabilis, altera affirmans, altera negans. — Tandem communicatio *in crimine criminoso*, i. e. in eodem crimine seu contumacia, ob quam lata est excommunicatio, mortale peccatum est. Esset, v. g., si, post excommunicationem latam ob furtum, quis adhuc communicaret cum excommunicato, ut eidem consilium aut opem suppeditaret, ne ille restitueret. Incurritur autem poena excomm. ob hanc communicationem in casu indicato in C. *Apostol. Sedis,* Excomm. R. P. simpliciter reserv. art. 17. — C. *Significavit* 18. *de Sent. exc.*, S. Th. S. q. 23. a. 2. 3., Quodl. 11. a. 9., L. 196.-199. 207., Laymann c. 3. n. 1.-3., Schmalz. n. 178.-182. 195.-197., Pichler n. 31., Coninck Dub. 14.

III. — DE SUSPENSIONE

1124. *Quid sit suspensio?* — Suspensio est censura, qua clericus privatur *usu potestatis ecclesiasticae,* quam habet ratione ordinis, officii, beneficii. Quare per eam non privatur clericus *passiva sacramentorum receptione,* neque communibus suffragiis, etc. — Suspensio cum poena gravissima sit, infligi licite non potest sine monitione, sine scriptura, aliisque iuris formalitatibus. Quare, si praelatus, vel non praemissa monitione, vel causa non expressa, vel oretenus dicat: Ego te suspendo, nisi lata fuerit per modum praecepti, aliquid nempe praecipiendo, puta famulam dimittere intra certum tempus, sub poena suspensionis ipso facto incurrenda, erit potius vel mera poena, vel simplex celebrandi prohibitio, et non censura; non enim praesumitur praelatum voluisse delinquere, censuram absque praevia monitione, vel non declarata causa, vel oretenus ferendo. Cf. 1103. Unde eam infringens inobedientiae gravis reus esset, non ideo tamen evaderet irregularis. L. 317. 318. — In communitatem autem, qua talem, lata tenet quidem omnes quoad officia, vel beneficia communia; minime vero quoad beneficia vel munia particularia, neque *ut censura*, sed ut privatio, ac ut poena quaedam canonica, et ut inhabilitas particularis personarum ad illa. L. 317., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 18., Schmalz. n. 45. — Censura item proprie talis non est, si episcopus *ad cautelam* clericum arceat ab exercitio sacri ministerii, non quia criminis reus sit, aut de crimine iam convictus, vel confessus; sed quia non decet sancta tractari ab illo, quem publica fama male refert. Card. De Luca Opp. Tom. 14. Adnotat. ad S. Conc. Trid. Disc. 43. n. 3. 4., Bonacina T. 3. de Cens. in part. D. 3. Q. 5. P. 1., Pichler n. 39. 41. 42.

1125. *Quid suspensio ex informata conscientia?* — Suspensio ferri potest ab Ordinario *ex informata conscientia*, nempe ex causis sibi notis, adeoque *extraiudicialiter*, nulla praemissa monitione, et omni appellatione remota; recursus tamen ad Apost. Sed. semper liber erit. Constans nunc praxis est, ut non nisi temporanea haec suspensio permittatur, minime vero perpetua. S. C. C. 8. Apr. 1848. Utrum vero huiusmodi suspensio ferri possit non solum *ob occultum crimen*, verum etiam ob delictum publicum, controvertitur. Sententia affirmans innititur potissimum in C. Trid. S. 14. C. 1. de R., unde constat posse episcopum « clerico ascensum ad sacros ordines ex quacumque causa, *etiam* ob occultum crimen, quo-

modolibet, etiam *extraiudicialiter*, interdicere, aut a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis suspendere ». Sententia negans vero constat ex Instr. S. C. de P. F. 20. Oct. 1884. n. 7., S. C. C. 26. Apr. 1853. Haec suspensio sustinetur, etsi oretenus data, attamen praestat ut scripto fiat. S. C. C. 8. Apr. 1843., 14. Sept. 1782. Ferri potest etiam a vicario capitulari, et in ea infligenda exprimendum est id fieri iuxta traditam a Trid. facultatem. Huiusmodi suspensio, cum sit ob delictum occultum vel utcumque praeteritum, vel, si ob delictum quod in futurum pendet, desit monitio et contumacia, rationem *censurae* non habet. Quare iuxta quosdam hanc violans suspensionem non incurrit irregularitatem. Iuxta alios vero, eosque plures, eam incurrit. Hanc amplectitur sententiam S. C. C. 8. Apr. 1848., S. C. de P. F. Instr. cit. 20. Oct. 1884. n. 11. — Si item suspensio feratur in tempus definitum, utrum eam violans irregularitatem incurrat, alii negant, alii affirmant. Verius affirmandum ex C. *Cum aeterni* 1. *de Sent. et re iud.* in 6.°, si tamen ob delictum non mere praeteritum, sed aliquo saltem modo futurum lata sit, si nempe suspensio fuerit lata per modum praecepti aut statuti, aut legis, ob crimen futurum, vel etiam praeteritum habens tractum successivum. Tunc enim iam est ad praecavenda delicta, et non tantum ad praeterita punienda. Quare rationem quoque censurae vere tunc habet. L. 314., Salm. T. 10. C. 5. n. 13., Bened. XIV. de Syn. l. 12. C. 8. n. 3.-5., Bouix de Iudic. V. 2. Parisiis 1885. pag. 310. seqq., A. S. S. V. 7., V. 14. p. 299. seqq., E. M.

1126. *Quomodo cesset suspensio?* — Suspensio imposita per modum *censurae* cessat per absolutionem. Suspensio vero imposita per modum merae *poenae* spiritualis cessat per dispensationem vel remissionem superioris, vel etiam per seipsam sine alia superioris declaratione, nempe elapso tempore constituto, vel impleta conditione imposita. Huiusmodi suspensio per modum poenae est suspensio in perpetuum, vel ad certum tempus, v. g., ad triennium, vel donec reus satisfecerit, vel restituerit, vel ad beneplacitum Sedis, vel superioris, in quo postremo casu suspensio etiam cessat, mortuo vel deposito superiore, etc. — « Etsi suspensiones, quae ut purae poenae feruntur, potius *per dispensationem* tolli debeant; doctores tamen aliqui, nullo observato discrimine, omnem suspensionem propter delictum seu in perpetuum, seu ad certum tempus impositam *absolutione* auferri aiunt; quod verbum *(absolutionis)* et in formula relaxationis usurpari solet... Eademque ratione privilegium a Sede Apostolica confessariis Societ. Iesu concessum, quod, fidelium confessionibus auditis, eos in foro conscientiae absolvere possint a quibuscumque sententiis, censuris ac poenis ecclesiasticis ex peccatis resultantibus, ad suspensiones iuris indistincte se extendit, sicut significat Avila ». Laymann c. 4. n. 4. — L. 322.

1127. *Quotuplex sit suspensio?* — Suspensio alia est *totalis*, qua clericus arcetur ab omni ecclesiastica functione, et simul fructibus et administratione beneficii privatur; alia *partialis*, qua alterutro tantum, in totum, vel etiam in partem privatur. Haec, si sit ad breve tempus, et lata ab homine, pro sola culpa veniali infligi potest. L. 78. 321. — *Suspensus ab ordine* simpliciter privatur exercitio solemni, seu ex officio, illo scilicet modo, quo a laicis exerceri nequit, cuiuscumque ordinis, sive maioris, sive minoris. Attamen minorum hodie ordinum functionibus etiam

laici defungi solent. Hinc suspensio usque ad minores ordines sese extendere non videtur. Neque vero *suspensus ab ordine* privatur voce in capitulo, nec prohibetur horas in choro recitare. Is item minime privatur iurisdictione et beneficio. Hinc et *valide* absolvere potest. Alii tamen negant, quia et actus ordinis est. Suspensus *ab ordine superiore* non ideo est suspensus etiam *ab inferiore ordine*. Suspensus *ab inferiore ordine* non est etiam suspensus a superiore, nisi superioris ordinis exercitium contineatur in exercitio ordinis inferioris. L. 314. — *Suspensus a iurisdictione* simpliciter, omni iurisdictione privatur, tum interna, tum externa; minime vero exercitio ordinis. Suspensio *ab ordine* suspensum tenet ubique. Suspensio a iurisdictione verius extra territorium eam ferentis nullam habet vim. — *Suspensus ab officio* simpliciter, intelligitur a quovis officio, sive ab ordine, sive a iurisdictione proveniat. Officium enim hic est omnis spiritualis potestas. Hinc privatur usu tum iurisdictionis, tum ordinis, seu cuiuscumque ministerii ecclesiastici; minime vero suspensione etiam a beneficio tenetur. Quare adhuc poterit illius fructus percipere, si tamen, saltem per alios, impleat beneficii officia et onera. Suspensio haec *a divinis* etiam dicitur. C. *Medicinalis* 1. C. *de Sent. exc.* in 6.°, C. *Inter solicitudines* 10. *de Purg. Can.*, C. *Cum aeterni* 1. *de Sent. et re iud.* in 6.° Hinc parochus *ab officio* suspensus nec missam celebrare, nec praedicare, nec officiis praeesse, nec sacramenta ministrare potest. Canonicus *a divinis* suspensus ex S. C. EE. et RR. 29. Febr. 1869. nequit percipere chorales distributiones nec reliqua emolumenta. — *Suspensus a beneficio* simpliciter privatur *fructibus* et *administratione* beneficii; minime vero etiam ordinis vel officii functionibus. Tenetur autem adhuc ad onera et officia beneficii praestanda, et tunc potest partem fructuum retinere quam substituto dare deberet, quia stipendium esset laboris. — Suspensus tandem *ab officio et beneficio* simul, vel *simpliciter suspensus*, nisi ex adiunctis limitatio aliqua colligatur, totaliter suspensus censetur. — Laymann P. 3. c. 1., L. 315. 316., Schmalz. n. 266.-269. 290.-305., Engel n. 74.-79.

1128. *Quomodo peccet suspensionem violans?* — *Peccat graviter* qui suspensus exercet actum sibi vetitum per suspensionem; nam violat praeceptum Ecclesiae in re gravi. Immo suspensus *ab ordine sacro* incurrit etiam *irregularitatem* (quae ob solam violationem suspensionis ab ordine, et non etiam a iurisdictione et beneficio, incurritur), si eiusdem ordinis officium scienter et solemniter exerceat, extra tamen casum necessitatis, seu gravis incommodi. C. *Is cui* 20. *de Sent. exc.* in 6.°, C. *Cum aeterni de Sent. et re iud.* in 6.° Cf. etiam Lugo Resp. Mor. l. 2. D. 10., ubi quaestionem tractat, « utrum suspensus occultus celebrare possit sine periculo irregularitatis ad alendum se et matrem egentem ». Excusare etiam potest hac in re, tum a peccato gravi, tum ab irregularitate, levitas materiae, v. g., si exerceret actum levem iurisdictionis, aut benediceret mensam, exerceret ordinem sacrum non solemniter, vel non sacrum, quod tamen hodie, uti iam dictum est, cum etiam a laicis exerceatur, suspensione comprehendi amplius non videtur. Insuper, si *suspensus toleratus* se non ingerit in functiones, quibus per suspensionem prohibetur, sed ab aliis requiritur, nullo pacto peccat, neque irregularitatem incurrit. Aliter se res habet cum *suspenso non tolerato, denuntiato;* nam iste

extra urgentissimam causam, etsi a fidelibus postuletur, ea officia a quibus suspensus est exercere nequit. Verum alii non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censentur cooperari actui, a quo suspensus est: unde audire eius missam non erit peccatum, si non inservias, secluso tamen scandalo.

1129. *An actus suspensi sint validi?* — *Actus a suspenso praestitus est nullus et irritus.* « Poena haec locum dumtaxat habet in iis, quae ab Ecclesia pendent, uti est *iurisdictio et beneficium;* in his ergo suspensus, si beneficium administret, et iurisdictionem exerceat, invalidum actum facit, *modo denuntiatus sit tamquam suspensus;* quia facta denuntiatione, privatur potestate omnimoda actus illos exercendi. *Ante denuntiationem* solum impeditur ab illorum exercitio, dum a fidelibus non requiritur; quando autem a fidelibus requiritur, *valide et licite* illos actus exercet, ideoque necessarium est, ut iurisdictionem retineat ». Schmalz. n. 309. 306.-308., L. 313. Insuper « suspensus a beneficio, si eidem se ingerat et fructus percipiat, non efficitur quidem irregularis, ex communi tamen sententia beneficium perdit ipso iure, C. *Cupientes* 16. § *Ceterum de Elect.* in 6.° », Engel n. 77. « Quare, cum beneficiatus ita suspensus per seipsum administrare beneficium nequeat, solet eidem dari oeconomus, qui redditus colligat, et eosdem iussu episcopi piis causis applicet, reservatis suspenso alimentis necessariis ». Schmalz. n. 308., Pichler n. 43.

1130. *Quid suspensio a Pontificalibus?* — « Si episcopus suspensus a Pontificalibus missam celebrat solemniter in apparatu pontificali, certum est quod peccat... An autem incurrat etiam irregularitatem, affirmant Angel., etc. Negant vero probabilius Laym., etc. Ratio, quia episcopus sacrificando, non exercet actum substantialem ordinis episcopalis, sed actum ordinis sacerdotalis, a quo non est suspensus, et quod celebratio fiat cum pontificalibus, per accidens se habet; irregularitas autem non incurritur, nisi in exercitio actus ordinis prohibiti ». L. 314.

1131. *Quid intelligatur nomine Pontificalium?* — *Pontificalium nomine intelligitur* usus auctoritativus insignium Pontificalium, videlicet mitrae, baculi pastoralis et pallii. Quare suspensus a Pontificalibus repellitur consequenter ab actibus ordinis episcopalis, qui sine praedictis insignibus fieri non debent, quales sunt confirmationis sacramentum aut ordines conferre, virgines, Ecclesias, altaria consecrare. Potest tamen missam celebrare more aliorum sacerdotum, confessiones audire, baptizare, immo et censuras ferre, conferre beneficia, aliosque actus iurisdictionis exercere, quippe ad Pontificalia minime spectant. — Laymann c. 1. n. 6., Giraldi Expos. Iur. Pontif. P. 2. S. 21. Nota 2. pag. 826.

1132. *Quid depositio et degradatio?* — Suspensioni subiici solent *depositio* et *degradatio*, ob similitudinem, quam cum ea habent, cum utraque remotio sit ab ecclesiastico ordine, iurisdictione et beneficio. Ab ea tamen longe differunt, cum huiusmodi poenae ulterius adhuc progrediantur, neque tantum *usu* potestatis ecclesiasticae; sed ipso *iure radicali*, in quantum fieri potest, privent, idque in perpetuum; unde censurae non sunt; sed poenae vindicativae. Censura item non est, sed mera poena, *privatio beneficii.* Suspensione ablata, ipso iure suspensus in suo officio et beneficio restituitur: depositus vero novo indiget titulo, ut in

eo de novo reponatur. Si depositio clericum deiicit ab omni officio et beneficio et clericali dignitate, *degradatio* habetur; eaque *verbalis* est, si mera iudicis sententia a clericalibus privilegiis deiicitur, *realis* si solemnis ritus accedat, quo cle ico ordinum insignia detrahuntur, eisque detractis, curiae traditur saeculari. Huiusmodi poenae, cum gravissimae sint, ante iudicis sententiam non incurruntur. — L. 323. 327., Bouix de Parocho, Parisiis 1855. pag. 365. seqq., Laymann P. 1. c. 1. n. 3., P. 3. c. 5., Conink Disp. 16., Schmalz. n. 7., Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 6. n. 3. seqq., C. *Quam grave* 2. Aug. 1757.

IV. — DE INTERDICTO

1133. *Quid sit interdictum?* — Interdictum est: censura, qua prohibetur usus omnium divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum et sepultura ecclesiastica, *praecise quatenus usus est.* Quare interdictum iurisdictionem non adimit. *Praecise quatenus usus est;* quia excommunicatio eodem usu privat, quatenus est *communicatio* cum fidelibus; suspensio vero proprie non illum usum, sed *exercitium potestatis ecclesiasticae* impedit. Et sic generali interdicto afficiuntur tum clerici tum laici, eoque clericis prohibetur quidem sacris operari, quia haec prohibentur tempore interdicti, vel in loco interdicto, sed non tamquam *exercitium ministerii sacri.* — C. *Responso* 43. *de Sent. exc.*, C. *Permittimus* 57. ib., C. *Alma mater* 24. ib. in 6.°, C. *Si sententia* 16. ib., C. *Non est* 11. *de Spons.*, C. *Cum et plantare* 3. § 3. *Quod si de Priv.*, C. *Episcoporum* 8. ib. in 6.°, C. *Quod in te* 11. *de Poen. et rem.*, L. 328., Schmalz. n. 340.-349. 398.-401., Engel n. 91., Pichler n. 45.

1134. *Quid requiratur ad interdicti observantiam?* — *Ut interdictum alios obliget duo requiruntur.* Primum est, ut interdictum denuntiatum sit; secus enim post Extrav. *Ad evitanda* nec interdictum locale observare, nec personaliter interdictum vitare tenemur; quamvis ipse personaliter interdictus abstinere a divinis debeat, cum primum censura ista ligatur, quia ipsis sicut excommunicatis per Extrav. cit. nullus est factus favor. Alterum est, ut passim observetur interdictum locale ab iis, in quorum gratiam est constitutum. Si ipsi enim interdictum non observent, censetur Ecclesia illud remittere. C. *Petistis* 20. *de Priv.*, Schmalz. n. 389., Pichler n. 52.

1135. *Quid de divinis officiis?* — *Divina officia,* quae in loco interdicto, vel a personis interdictis nequeunt peragi, et quibus adesse vetatur, ea sunt, quae solemniter a solis clericis exercentur in loco designato, excepta concione, uti sunt publica celebratio missae, publica celebratio horarum canonicarum in choro, publicae et solemnes benedictiones, etc. — Eaque in *interdicto generali locali*, singulis diebus prohibentur, praeter dies Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V., diem et Octavam Corporis Christi; quibus addendum est festum Immaculatae Conceptionis pro tota Hispania: tunc enim permittuntur divina officia celebrari solemniter, admissis etiam personis interdictis, quae quidem tenentur iis festis missam audire, modo qui causam interdicto dederunt, ad altare non accedant, neque ad offertorium neque ad communionem.

Aliis vero diebus licet religiosis ac clericis omnibus, in *interdicto locali generali*, officia celebrare, si ipsi interdicti non sint, et celebrent ianuis clausis, submissa voce, ac sine campanarum sonitu, excommunicatis ac interdictis exclusis, illis nempe, qui tales sunt denuntiati, et ita ut ab iis qui foris sunt nihil exaudiri possit, videri nihil. — Quod si *interdictum* sit *generale personale* populi, nihil impedit, quotidie celebrari in ecclesiis divina, modo serventur conditiones nuper relatae. Ratio est, quia ex vi huius interdicti non sunt interdictae ecclesiae, neque clerici. — Quando tandem *interdictum* fuerit *locale speciale*, licitum tantum erit semel in hebdomada missam celebrare ad renovandam eucharistiam pro infirmis. — Iam vero licet interdictum sit instar excommunicationis, non tamen separat a communione fidelium. Hinc si interdictus missam celebret, ei assistere possumus, et si interdictus aderit divinis officiis, et iussus abire noluerit, non ideo cessandum erit, nisi forte locus ipse sit interdictus, quia ibi Ius non dat facultatem celebrandi, nisi exclusis interdictis. Neque item eiusdem sepultura coemeterium vel ecclesia polluitur. Quin licet pro eo vivo, seu vita functo offerre sacrificia, et publicas preces fundere. — C. *Responsio* 43. *de Sent. exc.*, C. *Permittimus* 57. ib., C. *Alma* 24. ib. in 6.°, C. *Quod in te* 11. *de Poen. et Rem.*, Clem. *Ex frequentibus* 1. *de Sent. exc.*, Martinus V. C. *Ineffabile sacramentum*, Eugenius IV. C. *Excellentissimum*, Schmalz. n. 361.-368., Laymann P. 4. c. 2. n. 2., L. 333., Engel n. 83. 84. 92., Giraldi Expos. Iur. Pont. P. 1. S. 811., Pichler n. 50. 51.

1136. *Quid de Sacramentis?* — Sacramenta, quae in loco interdicto, vel a personis interdictis, non licet ministrare vel recipere sunt: Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo sacer. C. *Quod in te* 11. *de Poen. et rem.*, C. *Non est* 11. *de Spons.*, C. *Responso de Sent. exc.*

1137. *Quare licet* 1.° *Baptismus*, qui potest dari etiam solemniter; sed non a specialiter interdicto, extra casum necessitatis. C. *Non est* 11. *de Spons.*, Schmalz. n. 351.

1138. *Licet* 2.° *Confirmatio*, etiam solemniter; sed iterum minime collata a *specialiter interdicto*, vel in gratiam eius, qui fuerit specialiter interdictus, nisi prius satisfaciat, vel si non possit, cautionem praestet de satisfaciendo, vel, si neutrum possit, iuret se satisfacturum cum poterit. C. *Responso* 43. *de Sent. exc.*, C. *Quoniam* 19. ib. in 6.°, C. *Alma* 24. ib., C. *Clerici* 3. *de Cler. exc. min.*, C. *Latores* 4. ib., Schmalz. n. 352.

1139. *Licet* 3.° *Poenitentia*, non tamen collata a *specialiter interdicto* extra casum necessitatis, nec in gratiam eorum, qui specialiter interdicti sunt, nisi praestent satisfactionem, aut, si non possint, cautionem, vel si neutrum possint, iurent se satisfacturos cum poterunt. C. *Quod in te* 11. *de Poen. et rem.*, C. *Alma* 24. *de Sent. exc.* in 6.° « Si tamen ab interdicto, specialiter etiam denuntiato, administretur, probabilius sacramentum validum erit; quia interdictum non *iurisdictionem*, sed *usum* divinorum tollit ». Schmalz. n. 353.

1140. *Licet* 4.° *Viaticum* in periculo vel articulo mortis, sed non in gratiam specialiter interdicti, nisi prius satisfaciat, vel, si non possit, cautionem praestet, vel, si neque id possit, iuret se satisfacturum. Potest hoc casu et debet SS. Sacramentum ad domum aegroti deportari cum

solita solemnitate, comitantibus clericis, candelis accensis, pulsatis cymbalis. Delato Sacramento, etiam licitum est sacerdoti populo illud ostendere ad adorandum, et cum ipso eidem benedicere; haec enim per interdictum non prohibentur nisi missae sacrificio. Ut autem SS. eucharistia in mortis articulo exsistentibus ministrari possit, concessum est, ut iam diximus, eam semel in quavis hebdomada renovare, celebrato sacrificio missae. C. *Quod in te* 11. *de Poen. et rem.*, C. *Permittimus* 57. *de Sent. exc.*, C. *Alma* ib. in 6.°, Laymann P. 4. c. 2. n. 1., Schmalz. n. 354.

1141. *Licet* 5.° *Extrema Unctio,* « si infirmus nullum aliud sacramentum possit recipere; tunc enim potest illi extrema unctio ministrari ex praesumpta Ecclesiae voluntate; quia non est credendum, Ecclesiam suis fidelibus, et maxime morituris, subsidium sacramentorum denegare velle, maxime cum salus aeterna infirmi, sacramento non recepto, non leviter periclitetur, cuius periculum maxima ex parte temperatur, sacramento extremae unctionis recepto ». Schmalz. n. 355. « Religiosos autem, ait S. Alph. 334., commune est tempore interdicti posse recipere communionem et extremam unctionem ».

1142. *Licet* 6.° *Ordo* generaliter tantum interdictis et in loco non interdicto. Ratio est, quia quaelibet sacramentorum receptio et administratio in loco interdicto, et personis specialiter interdictis est prohibita; secus vero iis, qui generaliter interdicti sunt, in loco non interdicto. Insuper licet ordo, si casus, qui rarus omnino est, contingeret, « in aliqua provincia esse tantam sacerdotum penuriam, ut sacramentum poenitentiae et eucharistiae commode infirmis ministrari non posset... Ratio est, quia C. *Alma* permittuntur aliqua sacramenta administrari et confici tempore interdicti, consequenter ergo permittenda est ordinatio ministrorum, qui ad id fuerint necessarii, alias inutilis esset ista concessio. Conf. a pari: ex eo quod tempore interdicti concessa sit ministratio baptismi et confirmationis, concessa etiam censetur benedictio fontis, et confectio chrismatis, sine quibus ministrari illa sacramenta non possunt. Ergo, cum neque sine ministris ministrari sacramentum poenitentiae et eucharistiae possit, ex horum concessione recte infertur concessa illorum ordinatio ». Schmalz. n. 356.

1143. *Licet* 7.° *Matrimonium.* Cum in Iure habeatur, illud *contrahi posse quocumque tempore*, in interdicto non comprehenditur. Hinc contrahi potest in loco interdicto et a personis generaliter interdictis. « Immo etiam specialiter interdicti, si poenitentes et contriti sint, nullatenus ab eo contrahendo excluduntur; quia non prohibentur ex vi obicis, qui per poenitentiam removetur ». Schmalz. n. 328. Attamen solemnis benedictio tunc sponsis dari nequit. Haec enim sub *officio divino* continetur. Quare sicut hoc, ita illa tempore interdicti prohibetur. C. *Non est* 11. *de Spons.*, Schmalz. n. 357.-360., La-Croix n. 420., L. 334., Laymann c. 2. n. 1., Engel n. 94., Pichler n. 50.

1144. *Quid de sepultura ecclesiastica?* — In *interdicto locali generali*, laici, qui specialiter ex sua culpa interdicti non fuerint nisi in alium locum sacrum non interdictum transferantur, ex C. *Si sententia* 16. *de Sent. exc.* in 6.°, sepeliendi sunt in loco non sacro, etiamsi agatur de infantibus, et amentibus. At, si in loco sacro interdicto sepulti fuerint,

exhumari non debent, quia hoc non habetur in Iure statutum, licet aliud sit de excommunicatis. C. *Sacris* 12. *de Sepult.* Cessante vero interdicto, omnes in loco sacro sunt reponendi. Clerici, si non sint nominatim interdicti, et interdictum servaverint, possunt sepeliri in loco sacro interdicto; sed silentio et sine solemnitate: immo in Ecclesia etiam interdicta speciali interdicto. — Si *interdictum* sit *locale speciale*, nemini dubium est ecclesiasticam sepulturam prohiberi laicis. — In *interdicto* vero *personali*, sive *generali* sive *particulari*, tum clerici tum laici in Ecclesia non interdicta sepeliri possunt, si non fuerint denuntiati. Quibus enim vivis communicamus, etiam mortuis communicare possumus. — Nominatim autem denuntiatus interdictus, si decedat absque absolutione, et nullum poenitentiae signum dederit, aut talis signi ab ipso dati nulla sit probabilis opinio, extra locum sacrum sepeliendus est. At si constet tale signum dedisse, poterit, praestita indirecta absolutione ab interdicto, ecclesiasticae sepulturae tradi. — *C. Quod in te* 11. *de Poen. et rem.*, C. *Episcoporum* 8. *de Priv. in* 6.°, Clem. *Eos qui* 1. *de Sepult.*, Schmalz. n. 369.-378., Laymann c. 2. n. 3., L. 335., Engel n. 95.-97., Salm. T. 10. C. 6. P. 6., Pichler n. 50.

1145. *Quid de interdicto ab ingressu Ecclesiae?* — Interdictum ab ingressu Ecclesiae interdictum quoddam speciale et partiale est, quo quis prohibetur in Ecclesia ordinem sacrum exercere, divinis officiis interesse, et ecclesiastica sepultura. Hinc « solum privat *participatione divinorum in Ecclesia*..., ita ut sic interdictus nec celebrare in ea possit, nec sepeliri, nec dare aut recipere sacramenta, nec ministerium aliquod sacrum exercere, nec missam aut aliud divinum officium audire... Per *Ecclesiam* intelligitur quodlibet templum auctoritate episcopi deputatum ad sacra facienda, sive illud sit benedictum, sive non... Celebratio ergo vel *participatio divinorum* in tali *Ecclesia* interdicitur per hanc censuram, non extra illam... Ergo extra Ecclesiam omnia alia, quae alias licebant tali personae, postea licent, ut est facere sacrum in privato oratorio approbato, recipere sacramentum unctionis in domo sua, et quaelibet alia sacramenta extra Ecclesiam ». Suarez de Cens. D. 35. S. 4. — Itemque « vi huius interdicti prohibetur ecclesiastica sepultura, etiam in coemeterio non contiguo..., non privatur tamen aliquis ingressu coemeterii etiam contigui Ecclesiae, nec celebratione divinorum officiorum in ipso ». Suarez l. c. — Vi huius interdicti non prohibetur etiam ingressus in Ecclesiam ad privatas tantum orationes in ea fundendas; immo etiam probabilius ad sacramenta in ea privatim recipienda. Concionem item in Ecclesia audire prohibitum non est. Ratio, quia nullo iure haec significantur. — C. *Sacro* 48. *de Sent. exc.*, C. *Is cui* 20. ib. in 6.°, Schmalz. n. 379.-388., Salm. n. 89., Engel n. 98.-99., Bonacina de Interd. D. 5. P. 6. n. 11.-12., Coninck Disp. 17. Dub. 2.

1146. *Quotuplex sit interdictum?* — Interdictum aliud est *locale*, quod immediate afficit locum, aliud *personale*, quod immediate afficit personas; aliud *mixtum*, quod immediate afficit locum et personam. Horum vero quodlibet potest esse *generale* vel *particulare*, prout afficit totam quandam regionem aut communitatem, vel locum quemdam determinatum, v. g., datum oratorium, vel personam quamdam in particulari. — Interdictum *personale speciale* vera censura est; at interdictum *locale et per-*

sonale generale censura non est; sed privatio quaedam, adeoque omnes obligat etiam innocentes. Imponi enim potest ob valde grave delictum capitis vel praecipuorum membrorum, licet reliqui culpa vacent. Tolli autem non potest, nisi ab habente iurisdictionem in foro externo. Locus enim et communitas foro poenitentiali non subiiciuntur. Idem dicendum ob eamdem rationem de suspensione in communitatem lata. — Quando interdicitur civitas, interdicuntur etiam suburbia, ecclesia cathedralis, et ecclesiae exemptae regularium; et omnes illud tenentur servare, etiam episcopus, qui tulit, uno excepto Pontifice. Licet autem in hoc casu alio ire, ut divinis officiis assistant. Immo religiosi, quando servatur interdictum ab ecclesia cathedrali vel matrice, seu paroeciali, tenentur illud servare, etiamsi nullum sit ex quocumque capite. — Si vero interdictum est *generale personale,* excipiuntur: 1.° episcopi, qui eximuntur etiam a suspensione generali; 2.° innocentes, si alibi domicilium collocant; 3.° exteri; 4.° infantes et amentes, doli incapaces, qui tamen privantur adhuc sepultura ecclesiastica. — Quotquot autem cuivis interdicto locali vel personali generali causam dederunt, ex Decretalibus interdicti ipso iure manent. Sed post C. *Apost. Sedis* hoc interdictum, quod *personale speciale* est, non amplius viget. — Porro interdicto populo, non intelliguntur interdicti qui non sunt pars populi, ut clerici, studiosi, peregrini. Interdicto clero, non interdicuntur laici, neque religiosi, immo neque alii clerici, qui ibi nullum habent officium, vel beneficium, nam hi cum clero unum corpus non constituunt. — C. *Praesenti* 10. 16. 24. *de Sent. exc.* in 6.°, C. *Si sententia* 19. ib., C. *Si civitas* 17. ib., C. *Alma mater* 24. ib., C. *Auctoritate* 4. *de Priv.* in 6.°, C. *Licet* 11. ib., Clem. *Ex frequentibus* 1. *de Sent. exc.* Schmalz. n. 324.-333., L. 311. 322. 329.-334. 338., Laymann c. 1. 4., Engel n. 83.-88., Suarez D. 33. S. 1. n. 6., Bonacina D. 4. Q. 1. P. 1., D. 2. Q. 8. P. 14., Pichler n. 48., Coninck Dub. 1.

1147. *Quid de violatione interdicti?* — Tum clerici tum laici interdictum violantes, sive personale, sive locale, sive generale, sive speciale, peccant graviter, quando agatur de re gravi. — Si clerici, specialiter interdicti, ordinem sacrum exerceant, vel scienter celebrent in loco supposito interdicto, irregularitatem incurrunt. — Suspensionem et Interdictum praeterea incurrunt clerici, interdictum violantes in casibus designatis in C. *Apostolicae Sedis* par. 6. Susp. et par. 2. Interd. — Iidem clerici interdictum violantes non gaudent privilegio, vi cuius in loco sacro sepeliri possunt tempore interdicti. — Clericus vel religiosus, etiam monialis, violans interdictum locale redditur inhabilis ad electionem tam activam, quam passivam. Extenditur haec poena a plerisque dd. etiam ad violatores interdicti personalis. — C. *Cum medicinalis* 1. *de Sent. exc.* in 6.°, C. *Is qui* 18. § *Is vero* 20. ib., C. *Is cui* 20. ib., Clem. *Gravis* 2. e. t., C. *Quod in te* 11. *de Poen. et rem.,* Trid. S. 25. C. 12. de Reg., Schmalz. n. 390.-397., Laymann c. 3., Coninck Dub. 3. 4., L. 336.

1148. *Quid cessatio a divinis?* — Interdicto subiici solet *cessatio a divinis*, quae non est *censura,* neque proprie poena, sed mera prohibitio et *privatio.* Est enim prohibitio primario clericis facta, ut abstineant a sacrificio missae, sacramentorum administratione, et a divinis officiis in aliquo loco sacro celebrandis. Fertur ob delictum notorium et gravissimum in ipsa Ecclesia perpetratum, si reus noluerit satisfacere, in si-

gnum moeroris Ecclesiae, ad reparandum iniuriam Ecclesiae illatam. — Cum interdicto locali affinis sit, sacramenta ac alia plura, quae in huiusmodi interdicto licent, licita etiam sunt in hac cessatione a divinis; eam tamen violantes nullam incurrunt irregularitatem. Cum autem nullo iure prohibeatur ecclesiastica sepultura tempore cessationis a divinis, asserenda non est. Quare non solum clerici, sed etiam laici in coemeterio et ecclesia sepeliri possunt; sine tamen divinorum officiorum solemnitate. — Imponi potest ab iisdem, qui possunt censuras ferre. Causa, propter quam imponitur, exprimi debet instrumento publico per tabellionem, seu aliis patentibus litteris, sigillo authentico munitis, quae debent tradi ei, contra quem cessatio indicitur. Debet praeterea prius delinquens moneri, an satisfactionem et emendationem praestare velit; quia non indicitur nisi in contumaciam. — Cum res gravissima sit obligat sub gravi, eamque servare tenentur etiam religiosi exempti. — Clem. *Ex frequentibus 1. de Sent. exc.*, C. *Dilectis* 55. *de Appell.*, C. *Irrefragabili* 13. *de Off. ord.*, C. *Si canonici* 2. ib. in 6.°, C. *Quamvis* 8. ib., C. *Non est vobis* 11. *de Spons.*, Schmalz. n. 402.-425., Pichler n. 54., Engel n. 101. 102., Laymann P. 4. c. 6., L. 340., Coninck Dub. 7.

V. — DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

1149. *Quid ecclesiastica sepultura?* — Sepultura ecclesiastica, de qua in praec. par. saepe dictum est, duobus constat: *loco sacro* seu benedicto, qui ab episcopo vel usu addictus est sepeliendis fidelibus, pie in Christo decedentibus, et *ritu sacro* in mortuo efferendo et sepeliendo. Rit. Rom. *de Exseq.*, *de Bened. Coem.*, C. *Ad haec* 4. *de Relig. dom.*, Suarez D. 12. S. 4. n. 6., Salm. Tr. 10. c. 3. n. 75. — Cum novum coemeterium benedicitur, pars aliqua extrema sine benedictione relinquenda est pro sepeliendis infantibus non baptizatis, aliisque, quibus ecclesiastica sepultura denegatur. Neque vero necesse est, ut pars illa per murum separetur, modo ab alia discerni possit. Si vero propter civilem legem omnes indiscriminatim in coemeterio sunt sepeliendi, tunc omittenda est benedictio coemeterii, sed singulis vicibus, in quibus catholicus sit sepeliendus, locus in quo eius cadaver est deponendum, benedicendus erit prout in Rituali.

1150. *Quid de electione sepulturae?* — Omnes eligere possunt sepulturam ubi maluerint, quamvis extra paroeciae suae ecclesiam vel coemeterium, dummodo non eligant ecclesias monialium, et locum eligant religiosum, aut saltem non profanum, veluti oratorium privatum, et locus ius sepulturae habeat. Excipiuntur vero 1.° regulares, nisi decesserint a propriis monasteriis adeo remoti, ut ad ea commode deferri nequeant; 2.° impuberes, quibus potest pater eligere sepulturam, aut mater, eo mortuo. Qui, nulla sibi electa sepultura, decedit, sepeliendus est in sepulchro maiorum, nempe *familiari* (quod quis constituit sibi et familiae suae), vel *haereditario* (quod constituit sibi et haeredibus). Secus vero in ea parochia, quis sepeliendus est, in qua decessit, si in ea domicilium, vel quasi domicilium habuit. Et si extra haec loca decessit, deferendus est ad locum domicilii vel quasi domicilii; qui si adeo remotus est, ut eo commode portari nequeat, sepeliendus erit vel in ecclesia cathedrali,

si ibi exstat, vel in ecclesia eius parochiae, in qua diem suum obiit. — Iure autem speciali episcopi sepeliendi sunt in ecclesia cathedrali, si alium sibi locum non eligant; uxor sepelienda erit in sepulchro ultimi viri sui, si propriam sibi non eligat sepulturam; vir autem, si prior decedat, non electa sepultura, in ea quam elegerit uxor; infantes *expositi* in sepulchro hospitalis, a quo alebantur; clerici in ea ecclesia, in qua residentiale beneficium morientes possederant; regulares in ecclesia sui ordinis, licet extra monasterium decesserint, si ad eam commode deferri queant, adeoque omnes qui regularium iure fruuntur, nempe novitii, famuli, tertiarii et tertiariae, quae in monasterio perpetuo degunt; quae vero seorsim vivunt sepeliri possunt in ecclesia ordinis, cuius assumpserant habitum, si in his extet communis earum sepultura, nec, alia electa, decesserint; secus in ecclesia parochiali sepeliendae sunt. Mulieres, quae de licentia Sed. Apostolicae monasterium intraverant, animo ibi perpetuo manendi, ibidem sepeliendae sunt; non item puellae, quae in monasterio morabantur educationis causa, quae sepeliendae sunt in parochia, ubi monasterium est. — C. 1. 3. 5. 6. 7. 10. h. t., C. 1.-5. e. t. in 6.°, Clem. 2. e. t., S. C. EE. et RR. 8. Iun. 1731., 6. Maii 1870., 5. Apr. 1878., A. S. S. V. 5. p. 568., V. 11. p. 352., Ferraris h. v. n. 102., v. *Moniales* a. 1. n. 61. 62. 63., Schmalz. l. 3. t. 28. n. 1.-48. 72.-82., Giraldi Animadvers. ad Barbosa de Off. et Potest. Parochi P. 3. c. 26. n. 25.

1151. *Quid de iure efferendi ducendique funus?* — « Ecclesiae ritus iubet fidelium cadavera, utcumque deferuntur sive ad ecclesiam sive ad coemeterium, semper a sacerdote esse associanda ». S. R. C. 15. Iul. 1876. Ius mortuos efferendi ducendique funus *ad ecclesiam*, uti vocant hodie, *exponentem*, quoad saeculares, soli parocho regulariter competit, nempe proprio uniuscuiusque, ratione domicilii vel quasi domicilii, si quis in sua parochia decesserit et in ea sepelitur; vel, etsi decesserit in sua parochia, in aliena sit sepeliendus, quamvis ecclesia sit regularium, vel, si in aliena parochia decesserit, et sepeliendus sit in sua. *Ad ecclesiam*, nam ab hac ad coemeterium, *sine pompa et recto tramite*, iis competit, quibus, non exstantibus coemeteriis, sepeliendi ius foret. — Episcopo haec praestant canonici cathedralis Ecclesiae; regularibus praelatus; monialibus ordinarius monasterii capellanus, sive confessarius, quamvis coemeterium sit extra ecclesiam ipsorum, et pertranseundum sit per paroeciam, « dummodo cadaver deferatur cum stola et cruce, sed absque pompa et recto tramite ad coemeterium ». S. C. C. 24. Febr. 1872., 12. Aug. 1872. Attamen « Religiosi dispersi quoad funera subsunt parocho loci prouti ceteri parochiani ». S. C. EE. et RR. 26. Febr. 1864., A. S. S. V. 1. p. 168. — Rit. Rom. *de Exseq.*, S. C. C. 21. Aug. 1869., A. cit. V. 5. p. 126. 221. 611., S. C. EE. et RR. 21. Mart. 1884., A. cit. V. 16. p. 551., Ferraris v. *Parochus* a. 3., Bened. XIV. Notif. 105. n. 33. seqq., E. M.

1152. *In quanam ecclesia funus peragendum?* — Iusta funebria in ea ecclesia sunt peragenda, in qua defunctus iussit, et si nihil iusserit, cum ea sint pars ecclesiasticae sepulturae, in ea, in qua sepelitur, vel sepeliendus esset, si publica sint ibi communia coemeteria. Quod si huiusmodi ecclesia sit ecclesia parochialis, haeredes exigere nequeunt, ut expositio cadaveris et iusta funerum alibi fiant; si vero non est ecclesia parochialis, parochus item exigere nequit, ut in ecclesia parochiali

fiant. Neque vero parocho tunc licet in aliena ecclesia iusta persolvere. — S. C. C. 24. Mart. 1821., A. S. S. V. 5. p. 566.

1153. *Quid de funerariis emolumentis?* — Emolumenta funeraria cedunt ecclesiae, in qua quis sepelitur, vel *exponitur,* si in publicis coemeteriis sepeliatur. Ex his *portio* quaedam debetur parocho in compensationem operis, quod sustinet in ministrandis suis parochianis sacramentis, quae, quia Can. Iure est statuta, *canonica* dicitur. Est autem *quarta* ex iure communi, nisi aliud consuetudine loci vel privilegio inductum sit. Ea debetur parocho domicilii, vel quasi domicilii, et si quis in alia ecclesia conditus sit, detrahenda erit ab ecclesia sepeliente vel exponente, nisi adsit contraria consuetudo vel privilegium. — Trid. S. 25. C. 13. de R., S. Pius V. C. *Etsi Mendicantium* 16. Maii 1567. § 11., Paulus V. Br. *Decet Romanum Pontificem* IV. Kal. Maii 1725., S. C. EE. et RR. 19. Apr. 1790., 18. Aug. 1843., S. C. C. 26. Nov. 1864., A. S. S. V. 1. p. 86., S. C. C. 16. Febr. 1867., A. S. S. V. 3. p. 305., V. 5. p. 209. seqq., V. 9. p. 27., V. 15. p. 553. seqq., V. 11. p. 381., C. 1. 4. 8. 9. 10. h. t., C. 2. e. t. in 6.°, Clem. 2. e. t., Schmalz. l. c. n. 83.-93., Ferraris v. *Quarta Funeralis.*

1154. *Quid quarta funeralis?* — « *Quarta funeralis*, seu *canonica portio* debetur de omnibus, quae obveniunt ratione funeris, scilicet *in die funeris* ». Barbosa de Parocho P. 3. c. 25. n. 36. Benedict. XIII. C. *Romanus Pontifex* 28. Apr. 1725. § 4., pro Italia et insulis adiacentibus edita, constituit: « Ut... parochis defunctorum, qui in ecclesiis quorumcumque regularium tumulabuntur, persolvatur, et cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulantem associabitur, nec non omnium intorticiorum et candelarum, quae in eadem ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. A praedicta tamen quarta funerali exceptae intelligantur, et sint, candelae, quas sacerdotes, etiam regulares, vel piarum sodalitatum confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differatur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intorticiorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa coenotaphium seu tumulum honorarium, atque etiam in altaribus eiusdem ecclesiae accensa fuerint... Sub praedicta quarta funerali comprehendi non intendimus, immo expresse ab ea excipimus legata missarum et anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem ecclesiae tumulantis vel exponentis a defuncto disposita », etc. Addendum, quod « debetur etiam *quarta* parocho ex funeralibus secundo loco factis ». S. C. C. 3. Aug. 1621. — Barbosa l. c., Ferraris v. *Quarta funeralis,* A. S. S. V. 5. p. 598. seqq.

1155. *An constitutione publici coemeterii iura immutentur?* — Per constitutionem publici coemeterii mutatur tantum locus materialis sepulturae; minime vero mutantur ecclesiarum et fidelium iura quoad sepulturam et funera. Per illegitimam item regularium suppressionem non possunt supprimi ecclesiastica eorumdem iura; neque eadem iura cessant, si familiae regulares aliquo modo persistant et convivant, quamquam coram civili lege tamquam ecclesiastica instituta non agnoscantur; adhuc enim in eo casu persistit subiectum illorum iurium. S. C. C. 26. Nov. 1814.,

16. Febr. 1867., 16. Sept. 1871., 24. Febr. 1872., A. S. S. V. 1. p. 87. 124. 239., V. 5. p. 569., V. 13. p. 419., V. 20. p. 587.

1156. *Quinam privandi sint ecclesiastica sepultura?* — Sepultura pars est communionis ecclesiasticae, adeoque « nemo christianus in communione fidelium defunctus extra ecclesiam aut coemeterium rite benedictum sepeliri debet ». Rit. Rom. *de Exsequiis*. Quibus vero non licet dare ecclesiasticam sepulturam habes in Rit. Rom. ibid., E. M.

1157. *Quid de suicidis?* — Ad *suicidas* quod attinet, S. O. 16. Maii 1866. haec habet: « Quando certo constat vel de iracundia vel desperatione, negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari debent pompae et solemnitates exsequiarum; quando autem certo constet de insania, datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exsequiarum; quando tamen dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum ». E. M.

1158. *Quid de duellantibus?* — *Duellantes* iuxta Benedictum XIV. C. *Detestabilem* § 9. privantur ecclesiastica sepultura, *licet absoluti fuerint, et etiam ante sententiam iudicis.* Verum duellantes non incurrunt duellantium poenas ob congressum improvisum; quamvis pugnantes, ex eodem rixae impetu, ad locum aliquem idoneum ex aequo perrexerint. S. C. C. 5. Oct. 1744.

1159. *Quid de haereticis?* — *Haeretici,* quibus deneganda est sepultura ecclesiastica non sunt haeretici *occulti,* sed *publici et manifesti,* licet nondum per Ecclesiam declarati. Constat ex C. Martini V. *Inter cunctas,* et Responsione, ab Urbano VIII. approbata, S. O. 6. Nov. 1641., nec non ex C. *Apost. Sed.* art. 1. Excomm. nem. reserv. — E. M.

1160. *Quid de publicis peccatoribus?* — *Ecclesiastica sepultura deneganda non est reis,* qui morte plectuntur, si dederint signa poenitentiae; sed sepeliendi sunt sine solemnitate. — Idem de *meretricibus* dicendum, quae in publico lupanari moriuntur, quaeque publico scandalo satisfecerint et sua peccata confessae sint. Dari illis potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum, S. O. 19. Sept. 1877. — Neque etiam deneganda *mimis et comoedis,* modo sacramenta non recusaverint; nulla enim lege hoc prohibetur. — *Qui praecepto communionis paschalis, vel confessionis annuae non satisfecerunt,* non privantur hodie sepultura ecclesiastica, nisi post edictum propositum, quod amplius proponi non solet; et consulto Ordinario. — Itemque deneganda non est *peccatoribus impoenitentibus,* si solus sacerdos testis fuit huiusmodi impoenitentiae, ad scandala vitanda. Hinc sacerdos, dubius de dispositionibus moribundi, ipsum absque testibus alloquatur, et ad confessionem inducat, modo publicum scandalum non sit reparandum. E. M.

1161. *Quid in casu dubii?* — « Ubi dubium occurrerit Ordinarius consulatur ». Rit. l. c., S. O. 16. Maii 1866. etc. Si recurri ad ipsum non possit, principium valet: In dubio odia restringenda: neque vero ob gravia incommoda, quae inde provenire possint, ulli est deneganda, nisi certo de hac obligatione constet. La-Croix l. 7. n. 254.-256. « Ceterum, ait S. Alph. de Priv. n. 91., nemo sepultura privandus in quocumque casu

sine sententia episcopi, aut superioris, si cadaver sit religiosi ». — Cum de positiva lege agatur, quae cum gravi incommodo non obligat, licet in tali casu mortuum efferre ritu catholico, eique solemnia funerum solvere, dum ne haec extorqueantur in contemptum Ecclesiae, et dum ne defunctus efferatur signis massonicis feretro, aut vexillis appositis. S. O. 13. Jul. 1609., censuit sepulturam haereticorum tolerandam esse, *si ei absque scandalo resisti non potest.* Ac S. Poenit. 10. Dec. 1860. de notorie excommunicatis « curandum, ait, ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant, quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se, neque per alios sacerdotes ad sepulturam ullo modo concurrat », i. e. passive se habeat. — E. M.

DE CONST. *APOSTOLICAE SEDIS*

1162. *Quaenam in praesenti vigeant censurae?* — Haec in Const. *Apost. Sed.* Pii IX. de censuris: *Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae, hactenus impositae sunt, non nisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant: simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.* — Vi praesentis Const. eae nunc tantum censurae *latae sententiae* vigent de *iure communi*, quae vel in ipsa expresse continentur, vel ipsi post eius promulgationem accesserunt iam, vel postmodum accedent. Omnes autem illae censurae, quae in eadem Const. clare et certo continentur, etiamsi antea dici potuissent obsoletae, aut in desuetudinem abiisse, aut universim ignorari, nullam nunc talem exceptionem admittunt, et plenam obtinent vim obligandi. S. O. 15. Jun. 1870. Eas in sequentibus numeris gradatim explicabimus ipsum laud. Constitutionis textum declarantes. — E. M.

1163. *Excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:*

Speciali modo. Sequentes excommunicationes *speciali modo* reservatae dicuntur ob quatuor rationes. *Prima* est, quia pro eis « *generalis* concessio absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficit ». Par. *A quibus.* Ubi autem notandum est, quod, etiamsi quis habeat *specialem* facultatem absolvendi ab hisce casibus Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatis, non ideo concessa etiam facultas censetur pro casu absolutionis complicis, qui specialissima indiget mentione. S. O. 17. Jun. 1866., 4. Apr. 1871. Continetur vero in ea speciali facultate haeresis absolvenda, cum specialissime, uti ante, non fuerit nunc excepta. iraldi Exp. Iur. Pont. Tom. 2. P. 1. t. 7. S. 809. *Secunda* est, quia excluduntur etiam a facultate absolvendi, episcopis concessa a Trid. Syn. S. 24. C. 6. de R., licet eadem facultas,

absolvendi nempe ab omnibus censuris occultis, *etiam Papae reservatis*, firma maneat in quibuscumque aliis censuris hac eadem Const. Apostolicae Sedi reservatis, Par. *Firmam tamen*. *Tertia* est, quia « absolvere *praesumentes* sine *debita* facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo *Romano Pontifici reservatae* innodantur, *dummodo non agatur de mortis articulo;* Par. *A quibus*. *Quarta* est, quia absoluti in articulo mortis a non habente potestatem, si convaluerint, speciali obligatione tenentur *standi mandatis Ecclesiae*. Cf. 799.

1164. I. *Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae exsistant, eisque credentes; eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.*

Apostatae sunt, qui a *christiana religione* penitus deficientes ad sectam mahometanam, vel aliam transeunt, vel etiam nullam. Intellige autem *apostatam* non solum exteriori opere vel signo, sed etiam animo. Nam dicitur *apostata a christiana fide*. Qui vero externe tantum apostata est, non a *fide*, sed a *confessione* fidei apostata est. Insuper de *apostata* sermo est *a christiana fide*, non tantum interius concepta, sed etiam exterius solemniter in baptismo professa.

Haeretici. Ut excommunicatio praecise ob *haeresim* lata incurratur, requiritur, 1.° ut haeresis sit *formalis*, i. e. cum *errore* intellectus, et *pertinacia* voluntatis. *Pertinax* autem dicitur, qui suae opinioni adhaeret, non obstante quod noverit eam adversari doctrinae Ecclesiae Romanae, ipsi sufficienter propositae; vel ita est animo comparatus, ut, etiamsi illa doctrina ipsi sufficienter proponatur, nolit tamen a sua opinione dimoveri. Ratio huius ultimi disiunctionis membri est, quia quaelibet ignorantia, etiam *crassa* et *affectata*, iuxta veriorem et communiorem sententiam excusat ab haeresi et haereticorum poenis. Potest enim quis optime habere *voluntatem credendi* omnia, quae ipsi sufficienter proponuntur, ut revelata a Deo, ac ut dogmata Ecclesiae, quamvis non habeat *voluntatem adhibendi diligentiam*, ut sciat quae sint a Deo revelata, quae ab Ecclesia definita. Hinc licet graviter peccet contra fidem, non est tamen *formaliter infidelis et haereticus*, sed fidelis et catholicus credens omnia quae a Deo revelata sunt ac ab Ecclesia sunt definita, et sibi sufficienter proponuntur. De Lugo de Fide D. 20. S. 6., L. 301. Requiritur 2.°, ut mentis haeresis *signo externo, ex se* vel *ex circumstantiis* interni erroris *manifestativo, exterius prodat*, manifestatione *graviter culpabili*, licet *nulli* res *innotescat*. L. 303.-305. Hinc excommunicationem non incurrunt 1.° haereticus mere mentalis, aut qui abstinet a missa audienda; 2.° qui suam haeresim manifestat ad consilium petendum. Minime vero excusat dubium *positivum* exterius proditum, quia ita dubitans *iudicat* veritatem ab Ecclesia propositam posse esse falsam. L. 302. Cf. Struggl Tr. 4. q. 2. n. 12., Lugo de Fide D. 20. n. 17. Requiritur 3.°, ut haeresis ad *forum iudiciale* episcopi non fuerit adducta. Etenim episcopi *per se* aut *per delegatum* absolvere possunt in utroque foro a quavis haeresi, si semel ad eorum forum iudiciale fuerit deducta. L. App. de Priv. n. 39., Benedict. XIV. de Syn. l. 9. c. 4. Pii autem IX. Constitutio huic episcoporum facultati derogare non videtur. Quare episcopis nulla tantum competit facultas absolvendi ab haeresi sive *occulta*, sive *notoria*, quae ad eorum forum nondum fuerit

adducta. Hinc protestantes omnes, qui vellent suam haeresim abiurare, et consequenter eam ad forum externum deducere, necesse non habent Romam recurrere, sed ab episcopo possunt absolvi, tam pro externo quam pro interno foro, vel per seipsum vel per delegatum. — *Quocumque nomine censeatur*, peculiari nempe aliquo haereticorum nomine. — *Cuiuscumque sectae exsistant*, « etiamsi animo haeresi non adhaereant, sese vel nomine tenus adscribunt sectae, cuiuscumque sit ea nominis, haereticae vel schismaticae, quacumque de causa id fiat », iuxta Declarationem S. O. Synodus Dioecesana Albanensis anno 1886. P. 1. art. 6. n. 2.

Credentes, vere nempe credentes aliquod falsum horum haereticorum dogma, licet in omnibus ipsis non adhaereant, neque *nomine* particulari compellentur, e. g. Calvinistae, Lutherani, etc., neque alicui *sectae* particulari, v. g., Ecclesiae reformatae, etc., adscripti censeantur; vel credentes generatim tantum, haereticos veram fidem et religionem habere, quamvis nihil distincte et in particulari credant contra fidem.

Receptores, recipere est, refugium abscondendi causa praestare in suo vel alieno loco. Quare receptores sunt, qui hospitio recipiunt vel occultant, etsi semel, haereticum, ut effugiat poenas suae haeresis. — *Fautores*, favere generatim est quamvis operam alicui praestare in eius commodum et utilitatem, seu faciendo aliquid, e. g., commendando, pecuniam largiendo, seu omittendo quod quis ex officio facere debuisset. Fautores ergo sunt, qui in causa fidei haereticis favent, aut *negative*, omittendo scilicet, cum possint et teneantur ex officio, haereticum capere, custodire, punire: aut *positive* illum, qua talis est, laudibus, commendationibus, pecunia, etc. adiuvando, v. g., ut fugiat, etc. Hinc S. O. 11. Maii 1892. declaratum est excommunicationem contrahi ab iis, qui matrimonium ineunt coram ministro haeretico vel schismatico sacris addicto. — *Defensores*, defendere est protegere aliquem, ut tuto et libere aliquid facere possit, vel aliquid protegere adversus contrarias oppugnationes. Defensores ergo errorum vel personae sunt, qui eorum errores verbis, scriptis, etc. defendunt, etsi interne aliud sentiant, vel qui impediunt, ne illi propter haeresim capiantur aut puniantur. — Haec igitur verba: *Receptores, fautores, defensores* haereticorum, *formaliter* intelligenda sunt de illis, qui favent haereticis, quatenus *haeretici* sunt, nempe vel quia talem doctrinam profitentur, vel etiam in ordine ad eam haeresim docendam, defendendam, aut aliquid huiusmodi. Ratio est, quia poena stricte intelligenda est, iuxta subiectam materiam. Praeterea *receptores, fautores, defensores*, intellige receptione, favore, defensione perfecta. Itaque, si haereticum receptaveris, defenderis, eique faveris, ne caperetur, ille tamen captus fuerit, excommunicationem latam in receptores, fautores, defensores haereticorum non incurristi. — B. *Coenae* § 1. C. *Sicut ait* 8., *Excommunicamus* 13. 15. *de Haereticis*, Suarez D. 21. S. 2. 1.ª Excomm., Bonacina de Censur. in partic. D. 1. Q. 2. P. 1. 2. 3., L. 300. seqq., Ferraris v. *Haeresis, Haereticus*, Schmalz. l. 5. t. 7., S. Th. Quodl. 10. a. 15. 16., E. M.

1165. II. *Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.*

Scienter, clausula haec initio posita afficit, in sensu obvio et naturali, non solum *legentes*, sed etiam *retinentes*, *imprimentes*, *defendentes.* Quare ab hac censura excusat ignorantia sive facti, sive iuris, etiam crassa, et non improbabiliter etiam affectata. L. 296. — *Legentes*, nomine lectionis intelligitur hic *lectio* proprio sensu, et humano modo, ita ut intelligat quis ea quae legit. Intelligitur praeterea *lectio* stricte talis, unde prohibetur quidem *legere*, sed non prohibetur *audire* legentem, qui forte facultatem habet; neque partem libri *memoriter recitare;* quia haec nomine *lectionis* stricte non comprehenduntur. Ithur. Cas. 39., L. 292. *Legentes*, quantitate notabili et sufficienti ad grave peccatum. Ita dd. communiter, qui tamen discrepant in determinatione huiusmodi quantitatis. Rectius autem distinguendum videtur, quia si prohibitum librum legendo, statim incurras in haeresim, poteris vel paucas lineas legendo excommunicationem incurrere, quia magnum adest perversionis periculum, quod removere intendit Ecclesiae prohibitio. Si vero in materiam incurras omnino indifferentem, nulloque errore infectam, vel paginam integram legendo, a mortali, adeoque ab excommunicatione, excusaris. Ithur. l. c. n. 30. 31., L. 284. 294. Idem de *retinentibus* dicas; qui enim librum modico tempore, v. g., uno alterove die, retinet, etiamsi animum habeat semper retinendi, excommunicationem non incurrit. Eadem enim est ratio pro tempore ac pro materia. Neque desunt theologi, qui excusant eum, qui retinet librum longiori tempore, expectans tempus opportunum ad tradendum superiori, vel alteri licentiam habenti. — *Sine auctoritate Sedis Apostolicae.* Ergo Papa solus, aut ii, quibus ipse hanc commiserit aut delegaverit facultatem, potest dispensare super lectionem librorum, praesenti censura prohibitorum. — *Libros*, epistolae, conciones, publica *diaria*, S. O. 27. Apr. 1880., opuscula libri non sunt. Neque manuscripta libri sunt. Folia ex libro prohibito separata, libri fragmenta, non liber sunt. Cf. S. Alph. 293., Suarez de Cens. D. 23. S. 7. n. 3. *Liber* enim proprie est volumen plurium foliorum simul collectorum, non exiguae omnino molis, de uno eodemque vel etiam de variis argumentis tractantium. Unde excommunicationem incurrunt scienter legentes publicationes periodicas, *in fasciculos ligatas*, haeresim propugnantes, et habentes auctorem haereticum. S. O. 13. Jan. 1892. — *Apostatarum et haereticorum*, additur *eorumdem:* agitur ergo de illis, de quibus sermo est in praecedenti excommunicatione, nempe *quocumque nomine censeantur et cuiuscumque sectae exsistant;* omittuntur vero *eis credentes*, quare videtur requiri ad hanc excommunicationem incurrendam, quod auctor haereticus sit aliunde notus, neque sufficere, quod primum manifestetur talis per ipsum librum. Talis enim esset potius catholicus *credens* haereticorum erroribus, quam haereticus, uti in praecedenti excommunicatione distinguitur. Attamen, si auctor *haeresim evidenter certo propugnet*, et *evidenter pertinaci animo contra auctoritatem Ecclesiae*, eo ipso haereticus iure ac merito censebitur. Hinc si liber anonymus sit, ex ipso libro cognosci potest, an eius auctor sit haereticus, L. 282., et censura tunc incurritur. Confirmatur ex C. *Officiorum* Leonis XIII. de Prohib. et cens. libr. § 47. — *Haeresim propugnantes*, « etiamsi unus tantum error in toto libro contineatur, totus est prohibitus; nec, illo etiam deleto errore, licebit librum retinere, quia absolute prohibitus est vi huius clausulae ». Suarez l. c. Negant hoc ultimum, et quidem probabiliter, La-Croix n. 330., aliique, quia tunc liber non

continet amplius haeresim, nec ullum periculum inducit. L. 283. Verum sedulo notandum est, *haeresim propugnare* non esse simpliciter *haeresim continere,* sed haereseos patrocinium data opera, et quasi pro viribus suscipere. Quare non comprehenduntur sub hac excommunicatione libri haereticorum, qui incidenter tantum continent haeresim, cum ex professo non agant de fide. L. 287.

Per Apostolicas litteras. Apostolicae litterae sunt, quae nomine Romani Pontificis *immediate* prodeunt, sive in forma Brevis, sive in forma Bullae, vel alia quavis forma, dummodo in illis legatur, *Auctoritate Apostolica*, vel quid aequivalens. — *Nominatim prohibitos*, i. e. expresso in particulari libri lítulo. Quare non comprehenduntur hac censura libri omnes, qui per litteras Apostolicas generali modo tantum damnantur. *Nominatim prohibitos*, verba quidem generalia sunt; attamen ea communiter dd. intelligunt de prohibitione sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae. Secus enim videtur S. Pontifex aliis relaxare, quod sibi non reservat, adeoque neque tunc aderit excommunicatio *speciali modo* sibi reservata. Verum eodem hoc argumento evincitur, quod illa excommunicatio, licet Summo Pontifici reservata, *speciali* tamen *modo* eidem reservata non est. Nam, si eam Summus Pontifex *simpliciter* tantum sibi reservat, *specialem* reservationem eo ipso adimere videtur. Potius ergo dicendum esset agi de *prohibitione* sub poena excommunicationis *specialiter* reservatae. Sed tunc inutilis prorsus esset hic articulus 2.us Constitutionis. Quare videtur dicendum agi de prohibitione simpliciter facta sub poena excommunicationis, licet nulla ei addatur reservatio. Dicitur *sub poena excommunicationis;* quia si prohibitio fiat, vel nulla addita poena, vel alia, huc profecto non pertinet. Agitur enim hic de censuris. Cf. 1178.

Retinentes. « Retinere is dicitur, qui apud se librum habeat, sive habeat commodatum, sive depositum, sive alienum, sive ad ligandum, sive ad vendendum, sive ad bibliothecam ornandam, sive in propria, sive in aliena domo; adeo ut quovis modo, et ubivis librum habeat, censuram contra retinentes latam incurrat. Itaque non licet tibi eos vendere aut donare... Quod tamen ipse limitandum putarim, nisi vendas aut dones habenti facultatem illos legendi, tunc enim adesse credo facultatem tacitam, seu interpretativam superiorum, qui rationabiliter inviti non censentur... Non peccares, si ut alii facultatem habenti morem gerens librum aliquem prohibitum emptum Romae, v. g. Fanum tecum ipse deferres; sicut neque etiam peccaret bibliopola, qui legandum diutius in officina librum detineret; quia haec omnia accessoria sunt facultati ipsi concessae, et per ipsam concessa intelliguntur ». Ithur. Cas. 39. n. 40. — *Imprimentes* sunt generatim quotquot ad impressionem *proxime* cooperantur, uti sunt qui typos componunt, atramento eos tingunt, chartas madefaciunt, praelum versant, etc. Qui folia et libros impressos iam ordinant, *imprimentes* proprie non sunt; vendentes et alio asportantes, *retinentes* potius sunt. — *Quomodolibet defendentes*, defendentes nempe sive *verbis*, sive *scriptis*, sive *factis;* sive pravam quam continent doctrinam, sive ipsum librum materialem, si nempe impediunt, quominus liber comburatur, aut Episcopo vel Inquisitori tradatur. L. 285. Non comprehenditur vero hac censura, qui doctrinam bonam et veram, in libro contentam, approbat et laudat, dum tamen librum ipsum absolute non censeatur

approbare, nec etiam qui stylum, eloquentiam, phrasim, ingenium laudat, dummodo id non arguat laudem et approbationem libri. — B. *Coenae* § 1., Lugo de Fide D. 25. n. 94., L. 281.-299., Bouix de Cur. Rom. P. 3. § 3. C. 11., Suarez D. 21. S. 2. 1.ª Excomm., Bonacina D. 1. Q. 2. P. 4., E. M.

1166. III. *Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia, pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.*

Schismatici, proprie ii sunt, qui vel tantum ex voluntatis malitia, vel etiam ex errore in doctrina fidei, subiectionem *Romano Pontifici* denegant, a corpore Ecclesiae se separando, et novam ac separatam Ecclesiam constituendo, vel constitutae iam adhaerendo. — *Ii qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt*, i. e. totaliter se separant ab eius *ecclesiastica auctoritate*, licet nulli alteri Capiti, seu supremae auctoritati ecclesiasticae adhaereant. Neque vero necesse est, ad hanc incurrendam censuram, vi huius clausulae, ut isti rebelles sint auctoritati *Romanae Sedis*, generatim inspectae; sed sufficit, ut rebelles sint auctoritati *Personae*, quae *actu* Romanam Sedem occupat. — *Ac recedunt*, partialiter nempe, in aliqua tantum re, *spirituali auctoritati* Romani Pontificis, pro tempore exsistentis, audacter rebelles exsistunt, eidem auctoritati in re particulari refragando, qui nempe in re particulari spirituale imperium et auctoritatem Romani Pontificis reiiciunt, uti sunt e. g. Catholici quidam liberales. Quare hanc non incurrit excommunicationem, qui Romano Pontifici obedire nollet, in re aliqua particulari, propter difficultatem rei, vel etiam propter odium in Personam; eius tamen *spiritualem auctoritatem* recognoscens; sua enim inobedientia non vere *pertinaciter* recederet a Romano Pontifice pro tempore exsistente, sed eius tantummodo leges, seu praecepta transgrederetur. — *Pertinaciter*, h. e. sciens volens; quare excommunicationem non incurrit, si eius denegat auctoritatem, eique se non submittit, quia legitimum non existimat, quum dubie valida eius electio sit. — C. 5. Dist. 19., B. *Coenae* § 1., Suarez D. 21. S. 2. 1.ª Excomm., D. 23. S. 2. 2.ª Excomm., S. 3. par. *Melius*, Bonacina D. 1. Q. 2. P. 5., E. M.

1167. IV. *Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes; necnon eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.*

Quoad personas generalissima est haec censura: nam fertur in omnes cuiuscumque *status, gradus* et *conditionis.* Quia vero excommunicatio non fertur in communitatem, sed in singulares personas, ideo in eam, si tale delictum committat, interdicti censura fertur, Cf. 1239. — *Ab ordinationibus seu mandatis*, circa nempe res spirituales. — *Pro tempore exsistentium*, adhuc nempe viventium, cum haec « verba aliquid operari debeant » ex C. *Si Papa* 10. *de Priv.* in 6.° — *Futurum Concilium*, non *futurum Romanum Pontificem*, neque *praesens Concilium.* — Ut autem patet ex ipsa forma excommunicationis, qui *auxilium, consilium, favorem* praestant, excommunicationem non incurrunt, nisi effectu secuto, nisi nempe reapse *appellatum fuerit.* Hinc *auxilium, consilium* vel *favor* debet appellationem antecedere vel comitari; nam si tantum subsequatur, deturque ad resistendum pontificiis decretis sub specie talis appellationis, tunc non incurretur haec censura ex vi huius clausulae, quia revera non

est datus favor ad appellandum, sed ad actiones postea secutas, quae sunt longe diversae. Minime vero distinguenda est appellatio a mandato iusto vel iniusto, quia Constitutio absolute et indistincte loquitur, et non fundatur in eo, quod res iusta vel iniusta sit, sed in eo quod sic appellans iniuriam facit auctoritati Romani Pontificis: nam facto ipso profitetur Generale Concilium esse illa superius. *Appellare* enim est ab inferiori iudice ad superiorem provocatio. — *Consilium, favor;* licet *consilium* videatur esse aliquis *favor* vel *auxilium* morale, qui enim rectum consilium praebet non parum iuvat ad bene operandum; attamen distincta sunt; nam influxus sunt distincti, ad distinctos fines ordinati. Consilium enim est ad instructionem mentis; auxilium autem et favor ad exsecutionem. *Consilium* dat, qui persuadet, et persuadendo impellit alium ad aliquid faciendum. Agitur enim de consilio *practico*, non de consilio mere doctrinali. *Auxilium* praestare est subsidium, adiumentum, opem ferre ad *ipsum actum* seu *opus externum. Favor* autem a *faveo*, quod est studeo, amo, amplector, auxilium extendit ad *morale* etiam subsidium, v. g., laudibus, commendationibus, adiuvando. Hinc, cum in iuribus extensio fit ad consulentes et faventes, expressa fit eorum mentio. — Pius II. C. *Exsecrabilis*, B. *Coenae* § 2., C. *Significasti* 4. *de Electione et Electi Potest.*, Suarez D. 21. S. 2. secunda clausula, Bonacina D. 1. Q. 3. P. 1. 2.

1168. V. *Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.*

Omnes, intellige cuiuscumque sexus aut status. — *Interficientes*, quovis modo, veneno, gladio, etc. — *Mutilantes*, i. e. membrum abscindentes. — *Percutientes*, percussio manu ordinarie fit, sive immediate, sive mediante instrumento, nempe baculo. — *Capientes*, i. e. comprehendentes, libertatem abeundi impediendo. — *Carcerantes*, i. e. in carcerem detrudentes. — *Detinentes*, i. e. violenter inclusum custodientes carcere, vel loco alio, unde non possit libere exire. — *Hostiliter insequentes* sunt qui fugientem sibique caventem animo infesto persequuntur, ut ei *malum* inferant, nempe interficiendo, mutilando, etc. Punitur enim haec insecutio, etiam alio effectu non secuto, prout est attentatio alterius criminis per hanc legem prohibiti. Nec enim verisimile est, quod lex prohibeat attentatum alicuius delicti, quod ipsa non prohibet, nec punit. Hostiliter ergo insequentes non sunt, qui insequuntur tantum dehonorandi vel diripiendi causa. — *Episcopos*, nempe consecratos; poenae enim strictae interpretationis sunt. — *Eiicientes*, antea nempe receptum eiicientes. — *Eiicientes* generatim dictum sive publica, sive privata auctoritate, vi adhibita. — *Suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis*, locis nempe, ubi ius habent iurisdictionis, domicilii, proprietatis, dominii, ratione sui muneris suaeque dignitatis. — Quare hac censura iniuriae plectuntur in *corpus, interficientes, mutilantes, percutientes;* in *libertatem, capientes, carcerantes, detinentes, hostiliter insequentes;* in *dignitatem, eiicientes a suis*, etc. — *Mandantes*, mandans est, qui iubet vel rogat aliquid suo nomine fieri. — *Rata habentes*, hae pro ratihabitione requiruntur con-

ditiones: « ut percussio sit facta nomine tuo, vel in tui gratiam; ut ratihabitionem externe significes; ut quando evenerit percussio fueris habilis ad mandatum vel consilium percussionis saltem habitualiter; nam si fueris amens non incurris; secus si ebrius, aut dormiens: ita communiter ». L. 267., Schmalz. n. 244. — *Ea mandantes,* etc. *praestantes in eis auxilium,* etc. *Mandantes* ergo, *auxiliantes, consulentes, faventes,* omnes quidem intelligendi de mandato, auxilio et favore efficaci, et quod graviter influxerit, et quidem *in ea,* quae nempe dicta sunt, non in aliam actionem ab eis diversam. *Auxilium,* ille qui tantum promittit auxilium, non videtur posse dici *auxilium praestare.* — *Consilium,* e. g., utilitatem ostendendo, media idonea suggerendo. — *Favorem,* vel *positive* exhortando, incitando, vel *negative* non impediendo cum *possit* et *debeat. Debeat,* i. e. cum ex officio aut iustitia teneatur, ut reges, iudices, etc. Si autem ex caritate tantum teneatur, censura verius non incurritur. — C. *Felicis* 5. *de Poenis* in 6.°, Clem. 1. *de Poenis,* Extr. un. *de Consuetud.,* B. *Coenae* § 11., Suarez D. 21. S. 2. 11.ª Censura, D. 22. S. 3. 3.ª Excomm., Bonacina D. 1. Q. 12., D. 2. Q. 3. P. 7., D. 4. Q. 3. 4., L. 268. 269., Ithur. Cas. 41. n. 16., Cas. 43. n. 1.-3.

1169. VI. *Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.*

Impedientes reipsa, secus non erunt vere impedientes, sed conantes impedire. *Impedientes,* etiamsi ad hoc non recurrant ad forum saeculare. — *Directe,* v. g., vi aut metu incusso ipsis ecclesiasticis iudicibus, iurisdictionem exercere volentibus. — *Indirecte,* si eis quis obstet in alia re, vel alia persona, v. g., si vis aut metus eorum consanguineis, officialibus, etc. inferatur. *Impedire* enim est facere aliquid, quo quis invitus arceatur vel cesset ab agendo. — Quare, si quis consiliis, precibus, fallaciis utitur, is potius suadere, impetrare, decipere intelligitur. — *Exercitium iurisdictionis ecclesiasticae.* Ut quis ergo hanc incurrat censuram, necesse est, ut ei resistat, qui iurisdictione insignitur, v. g., episcopo, parocho, etc., secus enim non erit *impediens exercitium iurisdictionis,* sed aliquid aliud, v. g., si quis impediat *actorem* adire iudicem, non *exercitium iurisdictionis,* sed *actoris petitionem* impedit. *Exercitium iurisdictionis,* nempe *ex iure,* ne quis illud incipiat, vel in illo pergat. Agitur *de exercitio iurisdictionis ecclesiasticae,* quae a Christo Domino, vel ab eius Vicario, qua Romanus Pontifex est, promanat, et clericis competit, quatenus clerici sunt. Agitur de *exercitio iurisdictionis,* cuius est, e. g., peragenda committere, ea quae sunt *ordinis,* et deputare ad *officia ecclesiastica;* minime vero de exercitio ipsius *ordinis,* e. g., sacrum facere, vel de exercitio ipsius *officii ecclesiastici,* v. g., praedicare, docere, etc. *Iurisdictionis ecclesiasticae,* sive ordinariae sive delegatae. Est autem *iurisdictio* potestas alios regendi et gubernandi. — *Interni fori,* uti ea est, qua utitur S. Poenitentiaria, et illa est, quae ad forum conscientiae pertinet. — *Externi fori,* quae ad societatem spectat christianam, sive sit contentiosa, quae exercetur inter partes iudicio contendentes, sive sit voluntaria, quae sine ullo iudiciali processu et sententia exercetur, ut, e. g., dioecesim visitare, mittere praedicatores, censuras ferre, etc. — *Et,*

disiunctive intelligendum ex sensu obvio et toto contextu, ita ut altera personarum classis, quae hanc censuram incurrat, denotetur. — *Ad hoc*, i. e. ad *impediendum* praedictum exercitium, non ad aliud, e. g., ad non differendum exercitium illius iurisdictionis, et redditionem iustitiae, ad iuste decernendum, etc. *Ad hoc*, recurrentes ergo aliique omnes, de quibus in sequentibus agitur, censuram hanc non incurrunt, nisi effectu secuto. — *Recurrentes ad forum saeculare*, recurrere est alterius opem contra aliquem vel aliquid implorare, quasi ab eo iniuriam quis patiatur. — — *Forum* propria significatione est locus exercendorum iudiciorum. Quare eorum patrocinium implorandum est, qui in foro iurisdictionem exercent, qualis non est, e. g. Praefectus urbis. Attamen videtur posse etiam latius accipi *forum saeculare* pro quolibet civili magistratu ex oppositione cum *foro interno et externo* primae partis, quod ex communi acceptione latissime patet. — *Mandata procurantes*, sunt qui *proxime* ad id cooperantur. — *Edentes*, nempe condentes, sunt magistratus civiles, seu ii qui iudiciaria vel etiam alia civili potestate mandata ipsa ferunt, talia decernendo. — *Auxilium*, etc. Cf. dicta superioribus censuris. — *Eiusque*, nempe fori saecularis. — *Aut*, videtur ergo haec ultima clausula, *aut auxilium*, etc., in sensu obvio referri tantum ad ultimam personarum classem, i. e. ad *mandata procurantes, edentes*. Verum alii eam referunt ad primam etiam, secundam et tertiam classem personarum, quas praesens censura attingit, scilicet ad *impedientes; recurrentes; mandata procurantes, edentes*. — C. *Clericis* 3. *de Immun. eccles.* in 6.°, B. *Coenae* § 16., Suarez D. 21. S. 2. 16.ª Censura, Bonacina D. 1. Q. 17.

1170. VII. *Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; itemque edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.*

Cogentes. Cogere hic est per vim vel metum gravem iniuste inducere ad aliquid faciendum. Hinc cogentes non sunt, qui clericum criminosum iudici produnt, qui clericum debitorem conveniunt coram iudice laico. *Cogentes... iudices*, nota distingui hic cogentem a iudice coacto, ergo ipsi iudices, qui sententiam tantum ferunt contra personas ecclesiasticas, ad suum tribunal ab aliis delatas, excommunicationem hanc non incurrunt. In Instr. S. U. I. 15. Iun. 1870. dicitur: « *Cogentes*... indicat excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi iudices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia, vel alios ad agendum cogunt ». Et in Litt. Circ. eiusdem S. U. I. 23. Ian. 1886. haec habentur: « haec Supr. C. S. R. et U. I. non semel declaravit, caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates... Caeterum in iis locis, in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi, nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forma laicorum convenire possint: eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in

eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverit ». — *Cogentes* autem *sive directe, sive indirecte* sunt, qui vi aut metu ipsis iudicibus incusso, vel aliis personis, quae cum ipsis coniunctionem habent, eos adigunt ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas in causa sive criminali, sive civili. *Iudices laicos,* qui nempe pro laico tribunali ex officio ius dicunt, non alios magistratus. — *Ad trahendum,* quasi reum, non tamquam testem, peritum, etc. — *Ad suum tribunal,* ut nempe in ius trahat, non ut ei aliquid praecipiat, eum admoneat, corripiat. — *Personas ecclesiasticas,* quae nempe gaudent privilegio fori. — *Praeter canonicas dispositiones.* Plures enim dantur casus, in quibus iudex laicus, tum in civilibus, tum in criminalibus, licite contra ecclesiasticas personas procedit. Cf. de hac re Schmalz. l. 2. t. 2. par. 6. de Foro comp. rat. pers. eccl n. 80. seqq., Bizzarri Collect. p. 178. seqq. Ed. 1885. — *Praeter canonicas dispositiones,* intellige etiam Concordata Regni cum Sede Apostolica. — *Edentes,* auctores legum et decretorum, non ceteros. — *Leges,* generales et in perpetuum, v. g. *de regio placito, de regio exsequatur,* etc., quae a suprema auctoritate procedunt, *vel decreta,* quae a quavis potestate sunt, etiam inferiori, sed generaliter proferuntur, non autem pro casu particulari, tunc enim *mandata,* vel *iudicum* potius *sententiae* essent. — *Libertatem aut iura,* generalissime dictum, adeoque omnia comprehendit; v. g., religiosas familias expellendo, sacra ministeria inhibendo, clericos ab instructione populi arcendo, etc. — *Ecclesiae,* nempe universalis. — C. *Clericis* 3. *de Immun. eccles.* in 6.°, B. *Coenae* § 15., L. de Privil. n. 18.-24., Suarez D. 21. S. 2. 15.ª Censura, Bonacina D. 1. Q. 16., D. 2. Q. 6. P. 1., E. M.

1171. VIII. *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta; eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes; aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.*

Recurrentes, quicumque, quocumque modo. Recurrentes ergo erunt supplicem libellum dantes, citantes seu provocantes, appellantes, etc. — *Ad laicam potestatem,* quaelibet ipsa sit, praefecti urbium, praesides tribunalium, iudices aliique omnes *iurisdictionem exercentes in cives.* — *Ad impediendas,* reipsa: licet enim excommunicatio directe feratur non in *impedientes,* sed in *recurrentes;* cum tamen huiusmodi *recursus sit ad impediendum,* et actio externa debeat esse perfecta et consummata, ut quis excommunicationem incurrat, *recursus* hic intelligendus est, effectu secuto. Idem dicendum propter eamdem rationem de *prohibitione, laesione, perterrefactione.* Alii tamen aliter opinantur cum directe ipse *recursus,* ipsa *laesio* et *perterrefactio* condemnetur. — *Litteras,* quavis forma datas, dummodo tamen ab Auctoritate Apostolica procedant, unde mox dicitur: *A Sede Apostolica profecta.* — *Acta quaelibet,* sive nempe sint gratiae, sive iustitiae; sive negotium spirituale sive temporale respiciant, iuris tamen ecclesiastici seu spiritualis. — *Acta Sedis Apostolicae* appellantur, ea quae Romani Pontificis auctoritate geruntur, sive immediate, sive mediate. Unde dicitur: *Acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta.* Comprehenduntur « etiam

quae mediate a sacris romanis Congregationibus proveniunt ». S. O. 13. Jan. 1892. — *Acta* S. Sedis sunt monitoria, citationes, processus, sententiae, etc. de mandato S. Sedis facta. — *Legati* « ii dicuntur, qui ad aliqua negotia gerenda a summis Principibus (et in casu nostro a S. Pontifice) deputantur, communiter differunt a *Delegatis*, queis unum peculiare negotium, nec valde implexum, aut etiam peculiaria negotia committuntur, cum Legatus habeat aut generalitatem negotiorum concreditam, aut saltem valde implexum traditum munus ». De Angelis Praelect. Iur. Can. l. 1. T. 30. n. 1. — *Profecta*, non, ne proficiscantur. Quare huic excommunicationi non subiiciuntur qui huiusmodi Litteras vel Acta impetrari impediunt. — *Promulgationem*, publicationem nempe consueta forma, ac more. — *Exsecutionem*, i. e. quaecumque sunt necessaria ut Litterae et Acta Apostolica effectum habeant, v. g., si quis tabelliones prohibeat instrumenta super eis conficere, vel confecta partibus tradere, aut partes traditis uti. — *Prohibentes*, publica nempe auctoritate. Ut enim loquitur Pontifex in prima parte de *recursu ad laicam potestatem*, ita in hac secunda parte loquitur consequenter de prohibitione ex recursu illo ad potestatem laicam profluente. Attamen contraria opinio bene etiam sustinetur, quia lex non distinguit. — *Partes* sunt ii quorum interest, ut Litterae vel Acta Sedis Apostolicae promulgentur, vel exsecutioni mandentur. — *Alios*, puta patrocinatores earumdem partium, causa actorum obtentorum, aut exsecutores, vel personas alias, ad quas acta obtenta aliqua ratione referantur, et pertineant: dicitur enim *eorum causa*, *sive ipsas partes*, *sive alios*, etc. — *Laedentes* proprie et stricte sunt, qui grave aliquod damnum alicui inferunt in bonis corporis. — *Perterrefacientes* sunt, qui admodum grave damnum inferre minantur. *Perterrefacere* enim est valde terrefacere, valde gravem metum facere. — C. *Clericis* 3. *de Immun. eccles.* in 6.°, B. *Coenae* § 13., Suarez D. 21. S. 2. 12.ª 13.ª 14.ª Censura, Bonacina D. 1. Q. 14., E. M.

1172. IX. *Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac Supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum. Nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes Supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.*

Falsarios, falsarii Apostolicarum litterarum sunt, qui *dolo malo*, vel semel, *veras* Litteras Apostolicas adulterant, addendo, detrahendo, vel immutando aliquid, ita ut alterum decipere queant, quod vero non materialiter sed formaliter aestimari debet, iuxta nempe sensum a Romano Pontifice principaliter intentum. *Dolo malo*, quare si veras litteras corruperis mox laceraturus, nemini nocens, nullaque iniuria afficiens Romani Pontificis auctoritatem, verius est excommunicationem cessare. Castropal. Tr. 29. de Cens. D. 2. P. 7. n. 4. Minime vero *falsarii* sunt, qui *falsas* litteras integras fabricant. Hi enim non *falsarii* sunt, nam *veritatem* re ipsa non immutant, sed *falsas* litteras *fabricantes* sunt, ut in B. *Coenae* habebatur, ubi *falsarii* et *falso fabricantes* distinguebantur. Suarez de Cens. D. 21. S. 1. 6.ª Cens. *Falsarios*, incurritur ergo praesens excommunicatio, vi huius clausulae, statim ac falsitas perfecta fuerit, licet quis falsatis

litteris minime deinde utatur. Qui autem utitur, incurrit aliam excommunicationem episcopo reservatam, de qua infra.— *Litterarum Apostolicarum.* Ergo huc non spectant litterae *aliorum quorumcumque,* ut Nuncii Apostolici, Legati a latere, Poenitentiarii maioris, SS. Congregationum, etc. Immo nec Litterae Apostolicae vel Rescripta nondum signata, vel munita sigillo, vel plumbo, quia cum nondum authentica sint, nondum valent: nec ea quae valere desierint, et amplius valere non possunt, puta dispensatio a servitio chori ad tempus, hoc elapso; dispensatio matrimonialis, mortuo dispensato, etc. — *Etiam,* adeoque etiam in alia forma solemniori, uti sunt Bullae. — *In forma Brevis,* nomine Brevium intelliguntur Pontificiae Constitutiones, quae per Secretariam Brevium expediuntur in membranis albis atque subtilibus pro negotiis, ut plurimum, non ita gravioribus ac universalibus. Latino, eoque nitido charactere, conscriptae sunt; et sigillum habent cerae rubrae, in quo impressa est imago divi Petri piscationem agentis. Ideo dicuntur expediri *ab annulo Piscatoris.* — *Supplicationum,* supplicationes propriae sunt petitiones ad Pontificem directae pro gratia vel iure obtinendo. Verum iuxta stylum Curiae significant potius Pontificis responsum, sive fiat simplici sigilli appositione ad petitionem, aut subscriptione nominis, sive per Rescriptum, in quo petitio memoretur. Hoc secundo sensu hic sumuntur, nam sermo est *de supplicationibus per R. Pontif. etc. signatis.* — *Gratiam* vel *iustitiam concernentium,* gratiam continere dicuntur, quae aliquod continent Romani Pontificis beneficium, seu liberalitatem; iustitiam vero, quae ad lites, adeoque ad causae alicuius cognitionem, seu definitionem pertinent. — *Per Rom. Pont., vel S. R. E. Vice-Canc., seu Ger. vices eorum, aut de mandato eiusd. R. Pont. signatarum,* Litterarum nempe Apostolicarum propria manu, propriove sigillo Pontificis, vel aliena quidem manu subsignatarum, sed eius nomine, aut de eius mandato. Agitur enim de *Litteris Apostolicis.* — *Falso publicantes* sunt: 1.° qui veras Litteras Apostolicas, sed adulteratas; 2.° qui simpliciter *falsas,* seu integras, falso fabricatas, modo quovis in vulgus diffundunt. Ergo, si quis paucis tantum ostenderit Litteras Apostolicas simpliciter confictas, ita ut *publicatae* adhuc dici non possint, hanc non incurreret excommunicationem. Exigunt aliqui modum usitatum pro auctoritativa promulgatione; verum *publicatio* idem non est ac *promulgatio;* et in hac Constitutione unum ab alio apprime distinguitur. — *Litteras Apostolicas etiam in forma Brevis,* non additur: *ac supplicationes,* ut in prima parte. — *Falso signantes supplicationes* sunt, qui falsam subscriptionem, falsum illis sigillum apponunt, ut authenticae habeantur. — *Supplicationes,* restringitur ergo haec pars ad supplicationes dumtaxat. — C. *Ad falsariorum* 7. *de Crim. falsi.,* B. *Coenae* § 6., Bonacina D. 1. Q. 7.

1173. X. *Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem.*

Absolventes, immutatur hic et ampliatur excommunicatio lata iam a Bened. XIV., qui eam tulit contra *audentes, praesumentes absolvere, ausu temerario absolventes.* Cf. 1280. seqq.

1174. XI. *Usurpantes, aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes.*

Usurpantes, bona ecclesiastica ii hic sunt, qui illa *a domino auctoritative occupant*, tamquam *propria*, h. e. quasi ius in ipsa haberent. Hinc non comprehenduntur *fures*, qui licet rem alienam et ipsi invadant; illam tamen tamquam *alienam* invadunt, nullum ius in eam praetendentes, quo eam tamquam sibi propriam, occupatam iam, retineant. S. O. 9. Mart. 1870., Roncaglia de Cens. Tr. 4. c. 4. Q. 2. R. 1. Neque vero comprehenduntur ii, qui bona ecclesiastica, ab aliis usurpata, emptione, donatione, aut quovis alio contractu acquirunt, licet et contra iustitiam et contra religionem graviter isti peccent: censuram tamen isti incurrunt latam a Tridentino, S. O. 8. Iul. 1874., quod praeterea declaravit: « huiusmodi usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione R. P. specialiter reservata », vi praesentis Const. *Apost. Sed.*, et non etiam excommunicatione simpliciter reservata, vi Concilii Tridentini. — *Sequestrantes* hic appellantur, qui iudiciali officio et iurisdictione rem alicui tertio custodiendam *iniuste* committunt, vel ipsimet custodiunt, atque ita impediunt, ne ipsa sub potestate maneat illius, ad quem pertinet, eaque libere utatur. — *Sequestrantes*, excommunicati sunt ergo iudices. Sequestrum enim ex iudicis mandato omnem suam vim habet. *Sequestrantes* sunt hic etiam qui rem in vim sequestri detinent. Actor etiam comprehendi videtur, nam bene dicitur ex usu communi *sequestrare*. — *Iurisdictionem*, etiam temporalem, ut ex toto contextu patet, et quia absolute dictum. — *Bona* sive immobilia sive mobilia. — *Reditus*, quidquid res fert, vel quidquid percipitur intuitu rei; minime vero proventus et obventiones aliunde, ceu distributiones quotidianae. — *Ad personas ecclesiasticas pertinentes*, hinc censuram hanc non incurrunt usurpantes aut sequestrantes bona *locorum piorum*, nempe nosocomiorum, laicalium confraternitatum, etc.; licet isti Tridentinae censurae subiaceant. Idem dicendum de bonis, quae pertinent ad Ecclesias, sed non ad ecclesiasticas personas, v. g., bona destinata Ecclesiae reparandae, divinis obeundis, pauperibus sublevandis, puellis dotandis, etc. — *Ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum* sive saecularium, sive regularium; non incurritur ergo praesens excommunicatio, si agatur de bonis, ad ecclesiasticas personas pertinentibus, sed alia ratione. Neque etiam incurritur, si quis haec eadem usurpet, sequestret, dum beneficium vacat; praesens enim excommunicatio ipsis *personis* ecclesiasticis imprimis consulere videtur, *ad personas ecclesiasticas pertinentes.* — *Ecclesiarum*, hinc non incurrunt praesentem censuram, vi huius clausulae, usurpantes, aut sequestrantes bona *monasteriorum.* Universim et per se loquendo, bona monasteriorum non pertinent *ad personas ecclesiasticas*, nempe ad religiosos *ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum*, puta bona Collegii religiosorum, in quo pueri educantur, etc. *Bona monasteriorum ad nullas personas ecclesiasticas* pertinent, sed vel ad ipsa Monasteria, vel ad Romanam Ecclesiam pertinent. — *Beneficiorum*, hinc iterum non incurrunt hanc censuram usurpantes aut sequestrantes bona vel reditus capellaniarum laicalium. *Beneficia* enim vero sensu non sunt, et in pias fundationes vel legata pia resolvuntur. Incurrunt vero usurpantes aut sequestrantes bona vel reditus beneficiorum, quae iuris patronatus laicalis sunt. Sunt enim beneficia stricto

sensu accepta, quamvis obnoxia sint servituti patronorum, qui ius habent praesentandi beneficiatum, quum vacaverint, ius habent ad quasdam honoris praerogativas, et ius aliquod ad alimenta, si ad egestatem vergant. — C. *Generali Constit.* 13. *de Electione et elect. potest.* in 6.°, B. *Coenae* § 17., Bonacina D. 1. Q. 18., Suarez D. 21. S. 2. 17.ª Censura, Ferraris v. *Bona* art. 1. n. 13. seqq.

1175. XII. *Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia: vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praestantes.*

Invadentes, vi nempe adhibita; invadere enim est vi aut impetu ingredi; quamvis non intendatur eam civitatem subtrahere ex dominio Papae; neque in aliquo laedere ius Ecclesiae. — *Destruentes* in totum vel in partem. — *Detinentes,* sive ipsimet invaserint, sive ab aliis accepta retineant, uti v. g. haeredes, si tamen sine maiori publico damno, et sine maiori ipsius temporalis Principatus Romani Pontificis damno illum statim deserere possint; et nisi accedat saltem tacitus consensus ipsius Romani Pontificis, uti pro locis pluribus in B. *Coenae* enumeratis accessisse videtur. Qua in re unicus legitimus iudex est ipse Romanus Pontifex. — *Vel per se vel per alios,* ad tria praecedentia refertur. — Ex hoc capite, soli viri Principes hanc excommunicationem incurrunt; non item Senatores et Deputati, quippe qui, non quasi *singuli,* sed quasi *Ordines* retinent. — *Iura,* i. e. temporalia et suprema, principalia, ut ius imponendi tributa, creandi magistratus, etc. — *Ad Ecclesiam Romanam pertinentia,* non ad privatas personas, etiam Summi Pontificis. — *Usurpantes,* h. e. sibi adscribentes tamquam propriam supremam iurisdictionem. — *Perturbantes,* v. g., qui directe impediunt, quominus in hisce locis leges ferantur, promulgentur, exsecutioni mandentur; qui rebellionem promovent, etc., *satagentes constitutum regimen immutare, vel supremam iurisdictionem labefactare et imminuere;* non alii. — *Retinentes,* i. e. de facto exercentes supremam iurisdictionem loco legitimi Principis, huiũs iurisdictionem ita impediendo. — *Supremam iurisdictionem* temporalem, eam nempe quae soli Principi, seu supremo gubernanti competit, quae scilicet Summo Pontifici competit, ut princeps est, circa res maioris momenti, uti sunt causae Status, sanguinis, confiscationis bonorum, etc. — *In eis,* h. e. civitatibus, terris, locis praedictis. — *Ad singula praedicta,* nempe ad *invadendum, destruendum civitates,* etc. *usurpandum, perturbandum, retinendum supremam,* etc. — *Auxilium praebentes,* proxima nempe cooperatione, et secluso omni gravi metu, coactione et gravi incommodo proportionato, excusante, sive proprio sive publico. *Auxilium, favorem praebentes in retinendo* minime sunt illi, qui *opinione* tantum, quin *reipsa et formali cooperatione vel adhaesione* aliquid faciant, stant pro usurpatoribus. Enc. Pii IX. 1. Nov. 1870., 26. Martii 1860., S. Poenit. 10. Dec. 1860. *Auxilium* vero, *favorem praebentes in retinendo* sunt, qui operam· aliquam praestant, quae *proxime* usurpatores in detentione confirmet, v. g., largiendo pecuniam, personas in populum influentes denuntiando, scripta in vulgus diffundendo ad popularem opinionem immutandam, etc. Quaestio autem hic est, an *auxilium* et *favorem praebeant in retinendo,* qui publica munia gerunt. Iam vero haec duplicis generis sunt: alia enim sunt mere *civilia,* quae

nempe pertinent ad necessitates et utilitates civium, alia sunt *politica*, quae spectant ad regimen ipsum tuendum totius nationis. Prioris generis munera suscipere licitum est, siquidem ea directe et per se non tendunt ad usurpatorem approbandum vel confirmandum, sed dumtaxat ad publicum ordinem servandum, quem servare ipse usurpator debet ex ipsa natura societatis, quae seipsam pessumdare nequit. Quoad munera vero alterius generis S. Poenit. 10. Oct. 1860. ad generale quaesitum 13.um: « An retineri et suscipi possint sub intruso Gubernio officia »; respondit, « tolerari posse dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in eiusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum ». Et sic in spolii manutentionem ex officio directe et proxime influunt, qui primum seu supremum magistratum gerunt in quavis provincia, etc. Instructio Pii VII. 22. Maii 1809., 10. Iun. 1809. — Cit. Enc. Pii IX. *Respicientes* 1. Nov. 1870., quae post Const. *Apost. Sed.* edita est, ad alios etiam cooperatores excommunicatio explicite extenditur; ad *mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, procurantes, exsequentes.* — B. *Coenae* § 20., Bonacina D. 1. Q. 21., E. M.

1176. *A quibus omnibus excommunicationibus, huc usque recensitis, absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis, concessis sub quavis forma et quibusvis personis, etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.* Cf. 799., E. M.

1177. *Excommunicatio latae sententiae speciali modo R. P. reservata, quae accessit C. Apost. Sed.*

XIII. Ex C. Pii IX. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873. par. *Confidimus*, seqq., A. S. S. V. 7. p. 104., *excommunicatio* fertur latae sententiae, *specialiter* reservata Romano Pontifici 1.° *in Dignitates et Canonicos Cathedralium Ecclesiarum vacantium, ac illos, qui deficientibus Capitulis, Vicarios deputant* (vacantis Ecclesiae), *aut vacantes Ecclesias legitime administrant,* qui ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum *concedere et transferre in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam eius curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore, ausi fuerint.* 2.° In *nominatos et praesentatos ad vacantes ecclesias, qui earum regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque, de quibus supra, in eos peractam.* 3.° *Nec non in eos, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cuiuscumque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint.*

1178. *Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:*

I. *Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae, item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const.* Suprema *7. Iulii 1745.*, Ubi primum *2. Iunii 1746.*, Ad eradicandum *28. Septembris 1746.*

Docentes, docere, ut *credere,* idem non est ac *in praxim deducere:* haec duo possunt *reipsa* seu *facto* optime distingui. Docere proprie est simpliciter tradere et persuadere doctrinam aliquam, sive privato sive publico magisterio. Quare, si quis dumtaxat dicat, se tenere hanc vel illam propositionem non fuisse damnandam, hanc non incurrit excommunicationem. — *Defendentes,* defendere est earum patrocinium suscipere, ab oppugnationibus et contrariis rationibus eas vindicando, quasi fuerint damnatione indignae. — *Publice,* publica schola, universitate, collatione, disputatione, editis libris, etc. — *Privatim,* privata schola, collatione, disputatione, etc. Duplex hoc additum, sive *publice* sive *privatim,* in fine positum, utrumque quod praecedit, *docentes* vel *defendentes,* afficit, uti ex sensu obvio constat. — *Ab Apostolica Sede,* nempe a Summo Pontifice, non ab Indice, non a S. C. I., non a Concilio Oecumenico. — *Sub excommunicationis poena latae sententiae.* Agitur ergo hic de Romano Pontifice damnante *ex Cathedra sub excommunicationis poena latae sententiae,* quamvis non addatur *reservatio;* nam primo, hoc non habetur in Const., deinde inutilis evaderet haec pars articuli. — *Item docentes,* etc. Bened. XIV. in C. *Suprema* penitus reprobat praxim *exquirendi nomen complicis, denuntiata quoque, nisi reveletur, absolutionis sacramentalis negatione;* agitur de *complice* non in re turpi tantum; sed in quovis peccato. Lex enim absolute loquitur. — In C. *Ubi primum,* poena imponitur excommunicationis *ipso facto* ac Romano Pontifici *reservatae* in quemlibet, qui « *ausus* fuerit *docere,* licitam esse *eiusmodi praxim* ». — In C. *Ad eradicandum* Pontifex decernit et declarat « memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum et temporum Apostolica Auctoritate reprobatam atque damnatam esse et censeri debere ». — Tria igitur, ut patet, requiruntur, ut quis huiusmodi excommunicationem incurrat: 1.° ut doceat vel defendat hanc praxim licitam esse; 2.° ut utrumque simul licitum esse doceat, vel defendat, i. e. et exquirere nomen complicis et reticenti absolutionem denegare; 3.° ut *ausu* et *praesumptione* haec doceat, vel defendat. Idque valere videtur etiam vi C. *Apostolicae Sedis:* dicitur enim ibi, *prouti damnata est a Bened. XIV.*, etc.

1179. *An per praedictas litteras Benedicti XIV. ita interdictum sit quaerere nomen complicis, ut in nullo casu id liceat?* — R. Negative, 1.° quia ipse Bened. XIV. supponit casus, in quibus id liceat, iuxta *veras et sanas* doctrinas; 2.° quia aliquando confessarius circumstantias interrogare debet, ex quibus, licet *per accidens,* in cognitionem complicis deveniat; et aliquando etiam ipse poenitens complicem manifestare tenetur Superiori, vel alteri, nec tamen id nisi per confessarium praestare potest. — L. l. 6. n. 491. 499., Ithur. Cas. 31., Lugo de Poenit. D. 16. n. 432. 433.

1180. *An id liceat etiam ad correctionem vel bonum publicum?* — R. Ad 1.um Negative. Constat 1.° ex Const. Bened. XIV. ll. cc.; 2.° quia huiusmodi etiam correctio sacramentum poenitentiae odiosum redderet

fidelibus, perniciosa est famae proximorum, et periculum continet violationis sigilli sacramentalis. — Ad 2.um distinguendum est: si sermo sit de *damno publico* impediendo, affirmative, si id nempe sit *unicum medium necessarium;* si vero agatur de *bono publico* mere promovendo, negative, ob easdem rationes.

1181. *An graviter peccet confessarius, si nomen complicis interroget, sed non sub poena denegandae absolutionis?* — Huiusmodi imprudens interrogatio ex curiositate, levitate, vel alia simili causa excusaretur a peccato mortali, seclusa tamen gravi proximi diffamatione, et gravi poenitentis scandalo. Ratio, quia deessent tunc graves illae rationes, modo expositae, Cf. 1180., et quas enumerat Bened. XIV. in sua C. *Suprema.*

1182. II. *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut episcopus aut alius absolvat.*

Violentas manus, intelligitur per hoc quaevis iniuriosa actio exterior, *factis,* non *verbis,* mortalis in clerici personam; sive per eam laedat quis eius *corpus,* eum percutiendo, vulnerando, ei venenum praebendo, quando huiusmodi actio coeperit nocere; sive eius laedat *libertatem,* in carcerem eum detrudendo, C. *Nuper* 29. *de Sent. exc.*, etc.; sive laedat eius *dignitatem,* vim ei utcumque inferendo, v. g., si sistat rhedam, qua vehitur, violenter illi detrahat pileum, eum foedet, etc. L. 272.-275. 280. *Iniuriosa* autem *percussio* haberetur, etiamsi clericus consentiret in eam, cum lex haec sit in favorem status. C. *Contingit* 36. *de Sent. excomm.* Excommunicationem e contra non incurrunt, si qui clericum percutiant defensionis causa, vel ioco; vel si clericum percutiant, correctionis gratia, parentes, praeceptores, superiores. C. *Cum voluntate* 54. § 2. ib., C. *Ex tenore* 10. ib., C. *Si vero* 3. ib., C. *Super* 1. ib. — *Suadente diabolo,* hoc « tantum importat percussionem cum peccato gravi ». L. 275. 48., Suarez de Cens. D. 22. S. 1. n. 2., Schmalz. n. 228., Elbel. n. 133. — *Iniicientes,* non mandantes, consulentes, consentientes, ratihabentes, non impedientes iniicere. — *Clericos,* quo nomine intelligitur omnis prima saltem tonsura initiatus, etiamsi coniugatus sit, dummodo cum unica virgine et deferat habitum ac tonsuram clericalem, C. *un. de Cler. coni.* in 6.°; item, etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, depositus verbaliter tantum, irregularis. — *Monachos,* « intellige quemvis religiosum, etiam laicum conversum, novitium, utriusque sexus. Item Tertiarios S. Dominici, S. Francisci, si gestent habitum et vivant in communitate. Item eremitas subiectos alicui regulae, vel superiori... Idem dicit Fagnanus de mulieribus conviventibus in conservatoriis, quamvis religio non sit adhuc approbata... Et idem ait Renzius de seminaristis, etc. ». L. 271., Schmalz. n. 219.

Exceptis, etc.... Excipiuntur ergo *casus* et *personae,* de quibus *iure* vel *privilegio* permittitur, ut episcopus aut alius absolvat. — *Casus;* triplex distinguenda est percussio, *enormis, mediocris,* sive gravis, *levis.* Percussio est *enormis,* si quis ea clericum vel monachum mutilavit, oculum ei exclusit, membrum rupit, ingens vulnus inflixit, fecit ut magna sanguinis copia aliunde quam e naribus effunderetur. Est *mediocris,* si percussio contusionem affert vel deformitatem, puta si extrahitur dens, si capillorum copia evellitur, si fit suggillatio carnis, si sanguinis copia effunditur, absque tamen graviori corporis laesione. Tandem percussio *levis* hic di-

citur, non quia importat peccatum veniale, sed quia, etsi mortalis sit, prudentum iudicio levis existimatur comparata cum enormi, v. g., si fit palma, pugno, fuste, lapide, non relinquendo vestigium. Animadvertendum autem est, quod percussio *levis* potest evadere *gravis* vel *enormis* ratione circumstantiarum, nimirum ratione personae laesae, personae laedentis, personae coram qua fit percussio, ratione scandali, loci, temporis, iniuriae. L. 276.-278., Extrav. *Perlectis* apud S. D. n. 277. — *A percussione levi, etiam publica,* possunt absolvere episcopi ex C. *Pervenit* 17., C. *Si vero* 3. *de Sent. exc.* Et sic pariter eorum vicarii generales, quia hoc habent episcopi de iure ordinario. Idemque possunt alii iurisdictionem quasi episcopalem habentes. L. 79. 279. *A percussione enormi, aut mediocri, si est publica,* potest absolvere tantum Papa, aut legatus *a latere*, qui gaudet auctoritate pontificia, ex C. *Ad Eminentiam* 20. *de Sent. exc.* Idem possunt legati missi ad aliquam provinciam ex C. *Excommunicatis penult. de Off. Legati,* in Provincia dumtaxat sua, nec quoad extraneos. *Si vero percussio fuerit occulta,* possunt ab ea absolvere etiam episcopi ex Trid. C. *Liceat* 6. S. 24. L. 88. 279. — *Personae,* a percussione etiam publica episcopi absolvere possunt sanctimoniales aliasque omnes mulieres, ex CC. *Mulieres* 6., *Ea noscitur* 13., *De Monialibus* 32. *de Sent. exc.*, Ithur. Cas. 43. n. 29. « Et hoc etiamsi percussio fuerit enormis... Item eos, qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit *gravis*, non vero si *enormis*... Item omnes impeditos adire Romam ». L. 279., C. *Canonica* 50. *de Sent. excomm.*, C. *Quoniam* 9. *de Vit. et hon. cl.* Adde et regulares, « si percussio fuerit levis vel enormis occulta...., de suorum praelatorum licentia ». L. 107., Append. de Privil. n. 97. Cf. Suarez de Relig. T. 4. l. 2. c. 23. — *Aut alius,* praelati ergo regulares absolvere possunt suos *subditos*, etiam novitios: 1.° Si percusserint eiusdem ordinis consodalem, nisi percussio sit enormis aut iniecta manus fuerit in episcopum vel abbatem. 2.° Si percusserint religiosum alterius ordinis, dummodo adhibeatur etiam sententia praelati, cui percussus subiicitur. Eos vero absolvere non possunt, si percusserint clericum saecularem, sed ab Apostolica Sede sunt absolvendi, excepto casu percussionis *levis*, quo ab episcopo absolvi possunt. CC. *Monachi* 2., *Cum illorum* 32., *Canonica* 50. *de Sent. exc.*, *Religioso* 21. e. t. in 6.°, S. Alph. n. 107., ubi addit: « Notandum... quod praedicta procedunt iuxta ius *commune;* nam spectatis privilegiis, religiosi bene possunt absolvi a suis praelatis etiamsi percussio fuerit enormis, ex pluribus privilegiis...., etiamsi religiosus percusserit alium alterius ordinis, vel clericum saecularem..., etiamsi percussio fuerit publica ». Cf. Lucidi de Visitat. etc. C. 4. de Clero regul. § 4. n. 96.-98., Scav. l. 1. n. 954. — *Aut alius,* « poenitente impedito superiorem adire, vel in periculo mortis, a quovis confessario potest absolvi ». D'Annib. Summ. P. 1. n. 368. Ed. 3.ª — C. 29. caus. 17. q. 4., Suarez D. 22. S. 1., Schmalz. n. 97. 243.-262., Elbel n. 125.-149. Bonacina D. 2. Q. 3. P. 6.

1183. *An excommunicationem incurrat, qui volens occidere clericum Petrum, errore invincibili occidit clericum Antonium?* — Plures et graves dd. negant, quia illa *realis* percussio respectu clerici Antonii non fuit voluntaria, sed *mere casualis.* Alii probabilius et communiter, ut ait S. Alph. l. 3. n. 628., affirmant, quia licet error adsit in persona, clericum tamen vere vult laedere, et de facto laedit. Ergo laedit vere statum cle-

ricalem. Ergo. — Suarez l. c. n. 54., Molina de Iustit. et Iure Tr. 3. D. 53. n. 2., Sanchez de Matr. l. 9. D. 32. n. 27., Schmalz. n. 229. 234.

1184. *An incurrat excommunicationem qui percutit aliquem, ignorans esse clericum, sed tali animo, ut si sciret adhuc percuteret?* — « Communius et probabilius negant Sanch. Suarez, etc., quia ignorantia concomitante adest tantum voluntas interpretativa, quae non est vera voluntas ». L. 275., Schmalz. n. 233., C. *Si vero* 4. *de Sent. exc.*

1185. III. *Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes et quilibet complices, qualemcumque operam aut favorem praebentes: nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.*

Duellum, prout poena hac excommunicationis plectitur, est illicitum duorum bellum seu pugna, ex condicto, statuto tempore, in loco convento, et letalibus ac paribus armis, etsi « convenerint, ut non singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent », Clemens VIII. C. *Illius vices* § 3. 5., nempe unus adversus unum, etsi plures successive cum eodem commiserint. — *Duellum perpetrantes*, i. e. duellum committentes, sive privatim, sive publice, adhibitis nempe patrinis, affixis subscriptisque chartulis, seu provocationis libello, etc. Comprehenduntur hic etiam illi, inter quos pactiones initae sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Hi enim vere duellum perpetrant, dummodo tamen duellum *de se* letale sit. — *Simpliciter ad illud provocantes*, sive scripto, vel alio exteriori signo provocent. Praesens excommunicatio incurritur, etiamsi duellum de facto non sequatur, neque accessus, nec ullus alius actus ad pugnam proximus. Nam cum dicatur *Simpliciter* provocantes, censura imponitur praecise *ob provocationem*, et non etiam *ob duellum*. — *Ipsum acceptantes*, eadem facienda animadversio ac pro *provocantibus*. — *Quilibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes.* Quare excommunicantur mandantes, consilium dantes, comitantes, nuncii, dictantes libellos provocatorios, aut eos scribentes, vel affigentes; patrini, testes, armorum magistri, etc. An autem *complices* et *cooperatores* excommunicationem incurrant, si pugna ad effectum non perducatur? Alii affirmant; alii vero negant; tunc enim non verificatur quod *duelli complices* et *cooperatores* fuerint. — *De industria spectantes*, i. e. qui data opera ad duelli locum accedunt, et duello assistunt. Hinc excommunicationem non incurrit, qui obiter et casu per locum duelli transiens aspicit curiositate ductus. Item neque hanc excommunicationem incurrere videntur, qui spectant a longe, vel in secreto, vel alio modo, nihil ad pugnam acuendam inducente. Tandem neque hanc excommunicationem incurrit, qui locum duelli adeunt ad illud impediendum: nam rem optimam praestant. — *Illud permittentes, vel quantum in illis est non impedientes*, huic ergo excommunicationi subiacent civiles illae, vel militares auctoritates, quae, cum possint, duellum minime impediunt, Domini temporales, ea non prohibentes in terris suis, etc. Greg. XII. C. *Ad tollendum*, Clem. VIII. C. *Illius Vices*, Bened. XIV. C. *Detestabilem*. L. 220., Reiffenst. l. 5. T. 14., Schmalz. l. 5. T. 14., Lugo Resp. Mor. l. 2. D. 1. 2., Bonacina D. 2. Q. 3. P. 48., E. M.

1186. IV. *Nomen dantes sectae Massonicae, aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu palam. seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint.*

Nomen dantes sunt quicumque scientes et volentes in eam admittuntur, quocumque ritu, vel quamvis sine ritu initientur. — *Sectae Massonicae* hominum coetus, seu societates sunt, qui adversus Ecclesiam, vel legitimum Gubernium aliquid moliri sibi proponunt, « sive id clam, sive palam fecerint, sive exegerint, sive non a suis asseclis secreti servandi *iuramentum* ». S. O. 12. Jan. 1870., 10. Maii 1884., 15. Aug. 1846. — *Aut aliis eiusdem generis*, sectae plane religiosae, haereticae et schismaticae huc non pertinent. — *Legitimas potestates*, sive civiles, sive religiosas. — Notandum autem hic est, quod absolvi non possunt qui praedictis sectis nomen dederunt, si, licet emissi iuramenti poenitentiam agant, externe tamen cum iisdem sociis communicant, ratione scandali quod adest. S. O. 5. Jul. 1837., 27. Junii 1838., S. Poenit. 8. Nov. 1821. — *Favorem qualemcumque, qualemcumque* latissime patet: sive negative, cum debeat et possit quis facere; sive positive, vel physice, vel moraliter quis agat; sive per se, sive per alios; sive directe, sive indirecte, sive palam, sive occulte. — *Occultos coryphaeos ac duces*, non quoscumque, qui damnatis sectis nomen dederint. — *Occultos*, si igitur publice noti sint, omitti denuntiatio potest, ut eruitur ex Instr. S. O. 1. Febr. 1871. — *Coryphaeos ac duces.* Per praesentem Constitutionem nulla quidem censura adest quoad denuntiationem omittentes aliorum sectariorum. Verum remanet semper obligatio eos denuntiandi vel ex lege ecclesiastica, si haec vigeat, vel ex lege naturali, quae graviter obligat, ubi agatur de gravi damno evitando. — *Donec non denuntiaverint.* Denuntiatio Inquisitori vel Episcopo loci, vel quasi episcopale munus ibidem gerenti, vel alteri ab eis ad hunc effectum delegato, facienda est, ut eruitur ex Instr. cit. Ab ea autem excusare potest grave damnum proprium vel suorum, nisi periculum adsit damni communis, quod semper praevalet privato, vel inutilitas denuntiationis, propterea quod nullum remedium Praelatus sit adhibiturus. Lapsus autem notabilis temporis requiritur ad excommunicationem pro omissa denuntiatione. Talis est integer mensis, ex quo quis obligationem novit et potuit adimplere, secundum communem regulam. Facta autem denuntiatione, cessat saltem reservatio censurae, cum conditionate feratur, *donec non denuntiaverint.* Quin immo « censura ipsa per denunciationem cessat. S. O. 1. Febr. 1871. ». Si iusta autem de causa, quis absolvatur, antequam faciat denuntiationem, ab habente ad hoc potestatem, et promissionem factam denuntiationis faciendae deinde non servet, in eandem reincidit excommunicationem, vi huius clausulae: *donec non denuntiaverint.* — Clem. XII. C. *In eminenti*, Bened. XIV. C. *Providas*, Pius VII. C. *Ecclesiam*, Leo XII. C. *Quo graviora*, Gregor. XVI. C. *Inter*, Pius IX. Alloc. *Qui pluribus* 9. Nov. 1846., Ep. Enc. Leonis XIII. *Humanum genus* 20. Apr. 1884., Instr. S. O. 10. Maii 1884., Ferraris v. *Denuntiatio.*, E. M.

1187. V. *Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes, aut violantes.*

Immunitas asyli ecclesiastici est ius, quod competit locis sacris vel religiosis, ne, qui ad ea confugiunt, vi inde extrahantur. C. *Inter* 6. *de Immun. eccles.* Excipiuntur tamen ex B. *Cum alias* Gregorii XIV. et ex B. *Ex quo divina* Benedicti XIII. latrones publici, viarum grassatores, depopulatores agrorum, homicidae, haeretici, rebelles rei laesae maiestatis contra personam Principis, aliique, quos excipit Bened. XIII. C. cit., et Bened. XIV. C. *Officii nostri*, servatis tamen formalitatibus, duabus hisce Constitutionibus praescriptis. Cf. A. S. S. V. 2. p. 49. seqq. 120. 486. Competit hoc ius Ecclesiis, etiam nondum consecratis, pollutis, interdictis, earumque Sacristiis, campanilibus, tectis, atriis, coemeteriis, etiam ab Ecclesia separatis; Oratoriis ab Episcopo erectis; Hospitalibus, in quibus exstat aliqua Cappella publica; Domui religiosorum; Seminariis; palatiis Episcoporum, vel S. R. E. Cardinalium. CC. 9. 21. 35. 36. ult. *de Imm. eccl.*, C. 4. *de Relig. dom.* L. de Priv. n. 25.-27. Habita quidem ratione locorum et temporum, plura in contrarium acta, *per accidens* excusantur a peccato, propterea quod moraliter vitari non possint, et lex positiva cum tanto incommodo non obligat. Attamen *per se* hoc ius adhuc obtinet, non obstante contraria inducta consuetudine, ut nempe sacrorum reverentiae consulatur. S. O. 22. Dec. 1880. *Ausu temerario* utrumque membrum complectitur. Ex quo intelligitur, eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens, immunitatem asyli ecclesiastici aut violare iubet, aut exsequendo violat. S. O. 1. Febr. 1871., A. S. S. V. 15. p. 539. — *Violare iubentes.* Hinc excommunicationem incurrunt omnes mandantes extrahi delinquentem ex asylo ecclesiastico, effectu violationis secuto. — *Violantes* sunt, qui de facto reum ab asylo *vi* extrahunt, non qui tantum *attentant.* — C. 6. caus. 17. q. 4.. Tit. 49. *de Immun. eccles.* lib. 5. Decret., Greg. XIV. C. *Cum alias*, Bened. XIII. C. *Ex quo divina*, Clem. XII. C. *In suprema*, Bened. XIV. CC. *Alias felicis*, *Officii nostri*, *Elapso proxime*, Ferraris Bibl. v. *Immunitas eccles.*, Reiffenst. l. 3. tit. 49., Bonacina D. 2. Q. 3. P. 16.

1188. VI. *Violantes clausuram monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint in eorum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Const.* Decori *praescriptam.*

Violantes clausuram monialium sunt, ut constat ex sequentibus, qui in earum monasteria absque legitima licentia ingrediuntur. — *Clausura* dicitur totum illud spatium, quod septis monasterii continetur. — *Monialium*, i. e. quae *stricte religionem profitentur vera propriaque professione.* Sermo enim hic est de ea clausura, de qua loquitur Trid. S. 25. de Reg. C. 5., et Pius V. in Const. *Decori.* Hinc, ut canonicae et pontificiae clausurae non adstringuntur recentiores moniales, neque huic censurae obnoxiae sunt. S. C. EE. et RR. 1. Aug. 1839. — *Cuiuscumque generis aut conditionis.* Non videntur comprehendi etiam personae regalis familiae, quae, ratione suae supremae dignitatis specialiori mentione dignae sunt, neque comprehendi videntur *praelati* sive saeculares, sive regulares ingredientes absque necessitate: nequit enim de ipsis dici quod ingrediantur absque facultate. — *Sexus* vel *aetatis.* Hinc non solum viri, sed et mulieres; non solum adulti, sed et infantes septennes, doli capaces.

— *Monasteria*, nomine monasterii intelligitur domus, in qua religiosae simul congregatae *regulariter* vivunt. L. 231. — *Absque legitima licentia*. Non necessario ergo requiri videtur, ratione huius excommunicationis incurrendae, ut haec licentia *scripta* obtineatur, ut habetur in Trid. l. c., et sufficere videtur etiam licentia generalis. Et sane ille qui ingreditur, licentia accepta a superiore, licet neque *in scriptis* habita, neque *speciali*, sed generali, non ingreditur quidem *absque legitima licentia*. Hanc licentiam concedere possunt: 1.° Episcopi *auctoritate propria*, vel *delegata*, prout monasteria sint Episcopo subiecta, vel immediate subsint Summo Pontifici. 2.° Vicarii generales, quoad monasteria dumtaxat episcopo subiecta. 3.° Vicarii capitulares, sede vacante, tum quoad monasteria episcopo subiecta, tum etiam quoad illa, quae subduntur Sedi Apostolicae. 4.° Episcopus, et praeterea praelatus regularis, i. e. Generalis, Provincialis, vel immediatus Superior monasterii, quoad monasteria regularibus subiecta, nisi contraria vigeat consuetudo, ut a solo episcopo detur. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 12. n. 23. 5.° Abbatissa, confessarius, aut alius vir prudens ex delegatione seu commissione episcopi, S. C. C. 26. Nov. 1722. L. 223. 224. 228. — Haec autem licentia dari nequit nisi *in casibus necessariis*, adeoque gravi de causa, eaque minor requiritur pro ingressu feminae, quam viri; pro ingressu diurno quam nocturno, consanguineae quam extraneae, et pro ingressu in priora receptacula, quam in interiora. In necessitatibus autem urgentibus, quae moram non patiuntur, ut in casu mortis, incendii, violentiae, etc. non requiritur ulla licentia ad ingrediendum. L. 225. Medicus ordinarius non potest ingredi nisi ex licentia renovata singulis trimestribus; nec non debet associari a duabus monialibus senioribus, et intrare solus. Medicus extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium. Insuper ingredi possunt ex licentia fabri et alii necessarii, qui artem suam intra clausuram exercere debent. L. 226. Confessarius ingredi potest ad ministranda infirmis sacramenta poenitentiae et eucharistiae, non solum in periculo mortis, sed quoties ex praescripto regulae dispensatur communio, et quoties illa monialis communicare consuevit; item ad ministrandam extremam unctionem, et ad commendandas animas agonizantium, stola et superpelliceo indutus, S. C. EE. et RR. Jan. 1714., non tamen ad exsequias defunctae monialis peragendas. Confessarius saecularis intrare debet sine socio, regularis vero debet habere socium probatae vitae et maturae aetatis. Dum autem confessionem audit, debent assistere comitatrices ad ianuam, ita ut eum videant. L. 227. Postremo possunt ingredi monialium monasteria episcopi in casu necessitatis aut visitationis, sed *a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati;* item praelati regulares visitationis causa, semel in anno, et si sit Generalis, potest ipse habere secum duos sui Ordinis socios, qui sint exemplares et maturae aetatis; si vero alius, unum tantum; et insuper debent assistere quatuor moniales ex senioribus, quae non separentur a Visitatore. L. 221., Bizzarri Collectan. pag. 262. Ed. 1885. Licet censuram non incurrat qui monasterium cum licentia ingressus, finito negotio, statim non egreditur, mortaliter tamen peccat, si mora sit notabilis. — *Ingrediendo*, ingredi est intus ire, intus consistere, et non tantum pedem intus ponere. — *Introducentes* sunt, qui positive cooperantur ad ingressum, *intus mittendo, seu ingredi volenti ianuam*

aperiendo. — *Admittentes* sunt recipientes, qui ingressum non prohibent, cum possint et debeant *ex officio, nempe Praefectae et Ostiariae.* — *Pariterque eos introducentes vel admittentes, eos,* nempe *violantes.* — *Extra casus,* etc. Ex C. cit. Pii V. « excusatur egressio si adsit iusta causa, nempe (ut ibi dicitur) *magni incendii, vel infirmitatis, leprae aut epidemiae* ». Hinc sufficiunt ad egrediendum causae similes, ut bellum imminens, latronum incursus, inundatio fluminis, aut aedificii ruina. — *Ac formam,* etc. Quando enim patet aditus, et tempus, nempe si periculum patitur moram, requiritur omnino ex praefata Bulla S. Pii V. ad egrediendum licentia in scriptis habita ab episcopo, et etiam a praelato regulari si monasterium sit exemptum. Sed nec in praedictis casibus extra monasteria, nisi ad necessarium tempus, stare licet. — *Exeuntes,* i. e. toto corpore extra clausuram egredientes. S. Alph. cum aliis non admittit parvitatem materiae. Quare, si monialis exeat e clausura, vel clausuram quis ingrediatur, etiam uno passu, hanc excommunicationem incurrit. Quod tamen alii apud eumd. S. Doct. negant, n. 229. E. M.

1189. *Nota* 1.° Ad maiorem castitatis custodiam prohibetur sub gravi tum clericis tum laicis *frequens accessus* ad *colloquendum* cum monialibus ad crates sine speciali facultate et sine rationabili ac manifesta causa, et ubi non adsit legitima consuetudo in contrarium. Ista autem frequentia consistit in eo, quod quis tribus diebus continuis, aut quater in hebdomada, vel semel singulis mensibus per annum circiter, monasterium adeat. Regularibus vero ista cum monialibus collocutio speciatim prohibetur, etiamsi fiat semel et per quadrantem cum dimidio, immo « per quodcumque modicum temporis spatium, peccant mortaliter ». Ita S. C. 1. Mai. 1669. « Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus sine licentia, peccant mortaliter; etiam ex rationabili causa, quando non adest licentia », etc. S. C. 26. Nov. 1672. Ex Decr. autem S. C. edito iussu Sixti V. a. 1590. Regularibus colloquentibus cum quibuscumque monialibus, sive sui, sive alterius ordinis, vel cum qualibet muliere in monasterio degente, imposita est poena privationis officii, vocis activae et passivae ipso facto incurrenda. Probabilius excipitur abbatissa extra Romam. Eximuntur vero ab hac prohibitione coniuncti in 1.° et 2.° gradu consanguinitatis, obtenta prius venia Ordinarii, qui eam in forma praescripta et per quatuor vices ad summum quolibet anno dare potest S. C. EE. et RR. 13. Kal. Dec. 1623. — C. *Monasteria de Vit. et honest. cleric.*, C. *Periculoso de Stat. regul.* in 6.°, L. l. 6. n. 232.-243., Bonacina T. 1. de Claus. Q. 3., Lezana Summa Quaest. Regular. V. 2. v. *Moniales* n. 17. seqq. — 2.° Ex Trid. S. 25. C. de Reg. excommunicatur magistratus saecularis, si, ad instantiam episcopi, non praebeat auxilium adversus inobedientes et contradictores clausurae monialium, *excommunicatione nemini reservata.* — Bonacina D. 2. Q. 10. P. 7. de Clausura Q. 4., Ferraris v. *Moniales* a. 3. 4., Lucidi de Visit. etc. V. 2. c. 5. § 2., V. 3. Docum. LV. seqq. Ed. 3.ª, Bizzarri Collect. pp. 301. 311. 319. 329. 347. 410. 438. 454. seqq. 546. seqq. 596. seqq. 723. seqq. Ed. 1885., Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 15., Schmalz. l. 3. t. 35., Reiffenst. ib.

1190. VII. *Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.*

Mulieres. Cum eadem haec excommunicatio antea viguerit, et nihil novi nunc addatur, videtur facienda eadem exceptio ac antea. Quare

excipiuntur « reginae, electrices, et similes, earumque filiae ». L. 231. 225. *Mulieres*, nempe rationis usum habentes et puberes. — *Violantes*, nempe ingrediendo, etiamsi eo tempore, quo nullus religiosus intus sit; hoc enim per accidens est. — *Regularium*, i. e. religiosorum, qui solemnia vota emittunt; qui enim simplicia tantum vota edunt, saltem ex sacris canonibus, clausurae non subiiciuntur. — *Clausura* est totum illud spatium, quod septis monasterii continetur, adeoque officinae, coenacula seu refectoria, valetudinaria seu infirmaria, dormitoria, coquina, etc., claustra, horti, prata, viridaria, nisi separata sint clavi et muro convenienti; non item sacristia, si ad eam ex ecclesia aditus pateat; immo nec prima claustra, in quae vadunt mulieres ad hauriendam aquam, modo coenobium habeat alia claustra mulieribus invia. S. C. EE. et RR. 24. Apr., 16. Maii 1582., Ferraris V. *Conventus* a. 3. n. 9. seqq. In nonnullis regularium Ordinibus, qui intra monasterium cubiculum habent S. Fundatoris vel alterius Sancti, legitima consuetudo adest admittendi ibi fideles utriusque sexus die eiusdem festo. « Ait Elbel, n. 671., quoad modum servandi clausuram, attendendas esse legitimas consuetudines ac rationabiles, auctoritate Superiorum approbatas: non autem eas, quae potius abusus et corruptelae dicendae sunt ». L. 231. Nomine autem monasterii seu conventus non veniunt domus privatae, seu residentiae, ubi unus aut alter religiosus habitare consuevit; neque domus quae aedificatur, nisi iam sint sufficientia habitacula, ita ut communitas regulariter iam vivere possit. L. 231. — *Aliosve*, ergo etiam inferiores et subditi, *admittentes*, incurrunt hanc excommunicationem. — *Eas*, nempe *mulieres violantes*. — *Admittentes*, i. e. recipientes, approbantes admissionem, vel non impedientes, cum possint et ex officio debeant. — Cf. Suarez D. 22. S. 6. 6.ª Excomm., Bonacina D. 2. Q. 3. P. 38. de Clausura Q. 5.

1191. VIII. *Reos Simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.*

Reos, non habetur hic *cuiuscumque sint dignitatis*. Hinc alii excludunt cardinales, alii vero eos comprehensos etiam volunt. Etenim clausula haec non ideo habetur in articulo sequenti, ut hic intelligantur exclusi; sed ut in eo articulo intelligantur inclusi etiam Cardinales et Praelati, qui antea ex multorum sententia solo interdicto ab ingressu Ecclesiae plectebantur. Pius IV. C. *Rom. Pont.* § 4. — *Simoniae realis*, ultro citroque rem et pretium dando et accipiendo. Licet vero requiratur, ut simonia sit realis, impletio *ex utraque parte;* nihilominus, si pars tantum promissi solvatur, iam ex utraque parte intelligitur perfecta *realis* simonia, et sufficiens ad hanc excommunicationem incurrendam. — *In beneficiis*, i. e. in beneficiis *proprie dictis*, cuiusmodi non sunt pensiones, aut vicariae temporales, etc., officia, dignitates, etc. in ordinibus religiosis. Quare qui pensionem spiritualem vendit, licet simoniam committat, praesentem excommunicationem non incurrit. Beneficium enim est: Ius *perpertuum* percipiendi reditus ex bonis Ecclesiae propter sacrum officium, auctoritate ecclesiastica, constitutum. *Perpetuum*, h. e. tum *obiective*, quatenus nempe ipsum beneficium ex se ita sit perpetuum, ut maneat penes beneficiatum, donec ei ex legitima causa auferatur, et ut morte beneficiati, vel amotione ipsius a beneficio, ipsum beneficium non extinguatur, sed vacet possessore, ita ut alteri sit conferendum, adeoque in se per-

petuo duret; tum *subiective*, quatenus nempe beneficiatus perpetuo, quamdiu vivat, irrevocabiliter illud habere debeat. Hinc nomine beneficiorum, proprie et stricte, non veniunt parochiae, quae modo revocabili conferuntur. Alii vero ad hanc incurrendam censuram, *subiectivam* etiam perpetuitatem non requirunt. *In beneficiis*, h. e. in emendis, vel vendendis ipsis beneficiis; in collatione, electione, praesentatione, aliisque actibus, qui ad beneficiorum provisionem pertinent. — *Quibuscumque*, sive nempe sint beneficia *duplicia*, sive *simplicia*; sive *iurispatronatus*, sive *liberae collationis*, etc. — *Complices*, quare poenam hanc incurrunt, e. g., non modo conferens et recipiens beneficium, sed etiam ii, quorum cooperatione, mediatione, favore simoniacus contractus perficitur. — Extr. 2. h. t., Lugo. Resp. Mor. L. 2. D. 3. n. 2. 3., Suarez D. 22. S. 5. 4.ª Excomm., Bonacina D. 2. Q. 3. P. 24., Thesaur. de Poen. P. 2. *Simonia*.

1192. IX. *Reos simoniae confidentialis in beneficii quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.*

Reos, dantes nempe et accipientes beneficia eorumque fructus; itemque resignantes. Rei enim simoniae confidentialis sunt, qui confidentiale pactum inter se ineunt. *Reos*, non etiam complices, ut in praeced. art. — *Confidentialis*, quae non nisi locum habet in beneficiis ecclesiasticis; hinc additur, *in beneficiis quibuslibet*, etc. — Haec vero excommunicatio incurritur tum ob simoniam confidentialem *realem*, tum ob simoniam confidentialem *mixtam*, scilicet ex una parte tantum completam; vera enim est *confidentialis* simonia. Neque vero exigitur, ut promissum ex utraque parte impleatur. — *Cuiuscumque sint dignitatis*, adeoque praesens excommunicatio tenet et S. R. E. Cardinales aliosque Praelatos. — Pius IV. C. *Romanum*, Pius V. C. *Intolerabilis*, Trid. S. 25. C. 7., Suarez D. 22. S. 6. 7.ª Excomm., Bonacina D. 2. Q. 3. P. 25.

1193. X. *Reos simoniae realis ob ingressum in religionem.*

Reos, praesentem excommunicationem ergo, in casu simoniaci ingressus in religionem, tam dantes quam recipientes incurrunt. — *Ob ingressum*, « Valde probabile est non incurri excommunicationem in simplici ingressu, sed in professione ». L. 108. — *Ob ingressum*, simonia haec est iuris divini; *ob sustentationem* vero *novitiorum* nulla est simonia; *professorum*, vel nulla, vel non nisi simonia iuris humani est, adeoque, ubi vigeat adhuc, excommunicationi huic minime obnoxia. — *In religionem*, stricte et proprie talem. — Extr. 1. h. t., Suarez D. 22. S. 5. 2.ª Excomm., Bonacina D. 2. Q. 3. P. 29.

1194. XI. *Omnes, qui quaestum facientes ex Indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V.* Quam plenum *2. Jan. 1569.*

Omnes qui, etc. Praedicta C. S. Pii V. decernitur dumtaxat *inferiores ab episcopis* sententiam excommunicationis incurrere, § 6. — *Quaestum facientes*, necesse ergo est saltem pretii partem recipere. *Quaestum facientes*, etc., nempe 1.° *largiendo indulgentias aliasque gratias spirituales, nulla cum re temporali conferendas*, certam solventibus pecuniam, ita ut haec pecuniae solutio conditio sit propter illam concessionem debita, quasi eiusdem *pretium*, licet id praetextu fiat pii operis promovendi; 2.° litteras, quae *huiusmodi gratias* continent *publicare praesumendo*, vel

indicem casuum ac indulgentiarum aedibus sacris appendi iubendo, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus supradicta concedi, licet iterum id fiat praetextu pii operis. Const. cit. §§ 1. 2. 3. 4. — *Aliisque gratiis spiritualibus;* hae praedicta Constitutione recensentur: 1.° facultas eligendi quemlibet *sacerdotem*, a quo quis non tantum a non reservatis, sed etiam a reservatis absolvatur, § 1.; 2.° « poenitentiarum iniunctarum remissiones », § 2.; 3.° « missae sacrificium, sepultura, tempore interdicti; ciborum prohibitorum usus; assumptio duorum vel plurium compatrum ad sacrum baptisma, contra Trid. Decretum, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, Constitutionibus adsciscuntur; a simoniae reatu absolutio Sedi Apostolicae reservata », § 3. — *Excommunicationis*, etc. Suspensio ergo in eadem Const. Pii V. lata contra episcopos et cardinales, § 6., per Const. *Apost. Sed.* minime renovata est. — Bonacina D. 2. Q. 3. P. 30.

1195. XII. *Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.*

Colligentes, collectio *copiosam* indicat earum eleemosynarum, et *studiosam* inquisitionem ad modum mercaturae. Quare hanc censuram non incurreret, qui unum vel aliud tantum stipendium colligeret; vel cui missae per se ipsum celebrandae sponte committantur. *Colligentes* generatim dicitur, sive sint laici sive clerici. — *Colligentes eleemosynas*, etc.... *ubi missarum stipendia*, etc. Praesens ergo censura intelligenda est de solis missis *manualibus*, minime vero de iis, quae propter fundationem vel beneficium, aut in perpetuum, debentur. L. l. 6. n. 321. Excomm. 3.° Cf. A. S. S. V. 4. p. 39., V. 8. n. 84. — *Maioris pretii, minoris pretii*, hanc ergo censuram non incurrit, qui missas celebrare facit in loco, ubi *eodem stipendio* celebrantur, quamvis stipendii partem retineat. — *Ex iis lucrum captantes*, hinc censuram non incurrunt, qui colligunt ex officio eleemosynas pro missis celebrandis, si ex eis sibi retineant aequam laboris remunerationem, L. l. c. n. 332. dub. 3.; vel sibi retineant quasi eleemosynam, si vere pauperes sint; vel simpliciter quasi rem alienam sibi retineant: tunc enim non quasi mercatores, sed ut veri fures habendi sunt. Neque vero censuram incurrunt ii, quibus *liberaliter* et *omnino sponte* excessus remittatur. *Liberaliter* et *omnino sponte*, nam incurrunt, si sacerdotem rogent, ut remittat; vel ab eo quaerant, an consentiat, ut *partem* retineant; id enim Bened. XIV. l. c. inter *exsecrabiles abusus* recenset. Tandem non incurrunt censuram ii etiam, qui partem e stipendio detrahunt, ut in quosdam usus pios erogetur, quamvis id S. C. C. 9. Sept. 1874. improbaverit. — *Et ex eis lucrum captantes*, excommunicatio ergo non incurritur, cum quis colligit eleemosynas, sed cum, tradito alteri stipendio minori, retinet sibi eius partem, in materia nempe gravi, ratione furti. — *In locis ubi*, etc., vox generalis est: quare huic excommunicationi subiacet non solum qui in alio loco, verum etiam qui in eodem loco, in quo eleemosynas colligit, missas minori eleemosyna celebrandas committit, S. O. 13. Jan. 1892., si nempe stipendia ipse colligeret *taxam excedentia*, et non nisi statutum stipendium aliis traderet, excessu sibi retento. *Taxam excedentia*, secus enim non verificaretur, quod colligeret eleemosynas *maioris pretii;* et faceret missas celebrari in loco, ubi missarum

stipendia *minoris pretii esse solent*, i. e. communiter loquendo, sive ex taxa dioecesana, sive mere ex consuetudine et communi praxi. — E. M.

1196. XIII. *Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V.* Admonet nos *quarto Kalendas Aprilis 1567., Innocentii IX.* Quae ab hac sede *pridie nonas Novembris 1591., Clementis VIII.* Ad Romani Pontificis curam *26. Junii 1582., et Alexandri VIII.* Inter ceteras *nono Kalendas Novembris 1660., alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.*

Omnes absolute omnino, nulla facta exceptione, C. *Admonet nos*, § 3. — *Qui excommunicatione mulctantur*, etc. Porro cit. C. S. Pii V. *Admonet nos*, l. c. excommunicatione mulctantur primo *tractantes*, *consulentes*, aut *alias verba facientes de infeudationibus*, aut *alienationibus* de civitatibus et locis *immediate* ad S. Sedem *spectantibus*. Excommunicatione item mulctantur praedicti, *tractantes*, *consulentes*, aut *alias verba facientes*, de postulandis a S. Sede quibusvis personis, in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam ad Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum. — *Tractantes*, sive publice sive privatim. — *De infeudationibus aut alienationibus*, quocumque modo faciendis, v. g., sub annuo *censu* aut *canone; in perpetuum, ad vitam, ad longum tempus, ad beneplacitum S. Sedis;* quocumque titulo v. g. *gubernii*, *vicariatus;* quacumque causa, etiam *necessitatis* vel *evidentis utilitatis*. Hinc patet non hic agi de *alienatione* proprie dicta, quae consistit in translatione perpetua dominii directi et utilis in alium, ut in donatione, venditione, etc.; sed de alienatione improprie tali, qua dominium directum vel ius aliquod in loco alienato a S. Sede semper retinetur. § 1. — *Immediate spectantibus*, loca immediate subiecta sunt ea, in quibus Summus Pontifex iurisdictionem temporalem exercet sive per seipsum, sive per suos delegatos ministros, gubernatores, iudices. — Iam vero excommunicatione mulctantur omnes praedicti, de eligendis oratoribus, ad S. Sedem *super praemissis vel illorum occasione* mittendis, *proponentes*, tam *ipsi* quam *oratores* munus huiusmodi *recipientes*, aut *alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici* pro tempore exsistenti, *per se vel alium seu alios, insinuantes* vel *suadentes*. *Insinuare* idem est ac declarare mentem suam esse ut Summus Pontifex praedicta loca alienet ac infeudet. *Suadere*, ratione, motivo, permovere ad *huiusmodi alienationes* faciendas. *Per se vel alium seu alios*, ergo non per epistolam. — Innocentius IX. hanc Constitut. approbat et extendit C. cit. ad loca non tantum *devoluta*, sed etiam *devolvenda*, S. Sedi tam *immediate* quam *mediate subiecta*. *Loca mediate subiecta* sunt ea, in quibus Summus Pontifex iurisdictionem temporalem non exercet, eamque in alium transtulit, sibi reservans dominium directum. Talia sunt status in feudum concessi. — Clemens VIII. C. cit. comprobat, confirmat, innovat et declarat Bullam S. Pii V. extensam ab Innoc. IX., revocans Constitutionem Greg. XIV. 13. Sept. 1591., qua declaraverat Constitutionem S. Pii V. non esse intelligendam de feudo nondum devoluto, quando evidens Ecclesiae utilitas, aut necessitas postulabat iterum esse in feudum tradendum. — Denique Alexander VII. C. cit. non modo tres enucleatas Constitutiones comprobavit, confirmavit et innovavit, verum etiam addidit declarando sub eadem S. Pii V. Consti-

tutione comprehendi principatus, ducatus, civitates, etc. post eam usque ad illud tempus et in futurum successivis temporibus in perpetuum sive devolutionis, sive alio quovis titulo, quomodolibet acquisita et acquirenda per S. R. E. et Sedem et Cameram Apostolicam. Item asseruit quomodo intelligendae essent Constitutiones Gregorii XIII. V. Id. Iul. 1580. et Sixti V. Kal. Iul. 1585. pro bonis confiscatis editae, nec non aliae Litterae Clementis VIII. VII. Kal. Iun. 1596. datae. — Avanz. Adn. (35.), Bonacina D. 22. Q. 3. P. 41., E. M.

1197. XIV. *Religiosos praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extremae unctionis, aut eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.*

Religiosi, tales hic non censentur novitii cuiusvis ordinis vel congregationis. Nec comprehenduntur religiosi earum congregationum, in quibus non nisi vota simplicia emittuntur. Ratio est, quia in poenalibus lex stricte est interpretanda. Ob eandem rationem neque comprehenduntur religiosi eorum ordinum, in quibus emittuntur quidem vota solemnia, ipsi tamen non nisi vota simplicia emiserunt. Comprehenduntur vero eo nomine religiosi omnes solemniter professi, quamvis et ipsi sint parochi. Hi enim stricte *communi iure* habentur tamquam *veri religiosi*, minime vero alii, licet vota simplicia emiserint in Religione, in qua vota solemnia emittantur. Id positive *per speciale privilegium* declaratum tantum est de Scholasticis Soc. Jesu. Bizzarri Collectan. p. 745. Ed. a. 1885., Suarez. D. 22. S. 4. 2.ª Excomm., Lugo Resp. Mor. l. 4. D. 44. n. 2. 3. — *Praesumentes*, cessat ergo excommunicatio, si falso existimaveris necessitatis casum adesse, vel parochi licentiam non deesse: si enim ita putabas, iam non praesumpsisti. — *Clericis et laicis.* Possunt tamen Religiosi ex Trid. S. 24. C. 11. de R. ultima sacramenta ministrare clericis et laicis, qui « actu inserviunt et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt ». Neque vero incurritur excommunicatio, si ministraverint regularibus. — *Extra casum necessitatis*, quoties nempe adest periculum mortis, et parochus non potest, vel non vult infirmo sacramenta ministrare. — *Aut eucharistiae per viaticum*, quare nulla censura, si non per viaticum, sed ei, qui iam viaticum recepit, iterum ex devotione ministraverint; quod neque prohibitum est, nisi sit per publicas vias incedendum. — *Absque parochi licentia*, saltem praesumpta. — *Parochi*, qui nempe curam animarum habet, aut vices eius gerit; quocumque nomine vocetur, et cuius aegrotus subditus sit ex domicilio vel quasi domicilio. Quare excluduntur peregrini et vagi. — Clem. 1. *de Privil.*, Bonacina D. 2. Q. 9. P. 5.

1198. XV. *Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.*

Reliquiarum, quae inveniuntur in Cryptis et Coemeteriis Urbis, quasdam SS. Martyrum esse constat, e. g., « cum phialae vitreae, aut figulinae sanguine tinctae ad loculos sepultorum in sacris coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur »; S. C. Rel. et Ind. 10. Dec. 1863. Quasdam vero constat martyrum non esse; ut illae quas reperire est in loculis apertis. Quaedam denique utrum Martyrum sint necne, dubium est. Excommunicationem praesentem incurrit, qui priores illas *Sanctorum Mar-*

tyrum reliquias extrahit, minime vero qui ceteras extrahit, sive certo constet eas *Sanctorum* non esse, sive dubitetur. — *Reliquias*, ossa nempe et cineres. Horum vel minimam particulam auferre absque venia sub gravi prohibuit Paulus V. Decr. 23. Aug. 1613. et 16. Maii 1614., simulque declaravit huiusmodi furtum nunquam excusari propter materiae parvitatem. — *Legitima venia* ab Emo Card. Vicario danda est, servata forma a Paulo V. ll. cc. et a Clemente X. constituta Br. *Ex commissae nobis* 13. Ian. 1672. — *Eisque*, extrahentibus. — Bonacina D. 2. Q. 3. P. 13. § Incidens.

1199. XVI. *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.*

Communicantes, tum clerici, tum laici. — *Cum excommunicato nominatim a Papa*, eo nempe quem S. Pontifex nominatim excommunicat particulari excommunicatione, vel nominatim denuntiat excommunicatum generali excommunicatione latae sententiae. Minime ergo hic comprehenditur qui a quovis alio excommunicatur, vel qui papalem excommunicationem cum incurrerit, deinde a quovis alio Ordinario nominatim denuntiatur excommunicatus. — *In crimine criminoso*, « Id est in eodem crimine, sive contumacia, ob quam lata est excommunicatio, *post latam et sibi notam excommunicationem*, v. g., si quis suam concubinam excommunicatam *post excommunicationem* iterum cognoscat, ut habetur ex C. *Si Concubinae* 55. *de Sent. exc.*, vel si quis *post excommunicationem* latam in aliquem ob furtum, concubinatum, etc. impendit ei auxilium, aut consilium, ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione ». L. 197. — *Ei scilicet impendendo auxilium vel favorem*, non quaelibet ergo communicatio hic comprehenditur; sed communicatio 1.° *cum excommunicato nominatim a Papa;* 2.° *in crimine criminoso;* 3.° *impendendo ei in eo crimine auxilium* vel *favorem;* non additur *consilium. Crimen* ergo hic, ut patet, est crimen iam commissum, nam qui auxilium vel favorem impenderet in crimine committendo, cum nondum excommunicato communicaret. — C. *Nuper* 29. *de Sent. excomm.*, Bonacina D. 2. Q. 3. P. 21., E. M.

1200. XVII. *Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.*

Clerici, ergo laici et episcopi hanc non incurrunt censuram; disputatur de regularibus. — *Scienter et sponte*, ergo quaevis ignorantia, etiam affectata, et quivis metus seu coactio excusant. Nota hanc clausulam, quae deest in art. praecedenti. — *Communicantes in divinis*, ergo non incurritur ob communicationem *in civilibus*. Ista autem communicatio in divinis gravis esse debet, ita ut non excuset parvitas materiae. — *A R. P. nominatim excommunicatis*, idem dicendum ac in praeced. art. — *Et ipsos in officiis recipientes*, pars haec intelligitur ab auctoribus tanquam explicativa et determinativa prioris, ita ut communicatio in divinis, quae clericis sub poena excommunicationis reservatae interdicitur, illa sit tantum, qua nominatim excommunicatos a Papa admittunt ad divina officia obeunda. Hoc enim est recipere aliquem in divinis officiis. Divina vero *officia* seu *divina*, idem hic sunt, nempe sacramenta, missae sacrificium, preces *publicae*, etc. Nam *divina officia* ea sunt, quae clerici

obeunt, ut Ecclesiae ministri, seu quae a solis clericis fieri solent. — C. *Significavit* 18. *de Sent. excomm.*, L. 33., Suarez D. 10. S. 2., Bonacina T. 3. D. 2. Q. 5. P. 3. n. 3.

1201. XVIII. *Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu (ab excommunicationibus speciali modo R. P. reservatis)... dummodo non agatur de mortis articulo* ». Par. *A quibus.* Cf. 1177.

Absolvere praesumentes, non simpliciter *absolventes.* — *Absolvere*, non fingere absolutionem. — *Ab excommunicationibus speciali modo R. P. reservatis*, non ab aliis. — *Dummodo non agatur de mortis articulo*, vel de casu urgentiori, vel valde durum sit poenitenti in statu peccati mortalis diutius remanere. Cf. 800., Suarez D. 22. S. 5. 5.ª Excomm.

1202. XIX. Ex Conc. Trid. S. 22. C. 11. de R. excommunicationem incurrunt simpliciter reservatam R. P., confirmatam per praesentem Const., par. *Praeter hos*, bonorum cuiuscumque Ecclesiae, aut pii loci occupatores: « *Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali, aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius Ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, Ecclesiae, eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas, etiam... Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat, nec non...* ».

Conferenda est haec Trid. censura cum art. 11. et 12. excommunic. huius Const. R. P. sp. mod. res. In istis agitur de bonis et iuribus *ad personas ecclesiasticas* ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentibus, ac de locis et iuribus pertinentibus ad *Ecclesiam Romanam.* Atque huiusmodi « occupatores bonorum ecclesiasticorum innodantur *sola* excommunicatione R. P. specialiter reservata », S. O. 8. Iul. 1874., et non etiam Tridentina censura. Haec cetera omnia bona vel iura complectitur, quae quovis modo ecclesiastica dici possunt. Cum autem haec censura latissima sit, hinc ex se ad omnium ecclesiasticorum bonorum occupatores extenditur. — *Si quem clericorum vel laicorum*, non comprehenduntur ergo regulares. — *Si quem*, etc. *quacumque dignitate, etiam regali aut imperiali... usurpare seu impedire.* Ergo decretum hoc non ad quascumque *occupationes*, sed ad *auctoritativas* et *potentiales* pertinet. Non ergo quisquis rem quamlibet quoquo modo in suos usus convertit, v. g., conductor, qui mercedem non solvit, commodatarius, depositarius, qui rem non restituit; debitor non solvens debita, S. C. C. 27. Febr. 1569., excommunicationem incurrit, Trid. S. 23. C. 3. nec illi, qui decimas *sub-*

trahunt, vel *impediunt*, Trid. S. 25. De R. C. 12., quod plane decretorium est. Neque vero comprehenduntur *alienantes*, de quibus specialis hic habetur censura. — *In proprios usus convertere*, non in alienos, puta si loci pii rector arbores caederet pertinentes ad eumdem locum, et non in proprium commodum converteret, sed alterius. — *In proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit*, utrumque copulative, non disiunctive sumendum. Etenim « fures surripientes res ecclesiae vel locorum piorum non incurrunt excommunicationem Concilii ». S. C. C. 27. Febr. 1596. — *Seu impedire, ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur.* Agitur ergo de extraneis, et non de ipsis possessoribus. Quare « hoc Decretum non habet locum, quando dominus beneficii caedit arbores fructiferas, et illas ad commodum proprium convertit ». S. C. C. ap. Pignatelli Tom. 7. Cons. 11. — *Bona*, ut alias in Iur. Can. immobilia vel mobilia pretiosa. C. 13. *de Elect.* in 6.°, Extr. *Ambitiosae de reb. Eccl. non alien.* Intellige autem *bona*, quorum iam habetur dominium et possessio, ac ius in re, non etiam nondum possessorum, uti legata pia, etc., vel quorum non nisi *ius ad rem* habeatur. — *Emolumenta* significant quaslibet utilitates, quomodocumque ex aliqua re provenientes. — *Piorum locorum*, quae nempe auctoritate ecclesiastica erecta sint, ad pium opus destinata, et quae dependenter ab Ecclesia reguntur et administrantur, unde dicitur: *is* usurpator, *anathemati tamdiu subiaceat..., quamdiu... ecclesiae eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit.* — *Per se, vel alios.* Ergo et *mandantes* comprehenduntur, etiam clerici *cooperatores* et *consentientes*, dicitur enim in fine: *Clericus, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit*, etc. adeoque effectu secuto, quod et pro aliis valet. S. Poenit. 15. Apr. 1873. — *Vi, vel timore*, etc. Actio ergo, quae hoc Decreto coercetur, est *convertere in proprios usus* bona, census, etc., ea *usurpare* vel *impedire*, ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur; idque non utcumque, sed *vi vel timore incusso, seu quacumque arte*, nempe fraude, *aut quocumque quaesito colore*, i. e. titulo seu praetextu, et non tantum tamquam sibi propria et debita occupando. Illud autem non interest, utrum quis usurpaverit seu impedierit *per se* vel *per alios*, seu *etiam per suppositas personas*. Neque vero ii tantum excommunicantur, qui haec bona *convertunt in proprios usus*, *usurpant*, et *impediunt*, ne percipiantur ab iis, ad quos pertinent, vel haec mandant, *per alios* occupando etc., sive clerici, sive laici, sive beneficiati, sive patroni, haec faciant; vel etiam consulant seu mere consentiant, si clerici, positivo consensu; sed etiam illi, ad quos ea bona ab his *quomodocumque pervenerint*, haereditate, legato, donatione, locatione, emptione, etc. in quantitate tamen non simpliciter *gravi*, quod alienum esset ab eodem Trid. S. 23. C. 3. de R., sed *notabili.* Alloc. Pii IX. *Quod praenuntiavimus* 25. Iul. 1875., S. O. 8. Iul. 1874. ad 2. — *Praesumptio* vero requiritur. Dicitur enim *usurpare praesumpserit.* Ergo metus et ignorantia excusat. — *Is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu*, etc. Speciali ergo opus est facultate ad hosce poenitentes absolvendos. Ea vel a S. Poenitentiaria quaerenda est vel ab Ordinariis, quibus extraordinariae ad hunc effectum conceduntur facultates. S. Sedes facultatem concessit Ordinariis in Italia ad annum duraturam aequae compositionis faciendae pro eis qui ecclesiastica bona iniuste acquisierunt, vel acquisita alienaverunt. — Suarez D. 22. S. 6. 9.ª Excomm., D. 23.

S. 4. 4.ª Excomm., Bonacina D. 1. Q. 18. P. 4., Card. De Luca App. Tom. 14. Annot. ad S. C. C. Disc. 23., E. M.

1023. *Excommunicationi latae sententiae Episcopis, sive Ordinariis reservatae, subiacere declaramus:*

Confessarii Romae speciali non indigent facultate Emi Cardinalis Vicarii quoad sequentes casus absolvendos, ex antiqua consuetudine. S. O. 1. Dec. 1875.

I. *Clericos in Sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.*

Clerici, nec omnes, sed *in sacris constituti.* — *Regulares, moniales*, non omnes, sed *post votum solemne castitatis;* neque vero isti omnes, sed *praesumentes*, adeoque excusat ignorantia; etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseverent, quia iam tunc non *contrahunt*, sed antea iam contraxerunt. Agitur vero de *matrimonio contrahendo*, adeoque non incurritur praesens censura pro sponsalibus. S. O. declaravit 22. Dec. 1880: « Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post emissum solemne castitatis votum, praesumentes contrahere matrimonium, *sic dictum*, civile in locis, ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam ». Similiter S. O. 13. Ian. 1892. declaravit, hanc etiam incurrere excommunicationem, si praeter impedimentum voti solemnis castitatis alia habeant impedimenta, v. g. affinitatis vel consanguinitatis. Minime vero requiritur, ut matrimonium hoc attentatum etiam consummetur: fertur enim contra praesumptuose *contrahentes matrimonium.* — *Nec non omnes*, etc. hanc ergo excommunicationem incurrunt non tantum clerici in sacris constituti, regulares vel moniales, sed etiam illi, qui cum ipsis contrahunt. — Clem. unic. *de Consang. et affin.*, Suarez. D. 11. S. 3. n. 15., D. 4. S. 3. n. 3., D. 23. S. 5. 7.ª Excomm., Sanch. de Matr. l. 7. D. 48., E. M.

1204. II. *Procurantes abortum, effectu secuto.*

Procurantes, dicuntur proprie qui abortum *directe* intendunt, et opere exteriori *de se* efficaci, ut reapse sequatur, *de industria* conantur. *Procurantes* immediata et proxima actione. *Procurantes;* nihil distinguitur; ergo omnes; adeoque ipsae mulieres praegnantes, si in seipsis abortum procurent. Lugo Resp. Mor. L. 2. dub. 4., L. l. 3. n. 395. — *Abortus*, foetus *immaturi* eiectio est. Quare chirurgi craniotomiam exercentes, licet graviter peccent, hanc censuram non incurrunt. *Abortum;* absolute dictum; *quocumque* ergo tempore fiat post conceptionem, sive foetus sit animatus, sive inanimatus, nempe primis conceptionis diebus. L. l. 3. n. 396. — *Effectu secuto.* Non incurritur ergo praesens censura, si licet quis abortum procuraverit, haud tamen procuraverit efficaciter. — L. 40. 368., Lugo de Poenit. D. 16. n. 444., Pal. D. 4. P. 7. n. 15., Bonacina D. 2. Q. 2. P. 10., Ithur. Cas. 21. n. 30. seqq.

1205. III. *Litteris Apostolicis falsis scienter utentes; vel crimini ea in re cooperantes.*

Litteris Apostolicis, quavis forma. — *Falsis*, sive partim *veris*, immutatis; sive de integro suppositis. — *Scienter*, ergo ignorantia excusat.

— *Utentes*, qui eas nempe exhibent, ut effectum habere possint, quamvis de facto non habeant, puta quia falsitas deprehenditur; sive laici, sive clerici. — *Crimini ea in re cooperantes*, qui nempe *utenti*, non qui falsificanti, proximam *operam*, non consilium, non exhortationem, *in earum usu* suppeditant. Cooperari enim est alteri opem praestare. — C. *ad Falsariorum* 7. *de Crim. falsi.*

1206. IV. Praecedentibus excommunicationibus, reservatis episcopis, excommunicatio addenda est *in laicos*, delinquentes contra Decreta S. C. C. 9. Sept. 1874. Cf. 1238.

1207. *Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:*

I. *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos.*

Mandantes seu cogentes, non ergo *sepelientes*, neque simpliciter *admittentes* ad ecclesiasticam sepulturam. Quare parochus mandatis civilis auctoritatis obtemperans, et ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatum admittens, hanc censuram non incurrit. Incidit tamen in interdictum latae sententiae. *Mandantes*, qui nempe iubent vel rogant *suo nomine* rem fieri. — *Cogentes*, qui compellunt vim adhibendo. Coactio enim proprie non est, nisi ubi interveniat vis, et iniuria, si iniusta sit. *Mandantes seu cogentes*, ex subiecta materia videntur restringendi ad mandantes seu cogentes publica potestate seu vi. Agitur enim de publica et communi sepultura. — *Tradi ecclesiasticae sepulturae*, h. e. tumulo inferre, concedere. Qui *mandant* ergo et *cogunt* excommunicationem non incurrunt, nisi post sepulturam traditam. — *Sepultura* autem *ecclesiastica* locus est sacer Christifidelibus sepeliendis, vel divinis saltem officiis peragendis addictus ex Episcopi destinatione; vel etiam communi usu et consuetudine. An necessario episcopalis benedictio requiratur; alii affirmant, alii negant. Excommunicationem hanc ergo non incurrit qui mandaret seu cogeret sepelire ritu catholico, sed in loco profano; e contra incurrit, qui mandaret seu cogeret sepelire in loco sacro, etiam nullo ritu adhibito. — *Haereticos notorios*, et non tantum vitandos. Comprehenduntur, ut patet, etiam notorii schismatici haeretici, et apostatae a fide catholica veri haeretici. — *Nominatim*, etc., expresso nomine per verba aut signa indubitata. — *Excommunicatos vel interdictos*, publice tales denuntiatos. Nemo enim tenetur vitare censuratum, si censura non sit publice denuntiata, C. *Ad Evitanda.* — C. *Quicumque* 2. *de Haeret.* in 6.°, Clem. 1. *de Sepult.*, Ferraris v. *Sepultura*, Suarez D. 12. S. 4. n. 6., Bonacina de Cens. D. 2. Q. 2. P. 3. § 3. n. 3., Reiffenst. l. 3. t. 28. n. 2.

1208. II. *Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis Scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.*

Laedentes sunt damnum inferentes in personam. — *Perterrefacientes* sunt plus quam gravem metum simpliciter facientes, sed metum oppido gravem. — *Ministros*, qui deputati sunt ex officio pro servitio seu negotiis gerendis S. O., e. g., Consultores, Advocati, Notarii, Exsecutores, etc. — *S. Officii*, ubicumque sit, sive Romae sive alibi; lex non distinguit.

S. Officii, non Episcoporum, licet hi sint Inquisitores nati. — *Scripturas*, non Scripturam. *Scripturas*, h. e. instrumenta sive publica sive privata, sive typis impressa sive manuscripta, pertinentia ad acta S. O. Dicitur enim *eiusve Sacri Tribunalis Scripturas.* — *Diripere* proprie est in partes diversas rapere, et velut praedari: rapere autem est vi auferre. Quare hanc excommunicationem non incurrunt, qui Scripturas S. Officii clam furantur, vel qui unam dumtaxat, vel aliam vi auferunt. — *Diripientes, comburentes*, non aliter destruentes. — S. Pius V. C. *Si de protegendis*, Bonacina D. 2. Q. 2. P. 13.

Huic excommunicationi haud subiacent, qui eadem admittunt adversus denunciantes apud episcopos, vel testes, vel episcoporum ministros, aut scripturas ad materiam sacrae Inquisitionis apud ipsos pertinentes. S. O. 28. Ian. 1892.

1209. III. *Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis* Ambitiosae *de Reb. Eccl. non alienandis.*

Alienantes, minime ergo comprehenduntur destruentes, furantes, diripientes. Neque vero comprehenduntur omnes alienantes, sed ii dumtaxat, quibus ecclesiasticorum bonorum administratio concredita est, uti sunt parochi, rectores, etc., quorum nempe nomine et mandato alienatio fit, non eorum mandatarii. In sensu enim obvio illi hic sunt alienantes illegitime, qui servata forma Extr. *Ambitiosae*, legitime alienarent. Excipiendi vero sunt episcopi et abbates, qui ex cit. Extr. *Ambitiosae*, non excommunicatione, sed interdicti ab ingressu ecclesiae poena plectuntur. Schmalz. l. 3. P. 1. tit. 13. n. 164. — *Recipere praesumentes*, excusat ergo ignorantia. — *Alienatio* autem hic latissime accipitur, ut constat ex ipsa Extrav. *Ambitiosae*, quae habetur in lib. 3. tit. 4. Extrav. Comm. C. unic. *de Reb. Eccl. non alienandis.* Etenim, ait S. Pontifex: « *Omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec non infeudationem vel contractum emphyteuticum*, praeter quam in casibus iure expressis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et *cum Ecclesiarum evidenti utilitate*, ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione fieri prohibemus ». Deinde additur: « Si quis contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quidquam *alienare praesumpserit*, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti ». Tandem poena imponitur excommunicationis in *alienantes* et *recipientes*, et praecipitur, ut horum bonorum alienatio nunquam, *inconsulto Romano Pontifice*, fiat. *Alienatio*, h. e. perfecta ex utraque parte, re tradita et acceptata; neque sufficit si vendita, v. g., fuerit sub conditione suspensiva. — *Bona ecclesiastica*, etc., quae nempe iam fuerint debite et rite acquisita, *absolute* acquisita, iuxta formam eiusdem Extravag. *Ambitiosae*. Etenim alienare est acquisita iam a se abiicere, minime vero acquirendis renuntiare. Unde alienatio non est, pecuniam mutuam accipere aut dare; quamvis « declaraverit S. C. religiosos non posse accipere mutuo pecunias cum solutione interesse ». L. 4. n. 187. — *Bona ecclesiastica* autem sunt bona monasteriorum,

Ecclesiarum, quorumcumque locorum piorum, quamvis a laicis administrentur, dummodo tamen ecclesiastica auctoritate fuerint erecta; beneficia item ecclesiastica, minime vero capellaniae mere laicales. *Bona Ecclesiastica*, i. e. *immobilia* et *mobilia pretiosa*, ut habetur in cit. Extr. Nomine autem *rerum pretiosarum* veniunt vasa aurea, vel argentea, gemmae, bibliothecae copiosae. Item greges et armenta totaliter considerata. Item incisio arborum et sylvarum, si fiat cum deterioratione. Venit etiam magna pecuniae summa donata ac destinata ad emenda immobilia, tunc enim illa censetur quid immobile. Non item pecunia; eoque minus reliquiae pretiosae, quod alienum est a mente Pauli II. et a proprietate verborum, nemo enim eas in patrimonio nostro esse dixerit. Neque vero quaevis rei immobilis, vel mobilis pretiosae distractio, aut locatio ultra triennium, hac Extr. vetatur. Ordinarii adhuc iure suo alienant, ut antea, praedia exigui valoris, C. *Terrulas* 53. caus. 12. q. 2.; immo et non exigui, si quae plus incommodi quam commodi afferunt. CC. 7. 8. § ult. *de Reb. Eccl. alien.;* vel si urgeat necessitas, quae moram non patitur, aut adsit occasio, quae alias transiret. Locationes quoque carent et culpa et censura, si factae fuerint ea lege, ut, finito unoquoque triennio, liceat locatori a locatione discedere. Nec est illicitum vendere reditus sui beneficii pro mercede vel pensione annua ultra triennium, quia nullo iure prohibetur; dum ne veneant, aut locentur repraesentata (anticipata) mercede. Trid. S. 25. C. 11. De R. Porro S. C. EE. et RR. d. 1. Maii 1840. pro praediis exigui valoris summam determinavit 25. Scutatorum aureorum de Camera, nempe circiter 225. libellarum italicarum, quae ob immutatum pecuniae valorem augeri in praesenti potest proportionata ratione. Alienari possunt absque Pontificis licentia res, quae verisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non perdurant, ut fructus, vestes, singularia iumenta, etc., res inutiles, damnosae, res quaelibet hoc pacto Ecclesiae acquisita, ut alienari possit. Schmalz. n. 38. seqq. 141. 142. 143., L. l. c. An autem pecuniae collocatae in administrationibus viarum ferrearum aut guberniorum, alienari possint sine placito Apostolico? Plures affirmant, quia dici nequit comprehendi sub denominatione boni *immobilis*, aut mobilis *pretiosi*. Schmalz. n. 50.-52., Reiffenst. n. 15. — *Absque beneplacito Sedis Apostolicae.* Praeter causam iustam, ut alienatio rerum immobilium, et mobilium pretiosarum fieri possit, etiam opus est, ut ea fiat requisitis a iure solemnitatibus, quas tamen omnes supplet Apostolicum beneplacitum. — L. l. 4. n. 187., La-Croix l. 4. n. 1363. seqq., Suarez D. 22. S. 6. 2.ª Excomm., Schmalz. L. 3. P. 1. t. 13., Bonacina D. 2. Q. 5. P. 11., Bizzarri Collectan. pp. 298. 299. 537. seqq. 544. seqq. etc. Ed. 1885., Instr. S. C. de P. F. 30. Iul. 1867., E. M.

1210. IV. *Negligentes, sive culpabiliter omittentes, denuntiare infra mensem confessarios, sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus, expressis a Praedecessoribus Nostris Gregorio XV. Constit.* Universi *20. Aug. 1622., et Benedicto XIV. Constit.* Sacramentum Poenitentiae *1. Iun. 1741.*

Negligentes, etc. Cf. De Const. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae*, 1249. seqq.

1211. V. *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis*

absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. De editione et usu Sacrorum Librorum *constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.*

Censurae Trid. Conc. per praesentem Const. confirmatae illae sunt, quae latae sunt *directe* ab ipso Conc.. quae vel primum a Conc. Trid. fuerunt latae, vel iam antea latae, distincte et expresse commemoratae, eius auctoritate de novo inflictae fuerunt, qualis, e. g., est censura, de qua mentio fit in praesenti paragr. Ea enim « ex Canone Concilii novissimi Lateranensis » desumpta expresse dicitur. — Porro haec Conc. Trid. cit. S. 4. habet: « Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis... Et si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant, quibus impressores ». Tridentina haec excommunicatio, quae nemini est reservata, restringitur nunc et extenditur. Restringitur ad eos dumtaxat, « qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione *imprimunt,* aut *imprimi faciunt* », minime comprehendens retinentes, vendentes, evulgantes, ut antea. *Imprimentes* sunt typographi, editores; non etiam auctores, si eorumdem librorum editores non sint. Extenditur vero ad omnes libros, sive libri nomen auctoris non habeant, sive habeant. — *De rebus sacris*, quamvis haec verba, *de rebus sacris,* pateant latissime; nihilominus ad eos libros contrahenda sunt, de quibus agitur in cit. Decreto; nempe « ad libros sacrarum Scripturarum, nec non ad earumdem adnotationes, et commentarios, minime vero extendenda ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, idest ad religionem pertinentibus, tractantes ». S. O. 22. Dec. 1880. — *Sine Ordinarii approbatione;* sola approbatio Ordinarii sub dicta censura exigitur nempe ut liber imprimatur, non ut etiam in ipso libro obtenta approbatio imprimatur. C. *Officiorum* Leonis XIII. de Cens. et prohib. libror. § 48. — Suarez D. 23. S. 7. 1.ª Excomm., Bonacina D. 2. Q. 2. P. 16.

1212. VI. Reliquae excommunicationes Tridentinae, nemini reservatae, quae per praesent. Const. retinentur, sunt sequentes: 1.° *Raptor ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes sint ipso iure excommunicati.* S. 24. C. 6. de R. M.

Raptor, nempe mulieris ad matrimonium cum rapta contrahendum. Agitur enim de raptu, impedimento dirimente matrimonium. — *Ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes,* scilicet *ad raptum;* non item, si haec praebeant post raptum admissum, quo rapta facilius raptori nubat. — *Sint ipso iure excommunicati.* Impedimentum dirimens cessat, si rapta sub raptoris potestate non amplius detineatur; verum excommunicatio perseverat, et nonnisi absolutione finem habet. — Suarez D. 31. S. 5. par. ultima, Bonacina D. 2. Q. 2. P. 9. et de Susp. D. 3. P. 5. par. 1. n. 38.

1213. VII. 2.° *Praecipit S. Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis exsistant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant* ». S. 24. C. 9. de R. M.

Omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis exsistant, non tamen omnes *simpliciter* excommunicationem incurrunt, sed omnes tantum *temporales domini ac magistratus* cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis. De his enim agitur in cap. cit. — *Sub anathematis poena,* non reservata. — *Directe,* cum vis exercetur in ipsam personam, quam quis cogere vult ad matrimonium, et immediate in ordine ad matrimonium inferatur. — *Indirecte,* cum vis exercetur in aliam personam, quae influat in personam, quam quis ad matrimonium vult cogere, vel cum vis exercetur in hanc ipsam personam non immediate in ordine ad matrimonium, sed in ordine ad aliud, quod patientem ad matrimonium cogat. — *Subditos suos vel quoscumque alios,* sub eorum iurisdictione degentes, ut habetur in eod. cap. cit., vel saltem eorum iurisdictioni aliquo modo et aliquo tempore subiectos. — *Cogant,* coactione gravi et iniusta. — *Quominus libere matrimonia contrahant;* quare coactio respicere debet matrimonium reapse contractum, neque sufficit ad excommunicationem incurrendam cogere ad sponsalia tantum, vel cogere ad matrimonium, si tamen matrimonium non sequatur. — Suarez D. 23. S. 7. 4.ª Excomm., Ithur. Cas. 14. n. 14. seqq., Cas. 24. n. 14. seqq., Card. De Luca Opp. T. 14. Annotat. ad S. Conc. Trid. Disc. 26. n. 35. seqq., Bonacina D. 2. Q. 2. P. 6.

1214. VIII. 3.° *In omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Itemque *in eos, qui sanctam virginem vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impediunt.* S. 25. C. 18. de Reg.

Virginem vel *viduam,* aut *aliam quamcumque mulierem;* si ergo coactio fit alicui viro, ut religionem ingrediatur, non incurritur haec censura. Cum Conc. excipiat *casus in iure expressos,* licite cogi potest mulier delinquens ad monasterium ingrediendum, in sui criminis poenam, vel ob cautionem, ne labatur in aliquam incontinentiam; ad habitum vero aut professionem raro aut nunquam. L. 212., C. 18. *de Convers. coniugator.,* C. 19. e. t. — *Ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem.* « Tria membra distincte numerantur, scilicet coactio ad ingrediendum monasterium, ad suscipiendum habitum, et ad professionem emittendam... Concilium bis haec tria enumerat tanquam omnino distincta. Et ideo in illo primo membro non dicit ingredi religionem, sed monasterium, quia nimirum per illud prohibet, ne cogantur feminae ad habitandum ibi, etiam proprio habitu retento ».

Suarez D. 23. S. 7. 6.ª Excomm. Quare, iuxta Suaresium, aliosque, incurritur praesens censura, etiamsi quis cogat feminam ad monasterii ingressum, non ut profiteatur, nec ut habitum sumat, sed ut ibi honeste educetur. Bonacina vero D. 2. Q. 2. P. 2. n. 6., aliique distinguunt utique illa tria, unde asserunt excommunicationem incurrere, qui vel ad solum ingressum mulierem cogit, licet ipsa neque habitum suscipiat, neque professionem emittat. Verum inquiunt ingressum intelligendum esse in ordine ad habitum suscipiendum vel professionem emittendam. Quare excommunicationem hanc non incurreret, qui foeminam alio fine cogeret ad monasterium ingrediendum, e. g., ut ibi educetur. Primam sententiam *probabiliorem* existimat S. Alph. n. 212. — *Velum accipere*, vel *votum emittere* idem videtur esse quod religionem profiteri: tamen quia nemo potest profiteri, nisi prius habitu suscepto, qui hanc susceptionem impediret, a fortiori impediret professionem, et consequenter hanc censuram incurreret. Suarez l. c., Bonacina l. c. P. 3. n. 3. Negant vero Sanchez aliique, « quia decretum Conc. est cum rigore accipiendum ». S. Alph. n. 212. — *Quoquo modo sine iusta causa;* ergo, si cum iusta causa, haec excommunicatio non incurritur. — *Impediunt;* impedire non est *cogere*, impedire est sese opponere, vel obstacula apponere, ne quis quod iuste appetit assequi possit. — Ithur. Cas. 24., Sanchez in Decal. l. 4. c. 4.

1215. IX. 4.° *Ne tantum Sacramentum (Eucharistiae) indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere; seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat.* S. 13. can. 11.

Necessario praemittendam esse; non additur, *ex iure divino*. Si quis ergo defendat, confessionem praemittendam esse ex iure mere ecclesiastico, excommunicationem hanc nullo modo incurrit. Verum, si defendat « mandatum Tridentini factum sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum esse consilium, non praeceptum », vel « illam particulam *quam primum* intelligi, cum sacerdos suo tempore confitebitur », excommunicationem incurrit R. P. simpliciter reserv. vi art. 1. illius seriei. Duae enim istae propositiones sunt propositiones 38.ª et 39.ª, quas cum aliis sub poena excommunicationis reservatae Sedi Apostolicae damnavit Alexander VII. d. 18. Mart. 1666. — Suarez D. 23. S. 7. 2.ª Excomm., Bonacina D. 2. Q. 12. P. 14.

1216. X. 5.° *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus S. Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* S. 24. C. 1. de R. M.

Sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; non agitur ergo hic de potestate auctoritatis civilis.

De hac agitur S. 24. c. 3. 4. 9. 12. et pp. dd. Synod. Pistor. 53.ª 59.ª 60.ª — Bonacina D. 2. Q. 2. P. 8.

1217. Aliae, quae adsunt Tridentinae excommunicationes, iam proprio in loco enumeratae sunt; nempe 1.° de clausura, quae nemini etiam est reservata, Cf. 1189.; 2.° de duellantibus, quae traslata est in praes. Const. inter excomm. R. P. simpl. reservatas, Cf. 1185.; 3.° de usurpatoribus bonorum ecclesiasticorum, quae reservata etiam est simpl. R. P., Cf. 1202.; 4.° tandem, quod attinet ad censuras Trid., quae sub *anathemate* in fine singulorum canonum indicuntur, omnes quidem implicite continentur, ratione haeresis, in art. primo excommunicationum R. P. speciali modo reservatarum. Idem dicendum de *anathemate* S. 25. Decr. de Indulg.

1218. *Excommunicatio accessit* C. Apost. Sed., *nemini reservata*, in missionarios negotiationi et mercaturae operam dantes, et in superiores eorum immediatos, qui delinquentes non puniverint, iuxta C. Urbani VIII. *Ex debito* 21. Febr. 1633., et Clementis IX. *Sollicitudo* 17. Iul. 1669, ex Summi Pontificis Declaratione. S. C. de P. F. 29. Mart. 1873., S. O. 4. Dec. 1872.

Haec Clemens IX. l. c. § 3.: « *Omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam regularibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis et qualitatis, ac cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti... et earum cuilibet, quae ad insulas, provincias, regna Indiarum Orientalium... ac in partes Americae, tam australes quam septentrionales a Sede Apostolica, vel Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. CC., negotiis Propagandae Fidei praepositorum, aut ab earum Superioribus sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo, pro tempore missae fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae et passivae... nec non amissionis mercium et lucrorum omnium ipso facto incurrendis... poenis, tenore praesentium districte prohibemus... ne mercaturis et negotiationibus saecularibus huiusmodi quovis praetextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione et forma, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis subsidiariis, directe vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum respective religionum... vel aliorum quorumlibet, et alias quovis modo et qualitercumque se ingerant vel immisceant. Ac ex nunc... postquam casus evenerit, merces et lucra quaecumque, quae ex eiusmodi mercaturis et negotiationibus provenerint... in usus et commodum pauperum, hospitalium, seminariorum, etc., harum serie applicamus, delinquentes teneantur consignare merces et lucra huiusmodi locorum Ordinariis... qui illa ut praefertur, et non in alios usus, distribuere et erogare debeant... § 4. Insuper eisdem censuris et poenis innodamus, et innodatos fore declaramus, Superiores immediatos, ac Provinciales, ac Generales praedictorum Ordinum seu Congregationum, qui eorum respective subditos in praemissis... etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti, non puniverint. — A sententia vero excommunicationis huiusmodi per Superiores vel alium seu alios quoscumque, etiam quavis auctoritate suffultos, nemo ex praedictis delinquentibus absolvi possit praeterquam in articulo mortis constitutis, nisi lucris huiusmodi prius restitutis* ».

Regna Indiarum, partes Americae; laud. Declaratio S. O. et S. C. de P. F. complectitur etiam missionarios sinenses. S. O. 17. Ian. 1883. — *Aut*

in illis partibus quomodolibet morabuntur; « eadem prohibitio et poena ad mentem Clementis IX. non solum afficit missionarios europaeos, sed etiam quoscumque ecclesiasticos viros, qui sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo, pro tempore missi fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur ». S. O. 17. Ian. 1883. — *Negotiatio* est aliquid emere, ut immutatum carius vendatur, e. g., oleum, frumentum, libros, etc. *Mercatura* vero ea quoque complectitur, quae naturaliter mutata solent revendi, e. g., mustum quod vinum factum, vitulos qui facti boves, sues qui saginati revenduntur. *Naturaliter,* nam si hominum arte et industria mutata revenduntur, *artificium* est, quod huc non pertinet, e. g., si ex empta lana vestes, ex ferro arma, ex ligno vasa conficias. Verum si haec quoque conductis operariis praestentur, quaestuosum aliquid sunt, et a negotiatione parum distant, nec consequenter regulariter sine lethali culpa exercentur. L. l. 3. n. 836. — *Quovis modo* et *qualitercumque se ingerant vel immisceant;* etiam ergo pro aliis mercaturae et negotiationi operam dantes. — *Nemo ex praedictis delinquentibus,* i. e. ex iis qui negotiationibus aut mercaturis dant operam, vel eis se ingerunt et immiscent. Superiores ergo, etiam lucris non restitutis a delinquentibus, absolvi possunt, nec mora delinquentium eis nocet. — *Nisi lucris,* etc. Restitutis ergo lucris huiusmodi, potest quis ab alio absolvi quam a S. Pontifice. Lucrorum condonatio non nisi a S. Sede obtinenda est. Restitutio autem facienda est « locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis in spiritualibus Generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seu Provicariis ». Hi lucra restituta « in usum et commodum pauperum, hospitalium, seminariorum ecclesiasticorum ac operariorum (non tamen religionum... eorum, qui in praemissis vel circa ea deliquerint, sed aliorum non delinquentium...), et non in alios usus distribuere et erogare debeant ». § 3. — E. M.

1219. « An post B. *Apost. Sed.* vigeant adhuc censurae praescriptae in duabus CC. s. m. Benedicti XIV. circa ritus Sinenses et Malabaricos? — R. Constitutiones Benedicti XIV. s. m. super memoratis ritibus Sinensibus et Malabaricis, annor. 1742. et 1744. editas, omnino vigere, exceptis tantum censuris latae sententiae, de quibus nulla fit mentio in Const. SSmi Dñi Pii PP. IX. IV. Id. Oct. edita, quae incipit *Apostolicae Sedis moderationi;* ideoque ad calcem formulae iuramenti, quod a Benedicto XIV. in eadem Const. praescribitur et confirmatur, inter verba: « *Poenis per praedictas Constitutiones impositis me subiectum agnosco et declaro,* inseratur, post vocem *impositis,* hoc additum: *et adhuc vigentibus* ». S. O. 3. Mart. 1873. — E. M.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici simpliciter reservatae.

1220. I. *Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos, de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.*

A suorum beneficiorum perceptione. « Suspenso Capitulo vel Conventu, non censentur suspensi singuli, nisi sint in culpa. Quando suspensio fertur in solam communitatem, non afficit singulas personas quoad munia par-

ticularia, sed tantum quoad officia vel beneficia totius communitatis». L. 317. Beneficia vero totius communitatis ea sunt, quae ad communitatem, ut communitas est, pertinent, licet eorum fructus in singulas personas distribuantur. — *Beneficiorum;* ea quae sunt ordinis et iurisdictionis salva permanent. — *Perceptione*, non administratione; perceptione nempe *fructuum.* — *Ad beneplacitum S. Sedis;* suspensio ergo haec non est determinato aliquo tempore duratura, sed quamdiu placuerit S. Sedi, h. e. Romano Pontifici pro tempore exsistenti, eiusque successoribus, donec nempe suspensi super hoc eiusdem Sedis gratiam meruerint obtinere. Quare, declarata S. Sedis voluntate remittendi seu revocandi suspensionem, sine alia absolutione expirat. Laymann P. 3. c. 3. n. 3. — *Aliique omnes;* verba haec in obvio sensu non videntur intelligenda esse de singulis personis *Capitulorum* et *Conventuum*, sed referenda videntur ad alios, qui non sunt Capitulorum et Conventuum membra. Hinc Capitula et Conventus suspenduntur quidem a beneficiis communibus, quae ipsa Capitula et Conventus, *qua tales*, possidebant, minime vero a beneficiis, quae singulae personae possident. *Alii* vero a Capitulis et Conventibus, *omnes* quidem plectuntur privatione perceptionis eorum, quae singuli obtinent. — Suspensio haec quoad Capitula et Conventus partim *poena*, partim *privatio* est, eamque incurrunt illi quoque, qui ex Capitulis et Conventibus *non receperint.* Est vero quoad *alios* simpliciter *poena*, quare eam non incurrunt, nisi qui mortali culpa non vacant. — *Ad regimen* et *administrationem recipiunt;* censetur episcopus vel praelatus recipi in regimen et administrationem Ecclesiae statim ac eius auctoritas tanquam legitima agnoscitur, eum excipiendo et admittendo. Quare semel ac praelatus receptus fuit, illi, qui ei recepto iam, et in pacifica possessione sui officii, obedientiam praestant, suspensionem hanc non incurrunt. — *Episcopos,* alii intelligunt consecratos; quia cum simus in odiosis, stricta interpetratione utimur: alii vero intelligunt etiam simpliciter electos vel confirmatos, quin adhuc episcopalem consecrationem acceperint, quia dicitur, *quovis modo provisos*, et agitur de *promotione.* Cf. Ferraris v. *Episcopus* a. 2. n. 32. 36. 38. — *Praelatos*, qui iurisdictione quasi episcopali et externa polleant, non eos, qui administratores mittuntur. — *Apud eandem S. Sedem quovis modo provisos*, nempe « qui apud dictam Sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt ». Extravag. comm. *Iniunctae nobis* C. 1. *de Electione.* — Bonacina D. 3. Q. 4. P. 10.

1221. II. *Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.*

Suspensionem per triennium; quare triennio transacto suspensio per se ipsam expirat. Laymann P. 3. c. 3. n. 3. — *Ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii;* agitur ergo de collatione ordinum maiorum; ad hos enim recipiendos titulus requiritur *beneficii*, vel, hoc deficiente, *patrimonii.* — *Aliquem*, sive alienum, sive suum subditum, Cf. C. *Si episcopus* 37. *de Praeb.* in 6.°; sive saecularem, sive regularem; regularibus tamen exceptis, privilegium hac in re habentibus. Cf. 1222. — *Absque titulo;* ergo incurrunt censuram hanc, si quem ordinent cum titulo falso, ex quo *nullum* ius percipiendi fructus in ordinatum transit. Minime vero

incurrunt, si quem ordinent cum titulo, sed insufficiente, licet hoc Conc. Trid. prohibeatur. — *Patrimonii;* patrimonio accensentur pensiones perpetuae, legata perpetua missarum, capellaniae *manuales* sub conditione, donec ordinatus provideatur. L. l. 6. n. 825., Bened. XIV. Notif. 26. — *Cum pacto,* etc. « Innocentius III. in C. *Cum secundum Apostolum de Praeb.,* ordinantibus, qui clericos sine titulo ad sacros ordines promovent, onus imposuit illos alendi, *donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur.* Quod etiam confirmatum et explicatum est in C. *Si episcopus de Praeben.* in 6.°; in Conc. vero Lateranensi sub Alexandro III. p. I. C. 5. addita est limitatio: *Nisi qui ordinatur de sua vel paterna haereditate subsidium posit habere.* Quae tamen nunc servanda est iuxta praescripta in Conc. Trid. in S. 21. C. 2. de R. ». Suarez D. 31. S. I. 7.ª Suspens. — *C. Si quis* 45. *de Simon.,* Card. De Luca Opp. T. 14. Annotat ad S. Conc. Trid. D. 14., Bonacina D. 3. Q. 1. P. 8.

1222. III. *Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.*

Ordinantes; etiam ordines tantum minores, etiam iuxta aliquos tonsuram conferentes: verbum enim generale est, et ad omnem ordinantem extenditur. Merito tamen prima tonsura excluditur, cum ordo non sit. S. O. 18. Apr. 1888. — *Alienum subditum,* qui consequenter proprius subditus non est neque titulo *nativitatis,* neque *originis,* neque *domicilii,* neque *beneficii,* neque *familiaritatis.* — *Etiam sub praetextu;* incurritur ergo praesens censura etiamsi quis sine tali praetextu subditum alienum ordinet absque litteris dimissorialibus episcopi, cuius ille subditus est. — *Litterae dimissoriales* eae sunt, quae scripto continent expressum consensum et licentiam proprii episcopi, ut subditus possit ab alieno episcopo ordinari. — *Litterae testimoniales* sunt illae, quae fidem faciunt aliquem dignum esse, cui ordines conferantur. Quare non sufficiunt litterae commendatitiae in genere de vita et moribus alicuius absque ullo ad ordines recipiendos respectu. Verum praedicta licentia et testimonium viva etiam voce dari potest ex Trid. S. 14. de R. C. 2., praeterquam Ultramontanis in Italia degentibus, C. 1. *de Temp. ord.* in 6.° Litterae testimoniales dari debent ab episcopo domicilii, ab episcopo originis, ab episcopo illius loci, ubi quis fortuito natus est, et ab episcopo loci, ubi quis aliquandiu moratus est; si in tali loco tamdiu, nempe ultra sex menses, et ea aetate, nempe post septennium, *moratus sit,* ut canonicum impedimentum contrahere potuisset. Quod hic autem de dimissoriis et testimonialibus litteris praescribitur et ad eos pertinet, qui Piis Sodalitiis seu Congregationibus, in quibus vota simplicia emittuntur, nomen dederunt, S. C. EE. et RR. 6. Maii 1864. Illis vero religiosis, qui hodie ante vota solemnia emittunt vota simplicia, durante triennio horum votorum post tirocinium, dimissoriae dantur a Superioribus Regularibus quoad tonsuram et ordines minores tantum, S. C. EE. et RR. 12. Ian. 1858.; post edita vero solemnia vota, quoad omnes ordines. — *Eius episcopi;* qui ordines nempe ei conferre potuisset, vel dimissorias ad ordines concedere.

Episcopi autem nomine, hic intelligitur etiam Vicarius Generalis, *episcopo in remotis* agente: et Vicarius Capitularis, Sede vacante, et quidem etiam infra annum pro *arctatis*, iis nempe quibus, ratione beneficii, aut recepti aut recipiendi, opus sit non differri sacri ordinis aut tonsurae collationem; post annum pro non arctatis. — *Tanto tempore*, i. e., ut in matrimoniis ex veriori sententia, ultra sex menses, vel ultra tres pro clericis addictis servitio militari. Cf. 893. — *Canonicum impedimentum*, puta censuras, irregularitatem, etc. — C. *Eos qui* 2. *de temp. ordin.* in 6.°, Innocent. XII. C. *Speculatores* 4. Nov. 1694., Card. De Luca l. c., Bonacina D. 3. Q. 1. Q. 11., Q. 2. P. 7., Giraldi Expos. Iur. Pont. P. 2. S. 96., Honorante Prax Secret. Urb. Vicar. c. 1. N. 9.

1223. IV. *Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.*

« Pius V. Motu proprio anni 1568., qui incipit *Romanus Pontifex*, extendit decretum Conc. Trid. S. 21. C. 2. de R., quatenus titulum beneficii vel patrimonii requirit, etiam ad clericos religiosos, vel religiosorum more viventes, qui professionem et solemnia vota non emiserunt, et eos aliter ordinatos ipso iure suspendit, et si ministrent irregulares efficit ». Suarez de Cens. D. 31. S. 1. Haec S. Pii V. extensio servatur per C. *Apost. Sedis*, ut constat ex praesenti suspensione. *Excepto casu legitimi privilegii*; unde excipiuntur Religiosi Societatis Iesu, licet *vota tantum simplicia* emiserint ex C. Gregorii XIII. *Ecclesiae catholicae* 28. Iunii 1591. Cf. Sanchez Consil. Mor. l. 7. c. 3. D. 35. n. 9. — *Clerico in aliqua Congregatione*, etc.; quare, secluso speciali privilegio, *titulo paupertatis* ordinari nequeunt: 1.° religiosi, qui vota simplicia emiserunt in Congregatione, cui vota simplicia tantum concessa fuere; 2.° religiosi, qui nunc vota simplicia emittunt ex mandato Pontificio, licet pertineant ad ordines, in quibus antea sola vota solemnia emittebantur. S. C. 20. Ian. 1860. — *Qui... ordinem sacrum contulerit;* hanc ergo suspensionem unica personarum classis incurrit, ipsi nempe *ordinem conferentes*, seu ordinantes. — Card. De Luca l. c., Bonacina D. 3. Q. 1. P. 8. Q. 2. P. 10.

1224. V. *Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt religiosi eiecti, extra religionem degentes.*

Religiosi. Praedicta suspensio non attingit nisi religiosos ad solemnem professionem admissos, 1.° quia S. Congr. Card. Conc. Trid. interpret., d. 21. Sept. 1624., communicato consilio cum Urbano VIII., atque ex ipsius facultate, inter alia, sequens edidit Decretum: « Eiecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi ». Porro praedicta suspensio, iuxta communem thth. sententiam, non attingebat religiosos, ad solemnem professionem non admissos. 2.° Nam religiosorum nomine in odiosis religiosi stricte dicti, seu professi solum venire solent. Quare hanc censuram non incurrunt neque novitii, neque religiosi, qui vota simplicia dumtaxat emiserunt. — *Eiecti;* hanc ergo suspensionem non incurrunt apostatae, aut fugitivi, quia *eiecti* non sunt. Neque vero incurrunt *iniuste* eiecti. Quare opus est, ut quis ex iusta causa et ser-

vato ordine iuris eiiciatur. Secus enim non erit vere eiectus. — *Extra religionem degentes;* hac ergo suspensione non amplius ligantur eiecti ipsi, qui iterum recipiuntur, aut ad aliam religionem canonice transeunt, quia non sunt extra religionem degentes. — Bonacina D. 3. Q. 8. P. 12., de Claus. Q. 2. P. 12., Lucidi Vol. 2. p. 36. seqq. Ed. 3.ª.

1225. *Ex Decreto S. C. EE. et RR. 4. Nov. 1892.:* « Alumni votorum solemnium vel simplicium, perpetuorum vel temporalium, in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. — Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti, sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. — Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus, quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata ».

1226. VI. *Suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.*

Suspensionem ab ordine suscepto, h. e. valide suscepto; secus enim suspensio ne intelligi quidem potest. — *Qui eundem ordinem recipere,* etc.; non est ergo suspensio *totalis* ab omni ordine suscepto, sed *partialis* ab ordine tantum, ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, recepto. — *Ab ordine suscepto;* haec ergo suspensio non extenditur etiam ad primam tonsuram; extenditur vero ad consecrationem episcopi: nam textus generatim loquitur. — *Ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto* a collatione ordinum. — *Nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio;* non incurritur igitur praesens suspensio, si ordo recipiatur ab interdicto, suspenso, excommunicato, sed *tolerato;* vel ab haeretico, aut schismatico, sed *occulto.* — *Praesumpserunt;* ab hac ergo suspensione excusat ignorantia, etiam crassa aut supina, et gravis metus. — *Eum vero qui bona fide... exercitium non habere;* oppositio, quae hic statuitur inter eum, qui *praesumit* recipere ordinem, et eum qui *bona fide* ordinatur ab excommunicato; item diversus ille loquendi modus, de primo enim dicitur *suspensionem* incurrere, de posteriori *exercitium non habere* ordinis sic suscepti, aperte innuere videtur hanc suscepti ordinis privationem non iniungi tanquam *censuram ordinato,* sed tanquam *privationem* et *poenam* in iniuriam ordinantis absque debita potestate, et quasi irregularitas ex defectu. Hinc idem dicendum est etiam in casu coactionis et metus cadentis in constantem virum. Ille enim defectus potestatis non tollitur propter metum, immo quodammodo augetur, praesertim si ab ipsomet ordinante incutiatur. — *Donec dispensetur,* dispensatio haec, uti ex *iure* constat, reservata non est S. Pontifici; neque vero hic reservatur, cum indefinite ponatur; unde intelligenda est cum clausula, *prout de iure.*

Donec dispensetur a suo episcopo. Ante dispensationem peccat ministrando in susceptis. — C. *Quod* 1. *de Schism.*, C. *Fraternitati* 2. ib., C. unic. *de Ordinatis ab episc. qui ren. ep.*, Bonacina D. 3. Q. 1. P. 9. 10., Thesaurus, de Poenis Eccles. P. 2. v. *Ordo* c. 24. n. 1. V. *Limita* et *advertendum.*

1227. VII. *Clerici saeculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe Roma commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint, nec non clerici pertinentes ad aliquem ex sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt. Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.*

Clerici saeculares; haec ergo non pertinent ad regulares, neque ad laicos, qui tonsuram, et cum ea ordines simul minores recipiunt. — *Ultra quatuor menses,* non ante hoc tempus, qui nempe breviori tempore in Urbe moras traxerint. — *Clerici exteri,* hic dicuntur, qui neque ad Romanam dioecesim, neque ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis pertinent. Id constat ex altera illa parte addita, *clerici saeculares exteri... nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, etc.* — *In Urbe commorantes,* ibique adhuc pergunt commorari; dicitur enim in *Urbe commorantes,* non qui commorati fuerint, *ordinati ab alio,* etc.; quare haec non pertinent ad illos, qui ordinandi quidem discedunt, sed non amplius reversuri. *Proprio Ordinario,* ratione originis, seu domicilii, seu beneficii, seu familiaritatis. — *Posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint,* non item, absque praevio praedicto examine. — *Nec non clerici pertinentes,* etc., non additur, ultra quatuor menses, in Urbe Roma commorantes. Hanc ergo incurrunt suspensionem, licet in sua dioecesi commorentur, si, etc. — *Episcopatus suburbicarii,* sunt Ostiensis et Veliternus, Portus et Sanctae Rufinae, Albanensis, Tusculanus, Praenestinus, atque Sabinus. — *Vel non praemissis... exercitiis,* nempe nisi privilegio gaudeant. — *Ante ordinem sacrum,* non quemlibet ordinem. — *Sacerdotes a Missione,* vulgo *Lazaristae* nuncupati, ii sunt, qui S. Vincentium a Paulo fundatorem habent. — *Episcopi ordinantes,* non simplicem tonsuram conferentes. — *Suspensionem ab usu Pontificalium.* Cf. 1130. 1131. — Edict. Card. Vic. iussu Bened. XIV. edit. 20. Mart. 1743., Declarat. edita iussu Alex. VII. a. 1668., Honorante Prax. Secret. c. 16.

1228. Praecedentes suspensiones non sunt omnes stricta significatione *censurae;* quaedam enim sunt simpliciter *poenae,* illae nempe quae feruntur *ad beneplacitum, in perpetuum,* vel *tempore determinato,* e. g., per *triennium,* per *annum.* Quaedam vero est simpliciter *privatio,* ut illa quae fertur in clericos bona fide recipientes ordines ab episcopo nominatim excommunicato, etc. Quaedam tandem est *privatio* et *poena,* ut illa quae fertur in Capitula et Monasteria. Hinc violatio suspensionis in innocentes, in personas morales, in Capitula, Monasteria, Universitates, etc.; in singulos quidem et graviter reos, aut in perpetuum, aut ad beneplacitum nullam inducit irregularitatem. An idem valeat cum suspensio

feratur in diem certum, per annum, per triennium, alii negant, quia rationem *censurae* non habet, poenae nempe medicinalis; alii affirmant ex C. *Cum aeterni* 1. *de Sent. et re iud.* in 6.°, et verius cum eo ipso, quod ab ipso iure feratur, iam est ad praecavenda futura delicta, et non tantum ad praeterita punienda. Quare ex hoc capite rationem quoque censurae vere habet. Cf. L. l. 7. n. 314., Salm. T. 10. c. 5. n. 13.

1229. *Suspensiones Tridentinae addendae praecedentibus suspensionibus Const.* Apost. Sed. *sequentes sunt:*

VIII. « *Non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudeant; in maioribus vero ab exsecutione ordinum, ad beneplacitum futuri praelati, sint ipso iure suspensi* ». S. 7. C. 10. de R.

Si in minoribus ordinibus. « Pro suscipientibus minores ordines alia poena statuitur, scilicet, ne clericali privilegio praesertim in criminalibus gaudeant; quare non suspenduntur, ut Congr. Conc. declaravit... Poena imposita ordinatis minoribus hunc (primam tonsuram recipientem) non comprehendit; quia appellatione minorum ordinum, maxime in decreto poenali et odioso, solum veniunt intelligendi quatuor minores ordines, et non prima tonsura, quae ab illis distinguitur... *Arctatus* vero *occasione beneficii recepti*... ille dicitur, qui beneficium obtinet, ratione cuius obligatur se promoveri facere; ut qui obtinet parochialem ecclesiam est arctatus intra annum ad sacerdotium promoveri... *Occasione* vero *beneficii recipiendi* arctatus dicitur, qui vocatus est ad beneficium vacans, certum requirens ordinem, quo ipse caret ». Castropal. de Cens. D. 4. P. 10 par. 1. n. 11., Suarez de Cens. D. 31. S. 1. 2.ª Suspens., Bonacina de Suspens. disp. 3. p. 5. par. 1. n. 5. — *Infra annum a die vacationis,* quia si post annum Sedes adhuc vacat, permittitur, ut Capitulum, dimissorias concedendo, provideat de novis sacerdotibus. Verum litteras dimissoriales concedere post annum ad Vicarium Capitularem, non ad Capitulum spectat. S. C. Ep. 12. 4an. 1804. Vicarius S. Pontificis, Sede vacante, minime Trid. decreto comprehenditur. — *Ordinandi licentiam;* pro tonsura conferenda dimissoriae, etiam infra annum, concedi possunt. S. C. C. 10. Febr. 1594. — Poena haec « imposita iis, qui contra huius Sanctae Synodi sub Paulo III. Decretum (Sess. 7. C. 10. de R.) a Capitulo Episcopali, Sede vacante, litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione episcopi loco Capituli, Sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti, ab officio et beneficio per annum sint ipso iure suspensi ». C. Tr. S. 23. C. 10. de R. — Bonacina D. 3. Q. 1. P. 11.

1230. IX. *Unusquisque a proprio episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis, aut specialis Rescripti, vel Privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commen-*

dentur; si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. S. 23. C. 8. de R.

Nisi eius probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Haec igitur suspensio incurritur ab *alieno* episcopo ordinante, et ab ordinato ab eo *absque* litteris testimonialibus *proprii* Ordinarii. Quare hic non agitur de carentia litterarum *dimissoriarum.* « Clericus qui obtinuit rescriptum, vel privilegium a Papa recipiendi ordines a quovis episcopo, si eos recipiat absque litteris commendatitiis proprii episcopi incurrit eandem suspensionem ex eod. Trid., quia rescriptum illud excludit litteras dimissorias non vero commendatitias, h. e. testimoniales de vita et moribus ». Bon. num. 22. ». Mazzotta Tract. 8. D. 3. q. 2. c. un. par. 1. n. IX. Incurritur autem haec censura « ob receptionem ordinum tam maiorum quam minorum, quia de omnibus generatim textus loquitur, sicuti declaravit ibi Sacra Concilii Congregatio. Ob receptionem autem primae tonsurae non videtur hanc suspensionem contrahi ». Castropal. de Cens. D. 4. P. 10. par. I. n. 4. — *Per annum.* « Quomodo tollatur suspensio lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione? Resp. Si lapsum sit tempus, aut impleta conditio, cessat absque ulla absolutione: quia ultra intentionem ferentis progredi nequit... Intermedio autem tempore, seu ante impletam conditionem tolli suspensio talis per dispensationem potest ab eo, qui eam tulit, vel ab huius Superiore, aut successore, non autem ab inferiore. Adeoque si lata sit a iure communi ad certum tempus tollere illam, aut relaxare solus Pontifex potest ante tempus finitum... Ratio est, quia alias intentio Pontificis frustraretur ». Schmalz. l. 5. P. 4. t. 39. n. 311. 312. — *Quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire.* Haec suspensio a proprio episcopo, cui facta est iniuria, tollenda est. — Bonacina D. 3. Q. 1. P. 11., E. M.

1231. X. *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiamsi nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; nec ipsi Abbates, et alii exempti, aut Collegia vel Capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius Sanctae Synodi decretis continentur, ad episcopos, intra quorum dioecesis fines exsistant, pertineat, non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius S. Synodi sub Paulo III. decretum* (S. 7. C. 10. de R. Cf. 1229.) *a Capitulo episcopali, Sede vacante, litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras, non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione episcopi loco Capituli, Sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso iure suspensi.* S. 23. C. 10. de R.

Cuiquam, etc. « Hinc sequitur praefatos Abbates, aliosque exemptos subiici huic poenae, dum litteras dimissorias faciunt clerico saeculari, quamvis hic alias ad suam iurisdictionem pertineat. Ratio est, quia Concilium loquitur de concedentibus dimissorias clericis saecularibus ». Bo-

nacina de Susp. D. 3. P. 5. Par. 4. n. 12. — *Collegia vel Capitula*, i. e. Sede non vacante, quae speciali quodam iure iurisdictionem habent in aliqua dioecesis parte. Aliud enim Decretum exstat de Capitulis, Sede vacante, Cf. 1229. — *Poenam quoque, etc.* Cf. 1229., Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 11.

1232. XI. *Nemo episcoporum, qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii, sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere vel ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.* S. 14. C. 2. de R.

Episcopi titulares dicuntur, qui consecrati quidem sunt pro aliqua dioecesi. Verum, quia huiusmodi dioecesis ab infidelibus, ab haereticis, vel schismaticis invasa est, episcopus in ea neque clerum, neque populum sibi subiectum habet. Cf. Giraldi Iur. Pont. Expos. P. 1. S. 64. — *Ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere.* « Cautum est, ut nullatenus haec facultas tribuatur episcopo titulari, adeo ut nulla in eis competentia intret. Non potest enim intrare illa originis, minusque domicilii vel beneficii, cum in Titularibus nullum ex his verificabile remaneat, quamvis aliquis de Ecclesia ab infidelibus occupata ad loca catholica veniat, ut catholice vivat, quoniam efficitur subditus illius dioecesis, ut supra insinuatur. Unde propterea remaneret solus titulus familiaritatis, qui per hoc Decretum Conciliare sublatus fuit, dum sub hoc praetextu plures committebantur fraudes, atque multi qui ob illiteraturam, vel ob vitam et mores aliasve iustas causas per Ordinarium repellebantur, ita ordines assumebant ». Card. De Luca l. c. Disc. 14. n. 19.

1233. XII. *Nulli episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu, Pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas ei Ordinario subiectas tantum; si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione ordinum sint ipso iure suspensi.* S. 6. C. 5. de R.

Nulli episcopo, quod dictum est de episcopo, intelligendum est de archiepiscopo, quia ipsi datum non est pontificalia exercere in dioecesi suffraganeorum, nisi in aliquibus casibus. — *Et in personas,* etc. Hoc Decretum non impedit, quominus episcopus exsistens in aliena dioecesi, praevia licentia Ordinarii eiusdem dioecesis, possit ordines conferre, tam subditis propriis, quam episcopi licentiam concedentis, S. C. 22. Febr. 1630.; immo etiam subditis alterius episcopi, si huius litteras dimissoriales habeant, et licentia iterum accedat episcopi loci. — Bonacina D. 3. Q. 1. P. 12., Q. 2. P. 12., Lugo Resp. Mor. l. 1. D. 32.

1234. XIII. *Episcopi, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint; et a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi: et si perseverent...* S. 25. C. 14. de R.

Ab huiusmodi crimine, i. e. concubinatu. — *Admoniti,* non requiritur, trina admonitio, sed una sufficit. — *Se non emendaverint,* nisi nempe

statim, moraliter loquendo, tollant occasionem delicti et scandali. — *Suspensi,* « quae suspensio absolute fertur, et sine limitatione temporis, officii aut beneficii; et ideo ex se omnia complectitur ». Suarez D. 31. S. 5. par. penult. — Trid. S. 15. C. 12. de R., Bonacina D. 3. Q. 6. P. 1. Q. 7. P. 4.

1235. XIV. *Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis, sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* S. 24. C. 1. de R. M.

« Non explicat Conc. a quo huiusmodi sacerdotes propter tale crimen suspendantur: cum tamen verisimile non sit suspendi illum ab omni officio et beneficio, ut verbum illud simpliciter prolatum indicare videtur: tum quia peccatum illud non videtur dignum tanta poena; tum etiam quia illa poena indifferenter fertur in parochos et in sacerdotes simplices tam regulares quam saeculares. Et ita videtur suspensio solum esse de re communi omnibus illis. Censeo igitur illam esse suspensionem ab officio sacerdotali, vel ad summum a munere sacerdotali; quia, iuxta communem intelligentiam canonum ex materia subiecta determinatur poena, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit. Item quia, cum sacerdos propter abusum sacerdotalis muneris suspenditur, recte intelligitur suspendi formaliter, quatenus sacerdos est; atque adeo a sacerdotali munere ». Suarez de Cens. D. 31. S. 3. — Filliucc. Tr. 17. n. 101., Bonacina D. 3. Q. 3. P. 5.

1236. XV. *Professionis tempus* (quoad moniales) *ne episcopus ignoret* (ut eas explorare possit), *teneatur praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si praefecta certiorem episcopum non fecerit, quamdiu episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.* S. 25. C. 17. de Reg.

Suspensio haec *censura* non est, sed mera *poena.* Agitur autem de *monialibus* proprie dictis, quae nempe vota solemnia emittunt.

Addi hic possunt *poenae,* ipso facto incurrendae, a superioribus regularium Institutorum sive virorum sive mulierum, non observantibus dispositiones Decreti *Quemadmodum* S. C. EE. et RR. 17. Dec. 1890. de ratione reddenda conscientiae, de confessione, de communione; *poenae* nempe *contra superiores Apostolicae Sedis mandata violantes.*

1237. *Suspensio, quae accessit C.* Apost. Sed., *speciali modo Rom. Pont. reservata.*

XVI. *Si vero aliqui ex praedictis episcopali charactere sint insigniti in poenam suspensionis ab exercitio pontificalium... ipso facto, absque ulla declaratione incidunt Sanctae Sedi pariter reservatam.* Pius IX. C. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873. Par. *Confidimus* seqq.

Si vero aliqui ex praedictis, qui nempe regimen Ecclesiae suscipiunt, nondum praesentatis Bullis provisionis, cui de iure, Cf. 1177. — *Si episcopali charactere sint insigniti;* episcopi ergo non excommunicationem, sed suspensionem incurrunt. Exceptio enim pro ipsis fit. — *Pariter reservatam,* nempe speciali modo.

1238. *Aliae etiam accessere suspensiones:* «... Ad cohibendam pravam quorundam licentiam, qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius

cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit (S. C.), eaque Pio IX, fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit, ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

1.° An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda, et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis incitamentis et praemiis vel alio quocumque modo, missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt?

2.° An haec agendi ratio ita cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus, eleemosynis missarum carentibus, subvenitur?

3.° An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentis commodum, sed in piarum institutionum, et bonorum operum usum vel incrementnm impenditur?

4.° An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus, sive recipiant sive non recipiant quidpiam ab iisdem praemii nomine?

5.° An turpi mercimonio, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro?

7.° An liceat episcopis, sine speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant?

In peculiari conventu anni 1874. S. C. resolvit: Ad 1.um Affirmative; — Ad 2.um Negative; — Ad 3.um, 4.um et 5.um Affirmative; — Ad 7.um Negative, nisi de consensu oblatorum.

... Emi Patres S. C. Trident. interpretes ac vindices, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto, statuunt, ut in posterum, si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, *Suspensioni a divinis S. Sedi reservatae, et ipso facto incurrendae obnoxius sit:* clericus autem, sacerdotio nondum initiatus *eidem Suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos:* laici demum *excommunicatione latae sententiae episcopis reservata obstringantur.*

Praeterea, cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorundam privatorum manus maior missarum numerus congeritur, quam iusta necessitas exigit; ideo iidem Emmi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII. et Innoc. XIII. in CC. *Cum saepe contingat*, alias datis, sub gravi obedientiae praecepto, decernunt ac

mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant, iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, qui eis indigere noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus, quibus de exacta earundem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quae praesentis Decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. C. curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens Decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant... et insuper ut sive in sacra Visitatione, sive extra, sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant ». S. C. C. 25. Maii 1893., Leone XIII. plene confirmante, et edi mandante, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

1239. *Missionarius quilibet latinus e clero saeculari vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxiliove inducat, praeter suspensionem a divinis, quam ipso facto incurret, ceterasque poenas per eandem Const.* Demandatam (Bened. XIV. 24. Dec. 1743.) *inflictas, officio suo privetur et excludatur. Quae praescriptio, ut certa et firma consistat, exemplar eius patere vulgatum apud Latinorum ecclesias iubemus.* Leo XIII. B. *Orientalium dignitas* prid. Cal. Dec. 1894. de disciplina Orientalium conservanda et tuenda. A. S. S. V. 27. p. 260.

1240. « SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII., omnibus mature perpensis, et iuxta ea quae alias per Emum Urbis Vicarium edi iusserat, haec quae sequuntur per Sacram Concilii Congregationem praescripsit ac statuit:

1. Clerici et sacerdotes saeculares alienae dioecesis aut etiam regulares, extra claustra degentes, nequibunt in posterum stabile domicilium in Urbe statuere absque expressa venia Summi Pontificis, per officium S. Congregationis Concilii impetranda.

2. Qui vero in praesens Romae degunt, si nullo beneficii aut officii titulo ad residendum adstricti sunt, nec per diuturnam commorationem et tacitam aut expressam suorum episcoporum licentiam domicilium Romae acquisierint, post mensem a die huius decreti elapsum ad suam dioecesim redire debebunt.

3. Nullus ex clericis et sacerdotibus alienae dioecesis ad ecclesiasticum officium, quodcumque sit, aut ad aliud munus quod residentiam in Urbe requirat, eligi a quoquam in posterum poterit, nisi praeter testimoniales commendatitias sui episcopi litteras, exhibeat quoque veniam a Summo Pontifice iam obtentam Romae manendi: itemque nemini beneficium confertur, si assensum Ordinarii sui ad hoc non obtinuerit: atque aliter facta beneficii collatio nulla et irrita erit.

4. Qui ad litterarum scientiarumque studiis operam dandam vel ad honesta negotia peragenda, vel ex alia iusta causa in Urbe cum Ordinarii licentia versantur, statim ac temporaria huiusmodi causa cessaverit,

vel a proprio episcopo revocentur, ad propriam dioecesim redire debebunt, exclusa omni futili excusatione, ac praesertim, ob peculiarem dioecesium his temporibus conditionem, nullatenus eisdem suffragante exceptione, sive ex susceptis studiis, sive ex praetensa tenuitate sustentationis ab episcopo oblatae, desumpta: quod si durante hac eorum commoratione in Urbe sese, uti decet, non gesserint, per Vicariatum Urbis propriis Ordinariis denunciabuntur, et ab Urbe discedere cogentur.

5. *Quicumque denique, quolibet modo, praesentibus dispositionibus se non conformaverit, aut, quod Deus avertat, eisdem contraiverit, ipso facto suspensioni a divinis obnoxius fiet* ». S. C. C. 22. Dec. 1894.

Interdicta ex Const. Apostolicae Sedis.

1241. I. *Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis, pro tempore exsistentis, ad universale futurum Concilium appellantia.*

Universitates, Collegia et Capitula; quare hoc interdictum non fertur in *omnes* et *singulos*, sed in ipsas communitates. Praesens ergo interdictum, non *speciale* interdictum, sed *generale* personarum est, afficiens non singulares personas, sed corpora moralia. Hinc rationem censurae non habet, adeoque clerici, qui ei causam non dederunt, ordinem exercendo illud violantes, irregularitatem non contrahunt. Attamen singula tenet eorum membra, alias foret inutile, sive clericos, sive laicos, sive nocentes, sive innocentes. — *Quocumque nomine nuncupentur,* communitates aliae, similes, particularium personarum, comprehenduntur, alio quovis nomine appellatae, *Confraternitatis, Congregationis*, etc., sive saeculares, sive ecclesiasticae. — *Appellantia,* ad incurrendum hoc interdictum non est necesse, ut omnes de illa communitate, sed satis est, si plures nomine tamen communitatis appellent. — B. *Coenae* § 2., Bonacina App. Tom. 1. de Interdicto D. 5. P. 8. n. 8. 9., Tom. 3 de Cens. in part. D. 4. Q. 1. P. 5.

1242. II. *Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.*

Scienter; adverbium hoc initio positum membra omnia sequentia afficit. Omittitur autem *sponte*, ergo non quilibet metus aut coactio excusat, sed tantum gravis. — *Celebrantes vel celebrari facientes;* interdictum ergo est speciale personale. *Celebrare* autem, etc. nefas esse intelligitur, diebus exceptis, et locis, et non servatis conditionibus, quibus ex iure licet. Cf. 1135. — *Divina,* quae nempe solis Ecclesiae ministris fas est obire. — *In locis interdictis*, interdicto locali generali, vel particulari, facta interdicti denuntiatione. Martin. V. C. *ad Evitanda.* — *Nominatim excommunicatos;* quare poena fertur contra participantes cum *nominatim excommunicatis*, non vero cum suspensis et cum interdictis. Item cum *nominatim excommunicatis*, non cum excommunicatis quibuscumque. Praeterea poena non fertur contra *omnes* participantes, et in *quibuscumque* rebus, sed contra *admittentes,* et in *tribus* rebus sacris participantes, sci-

licet *divinis officiis, sacramentis, ecclesiastica sepultura.* Illa autem specialis participatio, quae per verbum, *celebrari facientes*, et *admittentes* denotatur, ad eos pertinet dumtaxat, ad quorum curam et officium spectat prohibere vel admittere aliquem ad huiusmodi actus. Hi sunt parochi, rectores, aliique quibus Ecclesiae vel coemeteriorum cura est commissa, sacerdotes, clerici. — *Sacramenta*, nempe excepta poenitentia, et viatico in articulo mortis. — *Donec*, etc. Potest ergo huiusmodi interdictum a quocumque absolvi, sed postquam interdicto obnoxii *ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt*, excommunicationis vel interdicti, *competenter satisfecerint.* Forte etiam cessat tunc ipso facto interdictum, Cf. 1186. — C. *Episcoporum* 8. *de Privil.* in 6.°, Suarez D. 22. S. 4. 4.ª Censura, Bonacina D. 3. Q. 3. P. 1., D. 4. Q. 2. P. 6.

1243. *Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.*

Tridentinas suspensiones superius recensuimus. Cf. 1229. seqq. Interdicta vero Tridentina sequentia sunt, quae reservationem annexam non habent; ea tamen ex subiecta materia desumitur.

1244. III. « *Metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub poena interdicti Ecclesiae, eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur* ». S. 6. C. 1. de R.

Haec obligatio denuntiandi absentem sub poena interdicti adest, cum praelatus absens iam fuerit absque ulla iusta et rationabili causa per annum integrum, eiusque contumacia ultra annum perseveret. Etenim postquam Conc. poenam decreverit privationis quartae partis fructuum unius anni, si praelatus absens fuerit per sex menses, et privationis alterius quartae partis fructuum, si idem praelatus per alios sex menses absens fuerit, subiungit: « *Crescente* vero *contumacia*, ut severiori canonum censurae subiiciatur, metropolitanus suffraganeos, etc. ». Ergo illa obligatio non adest nisi, *crescente contumacia*, post annum iam elapsum absentiae.

1245. IV. *Capitulum Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedens... ecclesiastico subiaceat interdicto.* S. 7. C. 10. de R.

Beneficii... occasione arctatus, Cf. 1229.

1246. *Interdictum, quod accessit C.* Apost. Sed., *speciali modo R. P. reservatum.*

V. *Si vero aliqui ex praedictis episcopali charactere sint insigniti, in poenam... interdicti ab ingressu Ecclesiae, ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, Sanctae Sedi pariter reservatam.* Pius IX. C. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873. Par. *Confidimus*, seqq.

In poenam interdicti, etc., nempe praeter suspensionem, Cf. 1237. — *Si vero aliqui ex praedictis*, Cf. 1177. — *Pariter reservatam*, nempe speciali modo.

1247. *Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum, Constitutionibus*

aut sacris canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum, locorumque piorum, cuiuscumque nominis et generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Constitutionibus, aut sacris canonibus. Non ergo huc pertinent censurae latae a regularium superioribus, aut Capitulis seu provincialibus, seu generalibus pro Ordinis proprii subditis. — *Pro R. Pontificis electione.* « Hodie electio Pontificis fit a Cardinalibus, iuxta duas Constitutiones Gregorii XV. Earum prima est *Aeterni Patris Filius* 15. Nov. 1621., et altera *Decet Romanum Pontificem* 12. Martii 1622. Censurae igitur, quae adsunt pro electione S. P. ex hisce CC. sunt potissimum repetendae. Cf. Benedictum XIV. C. *Pastor bonus* n. 12. — *Pro interno regimine,* h. e. pro bono spirituali horum Ordinum, Institutorum, etc., qua talia sunt, promovendo. Huiusmodi pro regularibus sunt: 1.° Excommunicatio lata in regulares, qui habitum religionis suae temere dimittunt, ex C. *Ut periculosa* 2. *Ne clerici vel monachi* in 6.° Cf. Sanchez in Dec. L. 6. c. 8. n. 45. 2.° Excommunicatio in monachos intra septa monasteriorum arma tenentes sine licentia Abbatum, ex Clem. 1. § 9. in fin. *de Stat. monach.* 3.° Excommunicatio in eos, qui violant clausuram vel violare permittunt. Greg. XIII. C. *Inscrutabili,* C. *Ubi gratia,* S. Pius V. C. *Decori.* 4.° Excommunicatio in eos, qui non denuntiant supremae Inquisitioni suos subditos haereticos, vel suspectos de haeresi; vel suos subditos denuntiare volentes, deterrent; vel alias retrahunt denuntiare volentes de fide suspectos, sive confratres, sive superiores. Paulus V. C. *Romanus Pontifex,* Alex. VIII. C. *Licet alias.* 5.° Excommunicatio in eos, qui adeunt Curias Principum, ut suis Praelatis, vel Monasteriis damnum aliquod inferant. Clem. 1. *de Statu monach.* 6.° Excommunicatio adversus apostatas et eiectos, si habitus dimiserint; ea enim et puniuntur et praecaventur crimina. Cf. Suarez D. 22. S. 5. 3.ª Excomm., D. 23. S. 3. 2.ª Excomm., S. 4. 10.ª Excomm., 14.ª Excomm., S. 5. 4.ª Excomm., 5.ª Excomm., 10.ª Excomm., D. 31. S. 6. « Item in suo robore permanent censurae latae pro interno regimine tum Ordinum et Institutorum regularium in genere, tum particulariter singularium Ordinum et Institutorum ». S. O. 22. Mart. 1881. Synodus Dioecesana Albanensis an. 1886. Append. Num. 10. — *Locorumque piorum,* ea nempe quae proprio internoque regimine polleant, et insuper particulares coetus constituant, ecclesiastica erecta auctoritate. — *Eas omnes firmas,* etc. Non *innovat* ergo S. Pontifex tales censuras, sed mere *declarat* eas non esse *abrogatas* per hanc Constitutionem, et *permanere in suo robore,* in eo nempe statu manere, in quo reperiebantur ante praesentem Const. Quare, si qua per desuetudinem vel aliam causam cessaverit, nequaquam *innovata* vi praesentis Constitutionis haberi potest. — Bonacina T. 2. de Cens. in part.

1248. *Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero*

privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus, aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in Corpore Iuris aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet, etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus, et derogamus.

Duplex in praesenti Constitutione continetur privilegiorum revocatio: prima in parag. « *A quibus* », Cf. 1176.; altera in par. hac, *Ceterum.* Utraque revocatio, si de regularium saltem aut de quorumcumque coetuum privilegiis sermo sit, plenissima est, ut constat ex clausulis insertis in utraque par. cit., quae plenissime derogatoriae sunt. Haec privilegiorum derogatio restringitur ad ea sola privilegia, quae ad censurarum de iure communi, seu excommunicationum, suspensionum et interdictorum de iure communi vigentium, et S. Sedi reservatorum, absolutionem spectant. Aperte constat ex duplici parag. cit. Cetera quaecumque privilegia integra prorsus manent. Neque vero derogantur per praesentem Constitutionem extraordinariae quaelibet facultates, *ad tempus* alicui personae vel communitati concessae ante dictam Constitutionem. S. Poenit. 5. Dec. 1873., Instr. S. O. 1. Febr. 1871. Speciali decreto S. O. 9. Mart. 1870. Pius IX. facultates confirmavit, quibus gaudebant sacerdotes omnes sive saeculares sive regulares spiritualem curam infirmis praestantes in quibuscumque hospitalibus Urbis. A. S. S. V. 6. p. 284. seqq.

1249. *Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo episcopis concessam* S. 24. C. 6. de R. *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.*

Porro Tridentina facultas sequentis tenoris est: « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per seipsos, aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari ».

1250. *Decernentes*, etc. (sequuntur hic clausulae consuetae). *Dat. Romae a. MDCCCLXIX. IV. id. Octobr.*

DE CONST. *SACRAMENTUM POENITENTIAE*

1251. *Quid de sollicitatione in confessione?* — Ad sollicitationem quod spectat, tria circa eam statuuntur in cit. C. Bened. XIV. Kal. Iun. 1841. Primum est, ut Inquisitores et locorum Ordinarii « severe animadvertant per condignas poenas », § 1. in confessarios sollicitantes in confessione, qui iisdem Inquisitoribus sive Ordinariis sunt denuntiandi. Alterum est, ut confessarii « suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi », § 2. Tertium est, ut « innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulantes » priventur beneficio absolutionis, quae Summo Pontifici reservatur, § 3. — E. M.

1252. *Quinam sint denuntiandi?* — Denuntiandi quidem sunt « omnes et singuli sacerdotes tam saeculares quam regulares, quomodolibet exempti... cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto muniti », § 1. et 2., ad turpia in confessione sollicitantes. *Omnes et singuli sacerdotes,* « etiamsi sacerdotes sint, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careant », § 2., S. O. 11. Febr. 1661. « Non vero sub hisce Constitutionibus comprehenduntur interpretes, nunciive sollicitationis, vel illam mandantes, aut consilium dantes, etiamsi sint sacerdotes. Nam isti nec proprie sunt sollicitantes, aut tractatum inhonestum habentes in sacra confessione, neque actiones istae sunt actiones sacerdotales, neque ut tales veniunt sub nomine sacerdotum... Sic quoque nec comprehenditur sacerdos vel alius, qui sollicitat poenitentem, dum non sibi, sed alii confitetur ». Pignatelli Consult. Canon. Noviss. C. 117. par. *Non vero.* Neque vero denuntiandus est poenitens, qui in confessione sollicitat sacerdotem. L. 689. — E. M.

1253. *Quodnam sit crimen sollicitationis, propter quod confessarii sunt denuntiandi?* — Illud est, quo huiusmodi confessarii *aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint,* § 1. — *Quaecumque persona illa sit,* « sive mares sive feminae, quaecumque illae sint ». Instr. Univ. Inq. ad omnes Episcopos 20. Febr. 1867.

1254. *In actu sacramentalis confessionis,* non aliorum sacramentorum. Actus sacramentalis confessionis verificatur inter initium confessionis et absolutionem datam. Sollicitatio habet locum *in actu sacramentalis confessionis,* vel cum confessarius tunc illicitos et inhonestos sermones, aut tractatus simpliciter habeat, vel cum media tantum tunc apponat, quibus postea sollicitat. Atque haec distinctio *formalis* sollicitationis, vel tantum *causalis,* seu sollicitationis in se, vel in medio tunc posito, intelligenda est quoad omnes alias clausulas: *immediate ante, immediate post,* etc. L. 676. Neque vero requiritur, uti detur absolutio. Greg. XV. C. *Uni-*

versi Dominici gregis 30. Aug. 1622. § 4. ait esse denuntiandum sollicitantem *occasione confessionis, etiam ipsa confessione non secuta.*

1255. *Vel ante, vel immediate post confessionem.* « Illud *immediate ante* sentiunt communius stricte intelligendum esse, ita ut nullum intervallum intercedat ». L. 677. Sic qui mulierem, ante pedes genuflexam ad confitendum, sollicitat, etsi nondum se crucis signo munierit, dicitur *sollicitare immediate ante.* « Illud *immediate post* communiter a dd. intelligitur, quando post confessionem nec confessarius nec poenitens ad alia se divertit, ita ut eveniat sollicitatio, antequam ulla alia actio intervenerit ». Attamen, si aliqua actio intercedat, « ex circumstantiis iudicandum, an principaliter intenta fuerit sollicitatio, et negotium ut medium; an vero negotium principaliter, et sollicitatio per accidens ». L. 677.

1256. *Occasione aut praetextu confessionis.* Occasio et praetextus duo hic distincta significant. *Confessionis occasione* sollicitare est, ex *vera confessione* provocandi opportunitatem, vel motivum sumere. *Praetextu* vero confessionis sollicitat, qui confessionem praetexit, seu ficte incitat ad confessionem, ut liberius provocet. Praetextus falsa causa est, et praetexere est causam aliquam non veram afferre. Quare huiusmodi confessarius est denuntiandus, *etiam confessione non secuta. Praetextu*, id est si sacerdos confessionem praetexat, ut sollicitet poenitentem, non si poenitens eam praetexat, ut confessarium sollicitet; nec si uterque ex condicto ut alios fallant. L. 679. — *Occasione confessionis* tribus modis sollicitare quis posse videtur: 1.° Dum *ex* expressa aut tacita *confessionis petitione* sollicitandi motivum sumit. L. 677. 2.° *Ex confessione ipsa*, h. e., dum intelligendo, e. g., in ipsa confessione poenitentis proclivitatem ad venerem, occasionem nanciscitur, ad inhonesta tunc illum provocandi; vel poenitentem interrumpendo ne confessionem incipiat, vel ne prosequatur, eundem interim sollicitans, opportunitate sumpta confessionis. 3.° Cum *notitia* utitur, quam ex confessione habuit, ad sollicitandum postea poenitentem. Iste autem usus notitiae confessionis debet ex circumstantiis sufficienter constare ad denuntiationis obligationem imponendam. L. 678. Verum difficultas adest circa primum modum; siquidem tunc confessarius sollicitare videtur potius *occasione petitionis confessionis*, quam *occasione confessionis*, si tamen confessio *de praesenti* neque immediate sequatur, neque sequi debebat. Pignatelli Cons. 104. n. 14. Idem dicendum de promissione confessionis. Pignatelli Cons. 117. par. *Ratio autem.* Difficultas item adest circa tertium modum. Non enim videtur occasione *confessionis* sollicitare, qui, cognita in confessione poenitentis fragilitate, domi eum adit, et urget, quippe is *ex confessione* notitiam, *ex notitia* sollicitandi ansam capit. Pignatelli Cons. 117. par. *Unde multo* et *Ratio autem.*

1257. *Vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali.* « An sit denuntiandus confessarius, qui *sedens in confessionario* sollicitat mulierem, *stantem ante confessionarium, non simulando confessionem?* Censuerunt Qualificatores opinionem negativam non carere probabilitate ». S. O. 11. Febr. 1661. ad 15.um Conferenda sane est haec resolutio cum resolutione eiusdem S. C. ead. d. ad 4.um: « An confessarius, qui feminae *in confessionario* dicenti se velle in crastinum confiteri illam sollicitat, et confessionem dissuadet, sit denuntiandus? — Si sollicitatio fiat *extra locum con-*

fessionis, et *absque praetextu confessionis*, censuerunt Qualificatores negativam opinionem esse probabilem, secus *in confessionario* seu *in loco confessionis* ».

1258. *Sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem.* Triplex ergo distinguitur locus confessionum audiendarum. Primus est confessionale ordinarium. Secundus est quicumque alius locus a confessionali distinctus, *ubi confessiones audiuntur*, e. g. genuflexorium, quod est in sacristia, ubi confessiones excipiuntur. Tertius, quivis locus *ad confessiones audiendas electus.* Clausula illa: *cum simulatione audiendi ibidem confessionem*, ultimo loco posita, ad omnia antecedentia refertur, adeoque et ad primum illud membrum, *sive extra confessionis occasionem in confessionali*, ex communi regula, quod clausula ultimo loco posita ad omnia antecedentia connexa referatur. Totum discrimen in eo esse videtur, quod ad primum et secundum locum quod attinet, requiritur quidem quod tum confessarius tum poenitens sit in *confessionario*, vel in alio loco *in quo confessiones audiuntur*, at hoc ipso tunc, *regulariter loquendo*, habetur *confessionis simulatio*, et denuntiationis urget obligatio, ut constat ex cit. Resp. S. O. ad 4.um. Ad tertium vero locum quod spectat, non sufficit quod confessarius et poenitens sint in eodem loco, vel simul colloquantur, sed opus est, ut positive confessionem simulent. Pignatelli Cons. Can. Noviss. C. 117. par. *Tertio* seqq., E. M.

1259. *Ad inhonesta et turpia*, i. e, obscena, nempe tactus, aspectus, etc. Addit Greg. XV. C. cit. § 4. « sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda ». Hinc denuntiandus est confessarius, qui sollicitat poenitentem, ut inducat aliquam personam ad secum peccandum. L. 691. Itemque ex Bened. XIV. denuntiatio urget, etiamsi *sollicitatio a confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit*, § 2. — « An confessarius, qui sollicitat poenitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus? Censuerunt Qualificatores opinionem negativam esse probabilem ». S. O. 11. Maii 1661. ad 11.um L. 684., Bened. XIV. de Syn. c. 11. n. 14.

1260. *An denuntiandus sit confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos?* — « Sententia probabilior negat » L. 683. Constat ex toto tenore Constitutionis Benedicti XIV. *Venialiter inhonestos*, nempe extra *rem veneream.* Hinc S. O. 11. Febr. 1661. ad 3.um: « An confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus. — Cum *in rebus venereis* non detur parvitas materiae, et, si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt Qualificatores esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem ». Sedulo vero hic animadvertendum est, aliud esse sollicitare *ad actus leves*, aliud *per actus leves* sollicitare ad graviora, quo casu absque ullo dubio facienda est denuntiatio, modo appareat interior intentio. Castro-Pal. Tr. 4. D. 9. P. 3. n. 4.

1261. *Sollicitare vel provocare*, etc... *tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. Sollicitatio* generatim est solers inductio et motus voluntatis alienae ad aliquid agendum vel patiendum. Sollicitatio vel provocatio hic est quaevis invitatio et incitatio ad res venereas a *sacerdote* tamquam a *confessario*, vel *quasi*

confessario, facta, licet sollicitationis statim ipsum poenituerit, vel in ipsa sollicitatione destiterit, S. O. 11. Maii 1661. ad 2.um; unde dicitur: *sollicitare vel provocare tentaverint;* scilicet *sacerdotes,* confessione utcumque abutentes ad praedictum effectum. — *Inhonestos sermones aut tractatus habere.* Explicatio est prioris clausulae, et declaratur, *sollicitationem vel provocationem* denuntiandam haberi per quoscumque *inhonestos sermones* aut *tractatus* confessarium inter et poenitentem, sive confessarius primus incipiat, sive incipiat poenitens, ita ut uterque reapse eos *inhonestos sermones* et *tractatus* habeat, iisque sistatur, quin ulterius procedatur; tunc enim mutua habetur sollicitatio. Hinc mandatur confessariis, ut « poenitentes, quos noverint *fuisse, ut supra,* Cf. 1253., *ab aliis sollicitatos,* moneant de obligatione denuntiandi *sollicitantes* », § 2. Quamvis autem S. Pontifex aperte addat ibidem casum *mutuae sollicitationis,* nihil tamen addit de casu confessarii, *mere passive* se habentis respectu sollicitationis ex parte poenitentis, licet illi consentientis.

1262. « *An sit denuntiandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat?* — Qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem ». S. O. 11. Maii 1661. ad 1.um. Constat etiam ex pr. 6.a d. ab Alex. VII., confirmata a Bened. XIV. § I. simul cum pr. 7.a de hac eadem re. Idem totidem verbis habetur in C. Bened. XIV. § I.: « sive per scripturam aut tunc aut post legendam ». Cf. 1253.

1263. « *An sit denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut dicatur illam sollicitasse?* — Idem responderunt Qualificatores quod ad 12.um ». S. O. 11. Febr. 1661. ad 16.um. Per se loquendo, donare aliquid non est inhonestum, neque tendit ad inhonesta, sed ad conciliandam benevolentiam, vel ad satisfaciendum gratitudini ob acceptum aliquod beneficium. — Porro haec ad 12.um: « An confessarius, si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare: et ideo sit denuntiandus? Censuerunt Qualificatores, si laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem ». Laudare pulchritudinem mulieris, etiam in confessione, non est per se ex obiecto peccatum mortale, neque est actus per se directus ad sollicitationem ad turpia.

1264. *An sit denuntiandus confessarius, si dubia sit eius sollicitatio?* — « Si dubitatur an eius factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, tunc cum communiori et veriori sententia dicendum, non esse obligationem denuntiandi... Ratio, tum quia dubia in meliorem partem accipienda sunt, et in verbis ambiguis benignior interpretatio facienda;... tum quia in dubio nemo est privandus fama, quam possidet; tum quia Bullae praecipiunt denuntiari sollicitantes; sed nequit dici sollicitans, de quo dubitatur, an vere sollicitaverit; nam crimen dubium non est crimen ». L. 702. Si « factum vel dictum sit vera sollicitatio, et tantum dubitatur an ille, vel alius confessarius, id egerit vel dixerit, tunc est denuntianda, quia dum crimen est certum, rite iudices procedere possunt ad inquirendam personam, de qua dubium vertit. Hoc tamen censeo dicendum *solo casu,* quo *facile* iudices per suam diligentiam certi fieri possint de persona sollicitante; quia alias sacerdos ille, cum possit esse innocens,

remaneret aliquo modo diffamatus, et in dubio illaesa debet servari fama proximi, qui eam possidet ». L. 702. Quoad casus varios dubiae sollicitationis, aliosque in quibus dd. communius censent confessarium esse denuntiandum, Cf. L. 704.

1265. *An confessarii monere debeant poenitentes de denuntiatione facienda?* — Confessarii omnino obligantur « suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, iuxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis, personam, quae sollicitationem commiserit... Caveant insuper diligenter, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio. sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant », § 2.

1266. *Suos poenitentes sollicitatos,* non alios, non sollicitatos; hos non praecepto positivo monere debent, sed vi praecepti naturalis, quatenus praeceptum hoc obliget in particulari casu. Neque ab illis admonendis eorum bona fides excusat. Verum, confessarius non tenetur poenitentes interrogare, utrum fuerint sollicitati, et monere de obligatione denuntiandi, nisi *prudenter* ex confessione audita iudicet fuisse sollicitatos. — *Ab aliis,* non a seipso; hinc confessarius, qui sollicitavit, non tenetur ipse monere sollicitatum de obligatione denuntiandi, posito casu, quod iste poenitens deinde ei confiteatur; quia de iure naturali nemo tenetur procurare, ut sua turpitudo reveletur. — *Monere;* quamvis vero confessarius desinat poenitentem monere de obligatione denuntiandi, adhuc tamen non cessat in poenitente obligatio ipsum seu alium confessarium sollicitantem denuntiandi, si aliunde sciat se ad id lege Pontificia obligari; sicuti non cessat onus restitutionis in poenitente ex quo confessarius desinat ipsum monere de tali obligatione, si aliunde sciat, nec invincibiliter ipsam ignoret. Pr. 7.ª d. ab Alex. VII.

1267. *An si confessarius praevideat certo poenitentem, in bona fide exsistentem, non esse denuntiaturum, debeat nihilominus monere illum de sua obligatione, et dimittere, si nolit denuntiare?* — In casu mortis, nempe, morte poenitentis instante, negative. Nam nemo tenetur facere rem inutilem et nocivam. Porro, iuxta hypothesim, illa monitio inutilis est *bono communi* procurando, et nociva est *bono privato* poenitentis, cum tunc eum in malam fidem et in aeternam damnationem coniiciat. Insuper, si quid valet clausula, apposita ab eodem Bened. XIV., monendi nempe poenitentes *iuxta occurrentium casuum circumstantias,* Cf. 1265. 1278., absoluta obligatio non est *semper et in quocumque casu monendi.* Ergo saltem in exposito casu, vere extremo. — Extra mortis periculum, affirmative. Ratio primo est, quia iure ac merito sperari semper potest, ut huiusmodi poenitens, confessario instante, et Dei gratia adiuvante, serius saltem facturus sit, quod hodie forte difficultate territus facere recusat. Unde etiam nihil tunc vetat, quominus confessarius, si ad ipsum poenitens certo sit rediturus, absolutionem opportune differens, vel etiam concedens in casu necessitatis, occasionem expectet favorabilem, quando magis erit ille dispositus, et facturus praevideatur, quod frustra hodie

ab ipso exigeretur. Si poenitens vero rediturus non sit ad eundem confessarium, sufficit, quod moneatur de obligatione colloquendi de tali re cum suo ordinario vel alio confessario propter rei difficultatem adhuc enodandam, et interim animo paratus sit ad obligationem implendam, si qua forte sit, et ab eodem confessario ei manifestetur. Praeterea ad istum etiam casum extenditur praedicta clausula Bened. XIV. poenitentis monendi *iuxta occurrentium casuum circumstantias*, quae ad unicum mortis extremum casum restringenda non est. Cf. Benedictum XIV. Epist. Enc. *Apostolica Constitutio* n. 20. Insuper difficultas, quae in denuntiatione facienda poenitentem terrere potest, talis profecto non est, ut nullum habeat remedium, cum Sacra Congr. varios ipsamet indicet modos, quibus longe facilior fieri potest impletio gravissimae huius obligationis. Cf. 1270. 1278.

1268. *An teneatur ad denuntiationem non solum sollicitatus, sed etiam qui aliunde certo scit sollicitationem?* — R. Affirmative, « si sciat crimen a personis fide dignis; secus, si sciret a fide indignis, vel feminis levibus. Hoc autem dicendum, non iam ex B. Gregorii, sed ex Edicto S. Inquis. 10. Mart. 1677., ubi dicitur teneri ad denuntiandum confessarium, qui scierit vel audierit illum sollicitasse ». L. 695. Haec S. O. 11. Maii 1661. ad 14.um: « An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? Censuerunt Qualif. opinionem negativam non carere probabilitate ». Notandum tamen hic est affirmativam resolutionem subinferri potius ex proposita *Quaestione* quam ex *Responsione* S. C.

1269. *An teneatur ad denuntiationem, qui scit sollicitationem sub secreto naturali?* — R. Affirmative, « quia nemo tenetur ad secretum, etiam iuramento promissum, quando secretum vergit in damnum commune. Secus vero, si sollicitatio sit manifestata ad petendum consilium; nam propalatio secreti esset tunc contra humanum commercium, et etiam contra publicum bonum, quod certe in consiliis expetendis intervenit ». L. 698. Atque hoc ultimum fundatur praeterea in Decr. Alex. VII. 8. Iul. 1660., quod Regulares, a quibus consilium petitur circa obligationem denuntiandi, obligat solum ad hoc, ut moneant et obligent ad denuntiandum.

1270. *An deneganda sit absolutio poenitenti, qui sacerdotem sollicitantem denuntiare recuset?* — R. Affirmative. « Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi; qui vero ob iustam causam denuntiationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi... Si necessitas urgeat (persona sollicitata) se gerat iuxta consilia et monita sui confessarii », stante nempe gravi difficultate denuntiationis faciendae. Instr. cit. n. 5. et 7., L. 693.

1271. *An denuntiationem omittentes excommunicationem incurrant?* — Ex C. *Apostolicae Sedis* Pii IX. Id. Oct. 1869. excomm. latae sent. nemini reservatam incurrunt: « Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes, *a quibus sollicitati fuerint ad turpia*, in quibuslibet casibus expressis a praedecess. nostris Greg. XV. C. *Universi* 20. Aug. 1622., et Bened. XIV. C. *Sacramentum Poenitentiae* 1. Iun. 1741 ». — *Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare*, adeoque cum id facere potuerint et debuerint. — *Infra mensem*, ab hac cognita

obligatione computandum; post mensem ergo elapsum incidunt in excommunicationem. Ceterum, si promiserint denuntiaturos, et eis fides haberi possit, absolvi poterunt, et non solum *a peccatis* ante mensem elapsum, quod in C. Bened. XIV. expresse cautum est, Cf. 1265. 1270.; sed etiam *ab excommunicatione* post elapsum mensem. Praesens enim excommunicatio reservata non est. Neque vero huiusmodi poenitens videtur reincidere in eandem excomm., si postea fidem fefellerit, cum absolutio hic absolute concedatur; et quando C. *Apostolicae Sedis* aliud voluit, aperte expressit. — *A quibus sollicitati fuerint*, solum ergo poenitentes *sollicitati* huic excommunicationi subduntur, minime vero omnes quicumque sollicitationem resciverunt. — Pignatelli Cons. Can. Noviss. C. 117. par. *Terminus autem.*

1272. *Quaenam sint causae a denuntiatione facienda excusantes?* — Si *vere et rationabiliter* ex denuntiatione grave timeatur damnum in vita, fama et rebus temporalibus, excusari posset poenitens a denuntiando. Ratio est, quia datur ius naturale ad haec damna praecavenda, contra quod non praevalet ius positivum Ecclesiae, quae ulterius non solet obligare cum gravi incommodo ad suarum legum observantiam. Accedit, leges imponentes denuntiationem de sua natura non obligare cum gravi incommodo, quia non habent illud de sua natura adnexum, uti se habent, e. g., praecepta facta militi de non relinquenda statione, vel parocho de assistendo infirmis, peste laborantibus. Quando autem lex de sua natura non exposcit cum gravi incommodo adimpleri, cessat obligare, si istud grave incommodum superveniat, ut constat de lege imponente ieiunium, auditionem sacri, etc. Verum etiam cum quocumque damno facienda denuntiatio est, quoties ex eo crimine oriretur despectus huius sacramenti, et animarum pernicies. Hoc autem quamvis posset non intercedere, quando certo cognosceretur aliquem semel sollicitasse non ex despectu sacramenti, sed ex mera momentanea libidine, utique eveniret quando sollicitatio oriretur ex parvipendentia sacramenti, vel si sollicitans esset vir potens, et frequenter sollicitaret. In his ergo casibus ratio boni communis, et praecavendi damnum Religionis, praeponderat cuicumque privato damno, adeoque nunquam esset omittenda denuntiatio. — L. 699., Pignatelli Cons. Can. Noviss. C. 117. par. *Denique* seq.

1273. *Nota:* Qui ob praedictas causas denuntiare nequeunt, eis cessantibus, adhuc tenentur. S. O. 21. Febr. 1630., Girald. pag. 640. *Nota qui*, pag. 641. — E. M.

1274. *An mulier teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, cui ipsa consensit?* — R. Affirmative. Praecipit enim Bened. XIV. *denuntiationem fieri* « sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit ». Ratio, quia denuntiatio fieri potest absque ullo propriae famae periculo, cum non possit de eo ab episcopo interrogari, adeoque etiamsi interrogetur quis potest proprium consensum denegare. L. 700. In Instr. cit. n. 6. dicitur: « Cavendum quoque, ne ex denunciantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint; et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, ut nihil notetur in tabulis. Ex Declar. Urbani VIII. sub fer. V. d. 17. Apr. 1624. ».

1275. *An mulier bona fide et simplicitate constituta, quae sollicitationem non intellexit, moneri debeat de denuntiatione, et denuntiare debeat?* — R. Negative, ratione scandali. Attamen « S. C. die 11. Maii 1707. declaravit, puellam sollicitatam in simplicitate constitutam, et absque notitia inhonestatis, teneri denuntiare confessarium sollicitantem, postquam compos effecta fuerit, et notitiam praeteritae sollicitationis acquisiverit ». Girald. pag. 641.

1276. *An sollicitatus teneatur ad denuntiandam sollicitationem habitam a longo tempore, vel occultam, vel quae nequeat iuridice probari?* — R. Ad 1.um *affirmative*, ex aperta Declaratione Bened. XIV. C. *Sacr. Poenit.* § 2. L. 697. — Ad 2.um *omnino affirmandum;* secus enim gravissima ista lex prorsus inutilis esset, cum crimen hoc de se occultum sit. L. 696. — — Ad 3.um « *omnino affirmandum* ». L. 695. Ratio, quia iuridica probatio hic non est necessaria.

1277. *An sit denuntiandus confessarius sollicitans, si fuerit iam emendatus, vel iudicatus ac punitus, vel defunctus?* — R. Ad 1.um Affirmative. Idque absolute probabilius censet S. Alph. et practice ac regulariter tenendum videtur. Etenim primaria et praecipua ratio legis denuntiationis, non est emendatio personae particularis, sed *securitas publica sacramenti et animarum, castigatione certa tam abominabilis criminis, et ex metu indeclinabili poenae*, etiam actu unico, aut semel tantum iterato, immo etiam *indemnitas Ecclesiae*, ne scilicet eiusmodi pestes ad officia publica subrepant, quo nihil est nocentius communi Ecclesiae bono. — Bened. XIV. de Synod. l. 6. c. 11. n. 10.

Ad 2.um Certum est, quod, si ipse delinquat iterum, postquam in primo crimine fuerit punitus, iterum denuntiari debet. Et idem dicendum, si de sollicitatione non fuerit plene convictus, quia tunc nec fuisset punitus. Si de eadem sollicitatione iam fuerit satis convictus et punitus, longe probabilius affirmandum, L. 637., ex S. O. 11. Maii 1661. ad 13.um: « An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem *alterius* abiuravit? — Censuerunt (Qualif.) opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum, quod etiam fuit resolutum die 26. Iulii 1628. ». *Abiuravit*, id est, qui ob aliam praecedentem sollicitationem comparuit coram Inquisitore, et abiuravit, nempe haeresim detestavit; cum enim abiuratio sit detestatio haeresis, aliquis in tantum abiurare debebat, in quantum erat haereticus vel de haeresi suspectus; et talis habebatur sollicitator, qui ideo debebat abiurare saltem ad cautelam; et si suspicio de haeresi erat levis, dicebatur abiurare de levi; si vehemens, abiurare de vehementi. Animadvertendum tamen est, quod in praecedenti Responsione agitur de sollicitatione *alterius* poenitentis, ob quam abiuravit confessarius, non illius *eiusdem* poenitentis, ob cuius sollicitationem sponte comparuit. Sed in alio Decreto 26. Iulii 1628., citato in praedicta Responsione, uti illud Decretum habetur apud Albitium de Inconst. in Fid. c. 35. n. 50., statuitur *generatim,* « sollicitatum teneri denunciare sollicitantem, quamvis scit, ipsum in Sancto Officio comparuisse ». Eodem generali sensu idem Decretum refertur a Giral. p. 641.

Ad 3.u Negative, quia tunc cessat totalis finis legis, scilicet tam punitio quam emendatio rei. S. O. 6. Mart. 1839., S. Poenit. 24. Apr. 1884., L. 692.

1278. *Quandonam, cuinam et quomodo facienda sit denuntiatio?* — Denuntiatio *intra mensem*, a tempore quo eius obligatio innotuit, facienda est. S. O. 10. Mart. 1677., L. 693. Cf. 1271.

Facienda est « Inquisitoribus sive locorum Ordinariis », § 2. *Locorum*, i. e. loci, in quo versatur poenitens, etiamsi poenitens et confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineant. Ad loci Ordinarium vel Inquisitorem pertinet excipere iuratam denuntiationem, eamque transmittere ad episcopum sacerdotis rei. In Instr. cit. n. I. « rem, dicitur, ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent ». Obligationi satisfacit, qui denuntiat huiusmodi delinquentes Supremo Tribunali Sacrae Romanae Universalis Inquisitionis. Pignatelli Cons. Can. Noviss. C. 117. par. *Ex parte vero.* — Denuntiationem etiam excipere possunt Vicarii Apostolici, qui vero remittere debent « ad S. O. per medium S. C. de P. F. in epistola clausa, nomina sollicitantium ». S. O. 20. Iun. 1882. Ad Regulares quod spectat, Superiores Regulares denuntiationem hanc recipere non possunt, neque hanc causam cognoscere. Decr. Alex. VII. *Licet alias* 8. Iul. 1660. — Cardinales Episcopi et ipsi Inquisitores, qui sint vere delegati Sedis Apostolicae, in casu sollicitationis, si ea sit denuntianda, denuntiandi sunt non Inquisitori vel Ordinario loci, sed S. Sedi, vel S. C. S. et U. I. « Si non possunt, vel immediate nolunt eos denuntiare Supremo Tribunali, tenentur eos denuntiare Inquisitoribus vel locorum Ordinariis, ut delictum innotescat S. Officio; quia obligatio denuntiandi non requirit in iudice, nisi facultatem recipiendi denuntiationes iuridicas. Hoc enim sufficit, ut delictum S. Tribunali innotescat, ut postea secundum eius leges contra delinquentem procedatur ». Pignatelli Cons. Can. Noviss. C. 117. par *Ideoque.*

Quoad modum denuntiationis faciendae, haec cit. Instr. n. 6.-8.:

« 6. Denuntiationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denuntiationes enim fieri debent *in iudicio,* nempe coram episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas, vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris. Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denuntiationibus praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata episcopi deputatione munitum, testes intersint ».

« 7. Denuntiationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum, si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat Ordinarium, vel Sanctam Sedem per Sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc Supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta instructionem, quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui confessarii. Ast, si nullo impedimento detenta denuntiationem omnino renuat, in hoc casu aliisque memoratis laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli Cons. Can. Noviss. T. I. C. 104., Carena, Albitius, etc. ».

« 8. Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius aliusque ecclesiasticus ab episcopis (quorum utique haec potestas est) deputetur ad

denuntiationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante, absque interventu notarii. Qui ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denuntiationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent, ac moneri, ut statim a recepta denuntiatione eam continuo ad ipsum episcopum, a quo fuerunt deputati, caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denuntiandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat, quod pro missionibus Pernambuci in America, die 22. Iun. an. 1627. declaratum fuit: Mulieres videlicet sollicitatas non teneri ad denuntiationem, si ministri Inquisitionis et Vicarii episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant ».

Si igitur mulier neque ad hoc induci potest, ut denuntiationem in *scriptis* et *cum iuramento* faciat confessario, ad id deputato, ad S. Sedem recurrendum est pro opportuno remedio, et interim non absolvatur talis poenitens, utpote indispositus. — L. 695., E. M.

1279. *Quid de falso denuntiationis crimine?* — « Quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti vel aliorum impiis *suasionibus*, aut *promissis*, aut *blanditiis*, aut *minis*, aut *alio quovis modo* incitati, tremendo Dei iudicio posthabito et *Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant:* Ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus *metu magnitudinis poenae coerceatur;* quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel *per seipsam* innocentes confessarios impie calumniando, vel *sceleste procurando*, ut id ab aliis fiat, *a quocumque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito*, praeter quam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat », § 3.

Praesens casus reservatus papalis est, sed sine censura. Reservatio *poenalis est.* Illa autem *procuratio* efficax esse debet iniustae denuntiationis secutae. Agitur vero, non de qualibet falsa denuntiatione, sed de denuntiatione iuridica, h. e. *apud ecclesiasticos iudices* facta, apud nempe Ordinarium loci, vel Inquisitorem. — L. 693.

1280. *Quid de absolutione complicis?* — In eadem C. Bened. XIV. *Sacr. Poenit.* agitur etiam de complicis absolutione, de eius illiceitate et invaliditate, de excommunicatione in absolventem lata.

1281. *Quid de illiceitate et invaliditate absolutionis?* — Haec Ben. XIV. C. cit. § 4. et 5.: « Omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus, cuiuscumque ordinis, ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio et indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digno suffultis, Auctoritate apostolica, et Nostrae potestatis plenitudine *interdicimus et prohibemus*, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi

praeceptum commisso, excipere audeat, *sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione* ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus exsistit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus; et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, *maioris quoque excommunicationis poenam*, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, *ipso facto incurrat.* — Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cuiuscumque *Iubilaei*, aut etiam Bullae, quae appellatur *Cruciatae Sanctae*, aut alterius cuiuslibet *Indulti*, confessionem dicti complicis huiusmodi quispiam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu, nullus confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati, et poenitentis genere, iurisdictione, ut praefertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus exsistat, habendus sit pro confessario legitimo et approbato. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quae nuncupantur Cruciatae Sanctae, vel Iubilaei Universalis, et plenarii, nec non quibusvis... Statutis, et Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis... Quibus omnibus... hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque ».

1282. *An semper illicita, semper invalida sit complicis absolutio?* — Absolutio complicis illicita semper erit *extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio confessario, qui confessarii munus obire possit.* Invalida vero *semper* erit praeter mortis articulum. In articulo mortis valida semper erit, etiam citra necessitatem. Sic enim Bened. XIV, C. *Apostolici*, mentem suam declaravit circa huiusmodi necessitatis casum. 1.° Ita interdicitur et prohibetur complicem audire et absolvere in praedicto mortis articulo, « ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impertire ». 2.° « Si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat; tunc alium sacerdotem perinde haberi, censerique posse ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex eiusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram Const. inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: immo intelligat teneri se graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo, audiendae ». 3.° « Quod si idem sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus

ingesserit, aut, ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse, ad id periculum avertendum, congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut praefertur, constitutae sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit; quamvis huiusmodi absolutio *valida* futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad sacramenti poenitentiae valorem requisitae non defuerint; non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam iurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: nihilominus sacerdos ipse violatae, ausu eiusmodi temerario, legis poenas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione maiorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctae Sedi reservatam, incurrit ».

1283. *An si Sacerdos complex, stante necessitate, in mortis articulo complicis confessionem incipiat audire, et alter adveniat sacerdos, inceptam confessionem explere possit?* — R. Affirmative. « Ratio est, quia quando audire incepit, id per Pontificem, iurisdictionem illi dantem, licebat; iurisdictio autem haec per adventum alterius non expirat: quia nimirum confessio, pro qua collata iurisdictio est, cum coepta solum ponatur, nondum est integra, seu perfecta ». Ithur. Cas. 49. n. 17.

1284. *An sacerdos complex, si complicis confessionem incipiat audire in articulo mortis, stante necessitate, possit deinde, transacto mortis periculo, confessionem perficere et absolvere?* — R. Affirmative. Ratio eadem est, ac in praecedenti casu. Etenim iurisdictio valens tempore inchoatae confessionis tamdiu permanere censetur, quamdiu confessio inchoata per absolutionem completa non fuerit. Ad hanc enim confessio ordinatur, eaque suum habet complementum. — Ithur. Cas. 49. n. 21. 22. 23.

1285. *An sacerdos complex, complice in mortis articulo absoluto, urgente necessitate, eius deinde confessionem, illo periculo transacto, ratione integritatis perficere possit?* — Vel poenitens peccata complicitatis omnia nutibus sufficienter expressit, vel non. Si prius, sacerdos complex confessionem ratione integritatis perficere potest; secus non potest. Ratio primi est, quia per absolutionem validam peccata complicitatis *directe* remissa sunt, adeoque ipsa complicitas *directe* destructa est, et sacerdos complex sicut alius quilibet ab aliis peccatis absolvere potest. Peccata enim illa non sunt amplius materia confessionis necessaria, sed materia libera tantum, sicut peccata venialia, aut mortalia iam patefacta. Ratio secundi est, quia tunc adhuc perdurat complicitatis vinculum; peccata enim reliqua non nisi *indirecte* remissa sunt, utpote in confessione omissa. Ergo illa peccata remanent materia confessionis necessaria. — Ithur. Cas. 49. n. 19. 20.

1286. *An complex complicem absolvere possit non solum in articulo, verum etiam in periculo mortis?* — *Articulus* mortis in hoc distinguitur a *periculo* mortis, quod articulus mortis proximitatem *certam*, periculum mortem instantem *probabilem* denotet — R. Affirmative. Ratio extrinseca est, quia *articulus* mortis et *periculum* mortis ex iure canonico, commu-

nissima theologorum sententia et confessariorum praxi, aequiparantur omnino in ordine ad sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis recipienda. Ratio vero intrinseca est, quia eadem fere est, moraliter loquendo, infirmi necessitas; unde, *ne pereat,* Ecclesia sacerdotibus omnibus iurisdictionem confert pro mortis articulo, etiamsi de sacerdote complice complicem absolvente agatur; uti aperte constat ex C. Bened. XIV. *Apostolici muneris.* Ithur. Cas. 49. n. 4.-10.

1287. *Nota:* Idem dicendum, etiamsi *periculum mortis* fuerit *prudenter* quidem, sed *falso* existimatum. Ithur. Cas. 49. n. 11.-15. Cum enim difficile aliquando sit distinguere verum et reale periculum a periculo tantum existimato et apparenti; omnibus absolute datur iurisdictio pro mortis articulo seu periculo prudenter existimato, *ne quis pereat.*

1288. *Quid, si moribundus alteri quam sacerdoti socio peccati nolit confiteri?* — In isto casu absolvi potest a sacerdote complice, si sit aliunde dispositus, *ne* scilicet *pereat,* aut periclitetur. Gossuet Theol. Mor. V. 2. n. 489. — Idem dicendum est, si sacerdos alius advocatus nolit venire, vel praesens iam nolit confessionem audire. Ratio, quia tunc idem est ac si non esset copia alterius confessarii.

1289. *Quandonam hic complicitas habeatur?* — Complicitas hic tunc habetur, cum adest duorum pluriumve *exterius, vicissim* seu *mutuo* declarata consensio, concordia, conspiratio *in peccatum turpe* atque inhonestum, *mortiferum* illud quidem, contra sextum Decalogi praeceptum, quamvis non consummatum per copulam. *Exterius,* complicitas sane haberi nequit sine actu externo. *Mortale,* nam S. Pontifex loquitur de peccato, quod sacramentali absolutione *necessario* delendum sit. *Mortale* vero intelligitur tum ratione actus interni, tum ratione operis exterioris. Quare praefata lex locum non habet ubi de peccatis tantum gravibus, sed dubiis, sive dubium sit iuris, sive sit facti, vel de simpliciter venialibus agatur, vel de venialibus tantum quoad actum externum, licet alteruter, vel uterque interne graviter peccaverit. Quanta vero imprudentia sit et temeritas, ob periculum scandali, confessarium complicem adire, etiamsi agatur de venialibus tantum in hac materia eidem confessario complici manifestandis, nemo est qui non videat. *Vicissim seu mutuo.* Ergo « 1.° si sacerdos occasionem nactus ex somno, vel ebrietate, femina aliqua ad libidinem explendam uteretur, non propterea iurisdictionem ad illam absolvendam amitteret; quia cum tam ebria, quam dormiens peccando impares sint; neutra complex formaliter haberetur, utraque licet materialiter socia criminis in peccato contra sextum praeceptum a sacerdote patrato dici possent... 2.° Si sacerdos aliquis per summum nefas induceret feminam ad credendum, peccato prorsus vacare, si turpiter ab ipso tangi se sineret, eaque ab illo decepta bona fide ab se turpiter tangi pateretur, quin formale in se peccatum admitteret; nec complex esset, et posset sese subiicere sacramentali eiusdem sacerdotis iudicio pro absolutione non a venereo, a quo immunem eam ponimus, sed ab aliis peccatis obtinenda ». Ithur. Cas. 41. n. 25. 26. Complicitas item non adest, de qua in hac lege, si mulier, cum qua sacerdos peccat, licet interius consentiat, exterius tamen resistat. Nomine autem *peccati turpis* venit omne peccatum externum grave contra sextum praeceptum, licet sit solus tactus,

sive adspectus, sive colloquium. Ratio, quia verba Bullae: *In peccato turpi atque inhonesto contra sextum praeceptum*, quaecumque peccata turpia sine dubio comprehendunt. S. O. d. 28. Maii 1873., L. 554.

1290. *An praedicta complicitas comprehendat peccatum turpe confessarii cum criminis socio, commissum etiam antequam sacris ordinibus fuerit initiatus?* — R. Affirmative. Ratio est, quia S. Pontifex indefinite omnino loquitur de peccato commisso cum complice, neque illud restringit ad peccatum commissum ab ipso *confessario*, habente iam facultatem confessiones audiendi, vel iam in sacris constituto. Ithur. Cas. 47. n. 2.-6.

1291. *An valida sit absolutio saltem aliorum peccatorum, si poenitens fuerit in bona fide, ut fit quoties de peccatis reservatis agitur?* — R. Affirmative. Ratio, quia in Bulla iurisdictio quidem adimitur confessario, sed confessario *complici*, quoad poenitentem *complicem*, et, quod potissimum est, *ab huiusmodi culpa, in huiusmodi peccati genere*. Ergo *non ab aliis, non in aliis*. S. Poenit. 16. Maii 1877.

1292. *An error poenitentis iurisdictionem suppleat, quando absolutio complici indebite impertitur?* — R. Negative. Ratio, quia Ecclesia supplens iurisdictionem, in casu erroris, intendit consulere non aliquibus tantum, qui decepti putarent iurisdictionem huic sacerdoti inesse, sed multitudini hominum, communi persuasione id ipsum falso existimantium. Hinc error supplens iurisdictionem respicit multitudinem, cui Ecclesia favere intendit; non vero respicit paucos. Atqui, ubi agitur de complice absolvendo, duo tantum intersunt, confessarius scilicet et complex, quos Const. Benedictina vult punire. Ergo error nihil prorsus validitati absolutionis a complice impertitae suffragari potest. Ithur. Cas. 51. n. 26., Cas. 47. n. 10. 11.

1293. *Quid si confessarius complicem inadvertenter absolveret?* — Plures affirmant absolutionem valere. Ratio, quia Constitutiones Bened. XIV. *temerarium ausum et praesumptionem* requirunt. Plures e contra negant absolutionem valere. Duo enim distinguenda sunt in C. Bened. XIV., iurisdictionis ademptio et poena excommunicationis. Haec quidem tum in C. *Sacram. poenit.* tum in C. *Apost. regim.* fertur contra *audentes* et *praesumentes:* illa vero confessario complici simpliciter adimitur, uti constat ex ipso tenore Bullae. Unde constat, ademptionem iurisdictionis non tamquam poenam proprie constitui, sed tamquam legem irritantem ad periculum avertendum, ne sacerdos complex, complicem absolvere *audeat*, et ad removendam a sacri tribunalis sanctitate omnem *turpitudinis occasionem*, et *sacramentorum contemptum*, ut dicitur ibid. initio § 4. Hinc absolutio invalida erit quoad ipsum complicitatis peccatum, valida vero quoad alia peccata, si poenitens sit in bona fide. Cf. 1291.

1294. *An sacerdos dubitans, utrum poenitens sit eius complex, illum absolvere possit?* — R. Affirmative. Gur. Cas. 619. Ratio; quia praesumendum non est, prudentem legislatorem voluisse confessarium *iurisdictione privare* cum tanto dubio circa rem ex una parte, et tanto famae detrimento et novo forte scandalo ex altera. Igitur casus praesens recidere videtur in quaestionem *iurisdictionis probabilis* vel *dubiae*, in qua, stante gravi causa, probabilius absolvere licet. Cf. 770.

1295. *An sacerdos complex iurisdictionem habeat in peccatum complicitatis per contritionem perfectam deletum, vel indirecte tantum per claves remissum?* — R. Negative. Ratio, quia ex Bened. XIV. confessarius privatur simpliciter iurisdictione *necessaria* ad complicitatis peccati remissionem, per claves necessario obtinendam. Ithur. Cas. 48. n. 2. 7. 8. 11.-16.

1296. *An sacerdos complex iurisdictione careat in peccatum complicitatis, etiam directe iam remissum?* — R. Negative. Ratio, quia peccatum illud non est amplius materia *necessaria* confessionis, sed libera. S. O. 29. Maii 1867.

1297. *An confessarius complex complicem absolvere possit vi saltem alicuius privilegii, vel Iubilaei?* — R. Negative. Constat ex Const. Bened. XIV. § 5. Notandum autem hic est, quod invalide absolvit poenitentem, qui vi privilegii posset absolvi a quocumque peccato summo Pontifici reservato, quia hoc peccatum non est reservatum; cum quilibet confessarius non complex ab eo possit absolvere. Ex quo consequitur, confessarium, habentem potestatem absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis, non posse complicem absolvere.

1298. *An sacerdos petens facultatem, ut aliquis sacerdos complicem absolvat, proprium complicem ipsemet absolvere queat? — An episcopus concedere possit facultatem hanc complicem suum absolvendi?* — R. Ad 1.um Affirmative. Ratio est, quia facultas absolvendi complicem postulata est in genere pro aliquo sacerdote. Ergo tam valere debet pro ipso oratore, quam pro alio. — R. Ad 2.um Negative. Ratio est, quia lex prohibens, ne sacerdos complicem absolvat, est lex generalis Ecclesiae et gravissimi momenti. Porro episcopi nequeunt dispensare in legibus Ecclesiae generalibus auctoritate propria, nisi in casibus minoris momenti, et in praxi frequenter occurrentibus. Constat etiam tum ex praxi Ecclesiae, quae episcopis, petentibus facultatem absolutionis complicis, eam Indulto particulari pro quibusdam casibus numero paucis concedere solet; tum praesertim ex Const. *Apostolicae Sedis*, qua casus ille *speciali modo*, immo iuxta Decr. S. O. 17. Ian. 1866. *specialissimo modo* Papae reservatur.

1299. *Quid de excommunicatione?* — Excommunicatio constituta a Bened. XIV., Cf. 1281., retinetur in C. *Apostolicae Sedis*, et ampliatur. Non enim excommunicatio fertur in *audentes absolvere*, sed in simpliciter « absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem ». — *Absolventes*, non ergo satis est confessionem dumtaxat audire, quin absolvatur. Confessarii tamen, fingentes et simulantes absolutionem complicis in peccato turpi, non effugiunt excommunicationem. S. Poenit. 1. Martii 1878., S. O. 5. Dec. 1883. — *Absolventes*, etiam cum ignorantia crassa aut supina, S. O. 13. Ian. 1892. — *Complicem*, nempe formalem, adeoque mutuo consensu, ex utraque parte exterius manifestato. — *In peccato turpi*, nempe 1.° contra sextum Decalogi praeceptum; 2.° formali, nam, si alteruter peccaverit materialiter tantum, complex dici non potest; 3.° externo; 4.° gravi ex utraque parte, non modo in ratione actus interni, sed etiam in ratione actus externi; 5.° *directe* iam ab alio confessario non absoluto.

— *Etiam in mortis articulo*, a fortiori extra. — *Si alius sacerdos, licet non approbatus*, i. e. non « deficiente tunc *quocumque alio sacerdote*, qui confessarii munus obire possit ». Cf. 1281. Hinc suspensus, vel etiam excommunicatus complici praeferendus est, *per se loquendo;* secus, si infamia et scandalum sequeretur. — *In mortis articulo*, seu periculo, Cf. 1286.

Casus iste adeo pro reservato habetur, ut etiam in generali et amplissima concessione facultatum, quae a S. Sede pro variis locis conceditur absolvendi ab omnibus casibus etiam sub censura *speciali modo* reservata, expresse excipiatur. S. O. 4. Apr. 1871. Cf. 1298. Eius absolutio privative spectat, et in foro tantum interno, ad S. Poenit., ad quam est recurrendum. — E. M.

1300. *An censuram evadat sacerdos complex, qui citra necessitatem complicis confessionem audiat in articulo mortis, si antequam absolvat facti eum poeniteat, deinde vero absolvit ob circumstantiam inchoatae confessionis?* — Negant auctor Cas. Consc. Bonon. ann. 1759. mens. Maii, Cas. 2., aliique. Ratio, quia *nulla* erat initio confessionis iurisdictio confessarii, cum non fuerit iuridice incepta, et *nulla* remanet in eius prosecutione. Neque vero alia est necessitas absolutionem impertiendi, quam mortis articulus, deficiente alio confessario, vel urgente scandali et infamiae periculo. Alii vero affirmant. Etenim « 1.° Non incurrit poenam pro sola confessione incepta, quia non incurritur illa poena, nisi confessio absolutione compleatur. 2.° Neque incurrisset absolvendo post mutatam voluntatem in melius, et contritionem de eo peccato elicitam; nam nemo incurrit excommunicationem per actum, qui ex una parte omitti amplius non potest, et ex altera parte omni culpa caret, immo factus obligatorius. Etenim tunc incurritur excommunicatio, quando sine ulla necessitate *(scandali et infamiae vitandae)* absolutio a complice impertitur. At confessarius, audita poenitentis confessione, eum absolvere cogitur; ergo excommunicationem non incurrit ». Gur. Cas. 628., Ithur. Cas. 50. n. 25. 26. Ad rationem quod attinet primae sententiae, Cf. 1282.

DE CONST. *OFFICIORUM AC MUNERUM*

1301. *Quaenam adsit librorum prohibitio?* — Prohibitio librorum alia est *iure naturali*, alia *iure positivo*. Lectio librorum, e. g., falsam religionem tradentium, rerum superstitiosarum, lascivarum, et quamcumque virtutem oppugnantium, aut vitium defendentium, *per se loquendo*, *iure naturali prohibetur*. Ratio, quia lectio horum librorum, per se loquendo, periculum habet annexum perversionis. Nisi igitur talis lectio fiat a viris doctis, et ex honesta intentione hos libros impugnandi, exstirpandi, etc., peccaminosa erit pro rata periculi perversionis. — Ad *ius positivum* quod spectat, nullum dubium est, quod Ecclesia potestatem habeat libros noxios prohibendi. Iam vero « prohibere libros per totum orbem spectat *ad Summum Pontificem*, et pro ipso ad S. Congregationem. *Episcopi* autem et *Inquisitores* possunt libros prohibere in territorio proprio », etiam sub poena censurae subeundae. L. 290. « Ordinarii, ait Leo XIII. cit. C. § 29., etiam *tanquam Delegati Sedis Apostolicae, libros*, aliaque *scripta* noxia *in sua dioecesi edita* vel *diffusa* proscribere, et e manibus fidelium au-

ferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant *opera vel scripta*, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videtur ». Obligatio ergo pro Ordinariis adest proscribendi non omnes libros et scripta noxia, sed tantum *in sua dioecesi edita vel diffusa*, adeoque regulari quodam exemplarium numero. Alii vero libri vel scripta penitius examinanda, vel superioris auctoritatis iudicium exigentia, *omnia* sunt denuntianda. — Porro ad ius commune vigens quod spectat, standum est in praesenti *Indici* librorum prohibitorum, qui iterum nunc recognoscitur iussu Leonis XIII. deinde vulgandus; nec non *Decretis Generalibus* iam statutis ab eodem Leone XIII. cit. C. Ea vim legis *sola* habent, « *abrogatis Regulis* S. Trid. Syn. iussu editis, Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis et quovis alio Decessorum Nostrorum hac de re statuto, iussuque, una excepta C. Benedicti XIV. *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus ». Par. *Itaque*. — *Abrogatis Regulis*, etc. simpliciter, adeoque quoad obligationes et quoad poenas. Abrogatae item manent contrariae consuetudines, quamvis in cit. C. clausula eas abrogans non habeatur. Id enim aperte deducitur ex scopo huius C., nempe ut praesentis temporis necessitatibus cautum sit. C. Benedicti XIV. *Sollicita et provida* methodum praescribit in examine et proscriptione librorum servandum in S. C. S. Off. et Indic.

1302. *Quid librorum prohibitio importet?* — Importat prohiberi eorundem librorum lectionem, retentionem, defensionem, impressionem, publicationem, venditionem, donationem. *Libri* enim, proscripti cit. C., *simpliciter* prohibentur. — « Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, *libros de obscenis ex professo tractantes* neque vendant, neque commodent, neque retineant: *caeteros prohibitos* venales non habeant, nisi a S. Indic. Congr. veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti ». § 46. — Librorum prohibitorum lectione vel retentione excommunicatio incurritur tantum in duobus casibus iam supra relatis, § 47. 48. Cf. 1165. 1212. — Absolute, liber Inquisitoribus, vel Ordinario tradendus est. Ratio, ut Superiores sciant quae fidelibus propinentur venena, et antidotum praeparent. Ut autem plurium locorum hodie praxis est, ut tutius et citius tales libri extirpentur, comburi etiam possunt. Lacerari vero non possunt, ut deinde eius foliis res involvantur. Expectare paucis diebus vel ad librum Superiori tradendum, vel ad veniam petendam grave non est, neque consequenter censurae obnoxium. — Sanchez in Dec. II. 10. n. 56., La-Croix 349., Laymann de Fide XV. 7.

1303. *An noxii libri sint denuntiandi?* — « Quamvis *catholicorum omnium sit*, maxime eorum, qui doctrina praevalent, *perniciosos* libros Episcopis *aut Apostolicae Sedi* denunciare; id tamen *speciali titulo* pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium ». § 27. — *Catholicorum omnium sit*, i. e. ex caritate obligante, quando grave adsit periculum, et denuntiatio ab aliis non fiat, et sine gravi incommodo fieri possit. — *Perniciosos*, quoad fidem vel mores. — *Apostolicae Sedi*, i. e. Sacrae Congr. Indicis, vel S. Inquis., vel de Prop. Fid., vel Negot. Eccles. extraord. — *Speciali titulo* officii et iustitiae, unde gravius obligatio praedictos urget.

1304. *Quid de editionibus textus originalis, et versionum non vulgarium et vulgarium Sacrae Scripturae* — « Editiones *textus originalis* et *antiquarum versionum* catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, *ab acatholicis quibuscumque publicatae*, etsi fideliter et integrae editae appareant, *iis dumtaxat qui studiis theologicis vel biblicis dant operam*, dummodo tamen non *impugnentur* in prolegomenis aut adnotationibus *catholicae fidei dogmata, permittuntur* ». § 5. — *Antiquarum;* de antiquis versionibus hic agitur tantum, non de recentioribus. — *Ab acatholicis;* editiones ergo textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae a catholicis publicatae omnibus permittuntur. — *Iis dumtaxat;* aliis ergo non permittuntur. — *Impugnare* proprie non est simpliciter negare; sed negare, addita negationis ratione. — *Catholicae fidei dogmata*, non quaelibet theologorum sententiae et opiniones. — « *Eadem ratione et sub iisdem conditionibus* permittuntur *aliae versiones* Sacrorum Bibliorum *sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae* ». § 6. — *Eadem ratione*, etc.; permittuntur nempe quaelibet aliae versiones non vulgares, ab acatholicis factae, studiosis tantum rerum theologicarum vel biblicarum, dummodo tamen non impugnentur fidei dogmata in prolegomenis aut adnotationibus. — « *Versiones omnes in lingua vernacula*, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, *nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus* ». § 7. — *Nisi fuerint*, etc.; vernaculae ergo versiones sine notis nonnisi ab Apostolica Sede debent approbari; cum notis etiam ab episcopis possunt approbari. — « Interdicuntur *versiones omnes* Sacrorum Bibliorum, *quavis vulgari lingua, ab acatholicis* quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates biblicas a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur. Hae nihilominus versiones iis, *qui studiis theologicis vel biblicis dant operam*, permittuntur, *iis servatis*, quae supra statuta sunt ». § 8. — *Iis servatis;* dummodo nempe non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata. — E. M.

1305. *Quid de libris apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum?* — « Libri omnes, quos *ante annum* 1600. aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, *eodem modo* damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt, *iis exceptis*, qui per haec Decreta Generalia permittuntur. » § 1. — *Ante annum;* in Indice enim librorum prohibitorum fere non nisi libri posterius damnati inseruntur. Eorum librorum damnatorum exempla habentur in eadem C. initio par. *Praecipue vero.* — *Eodem modo*, plurium enim prohibitio in vigore esse desinit tum propter vetustatem errorum, de quibus nemo amplius curat; tum propter sufficientem notitiam iam propagatam et invalescentem eorundem errorum, unde nocere desierunt; tum propter utilitatem, quae habetur ex lectione talium librorum, ex quibus multa constare possunt spectantia ad Ecclesiae praxim et doctrinam. Huiusmodi sunt, e. g., libri Tertulliani, Origenis, etc. — *Iis exceptis*, Cf. § 5. 6. 8. 10.

« *Libri* apostatarum, haereticorum, schismaticorum et *quorumcumque scriptorum* haeresim vel schisma *propugnantes,* aut ipsa *religionis fundamenta utcumque* evertentes, omnino prohibeantur ». § 2. — *Libri*, non omnes, sed *haeresim* vel *schisma propugnantes,* non mere continentes, sed additis probationibus defendentes. — *Quorumcumque scriptorum,* etiam catholicorum. — *Religionis fundamenta,* motiva nempe credibilitatis Religionis eiusque fundamentales veritates, uti sunt Sacra Scriptura, Divinitas Iesu Christi, Ecclesia Catholica, Romanus Pontifex, etc. — *Utcumque,* sive falsis probationibus, sive etiam irrisione, aliaque ratione; sive scripto sive imaginibus.

« Item prohibentur *acatholicorum* libri, qui *ex professo de religione* tractant, nisi constet nihil in eis *contra fidem catholicam* contineri ». § 3. — *Acatholicorum,* nempe ad catholicam religionem non pertinentium; haereticorum, schismaticorum, iudaeorum, infidelium. — *Ex professo*, non obiter et per transennam. — *De religione,* i. e., de rebus sacris; de Sacris Libris, de Fidei mysteriis, de Theologia Dogmatica vel Morali, de Ecclesiae Ritibus vel Canonibus, de cultu Sanctorum, etc. — *Contra fidem catholicam:* hinc non prohibentur libri Romanarum Antiquitatum, aliique id genus.

« Libri *eorundem auctorum*, qui *ex professo* de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint ». § 4. — *Eorundem auctorum,* acatholicorum. — *Ex professo;* haereticorum ergo libri, qui ex instituto non tractant de religione, sed obiter tantum, quamvis forte errent circa doctrinam catholicam, *positive* non sunt prohibiti, multoque magis si de religione nihil omnino contineant.

1306. *Quid de libris liturgicis et precatoriis?* — « In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a S. Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: *si secus* factum fuerit, *hae novae editiones prohibentur* ». § 18. — *Si secus*, si nempe *quidquam* fuerit *immutatum,* ex typicis et approbatis editionibus, sive habeatur sive non habeatur approbatio, qua deficiente, liber non est ipso facto prohibitus.

« Litaniae omnes, *praeter antiquissimas et communes,* quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de B. Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias SS. Nominis Iesu iam a S. Sede approbatas, *non edantur* sine revisione et approbatione Ordinarii. ». § 19. — *Non edantur*, hic prohibetur tantum earum litaniarum publicatio. Sed vi sequentis par. ipsi libri eas continentes prohibentur, sine legitima approbatione publicati.

« Libros aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam *publicet: secus*, *prohibiti habeantur* ». § 20. — *Publicet: secus.* Quare libri omnes in hac par. recensiti, sine authentica Ordinarii approbatione iam nunc edendi, uti prohibiti habendi sunt.

1307. *Quid de libris obscoenis?* — « Libri, qui *res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant, aut docent,* cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur ». § 9. — *Res lascivas* seu *obscoenas;* non ergo agitur *de amoribus* uti vocant, quibus narrandis romanenses fabellae mere eroticae immorantur. — *Ex professo,* i. e. non leviter, sed ex proposito. — *Tractant,* i. e. disputando, defendendo, insinuando, vel simpliciter discurrendo de huiusmodi rebus, ita ut sint vel totius libri obiectum, vel alicuius capitis tantum speciale argumentum. — *Narrant,* facta, historias vel fabellas referendo. — *Docent,* rerum lascivarum agendarum naturam explicando, declarando, etc. — « Libri auctorum sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos vocant, *si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt,* propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum *permittuntur,* quos *officii aut magisterii ratio excusat:* nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt ». § 10. — *Permittuntur,* nisi tamen in Indice sint nominatim relati. — *Officii aut magisterii ratio excusat.* Professores ergo humanarum litterarum aliique eatenus hos libros legere possunt, quatenus id ab officii aut magisterii ratione exigatur, id nempe sit ipsis ideo necessarium vel utile. Alumnis vero nullatenus permittuntur, nisi *ea turpitudinis labe* fuerint expurgati.

1308. *Quid de aliis specialis argumenti libris?* — « Damnantur *libri,* in quibus Deo, aut B. Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi *detrahitur.* — Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus *inspirationis Sacrae Scripturae* conceptus *pervertitur,* aut eius extensio *nimis coarctatur.* — Prohibentur quoque libri, qui *data opera* ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt ». § 11. — *Libri* quorumcumque, sive acatholicorum sive catholicorum. — *Detrahunt,* male nempe loquuntur, quamvis non ex professo, sed in materia gravi. — *Inspirationis Sacrae Scripturae,* quae, « Spiritu Sancto inspirante, conscripta Deum habet auctorem ». Conc. Vatic. C. *Dei Filius* C. 2. — *Pervertitur,* si e. g. *inspirationis* conceptus constitueretur in subsequenti Ecclesiae approbatione Sacrorum Librorum; vel in directione quadam concomitante Spiritus Sancti, si necessitas postulet; vel in divina assistentia ad praecavendos errores. — *Coarctatur,* nempe ad aliquos tantum libros Sacrae Scripturae, non ad omnes; vel ad aliquam tantum librorum partem, non ad integros libros; vel ad fidei et morum dogmata tantum, non etiam ad reliqua, ad res historicas, ad res profanas, ad res ad naturales scientias spectantes; vel ad res tantum, de quibus ex professo agunt, non etiam ad alias obiter tantum dictas. — *Data opera;* adeoque non si habeatur aliqua tantum iniuriosa expressio, sed si vel totus liber, vel notabilis eius pars, vel integrum aliquod caput probris afficiat *ecclesiasticam hierarchiam,* aut *statum clericalem* vel *religiosum,* non privatam aliquam personam, nisi inde vituperium in ipsum ordinem hierarchicum, vel eius partem, vel in ipsum statum clericalem vel religiosum convertatur.

« Nefas esto libros edere, legere, aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huiusmodi generis superstitiones *doceantur* vel *commendentur* ». § 12. — *Docentur et commendentur;*

non, si mere superstitiosa facta narrent, vel de illis tractent aut discurrant ad ea improbanda eorumque malitiam et perniciem ostendendam.

« Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam *sub praetextu quod sint privatae,* si publicentur *absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur* ». § 13. — *Absque legitima,* etc. Omnes quidem libri de rebus sacris et de moribus ecclesiasticae censurae subiiciendi sunt, ut licite edantur, verum non ideo omnes sunt prohibiti, si sine legitima approbatione editi fuerint, § 41.; dum e contra libri, de quibus agitur in hac par., *sine licentia superiorum Ecclesiae* publicati proscripti sunt, et consequenter neque legi neque retineri possunt. Cf. 1306.

« Prohibentur pariter *libri,* qui *duellum, suicidium* vel *divortium licita* statuunt; qui *de sectis massonicis* vel aliis eiusdem generis societatibus *agunt, easque utiles et non perniciosas* Ecclesiae et civili societati *esse contendunt;* et qui *errores,* ab Apostolica Sede proscriptos, *tuentur* ». § 14. — *Libri* quorumcumque auctorum, acatholicorum vel catholicorum.

1309. *Quid de diariis foliis et libellis periodicis?* — « Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores *data opera* impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure *proscripti habeantur.* — Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere ». § 21. — *Data opera,* i. e. ex proposito, ex professo, adeoque non obiter, non leviter, sed habitualiter religionem et bonos mores graviter impetunt, a quocumque scribantur sive a catholicis sive a fortiori ab haereticis. — *Proscripti habeantur;* adeoque non licet eos legere, retinere, eisque subscribi. — « Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, *in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam,* nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet ». § 22. — *Quidquam,* sive sit *articulus,* uti appellatur, sive etiam sit simplex quoddam *nuntium* alicuius rei. — « Viri e clero seculari prohibentur, quominus absque praevia Ordinariorum venia diaria, vel folia periodica *moderanda* suscipiant ». § 42. — *Moderanda,* venia ergo Ordinarii requiritur tantum pro directione diarii, non pro scriptione alicuius articuli, vel uti dicitur pro collaboratione.

1310. *Quid de imaginibus et indulgentiis?* — « Imagines *quomodocumque impressae* D. N. Jesu Christi, B. Mariae V., Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei *ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae* vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur ». § 15. — *Quomodocumque impressae,* vario enim modo imprimi possunt. — *Impressae* iam, vetantur, si sint difformes ab Ecclesiae sensu et Decretis. Cf. Trid. S. 25. *de Sacr. imag.*, Bened. XIV. C. *Sollicitudini* 1. Oct. 1745. — *Omnino vetantur,* ergo neque publice exponi neque privatim retineri possunt. — *Novae,* seu posthac imprimendae, imprimi et *publicari* non possunt sine licentia potestatis ecclesiasticae. Sine ea publicatae illicite quidem fuerunt publicatae, sed non sunt proscriptae, nisi sint difformes ab Ecclesiae sensu et Decretis. — « Universis interdicitur indulgentias *apocryphas* et *a S. Sede Apostolica proscriptas vel revocatas* quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint de manibus fidelium auferantur ». § 16. — *Apocryphae,* nempe falsae. Cf. veras indulgentias in authenticis

Indulgentiarum Collectaneis a S. C. approbatis, *Raccolta delle Indulgenze* etc. — *A S. Sede Apost. proscriptas*, Cf. Ferraris v. *Indulgentia* a. 4. — « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, *non publicentur* absque *competentis auctoritatis licentia* ». § 17. — *Competentis auctoritatis*, nempe vel S. C. Indulg. vel Episcopi, secundum normas ante novam Const. *Officiorum ac munerum* stabilitas S. Indic. C. 7. Aug. 1897. Cf. E. M. — *Licentia;* sine ea illicite publicantur, sed non ideo publicati proscripti ipso facto sunt.

1311. *Quid de facultate legendi et retinendi libros prohibitos?* — « Libros sive *specialibus*, sive hisce *Generalibus* Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates ». § 23. — *Specialibus*, insertos nempe in Indice librorum prohibitorum. — *Generalibus*, hisce nempe Generalibus Decretis proscriptos.

« Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro ». § 24. — Cum illi, qui referuntur in hac par., potestate gaudeant ordinaria in casu, eam aliis possunt delegare.

« Episcopi aliique praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant ». § 25. — Praedicti ergo potestatem habent ordinariam et delegatam in casu. Facultate ordinaria permittere possunt lectionem *singulorum* librorum, et in casu urgenti, quo non possit recurri ad Romanum Pontificem vel alium ab eo potestatem habentem. Delegata autem facultate, quando eam obtinuerint, possunt *generatim* permittere libros prohibitos. — *Cum delectu*, h. e. non indeterminate tamen et indefinite pro quovis libro, sed individua vel saltem specifica facta librorum indicatione, perniciosioribus exclusis. — *Ex iusta et rationabili causa*, e. g. ratione studiorum, libri conscribendi, etc.

« Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper, qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerint, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus *non perveniant* ». § 26. — *Non perveniant;* aliis ergo dare non possunt.

1312. *Quid de praevia librorum approbatione?* — « *Omnes fideles* tenentur *praeviae censurae ecclesiasticae eos* saltem subiicere *libros*, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, *aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt*, ac generaliter *scripta omnia*, in quibus *religionis* et *morum honestatis specialiter intersit* ». § 41. — *Omnes fideles*,

qui nempe imprimunt vel faciunt imprimere libros, uti sunt typographi et editores vel ipsi librorum auctores. *Omnes fideles;* verum « si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur ». § 37. — *Eos libros* etc.; illi ergo libri, qui non tractant de religione et de moribus, uti e. g. libri litterarii, historiae profanae, scientiarum mathematicarum etc., libere possunt publicari. — *Libri,* nempe qui typis alioque modo publicantur et diffunduntur. — *Scripta omnia;* ergo non solum libri, sed et libelli, et ephemerides et folia volantia. — *Specialiter;* satis ergo non est, ut aliqua ad religionem et mores allusio tantum habeatur, nisi de huiusmodi argumentis proprie tractent.

« *Viri e clero saeculari ne libros quidem,* qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, *inconsultis suis Ordinariis* publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant ». § 42. — *Viri e clero saeculari,* non alii. — *Viri e clero saeculari.* « Regulares praeter *episcopi licentiam,* meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, *operis in lucem edendi facultatem* a praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio aut in fine operis imprimatur ». § 36. Cf. Trid. Decr. *de Edit. et usu Sacr. Libror.* — *Ne libros quidem,* etc.; ergo omnes tum de rebus sacris et de moribus, tum de rebus mere naturalibus. — Quid de diariis in particulari habeatur, Cf. 1309. — *Inconsultis suis Ordinariis; venia* ergo habenda est *a proprio* Ordinario, eaque distincta est *ab ecclesiastica censura,* quam liber subire debet, Ordinarii loci, in quo liber publicatur, § 41., quae censura attingit tantum libros de religione et de moribus tractantes, § 41.

Subiectis libris *praeviae censurae ecclesiasticae,* et « absoluto examine, *si nihil publicationi libri obstare videbitur,* Ordinarius, *in scriptis et omino* gratis illius publicandi *licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam* auctori concedat ». § 40.

« *Nullus liber* censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio *nomen et cognomen tum auctoris tum editoris praeferat, locum insuper et annum* impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi *penes Ordinarium* potestas sit ». § 43.

« Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari ». § 44.

« Libri *ab Apostolica Sede damnati,* ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma ». § 45. — *Ab Apostolica Sede,* non ab Ordinariis locorum.

1313. *Quinam possint libros approbare?* — « Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (§ 7.) statuta sunt ». § 30. — *Penes quos,* nempe penes S. Sedem vel episcopos. A S. Sede praedictae editiones et versiones approbandae sunt. Si vero eis adnotationes adiiciantur desumptae a SS. PP. aliisque catholicis scriptoribus, etiam ab episcopis possunt approbari. Cf. 1304.

« Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, *id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia*, servatisque conditionibus ab ea praescriptis ». § 31. — *Id nunquam fiet*, etc.; non sufficit ergo libros corrigere, eosque in lucem iterum edere sine praedicta venia.

« *Quae* ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei *utcumque pertinent*, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt ». § 32. — *Utcumque pertinent*, nempe quoad actus processuales.

« Idem dicendum *de Collectionibus Decretorum* singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis ». § 33. — *De Collectionibus*, non de singulis Decretis, quae solent a specialibus ephemeridibus, e. g. ab *Actis S. Sedis*, publicari.

« Vicarii et Missionarii Apostolici *Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei* praepositae de libris edendis *fideliter servent* ». § 34. — *Decreta* etc. Cf. E. M. — *Fideliter servent;* quoad poenas vero in eis inflictas praesenti standum est Const. § 47. seqq.

« Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci *in quo publici iuris fiunt* ». § 35. — *In quo*, etc.; non ubi imprimuntur.

Quoad regulares, et quoad auctores Romae degentes, Cf. 1312.

DE IRREGULARITATE

1314. *Quid sit irregularitas?* — Irregularitas definitur: impedimentum canonicum, quo quis directe et primario interdicitur a susceptione ordinum ac consequenter ab eorum usu. — *Impedimentum*, h. e. inhabilitas *quaedam* ad ordines *debito honore et reverentia* suscipiendos et exercendos. S. Th. S. q. 39. a. 4. ad 2. Quare irregularitas censura non est. Non est enim proprie *poena*, sed mere impedimentum et inhabilitas. Et, si quando feratur etiam per modum poenae; ea medicinalis non est, sed mere punitiva. C. *Quaerenti* 20. *de Verb. Sign.*, L. 341. — *Canonicum;* impedimenta enim, quae aliquem ordinibus prohibent, quaedam naturali iure constant, ut in mutis; quaedam iure divino, ut in foeminis; quaedam denique iure canonico, ut in spuriis. Iam vero non ex illis, neque ex istis, sed ex his proprie irregularitates consistunt. C. *Is qui* 18. *de Sent exc.* in 6.° Ex prioribus *impotentia* potius et *incapacitas*, quam *impedimentum* habetur. Irregularitas tamen saepe latius accipitur etiam pro inhabilitate proprie tali. — *Quo directe et primario interdicitur a susceptione ordinum;* hinc irregularitas distinguitur ab *excommunicatione*, quae directe privat communione fidelium; ab interdicto, quod directo privat divinis officiis; a suspensione, quae directe privat functionibus ordinis. *Interdicitur a susceptione*, h. e. a licita tantum susceptione *ordinum;* quare collati valent. C. *Innotuit nobis* 3. *de Eo qui furt.* — *Con-*

sequenter ab eorum usu prohibet, nempe exercitio *maiorum* ordinum. C. *Henricus* 2. *de Cleric. pugn.*, C. *Quaesitum* 17. *de Temp. ordin.* Et sane absonum esset impune ordinem exercere, quem quis suscipere prohibetur. *Maiorum*, quia minores hodie a laicis etiam exerceri solent. L. 342. — S. Th. S. q. 39. a. 1., Suarez de Censur. D. 40. S. 1. n. 2.

1315. *Resolves:* 1.° Irregularitas *per se* arcet a clero; adeoque, si id efficere non possit, arcet tunc ab exercitio clericalis ministerii, nempe ut irregularis a clero arceatur saltem quatenus se non gerat ut clericum. — 2.° Ut ceterae leges inhabilitantes, ita irregularitas ipso iure, et ante omnem iudicis sententiam inhabilem reddit, tametsi lata videatur verbis futuri temporis, v. g., *erit irregularis.* At, si verba requirant officium iudicis, magis suspensio quam irregularitas intelligitur. Itemque quoties in Iure canonico quis ordinum usu et exercitio dumtaxat prohibetur, potius *suspensio*, quam *irregularitas* intelligitur. — 3.° « Certum est, quod nulla incurritur irregularitas, nisi in Iure sit expressa. C. *Is qui de Sent. exc.* in 6.°.... Huius autem Iuris nomine veniunt tantum Decreta Pontificis, sive Concilii a Papa approbati, non autem aliorum, nec venit *consuetudo*... Hinc infertur ad incurrendam irregularitatem non valere argumentum a simili, nec a maiori ad minus, ut communiter docent ». L. 345. — Irregularitas ergo *proprie* ea tantum est, quae *ex positivo Iure* constituitur. Illa, quae est ex naturali iure, potius *naturalis* quaedam *indignitas* et *inhabilitas* est, quam *irregularitas.* Promiscue tamen saepe a dd. usurpantur. Itemque non desunt irregularitates, quae communi dd. sententia *sine expresso iure* constituuntur; usu forte et *consuetudine* confirmatae. — 4.° Irregularis, quamvis *illicite, valide* tamen absolvit. *Illicite*, quia exercet ordinem, a quo prohibitus est; *valide*, quia absolvere est actus iurisdictionis, quam irregularitas per se non prohibet. « Irregularitas *nullo modo* privat iis actionibus, quae non requirunt exercitium ordinis, et quas etiam laici exercere possunt, ut recipere sacramenta, officia canere, sicut et conferre beneficia, quia haec spectant ad usum iurisdictionis, non ordinis; item matrimonio assistere, vel licentiam assistendi alteri praebere, dispensare in votis, absolvere a censuris, dare facultatem audiendi confessiones ». L. 342. — 5.° « Graviter peccat, qui in irregularitate exercet actum ordinis, aut suscipit, licet ordines ei collati sint validi... Et sic etiam peccat graviter irregularis suscipiens primam tonsuram ». L. 342. Irregularitas enim inhabilem reddit etiam ad primam tonsuram. Nam frustra ad ordines praeparatur, qui ab ordinibus prohibetur.

1316. *Quotuplex sit irregularitas.* — Duplex est irregularitas: alia, quae provenit ex *delicto;* alia *ex defectu* aliquo inculpabili. Alia item *totalis est*, quae impedit omnem ordinem suscipiendum, atque omne ordinis iam suscepti exercitium, ut est homicidium et bigamia; alia *partialis*, quae prohibet ab aliquo tantum ordinis ministerio, vel solo ascensu ad ordinem superiorem. Praeterea alia est *ad tempus*, quae per seipsam desinit, alia *perpetua*, quae sola dispensatione potest auferri. Porro irregularitas illa, quae est *totalis* et *perpetua*, proprie irregularitas est. Irregularitas enim per se *arcet a clero.* Illa vero, quae partialis est vel ad tempus, improprie tantum irregularitas est; a clero enim simpliciter non arcet. Cf. 1214. — L. 341. 1318.

1317. *An irregularitas beneficiis etiam privet?* — R. Negative quoad *beneficium simplex*, quod nullum importet ordinis sacri exercitium; nam nulla tunc adest privationis ratio. — Affirmative quoad *beneficium obtinendum*, cui adnexum sit officium, quo defungi irregulari non licet. Beneficium enim datur propter officium; atqui irregularis est inhabilis ad officium, cum non possit ordinem exercere. Ergo *licite saltem* beneficium recipere non potest. *Licite saltem*, nam si ei collatum fuerit, probabile est collationem valere, atque ideo postquam irregularis possessionem eius coeperit, si onera beneficii per alium impleat, fructus suos facit, quod vel ipse Suarez, et S. Alph., contrariae sententiae tanquam probabilioris patroni, non diffitentur. Ratio, quia non sunt imponendae poenae, nisi in Iure sint clare expressae, nullibi autem habetur expressum, quod irregularitas reddat hominem *incapacem* beneficii. Alii tamen urgent locum Trid. S. 22. C. 4. de R. L. 343. — Quoad *beneficium* vero *ante irregularitatem iam obtentum*, quod exercitium ordinis sacri requirat, si irregularitas provenit ex defectu infirmitatis, non est dubium, quin possit beneficium retineri, si per alium onera impleantur. C. *Ex parte de Cler. aegr.* Si vero sit ex delicto, privari eo debet irregularis per iudicis sententiam; et licet non privetur ipso facto, C. *Ex litteris de Excess. praelat.*, tenetur tamen petere dispensationem. At si eam non petit, vel non possit obtinere, tenetur beneficium renuntiare. Ratio, quia si non potest licite beneficii oneribus satisfacere, neque potest licite illud retinere. Hanc tamen renuntiationem differre poterit, si laboret magna inopia, et alium iam delegaverit pro adimplendis beneficii oneribus. Sic communiter ius interpretantur. L. 342. 343.

1318. *Quid statuendum de illo, qui dubitat de irregularitate incursa?* Tenetur sub gravi rem prius explorare, nisi forte ex mora inquirendi grave damnum sequi possit. Agitur enim de gravi Ecclesiae lege propter honorem et reverentiam sacramento ordinis debitam. — Debita diligentia adhibita, si dubium adhuc perseverat, *generatim loquendo*, non est habendus ut irregularis, sive dubium sit negativum, sive sit positivum; sive sit facti, sive sit iuris. C. *Is qui* 18. *de Sent. exc.* in 6.° Ratio, odia sunt restringenda; et nemo in dubio spoliandus iure suo. — *Generatim loquendo*, quia, ut verius tenendum affirmat S. Alph. cum communi, excipitur dubium de homicidio (non de mutilatione); talis enim casus expresse declaratur in Iure. Hoc tamen intellige, si quis certus sit de homicidio secuto, et solum dubitet, an actione sua fuerit illius causa. Immo observant id tantum valere pro clericis; et iuxta plures pro solis sacerdotibus, et solum quoad missae celebrationem, quia de hoc tantum loquitur Ius; ne si forte deinde certe homicida noscatur, cum scandalo populi inveniatur celebrasse. CC. *Ad audientiam* 12., *Significasti* 16. 18., *Petitio tua* 24. *de Hom.* L. 346. 347. 371.

1319. *Quomodo tollatur irregularitas?* — Quatuor modis tolli potest irregularitas: 1.° Per cessationem causae, si irregularitas sit minus proprie et perfecte talis, ex defectu, e. g., aetatis, ignorantiae, etc. 2.° Per baptismum, si irregularitas sit ex delicto. Sed baptismus potius quam tollat impedit irregularitatem. Infidelis enim irregularis non est, cum legi Ecclesiae non subiiciatur. 3.° Per dispensationem. Et hic proprius modus est tollendi *irregularitatem*. Irregularitas enim iure canonico est consti-

tuta. Quare eius ablatio, cum gratia sit, nonnisi dispensatione verificatur. 4.° Per professionem religiosam, quae non omnem irregularitatem, sed unam tantum, quae est ex defectu natalium aufert. Privilegium autem hoc concessum religiosae professioni dispensationi aequivalet. — Irregularitas tollitur hac vel simili forma: Dispenso tecum super irregularitate, *vel* irregularitatibus, *si sint plures,* in quam *vel* in quas, ob talem causam *vel* tales causas, *eas exprimendo,* incurristi, etc. Cf. Rit. Rom. *de Sacr. poenit.* etc. — Confessarius in nullis irregularitatibus potest dispensare, nisi habeat specialem facultatem. Episcopus potest ex Trid. S. 24. C. 6. dispensare in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, nisi tamen sit voluntarium homicidium. Possunt generatim regulares ex variis privilegiis dispensare in iisdem irregularitatibus, in quibus possunt episcopi dispensare. Summus Pontifex in omni irregularitate dispensat ecclesiastici iuris. Pro foro externo recurrendum est ad S. Datar., pro foro interno ad S. Poenit. Bened. XIV. C. *Pastor bonus* 13. Apr. 1744. — L. 352.-355. 396. 469.

1320. *Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem ex delicto?* — Ut incurratur irregularitas ex delicto actus humanus esse debet: 1.° *Externus;* haec enim irregularitas est poena in foro externo. 2.° *Mortaliter malus;* quia est poena gravis, cui non congruit culpa levis. 3.° *Plene consummatus;* odia enim sunt restringenda, L. 348. Minime vero requiritur quod crimen sit publicum. Sed irregularitas incurritur ob crimen etiam occultum. Trid. S. 24. C. *Liceat* 6., L. 349. An vero requiratur scientia *legis* Ecclesiae prohibentis? Sententia communissima et probabilior affirmat. L. 350. An etiam requiratur scientia *poenae,* seu irregularitatis? Controvertitur; et satis probabiliter affirmandum. L. 351., l. 6. n. 705. Irregularitas autem non habetur ex quovis delicto, licet enormi, sed et delictis tantum *in Iure* constitutis, videlicet ex sequentibus:

1321. *Ex mala susceptione baptismi* irregularis est qui baptizatur ab haeretico declarato sine ulla necessitate; eius enim errori videtur communicare. C. *Ventum est* 18. caus. 1. q. 1., C. *Qui in qualibet* 10. caus. 1. q. 7. Impedit haec irregularitas omnium ordinum susceptionem et consequenter exercitium. — Insuper irregularis est qui differt baptizari usque ad mortis periculum, nam infirmae fidei signum est; unde potius irregularitas ex defectu est. C. *Si quis* un. Dist. 57.

1322. *Ex iteratione baptismi* fit irregularis qui rebaptizatur, C. *Confirmandum* 65. Dist. 50; acolythus qui ministrat rebaptizanti, C. *Ex litterarum* 2. *de Apost.;* adeoque et qui rebaptizat, ut habet communis sententia. L. 356. Sed opus est baptismo: 1.° *Vero* ac *perfecto,* ideo non contrahitur, si quid ei desit seu materia seu forma, seu intentio suscipientis vel conferentis; atque ideo nec si alteruter conditionem apposuerit, *si non sum,* vel *non es baptizatus,* licet is qui conditionem adhibet non ignoret revera collatum, et rite collatum fuisse baptismum; quia sic revera non rebaptizatur; id tamen alii negant, quia conditio, in fraudem legis apponitur, et ideo pro non apposita habetur. Quod tenet etiam Cat. Rom. *de Sacram. bapt.* n. 57. — 2.° *Notorio,* utroque, dato et iterato, ac *solemni,* C. *Ex litterarum* 2. *de Apost;* ibi enim dicitur « Si publicum est quod proponitur ». *Publicum* multi *notorium,* multi *solemne* interpretantur. Ergo res dubia est, quandiu non adfuerit utrumque. — Haec autem

irregularitas prohibet a sola ordinum susceptione, a iam susceptorum exercitio non prohibet. Alii tamen ad exercitium etiam extendunt. Ignorantia vero culpabilis ab ea non excusat, C. *Qui bis* 107. *de Consecr.* Dist. 4., secus si inculpabilis. — L. 356., l. 6. n. 122., Bened. XIV. Inst. 84. n. 14. seqq.

1323. *Ob exercitium ordinis* irregularis fit *clericus*, qui scienter et solemniter exercet *ordinem sacrum*, quem non habet, C. *Si quis* 1., C. *Ex litteris* 2. *de Cler. non ord. min.* — Is qui exercuit ordinem, quem non habet, irregularis est quoad illius susceptionem, et ab exercitio ordinis praecipui, quem habet, suspenditur per biennium vel triennium ad arbitrium episcopi; a quo poterit in beneficio dispensari. C. cit. 2. — Quare irregularitatem hanc incurrit clericus non diaconus evangelium canens cum stola, vel si non sacerdos absolvat sacramentaliter, etc. E contrario irregularitatem non incurrit laicus exercens actum ordinis, quem non habet. Neque irregularitatem incurrit sacerdos simplex excipiendo confessiones, quia hic revera exercet actum ordinis, quem iam habet, licet careat iurisdictione. Unde peccat, sed non incurrit irregularitatem. Propter eandem rationem peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, diaconus sine delegatione presbyteri extra casum necessitatis solemniter baptizans. L. 359., l. 6. n. 116.

1324. *Ex mala ordinum susceptione* plures quidem recensentur a theologis et canonistis irregularitates. Irregulares nempe sunt: 1.° qui ordinantur ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, haeretico, schismatico, simoniaco. L. 358. — 2.° Qui ordinem suscipit ab episcopo, qui renunciavit episcopatui quoad locum et quoad dignitatem. Navarr. Man. Conf. 241. — 3.° Qui censurae obnoxii ordinem recipiunt. Cf. L. l. 6. n. 799. par. *Utrum.* — 4.° Qui post matrimonium contractum ante consummationem ordinem sacrum recipit, uxore invita, L. 361. — 5.° Qui ordinatur a suo episcopo in aliena dioecesi. — 6.° Qui ordinatur furtive, nempe episcopo nesciente, non approbante, ab eo non examinatus. L. 361. — 7.° Qui ordinatur per saltum, vel ante legitimam aetatem Cf. L. 560. — 8.° Qui sine titulo maiores recipit ordines. — 9.° Qui uno eodemque die recipit plures ordines, quorum unus sacer est. L. 361., l. 6. n. 796. 797., Navarr. l. c. — Verum hic canonistae et theologi irregularitatem cum suspensione permiscent. Quatenus habetur, antiquo Iure, suspensio constituta, ea in praesenti non viget, nisi renovata inveniatur in C. *Apostolicae Sedis* de censuris. Ad irregularitatem autem quod spectat, cum ea saltem valde dubia sit, et *quoad poenas* in obscuris quod minimum est tenendum est, *quoad irregularitates* certo iure constare debent, affirmanda sane non est. Cf. Suarez D. 31. S. 1., D. 42. S. 3. — Inter poenas tamen contra simoniace ordinatos erat olim etiam inhabilitas seu suspensio a spe ascendendi ad ordines superiores. C. Sixti V. *Sanctum et salutare* § 3. Haec autem *suspensio a spe ascendendi ad ordines superiores*, censura quidem non est, sed potius irregularitas. Ab hac irregularitate, si crimen sit occultum, dispensare non potest episcopus, vi C. *Liceat* Trid., siquidem Sixtus V. huic facultati derogavit quoad crimen simoniae.

1325. *Ob censurae violationem* irregularis fit, qui *ordinem sacrum*, quem habet, exercet, dum est irretitus excommunicatione *maiori*, vel in-

terdicto, aut suspensione, quibus ordinum exercitio prohibetur, dummodo tamen id faciat *scienter* et *serio*, ac *solemniter*. CC. 1. 18. 20. *de Sent. exc.* in 6.° — Hanc irregularitatem incurrit etiam sacerdos, qui sacrum facit in loco interdicto. C. *Is qui* 18. *de Sent. exc.* in 6.° § 1. — Hanc etiam irregularitatem incurrit ex communi sententia episcopus vel sacerdos censuratus cogens alium ad celebrandum coram se, ex C. *Tanta* 18. *de Exc. prael.* et ex C. *Illud.* 5. *de Cler. exc. min.* L. 175. 358., Suarez D. 12. S. l. n. 5. seqq. Alii tamen hanc irregularitatem negant. Diana P. 4. Tr. 2. R. 57., Suarez D. 34. S. 4. n. 17. — Ab hac irregularitate dispensare possunt confessarii approbati habentes pagellam S. Poenit. Cf. hanc pagell.

1326. *Resolves:* Irregularitatem hanc non incurrit qui actum ordinum maiorum exercet, sed non solemniter, i. e. diaconus sine stola, subdiaconus sine manipulo; nec qui exercet actum ordinum minorum etsi ex officio et solemniter; nec qui concionatur, aut actum exercet iurisdictionis, ut si episcopus excommunicet, et parochus assistat matrimonio, secus vero, si matrimonio solemniter benediceret; itemque neque qui celebrat in Ecclesia polluta, neque qui canit in choro officium, nisi sit canonicus hebdomadarius, solemniter in choro cantans *Dominus vobiscum.* L. 358. Cf. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos.*

1327. *Ex iniusta membri mutilatione* irregularitas habetur, si quis nempe *gravi culpa* mutilet sive seipsum, sive alium C. 3. 4. 5. *de Corp. vit.*, Clem. *Si furiosus* un. *de Hom.*, L. 365. 379. 388. — Communissime et probabilius dicunt nomine *membri* intelligi tantum partes illas corporis, quae proprium officium habent, ab aliis distinctum, ut manus, pes, oculus. *Mutilatio* autem intelligitur hic, quando praedictum membrum a corpore separatur. L. 365. 379. — In hac irregularitate propter mutilationem bene possunt dispensare episcopi, si sit occulta et ex delicto, ex facultate Trid. S. 24. C. *Liceat* 6., ubi tantum excipitur irregularitas ob homicidium voluntarium. L. 381., de Priv. 51., Suarez D. 44. S. 2. n. 4.

1328. *Resolves:* 1.° Non fit irregularis, qui in rixa praescindit alteri digitum, pollicem, unguem, dentes, barbam, capillos, quia proprie membra non sunt. L. 378. 379. — 2.° Nec fit irregularis, qui excaecavit hominem solo visu privando, non autem oculum extrahendo; nec qui debilitat tantum membrum, et non abscindit, quia non est mutilatio. L. 380. 382. — 3.° Qui aliquid tantum *sibi* abscidit fit irregularis *ob saevitiam*, licet membri partem, v. g., digitum, immo digiti partem absciderit. C. *Si quis* 4. 7., C. *Qui partem* 6. Dist. 55., C. *Ex parte* 3., C. *Significavit* 4., C. *Ex parte* 5., *de Corp. vit. ord. vel non.* L. 365. 379. 415.-419.

1329. *Ex homicidio irregularitas incurritur.* Triplici modo hac in re homicidium contingere potest, *iuste, casualiter, iniuste.* — Pro homicidio *iusto* nulla incurritur irregularitas, cum tunc nulla habeatur culpa. L. 382. 388. 389. — Pro homicidio *casuali* nulla etiam incurritur irregularitas, sive rei licitae sive rei illicitae operam dando, illud eveniat. Ratio est, quia tale homicidium tunc non est voluntarium. Iura autem irregularitatem statuentia ex homicidio intendunt punire vere delinquentes homicidii culpa. Clem. *Si furiosus* un. *de Hom.* Excipe *primo*, si actio sit licita, sed effectus praevideatur, et sufficiens non adhibeatur diligentia ad illud praecavendum, tanta nempe quae excuset a peccato gravi.

L. 366. 377. 382. 383.-386. *Secundo*, si actio illicita sit, et communiter *periculosa* mortis; quamvis omnis adhibeatur diligentia, ne mors praevisa sequatur, quia cum opus sit de se proxime periculosum, nulla diligentia potest non periculosum fieri. L. 386. 387., l. 3. n. 398. — Si homicidium sit *iniustum*, sive directe volitum in se, sive indirecte volitum in causa, inseparabiliter et proxime cum homicidio coniuncta, irregularitas incurritur. C. *Si quis* 1. *de Hom.*, Trid. S. 14. C. 7. de R., L. 365., l. 3. n. 628. — Irregularitatem incurrunt omnes, qui propria actione hominem occidunt, C. *Si quis* 1. *de Hom.*, Trid. S. 14. C. 7., L. 367. 368. 369. Itemque irregularitatem incurrunt omnes homicidium mandantes, vel consulentes, in homicidium vere influentes, aliique quoquo modo efficaciter et positive cooperantes. C. *Si quis viduam* 8. Dist. 50., C. *Significasti* 18. *de Hom.*, C. *Sicut* 6. e. t., L. 370.-376. — Irregularitas per homicidium contracta tollitur per baptismum; vel potius, deleto per baptismum peccato, irregularitas non habetur, C. *Si quis* Dist. 50.; et per dispensationem Summi Pontificis, L. 390. Episcopi autem, si homicidium fuerit voluntarium, nullo modo possunt dispensare, in irregularitate, etiamsi illud fuerit occultum. Trid. S. 24. C. *Liceat* 6., S. 14. C. 7., L. 391. 392. Si vero homicidium fuerit casuale, valde probabile est posse episcopos dispensare in irregularitate ex eo contracta, quando crimen fuerit occultum, cum Conc. in d. cap. *Liceat* neget episcopis facultatem dispensandi tantum, si homicidium fuerit voluntarium, ad distinctionem casualis. L. 393. Praeterea communissime docent, quod possunt dispensare episcopi in irregularitate ex homicidio casuali, etiam notorio, ad suscipiendos ordines minores, et beneficia simplicia; quia id iam poterant episcopi de iure antiquo. Trid. autem tantum reservavit irregularitatem ex homicidio voluntario, non vero casuali publico. L. 393. 394. 395., de Priv. 51. 52., l. 3. n. 397. Quoad praelatos regulares Cf. L. 396. — S. Th. 2. 2. q. 64. a. 8., S. q. 39. a. 4.

1330. *Resolves:* 1.° « Certum est, quod si quis lethaliter quantumcumque vulneret, si mors non sequitur, irregularitatem non incurrit; quia nulla assignatur in Iure propter conatum occisionis, sed tantum propter homicidium aut mutilationem ». L. 368. — 2.° Mandans vel consulens in dubio, an mandatum vel consilium fuerit, vel non, efficax causa homicidii, irregularitatem non incurrit, quia irregularitas non incurritur, nisi expressa sit in Iure. Iura autem loquuntur de iis, qui certe sunt causa homicidii, mandando vel consulendo, vel qui dubie homicidium committunt, non autem de iis, qui tantum dubie ad illud concurrunt. L. 371. — 3.° « Qui alium occidit ob defensionem sui cum moderamine inculpatae tutelae, certum est quod excusatur ab irregularitate, ut patet ex C. *Significasti* 18. § fin. *de Hom.* et ex Clem. *Si furiosus* e. t.... Excusatur etiam ab irregularitate qui occidit iniustum invasorem alterius innocentis... quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur nisi cum peccato mortali ». L. 388. Hinc neque incurritur irregularitas, si alter iuste occidatur ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiae, vel bonorum temporalium cum moderamine inculpatae tutelae. L. 389. Neque irregularis evadit medicus, si casu infirmus ex pharmaco praestito decedat, sine gravi medici negligentia. C. *Ad aures de Aet. et qual. ord.* L. 384.— 4.° Irregulares fiunt « omnes, qui ad homicidium se excitant, quamvis unus solus occidat; omnes qui praeliantur in bello iniusto, si aliquis

in eo occidatur, etiamsi hoc non intendant; tunc enim saltem incurrunt irregularitatem homicidii casualis; omnes qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium, aut bellum iniustum patrandum; omnes qui iniuste accusant, aut testificantur, aut iudicant, ut homo occidatur; omnes qui associantur occisorem, animum augendo ». L. 374. 459. — 5.° Irregularis fit, qui procurat abortum foetus animati anima rationali, secus si animatus non sit; vel dubium sit, an foetus sit animatus; cum in hoc casu nullibi irregularitas reperiatur expressa. C. *Maiores* 32. q. 2., L. l. 3. n. 395. 396. — Bened. XIV. Inst. 101. n. 8.

1331. *Quid de irregularitate ex defectu?* — Cum huiusmodi irregularitas non *ex delicto*, sed *ex defectu* repetatur, nihil interest utrum exoriatur ex culpa propria vel aliena, sponte vel ex metu commissa, ante vel post baptismum, cum cognitione vel cum ignorantia positiva legis Ecclesiae; vel etiam contracta sit citra omnem culpam. Non quilibet autem defectus, sed defectus tantum in Iure notati irregularitatem inducunt, iique sequentes sunt:

1332. *Ex defectu natalium* irregulares sunt omnes illegitimi, quos *constat* esse illegitimos, eo quod ratione originis reputentur viles. Quare irregulares non sunt expositi, neque illegitimi, in matrimonio nati, de quibus illegitimitas *iure* non constat. L. 432., A. S. S. V. 1. p. 352., C. 1. et fin. *de Fil. presb.*, Trid. S. 25. C. 15. de R. — Tales autem communi iure legitimantur *primo* per subsequens matrimonium inter eorum parentes, modo hi tempore conceptionis, et valde probabiliter tempore nativitatis, matrimonium valide contrahere potuerint. C. *Tanta Qui fil. sint leg.*, L. 420.-423. — Filii nati ex matrimonio irrito ob aliquod impedimentum occultum, tamen putato valido, saltem ex uno sponsorum, censentur legitimi, C. *Cum inter* 2. *Qui fil. sint. leg.*, C. *Ex tenore* e. t.; secus vero, si ambo parentes tempore matrimonii fuerint in mala fide, C. *Cum inhibitio* 3. § *Si quis de Cland. desp.* Illegitimi item sunt filii nati ante matrimonium invalide contractum, licet ambo parentes putaverint validum, quia nullo iure ut legitimi approbantur. L. 424. Filii quoque nati ex matrimonio nullo, clandestino, i. e. sine denuntiationibus, ac sine licentia episcopi inito, esto coram parocho et testibus, illegitimi reputantur, etiamsi parentes in bona fide contraxerint, ex eod. § *Si quis* dict. C. 3. L. 425. — Legitimantur *secundo* per professionem religiosam quoad ordines tantum, non quoad praelaturas. C. 1. *de Fil. presb.* Sed ex aliis privilegiis possunt praelati regulares dispensare in irregularitate cum suis subditis illegitimis. L. 354. 426. — Legitimantur *tertio* per dispensationem pontificiam. Sed si de minoribus ordinibus agatur, ac de beneficiis, animarum curam annexam non habentibus, episcopus potest propria auctoritate cum illegitimo dispensare. C. *Is qui* 1. *de Fil. presb.* in 6.°, L. 427. 428., de Priv. 49., Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 24. n. 11. seqq. — S. Th. S. q. 39. a. 5., q. 68., Lugo Resp. Mor. l. 6. D. 2. n. 4. 5.

1333. *Ex defectu libertatis* irregulares sunt servi, ubi adhuc vigeat servitus, nisi eorum domini ordinationi consenserint. C. 1. seqq. *de Serv. non ordin.*, C. *Nulli* 2., C. *Si servus* 20. Dist. 54.; coniugati, nisi uxores consentiant et castitatem voveant, Cf. 899.; curiales, i. e. curiae saeculari obligati, praestito iuramento, ut iudices, advocati, etc., quamdiu talia

officia habent; milites, quamdiu iuramento tenentur; thesaurarii, depositarii publici, et qui Remp. administrant; apparitores et qui saeva, turpia, exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrarunt. C. 1. 2. 3. 4. Dist. 51, C. *Magnus* un. *de Oblig. ad rat. ord.* L. 455. 456., l. 3. n. 838. — S. Th. S. q. 39. a. 3., Picl. l. 1. t. 17. n. 4. seqq., Schmalz. l. 1. t. 17. n. 2. seqq.

1334. *Ex defectu corporis* irregularitas habetur, vel quia *impedit congruum exercitium ordinis*, vel quia *affert notabilem indecentiam* aut horrorem. Tit. *de Corp. vit. ord. vel non.*, L. 403., S. Th. S. q. 39. a. 6.

1335. *Resolves: Ob impedimentum exercitii* irregulares sunt: 1.° *Caecus*, qui omnino visu caret. C. ult. Dist. 55. Quod si quis iam sit sacerdos, et constet non posse errare, poterit a Summo Pontifice obtinere dispensationem. Uti vero tunc debet assistentia alterius sacerdotis, S. R. C. 12. Apr. 1823. L. l. 6. n. 390. Si alicui deest visus oculi dexteri non est irregularis, secus si sinistri; nisi possit oculo dextero sine magna deformitate Canonem legere. Si quis non sit omnino caecus, sed ita *caecutiens* ut non possit legere in Missali, is irregularis etiam est ad ordines *suscipiendos*. Quoad eos vero *exercendos*, « probabiliter dicunt Lugo, Pal., etc. licite celebrare sacerdotem, qui ob visus debilitatem, memoriter missam recitat, modo discernat calicem et hostiam, quantum sufficit ad evitandam irreverentiam et modo ad notam effugiendam habeat missale in altari, vel alium librum loco ipsius ». Verum Apostolico indiget Indulto, ut missam votivam de B. V. vel de Requiem celebret. L. l. 6. n. 390. Non est irregularis, qui est debilis visu, ita ut indigeat perspicillis, vel qui ex obliquo intuetur. L. 404. Cf. Navarr. c. 27. n. 199., Laymann. l. 1. Tr. 5. c. 7. n. 2., Pirhing l. 1. t. 20. n. 6.

2.° *Surdus*, qui ex utraque aure penitus non audit, quia talis sacerdos, cum non possit audire vocem ministri, nequit sine indecentia celebrare. Si tamen surditas superveniat sacerdotio suscepto, non interdicitur sacerdoti celebratio; facilius enim toleratur defectus superveniens in promoto, quam in promovendo, prout de caecutiente dictum est. *Surdaster* autem, sive difficulter audiens, minime irregularis est. L. 405.

3.° *Mutus*, qui non possit loqui, aut verba integra proferre, ita ut nullam possit vocem pronuntiare, quin aliquid omittat, vel nisi magna difficultate. *Blaesi* vero sive balbutientes, aut carentes dentibus non sunt irregulares, etiamsi cum aliqua difficultate verba proferant, nisi afferant causam risus, aut contemptus. L. 406.

4.° *Claudus*, qui sine baculo nequit ire ad altare, C. *Nullus episcopus* 57. *de Cons.* Dist. 1., si sine baculo non possit sustentari in altari. Claudus, qui non indiget baculo, minime est irregularis; sicut nec etiam qui habet crura distorta; quia talis defectus veste talari facile tegi potest; secus si in hoc magna adesset deformitas. Si quis vero est instructus pede ligneo, irregularis est eo quod celebrare cum pede ligneo magnam habet indecentiam. Quod si modicus sit defectus, et aliquo modo indecentia possit reparari, permitti potest iudicio episcopi celebratio. L. 407.

5.° *Qui caret manu*, aut *digitis* omnibus, aut pollice irregularis est. C. ult. *de Corp. vit.* Idem dicunt de eo, qui caret indice, vel parte pollicis aut indicis, vel qui habet eos ita debiles, ut nequeat hostiam elevare, aut frangere. Secus, si quis careat ungue pollicis, vel indicis, ut dicitur in d. C. ult. Si quis autem iam fuerit ordinatus, et habet pollicem impeditum,

in casu necessitatis probabiliter posset eucharistiam ministrare posterioribus digitis. Si quis caret tribus posterioribus digitis, etiam est irregularis. Si vero caret uno tantum digito minori non est irregularis, et idem si caret duobus. Nec pariter est irregularis, qui habet sex digitos, modo sextus digitus usum aliorum non impediat. L. 408.

6.° *Nullus morbus* irregularitatem inducit, nisi vel exercitium ordinis impediat, vel notabilem afferat indecentiam et scandalum. Hinc irregularis est, qui paralysi vel tussi ita laboret, ut propter tremitum manuum sit periculum effundendi calicem, vel eiiciendi Eucharistiam. Itemque irregularis est abstemius, qui vinum nequit sumere, nisi cum periculo evomendi. L. 409. Cf. A. S. S. V. 7. p. 80. seqq.

Ratione vero deformitatis irregulares sunt: 1.° Ii quibus *deest* aliquod *membrum*, nempe qui carent naso, vel illum habent nimis deformem; illi quibus oculus erutus est, nisi per oculum vitreum reparari possit; qui carent auriculis, nisi capillis talis defectus celari possit. 2.° *Leprosi*, C. *Tua nos de Cler. aegr.*, nisi scandalum absit, v. g., si in loco privato celebrent, qui habent labia corrosa vel abscissa, vel faciem valde maculatam. 3.° *Monstruosi*, nempe qui enormem habent gibbam; pigmaei sive nani, statura ita breves, ut ad risum moveant, vel brachia sufficienter extendere non possint ad altaris ministerium; gigantes, qui praegrandi statura quendam excitant terrorem; aethiopes, qui horrorem gignerent, si apud nos habitualiter ministerium exercerent: hermaphroditi, licet virilis sexus praevaleat; eunuchi, qui *culpabiliter* per se vel per alios testiculos sibi amputaverint, licet zelo castitatis. Irregulares vero non sunt, qui subfusco vel rubenti sunt colore. — C. 2.-5. h. t., L. 410.-412. 416.

1336. *Nota:* Si aliquis ex praefatis defectibus corporis superveniat ordinibus iam susceptis, sacerdos non impeditur ab actibus illius ordinis, quos potest exercere sine incongruitate et indecentia, ita ut sacerdos caecus aut claudus bene potest excipere confessiones, canere Evangelium, etc. C. 7. *de Cler. aegrot.* Si vero talis defectus ante ordines adveniat, absolute inducit irregularitatem, non solum ad illum ordinem, cuius exercitium impedit, sed ad omnes alios. Ratio, quia, cum omnes ordines sacerdotium respiciant, exclusus a sacerdotio censetur etiam ab omnibus ordinibus repulsus. L. 413. Alii tamen aliter opinantur. Et sic possent abstemio conferri ordines minores, immo et subdiaconatus et diaconatus, ut possit, e. g., obtinere beneficium et propriae paupertati subvenire. Navarrus Man. C. 27. n. 204.

1337. *In hac irregularitate proveniente ex defectu solus Papa potest dispensare.* Episcopi possunt in dubio declarare et iudicare, an defectus corporis notabiliter impediat exercitium ordinis, vel an magnam afferat indecentiam. Praelati regulares possunt item de hoc iudicare, quin imo « bene etiam possunt dispensare in huiusmodi irregularitate ». L. 414. Cf. V. 1. n. 278. C. 2. h. t.

1338. *Ex defectu aetatis* irregularitas *ad tempus* solet recenseri. Sed ea proprie *irregularitas* non est; cum absque dispensatione ipso facto cesset. Cf. 1324. L. 434.

1339. *Ex defectu animi* irregularitas habetur; nempe ex defectu usus rationis, scientiae et fidei. — *Ex defectu usus rationis* irregulares sunt:

1.° *Amentes.* Talis animae defectus vel oritur in homine post ordinationem, vel ante. Si post, cessante defectu per diuturnum tempus, Ordinarii iudicio, vel Praelati si sit regularis, poterit ordinem susceptum iterum exercere. Si ante, videndum est, an defectus pendeat a causa permanente et habituali, v. g., ab organorum laesione, et tunc non poterit amplius promoveri ad ordines, quia ita laborantes facile relabuntur in eumdem morbum, C. *Maritum* 2. Dist. 33.; an vero a causa transitoria et accidentali, v. g., a febri vel vulnere, et tunc promoveri utique poterit. L. 398. — 2.° *Epileptici et daemoniaci.* Si epilepsis antecedat ordinationem, perpetuo illi sunt irregulares; attamen, si quis ante pubertatem hoc morbo affectus fuerit, et postea perfecte liberetur, diuturno accedente experimento, non censetur irregularis. Si vero tali morbo laborans iam ordinatus sit, licet non omnino sit liber, dummodo raro accessum patiatur morbi, neque consuescat in terram subito cadere, et in magnos erumpere clamores, ac spumas evomere, poterit privatim celebrare, adiuncto sacerdote ieiuno, qui missam in casu accessus morbi perficiat. Ac, si liber omnino sit, poterit tunc iudicio episcopi ad ordinis exercitium omnino reverti. C. *Communiter* 3., C. *Clerici* 4. Dist. 33., L. 399. — In hac irregularitate, durante defectu, nec etiam Papa dispensare potest, quia illo laborantes sunt de iure divino inhabiles. L. 400. — S. Th. S. q. 39. a. 2.

1340. *Ex defectu scientiae, illiterati* sunt omnino irregulares. « Qui sunt adeo rudes, ut ignorent etiam prima rudimenta grammaticae, ita ut nesciant praestare ea, quae pertinent ad ordinis exercitium, ad quod requiritur sane scientia linguae latinae, ipsi sunt prorsus irregulares, et graviter peccant tam ordines suscipiendo, quam eos exercendo... C. *Illiteratos* Dist. 36.... Haec irregularitas, sublata causa ignorantiae, de se tollitur sine dispensatione ». L. l. 6. n. 791., Trid. S. 23. C. 4. De R., C. *Illiteratos* 1. Dist. 36.

1341. *Ex defectu fidei* irregularitatem contrahunt, neophyti, seu recens ad fidem conversi, qui Apostolica indigent dispensatione. Disputatur autem a dd. quousque ad fidem conversus dicatur neophytus, an usque ad unum annum, ad duos, vel ad decem, Bened. XIV. de Syn. l. 12. c. 1. n. 6. « Putat, ait. S. Alph. 402., Tolet. post decennium neophytum non esse amplius irregularem, immo antea, si episcopus iudicet illum bene moribus profecisse ». Consentit Busemb. ib. — Neophyti non sunt, adeoque, neque irregulares, baptizati in infantili aetate; neque irregulares sunt filii iudaeorum et infidelium, Bened. XIV. de Syn. l. 12. c. 1. n. 4. 5. — Irregulares quidem sunt haeretici; si tamen haeresis sit occulta, quaestio est inter dd. Lugo de Fide D. 23. S. 4. n. 124. Filii vero haereticorum irregulares sunt usque ad 2.um gradum per lineam paternam, usque ad 1.um per maternam. Si tamen pater haeresim eiuraverit, filii irregularitate solvuntur. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 24. n. 21., C. 2. 15. *de Haer.* in 6.°, S. O. 4. Dec. 1890. A. S. S. V. 25. p. 579., Collect. S. C. de P. F. n. 1696., E. M.

1342. *Ex defectu sacramenti,* nempe ex bigamia irregularitas exoritur, ut patet ex toto tit. *de Big.* Idque illatum est ex illo Apostoli 1. ad Tim. 3.: *Oportet episcopum unius uxoris esse virum. Ex defectu sacramenti*, quia is, qui duas duxit uxores, non potest apte significare unionem Christi cum Ecclesia, unica eius sponsa. L. 435. 436.

1343. Bigamia triplex est, *vera, interpretativa, similitudinaria.* — *Vera* est, quando quis cum duabus successive *verum* contraxit matrimonium. C. *Praecipimus*, C. *Dubium de Big.* Debet autem utrumque matrimonium esse *validum* et *consummatum*. L. 435. 436. — *Interpretativa* habetur, cum quis Iuris *interpretatione*, sive fictione quadam, duas censetur habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. Haec bigamia tripliciter contingit. *Primo*, quando quis ducit et cognoscit viduam iam a suo priori marito cognitam, etiamsi ducat invalide, C. *A nobis* ult. *de Big.*, C. *Debitum* e. t., L. 437.; itemque quando quis ducit et cognoscit mulierem ab alio corruptam, C. ult. Dist. 51., C. *Curandum* Dist. 34., et secundum communiorem sententiam, licet invalide contrahat ob aliquod impedimentum dirimens; secus vero si quis duceret mulierem a se prius corruptam. L. 438. 439. 440. *Secundo*, quando quis cognoscit uxorem postquam illa adulterium commiserit, C. *Si cuius* 11., C. *Si laici* 12. Dist. 34. L. 441. 442. 443. *Tertio* quando quis duo contrahit et consummat matrimonia, unum validum, alterum invalidum, ex C. *Nuper* 4. *de Big.*, itemque quando quis duo contrahit matrimonia, ambo invalida, et maritali affectu consummat. L. 444. 445. 446. 447. — *Similitudinaria* contrahitur ex attentatione matrimonii, quamvis invalidi, cum corrupta vel virgine post votum solemne emissum in Religione approbata, vel post susceptionem sacri ordinis. Huiusmodi enim nubentes similes sunt contrahentibus duplex matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum, ab eo recedentes, attentant matrimonium contrahere, dummodo tale matrimonium sit consummatum. Irregularis vero non est laicus, qui ducit monialem professam: quia Iura loquuntur tantum de contrahente post proprium votum. L. 448. 449. — Suarez D. 49., Sanch. de Matr. l. 7. D. 85., Schmalz. l. 1. t. 21. n. 1. seqq., S. Th. S. q. 66.

1344. *Bigamia vera non tollitur per baptismum, neque per professionem religiosam.* C. *Deinde* 3. Dist. 26., C. *Si quis viduam* 13. D. 24. Summus Pontifex potest in irregularitate ex bigamia vera et interpretativa dispensare. L. 450. Episcopus dispensare non potest in bigamia vera, et interpretativa ad ordines sacros suscipiendos, neque ad ministrandum in ipsis, neque ad beneficia ipsis annexa recipienda, L. 451., et verius etiam ad ordines minores et ad beneficia simplicia suscipienda, L. 452. In bigamia autem similitudinaria ex delicto *occulto*, et ex duplici matrimonio, altero spirituali, altero carnali, bene possunt episcopi dispensare, etiam ad ordines sacros suscipiendos et ministrandos. C. 4. *de Cler. coniug.*, C. *Qui cler. vel vov.*, L. 452., de Priv. 50. Quoad praelatos regulares, Cf. Compendium Privilegiorum Soc. Iesu v. *Dispensatio*. — L. 453., S. Th. Quodl. 4. a. 13., S. q. 66. a. 4.

1345. *Ex defectu lenitatis* irregularis est 1.° qui occidit vel mutilat in bello iusto offensivo, non vero si alii occidant; nec qui occidit in bello iusto defensivo, nec qui hortatur ad occidendum etiamsi bellum sit offensivum, modo iustum. C. *Petitio tua*, C. *Dilectus*, C. *Significasti de Homic.* Bened. XIV. Not. 101., L. 457.-460., La-Croix 528. — 2.° In iudicio iusto irregulares fiunt, qui ad mortem vel mutilationem cooperantur active, efficaciter et proxime per actionem ex natura sua ad id ordinatam. Clem. *Si furiosus de Hom.*, C. *Clericis*, C. *Sententiam Ne Cler. vel Mon.*, C. *Ex litteris de Exc. Prael.* Quare irregulares fiunt iudices, advocati seu

procuratores contra reum agentes, lictores, carnifices, testes voluntarii, secus coacti, accusatores vel denuntiatores; secus tamen, si accusant reum, tantum ut proprium damnum praecaveant, vel sibi resarciatur, facta protestatione, se nolle poenam sanguinis, C. *Praelatis de Hom.* in 6.°, in causa propria aut etiam cognatorum usque ad quartum gradum; vel nisi causa sit propriae Ecclesiae; vel si damna sint in futurum aliis inferenda, ita ut alia via impediri non possint. L. 461.-468. — 3.° Irregulares etiam sunt ex defectu lenitatis, clerici, in sacris constituti, aut monachi, medentes cum incisione et adustione, cum id ipsis expresse vetetur sub poena irregularitatis, C. *Sententiam Ne Cler. vel Mon.*, si ex tali incisione vel adustione mors sequatur. Si tamen alius peritus absit, bene poterit tunc clericus aut monachus sine peccato et consequenter sine periculo irregularitatis incisionem aut adustionem adhibere. L. 384. 385. 389. — S. Th. S. q. 39. a. 4.

1346. *Ab irregularitate ex defectu lenitatis episcopi dispensare non possunt*, sed a Summo Pontifice dispensatio petenda est, quamvis irregularitas sit occulta. L. 469. « Praelati autem Regulares bene possunt cum suis subditis dispensare in hac irregularitate ». L. 469.

1347. *Ex defectu bonae famae* omnes infames irregulares sunt, C. *Infames* 17. c. 6. q. 1., sive infamia sit *facti*, sive sit *iuris*. Infamia *facti* dupliciter habetur. Ea *primo* habetur per confessionem rei in iudicio, vel per sententiam iudicis saltem declaratoriam criminis, infamiam inferentis apud honestos et probos viros, licet in Iure nulla expresse infamia notetur. *Secundo* infamia *facti* est *mere facti*, seu popularis, eaque ex quocumque item crimine et conditione est personae, eam obscurante et vilem reddente in communi hominum existimatione, absque ullo etiam iudiciario actu. — Infamia *iuris* dupliciter quoque habetur. Ea enim habetur *primo* per sententiam iudicis, infamiae notam infligentem. Habetur *secundo* sine sententia iudicis, per ipsum Ius, quo infamiae nota infligitur; scilicet ex crimine vel ex personae conditione est in Iure *notata*, tanquam maculante et infamante. Infamia *facti* proprie *indignum* reddit; infamia *iuris* proprie reddit *irregularem*. — Infamia *haec* habetur *primo* per delictum *qualificatum, evidens et publicum*, seu saltem ita *notorium*, ut nulla possit tergiversatione celari. *Qualificatum*, h. e. cui a Iure infamia annexa est. Crimina autem, quibus de Iure annexa est infamia, sunt homicidium, periurium factum in iudicio, haeresis, simonia, sodomia, crimen laesae maiestatis, adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio Cardinalium, vel Episcoporum, raptus mulierum, seu ad illum cooperatio, duellum, paratio armorum contra parentes, exercitium histrionum cum turpibus repraesentationibus, ita ut non fiat sine peccato mortali, non item ars macellatoris, carnificis, lictoris, etc., cum haec officia bene exerceri possint sine peccato, aliaque, quae ex Iure infamiam inducunt. Cf. La-Croix 562. seqq., Salm. C. 8. n. 78. seqq., Picl. l. 1. tit. 11. n. 21. Trid. S. 24. C. 6. de R. M., S. 25. C. 19. de R., Cau. 6. q. 1. Cap. 17. — Potest *secundo* haec irregularitas incurri ob infamiam etiam alienam, prout incurrunt filii eorum, qui damnati sunt ob delictum laesae maiestatis, filii nati ex meretrice, filii haereticorum, et etiam nepotes per viam masculinam ab iis descendentes, modo tamen sit notorium parentes fuisse haereticos, et in haeresi decessisse. Ut autem omnes hi irregula-

ritatem incurrant, opus est, ut nati sint post delictum. Sanch. l. 2. c. 27. n. 14. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 24. n. 21. Const.[em] refert Cap. *In quibusdam, de Poenis,* in qua filii patroni occidentis rectorem Ecclesiae usque ad 4.[am] generationem fiunt irregulares ultra amissionem iuris patronatus pro omnibus. Id autem de filiis tantum valet natis post crimen a patre commissum. — Lugo de Fide D. 23. S. 4., Bizzarri p. 470. seqq.

1348. *Infamia mere facti tollitur vel per baptismum vel per notoriam emendationem, vel etiam per mutationem loci.* Infamia *facti ex iudicis sententia* tollitur aut per dispensationem, aut per aliam sententiam, qua reo sua fama restituatur. Infamia *iuris,* quae proprie irregularitas est, non nisi per dispensationem tollitur. — Episcopus dispensare non potest, ut infamis infamia *facti* ad sacros ordines ascendat; potest tamen, ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit poenitentiam. — Irregularitas ob crimen parentum, vel ob officium infame tollitur per ingressum in religionem. Possunt etiam regulares ex privilegiis Pii IV. et S. Pii V. in hac irregularitate dispensare cum suis subditis. — L. 352. 362.-364. 454., Suarez D. 48., S. C. C. 9. Aug. 1890., S. O. 11. Jul. 1884. A. S. S. V. 23. p. 619. seq. 700.

DE INDULGENTIIS

1349. *Quid sit indulgentia?* — « Indulgentia remissionem et facilitatem, sive, ut sic loquamur, condescensionem in Scripturis sanctis, aliisque auctoribus... significare solet ». Bellarm. de Indulg. l. 1. c. 1. Hinc Indulgentia, theologice sumpta, definitur: remissio poenae temporalis, Deo debitae pro peccatis quoad culpam remissis, concessa a legitimo ministro extra sacramentum poenitentiae, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum.

Remissio poenae temporalis; remissio enim *poenae aeternae* una cum *remissione culpae mortalis* non obtinetur nisi per sacramentum poenitentiae, vel per caritatem et contritionem perfectam cum voto sacramenti. Remissa autem culpa et poena aeterna, non semper remittitur poena temporalis, peccato etiam debita. S. Th. 3. p. q. 80. a. 4. Porro poena haec temporalis, ea est quae deinde per opera satisfactoria et per Indulgentiam in hac vita remittitur, secus erit post hanc vitam in Purgatorio luenda. Idem proportionata ratione dicendum est de peccato veniali, cui nonnisi temporalis poena debetur. S. Th. l. c. Eius *culpa* caritate aliisque piis actibus remittitur, quibus etiam remittitur temporalis poena; sed haec iterum non semper tota remittitur, unde vel per alia satisfactoria opera vel per Indulgentiam remittenda est in hac vita, secus in Purgatorio post hanc vitam et ipsa luenda erit. Trid. S. 6. c. 30., S. 14. C. 5. 8. 9. c. 12. 15., S. Th. 4. D. 16. q. 2. a. 2. q. 4., D. 17. q. 2. a. 5. q. 2., S. q. 15. a. 3. Quare indulgentia neque remissio est *reatus culpae,* Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 18. n. 7., Suarez de Poenit. D. 50. S. l. n. 14., neque remissio est *reatus poenae aeternae;* sed remissio tantum est reatus poenae temporalis, adhuc peccato debitae. *Poenae temporalis,* nempe a Deo in Purgatorio infligendae, adeoque remissio coram Deo est. Minime vero mera remissio est vel poenitentiae, a confessario impositae vel imponendae poenitenti,

vel poenitentiae canonicae, quam olim Ecclesia infligebat. Indulgentia tunc *maxime salutaris*, Trid. S. 25. Decr. *de Indulg.*, nobis non esset. « Haec opinio, ait S. Th. 4. D. 20. q. 1. a. 3. q. 1., non videtur vera, primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret et in coelo remitteretur; unde remissio, quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei; et praeterea Ecclesia, huiusmodi Indulgentias largiens seu dans, magis damnificaret, quam adiuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet Purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis ». Quamvis autem indulgentia sit remissio poenae temporalis, et ex hoc capite nos liberat ab aliis operibus satisfactoriis; haec tamen non ideo possumus absolute negligere; siquidem ea inserviunt simul et ad satisfaciendum pro peccatis commissis, et ad peccata in posterum praecavenda. S. Th. Quodl. 2. a. 16. ad 3.

Remissio haec temporalis poenae fit per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum, vi *communionis sanctorum*, quae in Ecclesia adest, et potestatis qua unus potest pro alio satisfacere. « Opus unius, ait S. Th. Quodl. 2. a. 16., potest esse satisfactorium pro alio, ad quem per intentionem facentis refertur. Christus autem pro Ecclesia sua sanguinem suum fudit, et multa alia fecit et sustinuit, quorum aestimatio est infiniti valoris propter dignitatem personae..., similiter etiam et omnes alii Sancti intentionem habuerunt in his quae passi sunt, et fecerunt propter Deum, ut hoc esset ad utilitatem non solum sui, sed etiam totius Ecclesiae ». Cf. C. Gent. l. 3. C. 158. n. 4. Porro satisfactiones pretii infiniti Jesu Christi, quibus accedunt satisfactiones Beatae Virginis, nec non *superabundantes* satisfactiones Sanctorum *thesaurum Ecclesiae* constituunt, de quo per *indulgentias* participamus. Extrav. *Unigenitus* 2. *de Poenit. et remiss. Superabundantes:* « Et ideo, ait S. Th. 4. D. 20. q. 1. a. 3. q. 1., dicendum quod (indulgentiae) valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad iudicium Dei, ad remissionem poenae residuae post contritionem et absolutionem et confessionem, sive sit iniuncta, sive non. Ratio autem quare valere possunt est unitas corporis mystici, in qua multi operibus poenitentiae *supererogaverunt* ad mensuram debitorum suorum; et multas etiam tribulationes iniuste sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt, et praecipue propter meritum Christi, quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate efficaciam sacramentorum excedit. Dictum est autem supra a. 2. q. 3., quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt; alias absque omni indulgentia remissionem consequeretur: sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus dicit ad Coloss. 1., se implere ea quae desunt Passioni Christi in corpore suo pro Ecclesia, ad quam scribit. Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem, quae sunt communia multitudinis alicuius distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius, qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset; ita si ei satisfactio alterius sibi per eum, qui potest, distribuatur ». Cf. Quodl. 2. a. 16., S. q. 25., L. l. 6. n. 531., E. M.

1350. *An Ecclesia potestatem habeat indulgentias concedendi?* — R. Affirmative, et de fide est. Trid. S. 25. Decr. *de Indulg.*, Pius IV. B. *Iniunctum nobis* 18. Nov. 1564. — Indulgentiae autem sine causa concedi non possunt, neque licite, neque valide. Ratio, quia praelati Ecclesiae non sunt nisi delegati Christi ad thesaurum Ecclesiae dispensandum. L. l. 6. n. 532. Iam vero « quaecumque causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae vergat et honorem Dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi ». S. Th. 4. Sent. D. 20. q. 1. a. 3. q. 2. — Indulgentias concedere potest « Papa principaliter, alii vero in quantum potestatem ab eo accipiunt vel ordinariam vel commissam seu delegatam ». S. Th. Quodl. 2. a. 16., Suarez de Poenit. D. 53. — Hanc facultatem potest Summus Pontifex delegare et episcopis et simplicibus sacerdotibus. Immo, ut ait S. Th. Quodl. 2. a. 16. ad 2., « indulgentia non se extendit ad remissionem culpae, quia non est sacramentalis, unde non sequitur *ordinem*, sed *iurisdictionem;* potest enim et non sacerdos indulgentiam facere, si sit ei commissum ». Hinc 1.° applicatio indulgentiarum fit extra sacramentum. 2.° Episcopus electus et canonice institutus, quamvis non adhuc consecratus, indulgentias concedere potest, minime vero episcopus *titularis*, vel *coadiutor*, vel *dimissionarius*. S. C. Indulg. 12. Januar. 1878. ad 4. 3.° Indulgentiae *personales* concessae ab episcopo, acquiri possunt tantum a dioecesanis, cum a iudice non suo ligari nullus valeat vel absolvi. C. *Quod autem* 4. *de Poenit. et remiss.* Potest vero episcopus indulgentias concedere suis subditis extra suam dioecesim versantibus, quia iurisdictionem personalem habet in illos. — S. Th. S. q. 26., L. l. 6. n. 532. 533.

1351. *Quinam in particulari indulgentias concedere possint?* — 1.° Summus Pontifex pro universo catholico orbe quascumque indulgentias concedere potest pro vivis et pro defunctis. Concilium Generale hanc etiam habet facultatem una cum Summo Pontifice. Concilium vero Provinciale hanc non habet potestatem. S. Th. Quodl. 2. a. 16. — 2.° Episcopi concedere possunt annum indulgentiae die dedicationis seu consecrationis Ecclesiae, et quadraginta dies aliis temporibus; et hae indulgentiae defunctis applicabiles non sunt. C. *Cum ex eo* 14. *de Poenit. et remiss.* Non potest episcopus indulgentias concedere fidelibus alterius dioecesis. Possunt tamen peregrini lucrari indulgentias *locales*, visitando, e. g., Ecclesiam seu oratorium, cui concessa est indulgentia. Episcopus autem successor non potest eidem obiecto vel pietatis actui alios addere quadraginta dies indulgentiarum. Neque vero possunt episcopi quadraginta indulgentiarum dies concedere singulis partibus alicuius pii operis, vel singulis alicuius orationis verbis. S. C. Indulg. 12. Jan. 1878. — Archiepiscopi possunt concedere easdem indulgentias ac episcopi, tum in propriis dioecesibus, tum in illis propriae provinciae. C. *Nostro* 15. *de Poenit. et remiss.* — Insuper episcopi facultatem habent benedictionem dandi cum Indulgentia plenaria in articulo mortis, et aliis hanc facultatem delegandi, Bened. XIV. C. *Pia mater*. Pro hac benedictione ritus servandus est in Rit. Rom. praescriptus. — 3.° « Episcopus in partibus infidelium, quamvis auxiliarius Ordinarii alicuius dioecesis, Indulgentiam 40. dierum concedere non potest, sicut dioecesanus ». S. C. Indulg. 12. Jan. 1878. — 4.° Nuntii et Legati Apostolici possunt, vi concessionum, quae ipsis fiunt a Summo Pontifice, locis propriae Nuntiaturae seu Legationis indulgen-

tias concedere pro pio aliquo opere centum, vel ter centum dierum, dummodo annum non attingant. Possunt Ecclesiae vel Capellae concedere indulgentias septem annorum et septem quadragenarum pro fidelibus omnibus, qui receperint poenitentiae et eucharistiae sacramenta, et qui visitaverint praedicta sanctuaria, ibique oraverint ad intentionem Summi Pontificis. — 5.° Cardinales concedere possunt indulgentias centum dierum in propriis Ecclesiis titularibus, quum assistunt sacris functionibus festis diebus. Ex tacito saltem consensu Summi Pontificis potest Cardinalis maior Poenitentiarius concedere Romae centum dies indulgentiarum. — 6.° Vicarii apostolici, Vicarii generales, Vicarii capitulares, Abbates, Generales, Provinciales ordinum religiosorum, parochi et confessarii nullam possunt concedere indulgentiam, sine speciali Sanctae Sedis facultate. C. *Accedentibus* 12. *de Excess. prael.* S. C. de P. F. 24. Aug. 1852. Cf. Suarez D. 55. S. 5. n. 2., S. Th. S. q. 26., La-Croix 1317. seqq., E. M.

1352. *Nota:* Illi, qui impetrant *generales concessiones* indulgentiarum, *generales* non *personales,* pro recitatione, e. g. precum, etc., deferre debent *sub poena nullitatis* exemplar earumdem concessionum ad Secretarium S. C. Indulg. Ead. S. C. 28. Jan. 1756., 14. Apr. 1856., — Trid. S. 21. C. 9. de R.

1353. *Quid in Concessionibus indulgentiarum significent verba: in forma Ecclesiae consueta?* — Verba *in forma Ecclesiae consueta,* quae adhibentur in Concessionibus seu Indultis, nihil aliud significant, nisi quod indulgentiae conceduntur fidelibus *vere poenitentibus*, seu *vere contritis.* Lavorius Tr. De Iubilaeo et Indulg. P. 2. c. 14., Theod. a Sp. S. P. p. 284. Neque vero significant specialem aliquam formulam esse adhibendam in piorum obiectorum benedictione, ut illis indulgentiae applicentur. Ad hoc enim sufficit simplex crucis signum, praeter Rosaria PP. Praedicatorum et Servitarum, pro quibus praescripta formula requiritur. S. C. Indulg. 11. Apr. 1840., 7. Jan. 1843., 29. Febr. 1864. — Possunt plura obiecta simul benedici, eisque indulgentiae applicari. S. C. Indulg. 12. Mart. 1855. Eidem obiecto possunt plures indulgentiae applicari. Et sic eidem coronae applicari possunt indulgentiae apostolicae, PP. Praedicatorum, Crucigerorum, S. Birgittae. Ad eas tamen lucrandas renovanda sunt opera iniuncta iterabilia. S. C. Indulg. 29. Febr. 1820. — Applicari generatim possunt indulgentiae quibuslibet rebus *solidis* et duraturis, minime vero fragilibus. S. C. Indulg. 24. Jan. 1846. Speciatim vero benedici possunt coronae seu rosaria ex chalibe polito *(acciaio polimentato)* ex ferro, stamno, plumbo, et ex vitro solido ac compacto. S. C. Indulg. 29. Febr. 1820., 22. Mart. 1839. — An autem possit quis easdem indulgentias pluries in die lucrari, pluries iterando opera iniuncta, ex alia Concessionis seu Indulti clausula, *toties, quoties*, est definiendum. Si Concessio seu Indultum nihil determinet, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiae. Et sic eodem die pluries obtineri non possunt indulgentiae *Stationum,* seu *Visitationis Ecclesiae.* E contrario pluries obtineri possunt indulgentiae Rosarii, actuum Fidei, Spei, Caritatis, etc. — E. M.

1354. *Quibusnam indulgentiae applicari possint?* — Cum *viventes* auctoritati subsint Ecclesiae, *directe* illis Ecclesia remittit *per indulgentias* temporales poenas; et consequenter dicitur indulgentias concedi

per modum solutionis et absolutionis, eas nempe poenas solvendo per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum. S. Th. 4. D. 20. q. 1. a. 3. q. 1. ad 2. — Indulgentiae *defunctis,* in Purgatorio degentibus, etiam applicari possunt, eisque applicantur *per modum suffragii,* cum Ecclesia iurisdictionem amplius non habeat in animas, quae in Purgatorio detinentur. *Per modum suffragii,* offerendo nempe Deo partem satisfactionum Christi et Sanctorum, quae concessae indulgentiae respondeat, Deum rogando, ut velit solari animas purgatorii, eis tantam poenam remittendo, quantam indulgentiae obtentae respondeat. Affirmari autem infallibiliter non potest effectus realis talis indulgentiae, an nempe totaliter et tali animae applicetur. Deus enim nullam huius rei fecit formalem promissionem. Sed, attenta communicatione Sanctorum, pie admodum credi et sperari potest. S. C. Indulg. 28. Iul. 1840. Hinc valde utile est applicare defunctis, maiorem, quam possumus, indulgentiarum numerum. Quare « licet effectus indulgentiarum pro vivis sit infallibilis, non est tamen infallibilis pro defunctis, cum pro eis nulla adsit promissio, unde Deus ipsas acceptat tantum ad suum beneplacitum ». L. l. 6. n. 534. Idque confirmatur ex usu et praxi Ecclesiae, celebrandi per complures annos ac pro eisdem animabus sacra, v. g. anniversaria, etiam in altaribus privilegiatis, seu quibus inhaeret privilegium indulgentiae plenariae. Inanis autem ista praxis esset, si infallibi constaret certitudine, quod statim, primo sacro illis applicato, liberarentur. — Omnes et singulae indulgentiae, quae recensentur in *Collectione precum* etc. vulgo *Raccolta di orazioni* etc. fidelibus etiam defunctis applicabiles sunt. S. C. Indulg. 30. Sept. 1852. — S. Th. S. q. 27. a. 4., q. 71., Lugo D. 27. n. 58., La-Croix 1336., Billuart Append. art. 6., E. M.

1355. *Quotuplex sit Indulgentia?* — Indulgentia alia est *plenaria,* alia *partialis.* Plenaria est illa, qua tota poena temporalis peccatis debita remittitur. Partialis autem illa est, qua aliqua certa quantitas praedictae poenae remittitur. S. Th. Quodl. 2. a. 16. Porro indulgentia partialis, e. g., quadraginta dierum vel unius anni, non importat remissionem poenae Purgatorii quadraginta dierum vel unius anni, sed remissionem tantum illius poenae Purgatorii, quam quis olim obtinuisset coram Deo per poenitentiam canonicam quadraginta dierum vel unius anni. Quanta autem sit remissio poenae Purgatorii respondens praedictae canonicae poenitentiae ignota nobis res est, et divinae reservatur misericordiae. — Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 17., S. Th. S. q. 28., L. l. 6. n. 530. 535.

Indulgentia praeterea alia est *localis,* alia *personalis,* alia *realis.* Localis est illa, quae affixa est loco determinato, e. g., determinatae ecclesiae, determinato sacello et altari, statuae vel imagini, in aliquo Sanctuario collocatae. Personalis *strictius* est illa, quae alicui vel aliquibus personis conceditur, quin omnibus fidelibus concedatur. *Minus stricte* autem est illa, quae independenter a loco determinato, vel a determinato obiecto, fidelibus conceditur, propter aliquem pietatis actum. Realis tandem est illa, quae adnectitur portatilibus devotionis obiectis seu rebus, e. g., crucifixo, numismati, rosario, parvae statuae, etc. Indulgentia haec realis regulariter personalis etiam est, siquidem regulariter soli harum rerum proprietarii, quibus primum praedictae res traditae sunt, indulgentias lucrari possunt. Ac si eaedem res aliis commodentur, *ut indul-*

gentias lucrentur, vel eis donentur, indulgentiae amittuntur. S. C. Indulg. 6. Febr. 1657., 3. Febr. 1745. Obiecta benedicta neque vendi neque permutari possunt, secus indulgentiae amittuntur, S. C. Indulg. 4. Iun. 1721., 4. Dec. 1722. Quin immo, si quis ea emat, ut deinde benedicta distribuat, neque eorum pretium repetere potest, neque aliquid titulo etiam eleemosynae, quin indulgentiae amittantur. S. C. Indulg. 22. Febr. 1847., 31. Ian. 1837., 16. Iul. 1887. Huiusmodi autem indulgentiae reales perdurant quamdiu saltem moraliter non destruatur obiectum; et sic, si rosarium reficiatur, quia aliquot grana amissa sunt, non ideo amittuntur indulgentiae. S. C. Indulg. 10. Ian. 1839.

Indulgentia insuper alia est *perpetua*, alia *temporanea*. Prior perdurat usquedum revocetur; posterior non nisi tempore determinato perdurat, v.^g., tribus, quinque, septem annis. Indulgentiae autem *ad beneplacitum Romani Pontificis* seu *Sedis Apostolicae* concessae, perpetuae censentur, quia non ad *personam*, sed ad *dignitatem* referuntur. Reg. 16.ª Iuris in 6.°

Indulgentia tandem alia est tantum *pro vivis*, alia tantum *pro defunctis*, alia *pro vivis* cum facultate eam applicandi defunctis. Indulgentia haec pro vivis concessa et defunctis etiam applicabilis non significat, quod quis bis indulgentiam lucrari possit sibi et defunctis, sed dumtaxat quod possit eam lucrari pro libito suo vel pro se vel pro defunctis. S. C. Indulg. 15. Ian. 1839. Ut igitur indulgentia defunctis possit revera applicari requiritur: 1.° ut tanquam *applicabilis* defunctis in Pontificio Indulto concedatur, 2.° ut adsit intentio talem applicationem faciendi. Suarez D. 53. S. 14. Applicari autem potest vel generatim omnibus animabus in Purgatorio degentibus, vel in particulari aliquibus vel alicui tantum.

1356. *An ad lucrandas indulgentias intentio praerequiratur?* — R. Affirmative, nam indulgentia gratia est, quae fit volentibus ea frui; et ideo semper opera quaedam implenda praescribuntur. Verum necesse non est, ut haec intentio sit *actualis*, sed sufficit intentio *virtualis*, quae nempe semel habita et non revocata, nos movet ad opera praescripta implenda. An autem sufficiat etiam intentio mere *habitualis*, i. e. semel habita et non retractata, quin ea nos moveat ad opera praescripta implenda, controvertitur. Graves doctores affirmant, quia indulgentia conceditur ab Ecclesia per modum *solutionis* pro opere imposito. Hoc ergo praestito, vis clavium Ecclesiae poenam solvit. Cf. Schmalz. l. 5. t. 38. n. 133. In indulgentiarum libro *la Raccolta* p. XII. dicitur: « necesse est habere saltem *in generali* intentionem lucrandi indulgentias ». Quare sufficit, si quis mane intentionem efformet lucrandi, durante die, omnes indulgentias, quae adnexae sint piis operibus, quae quis sit facturus. Neque vero necesse est scire determinate quaenam hae indulgentiae sint, et an reapse sint. — Laymann l. 5. Tr. 7. c. 6. n. 5., Diana Tom. 4. Res. 18., Billuart App. de Indulg. art. 5., Lugo de Poenit. D. 27. n. 80.

1357. *An ad lucrandas indulgentias requiratur, ut sit quis in statu gratiae?* — R. Affirmative. « Nulli potest dimitti poena, nisi cui iam est dimissa culpa ». S. Th. 4. D. 20. q. 1. a. 5. q. 1., L. l. 6. n. 533. 534. Indulgentia praeterea ab intentione concedentis pendet. Porro indulgentia non nisi contritis et confessis conceditur. S. Th. S. q. 27. a. 1. Attamen, si in-

dulgentia plenaria plura requirat pietatis opera, satis est, ut ultimum in statu gratiae perficiatur. *Raccolta* p. XII., L. l. c. Si, cum confessio praescripta est, post confessionem in grave quis incidat peccatum, sufficit contritionis actus, et nova tantum requiritur confessio in Iubilaeo. S. C. Indulg. 15. Mart. 1852.

1358. *An qui sit in statu peccati mortalis possit saltem indulgentias lucrari pro animabus Purgatorii?* — S. C. Indulg. respondit 22. Febr. 1847. *Consulat probatos auctores.* Atqui probati auctores alii affirmant, alii negant. L. l. 6. n. 534.

1359. *An peccatum veniale sit obex ad lucrandam indulgentiam?* — « Certum est peccatum veniale non remissum quoad culpam, non posse remitti quoad poenam. Ita S. Th. S. q. 27. a. 1., quem sequuntur Viva, Sporer et alii passim. Illud tamen veniale non impedit, quominus remittatur poena debita aliis peccatis iam remissis... Nec obstat indulgentiam plenariam concessam fuisse sub ratione totalis remissionis, ita ut si poenam non tollat illius venialis non remissi, nullam tollat. Nam respondetur, quod sicut non repugnat culpam alicuius venialis remitti, quin remittatur culpa aliorum, ita et poena. Pontifex autem, concedendo indulgentiam plenariam, non praesumitur velle eam restringere tantum ad eos, quibus remittuntur omnia venialia, sed potius illam concedere iuxta capacitatem subiecti, ut remittatur saltem poena venialium illorum, quorum culpa remissa est ». L. l. 6. n. 534. Atque hinc patet, quod possit quis acquirere plures indulgentias plenarias eadem die. S. C. Indulg. 27. Maii 1841. Nemo tamen potest lucrari secundam indulgentiam plenariam, si post primam nulla amplius poena luenda supersit.

1360. *Quid generatim requiratur quoad impletionem operum iniunctorum ad acquirendas indulgentias?* — Ea quis pie et devote *personaliter et integraliter* implere debet, tempore et loco aliisque circumstantiis in indulto constitutis. S. C. Indulg. 21. Mart. 1820. *Personaliter;* eleemosyna tamen in Iubilaeo praescripta, per alium impleri potest. *Integraliter;* parva omissio indulgentiam lucrari non impedit; parum pro nihilo reputatur. Nullo autem determinato *ordine* inter se impleri debent. Formula illa, *qui vere poenitentes confessi ac S. communione refecti ecclesiam visitaverint*, importat quidem confessionem esse peragendam etiam ab illis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, quae tamen confessio suffragari etiam potest si expleatur in vigilia festivitatis; verum ecclesiae visitatio impleri potest sive ante sive post aliorum piorum operum implementum. S. C. Indulg. 19. Maii 1759. — Cum in partialibus Indulgentiis clausula additur: *corde saltem contrito*, contritio requiritur solum ut dispositio, non ut opus iniunctum, adeoque necesse non est ut contritionis actus eliciatur ab iis, qui sunt in statu gratiae. S. C. Indulg. 17. Dec. 1870. — Opus, quod aliunde ex obligatione est perficiendum, sufficere non potest ad indulgentiam lucrandam, sine expressa concessione Summi Pontificis. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 53., S. C. Indulg. 29. Maii 1841., 7. Mart. 1888. Cf. Bened. XIV. Inst. 53. § 11. Eodem autem pio opere, cui variis titulis indulgentiae adnexae sunt, possunt omnes lucrifieri; dummodo opera iniuncta vere iterari nequeant, vel non soleant, sicut confessio, nisi sit aliunde necessaria. S. C. Indulg. 12. Ian. 1878. ad 3. — SSmus annuit,

« ut infirmi aut senio confecti in communitate, et sub regula viventes, qui ecclesias aut oratoria visitare, aliave pro indulgentiis praescripta exsequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera confessarii arbitrio praescribenda ». Leo XIII. 16. Ian. 1886. Idem privilegium iam antea concesserat Pius IX. 18. Sept. 1862. habitualiter infirmis extra communitatem, e domo egredi impotentibus. — S. Th. S. q. 27. a. 3., L. l. 6. n. 533. 534.

1361. *Quandonam peragendae sint confessio et communio?* — Pro indulgentia iubilaei, vel in forma iubilaei omnia opera praescripta, adeoque etiam confessio et communio peragenda sunt tempore designato pro duratione Iubilaei. — Pro aliis indulgentiis confessio et communio non semper est requisita. Et sic necessaria non est pro indulgentiis *Viae Crucis*. Requiritur tamen ordinarie quoad plerasque indulgentias plenarias. Porro confessio et communio in pervigilio peragi possunt festivitatis, seu diei cui indulgentiae affixae sunt. S. C. Indulg. 19. Maii 1750., 22. Iun. 1822., 6. Oct. 1870., *Raccolta* p. XXI., L. l. c. n. 534. — Cum ad lucrandam indulgentiam praescribitur confessio, omnibus ea necessaria est, etiam illis, qui iam sunt in statu gratiae; pro his vero sufficit tantum confessio sine absolutione. S. C. Indulg. 19. Maii 1759., 20. Aug. 1822., 15. Dec. 1841., 6. Maii 1852. — Omnes illi, qui consuetudinem habent confessionem singulis *hebdomadis* saltem semel peragendi, lucrari possunt *omnes* et *quascumque* indulgentias; quae occurrunt ab una ad aliam confessionem, excepta indulgentia iubilaei, aliisque concessis ad instar iubilaei. Confessio tunc necessaria esset tantum, si graviter peccaverint. S. C. Indulg. 9. Dec. 1763., 5. Mart. 1855., 4. Dec. 1843., 23. Nov. 1878., 25. Febr. 1886., *Raccolta* p. XVII. XVIII. — Communio paschalis sufficit ad lucrandas indulgentias affixas eidem diei vel diei sequenti. Eadem tamen non sufficit ad lucrandam indulgentiam iubilaei. Idemque de confessione dicendum est. S. C. Indulg. 10. Maii 1844., 19. Mart. 1841., 15. Dec. 1841., 10. Maii 1884. — Extra iubilaeum eadem confessio et communio sufficit ad lucrandas plures indulgentias plenarias eadem die vel sequenti, dummodo tamen alia praescripta opera impleantur. S. C. Indulg. 29. Maii 1841., 29. Febr. 1864. — Cum ad lucrandam indulgentiam localem vel personalem determinata ecclesia est visitanda, necessarium non est in eadem ecclesia communionem recipere, nisi etiam hoc praescriptum fuerit. Quod si communio in ea recipiatur eadem die, cui adnexa est indulgentia, et preces fundantur ad intentionem Summi Pontificis, necesse non est alteram facere visitationem. *Raccolta* p. XXV. — Cum in articulo mortis possibile non sit communionem recipere, sufficit tunc ad lucrandam indulgentiam plenariam invocare cum contritione, et saltem corde, si ore non possit, Nomen Iesu. — E. M.

1362. *Quaenam sint preces recitandae?* — Preces regulariter recitandae secundum intentiones Summi Pontificis vel secundum ordinarias intentiones, non sunt saepe determinatae. Quare quis liber est eas recitare preces quas velit. S. C. Indulg. 29. Maii 1841., 13. Sept. 1888. Preces tamen *vocales* recitandae sunt. S. C. Indulg. 13. Sept. 1888., Bened. XIV. *Convocatis* 25. Nov. 1749. § 51., Enc. ad Poenit. rom. *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749. § 83. Preces in ecclesia recitandae sunt, si praescribatur ecclesiam visitare, ibique preces fundere, secus quolibet in loco recitari

possunt. *Raccolta* p. XXIV. Preces flexis genibus recitandae non sunt, nisi id etiam praescribatur. S. C. Indulg. 18. Sept. 1862. *Raccolta* p. XV. Potest autem quis eas recitare solus, vel cum socio alternatim iuxta morem. S. C. Indulg. 29. Febr. 1820. Toties preces recitandae quot sunt indulgentiae diversae, quas quis eadem die lucrari velit. *Raccolta* p. XXV. — Intentiones Summi Pontificis, quas fere semper exigit, sunt catholicae Ecclesiae exaltatio, propagatio fidei, haereseos et schismatis extirpatio, conversio peccatorum, pax et concordia inter principes christianos, aliaeque christiani populi necessitates. Necesse non est explicite has intentiones habere; sufficit generatim orare ad intentionem Summi Pontificis. S. C. Indulg. 22. Febr. 1847. — Orationes, quibus indulgentiae adnexae sunt, possunt in qualibet lingua recitari, dummodo *traductio* fidelis sit. Ut constet de fidelitate *traductionis*, sufficit Declaratio Card. Praefecti S. C. Indulg., vel Episcopi loci, cui lingua vulgaris sit illa traductionis. S. C. Indulg. 29. Dec. 1864. Excipitur parvum Officium B. Mariae V., quod latine est recitandum. S. C. Indulg. 13. Sept. 1888. Item dicendum de Officio Defunctorum. — Pro surdis-mutis, quando ecclesiae visitatio praescribitur, sufficit devote ecclesiam visitare; quando preces publicae praescribuntur, sufficit corde orare, dummodo simul cum aliis fidelibus in eodem loco reperiantur; quando privatae preces praescribuntur, confessarius eas commutare potest in alios pios actus aliquo modo sensiles. S. C. Indulg. 15. Mart. 1852. *Raccolta* p. XVI. — E. M.

1363. *Quomodo perficienda ecclesiae visitatio?* — Visitatio ecclesiae perficienda est ad lucrandas indulgentias, quando ea praescribitur, et in determinata ecclesia efficienda est, si ea sit ex indulto determinata. *Raccolta* p. XXI. Necesse non est in ecclesiam intrare. Si ecclesia clausa sit, vel impossibile sit in eam intrare ob aliam rationem, sufficit tunc ad ianuam orare. « Exsistens prope fores ecclesiae in eadem esse censetur ». Lavorius de Iubilaeo P. 1. c. 18., L. l. 6. n. 534. Sacella monasteriorum, seminariorum, aliarumque piarum societatum, ad quae omnibus fidelibus ex publica via liber accessus non est, non censentur oratoria publica in ordine ad lucrandas indulgentias. S. C. Indulg. 22. Aug. 1842. Visitatio ecclesiae pedibus vel curru fieri potest. Ut plures quis lucretur indulgentias visitationem ecclesiae praescribentes, plures efficere debet visitationes, egrediendo et iterum ingrediendo in ecclesiam. S. C. Indulg. 29. Febr. 1864. *Raccolta* p. XXIII.

1364. *Quonam tempore implenda sint praescripta opera?* — Implenda sunt tempore determinato in ipso indulto. S. C. Indulg. 25. Sept. 1841. Confessio tamen et communio, ut dictum est, semper in pervigilio fieri possunt. Tempus indulgentiae pro una die determinata concessae incipit a media nocte ad mediam noctem, nisi aliud exprimatur. S. C. 12. Ian. 1878. — Pius IX. 9. Aug. 1852. Decreto *Urbis et Orbis*, « benigne mandavit, ut omnes indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt, ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum, vel eius octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa huiusmodi *etiam quoad solem-*

nitatem tantum, et externam celebrationem, non vero quoad officium et missam, in aliquibus locis, vel ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur *tantum officium cum missa, non autem solemnitas, et exterior* celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit ». — E. M.

1365. *An, quando facultas conceditur commutandi opera iniuncta, ad lucrandas indulgentias, commutatio in confessione fieri debeat?* — Standum, ait Gury 1056., regulae quam tradit Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 63., ubi statuit huiusmodi commutationes in sola confessione faciendas esse. Recensita enim controversia de commutatione votorum, absolutione a censuris, ac potestate dispensandi in aliis materiis, seu opera praescripta commutandi; num haec omnia fieri debeant a confessario in actu sacramentalis confessionis, necne, ita concludit: *Nos vero ad omnem difficultatem tollendam, in instructione*, C. Convocatis, *iniunximus, non posse a poenitentiariis ullas absolutiones, commutationes, ac dispensationes dari extra actum sacramentalis confessionis: idque nobis et congruum esse, et materiae gravitati ac ministerii qualitati conveniens visum est, atque omnem controversiae ansam eripit, et conforme est praxi Poenitentiariae nostrae apostolicae.* Verum Baller. ib. observat Benedictum XIV. l. c. loqui de facultatibus concessis, ac modo iis utendi, occasione Iubilaei a. 1750., non vero statuere legem generalem. Unde concludit, tunc solum commutationes, etc., necessario faciendas esse in confessione, quando in concessione facultatis eiusmodi conditio expresse cavetur. Enimvero ex variis Responsis S. Poenit. 16. Mart. 1865., 30. Ian. 1886. res est, quae pendet ex voluntate concedentis Indulgentiam. Si positive non concedatur, cum in Iubilaeis pro norma sit cit. Const. Bened. XIV. haec facultas reapse non habetur. S. C. Indulg. 15. Mart. 1852.

DE IUBILAEO

1366. *Quid sit Iubilaeum?* — Vox *Iubilaeum* deducitur, iuxta plures, ab hebraeo *iobel*, quod significat quinquagesimum, quia apud Hebraeos annus Iubilaei anno quinquagesimo recurrebat; vel, iuxta alios, ab eodem verbo significante sonum tubae, quo indicebatur quinquagesimus annus. Iuxta alios etiam Iubilaeum deducitur a *iubal* vel *iobal*, quod significat germinare, quia anno quinquagesimo terra non colebatur, et incolae fructibus sponte germinantibus vescebantur. Ad imitationem Iubilaei veteris testamenti, institutum est Iubilaeum ecclesiasticum, quod Romae primum celebrabatur, deinde vero in universo orbe cum plenissima peccatorum Indulgentia, magno gaudio et solemnitate coepit celebrari. Institutum est a Bonifacio VIII. C. *Antiquorum habet* 23. Febr. 1300., et quolibet anno centesimo erat celebrandum. Verum Clemens VI. Constitutione anni 1343. decrevit quinquagesimo quoque anno deinceps celebrandum. Ex decreto autem Urbani VI. quolibet anno trigesimo tertio; et ex statuto Pauli II. quolibet anno vigesimo quinto celebrari coepit. — Iubilaeum definitur, Indulgentia plenaria solemnis, quam Summus Pontifex aliquando

concedit omnibus fidelibus cum obligatione certa opera pia peragendi, tribuens simul confessariis specialem potestatem a peccatis censurisque reservatis absolvendi, ac pleraque vota commutandi. Hinc Iubilaeum non differt, nisi *accidentaliter*, ab Indulgentia plenaria ordinaria, scilicet ratione solemnitatis et privilegiorum ipsi adnexorum, et etiam ratione ubermarum et extraordinariarum gratiarum, quae illud concomitantur. Has enim gratias omnino speciales arguunt miri et stupendi effectus, quos Iubilaeum producere solet, etiamsi non fiant solemnes fidelium coadunationes, nec divinum verbum praedicetur.

1367. *Quotuplex sit Iubilaeum?* — Multiplex distinguitur Iubilaeum: *Iubilaeum maius*, quod regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui annus sanctus vocatur. Dicitur etiam Iubilaeum *ordinarium*, eo quod sit iure fixum et determinatum. — *Iubilaeum minus*, quod solet concedi a singulis Summis Pontificibus post uniuscuiusque exaltationem, et in aliis peculiaribus circumstantiis, et dicitur Iubilaeum *extraordinarium*. — *Generale*, quod conceditur universo orbi, cuiusmodi semper est Iubilaeum maius, et quandoque etiam Iubilaeum minus; sed concedi solet prius *Urbi*, seu *Romae soli*, antequam *Orbi* concedatur. — *Particulare*, quod conceditur alicui provinciae, civitati vel loco particulari, ut est celeberrimum Iubilaeum Ecclesiae *Aniciensi* concessum, quoties festum *Annuntiationis* B. Virginis in diem sacrum *Parasceves* incidit.

Annus integer ordinarie conceditur Romae ad lucrandum Iubilaeum *maius;* et anno sequenti sex menses concedi solent per extensionem omnibus aliis orbis christiani regionibus. Singulis autem parochiis ad Iubilaeum lucrandum conceduntur tantum quindecim dies vel tres hebdomadae. Iubilaeum *minus* etiam primum fit Romae, sed paucis hebdomadis, et deinde extenditur ad universum orbem, ut, decurrente anno, per tempus ab Episcopo determinandum fieri possit. Verum tum pro Iubilaeo *ordinario* tum pro *extraordinario* attendendum imprimis est ad tenorem Indulti concessi. Pius IX. ad longissimum tempus illud concessit occasione Concilii Vaticani. Leo XIII. integrum annum 1886. ac pro omnibus fidelibus ad lucrandum Iubilaeum constituit.

In Iubilaeo anni sancti, seu Iubilaeo *maiori* dum Romae celebratur, non anno sequenti, quo ad totum orbem Iubilaeum extenditur, suspenduntur extra Romam toto anno omnes aliae Indulgentiae tam plenariae quam particulares concessae pro vivis, non autem quae sunt concessae pro defunctis. Immo omnes indulgentiae, etiam quae alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt. S. C. Indulg. 16. Dec. 1749., Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 24. Excipiuntur a suspensione Indulgentiarum pro vivis: 1.° Indulgentiae pro moribundis; 2.° Indulgentiae pro oratione *Angelus;* 3.° Indulgentiae pro visitatione Sacratissimi Sacramenti solemniter expositi; 4.° Indulgentiae pro iis, qui comitantur SS. Sacramentum infirmis delatum; 5.° Omnes Indulgentiae, quae ab alio, quam a Papa, conceduntur, a Legatis *a latere*, Nunciis, Archiepiscopis, Episcopis. Bened. XIV. Br. *Cum nos nuper* 17. Maii 1749. Sed suspensa manet indulgentia benedictionis papalis, quam dant Archiepiscopi, Episcopi, etc. bis in anno. Clemens XIII. C. *Inexhaustum* 3. Sept. 1762. Suspenduntur pariter facultates concessae absolvendi a casibus et censuris reservatis, commutandi vota, dispensandi in irregularitatibus. Bened. XIV. Br. *Cum nos*

nuper 17. Maii 1749. § 4., C. *Inter praeteritos* § 32., C. *Convocatis* § 55. 56. Excipitur vero facultas episcopis concessa a Trid. S. 24. C. *Liceat* 6. de R., aliaeque facultates, quibus gaudent de iure communi, vel ex speciali Indulto, in particularibus casibus pro determinatis personis. Eademque exceptio facienda pro facultatibus concessis praelatis regularibus in favorem suorum subditorum. Aliae item sunt exceptiones. Bened. XIV. Br. *Cum nos nuper* § 3., S. Poenit. 1875. A. S. S. V. 8. p. 486. Verum cum non semper eaedem huius suspensionis conditiones serventur, attendendum item semper est ad tenorem Bullae Iubilaei. L. l. 6. n. 535. 536. Haec autem indulgentiarum et facultatum suspensio extra Romam, dum Romae Iubilaeum celebratur, eo spectat, ut fideles Romam adire invitentur. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 17.

1368. *Quid requiratur ad Iubilaeum lucrandum?* — Necesse est habere *intentionem* Iubilaeum lucrandi *virtualem* vel saltem *habitualem.* — Insuper exacte implenda sunt opera praescripta, eaque sine expressa Summi Pontificis facultate commutari non possunt. Hanc facultatem ordinarie Pontifex confessariis concedit pro impeditis. Laymann l. 5. Tr. 8. c. 8. n. 12. — In Iubilaeo generali, sive *maiori* sive *minori,* sequentia opera iniunguntur: *Ieiunium, Eleemosyna, Visitatio* Ecclesiarum, pie orando ad Summi Pontificis intentionem, *Confessio, Communio.* Bened. XIV. Br. *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749. pro Iubilaeo anni sancti, L. l. 6. n. 536. Pro Iubilaeo particulari attendendum est ad tenorem Indulti concessi; ordinarie tria tantum requiruntur, nempe *Confessio, Communio, Visitatio alicuius Ecclesiae.* — Opera iam aliunde ex obligatione debita inservire non possunt ad Iubilaeum lucrandum, nisi id a Summo Pontifice concedatur. Bened. XIV. Enc. *Inter praeteritos* § 53., L. l. 6. n. 536. 538. Quocumque ordine, prout quis velit, impleri possunt. Necesse tamen est, ut sit quis in statu gratiae quando ultimum implet. Bened. XIV. Enc. *Inter praeteritos* § 73. 77. Nulla vero est obligatio eadem perficiendi in una eademque hebdomada. S. Poenit. 16. Mart. 1865. A. S. S. V. 1. p. 176. — Impleri autem possunt in propria dioecesi, vel in alia dioecesi, sese conformando praescriptionibus Ordinarii loci. S. C. Indulg. 28. Nov. 1759. A. S. S. V. 8. p. 486., V. 18. p. 334. Potest item quis confessionem et communionem peragere in aliena dioecesi, cetera vero opera in propria, sese iterum conformando praescriptionibus Ordinarii loci. S. Poenit. 1875., 15. Ian. 1886., A. S. S. V. 8. p. 486., V. 18. p. 334. — Si Iubilaeum protrahitur pro itinerantibus in mari, possunt hi post reditum in patriam Iubilaeum lucrari, praescripta opera implendo, vel illud lucrari cum in aliquem stationis locum pervenerint. S. Poenit. 1875., A. S. S. V. 8. p. 485., L. 538. — E. M.

1369. *Quid de Confessione et Communione?* — Ad Iubilaeum lucrandum *confessio* necessaria est etiam illis, qui gravis peccati conscientiam non habent. Necessaria tamen non est *absolutio,* nisi in Bulla Iubilaei praescribatur. In hac etiam Iubilaei *confessione* confessarius sacramentalem poenitentiam imponere debet. Bened. XIV. C. *Convocatis* § 46. 64. 65., S. C. Indulg. 6. Maii 1852. — Si post peractam confessionem, et ante alia opera impleta incidat quis in peccatum grave, iterum confiteri debet ad Iubilaeum lucrandum, et non sufficit quod conteratur. Bened. XIV. C. *Convocatis* § 47., *Inter praeteritos* § 79. Alia tamen opera iam impleta non sunt iteranda. S. C. Indulg. 28. Nov. 1759. — *Annua* confessio ex obliga-

tione, licet quis bis ad confessionem accedat, et deinde semel absolvatur ad Iubilaeum lucrandum non sufficit, sine expressa Summi Pontificis facultate. Idem de communione *paschali* dicendum est. Tum confessio, tum communio Iubilaei in qualibet ecclesia fieri potest. S. C. Indulg. 9. Dec. 1763., 10. Maii 1844., S. Poenit. 25. Ian. 1875., 26. Febr. 1875., 26. Febr. 1879., 25. Mart. 1881., 15. Ian. 1886., A. S. S. V. 8. p. 555.— Confessio fieri potest die praevertente primum diem Iubilaei, si nempe fiat incipiente iam die ecclesiastico, h. e. in primis vesperis primae diei Iubilaei. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 8. — E. M.

1370. *Quid de visitatione Ecclesiae?* — Numerus visitationum, et numerus ecclesiarum, quae visitari debent, Bulla Iubilaei indicatur. Cum aliquo in loco sufficiens ecclesiarum numerus non habeatur, potest episcopus toties visitationem unius vel duarum ecclesiarum praescribere, quot sunt ecclesiae pro acquisitione Iubilaei visitandae. S. C. Indulg. Decr. *Urbis et Orbis* 15. Mart. 1852. Potest episcopus pro visitatione etiam publicum oratorium designare, in quo habitualiter missa celebratur. S. Poenit. 1879., 25. Mart. 1881., 15. Jan. 1886. A. S. S. V. 11. p. 528., V. 13. p. 423., V. 18. p. 334. — Potest episcopus dioecesis numerum etiam imminuere visitationum pro illis, qui eas processionaliter faciunt cum capitulo, congregationibus, confraternitatibus, et etiam cum parocho aut alio sacerdote ab ipso designato. S. Poenit. 26. Febr. 1879., 25. Mart. 1881., 15. Ian. 1886., A. S. S. V. 11. p. 527., V. 13. p. 423., V. 18. p. 333. — Regulares visitationes peragere nequeunt in propriis sacellis domesticis, neque praelati regulares ea designare possunt pro suis subditis; sed visitationem peragere debent in ecclesiis ab episcopo praescriptis. Regulares impediti possunt in particulari commutationem obtinere a proprio confessario. S. Poenit. 1875., A. S. S. V. 8. p. 554., 24. Apr. 1886., 15. Dec. 1886. — Qui aliquas peregerit visitationes in propria dioecesi, si in aliam abit dioecesim, potest ibi reliquas visitationes perficere, secundum praescriptiones Ordinarii loci. S. Poenit. 1875., 15. Ian. 1886., A. S. S. V. 8. p. 486., V. 18. p. 334.

Quando in Bulla Iubilaei praescribuntur quatuor ecclesiarum visitationes in die, dies sumitur vel naturalis a media nocte ad media noctem, vel ecclesiastica a primis vesperis usque ad finem crepusculi diei sequentis. *A primis vesperis*, ab hora nempe qua vesperae publice, seu in choro recitantur, seu qua secundum morem recitari possunt, hora nempe circiter secunda a meridie. Bened. XIV. *Inter praeteritos* § 8. 13., S. Poenit. 25. Ian. 1875., A. S. S. V. 8. p. 266., *Raccolta* p. XXII., Theodor. a Sp. S. de Indulg. II. p. 74., Martinucci Manuale Ecclesiasticorum. Quando vero plures sunt faciendae visitationes ecclesiarum et nihil quoad tempus praescribatur, tunc possunt omnes visitationes fieri vel eadem die vel diversis diebus. S. Poenit. 1879., 25. Mart. 1881., 15. Ian. 1886., A. S. S. V. 11. p. 528., V. 13. p. 423., V. 18. p. 334. — Impleri non possunt plures visitationes faciendae, diutius in ecclesia commorando, sed necesse est egredi et iterum ingredi, quamvis immediate post quis iterum ingrediatur. Ac cum magnus esset populi concursus, etiam extra ecclesiam impleretur visitatio toti populo sese uniendo. S. Poenit. 25. Ian. 1875., A. S. S. V. 8. p. 268. 485., Theodor. a Sp. S. de Iubilaeo C. VI. § 1. n. 3. Preces autem in huiusmodi visitationibus recitandae secundum intentionem Summi Pontificis, *vocales* esse debent, et quaelibet esse possunt, cum non determi-

nentur. Sufficit ex communi sententia recitare quinque *Pater, Ave, Gloria.* Bened. XIV. C. *Convocatis* § 51., C. *Inter praeteritos* § 83. — Qui iter Romam suscepit ad lucrandum Iubilaeum, et mortali morbo corripiatur, potest confessione et communione cum debitis dispositionibus Iubilaeum lucrari. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 14. — L. l. 6. n. 536. 537., E. M.

1371. *Quid de ieiunio Iubilaei?* — Ad lucrandum Iubilaeum ieiunium observandum est, etiam ab illis qui ex lege Ecclesiae ad ieiunium non obligantur, vel ex legitima causa a ieiunii lege vel ab abstinentia dispensantur. Si legitime quis impediatur, commutationem a confessario obtinere debet. Ille autem qui a confessario obtinuerit propter iustam causam facultatem comedendi carnes in ieiunio Iubilaei non posset simul eadem refectione pisces etiam comedere. Venia haec a confessario concessa carnes comedendi ad serotinam collationem extendi non potest, nisi existimet confessarius, debitam habens facultatem, debere quempiam omnino a ieiunio dispensare. Qui vero, ex legitima venia, ova et lacticinia comedere potest, pisces etiam eadem refectione potest comedere. S. C. Indulg. 10. Iul. 1869., S. Poenit. 26. Febr. 1879., 25. Mart. 1881., A. S. S. V. 11. p. 527., V. 13. p. 422., Bened. XIV. Epist. ad Archiep. Compostellan. 10. Iun. 1745.

Ieiunium in Iubilaeo praescriptum est *ieiunium ecclesiasticum,* secundum quod ex lege Ecclesiae servatur. Quare permittitur serotina collatio et matutinum frustulum praeter unicam comestionem. Prohibetur vero usus carnium, et tempore quadragesimali usus etiam lacticiniorum. S. Th. 2. 2. q. 147. a. 8. ad. 3., S. Poenit. 20. Ian., 28. Apr. 1865., A. S. S. V. 1. p. 174. 175. Ac si extra tempus quadragesimale *strictius* ieiunium expresse praescribatur, duplex tunc abstinentia a carne et a lacticiniis, etiam extra tempus quadragesimae, servanda est, non obstante Indulto, Privilegio, vel generali consuetudine, permittentibus lacticinia vel etiam carnes diebus ieiunii ex praecepto Ecclesiae. S. Poenit. 16. Ian. 1886., 26. Febr. 1879., 4. Mart. 1879., 31. Mart. 1879., 25. Mart. 1881., 31. Aug. 1881., A. S. S. V. 11. p. 527., V. 13. p. 422. 423., V. 18. p. 333.

Si Bulla Iubilaei dies designet, quibus ieiunium servandum sit, designatum tempus servandum est, et ieiunium valet ad lucrandum Iubilaeum, quamvis tempore designato ieiunium incidat ex praecepto servandum. Si vero Bulla Iubilaei tempus ieiunii non designet, non potest ieiunium fieri eadem die, qua habeatur aliunde ex praecepto Ecclesiae ieiunium servandum, nisi expresse id concedatur in Indulto Iubilaei, vel speciali concessione permittatur. S. Poenit. 2. Iul. 1881., 15. Ian. 1886., 10. Apr. 1886., L. l. 6. n. 537. — Si tria ieiunia praecipiantur feria IV., VI. et sabbato, facile inter omnes fere convenit, tria haec ieiunia in eadem hebdomada esse implenda, cum praecipiantur ad modum ieiuniorum quatuor temporum. Cf. S. C. Indulg. 10. Iul. 1869. — E. M.

1372. *Quid de eleemosyna?* — Eleemosyna fieri potest per se et per alium, dummodo si per alium fiat proprius accedat consensus et intentio. Et sic paterfamilias eleemosynam facere potest pro se, pro uxore, pro filiis, pro famulis. Superior Conventus seu Monasterii eleemosynam facere potest pro toto Conventu seu Monasterio, etc. — Si nihil praescribatur, quaelibet eleemosyna sufficit pro divitibus et pro pauperibus. Si vero eleemosyna praescribatur proportionata fortunae, ea quidem, quae

pro pauperibus sufficit, non sufficit pro divitibus. — Theodor. a Sp. S. I. p. 323., L. l. 6. n. 538., La-Croix 1428. 1430., Laymann c. 8. n. 12., E. M.

1373. *Quid de confessariorum facultate opera iniuncta commutandi?* — Possunt confessarii opera iniuncta Iubilaei, ex iusta causa, in alia pia opera commutare. Confessio et communio, itemque preces secundum intentionem Summi Pontificis, quando ab ecclesiae visitatione separantur, ab hac commutatione excipiuntur. Verum pro pueris, qui nondum ad primam communionem admissi sunt, permittitur commutatio in aliud pium opus arbitrio confessarii. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 53. 80., C. *Convocatis* § 48. Qui sine sua culpa quacumque ex causa impeditus fuit ad communionem accedere, potest etiam dilationem obtinere a suo confessario. Ita communiter. Bouvier Opusc. de Indulg. et Iubil. C. 3. § 4., Gur. 1066., etc. Huiusmodi commutatio in confessione facienda videtur, Cf. 1365., nisi aliud declaretur, ut in Iubilaeo anni 1865. Bened. XIV. C. *Convocatis* § 25., C. *Inter praeteritos* § 63., Leo XIII. 30. Ian. 1886., S. Poenit. 16. Mart. 1865., A. S. S. V. 1. p. 176., L. l. 6. n. 534. 15. Si pluries autem Iubilaeum potest lucrifieri, pluries etiam ex legitima causa praescripta opera possunt commutari. S. Poenit. 2. Iul. 1881., 18. Mart. 1886., A. S. S. V. 18. p. 512., E. M.

1374. *Quid de aliis confessariorum facultatibus?* — Potest confessarius absolvere a peccatis omnibus et censuris etiam *speciali modo* Summo Pontifici vel episcopo reservatis, sive occultis, sive publicis, sive censurae latae sint *a iure* sive *ab homine*, excepta tantum *absolutione complicis*, et *falsa sollicitationis accusatione*, Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 56.-61., C. *Sacramentum Poenitentiae.* — Haec autem absolutio *semel* tantum dari potest, et *in foro* tantum *conscientiae*, satisfacta parte laesa, et reparato scandalo, et favore tantum eorum, qui Iubilaeum lucrari volunt, et praescripta opera implere. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 62. 86., S. Poenit. 1. Iun. 1869., 15. Ian. 1886., A. S. S. V. 5. p. 33., V. 18. p. 334., L. l. 6. n. 537. Excipiebatur olim etiam haeresis, Bened. XIV. C. *Convocatis* § 53., C. *Inter praeteritos* § 38. 85., S. O. 23. Mart. 1656. Verum in praesenti haeresis etiam comprehenditur, ea prius retractata et abiurata. S. Poenit. 1. Iun. 1869., 25. Ian. 1875., A. S. S. V. 5. p. 32., V. 8. p. 266.

Qui postquam a reservatis fuit absolutus, vel votorum commutationem obtinuit, si deinde, immutata vontuntate, nolit opera iniuncta Iubilaei implere, quamvis peccet, sed non graviter ex communi sententia, manet tamen a reservatis absolutus et dispensatus a votis. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 86., C. *Convocatis* § 54., L. l. 6. n. 537., Lugo D. 20. n. 100., Salmant. c. 13. n. 57. — Ille item, qui a reservatis fuit absolutus et a votis dispensatus, et qui nullam vel sacrilegam recepit absolutionem, manet absolutus a reservatis et dispensatus a votis. Id quidem negat S. Alph. l. 6. n. 537. Sed alii et graves dd. probabiliter affirmant, adeoque cum reservatio iam dubia esset, practice cessat. Cf. 806., Lugo D. 20. n. 111.-113., Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 62. — Qui tempore Iubilaei rite confessionem perfecerit, quamvis in ea oblitus sit reservatorum peccatorum, potest deinde post Iubilaeum ab iisdem peccatis absolvi, siquidem a reservatione saltem fuit tunc absolutus, vel ius ad illam acquisivit. Idem de votorum dispensatione dicendum. L. l. 6. n. 536. 537. q. 4., Ferraris v. *Iubilaeum* a. 2. n. 27., La-Croix 1449. — Potest item confessarius absolvere poenitentem

a censuris et a reservatione peccatorum, eiusque vota dispensare, quamvis confessarius debeat ei absolutionem differre, si tamen impleat poenitens monita confessarii et alia Iubilaei praescripta opera peragat, deinceps absolutionem obtenturus etiam post Iubilaeum. L. l. 6. n. 535. 537.

Si quis in confessione iam peracta Iubilaei quod iam lucratus est, nullos habebat reservatos casus, neque vota dispensanda, potest adhuc *semel* a reservatis absolvi, et votis dispensari, si iterum possit Iubilaeum lucrari iterum praescripta opera peragendo. S. Poenit. 1. Ian. 1873. Qui iam absolutus est *semel* a peccatis et censuris reservatis, et Iubilaeum lucratus est, quamvis deinde repetat opera iniuncta ad iterum lucrandum Iubilaeum, non potest amplius a reservatis absolvi. An autem iterum absolvi possit, si nondum Iubilaeum lucratus sit *semel*, cum nondum omnia opera iniuncta peregerit, ut illud *semel* saltem possit lucrari; alii negant, ex S. C. Indulg. 10. Iul. 1869., S. Poenit. 1. Iun. 1869., 25. Ian. 1875., 15. Ian. 1886., A. S. S. V. 5. p. 32., V. 8. p. 267. 359., V. 18. p. 333., alii vero affirmant, nisi contrarium in Bulla Iubilaei exprimatur. D'Annib. P. 3. n. 190. Ed. 2.ª et P. 1. n. 348. Ed. 3.ª Cf. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 67. 73. 77. 78. 79. 84. 86.

Tempore Iubilaei possunt Regulares sine ulla suorum Superiorum venia confiteri cuilibet confessario regulari vel saeculari *approbato* ab Ordinario loci, vel *approbato* tantum a proprio Praelato, et possunt absolvi ab illo etiam a casibus in suo Ordine reservatis. Bened. XIV. C. *Inter praeteritos* § 35. 36., S. Poenit. 30. Ian. 1886. Moniales vero confiteri etiam possunt cuilibet confessario, sed ab Ordinario loci pro monialibus approbato. L. l. 6. n. 336., Ferraris v. *Approbatio* a. 2. n. 21. — Possunt praeterea confessarii vota *commutare*, vel *commutando dispensare* vota, et ab irregularitate ex violatione censurae dispensare, in quibus, ut in reliquis omnibus, tenor Bullae Iubilaei attendendus est, Bened. XIV. *Inter praeteritos* § 45., L. l. 6. n. 536.; ac in illis, in quibus non adversatur Iubilaei Bulla, regulae servandae sunt traditae a Bened XIV. in eadem C. *Inter praeteritos*. S. C. Indulg. 15. Mart. 1852. — E. M.

DE ALTARI PRIVILEGIATO

1375. *Quid sit altare privilegiatum?* — Altare privilegiatum est altare, cui summus Pontifex annexuit Indulgentiam plenariam, quae, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet. S. C. Indulg. 28. Jul. 1840., Bened. XIV. Inst. 56. n. 15. Indulgentia haec ab aliis plenariis indulgentiis, quae defunctis applicantur, non differt, nisi quatenus *certiorem* habet effectum. Etenim, secundum communem dd. sententiam, ipsa non pendet a personalibus sacerdotis dispositionibus, sed a divinae victimae oblatione: siquidem ea unice adnexa est divini sacrificii celebrationi in tali altari. Hinc sacerdos, qui ex stipendio accepto debet celebrare in altari privilegiato, susceptae obligationi non satisfacit celebrando in alio altari, et

lucrando indulgentiam plenariam alicui pio operi vel obiecto annexum; satisfacit vero si privilegio gaudeat altaris privilegiati *personalis.* Qui *actum heroicum caritatis* faciunt, tale habent privilegium. S. C. Indulg. 13. Febr. 1745., 22. Febr. 1847., 2. Maii 1852. Altare enim privilegiatum, aliud est *locale,* aliud *personale,* prout privilegium vel determinato altari, vel personae adhaeret, in quocumque altari quis celebret, sive privilegiato, sive non, sive *fixo,* sive *portatili.* S. C. Indulg. 15. Mart. 1852., 20. Mart. 1846.

1376. *Quaenam sint requisitae conditiones ad altare privilegiatum locale?* — Necesse est ut ecclesia vel oratorium, in quibus adsit, sint benedicta, neque requiritur ut sint consecrata. Necesse vero est quod altare sit *fixum,* quod nempe a loco dimoveri non possit. Quare sufficit, ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur. Indulgentia ipsi fixo altari conceditur, non lapidi consecrato amovibili, qui unus alteri pro necessitate vel opportunitate suffici poterit. Neque vero potest praedicta indulgentia transferri ab uno altari fixo ad aliud altare fixum in eadem ecclesia vel oratorio, sine speciali facultate. Ac indulgentia amittitur, etiamsi ipsum altare fixum ab una ecclesia in aliam transferatur; minime vero si ab uno loco ad alium in eadem ecclesia transferatur, sub eadem tamen manens invocatione; vel si propter vetustatem de novo construatur, aut quoad maiorem partem reparetur, dummodo sub eodem titulo vel invocatione iterum construatur. S. C. Indulg. 22. Apr. 1752., 30. Ian. 1760., 27. Nov. 1764., 15. Dec. 1841., 24. Apr. 1843., 20. Mart. 1846., 26. Mart. 1867., 27. Sept. 1843., 16. Sept. 1723., 27. Iun. 1836., 24. Apr. 1843.

1377. *Quaenam sint conditiones requisitae ad lucrandam Indulgentiam altaris privilegiati?* — 1.° Indulgentia altaris privilegiati separari non potest ab applicatione seu fructu sacrificii missae. S. C. Indulg. 25. Aug. 1897. — 2.° Necesse est missam applicare pro eadem anima, pro qua missa celebratur. S. O. 8. Iul. 1846., S. C. Indulg. 31. Ian. 1848., 18. Dec. 1885. — 3.° Indulgentia applicari non potest nisi uni tantum animae, licet pro pluribus quis missam celebret. S. C. Indulg. 28. Jul. 1840., 29. Febr. 1864. 19. Jun. 1880., 19. Dec. 1885., A. S. S. V. 13. p. 139., V. 18. p. 340. — 4.° Diebus non impeditis, missa *de requiem* legenda est. S. C. Indulg. 11. Apr. 1840., 22. Febr. 1847. Aliis diebus impeditis, ratione ritus, lucratur quis indulgentiam aliam missam diei respondentem legendo. Idque valet etiam, si quis missam *de requiem* non legat, ratione expositionis SS. Sacramenti, sive stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis. S. C. Indulg. 11. Apr. 1840., 22. Apr. 1847., 30. Iun. 1760., 27. Nov. 1764., 29. Febr. 1864., etc.

1378. *Nota:* Quando missam quis celebrat ad altare privilegiatum pro aliquo defuncto, missa per se privilegiata est, neque necesse est, ut vel offerens eleemosynam, vel sacerdos intendat applicare privilegium. Non enim requiritur explicita applicationis intentio, implicita sufficit. Quando vero quis celebrat pro pluribus defunctis, si uni determinatae animae explicite privilegium non applicet, non ideo praedictum privilegium evadit inutile. Nam tunc vel applicatur alicui animae prout Deo placuerit, vel omnibus, non plenarie omnibus, sed partialiter singulis.

S. C. Indulg. 5. Mart. 1855., 19. Iun. 1880., A. S. S. V. 13. p. 141. — Missa defunctorum non nisi in paramentis *nigris* celebranda est: *violacea* adhiberi non possunt nisi in casu, quo die 2. Nov. SS. Eucharistiae sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione quadraginta horarum. S. R. C. 23. Iul. 1868., Gardell. n. 5403. — Sacerdos, qui missam celebravit pro defuncto in altari privilegiato, eique applicando indulgentiam altaris privilegiati, potest eadem die, vi sacrae communionis in sacrificio peractae, lucrari aliam indulgentiam plenariam pro se vel pro animabus Purgatorii, immo potest plures indulgentias plenarias animabus Purgatorii lucrari, si ad eas lucrandas sacra communio praescribatur. S. C. Indulg. 10. Maii 1844.

1379. *Quid de altari gregoriano? — Altare privilegiatum confundendum non est cum altari gregoriano.* In altari privilegiato una sufficit missa pro anima liberanda a Purgatorio. In altari gregoriano, requiritur triginta continue missarum celebratio. Altare autem gregorianum specialem quidem titulum habet ad divinam acceptationem, mediationem nempe S. Gregorii et peculiarem Ecclesiae destinationem. Verum de concessione Indulgentiae plenariae pro altaribus gregorianis non constat. S. C. Indulg. 24. Aug. 1888., A. S. S. V. 1. p. 254. seqq. Fiducia tamen, qua fideles retinent, celebrationem triginta missarum, quae vulgo *gregorianae* dicuntur, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae a Purgatorii poenis liberationem, pia est et rationalis, atque praxis easdem missas celebrandi est in Ecclesia probata. Item fiducia, qua fideles retinent, celebrationem missae in altari S. Gregorii in eius ecclesia Caelimontana, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem, pia est et in Ecclesia probata. Idem dicendum de altaribus gregorianis ad instar. S. C. Indulg. 15. Mart. 1884., A. S. S. V. 16. p. 508. seqq.

1380. *Quid de actu heroico caritatis quoad altare privilegiatum? — Indultum personale altaris privilegiati singulis anni* diebus, uti etiam facultas applicandi defunctis omnes indulgentias concessas et concedendas pro vivis, concessa sunt pro actu heroico caritatis erga animas Purgatorii. S. C. Indulg. Decr. Urb. et Orb. 20. Nov. 1854. Hic actus in eo consistit, quod Christifidelis, sive adhibita aliqua formula, sive mentaliter tantum. Deo offerat pro animabus Purgatorii omnia opera satisfactoria, quae ipse quoad vixerit peraget, omnesque indulgentias, quas lucrari potest, nec non suffragia omnia, quae quomodocumque ei post mortem poterunt obvenire. S. C. Indulg. 18. Dec. 1885. Huiusmodi autem actus heroicus non impedit, quominus quis obligationibus, quas habet satisfaciat, et suffragia offerat pro hac vel illa anima.

A. M. D. G.

INDEX ANALYTICUS RERUM

DE PARTICULARIBUS LAICORUM OBLIGATIONIBUS

DE PARTICULARIBUS CLERICORUM OBLIGATIONIBUS

DE PARTICULARIBUS REGULARIUM OBLIGATIONIBUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

DE BAPTISMO

DE CONFIRMATIONE

DE EUCHARISTIA

DE POENITENTIA

DE EXTREMA UNCTIONE

DE ORDINE

DE MATRIMONIO

DE CENSURIS

DE CONST. *APOSTOLICAE SEDIS*

DE CONST. *SACRAMENTUM POENITENTIAE*

DE CONST. *OFFICIORUM AC MUNERUM*

DE IRREGULARITATE

DE INDULGENTIIS

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Numerus sine puncto (10) *primum Volumen, cum puncto* (10.) *secundum Volumen designat.*

Tituli secundarii vel ad praecedentes vel ad titulum primarium immediate referuntur.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

V

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriar. Antioch. Vicesgerens.